
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
1
48-E
7
ROMA


THESAVRVS
ANTIQVITATVM
ROMANARVM.
TOM: VII.
LVGDVNI BATAVORVM
APVD
PETRVM VANDER AA
ET



THESAVRVS ANTIQVITATVM ROMANARVM

Congestus

a

JOANNE GEORGIO GRAEVIO.

Accesserunt

Variae & accuratae tabulae aeneae.

TOMVS SEPTIMVS.



Traject. ad Rhen. / *Lugd. Batavor.* { Apud FRANCISCVM HALMAM, / PETRVM vander AA, } Bibliop.

MDCXCVIII.

Cum Privilegio.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

VIRO

GVILIELMO BENTING

COMITI. PORTLANDIAE. DOMINO VAN. ROON. ET. PENDRECHT

ANGLIAE. PRIMI. LOCI. ORDINIBVS. NEC. NON. BATAVIAE. ORDINIS. EQVESTRIS. CONSESSVI. ADSCRIPTO. GVILIELMI. MAGNAE. BRITANNIAE. REGIS. LEGATO. EXTRAORDINARIO. AD. LVDOVICVM. GALLIARVM. REGEM, SATRAPAE. COMITATVS. LINGENSIS. ET. BREDANAE. DIOECESEOS. SVPREMI. DVCIS. COPIARVM. EQVESTRIVM. OPTIONI. ET. PRAEFECTO. ALAE. PRAETORIANAE

S. P. D.

JOANNES. GEORGIVS. GRAEVIVS.



Apud omnes gentes & nationes bellicae rei gloria tanti fuit aestimata, ut qui ea praestarent ac prae ceteris excellerent, non tantum a civibus suis vivi colerentur, tanquam praesentia quaedam numina, sed & a Regibus & populis exteris magnis

gnis afficerentur honoribus, & tantum non adorarentur, post mortem vero collocarentur in coelo, & immortalium coetui adscripti apud seros nepotes perpetuis celebrarentur laudibus, non domi tantum in conviviis, sed publice in ludis sacris, in pompis; in sollennibus festivitatibus, ut aeque ac ceterorum Deorum nomina peplis intexerentur, in ferculis & thensis circumferrentur, & arae, templa, pulvinaria iis cum flaminibus sacrarentur. Quis nescit Jasoni in Oriente, Theseo in Graecia, Herculi in omnibus Orbis plagis divinos honores fuisse decretos? Apud Romanos, si quis victos hostes civibus ostenderet, Jovis solium, ut ait poeta, credebatur attingere. Nam numerosos exercitus posse regere, & severa disciplina continere, milites assidua meditatione armorum indurare, ut nullius laboris magnitudine, nulla locorum asperitate frangantur, nullum populum metuant, in hostico agmen sine offensione ducere, aciem scienter instruere, salutari cunctatione pro temporum ratione bellum trahere, insidias tam facere, quam vitare, urbes ingenio situs & operum firmitate munitissimas capere, ferocissimas gentes pacare, fines aut tueri aut proferre latius, rarum semper & perquam arduum est habitum. Difficilius tamen esse rempublicam sapienter gerere, quam fortiter administrare bella, gravissimorum hominum consensus sanxit. Multi imperatores, rebus maximis gestis clari, quos currus & tropaea illustrarunt, cum rempublicam capesserent togatarum artium rudes, partam

tam bello gloriam pravis consultis corruperunt. Marius fertur optimus bello fuisse, pace pessimus, qui cum rempublicam paludatus servaverat, post praetextatus poene perdidit. Hannibalis laureae in tranquilla republica brevi exaruerunt. Multi eximii homines, qui norant artem vincendi hostes, ignorabant artem regendi cives. Nihil autem prodest armorum felicitas foris, ubi domi deest consilium. Lacedaemonii bellicae virtutis laude in primis florebant, sed cum subactis omnibus hostibus rerum potirentur, vix duodecim annos armis quaesita potuerunt tueri, quia pacis artes non coluerant. Pompejus Mithridate & tot Regibus Asiae victis, cum tantum terrarum adjecisset imperio Romano, ut, quae antea fuerat provincia ultima, dum esset media, locum ubi triumpharet non habuisset, nisi togati Ciceronis sapientia, pestifera Catilinae conjuratione detecta & repressa, servasset Romam, igni, caedibus, vastitati addictam. Licet vero res maxime ardua sit clavum reipublicae sic tenere, ut illa, quamvis atrocissimis tempestatibus domi forisque vexetur, rectum teneat cursum sine naufragii periculo, longe tamen in scopulosiore & difficiliore loco versantur, qui in aulis in Magnorum Regum & Principum gratia collocati sunt. Longe enim omnium difficillimum est in illis diu inoffenso pede gradum, quem tenent, tueri. Nam tot in aulis sunt brevia, syrtes, coeci scopuli, tantus livor, tanta insidiantium alienae dignitati & fortunis turba, tot calumniantium occultae

viae,

viae, ut illas providere & vitare prudentiæ humanae captum videatur ſuperare. Qui magni duces bellici fuerunt, non ſane multi ab omni tempore numerantur, pauciores vero longe ſapientes reperiuntur regnorum & rerum publicarum rectores, unde non inepte quidam dixit olim, bonorum Regum, hoc eſt, omnium qui rei publicae praeſunt, nomina inſcribi poſſe annulo: ſed utriſque rariores conſpiciuntur in comitatu Regum & Principum purpurati proceres, qui in magna gratia conſenuerunt. Pleroſque omnes de ſtatu, in quo erant, aut malevolorum invidia dejecit, aut ipſa Principis ſatietas deduxit, aut inſontes & optime de re publica meritos nequitia & vis nec opina deturbavit & afflixit. Quantum igitur in Te, Illuſtriſſime Comes, ſit animi robur & praeſentia, quanta virtus bellica, quanta conſilii magnitudo in moderanda republica, quanta vis & facultas hominum ſtudium & benevolentiam colligendi, & collectam perpetuo retinendi, nemo non intelligit & miratur, qui non ignorat Te in his tribus difficillimis rebus ſic excellere, ut primas in ſingulis Tibi tribuant, cum in una harum eminere ſit res fere prodigioſa. Quibus expeditionibus & procliis non interfueris tantum, ſed praefueris in Hibernico & bellis Gallicis, quantaque in illis & virtutis & prudentiae bellicae edideris documenta teſtabuntur annales. In gubernanda republica quanta ſis ſapientia, quanta moderatione, quanta vigilantia in populorum ſalute & dignitate tuenda, eorumque commodis & utilitatibus

utilitatibus procurandis, non Belgica tantum sociata, sed & magna Britannia sensit & admirata est, argumento certissimo, quod cum utraque gente, in tanta voluntatum opinionumque diversitate, in pari sis gratia, eaque flagrantissima, ut aeque ab omnibus ameris & colaris. In Regis Maximi GVILIELMI cohortem adscriptus es in puerili aetate, ut cum Rege adoleveris. A quo vero illi apparuisti tempore, in maxima semper apud Eum fuisti dignatione, sine ulla frigusculi suspicione. Nam Ei in omni fortunae varietate sic probasti Tuam fidem ac studium, Tuam in consiliis dandis sollertiam, in capessendis jussis obsequium, in exsequendis industriam & celeritatem, in detegendis & impediendis novis perditorum hominum consiliis sagacitatem, ut Te semper amarit maxime, ut assiduus comes Ejus lateri semper adhaeseris domi bellique, omnium laborum & periculorum socius, omnium coeptorum adjutor, omnium arcanorum particeps fueris. Hinc & Rex sapientissimus Tui unius opera & consilio uti voluit in pacis capitibus sanciendis, quae se suaeque ditionis hereditarias possessiones spectabant. Pace vero inita Te interpretem suae voluntatis misit ad Potentissimum Galliarum Regem pacis firmandae caussa. Cujus legationis tanto cum applausu totius Galliae obitae hunc fructum tulisti, ut Tuae virtutis & prudentiae splendor in Gallia quoque, ut ante in Britannia & Belgio, late diffunderetur, ut quae ante fama nunciarat, nunc auribus & oculis usurparent, utque ibi Tui

Nominis tantam, cum redieris, memoriam ſis relicturus, quantum Tui reditus deſiderium apud nos reliquiſti. Nam ut ſalvus quam primum redeas, omnes optamus & vovemus. In quibus cum & ego numerari velim, hanc quaſi votivam tabellam pro Tua incolumitate in hujus operis, quod Tibi dico pignus meae venerationis, frontiſpicio ſuſpendi. Vale Vir Illuſtriſſime. Trajecti Batavorum D. IV. Idus Apriles clↄ Iↄc XCVIII.



LECTORI BENEVOLO S.

DE hoc septimo Thesauri antiquitatum Romanarum volumine pauca, ut nunc est, monenda habeo, quamvis de multis disputandi materia non deesset, si & temporis & occupationum ferret ratio. Vides primo trium illustrium virorum, Richardi Streinii Germani, Antonii Augustini Hispani, & Fulvii Ursini Itali eruditos Commentarios de gentium & familiarum Romanarum ortu & successione. Hi lucem affundunt antiquis omnis generis scriptoribus benignissime, qui intelligenter evolvi non possunt sine cognitione familiarum. Hinc tot magni viri & omni doctrina ornati, tum olim, cum res Romana non minus imperii amplitudine, quam ingeniorum copia & eruditionis floreret ubertate, cum nostra tempestate impegerunt graviter ignoratione hujus eruditionis. In ea multa quidem his triumviris invisitata viderunt homines eximii, qui in hac antiquitatis obscuritate illustranda post illos elaborarunt, multas etiam non leves illorum hallucinationes castigarunt, novas quoque familias, quas nimirum illi non observarant, nec per monumenta in lucem nondum producta poterant observare, cum ex nummis, lapidum titulis, tum ex aliis prisci aevi reliquiis, sed postea inventis, eruerunt Golzius, Sigonius, Panvinius, Pighius in Fastis, Gorlaeus in supplementis familiarum Romanarum, Glandorpius in Onomastico, & Thomas Reinesius in epistolis ad Rupertum, in variis lectionibus, in Commentario postumo in inscriptiones antiquas, Seguinus in selectis numismatibus, Excellentissimus Spanheimius in dissertatione sexta de praestantia & usu numismatum antiquorum, ubi & multa leges de Nominibus Romarum egregia, praeterita iis, qui de hoc egerunt argumento, & quae non debuissent praeteriri in tomo secundo hujus thesauri, nec non Clarissimus & amicissimus Perizonius in animadversionibus Historicis, ut & in dissertationum triga. Ab hoc longe plura in istius studii genere indies expectamus tam in dissertationibus de Romanorum

nominibus, quas dudum adornat, tum in notis ad Valerium Maximum. Ex antiquis titulis aeque ac ex nummis possunt illustrari Romanae familiae. Exempli loco sit Ania familia, de qua sex nummos habet & unam inscriptionem Fulvius. En tibi aliam ineditam ex Gudiano corpore, in qua plures Anii leguntur.

MEMORIAE. ANIOR. FAMILIAE
L. ANIVS. L. F. ESQ. VENVSTVS. PRAEF. VIGIL
T. ANIVS. L. F. T. N. MANCINVS. LONGVS. ET
P. ANIVS. L. F. ESQ. PROBVS. AVG. N. PROCVR
ATOR. XX. HEREDITAT. PAMPHYL
ANIA. P. F. VERA. ET. ANIA. IOCVNDA. P. F.
ET. Q. ANIVS. SOTERICVS. LOC. EMPT. F. C.
IN. FR. P. XIIX. IN. AGR. P. XXV. H. M. D. M. A.

Observabis autem in hoc lapide semper scribi Anius, cum in nummis & aliis lapidibus geminetur N. Verum apud Gruterum etiam in quarta pag. DCLVI, laudatur L. ANIVS PRISCVS, & in alia ANIA. Sed in longe pluribus scribitur ANNIVS, vide Gruteriani operis indices. Ad familiam Augusti pertinent Marcelli & Marcellae, ut notum, propter sororem Augusti Octaviam minorem, quae nupta fuerat Marcello. Duas illa filias habuit Octaviam majorem & minorem. Quos maritos habuerit Marcella major, nemo paullo humanior ignorat. Haec per excellentiam dicitur Marcella in inscriptione inedita:

IRENA
MARCELLAE
SARCINATRIX.

De Marcella minore magnum est silentium, inquit Lipsius in stemmate Augusti. Ejus tamen meminit antiqua inscriptio itidem inedita:

ZETHVS. MARCELLAE
MINORIS. COCVS

Eadem Marcella in alio lapide dicitur Marcella Pauli:

FAVSTVS
MARCELLAE. PAVLI
PISTOR

Unde mea sententia licet discere, qui nam Marcellae minoris fuerit maritus. Paulli uxor appellatur. Hic videtur fuisse Ae-

milius Paullus Cenſor, cujus filio poſtea nupſit Julia Neptis Auguſti, Agrippae filia. Hinc etiam cognoſcis, quod adhuc ignorabatur, cur Auguſtus Paulli progener dicatur apud Suetonium in Octaviano c. 19, ubi inter alios, qui contra Auguſtum conſpirarant, nominatur Lepidus juvenis, Varro, Murena, Fannius Caepio, M. Egnatius, Plautius, Rufus, Lucius Paullus progener Auguſti, quia nimirum ejus neptim Juliam duxerat. En locum obſcurum & intactum nunc liquidum redditum! Imperatori Cajo Caeſari Caligulae tres fuerunt ſorores, Agrippina, Druſilla, Livilla, quae ſaepius junctae conſpiciuntur in nummis. In inſcriptionibus commemoratur etiam Julia Germanici filia:

PRIMA. AVGVSTI. ET. AVGVSTAE. L.
NVTRIX. IVLIAE. GERMAN. FILIAE.

Haec Julia eſt illa, quae Suetonio Livilla, Tacito, Dioni, & in nummo, in quo tres illae ſorores notatae ſunt, Julia dicitur. Nimirum omnes tres ſorores Caji, Agrippina, Druſilla, Livilla vocatae fuerunt etiam Juliae, quo nomine ſe ex Auguſti ſanguine genus trahere teſtatum faciebant. De Julia Livilla jam vidimus. Julia Agrippina eſt apud Gruterum nona pag. CCXXXVI,

IVLIAI. AVG.
AGRIPPINAI
GERMANICI
CAESARIS F.

Idem nomen invenies etiam in pluribus inſcriptionibus apud Gruterum pag. CCXXXVII, quas conſules. Sic etiam occurrit in antiquo marmore apud eundem Gruterum, JVLIA. DRVSILLA. GERMANICI. FILIA. Habes igitur Juliam Livillam, Juliam Agrippinam, Juliam Druſillam, cum una tantum adhuc inter ſorores Caji, Germanici filias, Julia eſſet nota, cui prae ceteris id cognomen magis adhaeſiſſe cernimus. In vetuſtis epigrammatibus & libris tres Druſi commemorantur, ſatis noti. Druſus Germanicus, Tiberii frater, Druſus Germanicus, hujus filius, Druſus Tiberii filius. Hi ſaepiſſime confunduntur, ut videmus in magno indicum Gruterianorum auctore, qui 2 CCXXXIII, 6. 7. 8. 9. CCXXXVI, & 1. CCXXXVII, & 3. 4. DC. tribuit uni Druſo, cum 2. CCXXXIV. dedicata ſit Druſo Germanico, Tiberii fratri, quam hic legis

IVLIAE. AVG.
DIVI. F. MATRI
TI. CAESARIS. AVG. PRIN
CIPIS. ET. CONSERVATORIS
ET. DRVSI. GERMANICI
M. CORNELIVS. PROCVLVS
PONTIFEX. CAESARVM

Ejus filio, Drufo Caefari Germanico pofitum eft marmor, quod numero fecundum eft paginae ccxxxvii

DRVSO . CAESA. . . .
NICI. CAESARIS. . . . .
AVG. N . DIVI. AVG. . . .
PRAEFECT. VRBI. . . . .
GVSTALI

Quae infcriptio fic videtur fupplenda:

DRVSO. CAESARI. GERMA
NICI. CAESARIS. F. TI. CAES
AVG. N. DIVI. AVG. PRONEP.
PRAEFECT. VRBI. SODALI. AV
GVSTALI.

Habes etiam decimum lapidem eidem dicatum in praecedente pagina. Sed ad Drufum Tiberii filium pertinet *p.* ccxxxvii.

DRVSO CAESARI
TI. AVG. F. DIVI
AVGVSTI. N.
DIVI. IVLI. PRON.
L. TVRPILIVS. L. F.
GEMINVS

Duae, quae fequuntur, infcriptiones, eidem funt confecrati. In marmore nondum vulgato praedicatur etiam DRVSVS BLANDI F. qui nepos fuit hujus Drufi Caefaris & Liviae ex filia Julia, quae nupta fuerat RVBELLIO BLANDO, ut auctor eft Tacitus vi annali c. 27. Ipfum marmor loco commodiore publicabitur. Plura hujus generis alia potuiffent expromi, fi non maturanda fuiffet haec ad lectorem adlocutio.

Scriptores de Romanorum familiis excipit liber utiliffimus, Notitia dignitatum utriufque Imperii, cum erudito commentario Guidi Panciroli, qui Patavii magna cum laude docuit fuperiore feculo Legum Romanarum difciplinam. Accedit ejusdem

dem de magiſtratibus municipalibus & corporibus artificum libellus. In utroque libro παροράματα quaedam notata ſunt a viris doctis, & plura poſſent notari, ſi hoc nunc agere tempus permitteret. Tandem his omnibus ſubjicitur de honore Biſellii, cujus in marmore Piſano fit mentio, docta commentatio Valentis Chimentellii, Viri & dignitate generis, & varia doctrina praecellentis, qui in Piſano Lyceo docuit cum magna laude eloquentiam, & civilem doctrinam, mihique, cum in vivis eſſet, erat peramicus. In hac elegante diſſertatione, de variis Sellarum, & quibus magiſtratus, & quibus utebantur homines privati, multa praecepit Vir erudítiſſimus egregia, ſcituque digna, ut de ſellis curulibus, de ſubſelliis ſenatoriis, de lecticis conſularibus, de thronis, ſoliis, cathedris, & quae ſunt alia hujus generis. Appendicis loco adjecit diſputationem de odoris Muſcis Piſanis, quae quamvis non ſpectaret antiquitates Romanas, non tamen eam omittendam cenſuimus, ne quid delibetur de illius opere. Fato acerbo Chimentellius eſt nobis ereptus, qui plura & majora, ſi ſuperaſſet, nobis praeſtitiſſet, Vale Lector, & his fruere.



SERIES

SERIES SCRIPTORVM,

Quæ in ſeptimo Tomo Theſauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.



RICHAR-

RICHARDVS STREINNIVS

BARO SCHVVARZENAVIVS

DE

GENTIBVS ET FAMILIIS ROMANORVM.

SER^MO. ET ILL^MO.

PRINCIPI AC DOMINO

D. CAROLO

ARCHIDVCI AVSTRIAE,

&c.

RICHARDVS STREINNIVS

S.



QVIDNAM causæ sit, Carole Princeps Illustrissime, quòd quum ætates ferè singulæ singula propè nobis extulerint optimarum rerum studia, ea tamen ab humili ad summum perducta senescere, ac suo quasi fato perfungi, rursusque aliquando efferri atque emergere videantur, sæpe multumque dubitare soleo. Videmus enim, & patet hocquidem omnibus, ultimam illam hominum ætatem, quæ quo ab ortu aberat propius, hoc ingenio magis animique magnitudine præstitit, cùm vim rerum cælestium, ratos orbium cursus, motus, trajectiones, & progressiones syderum, tum omnem naturæ obscuritatem, rerumque vicissitudines, & notasse diligenter, & accuratè explicasse: quæ quum in alto sanè essent collocata gradu, delabi paulatim & præcipitari cœperunt. Nam quæ continuò insecuta est ætas, ea non cognoscere prius præclarissimas illas res, quàm contemnere planè & negligere cœpit. Tertia verò, quæ Græcorum est (illarum enim Assyriorum est altera, altera Persarum) non modò hæc quæ jacere videbantur, & sepulta esse, naturæ optima rectissimaque studia excitavit, sed & omnia doctrinarum atque artium genera, jura, leges, humanitatem denique omnem induxit, & in omneis terras distribuit. Quo quidem tempore virtutis magistri Philosophi extiterunt, qui rerum omnium naturam evolverent, disserendi subtilitatem explicarent, vitam atque mores traderent: procreatores quidam, & quasi parentes bonarum artium reliquarum omnium. Non progrediar longius, ad Romanos venio. Quid Romano florente imperio literarum studiis præclarius? quid illustrius? quid verò illo sæculo eruditius? atqui hæc unà cum imperio concidisse, nemo mediocriter quidem eruditus ignorat. Verumtamen quum repressa hæc vetustate, vel oppressa potius & extincta crederentur, nostra certè patrumque memoria in lucem à doctissimis hominibus vindicari, & pristinæ dignitati longo intervallo restitui cœperunt. Hujus ego tantæ mutationis causam unam quidem in natura ita latere arbitror, ut quòd in hac imbecillitate nostra neque appareat, neque cernatur, solius Dei rerum omnium præpotentis sapientiæ relinquenda sit: alteram extra naturam positam, animo & intelligentia comprehendi posse judico. Etenim ut suus cuique parti ætatis datus est terminus, certaque tempestivitas, qua decursa & exacta, confici eam & extingui necesse est: sic reliquarum quoque rerum omnium quædam quasi ætates videri solent, certis notatæ & circumscriptæ cancellis. Atque, ut omittam ea quæ oculis cerni & eventu notari possunt, terræ fœtum omnem, fruges, baccas arborum, & quæcunque ad hominum commoditates natura largita est, temporis decursu, sui quàm dissimillima reperiri: ingenium certè, hominisque natura dici non potest quantum à superioribus ætatibus degenerarit, quàm fracta nunc & debilitata, vehementi quadam impulsione ad senectutem & interitum compellatur. Sunt tamen ingeniis hominum innati virtutum igniculi, & semina data doctrinarum, quæ si adolescerent, nihil hominis natura præstantius esse posset: nunc autem, cùm ea sit naturæ depravatio, ut simul ac in lucem editi ac suscepti sumus, pravitatis erroribus imbutæ mentes nostræ in summa perversitate versentur, cùm igniculi, si qui sunt, restinguuntur celeriter, cum semina in contrarias partes se convertunt. Ac fuit hæc quondam illorum temporum felicitas, quæ quum ab interitu rerum abessent longissimè, tum omnibus rebus, præsertim studiis atque artibus florebant. Itaque nihil in omni natura tam erat reconditum, nihil tam abstrusum & obscurum quod non investigarit, eruerit, atque in lucem protulerit antiquitas: huic arteis innumerabiles, maximarum rerum scientiam, doctrinæ atque humanitatis studia debemus: huic, si quid est vel excogitatum acutè, vel inventum præclarè, acceptum ferimus. Hæc verò nostra postrema ætas, quum à natura ad finem & exitum præcipiti quodam casu volvatur, illa ipsa, si qua supersunt naturæ bona, unà secum ad interitum rapit.

 Ita

Ita fit ut quum solidam & expressam pulcherrimarum rerum effigiem jampridem nullam habeamus, umbram tantùm & imagines consectemur. Accedunt huc varii rerum humanarum casus, qui omnibus in rebus dominantur, qui studia & contentiones nostras sæpe in ipso cursu frangunt atque obruunt. Non omittam (quod verè mihi videor dicturus) ut rerum aliarum, sic laudandarum artium pestem & exitium esse bellum. Aluntur enim, augentur & confirmantur pace literarum studia, hæc per otium concelebrata efflorescùnt: ubi vero ad bellum, ubi ad castra ventum est, tum afflicta & tanquam intermortua jacent & negliguntur, pellitur è medio sapientia, (ut bonus Poëta scribit Ennius) vi geritur res. Cujus quidem certè rei, ut veterum memoriam relinquam, respublica Romana testis est. Illa enim in otio & tranquillitate tot ingeniis, tantisque studiis exculta, quasi fœcunda quædam genitrix, immortales edidit partus. Hoc tempore Catones, Lælios, Tuberones, Cicerones, Varrones, omni doctrinarum genere cumulatos accepimus. Secuta bella civilia, perpetuis seditionibus respublica labefactata, ubi Imperatorum tyrannis rem Romanam excepit, bonis disciplinis nullus honos habitus, præclaræ artes omnes penè funditus deleræ sunt. Patrum verò & avorum memoria, pacatis ferè bellis, quum diuturnitas pacis otium confirmasset, paululum erigere se literæ & oculos extollere cœperunt. Doctrina primùm, quæ reconditis in artibus & literarum varietate versatur, dein eloquentia, postremò antiquitatis studium paulatim excitatum est. Verùm hæc in Italia primùm magno in honore & gloria fuerunt: in Germania verò nostra non ita magna laude dignata sunt. Doctrinam cum complures alii, tum in primis Erasmus excitavit, eaque hodie multorum ingeniis magnopere celebratur. Eloquentiam primus excepit Longolius, cujus dignitatem & decus hodie Johannes Sturmius sustinet, homo omni doctrinarum genere politissimus. Antiquitatis vero studium primùm Cuspinianus noster, tum etiam Rhenanus & Glareanus, viri summis ingeniis, exquisitaque doctrina præditi, magna sanè cum laude & posteritatis commemoratione amplexi sunt. Quorum vestigiis Fran. Hotomanus, juris, literarum, atque omnis antiquitatis peritissimus, insistens. quum animi mei ardorem ad bonarum artium studia cognovisset, magnopere mihi auctor fuit ut cum juris civilis scientia antiquitatis studium conjungerem. In quo quum maximè elaborarem, atque omnes hujus ineuntis ætatis industriæque nervos contenderem, tum miram in cognoscendo suavitatem, & multarum rerum jucunda quadam varietate distinctam delectationem, tum verò singularem inesse huic studio utilitatem animadverti. Nam quum in ejus reipublicæ temperatione cognoscenda elaboremus, quæ cæteris omnibus non tam imperii magnitudine, quàm civitatis præclara & sapienti descriptione antecelluit, incredibiles certè fructus ad eos qui ad reipublicæ gubernacula accessuri sunt, redire necesse est. Accedit illud quoque, quòd quum adolescentia hæc nostra in Latinorum scriptorum libris cognoscendis informari soleat, nullum tamen de iis solidum verumque fructum consequi possimus, nisi omnia populi Romani instituta & nota & perspecta habeamus, in comitiis, legibus, magistratibus, judiciis, provocationibus, auspiciis, cæremoniis, reique militaris descriptione, præsertim autem in familiis ac gentibus, quarum mirificam quandam video à primo urbis ortu habitam fuisse non sine magnis causis rationem. Itaque quum ad unamquanque rerum illarum præclarissimarum cognoscendam animum meum his ferè viginti mensibus adjecissem, cœpissemque de magistratibus & judiciis, aliisque nonnullis commentari, nullam tamen in partem majorem quàm in familiis observandis ae describendis diligentiam adhibui. rem obscuram certè atque ignotam: quæ cum priscis temporibus à T. Pomponio Attico literis mandata & explicata esset, in manus tamen hominum numquam (quod equidem sciam) pervenit. Quum igitur hunc superioribus mensibus libellum confecissem, in eoque non tam illustrium virorum familias atque ætates, quàm magistratus, honores, resque eorum gestas essem complexus, multique doctissimi viri, quibuscum studia mea communicabam, ut illorum studiosorum rationem divulgarem, atque ex umbraculis in solem educerem, summoperè à me contenderent, feci id quidem non invitus, ut prodessem quamplurimis. Hunc autem tibi, Carole Princeps, tuoque clarissimo nomini, de parentis charissimi atque optimi, amicorumque sententia offerre volui: præsertim quum ex hac scientia mirificam te voluptatem capere consuevisse, ex multorum sermonibus intellexerim, ut si patronus huic præclaro studio comparandus sit, tu mihi facilè occurras qui hæc studia labentia excipere, afflicta erigere, perdita recreare posse videaris. Accipies igitur, Princeps Illustrissime, munus tenue illud quidem, minimeque dignum quod amplitudini nominis tui à me offeratur, sed tamen obsidem ac pignus meæ erga tuam amplitudinem fidei atque observantiæ perpetuo futurum. Vale. XVI. Kal. Septembres. CIↃ IↃ LIIX. Argentorato.

RICHARDI STREINNII
BARONIS AUSTRII,
IN STEMMATA
GENTIUM ET FAMILIARUM ROMANARUM

PRAEFATIO.



ETUS *est, eaque multorum animis penitus insita opinio, principium atque originem Romanæ reipublicæ, colluviem fuisse & concursum barbararum quarundam gentium. Itaque apud Trogum Mithridates*, servos vernasque Tuscorum *Romanos, eorumque reges*, pastores Aboriginum, aruspices Sabinorum, & exules Corinthiorum *appellare non dubitat. Veteres tamen rerum Romanarum scriptores, Catones, Pisones, Gellii, & qui eorum maximè insistit vestigiis, Dionysius Halicarnasseus, auctor in primis bonus & locuples, Romanos à Græcis originem ducere multis rationibus probare conantur. Quorum sententiam, antequam familias nostras aggrederemur, breviter hic exponendam duximus. Adjiciemus etiam gentium & familiarum Romanarum perbrevem quandam explicationem: tum quæ Patriciæ, quæ Plebejæ gentes sint, quæve majorum, quæ minorum gentium Patriciæ familiæ dicantur, ostendemus. Principio igitur Aborigines (ut ab ultimis auctoritatem repetam) duce Oenotro Lycaonis Arcadiæ regis filio, relicta Peloponneso, Latium occuparunt, regionem quæ cum cœli temperatione, tum ubertate agrorum ac varietate fructuum cæteris omnibus antecellere videbatur. Ea namque fuit antiquissimorum temporum ratio, gentiumque omnium consensu recepta consuetudo, si vel multitudine vulgi premeretur civitas, vel agri propter sterilitatem inculti, propter pestilentiam vasti & deserti essent, ut quidquid Vere proximo ex hominibus, ex suillo, ovillo, caprino nasceretur grege, diis immortalibus sacrum voverent: id quod* Ver sacrum *appellavit antiquitas. Fuit hæc tum quasi deducendæ coloniæ ratio quædam. Emittebant è suis finibus fausta ominatione armis instructam juventutem, quæ regionem & sedes sibi quæreret, quas patriæ loco haberet, & in quibus fortunarum domicilium constitueret: quæ res, & multarum gentium migrationes, & crebram locorum commutationem antiquis temporibus peperit. Eadem enim ratione & Arcades, qui* Aborigines *deinde dicti sunt, sedem omnium rerum & fortunarum suarum in Latio collocarunt, sedecim ætatibus quam ad Trojam bellatum est. Sic Pelasgi ex Thessalia, Euander ex Arcadia, Hercules ex Peloponneso in Latium migrarunt, cujus rei testis est, libro* antiquitatum Romanarum *primo, Dionysius Halicarnasseus. Excisa deinde & funditus à Græcis eversa Troja, quum Æneas profugus magna clientum manu, in Libyam primò, mox in Italiam trajecisset, Latinoque Rege mortuo regnum occupasset, translatum ad Phryges imperium est, exclusa Aboriginum gente, idque posteris proditum, ad Romulum usque (quem auctorem nominis, & urbis conditorem Romani nuncupant) pervenit: qui cum Aimilium avum, & Remum fratrem per summam fraudem nefarie occidisset, & urbem in Palatio condidit, & Senatu, legibus, judiciisque rempublicam devinxit. Hæc prima, ut opinor, & antiquissima Romanarum gentium origo est. Nam & Arcades (ut inter omnes constat) antiquissimi Italiæ populi, & Phryges Trojani belli reliquiæ, cum Romulo in urbem migrarunt. Hinc factum est, ut Romanarum gentium, Aboriginum aliæ sint, aliæ Trojanæ. Aboriginum gentes, quæ à primis Italiæ populis, quod Arcades fuisse Dionysius testatur, originem ducunt: quarum præ cæteris claræ & illustres fuere, Fabia, Antonia, Potitia, Mamilia. Trojanæ verò, quæ originem suam ad Phryges & Æneæ comites referunt, ut Junia, Nautia, Aimilia, Sergia, Cæcilia. Adscitis deinde à Romulo ad regni societatem una cum Tatio rege Sabinis, cùm devictis quoque populis victor Romulus civitatem largiretur, civitas tum multis, tum variis est aucta civibus. Accessit Tullus Hostilius, tertius Romanorum rex, qui eversa & diruta Alba, multas familias Romam traduxit: quarum illustriores Dionysius nominat* Juliam, Serviliam, Geganiam, Metiliam, Curiatiam, Quinctiliam. *Multis exactis regibus Italiæ, municipiis, quæ in fide populi Romani mansissent, civitas est data, Fundanis, Formianis, Acerranis, Tusculanis, Arpinatibus: idque usque ad bellum sociale durasse, auctor est Vellejus Paterculus: cum universa fere Italia civitatem cum suffragio accepit. Hinc Coruncanios, hinc Curios, Fabricios, Porcios, Pompejos, Marios, Tullios, summos magistratus, amplissimosque honores consecutos, veterum monumenta testantur. Postremò ad exteras quoque gentes civitatis beneficium translatum est. Nam &*

Corne-

Cornelium Balbum Hispanum, civitate à Pompejo donatum, Consulem factum constat: & P. Ventidium bello à Pompejo captum, & in triumpho ductum, virum prætorium & consularem, de Parthis primum omnium triumphasse accepimus. Qua de re in XI. apud Tacitum Claudius Cæsar, ubi de Æduis in civitatem recipiendis agit, sic loquitur: Majores mei, inquit, quorum antiquissimus Clausus origine Sabina, simul in civitatem Romanam, & in familias Patriciorum ascitus est, hortantur, uti paribus consiliis remp. capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Julios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, &, ne vetera scrutemur, Etruria, Lucaniaque & omni Italia in Senatum accitos: postremo ipsam ad Alpes permotam, ut non modò singuli viritim, sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent. Tum solida domi quies, & adversus externa floruimus, cum Transpadani in civitatem recepti, cum specie devictarum per orbem terræ legionum, additis provincialium validissimis, fesso imperio subventum est. Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros ex Gallia Narbonensi transivisse? Hæc ille. Quare ut rem totam in pauca conferamus, Gentium Romanarum, Aboriginum alias, alias Trojanas esse dicimus: quarum illæ Arcadum, qui primi sedes suas in Latio collocarunt; hæ Phrygum, qui Ænea duce in Italiam migrarunt, progenies sunt. Atque his quidem originem fuisse Græcam omnes veteres auctores tradunt. Huc pertinent, quarum una eademque origo perhibetur ab antiquis, Albanæ & Latinæ, quæ cum à regibus in civitatem traductæ, tum exactis regibus vel Senatus auctoritate, vel populi lege civitatem sunt adeptæ. Accedant licet peregrinæ familiæ (ne quid quod ad hanc rem pertinere videatur prætermittamus) quæ armis & tyrannide Cæsarum oppressa repub. in civitatem & censum civium Romanorum irrepserunt: quæ quidem certè res non tam splendorem Romanarum gentium, quam nomen & dignitatem Romani imperii afflixit. Circumspice, & quam longissime potes, maximorum regnorum auspicia, progressus, finem, ex veterum monumentis memoria repete, quocumque te animo atque cogitatione converteris, nullum reperies regnum, nullam rempub. quæ non simili prope fato exstincta sit & oppressa. Græcia enim, quæ fama, quæ gloria & bellica laude floruit, non prius hæc amisit, quam Persæ in Græciam venerunt: aut Persæ, (quorum post Græcos clarissimum nomen fuit) quam Macedones in Persiam penetrarint. Sic Macedonum gloria facile Romanæ virtuti cessit. At verò Romani an non simili quoque fato, cum jam in summo gradu callocati essent, præcipitati sunt? Ecce enim qui opibus, qui gloria, qui imperio omnium gentium florerent, qui non bella externa, non reges, non gentem, non nationem ullam pertimescerent, ii intestino primum & domestico bello propriis insidiis debilitati, mox armis barbararum gentium oppressi, & imperio privati sunt. Ea nimirum humanarum rerum conditio est & natura, ut nihil æternum, nihil firmum, omnia mortalia sint & caduca. Eodem ergo quo respublica fato gentes quoque & familiæ Romanæ conciderunt. Nam Imperatores, qui nihil ad arbitrium Senatus, omnia pro libidine in republica gererent, optimum quemque, ut nullus virtuti relinqueretur locus, sustulerunt. Ita cum indignissimis maximisque cædibus exhausta respublica & suis orbata esset civibus, peregrinas & barbaras gentes non in civitatem modò, sed etiam in amplissimum senatorium ordinem legerunt, ad quos mox imperio translato, splendor Romanarum gentium tum quidem deletus est: imperio verò in Thraciam translato, plane sublatus est, & exstinctus. quæ, mea quidem opinione, caussa est, cur jampridem gentium Romanarum vestigium exstet nullum. Sed hæc hactenus. Nunc quid gens sit, quid familia, & qua in re differant, breviter exponemus. Gentem Romani, commutatione verbi magis quam vera significatione, similitudinis caussa (cum natura & ratio vocabuli diversa sit) pro eo quod familiam significat, usurparunt. Ut enim multitudinem populi gentem appellamus, sic familias complures, quæ ejusdem generis, nominis, originis essent, gentem nominarunt. Hinc est, quod ait Festus, Gens Ælia appellatur, quæ ex multis familiis conficitur. Alii enim sunt Pæti, alii Ligures, alii Cati, Lamiæ item alii. Et gentiles inde dicti, qui (ut Cicero in Topicis ex sententia Scævolæ jurisconsulti scribit) inter se eodem nomine sunt, qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum majorum nemo servitutem servivit, qui capite non sunt diminuti. Gens ergo Cornelia est, Fabia, Claudia, Junia. Gentiles verò qui simili nomine appellantur Cornelii, Fabii, Claudii, Junii, non autem Scipiones, & Bruti, ut Boetius, acerrimo vir ingenio, in Topica Ciceronis scribit. Familiares enim potius ex familia, ut ex Festo apparet, appellandi sunt, quam gentiles. Atque haud scio an rectius etiam Festus, qui gentiles & ex eodem genere ortos, & qui simili nomine appellantur, definit: id certè quod latè & variè diffusum erat, suis quasi cancellis circumscripsit. Nam & Valerii, & Fabii, Claudii, Papirii, Tullii, ejusdem quidem nominis, diversarum tamen gentium sunt, cum patricii ex his alii, alii plebeji reperiantur. Neque enim Claudii Pulchri aut Nerones, Marcellorum gentiles sunt: nec Fabii Vibulani eorum qui Dorsi, aut Papirii eorum qui Carbones appellantur, gentiles haberi debent: diversa enim genera sunt, diversæ familiæ, aliæ denique stirpes. Rectè ergo, mea quidem sententia, Festus, ex eodem genere ortos gentiles esse dixit. Atque hæc quidem ad jura gentilicia maximè pertinent. qua in re illud statuimus, communia esse quædam omnium gentium, quædam propria & peculiaria cujusque gentis jura. Communia sunt hæreditates & tutelæ, quæ ex Lege XII. tabularum ad agnatos & gentiles pertinent. Leges enim hac de re à XVIRIS latas, præter Jurisconsultos, auctor ad Herennium lib. 1. & Cicero Rethoricam secundo testantur. Ac de hæreditate quidem: SI PATERFA. INTESTATO MORITVR, FAMILIA PECVNIAQVE EIVS AGNATORVM GENTILIVMQVE ESTO. De tutela vero: SI


FURIO-

FVRIOSVS EST, AGNATVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAQVE EIVS POTESTAS ESTO. *Hæc autem jura quæ communia esse diximus, & si qua sunt alia in Jurisconsultorum libris, Scævola capitis diminutione amitti scribit. Ergo neque adolescens ille, quem M. Curius Cos. cum ad delectum non respondisset, una cum bonis hastæ subjecit: aut si quem pater filium populusve incensum vendidit, gentiles sunt. Neque etiam Q. Fabius & P. Cornelius Æmiliani, quorum alter in Fabiam, alter in Corneliam gentem adoptione transiit, Æmiliorum sunt gentiles: illi enim maxima, hi media capitis diminutione, & gentilitatem, & jura gentilicia amiserunt. Illi, quia servi facti, civitatem amiserunt & libertatem; hi, quoniam adoptione, sicut alias res innumerabiles, (ut pro domo Cicero scribit) sic hæreditates, nominis, pecuniæ, sacrorum, in ea, in quam adoptati sunt, familia adipiscuntur. Eadem emancipatorum caussa est. Gentiles enim emancipatos liberos non esse, vel hinc apparet, quod cum gentiles intestato patrifa. succedant, emancipati L. XII. Tab. neque tutelam legitimam, neque intestatorum patrum hæreditates acquirunt. Quæ verò propria esse diximus jura, ea sacra sunt gentilicia, quæ anniversaria à gente certo in loco fierent. Sic sacra Herculis, Potitiæ & Pinariæ gentis sunt propria, Veneris Juliæ, Palladis Nautiæ, Solis Aureliæ, Ditis patris Valeriæ. Sic Livius libro* v. *Fabiam gentem in colle Quirinali Gabino cinctu sacra fecisse statuta scribit. Hinc hæreditates cum sacris & sine sacris apud Plautum & Ciceronem: quæ, ut sacra conservarentur atque posteris proderentur, inventa sunt & constituta: quæ, quidem omnia amittunt qui capite sunt diminuti. Familiarum etiam propria quædam sunt jura: ut illud quod de Poplicolis & Tubertis Cicero* de Legibus II. *& in* Poplicola *Plutarchus tradunt: quibus virtutis caussa tributum est, ut in urbe sepelirentur: quod eorum posteri jure tenuerunt. Quamobrem qui gentiles sunt, primum jura ea, quæ gentium omnium communia, deinde quæ propria cujusque gentis sunt, participant, & inter se communicant. Familia autem pars gentis est: & ut ex gente* Gentiles, *sic* Familiares, *auctore Festo, ex familia primum dicti sunt. Differt igitur à gente familia, quod gentis ut generis universi pars est familia. Gens enim multas familias in se continet: familiæ verò, cognomine distinguuntur, unde diversa cognomina, diversas familias constituunt. Nam in Julia gente, alii Julii sunt, alii Cæsares. Duæ ergo Juliæ gentis familiæ sunt: una Juliorum, altera Cæsarum. Sic in Fabia, Vibulani, Ambusti, Maximi, Pictores: in Furia, Fusii, Medullini, Camilli: in Quinctia, Capitolini, Barbati, Cincinnati, Flaminii; eademque ratio est in reliquis. Confirmat hanc nostram opinionem, cùm multorum, tum Livii auctoritas, quæ est lib. XXXIIX. ubi ait,* P. Scipio Nasica orationem habuit plenam veris decoribus, non communiter Corneliæ gentis, sed propriæ familiæ suæ: *unde etiam constat nomen ad gentem, cognomen ad familiam referri. Atque hæc quidem ad Jurisconsultos, Romanos, inquam, Jurisconsultos disputatio pertinet, qui discernere familiam à gente, cum de hæreditatibus, & tutelis agitur, debent. Præclarè enim apud Ciceronem Crassus, cum Juris civilis scientiam oratori necessariam probare vult,* Quid, *inquit,* qua de re inter Marcellos & Claudios centumviri judicarunt? cum Marcelli ab liberti filio, stirpe Claudii patricii ejusdem nominis hæreditatem gente ad se rediisse dicerent, nonne in ea caussa fuit oratoribus, de toto stirpis & gentilitatis jure dicendum? *Satis nunc, opinor, constat gentium Romanarum origo, & progressio, & quid gens sit, quidve familia: superest, ut de patriciis & plebejis familiis agamus. Romulus (ut Dionysius & Plutarchus scribunt) in duas partes populum universum distribuit. Nam qui genere, opibus, potentia, auctoritate plurimum possent, rerumque gestarum gloria excellerent, eos Senatores constituit, &* Patres, *honoris atque virtutis caussa, appellavit: reliquos verò qui rebus omnibus inferiores essent, egentes, & inopes,* Plebejos. *illos rempublicam administrare, magistratus gerere, auspicia, sacra obire: hos, agros colere, & quæstuosis artibus operam dare: illos patronos, hos clientes esse voluit. Variæ sunt veterum opiniones, quare* Patres *primò Romulus appellarit. Nam alii, (ut Livius & Plutarchus) quod patrem ciere possent,* Patres *dictos existimant: alii verò, (quorum sententiæ accedit Dionysius) quod ætate & generis splendore cæteris antecellerent. Et hi quidem, mea sententia, firmiorem partem sequi videntur: quæ tamen res, cum parum momenti habeat, facit ne nimis diligenter inquirenda esse videatur. Perspicuum enim est, etiamsi caussa ignoretur, constatque inter omnes, centum Senatores, quos Romulus primum publici consilii caussa constituit,* patres, *eorumque progeniem* patricios *esse dictos. Qua in re, si ea, quæ in veterum monumentis verissimis certissimisque testimoniis ad posteritatis memoriam consignata sunt, explicare atque excutere velimus, deprehendemus origine primùm, deinde cooptatione patricios fieri solitos. Origine, qui à centum Romuli Senatoribus originem ducunt, ut Junii, Valerii, Fabii, de quibus jam diximus. Cooptatione autem, qui vel à cæteris regibus, vel Senatusconsulto, vel lege ad populum lata, in ordinem patriciorum cooptati sunt. Etenim à Pompilio rege Numa Marcius adscitus in patriciorum numerum est: & Julii, Quinctilii, Servilii, Geganii, Curiatii à Tullo Hostilio: à Ser. Tullio Octavii. Senatusconsulto etiam patriciorum cooptationem fieri solitam, testis est gens Claudia, quam à Senatu, cum ex Sabinis in urbem migrasset, inter patricios allectam, Livius, Dionysius, & Tacitus testantur. Lege verò,*

ut qui lege Junia à L. Bruto, lege Cassia à Cæsare, & lege Sentia ab Augusto, in patriciorum ordinem lecti sunt: cujus rei Suetonius auctor est, & libro XI. *Tacitus.* Iisdem diebus, *inquit,* in numerum patriciorum adscivit Cæsar vetustissimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellarunt, exhaustis etiam quas Dictator lege Cassia, & princeps Augustus lege Brutia sublegere: *atque hi Patricii sunt, unde patriciæ familiæ, & majorum & minorum gentium patricii nominati sunt. Quos enim Romulus & cæteri reges patricios legerunt usque ad Tarquinium Priscum, (si quidem Livii sententiam sequamur) ii* majorum gentium: *quos vero Brutus exactis regibus, ii* minorum gentium patricii *appellantur. Livius hos* Patres conscriptos *libro secundo nominat.* Deinde, *inquit,* quo plus virium in Senatu frequentia ordinis faceret, cædibus regum diminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit: traditumque inde fertur, ut in Senatum vocarentur, qui Patres, quique conscripti essent; *conscriptos* videlicet, in novum Senatum appellabant lectos. *Sic Festus libro* III. Conscripti dicebantur qui ex equestri ordine patribus adscribebantur, ut numerus Senatorum expleretur. *Minorum igitur gentium patricii sunt Octavii, Claudii, Papirii: de quibus sic Cicero lib.* Epistolarum IX. Sed tamen, mi Pæte, quî tibi in mentem venit negare Papirium quemquam umquam nisi plebejum fuisse? *Fuerunt enim patricii minorum gentium. Reliquæ familiæ plebejæ sunt, abjectæ illæ quidem primis temporibus, & contemptæ: mox ubi connubia, sacra, auspicia, cum plebejis, sacratis legibus, communicata sunt: ubi secures, sellam curulem, triumphos adepti, non jam de honore cum Patribus, sed rerum præclarè gestarum, devictarum gentium, expugnatarum urbium, bene feliciterque administratæ reipublicæ gloria & laude certarunt, summam amplitudinem, summam dignitatem, memoriam nominis immortalem consecutæ sunt. Præclara res, egregium virtutis certamen, quod in imperio atque publica dignitate & debet & solet valere plurimum. Una enim eademque ad virtutem via patet omnibus: trahimur omnes laudis studio, & natura ad gloriam impellimur, neque invidere debemus iis, à quibus gloria aliqua justa & merita provocamur. Tales fuerunt Licinii, Marcelli, Decii, Metelli, & complures alii, quorum opera, industria, virtute populus Romanus in otio, in bello, usus est cum maxima laude, tum majori emolumento.*

PATRICIAE
GENTES.

SILVIA GENS.



SILVIÆ gentis tres omnino familias in veterum annalium monumentis reperio. Quarum prima Æneæ est, qui Anchise patre natus, post mortem Latini soceri, Latinorum regnum obtinuit. Hic duos reliquit filios superstites, Ascanium Creusa matre, Ilio adhuc incolumi natum, & Silvium Latini regis ex Lavinia filia nepotem. Æneæ in regno successit Ascanius major natu filius. Ascanio Silvius Fr. excluso Julo Ascanii F. quem Julii gentis suæ auctorem, & familiæ principem nuncupant. Silvio autem Æneas Silvius successit: Æneæ Latinus Silvius, Laviniæ & Melampodis filius, Silvii primi frater uterinus. Hæc prima Latinorum regum familia est. Altera Albæ Silvii traditur ab antiquis: ex Alba Atis ortus est, Ati Capis, Capi Capetus, Capeto Tiberinus, Tiberino Agrippa, cui Romulus filius, Romulo Aventinus in regni hæreditatem successit. Hinc tertia familia initium sumpsit, ubi ad Procam Silvium Latinorum regnum translatum est, à quo rerum Romanarum auctores historiam suam penè omnes exordiuntur. Proca filios habuit Numitorem & Amulium. Amulius regnum vi occupavit, quo occiso Numitor in regnum est restitutus, avus maternus Romuli & Remi. Hæc fere tradunt Dionys. Halicarnasseus, Livius, Virgilius, & reliqui quasi minorum gentium historici, Vellejus Paterculus, Messala Corvinus, Cassiodorus, Orosius, Zonaras. Gentem hanc, *Silviam* appellavimus, non tam ex consuetudine aliarum gentium Romanarum, quam quod antiquitati aliquid hac in re concedendum arbitraremur. Licet enim incertum Romuli & Remi paternum genus sit, maternum tamen ad Latinorum reges antiqui retulerunt, quos libenter secuti sumus.

PRO-

PROCAS. SILVIVS. XV. LATINORVM REX. REGNAVIT. ANN. XXIII.
Caſſiodorus, Livius, Dionyſius libro I.

NVMITOR. SILVII. F. Regno à Fr. Amulio ſpoliatus, eo occiſo reſtituitur in regnum à Romulo. Caſſiodorus, Livius, Dionyſ.

ILIA, quæ & RHEA, & SILVIA dicitur. NVMITORIS. F. SILVII. N. Virgo Veſtalis, VII. regis Amulii anno vi compreſſa geminos edidit. Ipſa viva ſub terram regis juſſu defoſſa eſt. Livius, Dionyſius.

AMVLIVS. SILVII. F. Regnum quod Fr. deberetur ſeniori, vi occupavit, regnavit ANN. XLII. à Romulo & Remo Frr. occiſus eſt. Caſſiodorus, Livius, Dionyſius.

ROMVLVS. QVIRINVS MART. F. IOV. N. ALTELLVS PRIMVS. ROM. REX. Vrbem Romam condidit. C. Senatores publici conſilii cauſſa conſtituit. De Cæninenſibus, Antemnatibus, Camerineis, Fidenatibus, & Vejentibus triumphavit, opimaque ſpolia Acrone Cæninenſium rege interfecto Jovi Feretrio primus ſuſpendit. REGNAVIT. ANN. XXXVI. M. II. D. XIIX. Nonis Quinctilibus ad Capreæ paludem deſiit apparere. Livius I. Dionyſius II. Plutarchus in vita, Strabo libro V. Velleius I. Oroſius lib. II. cap. IV. Juſtinus lib. XLIII. Caſſiodorus, Eutropius, Virgilius lib. VI. Cicero *Officiorum* III. Fabius Pictor lib. II.

REMVS. QVIRINVS. MART. F. IOV. N. Auſpiciis à Romulo victus, mox in prælio, ut tradit Dionyſius, cecidit: vel, ut alii, cum muros urbis, quos ſanctos Romulus ſanxerat, tranſcendiſſet, à fratre eſt interfectus. Livius I. Dionyſius II. Plutarchus in *Romulo*.

AOLLIVS. QVI. POSTEA ALBILIVS. APP. EST. QVIRINVS. ROM. F. MART. N. Auctor Zenodotus teſte Plutarcho. Dionyſius tamen, & eum ſecutus Plutarchus, ſine liberis deceſſiſſe tradunt.

PRIMA. QVIRINA. ROMVLI F. MART. N.

POMPILIA GENS.

POMPONIVS. VEL. POMPO. Homo in primis nobilis & clarus, urbe Sabinorum fuit, auctore Plutarcho.

NVMA. POMPILIVS. POMPONII F. SABINVS. REX. ROM. II. Populi ſuffragio creatus, ex Sabinis in urbem migravit, imperium invitus aſſumpſit: pacis, otii, tranquillitatis ſtudioſiſſimus, ſacra, cærimonias, omnemque deorum cultum Romanos docuit. Vixit ad ſummam ſenectutem. REGN. ANN. XLIII. Livius lib. I. & IV. Dionyſ. II. Plutarchus & Zonaras. Cicero *de Divinat.* I. & *pro Sulla*. Eutropius I. Strabo lib. VI. Plinius lib. XXXIV. cap. VII.

POMPILIA NVMAE. F. POMPONII. N. Anco Marcio nupſit.

ANCVS MARCIVS POMPILIAE ET. MARCII. F. NVMAE. N. QVI POSTEA. REX ROM. IV. creatus eſt.

POMPO POMPILIVS. NVMAE. F. POMPONI. N. A quo gens Pomponia.

PINVS POMPILIVS. NVMAE. F. POMPONI. N. A quo gens Pinaria.

CALPVS POMPILIVS. NVMAE. F. POMPONI. N. A quo gens Calpurnia.

MAMERCVS POMPILIVS NVMAE. F. POMPONI. N. A quo Aimilia gens originem ducit. Plutarchus in *Numa*, Feſtus.

HOSTILIA GENS.

* HOSTILIVS. Ex urbe Medullia Romam migravit. Erſilæ filiam ſibi deſpondit. Hujus bello Sabino clara pugna in inferiori arce fuit. Plutarch. in *Romulo*.

HOSTVS. HOSTILIVS. HOSTILII. F. Quod primus in hoſtico natus ſit, *Hoſtus* appellatus eſt. A Romulo bulla aurea ac prætextæ inſignibus decoratus. Macrobius lib. *Saturn.* I.

TVLLVS. HOSTILIVS. HOSTI. F. HOSTILII. N. TERT. ROM. REX. Natura ferociſſimus, bellator fortiſſimus, ſummus Imperator: bella tria geſſit, Albanum, Fidenum, Sabinum. Fulmine ictus cum domo conflagravit, cum regnaſſet ANN. XXXII. Caſſiodorus, Livius, Dionyſius lib. III. Plinius lib. II. cap. LIII. & lib. XXIIX. cap. II. Virgilius lib. IIX. Valerius lib. VII. cap. IV. & IX. cap. XII.

MARCIA GENS.

MARCIVS * Sabinus Numam ad regnum ſuſcipiendum hortatus, cum eo Romam migravit. In Senatum lectus à Numa, PRIMVS PONT. MAX. creatus eſt. Plutarchus in *Numa*, Livius, Dionyſius.

I

NVMA. MARCIVS. MARCII. F. *N. in matrimonium accepit Pompiliam Numæ regis filiam, à Tullo rege PRAEF. VRBI est creatus. Tacitus lib. v.

I

ANCVS. MARCIVS. NVMAE. F. MARCII N. ROM. REX. IV. Septem bella feliciter gessit, de Vejentibus Latinis triumph. REGN. ANN. XXIV. Dionys. lib. III. Livius, Cassiodorus, Eutropius.

*MARCIVS. ANCI. F. NVMAE. N. & *MARCIVS. ANCI F. NVMAE. N. Cum L. Tarquinium Priscum regem interfecissent, à Ser. Tullo in exilium acti sunt. Livius, Dionysius.

TVLLIA GENS.

TVLLIVS. CORNICVLANVS, pro patria dimicans, quæ à Tarquinio Prisco rege oppugnabatur, cecidit, relicta Ocrisia uxore gravida, quam captam rex Tanaquili uxori donavit.

I

SER. TVLLIVS. TVLLII. F. In servitute apud regem Tarquinium natus, unde etiam Servius dictus est, corroborata ætate gener regi adscitus, eo à Marciis occiso, hortatu socrus regnum suscepit, & VI. ROM. REX creatus est. Lustrum instituit, cum Etruscis ANN. XX. bellum gessit, de iis tertium triumph. occisus est à Tarquinio Superbo, cum regnasset ANN. XLIV. Livius, Dionysius lib. IV. Cassiodorus, Eutrop. Varro *de lingua Lat.* IV. & V. Plinius lib. XXXIII. cap. III. & XXXVI. cap. XXVII.

TVLLIA. SER. F. TVLLII N. Arunti Tarquinio nupsit, quem fratris insidiis interfecit, cui etiam post mariti cædem nupsit. Livius, Dionys. lib. IV. Varro *de lingua Lat.* lib. IV.

TVLLIA. SER. F. TVLLII. N. uxor Tarquinii Superbi, mariti, & sororis insimulati dolis periit. Livius, Dionysius, Plinius lib. XXXVI.

TARQVINIA GENS.

DAMARATVS Corinthius, homo locuples in primis, & honestus, armis civilibus in exilium pulsus, Tarquinios Corintho fugit, ibique suarum fortunarum sedem constituit. Caussam exilii hanc Livius adfert libro I. Cicero vero *Tusculana disputatione* V. & in III. *Antiquitat.* Dionysius, Corintho Damaratum, quod Cypselum tyrannum ferre non posset, profugisse scribunt: quorum sententiæ Plinius cap. III. libri XXXV. subscribere videtur. Duxit autem uxorem Tarquiniis nobilem & summo loco natam, ex qua duos suscepit filios, quorum alterum *Aruntem*, *Lucumonem* alterum Etrusco more nominavit. Et Aruns quidem vivo patre mortuus est, quem Damaratus pater paullò pòst, cum ætate & corporis morbo, tum animi doloribus ex morte filii confectus, secutus est. Lucumo verò ex asse hæres à patre, præterito postumo institutus, ubi locum inter suos honestum tenere non posset, Romam cum universa familia & uxore Tanaquili est profectus, commutatoque nomine pro *Lucumone L. Tarquinius* dici voluit: ab Anco deinde rege in Patriciorum ac Senatorum ordinem adscitus, mox rex Romanorum creatus est. Hæc sunt breviter, quæ de gentis Tarquiniæ origine veteres tradidere. Magna autem opinionum varietas est & dissensio eorum, qui genealogiam Tarquiniorum scripserunt. Fabius enim Pictor *Tarquinium Colatinum Egerii F.* appellat, Dionysius nepotem esse contendit. Sic Livius Tarquinium Superbum Prisci F. Damarati nepotem fuisse scribit. Dionysius eundem Damarati nepotem esse probat. Libenter autem assentior Halicarnasseo, auctori rerum Romanarum, judicio doctissimorum hominum, cum primis bono & religioso. Utcumque autem se res habeat, apparet certe Pomponii IC. erratum, qui in L. II. D. *de origine juris* sic scribit, *Qui fuit illis temporibus quibus Tarquinius Superbus Damarati filius:* cum nepos sit, si Livio; si Dionysio credimus, pronepos. Neque enim id quod Zasius Jurisconsultorum illius ætatis facile princeps, cui suffragari videtur Alciatus, scribit, *filii appellatione nepotem contineri*, locum hoc in genere ullum habet. Nam ut illud omittam, quod sæpe ne in Jure quidem civili hoc verum est, quis non videt historiæ scriptionem ab isto subtilitatis genere planè alienam esse, in qua solida & expressa rei effigies desideratur, nec fictis & adumbratis rebus loci quidquam esse potest?

DAMARATVS. CORINTHIVS. Corintho patria per seditionem pulsus, Tarquiniis fortunas suas constituit. Cicero *Tusculana* V. Livius, Dionys. lib. III. Plinius lib. XXXV. cap. III.

ARVNS.

ARVNS. DAMARATI. F. *N. superstite patre moritur. Dionys. lib. III.

I

ARVNS. EGERIVS. ARVNT. F. DAMARATI. N. Post patris mortem natus, ab avo in testamento præteritus, ob inopiam & egestatem, cum totam hæreditatem patruus occupasset, *Egerius* dictus est. Dionys. lib. III.

I

ARVNS. TARQVINIVS. ARVNT. F. ARVNT. N. Hunc Tarq. Priscus Colatinis præfecit, unde *Colatinus* appellatus est. Qui tabulas Capitolinas restituunt, L. appellant. Ego Dionysium locupletissimum auctorem sequar, qui *Aruntem* lib. III. appellat.

I

L. TARQVINIVS. ARVNT. F. ARVNT. N. COLATINVS, cujus uxori Lucretiæ Sex. Tarquinius stuprum nefarium intulit. Creatus Cos. cum L. Bruto ANN. P. R. C. CCXLIV. Coactus à collega abd. Lavinium, veterem Latinorum patriam, profectus, senex ibi admodum mortuus est. Dionys. lib. V. Livius lib. II. Plutarchus in *Poplicola*, Cicero in *Bruto*.

LVCVMO. DAMARATI F. *N. Ex asse à patre hæres institutus, cum remp. inter suos cives tractare vellet, & ne inter mediocres quidem locum obtinere posset, Romam migravit, & mutato nomine L. TARQVINIVS. PRISCVS. APP. N. Ab Anco Marcio in Patriciorum ac Senatorum numerum cooptatus, eo mortuo REX ROM. V. creatus est. Secundus hic peregrinus rex Romæ regnavit: de Latinis, Etruscis, Sabinis triumphavit, REGN. ANN. XXXIIX. Occisus est à duobus Anci Marcii regis FF. Livius lib. I. & IV. Dionys. lib. III. Cicero *pro Sulla*, *de Legibus*, & *Divinatione* I. Plinius lib. XXXIII. cap. IV. & lib. XXXVI. cap. XV.

TARQVINIA quæ Ser. Tullo regi nupsit.

TARQVINIA uxor M. Junii.

L. TARQVINIVS. L. F. DAMARATI. N. Annos natus XIV. hostem in prælio occidit, à patre triumph. ornamentis militaribus & aurea bulla decoratus est. Vivente adhuc patre mortuus est. Macrob. lib. *Saturn.* I. Idem tradit Plinius lib. XXXIII. c. I. Hunc præteriit Livius, consulto, necne, incertum.

L. TARQVINIVS. L. F. L. N. SVPERBVS VII. ROM. REX. Volscos & Sabinos bello vicit, regum omnium crudelissimus. A Junio Bruto propter Lucretiæ stuprum à Sex. F. illatum, regno cum filiis pulsus est. Bella inde cum Romanis complura gessit. Et cum nec Vejentium, nec Latinorum armis in regnum restitui posset, Cumas se contulit, inque ea urbe senio & ægritudine est confectus. Mortuus est Ap. Claudio, P. Servilio Cos. Livius I. & II. Dionys. IV. V. VI. Cicero *Tusculana* III. *in Lælio*, *ad Attic.* IX. Virgilius lib. VI.

ARVNS. TARQVINIVS. L. F. L. N. Duxit uxorem Ser. Tullii regis filiam. Fraude uxoris à fratre occisus est. Livius, Dionys. lib. IV.

L. TARQVINIVS. L. F. L. N. SVPERBVS. Bello Latino, quod ultimum Tarquinii cum Romanis gesserunt, in acie fortiter pugnans cecidit. Dionys. lib. VI. Livius II.

SEX. TARQVINIVS. L. F. L. N. SVPERBVS. Lucretiæ stuprum nefarium intulit. Bello Latino in acie occisus est. Livius II. Dionysius VI. Cicero *de Legibus* I.

ARVNS TARQVINIVS L. F. L. N. SVPERBVS. A Bruto Cos. est in acie occisus. Livius lib. II. Dionysius V. Valerius lib. V. cap. VI.

TARQVINIA Octavio Mamilio Tusculano duci nupsit. Dionysius lib. IV.

FABIA GENS.

QVI FABIAE gentis ortum à capite repetunt, ad Aborigines primos Latii populos originem generis, stirpem ad Fabium Herculis filium referunt. Hercules enim is, qui Jove natus dicitur, à Græcis ad Romanos, & usque ad Oceanum pervagatus, multis gentibus ac familiis initia & quasi semina sui generis dedit. Hinc etiam Fabia gens amplissima & clarissima, multisque spectata & nobilitata virtutibus, principem & auctorem suæ gentis Fabium Herculis F. nuncupabat, ut scribit Plutarchus in *Maximo*. Habuit hæc gens familias præcipuas quatuor. Prima eorum est, qui *Vibulani*; altera, qui *Ambusti*; tertia, qui *Maximi*; postrema eorum, qui *Pictores* nominati sunt. *Vibulani*, à *Vibone* fortassis oppido, quod in Bruttiis condidit Hercules. *Ambusti*, auctore Festo, dicti sunt à Fabio Eburno, quod fulmine ambustus sit. *Maximi*, à Q. Fabio Rulliano, qui Censor cum P. Decio, omnem forensem turbam secretam in quatuor tribus conjecit, *Urbanasque* eas appellavit. quæ res adeò gratis animis accepta est, ut *Maximi* cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac temperatione ordinum adeptus sit. Livius lib. IX. *Pictores* autem dicti sunt à Q. Fabio C. F. qui primus ædem Salutis pinxit. Plinius lib. XXXV. c. IV. De sacris gentilicis Fabiæ gentis nihil adhuc comperti habeo, nisi illud, quod Livius V. & Valerius I. Fabios in colle Quirinali Gabino cinctu sacra fecisse statuta & anniversaria tradunt: quæ res ad juris communionem cujusque gentis pertinet. Hic lubet monumentum Q. Fabii Maximi subjicere ex libro Epigrammatum urbis antiquæ, quod & in reliquis gentium descriptionibus, si qua forte occurrant insignia, faciundum existimavi.

Q. FABIVS MAXIMVS DICTATOR BIS. COS. V. CENSOR. INTERREX. II. AED. CVR. Q. II. TR. M. II. PONTIFEX. AVGVR PRIMO. CONSVLATV. LIGVRES. SVBEGIT. EX. HIS. TRIVMPHAVIT. TERTIO. ET. QVARTO ANNIBALEM. COMPLVRIB. VICTORIIS. FEROCEM SVBSEQVENDO. COERCVIT. DICTATOR MAGISTRO. EQVITVM. MINVCIO CVIVS. POPVLVS. IMPERIVM CVM. DICTATORIS. IMPERIO. ADAEQVAVERAT. EXERCITVI. PROFLIGATO. SVBVENIT. ET. EO. NOMINE. AB. EXERCITV. MINVCIANO. PATER. APPELLATVS. EST. CONSVL. V. TARENTVM. CEPIT. TRIVMPHAVIT. DVX. AETATIS. SVAE. CAVTISSIMVS. ET. REI. MILITARIS. PERITISSIMVS. HABITVS. EST. PRINCEPS. IN. SENATV. DVOBVS. LVSTRIS. FACTVS. EST

K. FABIVS. *F. *N. VIBVLANVS.

K. FABIVS. K. F. *N. VIBVLANVS QVAESTOR. SP. Cassium regnum appetentem, & occupare volentem accusavit. cos. cum L. Aimilio. ANN. CCLXIX. cos. II. cum Sp. Furio. ANN. CCLXXII. cos. III. cum T. Virginio. ANN. CCLXXIV. Cassiodorus, Dionysius lib. IIX. & IX. Livius lib. II.

M. FABIVS K. F. *N. VIBVLANVS. cos. cum L. Valerio. ANN. CCLXX. Cassiodorus, Dionysius lib. IIX. Diodorus lib. XI. cos. II. cum Cn. Manlio. ANN. CCLXXIII. Cassiodorus, Dionysius, Diodorus, Valerius lib. V. cap. V.

I

Q. FABIVS. M. F. K. N. VIBVLANVS. Qui solus ex CCCVI. Fabiis ad Cremeram cæsis superstes fuit. cos. cum Ti. Aimilio. ANN. CCXCVI. Cassiodorus, Livius lib. III. Dionys. IX. Diodorus XI. cos. II. cum. T. Quinctio. ANN. CCXCVIII. cos. III. cum L. Cornelio. ANN. CCXCIV. XVIR. LL. SCRIBEND. C. ANN. CCCIII. Dionys. lib. X. Livius III. Diodorus XII.

Q. FABIVS. K. F. *N. VIBVLANVS COS. cum Ser. Cornelio. ANN. CCLXIIX. Cassiodorus, Dionysius lib. IIX. Livius II. cos. II. cum C. Julio. ANN. CCLXXI. COS. III. cum L. Cornelio. ANN. CCCXCIV. In prælio, Fabio, Manlio Coss. cecidit. Livius, Dionys. IX. Valerius lib. V.

Q. FABIVS. Q. F. M. N. VIBVLANVS. cos. cum C. Sempronio. ANN. CCCXXX. Livius lib. IV. TR. MIL. AN. CCCXXXVI. TR. MIL. II. AN. CCCXXXIX. Livius lib. IV.

M. FABIVS. Q. F. M. N. VIBVLANVS. cos. cum Postumo Æbutio. ANN. CCCXI. TR. MIL. AN. CCCXX. Livius lib. IV.

N. FABIVS. Q. F. M. N. VIBVLANVS. cos. cum T. Quinctio. ANN. CCCXXXII. TR. MIL. AN. CCCXXXIIX. TR. MIL. II. AN. CCCXLVI. Livius lib. IV. Quare *Numerius* hic nominatus sit, docet Festus lib. XII.

Q. FABIVS. M. F. Q. N. AMBVSTVS cos. cum C. Furio AN. CCCXLI. Livius lib. IV. TR. MIL. AN. CCCLXIII. Livius libr. V.

N. FABIVS. M. F. Q. N. AMBVSTVS. Quæstor. Cornelio, Furio coss. TR. MIL. AN. CCCXLVII. Livius lib. IV. TR. MIL. II. AN. CCCLXIII. Livius V.

I

M. FABIVS. M. F. M. N. AMBVSTVS. cos. cum C. Pœtelio. ANN. CCCXCIII. Cassiodorus, Livius lib. VII. Diodorus XVI. Hernicis devictis ovans urbem est ingressus. cos. II. cum M. Popillio, ANN. CCCXCVII. Cassiodorus, Faliscos & Tarquinienses vicit. cos. III. cum T. Quinctio. AN. CCCXCIX. DICT. R. G. C. AN. CDII. Livius lib. VII. CENS. meminit Valerius lib. II. CENS. cum M. Popillio. AN. CDVII.

K. FABIVS. M. F. Q. N. AMBVSTVS. TR. MIL. ANN. CCCXLIX. Livius lib. IV. TR. II. AN. CCCLII. TR. III. ANN. CCCLIIX. TR. MIL. IV. AN. CCCLXIII. Livius lib. V.

I

M. FABIVS. K. F. M. N. AMBVSTVS. TR. MIL. ANN. CCCLXIII. TR. II. AN. CCCXXCIV. Livius lib. VI. CENS. cum L. Furio. AN. CCCXC.

M. FABIVS. M. F. K. N. AMBVSTVS. cos. cum C. Plautio. AN. CCCXCV. Cassiod. Livius VII. Diodorus XV. INTERREX. AN. CCCXCIIX. Idem.

Q. FABIVS. M. F. K. N. AMBVSTVS. MAG. EQ. AN. CDIX. Livius lib. VII.

I

Q. FABIVS. Q. F. M. N. AMBVSTVS. DICT. COMIT. HABEND. C. AN. CDXXXII. Livius IX.

M. FABIVS. M. F. N. N. AMBVSTVS. MAG. EQ. A. Cornelio DIC. AN. CDXXXI. Livius lib. IIX.

I

N. FABIVS. M. F. M. N. BVTEO. cos. cum L. Cæcilio. AN. DVI. Cassiodor. cos. II. cum C. Atilio. AN. DIIX. Cassiodor. Vellejus lib. I. CENS. cum Q. Aurelio. AN. DXII. MAG. EQ. L. Cæcilio Dict. AN. DXXIX. DICT. SENAT. LEGEND. C. AN. DXXXVII. Livius lib. XXIII.

Q. FABIVS. M. F. N. N. MAXIMVS. RVLLIANVS. MAG. EQ. L. Papirio Dict. AN. CDXXIX. Cum absente Dictatore cum Samnitibus prosperè pugnasset, coactus à Dict. abd. Livius IIX. Valer. II. Eutrop. II. Plinius l. VII. cap. IV. cos. cum L. Fulvio. AN. CDXXXI. Cassiodor. Livius lib. IIX. cos. II. cum C Marcio. AN. CDXLIII. Cassiodor. Livius, Diodorus lib. XX. cos. III. cum P. Decio. AN. CDXLV. Livius lib. IX. Diodorus XX. CENS. cum P. Decio. AN. CDXLIX. IN. HOC. HONORE. MAXVMVS. E. APP. Livius, Valerius lib. II. DICT. II. AN. CDLI. cos. V. cum P. Decio. AN. CDLVI. cos. V. cum P. Decio. AN. CDLIIX. Livius lib. X.

C. FABIVS. M. F. N. N. AMBVSTVS MAG. EQ. Q. Fabio Dict. AN. CDXLIIX. Livius lib. IX.

Q. FA-

I

Q. FABIUS. Q. F. M. N. GURGES. Ædem Veneris dedicavit Livius lib. x. cos. cum D. Junio. AN. CDLXI. Cassiodorus. cum malè adversum Samnites pugnasset, & Senatus de removendo eo ab exercitu ageret, Fabius pater deprecatus hanc sibi ignominiam, iturum se legatum filio pollicitus est, ejusque consiliis adjutus filius cæsis Samnitibus triumph. Epitoma XI. Eutropius lib. II.

I

Q. FABIUS. Q. F. Q. N. MAXU. VERUCOSSUS. AUGUR. Cicero in *Catone*. cos. cum M. Pomponio. AN. DXX. Cassiodorus. Ligures vicit, deque iis triumphavit. Plutarch. Templum Virtutis & Honoris dedicavit. Cicero *de Natura deorum* II. CENS. cum M. Sempronio. AN. DXXIII. cos. II. cum Sp. Carvilio. AN. DXXV. Cassiodorus. Cicero in *Catone*. DICT. R. G. C. AN. DXXXII. Vitio fact. abd. Valerius lib. I. DICT. II. AN. DXXXVI. Livius XXII. Polyb. lib. III. Hannibalem cunctando vicit. Cicero *Officiorum* I. Virgilius VI. Valerius lib. V. cap. II. cos. III. cum Ti. Sempronio. AN. DXXXIIX. Livius XXIII. cos. IV. cum M. Claudio. AN. DXXXIX. Livius XXIV. cos. V. cum Q. Fulvio. AN. DXLIV. Tarentum cepit. Cicero in *Catone*, *de Oratore* II. Livius lib. XXVII. Mortuus est exactæ ætatis Servilio Claudio cos. Livius lib. XXX. Plinius in magistratu mortuum, lib. V. cap. LIII. scribit. meminit Valerius cap. II. libri VI.

I

Q. FABIUS. Q. F. Q. N. MAXUMUS. cos. cum Ti. Sempronio. AN. DXL. Livius lib. XXIV. patre vivo mortuus est. Cicero *de natura Deor.* lib. III. *Epistolarum* IV. In *Catone*. quamquam ibi *M.* mendose scriptum est.

I

Q. FABIUS. Q. F. Q. N. MAXUMUS. LABEO. FL. QUIRINALIS. Livius lib XXXVII. cos. cum M. Claudio. AN. DLXX. Cassiodorus, Livius lib. XXXIX. His Coss. Hannibalem mortuum scribit Atticus, auctore Probo. meminit Cicero in *Bruto*.

Q. FABIUS. C. F. M. N. PICTOR. cos. cum L. Quinctio. AN. CDXXCIV. Cassiodor. Historiam scripsit. Juris & litterarum & antiquitatis bene peritus dicitur à Cicerone in *Bruto*. ubi tamen *Ser. Fabius* corrupte legitur. meminit *de Legibus* I. & *de Orat.* II. Ædem Salutis pinxit. Plinius lib. XXXV. C. V. Cicero *Tusculana* I. Valerius lib. IIX. cap. XV.

I

Q. FABIUS. Q. F. C. N. PICTOR. FL. QUIRINALIS. inauguratus Fulvio, Manlio Coss. Livius lib. XXXVII.

N. FABIUS. C. F. M. N. PICTOR. cos. cum P. Junio. AN. CDXXCVII. Cassiodorus.

M. FABIUS. C. F. M. N. cos. cum M. Otacilio. AN. DVII. Cassiodorus.

Q. FABIUS. Q. F. Q. N. MAXUMUS. AIMILIANUS. cos. cum L. Hostilio. AN. DCIIX. Cassiodorus, Appianus *in Hispaniensib.* Cicero in *Lalio*.

I

Q. FABIUS. Q. F. Q. F. N. MAXUM. AIMILIANUS. QUI. POSTEA. ALLOBROGICUS. F. APP. cos. cum L. Opimio, AN. DCXXXII. Cassiodorus, Obsequens. Allobroges vicit, deque iis triumphavit, Vellejus lib. II. Cicero *pro Fonteio*, *pro Murena*. CENS. cum L. Calpurnio AN. DCXLIX. Hoc adolescente nihil magis infame, nihil eodem sene ornatius illo sæculo fuisse, Valerius cap. IX. libri VI. scribit.

I

Q. FABIUS. Q. F. Q. N. MAXU. ALLOBROGICUS. Hunc perditam egisse vitam, ob eamque caussam bonis illi paternis à Q. Pompejo, PR. URB. interdictum, Valerius lib. III. cap. V. testatur.

Q. FABIUS. Q. F. Q. N. MAXUMUS. SERVILIANUS. cos. cum L. Metello. AN. DCXI. Cassiodorus, Appianus. CENS. cum Q. Fulvio. AN. DCXVII.

I

Q. FABIUS. Q. F. Q. N. MAXUMUS. EBURNUS. cos. cum C. Licinio. AN. DCXXXVII. Cassiodor. Hunc *pullum Jovis* propter candorem dictum, auctor est Festus.

I

Q. FABIUS. Q. F. Q. N. MAXUMUS. Cæsaris legatus in Hispania de Pompejo triumph. cos. cum C. Trebonio. AN. DCCIX. Cassiodorus. In magistratu mortuus est. Dio lib. XLIII.

PAULLUS. FABIUS. Q. F. Q. N. MAXUMUS. cos. cum Q. Ælio AN. DCCXLII. Cassiodorus, Dio lib. LIV. Plinius lib. IIX. cap. VII.

Q. FABIUS. Q. F. Q. N. MAXUMUS. AFRICANUS. cos. cum Julo Antonio. AN. DCCXLIII. Cassiodorus, Dio lib. LIV.

ANTONIA GENS.

ANTONIAM gentem antiquitatem sui generis ad Antonem Herculis filium retulisse auctor est in *Antonio* Plutarchus: quod ipsum apud Appianum, libro *de bellis civilibus* tertio, his verbis confirmat Augustus: *Adoptasset*, inquit, *te Cæsar, Antoni, si scivisset æquo animo ex Heraclidarum gente transiturum ad Æneadas.* Secunda hæc Aboriginum

riginum patricia gens est, nec præterea ullam apud antiquos reperio. Familiæ verò hujus gentis duæ sunt. Una Merendarum: altera, quod equidem sciam, cognomine caret: quod in aliis quoque familiis animadvertere licet. Quamvis enim M. Antonium III. VIRI patrem, Plutarchus, Vellejus & alii *Creticum* appellatum scribant, satis tamen constat, cognomen illud neque receptum esse, neque usurpatum à posteris. Hæc autem posterior Antoniæ gentis familia plebeia est. Tribunatum enim plebis M. Antonium gessisse Plutarchus scribit: & C. Antonium, Ciceronis in Consulatu collegam, Pædianus in ea contra Catilinam, *plebeium nobilem* appellat. Nos has familias conjunximus, quoniam unum eundemque ortum habent, & tanquam ex eodem fonte fluxerunt. Fieri enim facile potuit, ut hæc familia ad plebem transierit, ut Octavia & aliæ complures.

T. ANTONIVS. *F. *N. MERENDA. XVIR. LL. SCRIBEND. D. C. AN. CCCIII. Dionysius lib. X. Livius lib. III.

I

Q. ANTONIVS. T. F. *N. MERENDA. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCXXXI. Livius lib. IV.

M. ANTONIVS. *MERENDA. MAG. EQ. P. Cornelio Dict. AN. CDXIX. Livius IIX.

JACVIT. ANTONIA. GENS. SINE. MAGISTRATT. CVRVLIB. ANN. CCXXXVII.

M. ANTONIVS. *COS. cum A. Postumio. AN. DCLIV. Cassiodor. Gellius lib. IV. cap. VI. Plinius lib. IIX. cap. VII. CENS. cum L. Valerio. AN. DCLVI. Gellius lib. XV. XI. Valerius lib. II. Bello civili Mariano occisus est. Plutarch. in *Mario*. Cicero *de Oratore* III. & *Tusculana* V. Paterculus II. Florus lib. III. cap. XXI. Lucanus lib. II. Hunc Cicero *de Oratore* II. & *Accusationis* I. tabulas nunquam confecisse scribit, quod de Cretico perperam intellexisse videtur Asconius.

M. ANTONIVS. M. F. *N. QVI. POSTEA. CRETICVS. E. APP. PR. AN. DCXXCII. Curator tuendæ totius oræ maritimæ constitutus, bellum Cretensibus intulit, à quibus turpissimè victus interiit. Epitoma LXXIX. & XCVII. Vellejus II. Florus lib. III. cap. VII. Cicero *Accusatione* III.

C. ANTONIVS. M. F. *N. Accusatus à Cæsare adolescentulo quod Achaios spoliasset, testis Ascon. in Catilinam. Plutarch. in *Cæsare*, hac in re tradenda vehementer est lapsus, ut cuivis facile apparet. ÆDILIS. CVR. Ludos scena argentea fecit. Plinius lib. XXXVII. cap. III. Cicero *pro Murena*. PR. AN. DCXXCVII. COS. cum M. Tullio. AN. DCXC. Catilinam prælio vicit. inde in Macedoniam profectus, ibi à Dardanis oppressus, amisso exercitu profugit. Romam reversus, à Cælio accusatus, damnatus est. Epitoma CIII. Sallustius in Catilin. Asconius, Cicero *pro Sextio, domo, Flacco, Cælio, in Vatinium*. Julius Obsequens, Eutropius lib. VI. Florus lib. IV. Appianus I.

M. ANTONIVS. M. F. M. N. AVGVR. Hirtius lib. IIX. *de bello Gallico*. QVÆSTOR. Cæsaris in Gallia. Idem. Cicero *ad Attic.* VI. & VII. Errat ergo Dio, qui lib. XLV. Cæsari Proprætori in Hispania quæstorem fuisse scribit. TR. PL. Lentulo, Marcello Coss. Plutarch. Appian. II. MAG. EQ. C. Cæsari Dict. AN. DCCVI. COS. cum C. Cæsare AN. DCCIX. Hostis à Senatu judicatus, D. Brutum Mutinæ obsedit. victus ab Hirtio & Cæsare in Galliam confugit. M. Lepidum cum Legionibus sibi junxit. IIIVIR. R. P. C. in quinquennium, cum Cæsare & Lepido constitutus, proscriptionem Sullanam renovavit. Brutum & Cassium apud Philippos vicit. CENS. cum P. Sulpicio AN. DCCXI. COS. II. cum L. Scribonio. AN. DCCXIX. Parthis bellum intulit: duabus legionibus amissis, nulla re prospere gesta, in Armeniam reversus est. Ab Augusto ad Actium classe victus Alexandriam profugit, ibique se ipse interemit. Epitome CXVI. & sequenti. Dio, Plutarch. Florus, Suetonius, Zonaras in *Octaviano*, Vellejus, Cicero in *Philipp. ad Atticum*, VII. X. XIV. XVI. Virgil. lib. IIX. Appia. in *Parthicis*, & *de bellis civilibus*.

I

IVLVS. ANTONIVS. M. F. M. N. COS. cum Q. Fabio. AN. DCCXLIII. Cassiodorus, Dio lib. LV. Adulter Juliæ Augusti. F. ab Augusto occisus est. Suetonius *de illust. Grammat.* Tacit. lib. IV. Vellejus II.

I

L. ANTONIVS. IVLI. F. M. N. Hunc adolescentulum Augustus sub specie studiorum ad civitatem Massiliensium, re vera in exilium propter patris delictum misit. Tacit. lib. IV.

L. ANTONIVS. M. F. M. N. PIETAS. TR. PL. AN. DCCIX. Dio lib. XLV. COS. cum P. Servilio AN. CCCXII. Cassiodorus. ab Augusto ad Perusiam victus, incolumis dimissus est. Epito. CXXVI. lib. XLIIX. Suetonius in *Octaviano*. Vellejus lib. II. meminit Cicero *Philipp.* V. & VI.

C. ANTONIVS. M. F. M. N. PR. ANN. DCCIX. Dio l. XLV. ab Hortensio jussu Bruti occisus est. Epitoma CXXI. Plut. *in Bruto*, & *Antonio*. Dio l. XLVII. Appianus. l. V. meminit Cicero Phil. X.

I V-

IVNIA GENS.

GENTIVM earum, quæ à Trojanis & Ænea ortæ dicuntur, nobilissima omnium est Junia, à Junio Æneæ comite, ut Dionysius lib. IV. scribit, sic dicta. Hæc cum in urbem una cum Romulo migrasset, laude & gloria bellica sub regibus floruit, usque ad L. Brutum, qui regio dominatu populum Romanum liberavit, clarissimus idem & postremus Juniæ gentis. Nam, ut Dionysius lib. V. tradit, Brutus nullos reliquit liberos superstites, & qui sequuntur Bruti, plebeii sunt, non patricii. Aliter tamen sensisse videtur Cicero, qui M. Brutum Cæsaris interfectorem L. Bruti gentilem appellat, *Tusculana* IV. cum ait: *Qui fuit in Italia iisdem temporibus, quibus L. Brutus patriam liberavit, præclarus auctor nobilitatis tuæ.* Et *Philippica* I. *Nihil dico, quis fuerit ille Brutus, qui & ipse regio dominatu remp. liberavit: & ad similem virtutem, & simile factum stirpem in prope quingentesimum annum propagavit.* Idem in *Bruto*, *Quis enim putet L. Bruto illi nobilitatis vestræ principi defuisse?* Quod idem etiam ex sententia Posidonii Philosophi Plutarchus scribit, qui tertium Junii Bruti filium expertem conjurationis fuisse, ab eoque gentem Juniam propagatam tradidit. Gravissima Ciceronis hac in re debet esse auctoritas, magna etiam Posidonii, & Plutarchi: Dionysii tamen, qui multis sententiam suam argumentis, exquisitisque rationibus, confirmat, meo quidem judicio, vel gravissima. Neque enim quisquam ex hac gente per annos CC. post exactos reges, magistratum Curulem gessit: quod quidem certè in tam clara & nobili familia accidere potuisse, nulla ratione ut credam adduci possum. Et tribuit hæc Cicero Bruto, homini amicissimo, non tam verè, quam ut pulcherrimum illud factum, quod pro libertate Reip. gessit, laudando extolleret: ac primo L. Brutum, deinde progeniem ejus, populum Romanum à regibus liberasse significaret.

M. IVNIVS. *F. *N. Tarquinii Prisci regis filiam Tarquiniam uxorem duxit. à Tarquinio Superbo occisus est. Dionys. lib. IV.

M. IVNIVS. M. F. *N. A Tarquinio cum patre occiditur. Dionysius auctor.

L. IVNIVS. M. F. *N. BRVTVS. summam prudentiam simulatione stultitiæ texit. Cum Sex. Tarquinius Lucretiæ vim intulisset, populum Romanum ad libertatem recuperandam hortatus est, regem cum Tarquinia gente urbe expulit, civitatem perpetuo dominatu liberatam, magistratibus annuis, legibus, judiciisque devinxit. Collegæ suo Tarquinio Collatino, qui cum primus creatus Cos. erat, AN. P. R. C. CCXLIV. ut è civitate regalis nominis memoria tolleretur, imperium abrogavit. Bellum pro patria cum Tarquiniis & Latinis gessit, atque in acie ab Arunte, regis Tarquinii F. occisus est. Dionysius lib. IV. & V. Livius I. & II. Plutarchus in *Poplicola*, Cicero in *Bruto*, in *Catone*, *Philippica* I. *Tusculana* I. & IV. Virgilius VI. Valerius lib. V. cap. VI. & lib. VII. cap. III. Vellejus I. Eutropius, Cassiodorus, Zonaras, alii.

T. IVNIVS. L. F. M. N. BRVTVS. TI. IVNIVS. L. F. M. N. BRVTVS. A patre, propter conjurationem de reducendis in regnum Tarquiniis, securi percussi sunt. Dionysius lib. V. Livius lib. II. Valerius lib. V. cap. IIX. Plutarch. in *Poplicola*.

SERGIA GENS.

SERGIA GENS à Sergesto comite Æneæ. Virgilius V.

Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen.

Floruit annis plus minus LXXI.

M. SERGIVS. *F. *N. XVIR. LL. SCRIBEND. C. AN. CCCIII. Dionys. lib. X. Livius lib. III.

C. SERGIVS. C. F. *N. Quo de nihil accepimus.

L. SERGIVS. C. F. C. N. COS. cum M. Geganio. AN. CCCXVI. Cassiodorus. IN. HOC. HONORE. FIDENAS. E. APP. Primus cum Vejentium rege cis Anienem secundo prælio conflixit. Livius lib. IV. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCXX. COS. II. cum Hosto Lucretio. AN. CCCXXIV. Cassiodor. Diodorus lib. XI. TR. MIL. II. AN. CCCXXIX. TR. MIL. III. AN. CCCXXXV. Livius lib. IV.

L. SERGIVS. L. F. C. N. FIDENAS. TR. MIL. AN. CCCLVI. Livius lib. V.

M. SERGIVS. L. F. C. N. FIDENAS. TR. MIL. AN. CCCXLIX. Livius lib. IV. TR. II. AN. CCCLI. lib. V.

M. SERGIVS. M. F. L. N. FIDENAS. Quæstor T. Quinctio Trogo capitis anquisivit. Varro *de lingua Latina* lib. v.

CN. SERGIVS. M. F. L. N. FIDENAS. TR. MIL. AN. CCCLXVII. TR. II. AN. CCCLXXIV. Livius lib. VI.

EX. HAC gente L. Sergius Catilina fuit, Sallustio & Asconio auctoribus. Homo, ut Cicero *pro Cælio* scribit, ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturæ studiis cupiditatibusque conflatus, in quo permulta maximarum, non expressa signa, sed adumbrata virtutum erant, quæ multis maximisque obscurata & deformata vitiis elucescere nullo modo poterant. Accusatus bis & absolutus est. Ter Consulatum petiit, bis repulsam tulit. In Senatum semel atque iterum conjuravit. Qua de re verbum non eram facturus, nisi à plerisque ita perturbari hæc & confundi animadverterem, ut dijudicari difficillimè possent. Bis accusatum Cicero *in Pisonem* ostendit. Semel repetundarum à P. Clodio, cum Proprætor Africam provinciam, superbè, avarè, crudeliter administrasset, socios spoliasset, & diripuisset. absolutus est prævaricante Clodio: testis Asconius, quod idem Sallustius in *Catil.* tradit. Iterum inter sicarios à L. Lucullo, Cæsare, Figulo Coss. quod Sulla dominante complures peremisset. Asconius Q. Cæcilium nominat, M. Volumnium, L. Tantasium, M. Marium Gratidianum, cujus caput abscissum per urbem sua manu tulerat. Idem Q. Fr. de petitione Consulatus scribit, & Dio lib. XXXVII. Orosius tamen cap. III. lib. VI. quem Seb. Corradus præstantissimo vir ingenio sequitur, tertiam accusationem Catilinæ de incestu profert, quod cum Fabia Vestali virgine commisisse arguebatur. Quod falsum esse Plutarchus & Asconius apertè indicant. Neque enim Catilina ejus criminis est accusatus; sed Fabia, virgo Vestalis, caussam incesti dixerat, cum ei Catilina objiceretur. Consulatum ter petiit Catilina. Primo Tullo, Lepido Coss. ratio tamen ejus habita non est, quod cum repetundarum reus esset, intra legitimos dies profiteri nequiverit, auctore Sallustio. Secundò, cum Curione, Figulo, Cæsare Coss. Tertio, Cicerone, Antonio Coss. ac tum quoque Muræna & Silano Coss. dess. repulsam tulit. Conjuravit in rempub. cum Cn. Pisone primo, Tullo, Lepido Coss. Suetonius in *Cæsare*, Sallustius, Cicero *pro Sulla*. Dio lib. XXXVI. Deinde Cicerone, Antonio Coss. quæ quidem conjuratio virtute & mirifica Ciceronis vigilantia oppresa est & exstincta. Ipse Catilina à M. Petrejo Antonii Cos. Legato in agro Pistoriensi cum exercitu deletus est. Epitome CII. & sequenti. Appianus I. Plutarch. in *Cicerone*, Dio lib. XXXVII. Sallustius in *Catilinario*, Virgilius lib. IIX.

IVLIA GENS.

GENTEM Juliam ab Julo manasse omnes fere auctores tradunt: quis autem is fuerit Julus, non satis inter omnes constare video. Alii enim Ascanium Æneæ filium fuisse existimant: alii Ascanii F. Æneæ N. Priori sententiæ accedit Virgilius, antiquitatum auctor bonus in primis: quem Servius, Messalla, & reliqui secuti sunt. Posteriorem sententiam Livius tuetur & Dionysius. Qui Virgilium sequuntur, post Æneæ mortem Julum annos XXXIIX. in Latio regnasse tradunt: reliqui Ascanio hoc tribuunt, quem etiam Juli patrem faciunt. Nam duos, ut Dionysius scribit, filios habuit Æneas, Ascanium ex Creusa natum, & Silvium ex Lavinia Latini regis filia. Ascanius patri in regno successit: Ascanio, Silvius frater, excluso Julo Ascanii F. Æneæ N. tum adolescentulo, cui tamen honoris caussa sacerdotium amplissimum à patruo tributum est, quod gens Julia quasi per manus à majoribus acceptum jure semper tenuit. Hæc Juliæ gentis, Dionysio auctore, origo est, & prosapia antiquissima. Cæterùm Juliam gentem, ut idem lib. II. docet, Tullus Hostilius rex, Alba diruta, Romam traduxit, & inter Patres cooptavit. Cujus duæ fuerunt familiæ præcipuæ: una eorum qui *Julii*, altera qui *Cæsares* cognominati sunt. *Julii* ab Julo gentis auctore & principe; *Cæsares*, quod is, qui primus hoc cognomen tulit, ab utero matris cæsus sit. Hoc enim veritati magis consentaneum videtur, quam vel à cæsarie, vel elephanto cæso. Nec prætereundum arbitror, quod Tacitus lib. XIIX. scribit: *pertinet enim ad sacra gentilicia Cæsarum: Tiberii instituto, ex familia Cæsarum sacerdotes Augustales creatos esse.* Exstat Epigramma C. Julii L. F. ejus, qui à Marianis occisus est, in Antiquitatibus urbis, ejusmodi:

C. IVLIVS. L. F. CÆSAR. STRABO. ÆD. CVR. Q. TR.
MIL. BIS. XVIR. AGR. DAND. ADTR. IVD. PONTIF.

C. IVLIVS. L. F. *N. IVLVS. COS. cum C. Pinario Rufo. AN. CCLXIV. Cassiodorus. His Coss. bellum Volscorum duce Coriolano natum. Dionysius lib. IIX.

C. IVLIVS. C. F. L. N. IVLVS. COS. cum Q. Fabio. ANN. CCLXXI. Cassiodorus. XVIR. I.L. SCRIBEND. C. AN. CCCII. Livius lib. III. Dionysius IIX. & X. Asconius in Cornelianam.

I

C. IVLIVS. C. F. C. N. IVLVS. COS. cum M. Geganio. AN. CCCVI. Cassiodorus, Livius lib. III. Diodorus XII. COS. II. cum L. Virginio. AN. CCCXIIX. Cassiodorus, Livius lib. IV. COS. III. cum eodem. AN. CCCXIX. Macer Licinius auctor, teste Livio & Cassiodoro.

I

L. IVLIVS. C. F. C. N. IVLVS. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCL. Livius lib. V.

VOPISCVS. IVLIVS. C. F. L. N. IVLVS COS. cum L. Æmilio AN. CCXXC. Dionysius lib. IX. Diodorus XI.

I

L. IVLIVS. VOPISCI. F. C. N. IVLVS. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCXV. MAG. EQ. A. Postumio Dict. AN. CCCXXIII. Cassiodorus, Livius lib. IV.

L. IVLIVS. L. F. VOPISCI. N. IVLVS. TR. MIL. AN. CCCLII. Hoc anno equites primum publicum merere stipendium cœperunt. TR. II. AN. CCCLVI. Livius lib. V.

I

L. IVLIVS. L. F. L. N. IVLVS. TR. MIL. AN. CCCLXXV. Livius lib. VI.

I

L. IVLIVS. L. F. L. N. LIBO. Fuit sine magistratibus.

I

L. IVLIVS. L. F. L. N. LIBO. COS. cum M. Atilio. AN. CDXXCVI. Cassiodorus. His Coss. bellum Salentinis indictum. Eutropius lib. II.

I

SEX. IVLIVS. L. F. L. N. QVI. PRIMVS. CAESAR. APP. E. PR. AN. DXLV. Siciliam provinciam obtinuit. Livius lib. XXVII.

I

SEX. IVLIVS. SEX. F. L. N. CAESAR. COS. cum L. Aurelio. AN. DXCVI. Cassiodorus, Plinius lib. XXXIII. cap. III. meminit Valerius lib. III. cap. VII.

C. IVLIVS. L. F. VOPISCI. N. IVLVS. TR. MIL. AN. CCCXLV. Livius lib. IV. TR. II. AN. CCCXLIIX. CENS. cum L. Papirio. AN. CCCLXI. in magist. mortuus est. Livius lib. V.

I

C. IVLIVS. C. F. L. N. IVLVS. TR. MIL. AN. CCCLXVII. Livius lib. VI.

I

C. IVLIVS. C. F. C. N. IVLVS. DICT. R. G. C. AN. CDI. Livius lib. VII.

I

SEX. IVLIVS. SEX. F. SEX. N. CAESAR. PR. VRB. AN. DCXXX. Cicero in orat. *pro Domo*.

L. IVLIVS. SEX. F. SEX. N. CAESAR, de quo nihil invenio.

C. IVLIVS. SEX. F. SEX. N. CAESAR, nullum gessit magistratum.

L. IVLIVS. L. F. SEX. N. CAESAR. COS cum P. RVTILIO. AN DCLXIII. Cassiodorus. Cum sociis Latinis bellum gessit, à Catone Vettio fusus, ac duobus millibus interfectis Æserniam fugatus est: feliciter deinde cum Samnitibus pugnavit: ob eam victoriam Romæ saga posita sunt. Epitoma LXXIII. Appianus lib. I. Vellejus II. Eutropius V. Censor cum P. Licinio. AN. DCLXIV. Plinius lib. XIII. cap. III. Julius Solinus cap. XLVII. annum hunc quingentesimum sexagesimum quintum appellat. Numerum corruptum esse nemo non videt. Bello civili à Marianis occisus est. Appianus lib. I. Epitoma XXC. Cicero de Oratore III. Tusculana V.

I

L. IVLIVS. L. F. L. N. CAESAR. COS. cum C. Figulo, AN. DCXXCIX. Cassiodorus, Cicero *pro Sulla*, *ad Atticum* I. meminit *Catil.* IV. *ad Atticum* IV. *Epistolarum* lib. IX. Cælius lib. IIX. à Triumviris proscriptus est. Dio lib. XLVII.

I

L. IVLIVS. L. F. L. N. CAESAR. PROQ. fuit Catoni in Africa, bello civili Cæsariano: meminit Cæsar, lib. de bello Civili, I. & II. Cicero *ad Atticum* VI. Jussu Cæsaris est interfectus. Hirtius lib. V. Dio lib. XLIII.

C. IVLIVS. L. F. SEX. N. CAESAR STRABO. PONTIFEX. Gellius lib. IV. C. VI. Ædilitius à Marianis occisus est, quem Cicero specimen humanitatis, salis, suavitatis, leporis appellat, *Tusculana* V. id quod apparet ex lib. *de Orat.* II. Meminit pro Scauro, in *Bruto*, de *Orat.* III. Vellejus. II. Appianus I.

C. IVLIVS. C. F. SEX. N. CAESAR. Hunc prætorium Pisis repentina morte extinctum scribit Plinius lib. VII. cap. LIII.

I

SEX. IVLIVS. C. F. SEX. N. CAESAR. COS. cum L. MARCIO. DCLXII. Cassiodorus, Eutropius lib. V. Plinius lib. XXXIII. cap. I. & III. Cicero in Corneliana. His Coss. bellum Sociale initum scribit Florus lib. III. cap. XIIX.

I

SEX. IVLIVS. SEX. F. C. N. CAESAR, de quo nihil invenio.

I

SEX. IVLIVS. SEX. F. SEX. N. CAESAR. QVAESTOR. Syriam provinciam obtinuit, à militibus suis occisus est. Dio lib. XLVII.

* I

C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR. PONTIFEX. MAX. Dio lib. XXXVII. Suetonius. QVAESTOR Ælio Tuberoni in Hispania. Plutarch. Vellejus veteris Antistii fuisse scribit, lib. II. meminit Hirtius lib. VI. ÆDILIS. CVR. AN. DCXXIIX. Ludos Megalenses apparatissimos magnificentissimosque fecit, & in patris honorem, defuncti CCCXX. gladiatorum paria populo exhibuit. Dio lib. XXXVII. Statuas C. Marii in Capitolio restituit. Plutarch. Vellejus II. PR. AN. DCXCI. Hispaniam provinciam sortitus est. cos. cum M. Bibulo. AN. DCXCIV. Cassiodorus, Dio lib. XXXIIX. Leges agrarias cum maxima contentione invito Senatu tulit. Epitoma CIII. PRO. COS. Galliam provinciam decennium obtinuit. Helvetios, & Ariovistum, maximis prælis vicit. Anno sequenti, Belgas, Nervios, Aduaticos in deditionem accepit, ob quas res supplicatio XV. dierum, quod ante id tempus acciderat nulli, decreta. Cæsar *de bello Gallico* lib. I. & II. Epitoma CIII. & seq. Marcellino, Philippo cos. Venetos navali prælio vicit. Cæsar lib. III. Dio lib. XXXIX. Epitoma CIV. Pompejo, Crasso Coss. Usipetes, Tenchteros prælio vicit, & Gallia expulit. Rhenum transcendit. Britanniæ partem in potestatem redegit., Dio XL. Epitoma CV. Cæsar lib. IV. Marcello Sulpicio Coss. & sequentib. Gallorum populos qui defecerant, in potestatem redegit. Epitoma CVI. Dio lib. XL. DICT. sine MAG. EQ. AN. DCCIV. Cum Pompejo bellum initum. Epit. CIX. & sequent. cos. II. cum P. Servilio. AN. DCCV. Cassiodorus. à Pompejo ad Dyrrhachium victus: eundem mox in Pharsalia maxima clade profligavit. Dio lib. XLI. Epitoma CXI. DICT. II. AN. DCCVI. Bellum Alexandrinum gessit. cos. III. cum M. Aimilio. AN. DCCVII. Scipionem & Jubam Mauritaniæ regem vicit. Ex Gallia, Alexandria, Africa, Ponto triumphavit. Dio lib. XLIII. Epitoma CXIII. & sequenti. DICT. III. AN. DCCIIX. cos. IV. sine collega eod. anno. Cn. Pompejum Magni F. in Hispania acerrimo prælio vicit, deque eo triumphavit. Epitoma CXV. cos. V. cum M. Antonio. AN. DCCIX. Idibus Martiis in magistratu occisus est. Epitoma CXVI. Plutarch. Suetonius, Zonaras in *Cæsare*, Dio lib. XLIV. Vellejus II. Appianus, Florus, Eutropius, Hirtius, Cicero, alii.

I

C. IVLIVS. C. F. C. N. CAESAR. OCTAVIANVS. QVI. POSTEA. IMP. CAESAR. AVGVSTVS. E. APP. PR. PR. imperium admodum adulescentulus à Senatu accepit, cum Consularibus ornamentis. Epitoma CXIIX. Hirtio & Pansa coss. bellum cum Antonio gessit. Epitoma CIX. Cicero in *Philippicis*. Dio lib. XLVI. cos. cum Q. Pedio. AN. DCCX. Cassiodorus. Reconciliatus Antonio IIIVIR. R. P. C. constitutus in quinquennium. Proscriptionem Sullanam cum collegis renovavit. Dio XLVII. Lepido, Planco Coss. cum Bruto & Cassio in Philippis bellum gessit. Plutarch. in *Bruto*. Dio lib. XLVII. Epitoma CXXIV. Appianus lib. V. Servilio, Antonio coss. L. Antonium Cos. IIIviri fratrem ad Perusiam vicit: cum Antonio anno sequenti pacem fecit, atque urbem ovans est ingressus. Dio lib. XLIIX. Epitoma CXXVI. IIIVIR. R. P. C. AN. DCCXVI. in alterum quinquennium creatus. Sex. Pompejum navali prælio vicit. Urbem ovans iterum est ingressus. Dio lib. XLIX. Epitoma CXXIX. cos. II. cum L. Volcatio AN. DCCXX. Cassiodorus, Dio lib. XLIX. cos. III. cum M. Valerio. AN. DCCXXII. Cassiodorus. Antonium ad Actium navali prælio vicit. Alexandriam in potestatem redegit: in urbem reversus, tres triumphos egit. Epitoma CXXXIII. Dio lib. L. & sequenti, Virgilius lib. IIX. cos. IV. cum M. Licinio. AN. DCCXXIII. Cassiodorus, Dio lib. LI. cos. V. cum Sex. Appulejo. AN. DCCXXIV. Cassiodor. Dio eod. CENS. cum M. Agrippa. Dio lib. LII. cos. VI. cum M. Vipsanio. AN. DCCXXV. cos. VII. AN. DCCXXVI. cos. IIX. cum Statilio Tauro. AN. DCCXXVII. cos. IX. cum M. Silano. AN. DCCXXIIX. cos. X. cum C. Norbano. AN. DCCXXIX. cos. XI. cum A. Terentio. AN. DCCXXX. Cassiodorus, Dio lib. LIII. cos. XII. cum L. Sulla. AN. DCCXLIIX. Dio lib. LV. cos. XIII. cum M. Plautio. AN. DCCLI. Cassiodorus, Dio LV. Mortuus est Appulejo, Pompejo Coss. XIV. Kal. Septemb. Suetonius & Zonaras in *Octaviano*. Dio lib. LVI. Vellejus lib. II. alii.

C. IVLIVS. C. F. C. N. CAESAR. VIPSANIANVS. COS. cum L. Aimilio, AN. DCCXLIII. Dio lib. LV. meminit. Plin. lib. XII. cap. XIV.

L. IVLIVS. C. F. C. N. VIPSANIANVS. Tacitus, Suetonius, Paterculus.

M. IVLIVS. C. F. C. N. CAESAR. AGRIPPA. POSTVMVS. Abdicatus ab Augusto post adoptionem, & in Pontiam insulam, ut Dio Cassius, Surrentum, ut Suetonius scribit, primum sepositus, deinde in insulam relegatus. Dio l. LV. Suetonius in *Octaviano*. Plinius l. VII. cap. XLV. Jussu Tiberii Imp. occisus est. Dio lib. LVII. Tacitus lib. I.

TI. IVLIVS. C. F. C. N. CAESAR. CLAVDIANVS. NERO. qui postea CAESAR AVG. APP. E. III. POP. R. IMP. COS. cum P. QVINCTILIO. AN. DCCXL. Cassiodorus, Dio. cos. II. cum CN. PISONE. AN. DCCXLVI. ex Germania triumphavit.

* I

NERO. CLAVDIVS. TI. F. VI. N. GERMANICVS. CÆSAR. PR. VRB. AN. DCCXLII. Dio lib. LIV. cos. cum T. QVINCTIO. AN. DCCXLIV. Cassiodor. Res in Germania feliciter gessit: ex fractura, equo super crus collapso mortuus est. Dio lib. LV. Vellejus lib. II. Epitoma CXLII. Sueto. Tacitus, & alii.

* * I

TI.

TI. IVLIVS. TI. F. C. N. GERMANICVS. Dio lib. LV. Sueto. in Tiberio, Justinianus lib. *Institutionum* I. Quæsturam quinquennium antequam per leges liceret sortitus est, & post eam Consulatum statim gessit cum C. Fontejo. AN. DCCLXIV. Cassiod. Dio lib. LVI. De Cheruscis, Cattis, & Angrivariis triumphavit. cos. II. cum TI. Cæsare AN. DCCLXX. Cassiodorus, Dio lib. LVII. Antiochiæ mortuus est. Sueto. in *Caligula*. Tacitus lib. I. Dio. lib. LVII.

TI. CLAVDIVS. DRVSVS. TI. F. TI. N NERO. GERMANICVS. CAESAR. V. POP. ROM. IMP. Dio. lib. LX. Tacitus, Suetonius & alii.

NERO. CLAVDIVS. TI. F. * N. CÆSAR. DOMITIANVS. VI. POP. R. IMP. Dio lib. LX. Tacitus, Sueto. Postremus hic esse ex Cæsarum familia ab auctoribus traditur.

NERO. IVLIVS. TI. F. T. N. GERMANICVS. Tiberii Imp. fraude periit. Dio lib. LIIX. Tacitus lib. V.

DRVSVS. IVLIVS. TI. F. TI. N. GERMANICVS. Tiberii Imperatoris jussu occisus. Dio lib. LIIX.

C. IVLIVS. TI. F. TI. N. CÆSAR. CALIGVLA, qui postea CÆSAR. AVG. APP. E. IV. ROM. IMP. Dio LIIX. Tac. Suet. alii.

GEGANIA GENS.

A Gia Comite Æneæ.

*GEGANIVS. MACERINVS.

T. GEGANIVS. *F. *N. MACERINVS. cos. cum P. Minucio. AN. CCLXII. Dionysius lib. VII.

L. GEGANIVS. *F. *N. MACERINVS. Legatus ad coëmendum frumentum à Senatu in Siciliam missus. Dionys. lib. VII.

M. GEGANIVS. T. F. *N. MACERINVS de quo nihil tradunt auctores.

L. GEGANIVS. T. F. *N MACERINVS. nullum gessit magistratum.

L. GEGANIVS. L. F. T. N. MACERINVS. TR. MIL. cos. POT. AN. CCCLXXVI. Livius lib. VI.

M. GEGANIVS. M. F. T. N. MACERINVS. cos. cum C. Julio AN. CCCVI. Cassiodorus, Livius lib. III. cos. II. cum T. Quinctio. AN. CCCX. Cassiodorus, Dionysius lib. XI. Volscos in deditionem accepit, & sub jugum misit; deque iis triumph. Livius lib. IV. cos. III. cum L. Sergio. AN. CCCXVI. Cassiodorus, Diodorus XI. Livius IV. CENS. cum C. Furio. AN. CCCXIX. Livius eodem.

M. GEGANIVS. M. F. M. N. MACERINVS. TR. MIL. cos. POT. AN. CCXXCVI. Livius lib. VI.

PROCVLVS. GEGANIVS. M. F. T. N. MACERINVS cos. cum L. Menenio. AN. CCCXIII. Cassiodorus, Livius lib. IV.

NAVTIA GENS.

NAVTIA gens, à Naute Æneæ comite, Palladis sacerdote. Sacra Minervæ faciebat statuta, auctore Dionysio lib. VI. Floruit in rep. AN. CCXX.

SP. NAVTIVS. *RVTILVS.

SP. NAVTIVS. SP. F. *N. RVTILVS. cos. cum Sex. Furio. AN. CCLXV. Dionysius lib. IIX. Cassiodorus, Livius II.

C. NAVTIVS. SP. F. SP. N. RVTILVS. cos. cum P. Valerio AN. CCLXXIIX. Cassiodor. Dionysius lib. IX. Livius II. cos. II. cum L. Minucio. AN. CCXCV. Cassiodorus, Dionysius lib. X. Livius lib. III.

SP. NAVTIVS. SP. F. SP. N. RVTILVS. COS. POT. AN. CCCXXXIX. Livius lib. IV.

SP. NAVTIVS. SP. F. SP. N. RVTILVS. TR. MIL. AN. CCCXXXIV. TR. II. AN. CCCXXXVII. TR. III. AN. CCCXLIX. Livius lib. IV.

SP. NAVTIVS. SP. F. SP. N. RVTILVS. cos. cum M. Popillio. AN. CDXXXVII. Livius IX.

C. NAVTIVS. SP. F. SP. N. RVTILVS. cos. cum M. Claudio. AN. CDLXVI. Cassiodorus.

C. NAVTIVS. SP. F. SP. N. RVTILVS. cos. cum M. Papirio, AN. CCCXLII. Livius lib. IV.

CLOE-

CLOELIA GENS.

CLOELIA, à Cloelio Æneæ comite. Dionysius lib. II. Fuit cum magistratibus, annis plus minus LXIII.

T. CLOELIVS. Q. F. *N. SICVLVS. TR. MIL. COS. AN. CCCIX. Vitio fact. abd. Dionysius lib. XI. Livius IV.

Q. CLOELIVS. T. F. Q. N. SICVLVS. CENS. cum Sp. Servilio AN. CCCLXXXVI. Livius lib. VI.

P. CLOELIVS. T. F. Q. N. SICVLVS. TR. MIL. AN. CCCLXXVI. Livius lib. VI.

AIMILIA GENS.

AIMILIAM gentem ab Aimilio Ascanii F. Festus ortam scribit: cujus tamen Aimilii præter Festum nullus, quod quidem sciam, veterum auctorum meminit. Plutarchus in *Paullo*, à Mamerco Numæ regis filio Aimilios deducit: quod eo facilius credo, quia Aimilii *Mamerci* & *Mamercini*, à gentis principe dicti sunt. Quod verò idem, propter orationis suavitatem & leporem, quam αἱμυλίαν Græci vocant, sic nominatos tradit, id subtiliter magis quam verè dictum existimare debemus: neque sanè in ea quæ isto modo ab antiquis memoriæ prodita sunt, nimis diligenter inquirendum videtur. Cum enim in rebus aliis, tum in omni antiquitate veris falsa adjuncta sunt, quæ dijudicari non possunt. Aimiliorum autem alii *Mamercini* sunt, à Mamerco gentis, ut diximus, auctore: alii *Lepidi*, à sermonis lepòre: alii *Paulli*, à pusillo corpore nominati: *Barbulæ*, *Papi*, *Scauri* alii. Atque postrema hæc familia, in qua Scauros constituimus, abjecta & contempta multis ætatibus sine honoribus & magistratibus jacuit. Primus M. Scaurus amplissimos honores est consecutus. Nam & Consul fuit, & Censor, & princeps Senatus tribus lustris creatus est: qua de re Asconius in oratione *pro Scauro*. Dicti *Scauri*, quod talos pedum tumentes haberent, teste Plinio lib. XI. unde Horatius, *Scaurum pravis fultum male talis*, Satyra III. dixit. Legitur vetus inscriptio in lib. Epigrammatum urbis antiquæ, L. Aimilii ejus, qui Persen Macedonem vicit, quam subjiciam:

PAVLLVS AIMILIVS IMP. MACEDONIAM
TERRARVM IMPERIO POTITAM, CVIVS
VNO DIE LXXII VRBES VENDIDIT.
ETIAM INDIAE VICTOR PER VESTI-
GIA LIBERI PATRIS, ATQVE HERCV-
LIS, ROMANA SIGNA CIRCVMTVLIT.

AIMILII MAMERCINI.

L. AIMILIVS. MAM. F. *N. MAMERCINVS. cos. cum K. Fabio. AN. CCLXIX. Cassiodorus, Dionysius lib. IIX. Volscos & Æquos prælio vicit. Livius lib. II. cos. II. cum C. Servilio. AN. CCLXXV. Dionysius lib. IX. Diodorus XI. cos. III. cum Vopisco Julio. AN. CCXXC. Cassiodorus, Livius, Dionysius.

TI. AIMILIVS. L. F. MAM. N. MAMERCINVS. cos. cum L. Valerio, AN. CCXXCIII. Cassiodorus, Dionysius IX. Livius lib. II. cos. II. cum Q. Fabio. AN. CCXXCVI. Liv. lib. III.

M. AIMILIVS. L. F. MAM. N. MAMERCINVS. de quo nihil tradunt veteres.

MAM. AIMILIVS. M. F. L. N. MAMERCINVS. TR. MIL. cos. POT. AN. CCCXV. DICT. R. O. C. AN. CCCXVI. Volscos, Vejentes, Fidenates vicit, deque iis triumph. DICT. II. AN. CCCXIX. legem de Censura tulit. Livius IV. & IX. DICT. III. Fidenates & Vejentes vicit, eorum urbem cepit & diripuit. de iis iterum triumph. author Livius IV.

M. AIMILIVS. MAM. F. M. N. MAMERCINVS. cos. cum C. Valerio. AN. CCCXLIII. Cassiodorus. TR. MIL. AN. CCCXLIIX. Livius lib. IV. TR. II. AN. CCCL. TR. III. AN. CCCLII. Livius lib. V.

M. AIMILIVS. M. F. MAM. N. MAMERCINVS. TR. MIL. AN. CCCLXII. Livius lib. V.

L. AIMILIVS. M. F. MAM. N. MAMERCINVS. TR. MIL. AN. CCCLXV. TR. II. AN. CCCLXVII. TR. III. AN. CCCLXXI. TR. IV. AN. CCCLXXII. TR. V. AN. CCCLXXVII. Livius lib. VI.

L. AIMI-

L. AIMILIVS. L. F. M. N. MAMERCINVS. MAG. EQ. M. Furio Camillo Dict. AN. CCCXXCV. Livius lib. VI. cos. cum L. Sextio. AN. CCCXXCVII. Cassiodorus, Livius lib. VII. cos. II. cum Cn. Genucio. AN. CCCXC. Cassiod. MAG. EQ. II. C. Julio Dict. AN. CDI. Livius lib. VII.

TI. AIMILIVS. L. F. M. N. MAMERCINVS. cos. cum Q. Publilio. AN. CDXIV. Cassiodorus, Livius libr. IIX.

L. AIMILIVS. L. F. L. N. MAMERCINVS. MAG. EQ. M. Valerio Dict. AN. CDXI. Livius lib. VII. cos. cum C. Plautio. AN. CDXII. Cassiodorus DICT. COMIT. HABEND. C. AN. CDXIIX. COS. II. cum C. Plautio AN. CDXXIV. Cassiodorus, Livius lib. IIX. IN. HOC HONORE. PRIVERNAS. E. APP. de Privernatibus triumphavit. DICT. II. R. G. C. AN. CDXXXVII. Livius lib. IX.

AIMILII PAVLLI.

M. AIMILIVS. L. F. L. N. PAVLLVS. cos. cum M. Livio, AN. CDLI. Cassiodorus. MAG. EQ. Q. Fabio Dict. AN. CDLI. Livius lib. X.

M. AIMILIVS. M. F. L. N. PAVLLVS. cos. cum Ser. Fulvio, AN. CDXCIIX. Cassiodorus, Polybius lib. I. Eutropius lib. II. de Cossurensibus & Pœnis triumphavit.

AIMILII LEPIDI.

M. AIMILIVS. M. F. M. N. LEPIDVS. cos cum M. Poblicio. AN. DXXI. Cassiodorus, Polybius lib. II.

M. AIMILIVS. M. F. M. N. LEPIDVS. PONT. MAX. Cicero in *Catone*. PR. AN. DLXII. Livius l. XXXV. cos. cum C. Flaminio. AN. DLXVI. Cassiodorus, Livius lib. XXXIIX. Valerius lib. VI. CENS. cum M. Fulvio AN. DLXXIV. Livius lib. XL. cos. II. cum P. Mucio. AN. DLXXIIX. Cassiodorus, Valerius lib. VI. cap. VI. Cicero *de provinciis Consularibus*.

M. AIMILIVS. M. F. M. N. LEPIDVS. cos. cum C. Hostilio AN. DCXVI. Cassiod. Obsequens. meminit Cicero in *Bruto*.

L. AIMILIVS. M. F. M. N. PAVLLVS. cos. cum M. Livio. AN. DXXXIV. Cassiodorus, Plinius lib. XXIX. cap. I. Illyrios qui rebellarant, in deditionem accepit: Pharium eorum regem profligavit, deque iis triumphavit. Polyb. lib. I. cos. II. cum C. Terentio. AN. DXXXVII. In prælio Cannensi fortiter occubuit. Livius XXIII. Polybius II. Plutarchus in *Paullo* & *Hannibale*. Cicero in *Catone*. Appianus in *Punicis*. Eutropius l. III. Vellejus I.

L. AIMILIVS. L. F. M. N. PAVLLVS. PR. AN. DLXII. Livius lib. XXXV. cos. cum Cn. Bæbio. AN. DLXXI. Cum Liguribus Ingaunis feliciter pugnavit, & de iis triumphum egit. Livius lib. XXXIX. cos. II. cum C. Licinio. AN. DXXCV. Cassiodorus. Persen Macedonum regem ingenti prælio ab Pyduam fusum fugatumque castris exuit, deletisque ejus copiis, cum in insulam Samothraciam profugisset, vivum in potestatem redegit, deque eo triumphavit, Livius lib. XLIV. & V. Vellejus I. Plinius lib. XXXIII. cap. III. Florus lib. II. cap. XII. Eutropius lib. IV. Valerius l. V. cap. I. Gellius lib. VII. cap. III. CENS. cum Q. Marcio AN. DXXCIX. In magist. mortuus est. Plutarch. in vita. Epitoma XLVI. Plinius lib. VII. cap. XVII. Meminit Cicero in *Bruto*, *de Divinatione* I. *Tusculana* V. *Officiorum* II. *Catilina* IV.

AIMILIVS. L. F. L. N. PAVLLVS. XII. annos natus, quinque diebus ante triumphum patris mortuus est.

AIMILIVS. L. F. L. N. PAVLLVS. quatuordecim annorum, triduo post patris triumphum obiit. Livius lib. XLV. Plutarchus in *Paullo*. Vellejus I. Cicero libro *Epist*. IV. ad Ser. Sulpicium.

M. AIMILIVS. M. F. M. N. LEPIDVS. cos. cum L. Aurelio AN. DCXXVII. Cassiodorus, Obsequens, Cicero in *Bruto*.

M. AIMILIVS. M. F. M. N. LEPIDVS. LIVIANVS. cos. cum D. Junio. AN. DCLXXVI. Cassiodorus, Obsequens, Cicero *Officiorum* secundo, & in *Bruto*.

M. AIMILIVS. M. F. M. N. LEPIDVS. cos. cum L. Volcatio. AN. DCXXCVII. Cassiodorus, Dio lib. XXXVI. Cicero *pro Sulla*, Asconius in Cornelianam.

Q. AIMILIANVS. M. F. M. N. LEPIDVS. cos. cum M. Lollio. AN. DCCXXXII. Cassiodorus, Dio lib. LIV.

Q. AIMILIVS. M. F. M. N. LEPIDVS. De quo nihil accepimus.

M. AIMILIVS. Q. F. M. N. LEPIDVS. cos. cum Q. Lutatio. AN. DCLXXV. Cassiodorus, Cicero pro *Balbo*. Plinius lib. XXXV. cap. VI. & XXXVI. c. VI. & XV. Valerius lib. II. cap. III. Hic cum acta Sullæ conaretur rescindere, bellum excitavit. à Q. Catulo collega Italia pulsus, & in Sardinia frustra bellum molitus, periit. Epitoma XC. Appianus I. Zonaras non Catulo, sed Pompejo hoc tribuit.

M. AI-

M. AIMILIVS. M. F. Q. N. LEPIDVS. PR. Cornelio, Claudio Coss. Cæsarem Dictatorem dixit. Dio lib. XLI. cos. cum C. Julio. AN. DCCVII. Cassiodorus, Dio lib. XLIII. Plutarchus & Suetonius in *Cæsare*. MAG. EQ. C. Cæsari Dict. AN. DCCIIX. Dio eod. IIIVIR. R. P. C. in quinquennium. Epitoma CXX. COS. II. cum L. Munacio. AN. DCCXI. Cassiodorus, Dio lib. XLVII. Ab. Augusto coactus. IIIVIRATV. se abdicavit. Epitoma CXXIX. Dio lib. XLIX. Appianus V.

I

M. AIMILIVS. M. F. M. N. LEPIDVS. Cum in Augustum conjurasset, à Mœcenate occisus est. Epitoma CXXXIII. Vellejus lib. II. Dio lib. LIV.

I

M. AIMILIVS. M. F. M. N. LEPIDVS. cos. cum L. Statilio. AN. DCCLXIII. Cassiodorus, Dio lib. LVI.

PAVLLVS AIMILIVS. M. F. Q. N. LEPIDVS. CENS. cum L. Munatio. AN. DCCXXXI. Hi primi privati censuram gesserunt. Hunc M. Fr. IIIVIR proscripserat. auctor Vellejus lib. II. & Dio XLVII. Idem scriptum est in Epitoma CCXX. Itaque vereor ne qui L. F. M. N. in tabulis Capitolinis restituunt, temere id fecisse videantur.

AIMILII BARBVLAE.

Q. AIMILIVS. Q. F. L. N. BARBVLA. cos. cum C. Junio. AN. CDXXXVI. Cassiodorus, Diodorus XIX. cos. II. cum C. Junio. AN. CDXLII. Cassiodorus, Diodorus XX. Etruscos maximo prælio vicit, deque iis triumphavit, Livius lib. IX.

I

L. AIMILIVS. Q. F. Q. N. BARBVLA. cos. cum Q. Marcio. AN. CDLXXII. Cassiodorus. Cum Tarentinis bellum gessit: de iis re prosperè gesta triumphavit.

I

M. AIMILIVS. L. F. Q. N. BARBVLA. cos. cum M. Junio. AN. DXXXIII. His Coss. Amilcarem Annibalis patrem in Hispania occisum tradit Cassiodorus. Idem scribit Orosius lib. IV. c. II.

AIMILII PAPI.

Q. AIMILIVS. CN. F. *N. PAPVS. cos. cum C. Fabricio. AN. CDLXXI. Cassiodorus, Cicero *de amicitia*, Gellius lib. XVII. cap. ult. COS. II. AN. CDLXXV. Cassiodorus, Plutarchus in *Pyrrho*. CENS. cum C. Fabricio. AN. CDLXXIIX. Gellius XVII. Cicero in *Lælio*. Meminit Valerius lib. IV. cap. IV.

I

L. AIMILIVS. Q. F. CN. N. PAPVS. cos. cum C. Atilio. AN. DXXIIX. Cassiodorus. Gallos Cisalpinos vicit, de iis speciosissimum triumphum egit. Polybius lib. II. Plinius lib. III. c. XX. CENS. cum C. Flaminio. AN. DXXXIV.

AIMILII SCAVRI.

M. AIMILIVS. *SCAVRVS. COS. cum M. Cæcilio. AN. CCXXXII. Cassiodorus, Cicero *pro Murena, in Bruto*, Plinius lib. II. cap. LIV. & lib. IIX. cap. LVII. CENS. cum M. Livio. AN. DCXLIV. Meminit Cicero *de Oratore* II. *Pro Sextio, de Legibus* III. Valerius lib. III. cap. II. & VII. Idem lib. IV. cap. IV. & lib. IIX. cap. V.

I

M. AIMILIVS. M. F. *N. SCAVRVS. ÆDIL. CVR. Plinius lib. XXXIV. cap. VII. & XXXV. cap. XI. Cicero *pro Sextio*, *ad Atticum* IV. Julius Solinus, cap. XXXIV. & XXXVI. hippopotamos & crocodilos & Andromedæ vestigia in ædilitate publicasse scribit. PR. provinciam Sardiniam sortitus, repetundarum postulatus apud M. Catonem Pr. à Cicerone defensus, absolutus est. Asconius *pro Scauro*. Valerius lib. IIX. cap. I.

VALE.

VALESIA GENS.

SEQUUNTUR nunc Latinarum gentium familiæ, quo nomine & Sabinas, & omnes eas quæ ex Italicis municipiis in urbem migrarunt, comprehendimus. Quæ verò ex his majorum, quæ minorum gentium Patriciæ familiæ ſint, in tanta antiquitatis ignoratione conſtituere nullo modo poſſumus. Sunt illæ quidem majorum gentium, quas Romulus, quas cæteri reges uſque ad Tarquinium Priſcum, ſiquidem Livium ſequamur, inter Patricios cooptarunt: reliquarum eadem opinor ratio eſt, incerta & obſcura. Prima autem & præcipua Latinarum gentium Valeria eſt, cùm propter generis antiquitatem, tum etiam propter ſummam nobilitatem, eximiaſque virtutes, quibus hæc gens facile cæteris antecelluit. Dionyſius lib. IV. & V. auctor eſt, gentem Valeriam ex Sabinis oriundam, cum Tatio rege, quicum Romulus imperii ſocietatem communicarat, in urbem migraſſe. Plutarchus Valeſium gentis principem appellat, quem etiam auctorem pacis inter Sabinos & Romanos fuiſſe ſcribit. Hinc *Valeſia* hæc gens primum, poſt *Valeria* dicta eſt, ut etiam *Fuſia*, *Papiſia*, *Auſelia*, *Vetuſia*: neque enim ante Appii Cæci ætatem, qui primus litteram *R.* protuliſſe dicitur, *Valerii*, *Furii*, *Papirii*, *Aurelii*, *Veturii* dicti ſunt: qua de re Livius lib. III. Cicero Epiſt. IX. ad Papirium Pætum. Varro *de ling. Lat.* VI. Macrobius cap. II. libri tertii *Saturnalium*. & Feſtus I. Pomponius quoque JC. *de origine juris*. Meminit etiam cujuſdam Valeſii lib. II. Valerius Maximus, qui Diti patri & Proſerpinæ ara ſub terra reperta, ſacra primus furvis hoſtiis fecit: cujus exemplum ſecutus Valerius Poplicola, apud eandem aram publicè nuncupatis votis, cæſiſque atris bobus Diti maribus, fœminis Proſerpinæ, lectiſternioque ac ludis trinoctio factis, aram terra obruit. Atque hæc quidem Valeriæ gentis ſacra fuiſſe gentilicia opinor. Univerſa verò hæc gens in quatuor familias diſtributa eſt. In prima, Poplicolas, Maximos, Potitos, Corvinos, Meſſalas, collocamus: ea ratione, quia ejuſdem ſunt ſtirpis. His autem, ut Cicero *de Legibus* ſecundo, & Plutarchus in *Poplicola* ſcribunt, virtutis cauſſa, ut in urbe ſepelirentur, à Senatu tributum erat & permiſſum, quod poſteri eorum jure tenuerunt. In ſecunda, Flaccos: in tertia, Falcones: in quarta, Lævinos conſtituimus.

VALERIVS VOLVSVS.

P. VALERIVS VOLVSI. F. * N. VOLVSVS. POPLICOLA COS. cum L. Junio Bruto. ANN. CCXLIV. LL. in magiſtratu valde populares tulit, unde *Poplicola* dictus eſt. Etruſcos prælio vicit: deque iis triumphavit. COS. III. cum M. Horatio. ANN. CCXLVI. COS. IV. cum T. Lucretio. AN. CCXLIX. de Sabineis triumphavit. Mortuus eſt Menenio, Poſtumio Coſs. Funus ex pub. magnificentiſſ. decret. Livius lib. II. Dionyſius V. Valerius Max. lib. VI. Cicero *Academicarum quæſtionum* IV. Plutarch. in vita.

M. VALERIVS VOLVSI F. * N. VOLVSVS. COS. cum P. Poſtumio. AN. CCXLIIX. De Sabineis triumphavit. Huic, quia ſæpius vicerat, ædes in palatio tributæ ſunt, & publico ſumptu ædificatæ: auctore Varrone, quod Antias Val. Maximo, L. Higinius Poplicolæ tribuit. teſtis Aſconius in Piſonianam. Plinius cap. XV. lib. trigeſimi ſexti, P. & M. Valeriis. Interfectus eſt bello Latino, Poſtumio, Virginio Coſs. Livius lib. II. Anno ſequenti occiſum Dionyſius lib. V. ſcribit. de eodem Plutarchus in *Poplicola*, Cicero *de Aruſpicum reſponſis*.

* I

M. VALERIVS VOLVSI F. * N. VOLVSVS. DICT. SEDIT. SEDAND. ET. R. G. C. AN. CCLIX. Plebem quæ prope ripam Anienem ad tertium milliarium conſederat, montemque, qui ſacer appellatus eſt, occuparat, patribus reconciliavit, ob eam cauſam ampliſſimi ei honores habiti, & primus MAXVMVS eſt appellatus. In hoc magiſtratu de Sabineis triumphavit. Livius lib. II. Dionyſius lib. VI. Cicero *in Bruto*. Valerius lib. IIX. cap. IX. Dionyſius M. appellat hunc Poplicolæ Fr. mendoſe, ut opinor. Nam M. bello Latino occiſus eſt. Manium vero hunc appellatum, quòd primus ſacra diis manibus feciſſet. Zoſimus lib. I. hiſt. tradit.

I

M. VALERIVS M. F. VOLVSI N. MAXVMVS. COS. cum Sp. Virginio. AN. CCXCVII. Dionyſius lib. X. Livius lib. III.

I

M. VALERIVS M. F. M. N. MAXVMVS. TR. MIL. ANN. CCCLV. TR. II. AN. CCCLIIX. Livius libro V.

I

M. VALERIVS M. F. M. N. MAXVM. CORVVS. Tribunus militaris Furio, Claudio Coſs. Gallum ſingulari certamine occidit, & *Corvi* cognomen accepit. Livus lib. VII. Gellius lib. IX. cap. XI. Valerius lib. III. cap. IIX. & lib. IIX. cap. XVI. Eutropius II. COS. cum M. Popillio. AN. CDV. Caſſiodorus. COS. II. cum Q. Petilio. AN. CDVII. de Antiatibus & Satricanis triumphavit. COS. III. cum A. Cornelio AN. CDX. Samnites duobus præliis vicit: deque iis triumphavit. DICT. R. G. C. AN. CDXI. Livius lib. VII. COS. IV. cum M. Atilio. AN. CDXIIX. Livius IIX. Diodorus XVII. de Calenis III. triumphavit. COS. V. cum Q. Apulejo. ANN. CDLIII. COS. VI. cum M. Fulvio. AN. CDLIV. Livius lib. X. Plutarchus in Mario. Meminit Cicero *in Catone*. Valerius lib. IIX. cap. XIV. Plinius lib. VII. cap. XLIIX.

** I

* I

M. VALERIVS M. F. VOLVSI N. VOLVSVS. Nullum gessit magistratum. Meminit in secundo Livius.

** I

M. VALERIVS M. F. M. N. MAXV. CORVVS. COS. cum P. Decio. AN. CDXLI. de Samnitibus triumphavit. CENS. cum C. Junio. AN. CDXLVI. DICT. R. G. C. AN. CDLII. Livius IX.

I

M. VALERIVS M. F. M. N. MAXV. CORVINVS. COS. cum Q. Cædicio. AN. CDLXIV. Cassiodorus. COS. II. cum C. Ælio. AN. CDLXVII. Cassiodorus.

P. VALERIVS P. F. VOLVSI N. POPLICOLA.

M. VALERIVS P. F. VOLVSI N. POPLICOLA.

Hi Postumio, Virginio Coss. M. Valerium patruum hasta in prælio percussum fortiter defenderunt, spirantem adhuc ne spoliaretur scutis ad vallum detulerunt, & ad pugnam reversi ut eum ulciscerentur in confertissimos se conjecerunt hostes, fortiterque pugnaotes occisi sunt. Dionysius libro VI.

I

P. VALERIVS P. F. P. N. POPLICOLA. COS. cum C. Nautio. AN. CCLXXIIX Cassiodorus, Dionysius lib. IX. Livius II. COS. II. cum C. Claudio. AN. CCXCIII. In pugna contra Herdonium cecidit. Dionysius lib. X. Livius lib. III. Qui tabulas Capitolinas restituunt, Volusi N. hunc appellant, ego P. N. esse existimo. Nam P. Valerium Poplicolæ F. Volusi N. Dionysius lib. VI. bello Latino cecidisse refert. Neque tamen mendo caret Dionysius, qui lib. VII. P. Valerium Poplicolæ F. Gegaoio, Minutio Coss. Legatum in Siciliam missum scribit. Ille enim, Dionysio ipso auctore, in prælio jam antè occubuerat, ut diximus. Hunc verò eum esse opinor de quo loquitur Dionysius Poplicolæ N. quod & Livius lib. III. in oratione Valerii haud obscure indicare videtur.

I

L. VALERIVS P. F. P. N. POPLICOLA. COS. cum M. Horatio. AN. CCCIV. Cassiodorus. Primus de Volscis & Æquis injussu Senatus triumphavit. Dionysius lib. XI. Livius III. Cicero in *Bruto*, Potitum hunc appellat.

I

L. VALERIVS M. F. P. N. POTITVS. QVAESTOR cum K. Fabio Sp. Cassium affectati regni accusavit. COS. cum M. Fabio. AN. CCLXX. COS. II. cum Tito Aimilio. AN. CCXCIII. Cassiodorus, Dionysius IIX. & IX. Livius libro III.

L. VALERIVS L. F. M. N. POTITVS. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCXXXIX. Livius lib. IV. TR. II. AN. CCCXLVII. TR. III. AN. CCCL. TR. IV. AN. CCCLII. TR. V. AN. CCCLV. Livius lib. V.

I

L. VALERIVS L. F. L. N. POPLICOLA. POTITVS. TR. MIL. AN. CCCLIX. COS. cum M. Manlio. AN. CCCLXI. Cassiodorus. de Æquis triumphavit. MAG. EQ. M. Furio Camillo. Dict. AN. CCCLXIII. Livius lib. V. TR. II. AN. CCCLXV. TR. III. AN. CCCLXVII. TR. IV. AN. CCCLXXI. TR. V. AN. CCCXCIV. Livius lib. VI.

C. VALERIVS L. F. M. N. POTITVS. TR. MIL. AN. CCCXXXIX. COS. cum M. Aimilio. AN. CCCXLIII. de Æquis ovans urbem est ingressus. TR. II. AN. CCCXLVI. TR. III. AN. CCCXLIX. Livius hæc lib. IV.

I

C. VALERIVS C. F. L. N. POTITVS. TR. MIL. AN. CCCXXCIII. Livius lib. VI.

P. VALERIVS L. F. L. N. POPLICOLA POTITVS TR. MIL. AN. CCCLXIIX. TR. II. AN. CCCLXX. TR. III. AN. CCCLXXIV. TR. IV. AN. CCCLXXVII. TR. V. AN. CCCXXCIII. TR. VI. AN. CCCXCVI. Hæc Livius lib. VI.

I

P. VALERIVS P. F. L. N. POPLICOLA POTITVS. COS. cum C. Marcio. AN. CDI. Cassiodorus, Livius lib. VII. Diodorus XVII. DICT. FERIAR. CONSTIT. C. AN. CDIX. Livius.

I

P. VALERIVS P. F. P. N. POPLICOLA. POTITVS. MAG. EQ. M. Papirio Dict. AN. CDXXI. Livius lib. VII.

M. VALERIVS L. F. L. N. POPLICOLA POTITVS. MAG. EQ. C. Sulpicio. DICT. AN. CCCXCV. COS. cum C. Sulpicio. AN. CCCXCIIX. Cassiodorus, Diodor. lib. XVI. COS. II. cum C. Sulpicio. AN. CD. Livius lib. VII. Diodor. XVI. Cassiodor.

M. VALERIVS M. F. M. N. MAXVMVS CORVINVS. COS. cum Q. Manilio. AN. CDXXCIIX.

M. VALERIVS M. F. M. N. MAXVM. CORVINVS. COS. cum M. Otacilio. AN. CDXC. Cassiodorus, Polybius primo. Bellum io Sicilia cum Pœnis prosperè gessit. Messanam urbem cepit, unde MESSALA cognominatus est. Macrobius lib. *Saturn.* I. Plinius lib. XXXV. cap. IV. & lib. VII. cap. LX. Eutropius lib. II. CENS. cum P. Sempronio. AN. CDI.

I

M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALA. COS. cum L. Apustio. AN. DXXVII. Cassiodorus.

I

M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALA. PR. PEREGR. ANN. DLX. Livius lib. XXXIV. Hinc apparet Solini error, qui hunc Sardiniam primum Propraetore obtinuisse cap. X. scribit, quod etiam temporum ratio falsum esse arguit. COS. cum C. Licinio. AN. CDLXV. Livius lib. XXXIIX.

I

M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALA. COS. cum C. Fannio. AN. DXCII. Cassiodorus, Gellius lib. XV. cap. XI. CENS. cum C. Cassio. AN. DXCIX. Valerius lib. II. cap. I. Plinius lib. XVII. cap. XXV.

* I

M. VA-

M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALA. De quo nihil tradunt auctores.

M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALA. COS. cum M. Pupio. AN. DCXCII. Cassiodorus, Plinius libro XXXVII. cap. II. Dio lib. XXXVII. Cæsar de bello Gallico primo. CENS. cum P. Servilio. AN. DCXCVII.

M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALA. COS. cum Cn. Domitio. AN. DCC. Cassiodor. Dio lib. XL.

M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALA. CORVINVS. Ab Antonio proscriptus ad Brutum confugit, inde ad Augustum à quo inter augures cooptatus est. Dio lib. XLIIX. & sequenti. Appianus lib. IV. Vellejus II. cos. cum C. Julio. AN. DCCXXII. Cassiodorus, Dio lib. L. PRÆF. VRB. ab Augusto primus constitutus. Tacitus lib. V.

M. VALERIVS M. F. M. M. MESSALA BARBATVS AIMILIANVS. cos. cum P. Sulpicio, AN. DCCXLI. Cassiodorus, Dio lib. LIV. in magist. mortuus est.

M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALINVS COTTA. COS. cum L. Cornelio. AN. DCCL. Cassiodorus, Dio lib. LV.

M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALA. COS. cum M. Aurelio. A. DCCLXXVII. Cassiodorus, Dio lib. LVII. Tacitus lib. III.

POTIT. VALERIVS M. F. M. N. MESSALA. cos. cum C. Julio. AN. DCCXXIV. Cassiodor. Dio lib. L.

L. VALERIVS POTI. F. M. N. MESSALA. VOLVS. cos. cum Cn. Cornelio. AN. DCCLVII. Cassiodorus, Dio libro LV.

VALERIÆ GENTIS FAMILIA II.

VALERII FLACCI.

L. VALERIVS M. F. L. N. FLACCVS. COS. cum T. Otacilio. AN. CDXCII. Cassiodorus, Polybius libro I.

P. VALERIVS L. F. M. N. FLACCVS. COS. cum M. Atilio. AN. DXXVI. Cassiodorus, Gellius lib. IV. cap. III. Hunc Legatum ad Annibalem Saguntum missum, Cicero *Philippica* quinta ostendit.

L. VALERIVS P. F. L. N. FLACCVS. COS. cum M. Porcio. AN. DLIIX. Cassiodorus. His Coss. Lex Oppia abrogata. Livius lib. XXXIII. CENS. cum M. Porcio. AN. DLXIX. Livius lib. XXXIX. Cicero in *Catone* & *Bruto*. Valerius libro II. & IV. cap. V.

L. VALERIVS L. F. P. N. FLACCVS. COS. cum M. Claudio. AN. DCI. Cassiodorus, Obsequens. In magistratu mortuus est.

L. VALERIVS L. F. L. N. FLACCVS. FL. MART. COS. cum P. Licinio. AN. DCXXII. Cassiodorus, Cicero *Philippica* undecima.

C. VALERIVS P. F. L. N. FLACCVS. FL. DIALIS captus à P. Licinio Pont. max. Qui cum dissolutam & luxuriosam adolescentiam egisset, ut animum cura sacrorum cepit, ita repente exuit antiquos mores, ut nemo tota juventute haberetur prior. Livius lib. XXXVII. Valer. lib. VI. cap. IX.

L. VALERIVS L. F. L. N. FLACCVS. COS. cum C. Mario. AN. DCLIII. Cassiodorus, Cicero *pro C. Rabirio* perduell. *pro Plancio*. Asconius in *Cornelianam*, ubi C. mendosè scriptum est. Meminit Plinius lib. II. cap. XXXIV. CENS. cum M. Antonio. AN. DCLVI. Valerius lib. II. cap. IV. cos. II. cum L. Cornelio. AN. DCLXVII. Cassiodorus, à C. Fimbria legato occisus est. Vellejus lib. II. Strabo libro XIII. Epitome XCII.

L. VALERIVS L. F. L. N. FLACCVS. PR. Tullio, Antonio Coss. AN. DCXC. ex Prætura, Asiam provinciam obtinuit, repetundarum postulatus, à Cicerone est defensus. Cicero *pro Flacco*, & *in Catilinam*.

L. VALERIVS L. F. L. N. FLACCVS. Centurio bello civili Pompejano à Cæsarianis interficitur. Cæsar *de bello civili* tertio, meminit Cicero *pro Flacco*.

C. VALERIVS L. F. L. N. FLACCVS. cos. cum M. Herennio. A. DCLX. Cassiodorus, Obsequens, Plinius lib. XIX. cap. III.

FAMILIA III.

VALERII FALTONES.

Q. VALERIVS. P. F. N. FALTO.
De quo nihil accepimus.

Q. VALERIVS Q. F. P. N. FALTO. COS. cum M. Atilio. AN. DXXVI. Cassiodorus, Gellius libro IV. cap. III.

P. VALERIVS Q. F. P. N. FALTO. COS. cum Ti. Sempronio. AN. DXV. Orosius libro IV. capite IX.

FAMILIA IIII.

VALERII LÆVINI.

P. VALERIVS *F. *N. LÆVINVS. COS. cum Ti. Coruncanio. AN. CDLXXIII. Cassiodorus. Parum prosperè adversus Pyrrhum pugnavit. Epitoma XIII. Plutarchus in *Pyrrho Albinum* perperam nominat.

I

P. VALERIVS P. F. *N. LÆVINVS. De quo nihil tradunt auctores. Nisi eum quis esse suspicetur, quem libro XXXI. in fine Livius *M.* appellat.

P. VALERIVS P. F. P. N. LÆVINVS. COS. cum M. Claudio. AN. DXLIII. Cassiodorus, Livius libro XXVI.

M. VALERIVS P. F. P. N. LÆVINVS. De quo nihil accepimus.

I

C. VALERIVS M. F. P. N. LÆVINVS. COS. cum C. Pœtilio. AN. DLXXVII. Cassiodorus, Livius libro XLI.

HORATIA GENS.

NOBILIS est apud veteres historicos trigeminorum pugna, clarissimaque Horatiorum de Curiatiis victoria, quæ libertatem ac imperium Romano populo, Albanis perpetuam servitutem peperit. Qui enim ante rerum præclarè gestarum magnitudine invicti existimabantur, ii virtute & industria Horatiorum victi, debilitati depressique sunt. Ab his Horatiis (ne in re notissima diutius hæream) Horatiam gentem ortam Dionysius lib. V. tradit: neque sane dubium est quin majorum gentium Patricii, Horatii sint, ut qui cum Romulo primùm in urbem migrarint. Dividitur hæc gens in Pulvillos, Barbatos, Coclites. Illorum quidem nominum ratio reddi certè nulla potest: *Coclitem* veteres appellabant, qui altero oculo careret: unde *Cyclopas* pro *coclitas* antiquos dixisse, auctor est lib. octavo *Æneid.* Servius, quomodo etiam Varro lib. *de ling. Lat.* V. scribit. Hinc illud Plauti in *Curculione*, *De Coclitum prosapia te esse arbitror: nam hi sunt unoculi.*

*HORATIVS *PVLVILLVS.

M. HORATIVS *F. *N. PVLVILLVS. COS. cum P. Valerio. AN. CCXLIV. Cassiodorus. COS. II. A. CCXLVI. Capitolium dedicavit. Livius lib. II. Dionysius lib. V. Cicero *pro domo*, Valerius lib. V. cap. X.

I

M. HORATIVS M. F. *N. PVLVILLVS. COS. cum T. Menenio. AN. CCLXXVI. Cassiodorus. His Coss. CCCVI. Fabii, qui bellum cum Vejentibus gerebant, ad unum omnes ad Cremeram cæsi sunt. Livius II. Dionysius IX. Gellius lib. XVII. cap. XXI.

*HORATIVS PVLVILLVS. Nullum gessit magistratum.

I

P. HORATIVS *F. *N. COCLES. Qui contra Porsennæ Clusiorum regis, & Tarquiniorum copias, in ponte Tiberis unus assistere ausus est, donec à tergo pons interscinderetur, dum se armatum in Tiberim præcipitavit. Cui populus Romanus virtutis causâ æream statuam in foro posuit. Dionysius lib. V. Livius II. Cicero *de Legibus* II. Virgilius IIX. Plinius lib. XXXIV. cap. V. & XXXVI. cap. XV. Valerius lib. III. cap. II. Polybius in Tiberi periisse, aliter quàm cæteri tradunt scriptores, lib. VI. scribit.

M. HORATIVS M. F. M. N. BARBATVS. COS. cum L. Valerio. AN. CCCIV. Cassiodorus. Primus injussu Senatus de Sabineis triumphavit. Livius lib. III. Dionysius libro XI.

I

L. HORATIVS M. F. M. N. BARBATVS. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCXXIIX. Livius libro IV.

C. HORATIVS M. F. M. N. PVLVILLVS. COS. cum Q. Minucio. AN. CCXCVI. Cassiodorus, Livius libro III. Dionysius XI.

L. HORATIVS L. F. M. N. PVLVILLVS. TR. MIL. AN. CCCLXIIX. Livius libro VI.

M. HORATIVS L. F. M. N. PVLVILLVS. TR. MIL. AN. CCCLXXVI. Livius libro VI.

POSTUMIA GENS.

P. POSTVMIVS Q. F. • N. TVBERTVS. COS. cum M. Valerio. AN. CCXLIIX. Cassiodorus, Dionysius lib. V. & VI. Meminit Cicero *de Legibus* II. Valerius lib. II. cap. II. Plutarchus in *Poplicola*. COS. II. cum Agrippa Menenio. AN. CCL. Primus urbem ovans est ingressus. Idem auctor, & Plinius lib. XVI. cap. XXIX.

I

A. POSTVMIVS P. F. Q. N. ALBVS. COS. cum T. Virginio. AN. CCLVII. Cassiodorus. DICT. R. G. C. cum T. Æbutio. MAG. EQ. eodem anno. Latinos ad Lacum Regillum acerrimo prælio vicit, de iis triumphum nobilissimum egit, primusque auream coronam ei qui castra Latinorum expugnasset, dedit. IN HOC HONORE REGILLENSIS APP. EST. Livius lib. II. Dionysius VI. Plinius lib. XXXIII. cap. III.

A. POSTVMIVS A. F. P. N. ALBVS REGILLENSIS. COS. cum Sp. Furio. AN. CCXXCIX. Cassiodorus, Dionysius lib. IX. Livius lib. II.

SP. POSTVMIVS A. F. P. N. ALBVS REGILLENSIS. COS. cum Q. Servilio. AN. CCXXCVII. Dionysius lib. IX. Livius libro III. XVIR. LEG. SCRIBEND. C. AN. CCCII. Dionysius libro X.

I

SP. POSTVMIVS SP. F. A. N. ALBVS REGILLENSIS. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCXXI. Livius libro IV.

A. POSTVMIVS A. F. A. N. ALBVS REGILLENSIS. CENS. cum L. Papirio. AN. CCCXXXV. TR. MIL. AN. CCCXXXIX. Propter crudelitatem ab exercitu lapidibus obrutus est. Livius libro IV.

M. POSTVMIVS A. F. A. N. ALBVS REGILLENSIS. TR. MIL. AN. CCCXXVII. Livius libro IV. CENS. cum M. Furio. AN. CCCL.

A. POSTVMIVS M. F. A. N. ALBINVS REGILLENSIS. TR. MIL. AN. CCCLVI. Livius libro V.

I

P. POSTVMIVS A. F. A. N. ALBINVS REGILLENSIS. De quo nihil accepimus.

I

L. POSTVMIVS P. F. A. N. ALBINVS REGILLENSIS. TR. MIL. AN. CCCLXV. TR. II. AN. CCCLXIII. Livius l. VI.

SP. POSTVMIVS M. F. A. N. ALBINVS REGILLENSIS. TR. MIL. AN. CCCLIX. Livius lib. V. CENS. cum C. Sulpicio. AN. CCCLXXIV. In magistratu mortuus est. Livius libro VI.

I

L. POSTVMIVS SP. F. M. N. ALBINVS REGILLENSIS. Nullum adeptus est magistratum.

I

L. POSTVMIVS L. F. SP. N. MEGELLVS. COS. cum Ti. Minucio. AN. CDXLIIX. Cassiodorus, Livius libro IX. COS. II. cum Q. Atilio. AN. CDLIX. Livius X. INTERREX. COS. III. creatus est cum C. Junio. CDLXII. Cassiodorus, Livius XXVII. Cum exercitui præesset, quòd opera militum in agro suo usus erat, publico judicio damnatus est. Epitoma XI.

I

L. POSTVMIVS L. F. L. N. MEGELLVS COS. cum Q. Mamilio. AN. CDXCI. Polybius primo, Cassiodorus. PR. CENS. AN. D. In magistratu mortuus est.

POSTVMIVS A. F. L. N. ALBINVS. COS. cum C. Lutatio. AN. DXI. Cassiodorus, Epitoma XIX. CENS. cum C. Atilio. AN. DXIX.

L. POSTVMIVS A. F. A. N. ALBINVS. COS. cum Sp. Carvilio. AN. DXIX. Cassiodorus. COS. II. cum Cn. Fulvio. AN. DXXIV. COS. DES. III. cum Ti. Sempronio. AN. DXXXIIX. Antequam iniret, in Gallia ipse cum exercitu à Bojis deletus est. Livius libro XXIII.

I

SP. POSTVMIVS L. F. A. N. ALBINVS. COS. cum Q. Marcio. AN. DLXVII. Cassiodorus, Livius libro XXXIX. Valerius libro VI. cap. III. Plin. libro XXXIII. cap. X. Meminit Cicero in *Catone*.

I

L. POSTVMIVS SP. F. L. N. ALBINVS COS. cum Q. Opimio. AN. DXCIX. Cassiodorus. In magistratu mortuus est.

A. POSTVMIVS A. F. A. N. ALBINVS. PR. AN. DLXIIX. Livius lib. XXXIX. COS. cum C. Calpurnio. AN. DLXXIII. Livius libro XL. CENS. cum Q. Fulvio. AN. DLXXIX. Vellejus lib. I. Valerius II. cap. II. Plinius lib. VII.

A. POSTVMIVS A. F. A. N. ALBINVS. COS. cum C. Licinio. AN. DCII. Cassiodorus. Meminit Cicero in *Bruto* & *Lucullo*.

A. POSTVMIVS A. F. A. N. ALBINVS. COS. cum M. Antonio. AN. DCLIV. Cassiodorus.

SP. POSTVMIVS A. F. A. N. ALBINVS PAVLLVLVS. PR. AN. DLXX. Livius lib. XXXIX. COS. cum Q. Mucio. AN. DLXXIX. Cassiodorus, Livius lib. XLI.

SP. POSTVMIVS SP. F. A. N. ALBINVS. COS. cum L. Calpurnio. AN. DCV. Cassiodorus.

SP. POSTVMIVS SP. F. SP. N. ALBINVS. COS. cum M. Minucio. AN. DCXLIII. Cassiodorus.

L. POSTVMIVS A. F. A. N. ALBINVS. PR. AN. DLXXIII. Livius lib. XL. COS. cum M. Popillio. AN. DXXC. Cassiodor. Livius XLI.

MENENIA GENS.

AGRIPPA MENENIVS C. F. *N. LANATVS. COS. cum P. Posthumio. AN. CCL. Cassiodorus. De Sabineis triumphavit. Legatus ad plebem in sacrum montem. AN. CCLX. Mortuus est Cassio, Cominio iterum coss. AN. CCLX. Ejus funus publica impensa elatum. Dionysius libro V. & VI. Livius II.

T. MENENIVS AGRIP. F. C. N. LANATVS. COS. cum C. Horatio. AN. CCLXXVI. Cassiodorus. à populo damnatus est. Dionysius. IX. Livius II.

C. MENENIVS T. F. AGRIP. N. LANATVS. COS. cum P. Sextio. AN. CCCI. Dionysius libro IX. Livius libro III.

AGRIPPA MENENIVS T. F. AGRIP. N. LANATVS. COS. cum T. Quinctio. AN. CCCXIV. Cassiodorus. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCXXXIV. TR. MIL. II. AN. CCCXXXVI. Livius lib. IV.

M. MENENIVS AGRIP. F. T. N. LANATVS. TR. MIL. AN. CCCLXVII. TR. II. AN. CCCLXXIV. TR. III. AN. CCCLXXVI. Livius lib. VI.

L. MENENIVS T. F. AGRIP. N. LANATVS. COS. cum Proculo Geganio. ANN. CCCXIII. Cassiodorus, Livius libro IV.

VIRGINIA GENS.

A. VIRGINIVS A. F. *N. TRICOSTVS COELIMONTANVS. COS. cum T. Vetusio. AN. CCLIX. Cassiodorus, Livius libro II. Dionysius lib. VI. Asconius in *Cornelianam*.

A. VIRGINIVS A. F. A. N. TRICOSTVS COELIMONTANVS. COS. cum T. Numicio. AN. CCXXCIV. Dionysius libro IX. Livius II.

SP. VIRGINIVS A. F. A. N. TRICOSTVS COELIMONTANVS. COS. cum M. Valerio. AN. CCXCVII. Cassiodorus, Dionysius libro X. Livius libro III.

T. VIRGINIVS A. F. A. N. TRICOSTVS COELIMONTANVS. COS. cum Larte Herminio. AN. CCCV. Cassiod. Dionysius l. XI. Livius l. III.

VIRGINIORUM STIRPS ALTERA.

T. VIRGINIVS T. F. *N. TRICOSTVS. COS. cum A. Postumio. AN. CCLVII. Cassiodorus, Dionysius libro V. Livius libro II.

T. VIRGINIVS T. F. T. N. TRICOSTVS RVTILVS. COS. cum K. Fabio. AN. CCCLXXIV. Cassiodorus, Dionysius lib. IX. Hic anno CCXC. in pestilentia est mortuus. Livius II.

L. VIRGINIVS T. F. T. N. TRICOSTVS RVTILVS. COS. cum M. Cornelio. AN. CCCXIIX. Cassiodorus, Livius libro IV. COS. II. cum C. Julio. AN. CCCXIX. Idem.

L. VIRGINIVS L. F. T. N. TRICOSTVS RVTILVS. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCLXV. Livius libro VI.

PROCVLVS VIRGINIVS T. F. T. N. TRICOSTVS RVTILVS. COS. cum Sp. Cassio. AN. CCLXVII. Cassiod. Livius II. Dionysius IIX.

A. VIRGINIVS T. F. T. N. TRICOSTVS RVTILVS. COS. cum Sp. Servilio. AN. CCLXXVII. Cassiodorus, Dionysius. libro IX. Livius II.

SVLPICIA GENS.

SER. SVLPICIVS P. F. *N. CAMERINVS. COS. cum M. Tullio. AN. CCLIII. Cassiodorus, Dionysius lib. v. Livius II. Cicero in *Bruto.*

I

SER. SVLPICIVS. SER. F. P. N. CAMERINVS COS. cum P. Volumnio. AN. CCXCII. Dionysius lib. x. Livius III. Plin. lib. II. cap. XXCIIX. Valerius lib. I. cap. VI. XVIR. LLM. SCRIBEND. C. AN. CCCII. Livius, Dionysius.

SER. SVLPICIVS. SER. F. SER. N. CAMERINVS. COS. cum L. Lucretio. AN. CCCLX. Cassiodorus, Livius lib. v.

I

SER. SVLPICIVS. SER. F. SER. N. CAMERINVS. COS. cum M. Fabio. AN. CDIIX. Cassiodorus, Livius libro VII.

Q. SVLPICIVS. SER. F. SER. N. CAMERINVS. CORNVTVS. TR. MIL. AN. CCCLI. Livius lib. V. TR. II. AN. CCCLV. CENS. AN. CCCLXXIV. in magist. mortuus est. Livius lib. VI.

SER. SVLPICIVS *GALBA.

P. SVLPICIVS SER. F. P. N. GALBA COS. cum Cn. Fulvio. AN. DXLII. Cassiod. Livius lib. XXV. Festus XVII. DICT. COMIT. HABEN. C. AN. DL. Livius l. XXX. COS. II. cum C. Aurel. AN. DLIII. cum Philippo Macedonum rege bellum gessit. Livius l. XXXI.

SER. SVLPICIVS. SER. F. P. N. GALBA PR. malè adversus Lusitanos pugnavit. Epitome XLIIX. Valerius lib. IX. cap. VI. cos. cum L. Aurelio. AN. DCIX. Cassiodorus, Valerius lib. VI. cap. IV. Suetonius in *Galba*. Meminit Cicero in *Bruto*, *de Oratore* III.

I

SER. SVLPICIVS. SER. F. SER. N. GALBA COS. cum M. Aurelio. AN. DCXLV. Cassiodorus, Obsequens.

I

SER. SVLPICIVS SER. F. SER. N. GALBA. PR. AN. DCXCIX. Cicero *ad Atticum* IV. Cæsaris Legatus in Gallia, cui propter Consulatus repulsam infensus conjuravit cum Cassio & Bruto, propter quod lege Pedia damnatus est. Suetonius in *Galba*.

I

SER. SVLPICIVS SER. F. SER. N. GALBA. PR. Imp. Augusto, historiam scripsit. Suetonius.

I

C. SVLPICIVS SER. F. SER. N. GALBA COS. cum D. Haterio. AN. DCCLXXIV. Cassiodorus, Suetonius, Dio lib. LVII.

C. SVLPICIVS C. F. SER. N. GALBA. Hic attritis facultatibus urbe cessit, prohibitusque à Ti. Imp. annô suo sortiri Proconsulatum, voluntaria morte obiit. Suet.

SER. SVLPICIVS C. F. SER. N. GALBA. COS. cum L. Cornelio. AN. DCCXXCV. Cassiodorus, Dio lib. LIIX. QVI POSTEA IMP. CÆSAR AVGVST. APP. EST. Occisus ab Othone est cum regnasset menses VII. Cassiodorus, Tacitus lib. XVII. Plutarchus, Suetonius, Zonaras, Xiphilinus in ejus vita.

I

SER. SVLPICIVS SER. F. C. N. GALBA CALPVRNIANVS. Adoptatus à Galba Imp. pro concione, cum esset orbatus duobus filiis, quos ex Lepida uxore susceperat. Suetonius, Tacitus, Plutarchus, Xiphilinus, Zonaras.

FVRIA GENS.

FVRII FVSI.

SEX. FVRIVS *F. *N. FVSVS COS. cum Sp. Nautio. AN. CCLXV. Cassiodor. Livius libro II. Dionys. IIX.

SP. FVRIVS SEX. F. N. *FVSVS. COS. cum K. Fabio. AN. CCLXXII. Cassiodorus, Livius II. Dionysius IX. cos. II. cum P. Pinario. AN. CCXXCI. Livius eodem. cos. III. cum A. Postumio. AN. CCXXCIX. Cassiod. Livius III. cos. IV. cum P. Curiatio. AN. CCC. Livius, Dionysius libro X.

L. FVRIVS SEX. F. *N. FVSVS. COS. cum C. Manlio. AN. CCLXXIX. Cassiodorus, Livius II. Dionysius IX. in acie contra Æquos, Furio, Postumio, Cos. occidit. Livius lib. III.

FV-

FVRII MEDVLLINI.

L. FVRIVS SP. F. SEX. N. MEDVLLINVS. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCXXI. TR. II. AN. CCCXXIIX. TR. III. AN. CCCXXXIII. Livius libro IV.

AGRIP. FVRIVS SP. F. SEX. N. FVSVS. COS. cum T. Quinctio. AN. CCCVII. Cassiod. Dionysius libro XI. Livius libro III.

I

AGRIP. FVRIVS. AGRIP. F. SP. N. FVSVS. TR. MIL. AN. CCCLXXII. Livius libro V.

L. FVRIVS L. F. SP. N. MEDVLLINVS. COS. cum A. Cornelio. AN. CCCXL. Cassiodorus. COS. II. cum Cn. Cornelio. AN. CCCXLIV. TR. MIL. AN. CCCXLVI. TR. II. AN. CCCXLIIX. TR. III. AN. CCCL. TR. IV. AN. CCCLVI. TR. V. AN. CCCLIIX. TR. VI. AN. CCCLIX. TR. VII. AN. CCCLXII. Hæc Livius libro IV. & V.

I

SP. FVRIVS L. F. N. MEDVLLINVS. TR. MIL. AN. CCCLXXVI. Livius libro VI.

SP. FVRIVS L. F. SP. N. MEDVLLINVS. TR. MIL. AN. CCCLIII. Livius libro V.

I

L. FVRIVS SP. F. L. N. MEDVLLINVS. TR. MIL. AN. CCCLXXIII. TR. II. AN. CCCXCIII. CENS. cum M. Fabio. AN. CCCXC. Livius lib. VI. Hunc L. Furii ejus qui septies Tr. mil. fuit, fratrem, qui tabulas Capitolinas restituunt, appellant, quod & annorum diligens supputatio, & prænomen, falsum esse, satis & perspicuè ostendunt.

FVRII CAMILLI.

M. FVRIVS L. F. *N. CAMILLVS. CENS. cum M. Postumio. AN. CCCL. Valerius cap. III. lib. II. TR. MIL. AN. CCCLII. TR. MIL. II. AN. CCCLV. DICT. R. G. C. AN. CCCLVII. Vejos cepit, de Vejentibus clarissimum triumphum junctis equis albis quatuor, primus egit. Livius lib. V. Plutarch. Gellius lib. XXVII. Eutropius II. Valerius lib. IV. cap. I. TR. III. AN. CCCLIX. Faliscos justitia vicit. Livius, Valerius lib. VI. cap. V. Cos. appellat: quod falsum esse doctissimus summoque vir ingenio, Cuspinianus jam pridem ostendit. A. L. Apulejo Trib. pl. in exilium ejectus est. Absens DICT. II. creatus est. AN. CCCLXIII. Gallos Senones qui urbem occuparant, Roma expulit, & ad octavum lapidem Gabina via Idibus Febr. occidione occidit: deque iis iterum triumph. Cassiodorus, Livius V. Valerius lib. IV. DICT. III. AN. CCCLXVI. De Volscis, Æquis, Etruscis III. triumph. TR. IV. AN. CCCLXIIX. TR. V. AN. CCCLXX. TR. VI. AN. CCCLXXIII. Prænestinos, Volscos, Tusculanos vicit. DICT. IV. AN. CCCLXXXV. OB EDICT. IN MILIT. EX SC. AB. DICT. V. AN. CCCXXCVI. In agro Albano Gallos vicit: de iis IIII. triumph. Mortuus pestilentia anno natus XXC. Genucio, Servilio coss. Livius lib. VI. & VII. Plutarch. in vita, Plinius lib. XXXIV. cap. I.

SP. FVRIVS M. F. *N. CAMILLVS. PRIMVS PRÆTOR. AN. CCCXXCVII. Livius lib. VII.

I

L. FVRIVS SP. F. M. N. CAMILLVS. COS. cum C. Mænio. AN. CDXV. Cassiodorus. COS. II. cum D. Junio. AN. CDXXIIX. Livius lib. IIX.

L. FVRIVS M. F. *N. CAMILLVS DICT. R. G. C. AN. CDIII. COS. cum Ap. Claudio. AN. CDIV. Cassiodorus, Cicero in *Catone*. Ubi tamen *Asmelio* pro *Camillo* vulgo mendose scriptum est. DICT. II. AN. CDIIX. Livius lib. VII.

FVRII PACILI.

C. FVRIVS *PACILVS. COS. cum M. Papisio. AN. CCCXII. Cassiodorus. CENS. cum M. Geganio. AN. CCCXIIX. TR. MIL. AN. CCCXXVII. Livius lib. IV.

I

C. FVRIVS C. F. *N. PACILVS. COS. cum Q. Fabio. AN. CCCXLI. Cassiodorus, Livius lib. IV.

I

C. FVRIVS C. F. C. N. PACILVS COS. cum L. Cæcilio. AN. DII. Cassiodorus, Polyb. I.

LVCRETIA GENS.

SP. LVCRETIVS *TRICIPITINVS. COS. cum P. Valerio. AN. CCXLIV. Cassiodorus. in magist. mortuus est. Livius II. Dionysius V.

T. LVCRETIVS T. F. *N. TRICIPITINVS COS. cum P. Valerio. AN. CCXLV. COS. II. AN. CCXLIX. Livius lib. II. Cassiodorus.

T. LVCRETIVS T. F. T. N. TRICIPITINVS cos. cum T. Veturio. AN. CCXCI. De Æquis triumphavit. Livius II.

L. LVCRETIVS *FLAVUS. COS. cum Ser. Sulpicio. AN. CCCLX. Cassiodorus, Livius lib. v.

Q. LVCRETIVS *VISPILLO. ÆDIL. CVR. AN. DCXX. TI. Gracchi corpus in Tiberim projecit; unde Vispillonis nomen invenit. Auctor de viris illustribus.

Q. LVCRETIVS Q. F. *N. VISPILLO. Hunc Cicero in privatis caussis & acutum, & Jurisperitum in *Bruto* appellat.

Q. LVCRETIVS Q. F. Q. N. VISPILLO. COS. cum C. Sentio. AN. DCCXXXIV. Cassiodorus, Appianus lib. IV. Dio lib. LIV.

L. LVCRETIVS T. F. T. N. TRICIPITINVS. nullum gessit magistratum.

HOSTVS LVCRETIVS L. F. T. N. TRICIPITIN. cos. cum L. Sergio. AN. CCCXXIV. Cassiodorus, Livius lib. IV. Valerius lib. X.

P. LVCRETIVS HOSTI F. L. N. TRICIPITINVS TR. MIL. AN. CCCXXXIV. TR. II. AN. CCCXXXVI. Livius libro quarto.

L. LVCRETIVS P. F. HOSTI N. TRICIPITINVS. TR. MIL. AN. CCCLXII. Livius lib. V. TR. II. AN. CCCLXVII. TR. III. AN. CCCLXXI. TR. IV. AN. CCCLXXIII. Livius lib. VI.

QVINCTIORUM FAMILIA I.

QVINCTII CAPITOLINI.

T. QVINCTIVS *CAPITOLINVS. BARBATVS. COS. cum Ap. Claudio. AN. CCXCII. Cassiodo. Livius lib. II. Dionysius IX. cos. II. cum Q. Servilio. AN. CCXCV. de Antiatibus triumphavit. cos. III. cum Q. Fabio. AN. CCXCVII. Livius lib. III. cos. IV. cum Agrip. Furio. AN. CCCVII. Livius lib. III. Dionysius XI. cos. V. cum M. Gegania. AN. CCCX. cos. VI. cum Agrip. Menenio. AN. CCCXIV. Cassiodorus, Livius lib. IV.

T. QVINCTIUS T. F. *N. CAPITOLINUS BARBATUS. COS. cum N. Fabio. AN. CCCXXXI. Cassiodorus, Livius lib. IV.

T. QVINCTIUS T. F. T. N. CAPITOLINUS BARBATUS. TR. MIL. AN. CCCXLIIX. Livius lib. IV.

T. QVINCTIUS T. F. T. N. CAPITOLINUS. TR. MIL. AN. CCCLXIX. MAG. EQ. A. Cornelio Dict. AN. eodem. Livius lib. VI.

Q. QVINCTIUS T. F. T. N. CAPITOLINUS. TR. MIL. AN. CCCXCIV. Livius lib. VI.

L. QVINCTIUS T. F. T. N. CAPITOLINUS. TR. MIL. AN. CCCLXIX. Livius lib. VI.

L. QVINCTIUS L. F. T. N. CAPITOLINVS. TR. MIL. AN. CCCXCV. Livius lib. VI.

QVINCTIORUM FAMILIA II.

QVINCTII FLAMINII.

T. QVINCTIUS L. F. *N. FLAMINIUS, De quo nihil tradunt auctores.

T. QVINCTIUS T. F. L. N. FLAMINIVS. Q. cos. cum Sex. Ælio. AN. DLV. Livius l. XXXII. Procos. Philippum Macedoniæ regem ad Cynoscephalas in Thessalia vicit. Bellum adversus Lacedæmonios & Nabidem gessit, quibus debellatis, Græciam universam libertate donavit. Livius lib. XXXIV. Plut. in vita. CENS. cum M. Claud. AN. DLXIV. Livius XXXVII. Plut. Cicero in *Catone.* meminit *Accusationis* lib. IIII.

L. QVINCTIUS T. F. L. N. FLAMINIUS. PR. AN. DLIV. Livius lib. XXXI. cos. cum Cn. Domitio. AN. DLXI. Livius lib. XXXV. à Catone Censore, quod cum cos. in Gallia esset, exoratus in convivio à scorto, securi aliquem eorum qui in vinculis essent, damnati rei capitalis, ferire jussisset, Senatu motus est. Livius lib. XXXIX. Plutarch. in *Flaminio.* Cicero in *Catone.* Plinius lib. VII. cap. XXVII. Valerius lib. II. cap. IV. & lib. IV. cap. V.

L. QVINCTIUS L. F. T. N. FLAMINIUS. COS. cum M. Acilio. AN. DCIII. Cassiodorus, Cicero in *Catone.*

T. QVINCTIVS L. F. L. N. FLAMINIUS. COS. cum Q. Cæcilio. AN. DCXXX. Cassiodorus, Eutropius lib. IV. Cicero *pro Domo.*

QVINCTIORUM FAMILIA III.

QVINCTII CINCINNATI.

L. QVINCTIUS L. F. L. N. CINCINNATUS. COS. cum C. Claudio. AN. CCXCIII. Cassiodorus, Livius lib. III. Dionysius X. DICT. R. G. C. AN. CCXCV. L. Minucium Cos. obsidione liberavit. Æquos in deditionem accepit, & sub jugum misit: deque iis triumphavit. Livius, Dionysius eodem. Huic in agro aranti nuntiatum est cum Dictatorem esse factum: cujus jussu Sp. Melium regnum appetentem C. Servilius Ahala interemit. Cicero in *Catone*. quod in secunda Dictatura factum, reliqui fere omnes historici tradunt. DICT. II. SEDIT. SEDAND. C. AN. CCCXIV. Sp. Melium regnum affectantem jure caesum videri pronuntiavit. Livius lib. IV. Cicero *de Finibus* II. *Pro Domo*, Plinius lib. XIIX. cap. III. Valerius lib. IV. cap. IV.

L. QVINCTIVS L. F. L. N. CINCINNATVS. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCXV. MAG. EQ. Mam. Aimilio Dict. AN. CCCXVI. TR. MIL. II. AN. CCCXXIIX. Livius lib. IV.

K. QVINCTIVS L. F. L. N. CINCINNATVS. Fortissimo animo juvenis, cum Trib. pl. foro dejecisset, accusatus ad populum, ante diem judicii in exilium abiit. Livius III. Dionysius X. Cicero *pro Domo*, Valerius lib. IV.

T. QVINCTIVS L. F. L. N. CINCINNATVS. COS. cum C. Julio. AN. CCCXXII. Cassiodorus. COS. II. cum A. Cornelio. AN. CCCXXV. TR. MIL. AN. CCCXXVII. TR. II. AN. CCCXXXIII. Livius libro IV.

I

L. QVINCTIVS T. F. L. N. CINCINNATVS. TR. MIL. AN. CCCLXIIX. Livius lib. VI. TR. II. AN. CCCLXXIV. Livius eod.

T. QVINCTIUS L. F. L. N. CINCINNATVS. TR. MIL. AN. CCCXXXIIX. Livius lib. IV.

Q. QVINCTIUS L. F. L. N. CINCINNATVS. TR. MIL. AN. CCCXLIIX. Livius lib. IV.

T. QVINCTIUS T. F. L. N. CINCINNATUS. TR. MIL. AN. CCCLXVII. TR. II. AN. CCCLXX. DICT. R. G. C. AN. CCCLXXIV. Prænestinos vicit, & de iis triumphavit. Livius lib. VI.

I

T. QVINCTIUS T. F. T. N. CINCINNATUS. MAG. EQ. M. Furio Camillo. AN. CCCXCVI. Livius lib. VI. COS. cum C. Sulpicio. AN. CDII. Cassiodorus, Livius lib. VII.

C. QVINCTIVS T. F. L. N. CINCINNATVS. TR. MIL. AN. CCCLXXVII. Livius lib. VI.

PAPISIA GENS.

PAPISII MUGILANI.

L. PAPISIUS *F. *N. MUGILANUS. COS. cum L. Sempronio. AN. CCCIX. Cassiodorus, Dionysius lib. XI. Livius lib. IV. CENS. cum L. Sempronio. AN. CCCX. COS. II. cum Q. Servilio. AN. CCCXXVI. Cassiodorus, Livius lib. IV. Cicero lib. Epist. IX. ad Papirium Pætum.

L. PAPISIUS L. F. *N. MVGILANVS. TR. MIL. AN. CCCXXXI. Livius lib. IV.

M. PAPISIUS L. F. *N. MUGILANUS. TR. MIL. AN. CCCXXXV. Livius lib. IV. TR. MIL. II. AN. CCCXXXVII. COS. cum C. Nautio. AN. CCCXLII. Livius lib. IV. Cassiodorus.

PAPISII, seu PAPIRII CRASSI.

M. PAPISIUS *CRASSUS. COS. cum C. Furio. AN. CCCXII. Cassiodorus, Livius libro IV.

I

L. PAPISIUS M. F. *N. CRASSUS. COS. cum M. Cornelio. AN. CCCXVII. Cassiodorus. COS. II. cum L. Julio. AN. CCCXXII. CENS. cum P. Postumio. AN. CCCXXXV. Livius lib. IV.

L. PAPIRIUS L. F. M. N. CRASSUS. DICT. R. G. C. AN. CDXIII. Livius lib. IIX. Hic primus Papisius est vocari desitus. Cicero Epist. lib. IX. COS. cum K. Duilio. AN. CDXVII. Cassiod. COS. II. cum L. Plautio. AN. CDXXIII. MAG. EQ. L. Papirio Dict. AN. CDXXIX. CENS. cum C. Mainio. AN. CDXXXV. Hæc Livius lib. IIX. & IX.

I

L. PAPIRIUS L. F. L. N. CRASSUS. MAG. EQ. T. Manlio Dict. AN. CDXXXIII. Livius lib. IX.

M. PAPIRIVS L. F. M. N. CRASSVS. DICT. R. G. C. AN. CDXXI. Livius l. IIX.

PA-

PAPISII, seu PAPIRII CURSORES.

L. PAPISIUS *CURSOR. CENS. cum C. Julio. AN. CCCLXI. Livius lib.V. TR. M. AN. CCCLXVII. TR. II. AN. CCCLXIX. Livius lib. VI.

I

SP. PAPIRIUS L. F. *N. CURSOR. Nullum magistratum est adeptus.

S. PAPIRIUS SP. F. L. N. CURSOR. MAG. EQ. L. Papirio Dict. AN. CDXIII. Liv. lib. IIX.

L. PAPIRIUS SP. F. L. N. CURSOR. COS. cum C. Pœtilio. AN. CDXXVII. DICT. AN. CDXXIX. Fusis & fugatis Samnitibus triumphavit. Livius lib. IIX. COS. II. cum Q. Publilio. AN. CDXXXIII. Cassiodorus. COS. III. cum Q. Aulio. AN. CDXXXIV. Samnites sub jugum misit, deque iis II. triumphavit. COS. IV. cum Q. Publilio. AN. CDXXXIIX. Cassiodorus. COS. V. cum C. Junio. AN. CDXL. DICT. II. R. G. C. AN. CDXLIV. de Samnitibus III. triumphavit. Livius lib. IX.

SP. PAPIRIUS L. F. SP. N. CURSOR. De quo nihil.

I

SP. PAPIRIUS SP. F. L. N. CURSOR. A patruo Cos. bello Samnitum armilla & corona virtutis caussa donatus. Liv. l. X.

L. PAPIRIUS L. F. SP. N. CURSOR. MAG. EQ. L. Cornelio Dict. AN. CDXXXIII. Livius lib. IX. COS. cum Sp. Carvilio. AN. CDLX. De Samnitibus triumphavit. Livius lib. X. Ædem Quirini dedicavit: in eadem Solarium horologium statuit. Plinius lib. VII. CENS. cum M. Curio. AN. CDXLIV. COS. II. cum Sp. Carvilio. AN CDXXCI. Cassiodorus. De Samnitibus & Tarentinis iterum triumphavit. Livius lib. XXIV.

CLAVDIA GENS.

PRIMA hæc Claudiorum gens est, ex Regillo Sabinorum oppido oriunda. Originem genti Actius Clausus dedit, homo domi suæ nobilis & clarus, qui Regillo à seditiosis hominibus pulsus, Romam magna clientum manu profectus est: reliquis civitas data, ipse Actius Clausus, qui postea *Appius Claudius* est dictus, in Senatum ac patriciorum ordinem cooptatus, ac mox Consul creatus, facilè principem in republica locum tenuit, clarissimumque nomen posteris tradidit. Nam & amplissimos honores, complures magistratus, triumphos nobilissimos assecuti, ac optimatium & patriciorum dignitatis contra vim & potentiam imperitæ multitudinis assertores unici semper fuerunt, excepto dumtaxat P. Claudio, qui ob expellendum urbe Ciceronem, homini plebejo in adoptionem se dedit. Amplissimam verò hanc fuisse gentem, vel hinc intelligere licet, quod ab Appio usque Clauso nullus in hanc familiam transierit. Scribit enim Tacitus lib. XII. *Annotabant periti nullam adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eousque ab Appio Clauso continuos duravisse.* Et Suetonius in *Claudio*: *Adsciturus in familiæ nomen Neronem, quasi reprehenderetur quod adulto jam filio privignum adoptaret, identidem divulgavit, neminem unquam per adoptionem familiæ Claudiæ insertum.* Familiæ autem Claudiæ gentis tres fuere. Prima eorum est qui *Regillenses* dicti sunt, à Regillo Sabinorum, ut diximus, oppido, vetere Claudiorum patria. Secunda, eorum qui *Pulchri* à P. Claudio Cæci filio cognominantur. Tertia Neronum est: *Neronem* autem Sabini fortem & strenuum appellasse testis est in *Tiberio* Suetonius: primusque hoc cognomen usurpavit Titus Claudius, quartus Appii Cæci filius. Satis verò constat Claudios minorum gentium esse patricios, ut qui post exactos demum reges, Valerio quartùm, Lucretio iterum Coss. inter patricios SC. cooptati sint, auctoribus Livio libro II. Dionysio V.

ACTIUS CLAUSUS, QVI POSTEA AP. CLAUDIUS. REGILLENSIS. SABINVS. APP. F. COS. cum P. Servilio. AN. CCLIIX. Cassiodorus, Livius lib. II. IV. & X. Dionysius lib. V. & VI. Suetonius in *Tiberio*. Tacit. lib. XI. Plinius lib. XXXV. cap. III. Virgil. lib. VII. Hunc tabularum Capitolinarum scriptores M. appellant: quos secuti non sumus.

AP. CLAUDIUS AP. F. AP. N. REGILLENSIS SABINUS. COS. cum T. Quinctio. AN. CCXXCII. Cassiodorus, Dionysius lib. IX. Livius lib. II. Accusatus à Trib. pl. ad pop. Aimilio Valerio coss. mortem sibi ipsi ante judicii diem conscivit. Dionysius lib. IX.

I

AP. CLAUDIUS AP. F. AP. N. CRASSINUS REGILLENSIS. COS. des. abd. XVIR. LL. M. SCRIBEND. C. AN. CCCII. & CCCIII. cum in tertium quoque annum cum collegis invito Senatu & pop. magistratum retineret, & Virginiæ plebejæ virgini vim inferre conaretur, in carcerem conjectus jussu Trib. pl. mortuus est. Dionysius lib. X. & XI. Livius lib. III. Cicero *de Finibus* II. Valerius lib. VI. cap. I.

I

AP. CLAUDIUS AP. F. AP. N. CRASSUS REGILLENSIS. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCXXXIX. Livius lib. IV.

C. CLAUDIUS. AP. F. AP. N. REGILLENSIS SABINUS COS. cum P. Valerio. AN. CCXCIII. Cassiodor. Liv. lib. II. Dionysius lib. X. & XI.

AP. CLAUDIUS AP. F. AP. N. CRASSUS REGILLENSIS. TR. MIL. AN. CCCL. Livius lib. V. DICT. R. G. C. AN. CCCXCI.

I

C. CLAUDIUS AP. F. AP. N. CRASSINUS DICT. COMIT. HABEND. C. AN. CDV. DICT. II. R. G. C. AN. CDXVI. Vitio creatus abd. Livius lib. IIX.

P. CLAUDIUS AP. F. AP. N. CRASSUS SABINVS. Nullum magistratum gessit.

I

P. CLAUDIUS P. F. AP. N. CRASSUS SABINVS REGILLENSIS, COS. cum L. Furio. AN. CDIV. Cassiodorus. In mag. mortuus est. Livius lib. VII. Gellius lib. IX. cap. XI. Cicero in *Catone*.

C. CLAUDIUS C. F. AP. N. CRASSIN. REGILLENSIS. De quo nihil tradunt veteres.

I

C. CLAUDIUS C. F. C. N. CANINA. COS. cum M. Aimilio. AN. CDLXIIX. Cassiodorus. COS. II. cum C. Fabio. AN. CDXXC. Cassiodorus, Vellejus primo CENS. cum Ti. Coruncanio. AN. CDXXCIV.

AP. CLAUDIUS C. F. AP. N. CÆCVS CENS. cum L. Plautio. AN. CDXLI. Aquam induxit, viam munivit, quæ Appia dicta est. Livius lib. IX. Cicero in *Catone*, Frontinus. COS. cum L. Volumnio. AN. CDXLVI. Cassiod. Livius eod. Diodorus XX. COS. II. cum L. Volumnio. AN. CDLVII. Cassiod. Res in Samnio prosperè gessit. Livius lib. X. DICT. R. G. C. AN. CDLXV. Hic cum cæcus esset, sententiam de pace cum Pyrrho & fœdere non faciendo in Senatu dixit. Cicero in *Catone*, in *Bruto*, *Tusculana* V. Plut. in *Pyrrho*. Ulpianus lib. VI. ad edictum. Pom. tit. *de Origine juris*, lib. II.

AP. CLAUDIUS C. F. AP. N. CAUDEX. COS. cum M. Fulvio. AN. CDXXCIX. Cassiod. Primus Carthaginensibus bellum intulit. Livius lib. XXXI. Gellius lib. XXVII. cap. ult. Permirum sane videtur, duos fratres eodem usos esse prænomine: hoc tamen idem & in Fabiis, Marcellis, Cæciliis, Porciis animadvertere licet. quod certe vel auctorum factum opinor negligentia, qui prænomina confundunt sæpe & perturbant: vel etiam quòd uterini non germani fratres sint. Idem de adoptivis judicandũ. quam conjecturam nostram, & duo Porcii, Censorini, FF. & Aimilianus & Servilianus, Fabii confirmant.

I

AP. CLAUDIUS C. F. AP. N. CÆCUS, &c.

AP. CLAVDIVS AP. F. C. N. CRASSINVS REGILLENSIS. COS. cum P. Sempronio. AN. CDXXCV. Cassiodorus, Vellejus libro primo.

P. CLAUDIUS AP. F. C. N. PULCHER. COS. cum L. Junio. AN. DIV. Cassiod. Rem male adversus Pœnos gessit, publico judicio damnatus est. Polybius lib. I. Cicero *de Divinat.* & *Natura deorum* secundo. Valerius lib. I. cap. IV. Sueton. in *Tiberio*. Plin. l. VII. Cæci N. perperam appellat.

I

AP. CLAUDIUS P. F. AP. N. PULCHER. COS. cum Q. Fulvio. AN. DXLI. Cassiod. Livius lib. XXV. His coss. sodalitates, sacris Idæis Magnæ matris acceptis, constitutas apud Ciceronem Cato testatur: qua tamen in re (quod bona tanti viri venia dixerim) non satis attendisse videtur Cicero. AN. demum DXLIX. Non quidem Quæstore, sed Prætore Catone, Matrem deûm Romam deportatam. Livius lib. XXIX.

C. CLAUDIUS AP. F. C. N. CENTHO. COS. cum M. Sempronio AN. DXIII. Cassiod. His coss. Livius primus Fabulam docuit. Cicero in *Bruto*, *Tusculana* I. In *Catone*, ubi *Cethego* pro *Conthone* vulgo mendosè legitur. Idem tradit Livius lib. XXIX. Gellius lib. XVII. CENS. cum M. Junio. AN. DXXIIX. DICT. COMIT. HABEND. C. AN. DXL. Livius lib. XXV.

TI. CLAUDIVS AP. F. C. N. NERO. A quo Tiberium Cæsarem originem paterni generis trahere auctor est in *Nerone* Sueton. Quatuor filios Appii Cæci commemorat quoque Cato apud Cicero. *de Senect.*

AP. CLAUDIUS AP. F. P. N. PVLCHER. PR. AN. DLXVI. Livius lib. XXXVIII. COS. cum M. Sempronio. AN. DLXIIX. Cassiod. Livius lib. XXXIX.

I

AP. CLAUDIUS AP. F. AP. N. PVLCHER. COS. cum Q. Cæcilio. AN. DCX. Cassiod. De Salassis injussu populi privato sumptu triumph. Hunc triumphantem Claudia soror, Vestalis virgo, ascenso simul curru, usq; in Capitolium prosecuta est, ne intercedere aut vetare fas cuiquam Tribunorum esset. Epitoma LIII. Valer. l. VI. Sueton. in *Tiberio*, Cicero *pro Cælio*, Macrob. l. IV. CENS. cum P. Cornelio. AN. DCXV.

I

C. CLAUDIUS AP. F. AP. N. PULCHER ÆDIL. CVR. AN. DCLIV. Cicero de *Offic.* II. accusationis quarto. Plin. l. IIX. c. VII. & l. XXXV. c. IV. PR. AN. DCLIIX. Siciliam provinciam sortitus est. Cicero accusat. II. COS. cum M. Perpenna. AN. DCLXI. Cassiod. Cic. *de Divin.* I.

P. CLAVDIVS AP. F. P. N. PVLCHER. PR. AN. DLXV. Livius libro XXXIIX COS. cum L. Porcio. AN. DLXIX. Cassiodorus, Livius libro XXXIX.

C. CLAVDIVS AP. F. P. N. PVLCHER. PR. AN. DLXXIII. Livius lib. XL. COS. cum Ti. Sempronio. AN. DLXXVI. Castsiodorus. Rebus in Istria & Liguribus prosperè gestis triumphavit. Livius lib. XLI. CENS. cum Ti. Sempronio. AN. DXXCIV. Livius lib. XLIV.

I

C. CLAUDIUS C. F. AP. N. PVLCHER. COS. cum M. Perpenna. AN. DCXXIII. Cassiodorus, Obsequens.

I

AP. CLAUDIUS C. F. C. N. PVLCHER. COS. cum P. Servilio. AN. DCLXXIV. Cassiodorus, Cicero *pro Plancio*. Ad *Atticum* primo, Eutropius lib. XVI.

P. CLAVDIVS TI. F. AP. N. NERO. De quo nihil.

I

TI. CLAVDIVS P. F. TI. N. COS. cum M. Servilio. AN. DLS. Cassiodorus, Livius libro XXX.

C. CLAVDIVS TI. F. AP. N. NERO. PR. AN. DXII. Livi. lib. XXV. COS. cum M. Liv. AN. DXLVI. De Pœnis, Asdrubale, Annibalis fratre, interfecto, triumphavit. Livius lib. XXVII. Valerius lib. IV. cap. I. CENS. eodem collega. AN. DXLIX. Livius li. XXIX. Valerius lib. II. cap. IV.

I

AP.

* I

AP. CLAVDIVS. C. F. AP. N. PVLCHER. COS. cum C. Norbano. AN. DCCXV. Cassiodorus, Dio lib. XLIIX. Hunc Cuspinianus diligentissimus antiquitatum investigator eum existimat qui Proconsule Ciliciam administravit: in quo vir doctissimus memoriæ vitio labitur. Ille enim Ap. Claudius est Ap. F. Clodii Fr. germanus, qui cos. fuit cum L. Domitio, ad quem extant Epist. Ciceronis lib. III. fam. Hic autem C. F. à Dione appellatur. Et quidem temporum ratio hoc satis dilucidè ostendit: Cicerone jam tum occiso. Hujus autem Claudii adolescentis meminit Cicero libro Epist. XI. ad D. Brutum.

FVIT SINE MAGISTRATV NERONVM FAMILIA. ANN. AMPLIVS. CC.

TI. CLAVDIVS. AP. F. TI. N. NERO. PONTIFEX. PR. AN. DCCXII. Vellejus lib. II. Suetonius in *Tiberio*.

NERO CLAVDIVS. TI. F. AP. N. DRVSVS. GERMANICVS. cos. cum T. Quinctio. AN. DCXLIV. Dio lib. LV. Suetonius in *Octaviano*. Vellejus II. Epitoma ultima.

I

TI. CLAUDIUS. DRVSI. F. TI. N. QVI. POSTEA CAESAR. AVG. APP. E.

TI. CLAVDIVS. TI. F. AP. N. NERO. QVI POSTEA. CAESAR. AVG. APP. E. De quo suo loco.

AP. CLAVDIVS. AP. F. C.N. PVLCHER. PR. AN. DCXC. Cicero *pro domo*, *in Pisonem*. cos. cum L. Domitio. AN. DCXCIX. Dio lib. XXXIX. Cicero ad Atticum III. lib. III. famil. CENS. cum L. Pisone. AN. DCCIII. Dio lib. XL. Cælius l. IIX. Epist. ad Ciceronem. Cicero *de Divinatione* I. Asconius in *Pisonianam*.

P. CLAVDIVS. AP. F. C. N. PVLCHER. AM. Fontejo plebeio homine adoptatus. TR. PL. annitente Cæsare factus est. Ciceronem urbe expulit, leges perniciosas tulit. AEDIL. fuit. AN. DCXCVII. Dio lib. XXXIX. A Milone de vi postulatus, quum Pr. peteret ab eod. occisus est. Epitoma CIII. & CVII. Cicero ad Atticum I. *pro Sextio*, *pro domo*, *de Arusp. responsis*, *de provinc. consularibus*, *in Pisonem*, *pro Milone*, *de Legibus* III. Dio libro XXXV. & XXXIIX. Cæsar libro VII. Appianus libro II. Asconius in *Milonianam*. Plutarchus in *Cicerone*. Valerius libro IX. capite I.

I

P. CLAUDIUS. P. F. AP. N. PVLCHER. Meminit Cicero libro ad Atticum XIV. & *Philippica* secunda. Valerius cap. V. libri tertii, ita dissolutum & luxuriosum fuisse scribit, ut abdomine avidè devorato fœdæ ac sordidæ intemperantiæ spiritum reddiderit.

SERVILIA GENS.

TULLUM Hostilium, diruta & eversa Alba, cum multas alias gentes, tum etiam Serviliam Romam transtulisse, & in Senatum ac Patriciorum ordinem legisse, Livius lib. I. & in II. *Antiquitatum* Dionysius, scribunt. Floruit hæc gens Romæ, ut quæ maximè. Familias habuit quatuor præcipuas. Nam & Prisci Servilii numerantur ab auctoribus, qui Axillas & Ahalas complectuntur: & Cæpiones, & Vatiæ quoque, & Gemini. Legitur inscriptio in antiquitatibus Veronensibus perantiqua, ut mihi quidem videtur, quæ haud scio an huc referri debeat. Est autem hæc:

C. SERVILIO. CAEPIONI. CONCEN. ET.
TRIVMPHALI. PATRIAE. LIBER. DE-
CVR. VERONEN. OB. IVD. RESTI-
TVTA. M. S.

P. SERVILIVS. *N. PRISCVS.

P. SERVILIVS. P. F. *N. PRISCVS. COS. cum M. Claudio. AN. CCLIIX. Cassiodorus. De Volscis invito Senatu triumphavit. Liv. II. Dionysius V.

I

SP. SERVILIVS. P. F. P. N. PRISCVS. COS. cum A. Virginio. AN. CCLXXVII. Cassiodorus, Dionysius lib. IX. Livius lib. II.

I

P. SERVILIVS. SP. F. P. N. PRISCVS. COS. cum L. Ebutio. AN. CCXC. in magist. mortuus est. Cassiodo. Dionys. lib. IX. Livius lib. III.

* I

Q. SERVILIVS. P. F. *N. PRISCVS. MAG. EQ. M. Valerio Dict. AN. CCLIX. Livius lib. II.

I

Q. SERVILIVS. Q. F. P. N. PRISCVS. cos. cum T. Quinctio. AN. CCXCV. Cassiodorus, Dionysius lib. IX. Livius lib. II. cos. II. cum Sp. Postumio. AN. CCXCVII. Livius lib. III.

I

Q. SERVILIVS. Q. F. Q. N. PRISCVS. De quo nihil tradunt auctores.

* * I

* I

Q. SERVILIVS. P. F. SP. N. PRISCVS. DICT. R. G. C. AN. CCCXIIX. Fidenas cepit. IN. HOC. HONORE. FIDENAS. E. APP. Livius lib. IV. DICT. II. AN. CCCXXXV. Livius lib. IV.

** I

C. SERVILIVS. Q. F. Q. N. PRISCVS. AHALA. MAG. EQ. L. Quinctio DICT. II. AN. CCCXIIII. Sp. Melium regnum affectantem interfecit. Livius lib. IV. Cicero in *Catone*, *pro Domo*, Valerius lib. V. cap. III.

Q. SERVILIVS. Q. F. P. N. PRISCVS. FIDENAS. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCLI. Livius lib. V. TR. II. AN. CCCLV. TR. III. AN. CCCLIIX. TR. IV. AN. CCCLXIII. TR. V. AN. CCCLXVII. TR. VI. AN. CCCLXIIX. Livius hæc in VI.

I

Q. SERVILIVS. Q. F. Q. N. PRISCVS. FIDENAS. TR. MIL. AN. CCCLXXII. TR. II. AN. CCCLXXVI. TR. III. AN. CCCXXCIV. Livius l. VI.

I

Q. SERVILIVS. Q. F. Q. N. AHALA. COS. cum L. Genucio. AN. CCCXXCIIX. Cassiodorus. COS. II. AN. CCCXCI. DICT. AN. CCCXCIII. MAG. EQ. AN. CDII. Livius lib. VII.

I

Q. SERVILIVS. Q. F. Q. N. AHALA. COS. cum C. Marcio. AN. CDXI. Cassiodorus, Livius lib. VII.

L. SERVILIVS. Q. F. P. N. PRISCVS. TR. MIL. AN. CCCXXXVI. Livius libro IV.

C. SERVILIVS. Q. F. P. N. AXILLA. COS. cum L. Papirio. AN. CCCXXVI. Livius lib. IV. TR. AN. CCCXXXIV. TR. II. AN. CCCXXXV. A. Q. Servilio patre MAG. EQ. dictus. Livius lib. IV.

I

C. SERVILIVS. C. F. Q. N. AHALA. TR. MIL. AN. CCCXLV. MAG. EQ. P. Cornelio Dict. AN. CCCXLV. TR. II. AN. CCCXLVI. Livius lib. IV. TR. III. AN. CCCLI. Livius lib. V.

I

C. SERVILIVS. C. F. C. N. AHALA. MAG. EQ. M. Camillo Dict. III. AN. CCCLXIVII. Livius lib. VI.

I

SP. SERVILIVS. C. F. C. N. STRVCTVS. TR. MIL. AN. CCCXXCV. Livius lib. VI.

SERVILII CAEPIONES.

CN. SERVILIVS. CN. F. CN. N. CAEPIO. COS. cum C. Sempronio. AN. D. Cassiodorus, Polybius lib. I.

I

CN. SERVILIVS. CN. F. CN. N. CAEPIO. PR. AN. DXLIIX. Livius lib. XXXIIX. COS. cum C. Servilio. AN. DL. Livius lib. XXIX.

I

CN. SERVILIVS. CN. F. CN. N. CAEPIO. COS. cum Q. Marcio. AN. DXXCIV. Cassiodorus, Livius lib. XLIII.

CN. SERVILIVS. CN. F. CN. N. CAEPIO. COS. cum Q. Pompejo. AN. DCXII. Cassiodorus, Appianus in *Hispaniensibus*, Vellejus lib. II. Cicero *pro Fontejo*, *De Finibus* II. ubi *Scipione* pro *Capione* perperam scriptum ex libro ad Atticum XII. satis apparet. Valerius lib. IIX. c. V. CENS. cum L. Cassio. AN. DCXXIIX. Frontinus.

Q. SERVILIVS. CN. F. CN. N. CAEPIO. COS. cum Lælio. AN. DCXIII. Cassiodorus, Obsequens. CENS. cum Q. Cæcilio. AN. DCXXXIII.

I

Q. SERVILIVS. Q. F. CN. N. CAEPIO. COS. cum C. Atilio. AN. DCXLVII. Cassiodorus, Gellius lib. III. Strabo IV. A pop. damnatus, imperium ei abrogatum, bonaque publicata sunt. Cicero *de Orat.* II. in *Bruto*, Valerius lib. IV. & VI.

I

Q. SERVILIVS. Q. F. Q. N. CAEPIO. Nullum magistratum est adeptus.

I

Q. SERVILIVS. Q. F. Q. N. CAEPIO. BRVTVS. Cicero *Philipp.* X. Dio lib. XLI. Bello civili Pompejanas partes secutus, his profligatis à Cæsare in gratiam receptus. PR. AN. DCCIX. Cæsarem cum conjurationis sociis occidit. Dio lib. XLIV. Epit. CXVI. Macedoniam provinciam sc. obtinuit. universam Græciam sibi adjunxit. Lycios prælio vicit, Xanthum oppugnatione cepit. Patarenses & Myrios in deditionem accepit. DES. COS. AN. DCCIX. lege Pedia damnatus non iniit. Philippis cum Antonio feliciter primo die pugnavit, postridie victus, amisso & profligato exercitu, in fuga Stratoni comiti latus feriendum præbuit. Dio lib. XLI. Livius VI. & VII. Epitoma CXVI. & sequentibus, Appianus V. Plutarchus in vita Bruti. Suetonius & Zonaras in *Cæsare* & *Octaviano*, Vellejus II. Cicero ad *Atticum*, in *Philippicis*, Valerius lib. I. cap. IV. V. & VI. cap. IV. & lib. IX. Florus, Eutropius, & alii.

SERVILII VATIAE.

P. SERVILIVS. C. F. M. N. VATIA. QVI. POSTEA. ISAVRICVS. E. APP. COS. cum Ap. Claudio. AN. DCLXXIV. Cassiodorus. Bellum in Cilicia cum Piratis gessit: deque iis, captis Coryco, Olympo, Phaselide, triumphavit. Asconius in *Verrinam* III. Marcellinus lib. XIV. Meminit Cicero *Accusationis* quinto. CENS. cum L. Aurelio, AN. DCXXCIX. Valerius lib. IIX. cap. V. Cicero *Accusationis* quarto.

* I

P. SER-

* I

P. SERVILIVS. P. F. C. N. VATIA. ISAVRICVS. cos. cum C. Julio. AN. DCCV. Cassiodorus, Dio lib. XLI. Plutarch. Suetonius, Zonaras in *Cæsare*. cos. II. cum L. Antonio. AN. DCCXII. Cassiodorus, Dio lib. XLIIX.

SERVILII GEMINI.

P. SERVILIVS. Q. F. CN. N. GEMINVS. cos. cum L. Aurelio. AN. DI. Cassiodorus, Cicero in *Lucullo*. cos. II. cum eodem. AN. DV. Cassiodorus.

C. SERVILIVS. P. F. Q. N. GEMINVS. De quo nihil tradunt auctores.

CN. SERVILIVS. P. F. Q. N. GEMINVS. cos. cum C. Flaminio. AN. DXXXVI. Cassiodorus, Polybius lib. III. Livius lib. XXI.

C. SERVILIVS. C. F. P. N. GEMINVS. AEDIL. CVR. MAG. EQ. T. Manlio Dict. AN. DXLV. Livius lib. XXVII. PR. AN. DXLVII. Livius lib. XXIIX. cos. cum Cn. Servilio. AN. DL. Cassiodorus, Livius lib. XXIX. DICT. COMIT. HABEND. C. AN. DLI. Livius lib. XXX.

M. SERVILIVS. C. F. P. N. PVLLEX. GEMINVS. MAG. EQ. P. Sulpicio Dict. AN. DL. cos. cum Ti. Claudio AN. DLI. Livius lib. XXX.

CORNELIA GENS.

AMPLISSIMA, omniumque gentium nobilissima Cornelia ab antiquis est habita, & quidem jure ac meritò. Sive enim dignitatem spectes familiarum, sive etiam præclara in rempublicam merita, rerumque gestarum magnitudinem consideres, omnes certe omnium gentium virtutes, præclarissimæ hujus gentis splendore intereunt & obscurantur. Ac de origine quidem gentis nihil mihi, quamvis diligentissimè investiganti, occurrit. Familias præcipuas quatuor reperio: quarum una Maluginensium est, altera Scipionum, Rufinorum tertia, postrema Lentulorum. Dolobellas enim, Cinnas, Merulas, & siqui sunt alii, plebejos potius quàm patricios crediderim. Qua equidem in re veterum auctorum diligentiam requiro, qui cum in aliis, tum in Corneliis nobis describendis valde mihi videntur errare. Et ut omittam Florum, Eutropium, Orosium, Plinius certe antiquitatum auctor cæteroqui bonus & diligens, hac in re ut cum maximè lapsus videtur. Quum enim cap. III. libri vigesimi primi scribit, *Florum quidem pop. R. honorem, Scipioni tantum habuit. Serapio cognominabatur, propter similitudinem suarii cujusdam negotiatoris. Ob id erat in tribunatu plebi admodum gratus, dignusque Africanorum familia. Neque ei fuit in bonis funeris impensa. Asses ergo contulit populus, ac funus elocavit, quaque parte ferebatur, flores è prospectu omni sparsit.* Hac, inquam, in re tradenda, tribus gravissimis erroribus seipsum involvit. Ait enim *in tribunatu gratum admodum plebi fuisse Scipionem*: quis vero aut legit umquam, aut cui vel fando auditum, Scipionem Nasicam, quo de hic agi manifestum est, Tribunum pl. fuisse? *Serapionem* enim cognominatum etiam in Epitoma LV. scriptum videmus. Nam ut sacratas leges, ut Patriciam Nasicarum splendidissimam familiam relinquam, ut omittam cætera, quæ tam multa nobis in mentem veniunt, eumne qui studiis plebis tantopere est adversatus, qui conatus perditos furoresque Tribunorum compressit, qui Ti. Gracchum privatus interfecit, tam repente popularem extitisse, Tribunum plebis factum, plebi assentatum existimabimus? Deinde quum inquit, *Dignusque Africanorum familia*, labitur eodem modo. Diversam enim Nasicarum esse & Africanorum familiam, nemo certè paulo quidem eruditior dubitaverit. Jam verò illud minime ferendum quod tertio loco scribit, *Neque ei fuit in bonis funeris impensa*, & reliqua: cum & Cicero *pro Flacco*, & in *Gracchis* Plutarchus, Pergami hunc Scipionem mortuum testentur. Similis propemodum error est lib. VII. cap. XXXIV. *Vir optimus*, ait, *semel à condito ævo judicatus est Scipio Nasica à jurato Senatu. Idem in toga candida bis repulsa notatus à populo, in summa ei in patria mori non licuit.* Cum enim de duplici repulsa loquitur, vehementer, meo quidem animo, fallitur. Altera namque avi est, altera nepotis. Ille in Censura repulsam est passus, ut Livius lib. XXXIX. scribit: hic in Ædilitate, quod in *Planciana* Cicero, & Valerius *de repulsis*, memoriæ prodiderunt. Valerius quoque Maximus lib. VII. cap. V. omnium gravissimè labitur. *P.* inquit, *Scipio Nasica, togatæ potentiæ clarum lumen, is qui Consul Jugurthæ bellum indixit, qui matrem Idæam è Phrygiis sedibus ad nostras aras focosque migrantem sanctissimis manibus excepit, qui multas & pestiferas seditiones auctoritatis suæ robore oppressit.* Ecce quod trium erat, uni omnino attribuit Valerius, quam rem explicare facile cuivis erit, qui temporum ordines resque gestas Rom. paulo diligentius perpenderit. Qui enim Jugurthæ bellum indixit, Cos. fuit

DCXLII.

DCXLII. ab Vrbe condita anno: qui matrem Idæam excepit. ANN. DLIX. qui feditiones oppreſſit, ANN. DCXV. Nec verò diſſimulari Appiani error poteſt, qui in Syriacis ſic de Africani filio ſcribit. *Ceperat eum rex in Græcia à Chalcide petentem Demetriadem, is erat Scipio qui poſtea Carthaginem captam diruit, ſecundus poſt hunc Africanus cognominatus, Paulli filius, ejus qui Perſen Macedonem cepit, Scipionis nepos ex filia, adoptione filius.* Captum ab Antiocho Scipionis Africani filium, alii quoque tradiderunt. At verò non is fuit Scipio Aimilianus: nondum enim, ſi Livio credimus, natus erat, quem bello Perſico quindecim omnino annorum, lib. XLIV. fuiſſe ſcribit. Falſum etiam quod Scipionis ex filia nepotem adoptione filium appellat. Scipio enim Aimilianus, qui & ipſe everſa Carthagine *Africanus* eſt appellatus, L. Aimilii Paulli naturalis filius fuit, Africani ſororis filius, ejuſque adoptione nepos. Adoptatum enim ab Africani filio Cato apud Ciceronem his verbis indicat, *Quam fuit imbecillus P. Africani filius, is qui te adoptavit?* Et Cicero *de Officiis* I. *Ut ſuperioris Africani filius, qui hunc Paullo Aimilio natum adoptaverat.* In *Bruto* verò, *Ipſum Scipionem accepimus non infantem fuiſſe, filius quidem ejus, qui hunc minorem Scipionem à Paullo adoptavit, ſi corpore valuiſſet, in primis habitus eſſet diſertus.* Illud etiam haud ſcio an rectè Appianus, quod in *Hiſpanienſibus*, & *de Bellis civilibus* I. de Aimiliano ſcribit: *Verùm quum per ætatem*, inquit, *Cos. fieri non poſſet (erat enim admodum juvenis) ſenatuſconſultum factum fuit, ut eum Tribunipl. eo anno legibus ſolverent.* Juvenem appellat Aimilianum quinquagenario majorem, auctore Vellejo Paterculo, quod idem Cicero in *Lælio* his verbis oſtendit: *Qui conſulatum petiit nunquam, factus eſt Conſul bis: primùm ante tempus, iterum ſibi ſuo tempore, reipublicæ pene ſero.* Mirum igitur quid Appiano venerit in mentem, ut & juvenem appellaret, & legibus ſolutum ſcriberet. Nam ne de illa quidem lege quæ intra decennium eundem magiſtratum petere vetabat, locus hic intelligi poteſt. Verùm quoniam non id mihi conſilii eſt ut omnes hic auctorum errores perſequar, finem faciam, ſi unum hoc addidero quod ad Africanorum familiam pertinet. Scribit Valerius lib. IIX. cap. XVI. Imaginem Africani in cella Jovis opt. max. poſitam honoris atque dignitatis cauſa, quæ, quotieſcunque munus aliquod Corneliæ gentis celebrandum eſſet, inde peteretur. Proprium ergo hoc & peculiare Africanorum erat, ut illud Poplicolarum & Tubertorum, quos in urbe ſepeliri conſueviſſe Cicero & Plutarchus oſtendunt.

CORNELIORVM MALVGINENSIVM FAMILIA.

SER. CORNELIVS. L. F. *N. MALVGINENSIS. cos. cum Q. Fabio. AN. CCLXIIX. Caſſiodorus, Livius lib. II. Dionyſius lib. IIX.

L. CORNELIVS. SER. F. L. N. MALVGINENSIS. COSSVS. cos. cum Q. Fabio. AN. CCXCIV. Caſſiodorus, Livius lib. III. Dionyſius lib. X.

M. CORNELIVS. L. F. SER. N. MALVGINENSIS. Nullum magiſtratum eſt adeptus. †

A. CORNELIVS. L. F. SER. N. MALVGINENSIS. COSSVS. cos. cum T. Quinctio. AN. CCCXXV. Caſſiodorus. Larte Tolumnio Vejentium rege interfecto, de eo ſpolia opima ſecundus à Romulo conſecravit. Livius lib. IV. Valerius lib. III. cap. II. Virg. lib. VI. MAG. EQ. Mam. Aimilio Dict. AN. CCCXXVII. TR. MIL. AN. CCCXXVII. cos. II. cum L. Furio. AN. CCCXL. Livius l. IV.

I

A. CORNELIVS. A. F. L. N. MALVGINENSIS. COSSVS. DICT. R. G. C. AN. CCCLXIX. Volſcos acie vicit, caſtra eorum cepit, & diripuit: deque iis triumphavit. Livius lib. VI. TR. MIL. AN. CCCXXCIV. TR. II. AN. CCCXXCVI. Livius lib. VI.

I

P. CORNELIVS. A. F. A. N. COSSVS. ARVINA. De quo nihil accepimus.

*I

CN. CORNELIVS. L. F. SER. N. MALVGINENSIS. COSSVS. TR. MIL. AN. CCCXLVII. Livius lib. V.

M. CORNELIVS. SER. F. L. N. MALVGINENSIS. XVIR. LEG. SCRIBEND. C. AN. CCCIII. Dionyſius lib. X. Livius lib. III.

I

M. CORNELIVS. M. F. SER. N. MALVGINENSIS. cos. cum L. Papiſio. AN. CCCXVII. Livius lib. IV.

M. CORNELIVS. M. F. M. N. MALVGINENSIS. CENS. cum L. Papirio. AN. CCCLXI. Livius lib. V.

P. CORNELIVS. M. F. M. N. MALVGINENSIS. TR. MIL. AN. CCCXLIX. Liv. lib. IV. TR. II. AN. CCCLVI. TR. III. AN. CCCLXIII. Livius lib. V.

A. CORNELIVS. M. F. M. N. MALVGINENSIS. De quo nihil accepimus.

I

CN. CORNELIVS. A. F. M. N. cos. cum L. Furio. AN. CCCXLIV. Caſſiodor. Liv. l. IV. TR. MIL. AN. CCCXLV. TR. II. AN. CCCLII. Livius lib. V.

SER. CORNELIVS. P. F. M. N. MALVGINENSIS. TR. MIL. AN. CCCLXIIX. TR. II. AN. CCCLXIX. TR. III. AN. CCCLXX. TR. IV. AN. CCCLXXII. TR. V. AN. CCCLXXIV. TR. VI. AN. CCCXXCIII. TR. VII. AN. CCCXXCV. Hæc. Liv. l. VI.

**I

M. CORNELIVS. P. F. M. N. MALVGINENSIS. TR. MIL.

*I

A. CORNELIUS P. F. A. N. COSSVS ARVINA. MAG. EQ. T. Manlio Dict. AN. CD. MAG. EQ. II. AN. CDIV. COS. cum M. Valerio. AN. CDX. Cassiod. Livius lib. VII. Cicero de *Divinat.* I. COS. II. cum Cn. Domitio. AN. CDXXI. Cassiod. DICT. AN. CDXXXI. Livius lib. IIX.

I

P. CORNELIUS A. F. P. N. COSSUS ARVINA. COS. cum Q. Marcio. AN. CDXLVII. Cassiod. Livius lib. IX. CENS. cum C. Marcio. AN. CDLIX. COS. II. cum Q. Marcio. AN. CDLXV. Cassiod. Livius lib. X.

**I

SER. CORNELIVS SER. F. P. N. MALVGINENSIS. MAG. EQ. T. Quinctio Dict. AN. CCCXCIII. Livius libro VII.

AN. CCCXXXCIV. TR. II. AN. CCCXXCVI. Livius lib. VI.

†

P. CORNELIUS M. F. L. N. MALUGINENSIS. COSSVS. DICT. R. G. C. AN. CCCXLV. Volscos ad Antium prælio vicit. TR. MIL. AN. CCCXLVII. Livius lib. IV.

CN. CORNELIUS M. F. L. N. MALVGINENSIS. COSSVS. TR. MIL. AN. CCCXXXIX. TR. II. AN. CCCXLIX. Livius l. IV.

CORNELIORVM SCIPIONUM FAMILIA.

P. CORNELIUS *F. *N. SCIPIO. MAG. EQ. M. Furio Camillo Dict. AN. CCCLVII. TR. MIL. AN. CCCLIIX. TR. II. AN. CCCLIX. Livius lib. V.

I

P. CORNELIUS P. F. *N. SCIPIO. PRIMUS. ÆDIL. CUR. AN. CCCXXCVII. Livius lib. VII.

P. CORNELIUS P. F. P. N. SCIPIO. MAG. EQ. L. Furio Camillo Dict. AN. CDIII. Livius lib. VII. Plutarch. in *Camillo*. Errare videntur qui Mag. eq. II. in tabulis Capitolinis notant: neque enim annorum ratio hoc admittere potest.

I

P. CORNELIUS P. F. P. N. SCIPIO. BARBATVS. DICT. COMIT. HABEND. C. AN. CDXLVIII. Livius lib. IX.

L. CORNELIUS P. F. P. N. SCIPIO. MAG. EQ. Ap. Claudio Dict. AN. CCCXCI. COS. cum M. Popillio. AN. CDIII. Cassiodorus, Livius lib. VII.

I

CN. CORNELIUS *SCIPIO. Nullum gessit magistratum.

I

L. CORNELIUS CN. F. *N. SCIPIO. COS. cum Cn. Fulvio. AN. CDLV. Casßiod. Livius lib. IX. *

*

L. CORNELIUS L. F. CN. N. SCIPIO. COS. cum C. Aquillio. AN. DXCIV. Cassiod. Contra Sardos & Corsos, & Annonem Pœnorum ducem feliciter pugnavit. Epitoma XVII. Eutrop. lib. II. Frontin. III. Val. l. V. c. I. CENS. cum C. Aquillio. AN. CDXCV. *

CN. CORNELIUS L. F. CN. N. SCIPIO ASINA. COS. cum C. Duilio. AN. CDXCIII. Cassiodorus, à Punica classe circumventus, captus est. Valerius lib. VI. cap. XI. Meminit Macrobius lib. *Saturn.* I. COS. II. cum A. Atilio. AN. CDXCIX. Cassiodorus, Polyb. I. PROCOS. Res cum Pœnis in Sicilia prospere gessit, deque iis triumphavit.

I

P. CORNELIUS CN. F. L. N. SCIPIO ASINA. COS. cum M. Minucio. AN. DXXXII. Cassiodorus. Istros subegit: & de iis triumphavit. Orosius IV. cap. XII. Eutropius III.

*

L. CORNELIUS L. F. L. N. SCIPIO HISPALVS. De quo nihil tradunt auctores.

I

CN. CORNELIUS L. F. L. N. SCIPIO HISPALVS, PONTIFEX MAX. Livius l. XXXII. PR. AN. DLXXIV. Livius l. XXXIX. COS. cum Q. Petilio. AN. DLXXVII. Cassiod. Ex Albano monte rediens concidit, ad aquas Cumanas profectus, ingravescente morbo Cumis decessit Liv. l. XLI.

I

CN. CORNELIUS CN. F. L. N. SCIPIO HISPALVS. PR. AN. DCXIV. Hisp. provinciam sortitus est. Val. hunc repetund. lege, cum tamen provinciam non administrasset, damnatum, c. III. l. VI. scribit.

CN. CORNELIUS L. F. L. N. SCIPIO. CALVUS. COS. cum M. Claudio. AN. DXXXI. Cassiodorus. Fratris in Hispania legatus octavo quam in provinciam venerat anno, Punica fraude cecidit. Polybius lib. I. Livius lib. XXV. Appianus in *Hispaniensibus.* Florus lib. II. cap. XVII. Meminit Valerius lib. IV. cap. IV.

I

P. CORNELIUS CN. F. L. N. SCIPIO NASICA. Vir optimus à Senatu judicatus. Matrem Idæam bello Punico secundo suscepit. Livius lib. XXIX. Ovidius *Fastorum* IV. PR. AN. DLIX. Livius lib. XXXIV. COS. cum M. Acilio. AN. DLXII. Cassiodorus. Galliam provinciam sortitus, Gallos Bojos acie vicit: castris exuit, & in deditionem accepit: deque iis triumphavit. Livius lib. XXXV.

I

P. CORNELIUS P. F. C. N. SCIPIO NASICA, QUI CORCVLVM APP. E. ÆDIL. CVR. AN. DXXCIV. Livius l. XLIV. COS. cum C. Marcio. AN. DXCI. Cassiod. Vitio fact. abd. Cicero *de Divinat.* & *Nat. Deor.* II. Valer. lib. I. *De cultu Deorum.* CENS. cum M. Popillio. AN. DXCIV. Cic. in *Bruto*. Plin. l. XXXIV. c. VI. Masurius Sabinus VII. *Memorabil.* testis Gell. l. IV. cap. XIX. COS. II. cum M. Claudio. AN. DXCIIX. Cassiodorus. De Dalmatis triumphavit. Epit. XLVII. Frontinus lib. III. c. VI.

*I

*

P. CORNELIVS L. F. L. N. SCIPIO. COS. cum Ti. Sempronio. AN. DXXXV. Casßiod. Cum Annib. in Ital. parum feliciter pugnav. PROCOS. Hisp. provinciam administravit, multa secunda prælia cum Pœnis fecit. ab Asdrub. insidiis circumvent⁹, inter pugnandũ, quum se fortiter laboribus offerret lanceæ ictus cecidit, Fulvio, Claudio Coss. Liv. l. XXVI. Polyb. l. III. App. in *Hisp.* Cic. *pro Balbo. Tusc.* I. in *Cat. de N.D.* l. III.

**

*I

P. CORNELIUS P. F. P. N. SCIPIO NASICA SERAPION. PRIMUS ABSENS PONT. MAX. FACT. EST. cos. cum D. Junio. AN. DCXV. Cassiod. Epitoma LV. Cicero in *Bruto*, & *de Legibus* tertio, à P. Curiatio Trib. pl. in vincula conjectum scribit. Idem tradit, Valer. libro III. cap. VII. Ti. Gracch. privatus interfecit. Vellejus II. Plutarchus in *Gracchis*. Appianus I. Epitoma LIIX. Cicero *Catil.* I. *pro Domo*, *de Officiis* primo. Mortuus est Pergami, cum libera illi à Senatu in Asiam legatio decreta esset. Valerius libro V. cap. III. Plutarchus in *Gracchis*.

I

P. CORNELIUS P. F. P. N. SCIPIO NASICA. cos. cum L. Calpurnio. AN. DCLII. Cassiodorus. In magistratu mortuus est. Cicero in *Bruto*. Meminit Salustius in *Jugurth.*

I

P. CORNELIVS P. F. P. N. SCIPIO NASICA. Nullum gessit magistratum.

I

P. CORNELIUS P. F. P. N. SCIPIO NASICA. cos. cum L. Domitio. AN. DCCXXXVII. Cassiodorus, Dio libro LIV.

**

P. CORNELIUS P. F. L. N. SCIPIO, QUI POSTEA AFRICANUS APP. E. ÆDIL. CUR. AN. DXL. Annos natus XXIV. cum Consulari imperio extra ordinem in Hispaniam missus, Fulvio, Sulpicio cos. Carthaginem novam expugnavit: cum Asdrubale Barchino feliciter pugnavit, eum castris exuit, & in fugam convertit. Asdrubalem & Magonem Hispania expulit, eamque in pot. pop. R. redegit: rebus feliciter gestis in urbem reversus, argenti magnum numerum in ærarium tulit. Triumphus illi, quòd sine magistratu res gessisset, negatus. Polyb. l. X. & XI. Liv. lib. XXV. & XXIIX. cos. cum P. Licinio. AN. DXLIIX. Cassiod PROCOS. Syphacem Numidiæ regem, & Asdrubalem Carthaginensium ducem profligavit: castra incendit: Syphacem regem cepit: Annibalem acie vicit: Carthaginens. pacem dedit. De iis Lentulo, Paeto Coss. clariss. triumph. egit. Liv. l. XXX. Polyb. l. XIV. & XV. App. in *Punicis*, Florus l. II. c. VI. Eutropius l. IV. CENS. cum P. Ælio AN. DLIV. Liv. lib. XXXI. cos. II. cum Ti. Sempronio. AN. DLIX. Cassiod. Liv. l. XXXIV. Cic. in *Catone*. A populari consessu Senatoria subsellia separavit. Cic. *de Arusp resp.* *In Corneliana*, & ib. Ascon. Laterni, quo se post fratris damnationem contulerat mortuus est. AN. DLXIIV. Liv. l. XXXIX. Plut. in vita. Cic. in *Catone*. Val. l. V. c. III. & lib. II. cap. V.

L. CORNELIUS P. F. L. N. SCIPIO, QUI POSTEA ASIATICUS E. APP. Legatus Fr. in Hispania. Livius lib. XXV. cos. cum C. Lælio. AN. DLXIII. Cassiodorus. Cum Africano fratre legato, cum exercitu in Asiam profectus, Antiochum regem ad Magnesiam acie vicit bellumque confecit. De rege Antiocho Procos triumph. Livius lib. XXXVI. Florus lib. II. cap. IIX. Eutrop. lib. IV. Appianus in *Syriacis*. Plutarch. in *Scipione*. Asconius in *Verrin*. III. Valerius lib. IV. & V. cap. V. Accusatus pecuniæ captæ à rege damnatus est. Livius lib. XXXIIX. Gellius lib. IV. cap. XIIX. Valerius lib. IIX. cap. I. Meminit Cicero *pro C. Rabirio*, & Valerius lib. III. cap. I. & V. cap. III.

I

L. CORNELIUS L. F. P. N. SCIPIO ASIATICUS. De quo nihil accepimus.

I

L. CORNELIUS L. F. L. N. SCIPIO ASIATICUS. cos. cum C. Norbano. AN. DCLXX. Cassiodorus. Victus à Sulla Massiliæ exulavit. Epitoma XXCV. Appianus primo. Eutropius lib. V. Orosius lib. V. cap. XXI. Florus libro III. cap. XXI. Cicero *pro Sextio* & ad Atticum libro IX.

P. CORNELIUS P. F. P. N. SCIPIO AFRICANUS AUGUR. Livius libro XLIV. ÆDILIS CURULIS. AN. DXCIII. ut est in inscriptione *Adelph.* Terentii. Orator fuit. Vellejus primo. Cicero in *Catone*, *Bruto*, *Officiorum* primo.

I

P. CORNELIUS P. F. P. N. SCIPIO AFRICANUS AIMILIANUS. In Hispania barbarum provocatorem Tr. militum occidit, primusque omnium murum in urbis expugnatione ascendit. Epitoma XLIIX. Vellejus primo quum Ædilitatem peteret cos. creatus est cum C. Livio. AN. DCVI. Cassiodorus, Epitoma L. Bellum Punicum tert. gessit. urbem expugnavit septingentesimo anno quàm erat condita. Epitoma LI. Appianus in *Punicis*. Florus libro II. cap. XV. Eutropius lib. IV. Vellejus primo. Orosius lib. IV. c. XXIII. Cicero *Accusationis* quarto, *de repub.* VI. De Pœnis Lentulo, Mummio coss. clarissimum triumphum egit. CENS. cum L. Mummio. AN. DCXI. Plutarch. in *Paullo*. Cicero in *Bruto*. *de Oratore* II. Valerius lib. IV. & VI. Gellius lib. XVI. cos. II. cùm candidatus non esset ob bellum Numantinum creatur cum C. Fulvio. AN. DCXIX. Numantiam obsedit. Numantini diuturna obsidione ac fame coacti ipsi se per vicem trucidaverunt, urbem captam excidit, de ea triumphavit. Epitoma LVII. & sequent. Appianus in *Hispaniensibus*. Florus lib. II. cap. XIIX. Eutropius lib. IV. Valer. lib. II. cap. II. & lib. VII. cap. VI. Vellejus l. II. Mortuus est Aquillio, Sempronio. cos. AN. ætatis LVI. Epitoma LIX. Vellejus II.

*

CN. CORNELIUS P. F. P. N. SCIPIO AFRICANUS. Captus ab Antiocho rege, patri restituitur. Liv. li. XXXVII. Val. lib. III. cap. V. Plut. in *African*. App. in *Syriacis*. PR. AN. DLXXVI. Gall. provinciam sortitus est, Liv. l. XLI.

RUFINORUM FAMILIA.

P. CORNELIUS *RUFINUS. DICT. R. G. C. AN. CDXIX. Vitio fact. abd. Livius libro IIX.

I

P. CORNELIUS P. F. *N. RUFINUS. COS. cum M. Curio. AN. CDLXIII. Cassiod. Gellius libro XVII. Epitoma XIV. Plin. lib. VII. cap. L. cos. II. cum C. Junio. AN. CDLXXVI. Cassiod. Gellius lib. IV. cap. IX. Cic. *de Oratore* II. DICT. R. G. C. AN. CDLXXVII. Hunc C. Fabricius CENS. quòd decem pondo vasa argentea comparasset, Senatu movit. Val. lib. II. cap. IV.

P. COR-

I

P. CORNELIVS. P. F. P. N. RVFINVS. Nullum magiſtratum eſt adeptus.

I

P. CORNELIVS. P. F. P. N. RVFINVS. PR. VRB. ET PEREG. AN. DXLI. Livius lib XXV. IN HOC HONORE SVLLA APP. EST. quòd ex libris Sibyllinis ludos Apollinares inſtituerit. auctor Macrobius.

P. CORNELIVS. P. F. P. N. SVLLA. PR. AN. DLXVII. Siciliam provinciam obtinuit. Livius lib. XXXIX.

I

L. CORNELIVS. P. F. P. N. SVLLA. De quo nihil accepimus. *

SER. CORNELIVS. P. F. P. N. SVLLA. LEGAT. PROVINC. MACED. CONSTIT. AN. DXXCVI. Livius libro XLV.

L. CORNELIVS. L. F. P. N. SVLLA. QVI. POSTEA. FELIX. APP. EST. COS. cum Q. Pompejo. AN. DCLXV. Caſſiodorus. Marianam factionem urbe ejecit, civitatis ſtatum ordinavit, colonias deduxit. Epitoma LXXVII. PROCOS. in Græcia bellum geſſit, Athenas expugnavit, copias regis Mithridatis prælio vicit, cæſis hoſtium centum millibus, caſtris quoque expugnatis, renovato bello iterum exercitum ejus fudit & delevit, quum in Aſiam trajeciſſet, pacem cum Mithridate fecit. In Italiam cum exercitu reverſus, Norbanum prælio vicit, Scipionis exercitum accepit, ipſum incolumem dimiſit. Marium ad Sacri portum cum exercitu fudit delevitque, urbem recepit. Carbonem exercitu ejus cæſo, Italia expulit. Epitoma XXCI. & ſequent. Appianus primo. Vellejus II. Plutarchus in vita, & *Mario*. Florus lib. III. cap. XXI. Eutropius libro V. Lucanus II. Valerius lib. IX. cap. II. DICT. R. P. C. AN. DCLXXI. Proſcriptionem primus in rempub. induxit. Legiones in agros captos deduxit. COS. II. cum Q. Metello. AN. DCLXXIII. Caſſiodorus, Cicero *Accuſationis* I. Gellius lib. XV. cap. XXIIX. Ordinata republica, Claudio, Servilio coss. dictatura ſe abd. Mortuus eſt ann. inſequenti, Lepido, Catulo coss. annos natus LX. honos ei à Senatu habitus, ut in campo Martio ſepeliretur. Epitoma XC. Appianus, Plutarchus, Suetonius in *Cæſare*, Vellejus Paterculus, alii.

I

FAVSTVS. CORNELIVS. L. F. L. N. SVLLA. PONTIFEX. Dio libro XXXIX. Munus gladiatorium in patris defuncti honorem exhibuit, populo epulum, balnea & oleum dedit. Afranio, Metello coss. Dio libro XXXVII. Meminit Cicero *in Vatinium*, & *pro Sulla*. PROQ. bello civili Pompejano. Cicero ad Atticum IX. quum poſt bellum Africum in Hiſpaniam fugeret, à P. Sitio captus occiſus eſt. Hirtius lib. V. Dio lib. XLIII. Meminit Cæſar *de bello civili* I.

P. CORNELIVS. L. F. P. N. SVLLA. De quo nihil tradunt auctores.

I

P. CORNELIVS. P. F. L. N. SVLLA. COS. DES. cum P. Antronio. AN. DCXXCIIX. Antequam iniret, ambitus damnatus eſt. Saluſtius in *Catilinario*. Dio lib. XXXVI. Aſconius in *Cornelianam*. Cicero *pro Sulla*. Hunc Cicero majeſtatis defendit, oratione quæ hodie extat.

I

L. CORNELIVS. P. F. P. N. SVLLA. COS. cum C. Julio. AN. DCCIIX. Caſſiodor. Plin. l. VII. Meminit Cicero in orat. *pro Sulla*. Cæſar *de bello civili* III.

LENTVLORVM FAMILIA.

SER. CORNELIVS. CN. F. CN. N. LENTVLVS. COS. cum L. Genucio. AN. CDL. Caſſiodorus, Livius lib. X.

I

TI. CORNELIVS. SER. F. CN. N. LENTVLVS. De quo nihil accepimus.

L. CORNELIVS. TI. F. SER. N. LENTVLVS. COS. cum M. Curio. AN. CDLXXIIX. Caſſiodorus. De Samnitibus & Lucanis triumphavit. Plinius libro XXXIII. cap. I. L. Lentulum cos. Ser. Cornelio Merendæ, Samnitum oppido capto, coronam dediſſe ſcribit: quo in loco *Merendæ* nomen ſuſpectum mihi eſt. Antoniæ enim gentis proprium fuiſſe videtur.

SER. CORNELIVS. TI. F. SER. N. LENTVLVS. COS. cum M. Curio. AN. DCLXXIX. Caſſiodorus.

L. CORNELIVS. L. F. TI. N. LENTVLVS. CAVDINVS. COS. cum Q. Fulvio. AN. DXVI. Caſſiodorus. Adverſus Ligures primus bellum geſſit, maximo eos prælio vicit, deque iis triumphavit, Eutropius lib. III. CENS. cum Q. Lutatio. AN. DXVII. *

P. CORNELIVS. L. F. TI. N. LENTVLVS. CAVDINVS. COS. cum C. Licinio. AN. DXVII. Caſſiodorus.

L. CORNELIVS. L. F. L. N. LENTVLVS. PROCOS. Hiſpaniam provinciam ſortitus. AN. DXLVII. Multas res præclarè fortiterque geſſit. Vrbem ovans primus omnium qui ſine magiſtratu rem geſſiſſent, eſt ingreſſus. COS. cum P. Villio. AN. DLIV. Caſſiodorus, Livius lib. XXXI.

I

P. CORNELIVS. L. F. L. N. LENTVLVS. COS. cum Cn. Domitio. AN. DXCI. CENS. cum Ap. Claudio. AN. DCXV. Cicero *Philip*. IIX. in *Divinat*. Valerius lib. V. cap. III. Dio lib. XLVI. * *

CN. CORNELIVS. L. F. L. N. LENTVLVS. PR. AN. DL. Livius lib. XXIX. COS. cum P. Ælio. AN. DLII. Caſſiodorus, Livius lib. XXX. Hiſpaniam citeriorem ſortitus, rebus proſpere geſtis urbem ovans eſt ingreſſus, Livius lib. XXXIII. *

CN. CORNELIVS. CN. F. L. N. LENTVLVS. cos. cum L. Mummio. AN. DCVII. Cassiodorus.

L. CORNELIVS. CN. F. L. N. LENTVLVS. LVPVS. cos. cum C. Marcio. AN. DXCVII. Cassiodorus, Cicero in *Bruto.* CENS. cum L. Marcio. AN. DCVI.

* *

P. CORNELIVS. P. F. L. N. LENTVLVS. De quo nihil tradunt auctores.

I

P. CORNELIVS. P. F. P. N. LENTVLVS. SVRA. cos. cum Cn. Aufidio. AN. DCXXCII. Cassiodorus, Eutropius lib. VI. Hic postea PR. iterum cum Catilina conjuravit: à Cicerone Cos. in carcere strangulatus est. Sallust. in *Catilinario.* Appianus II. Cicero *pro Domo* & *Catil.* IV. avum hujus, consularem & censorium principem Senatus appellat. Asconius in *divinationem*, patrem. Annorum certè & temporis ratio Pædianum falsum scribere satis apertè ostendit.

CN. CORNELIVS. P. F. L. N. LENTVLVS. COS. cum P. Licinio. AN. DCLVI. Cassiodorus, Obsequens, Plin. l. XXX. c. I.

I

CN. CORNELIVS. CN. F. P. N. LENTVLVS. CLODIANVS. cos. cum L. Gellio. AN. DCXXCI. Cassiodorus, Gellius lib. XIIX. CENS. eodem collega. AN. DCXXCIII. Epitoma XXC. Cicero *Accusationis* v. *pro Domo.*

I

CN. CORNELIVS. CN. F. CN. N. LENTVLVS. MARCELLINVS. cos. cum. L. Marcio. AN. DCXCVII. Cassiodorus, Dio lib. XXXIX. Plutarch. in *Pompejo.* Cicero in *Brut.* Ad Atticum IV. *De harusp. responsis.*

I

P. CORNELIVS. CN. F. CN. N. LENTVLVS. MARCELLINVS. QVAESTOR Cæsaris bello civili Pompejano. Cæsar lib. III.

I

P. CORNELIVS. P. F. CN. N. LENTVLVS. MARCELLINVS. cos. cum Cn. Cornelio. AN. DCCXXXV. Cassiodorus, Dio lib. LIV.

MANLIA GENS.

CN. MANLIVS. P. F. *N. VVLSO. cos. cum M. Fabio. AN. CCLXXIII. in prælio occisus est. Livius lib. II. Dionysius lib. IX.

I

A. MANLIVS. CN. F. P. N. VVLSO. cos. cum L. Furio. AN. CCLXXIX. Cassiodorus, Livius lib. II. Dionysius lib. IX. XVIR. LLM. SCRIBEND. C. AN. CCCII. Livius lib. III. Dionysius libro X.

A. MANLIVS. A. F. CN. N. VVLSO. CAPITOLINVS. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCXLIIX. TR. II. AN. CCCLI. Livius lib. IV. TR. III. AN. CCCLVI. Livius lib. V. *

L. MANLIVS. A. F. CN. N. VVLSO. TR. MIL. AN. CCCXXX. Livius lib. IV.

M. MANLIVS. A. F. CN. N. VVLSO. TR. MIL. AN. CCCXXXIII. Liv. lib. IV.

A. MANLIVS. A. F. A. N. CAPITOLINVS. TR. MIL. AN. CCCLXV. TR. II. AN. CCCLXIX. TR. III. AN. CCCLXXI. TR. IV. AN. CCCXXCIII. Livius lib. VI. *

*

M. MANLIVS. A. F. A. N. CAPITOLINVS. cos. cum L. Valerio. AN. CCCLXI. Cassiodorus. Hic XXX. cæsorum hostium spolia retulit. XL. ab Impp. dona accepit. in his duas murales coronas, civicas octo. Capitolium à Gallis defendit. Damnatus regni affectati, de saxo Tarpejo præcipitatus est. Livius lib. VI. Plutarchus in *Camillo.* Valerius lib. VI. cap. III. Plinius lib. VII. cap. XXIIX. Virgilius lib. IIX. Cornelius Nepos verberando necatum scribit. Gellius lib. XVII. cap. XXI.

*

P. MANLIVS. A. F. A. N. CAPITOLINVS. TR. MIL. AN. CCCLXXV. DICT. R. G. C. AN. CCCXXCV. TR. II. AN. CCCXXCVI. Livius lib. VI.

I

A. MANLIVS. P. F. A. N. VVLSO LONGVS. De quo nihil.

I

L. MANLIVS. A. F. P. N. VVLSO. LONGVS. cos. cum Q. Cædicio. AN. CDXCVII. Cassiodorus, Eutropius lib. II. Re prosperè gesta, de Pœnis triumphavit.

L. MANLIVS. A. F. A. N. CAPITOLINVS. IMPERIOSVS. DICT. CL. FIG. C. AN. CCCXC. Livius lib. VII. *

*

T. MANLIVS. L. F. A. N. CAPITOLINVS. TORQVATVS. Patrem à M. Pomponio Trib. pleb. accusatum liberavit, TR. MIL. Gallum ex provocatione interfecit, & aureo torque spoliavit, unde *Torquati* nomen accepit. Livius lib. VII. Cicero *Offi.* lib. III. & lib. I. & II. *de Finibus.* Valerius lib. V. cap. III. Gellius lib. IX. cap. XIII. DICT. R. G. C. AN. CD. Cærites in deditionem accepit. DICT. II. COMIT. HABEND. C. AN. CDIV. cos. cum C. Plautio. AN. CDVI. Cassiodorus, Livius lib. IX. Diodorus lib. XVI. COS. II. cum C. Marcio. AN. CDIX. cos. III. cum P. Decio. AN. CDXIII. DICT. III. AN. CDXXXIII. Livius lib. IX. Meminit Virgilius lib. VI.

CN. MANLIVS. L. F. A. N. CAPITOLINVS. IMPERIOSVS. COS. cum M. Popillio. AN. CCCXCIV. Cassiodorus. COS. II. cum C. Marcio. AN. CCCXCVI.

* I

T. MAN-

* I

T. MANLIVS. T. F. L. N. CAPITOLINVS. TORQVATVS. A patre, quod extra ordinem in hostes pugnasset, securi est percussus. Livius lib. IIX. Valerius lib. IX. cap. III. Cicero *Officiorum* III. & *pro Sulla*.

Cassiodorus, Livius lib. VII. Diodorus XVI. CENS. cum C. Marcio. AN. CDII.

I

T. MANLIVS. T. F. T. N. CAPITOLINVS. TORQVATVS. cos. cum M. Fulvio. AN. CDLIV. In magistratu mortuus est. Livius lib. X.

T. MANLIVS. T. F. T. N. TORQVATVS. cos. cum C. Atilio. AN. DXIIX. Cassiodorus. His Coss. Varro *de Lingua Lat.* IV. bellum Carthaginiense primum confectum, & Janum clausum scribit. Idem Plutarch. in *Numa*. & Vellejus lib. II. CENS. cum Q. Fulvio. AN. DXXII. cos. II. AN. DXXIX. Cassiodorus, Polybius lib. II. DICT. COMIT. HABEND. C. AN. DXLV. Livius lib. XXVII.

A. MANLIVS. T. F. T. N. TORQVATVS. CENS. cum A. Atilio. AN. DVI. cos. cum C. Sempronio. AN. DIX. Cassiodorus, Vellejus l. I. cos. II. cum Q. Lutatio. AN. DXII. Cassiodor. Hi Coss. Falisci bellum intulerunt, iisque fusis, fugatis, subactisque triumpharunt. Eutr. l. II. *

*

A. MANLIVS. A. F. T. N. TORQVAT. PR. AN. DXXCVI. Livius lib. XLV. cos. cum Q. Cassio. AN. DXXCIX. Cassiodorus.

T. MANLIVS. A. F. T. N. TORQVATVS. PR. AN. DXXCIII. Livius lib. XLIII. cos. cum Cn. Octavio. AN. DXXCIIX. Cassiodorus, Cicero *de Finibus* I. ubi mendum in prænomine est. Hunc *Juris civilis & sacrorum Pontificalium peritissimum*, Valerius lib. V. cap. IIX. appellat.

I

T. MANLIVS. T. F. A. N. TORQVATVS. PR. Macedoniam provinciam sortitus, eam spoliavit, socios vexavit & diripuit. Accusatus à Macedonum legatis, T. pater causam apud se dicere jussit: reque ex utraque parte audita, pronuntiavit non talem videri fuisse in imperio quales ejus majores fuissent, & in conspectum suum venire vetuit. Cicero *de Finibus* I. Valerius lib. V. cap. IIX.

CASSIA GENS.

SP. CASSIVS. *VISCELLINVS. cos. cum Op. Virginio. AN. CCLI. Cassiodorus. Sabinos prælio vicit, deque iis triumphavit. MAG. EQ. PRIMVS. T. Lartio Dict. AN. CCLV. Dionysius libro V. Livius libro II. cos. II. cum Postumo Cominio. AN. CCLX. Cassiodorus, Livius, Dionysius lib. VI. His coss. fœdus cum Latinis ictum Cicero *pro Balbo* scribit. cos. III. cum Proculo Virginio. AN. CCLXVII. Volscos & Hernicos in amicitiam pop. R. traduxit. triumph. Legem agrariam ad conciliandam plebem primus promulgavit. A quæstoribus Fabio & Valerio affectati imperii accusatus, damnatus, de saxo Tarpejo præcipitatus est. Alii patrem auctorem ejus supplicii fuisse existimant. Dionysius libro IIX. Livius libro II. Cicero *Philippica* II. Valerius sibi ipsi non satis constare videtur. Nam libro VI. capite III. à Senatu & populo: libro V. capite IIX. à patre damnatum tradit: quo in loco etiam in hoc errat, quod Trib. pl. agrariam legem tulisse scribit. Patricius enim fuit, & quidem Cos. Dionysio, Livio auctoribus.

FVIT. SINE. MAGISTRATIB. CASSIA. GENS. ANN. PLVS. MINVS. CCCXXXIX.

Q. CASSIVS. L. F. Q. N. LONGINVS. PR. AN. DXXCVI. Livius lib. XLV. cos. cum A. Manlio. AN. DXXCIX. Cassiodorus. In mag. mortuus est.

I

L. CASSIVS. Q. F. L. N. LONGINVS. TR. PL. AN. DCXVI. Cicero in *Bruto*, & *Lucullo*. cos. cum L. Cinna. AN. DCXXVI. Cassiodorus. CENS. cum Cn. Servilio. AN. DCXXIIX. Frontinus. *

C. CASSIVS. C. F. C. N. LONGINVS. cos. cum P. Licinio. AN. DXXCII. Cassiodorus. Galliam provinciam sortitus, in ea memorabile nihil gessit: & cum in Macedoniam alienam provinciam exercitum duxisset, à Senatu revocatus est. Livius lib. XLII. CENS. cum M. Valerio. AN. DXCIX. Cicero *pro Domo*.

I

C. CASSIVS. C. F. C. N. LONGINVS. cos. cum C. Sextilio. AN. DCXXIX. Cassiodorus, Obsequens, Eutropius.

*

L. CASSIVS. L. F. Q. N. LONGINVS. PR. AN. DCXLII. cos. cum C. Mario. AN. DCXLVI. Cassiodorus. In magistratu à Tigurinis interfectus, exercitus ejus sub jugum missus. Epitoma LXV. Cæsar *de Bello Gallico* I.

I

C. CASSIVS. L. F. L. N. VARVS. cos. cum M. Terentio. AN. DCXXC. Cassiodorus. Meminit Cicero *Accusationis* I.

C. CASSIVS. L. F. Q. N. LONGINVS. cos. cum Cn. Domitio. AN. DCLVII. His Coss. Ptolemæus Cyrenarum rex mortuus. S. P. Q. R. hæredem reliquit. Cassiodorus.

ÆBUTIA GENS.

T. ÆBUTIUS T. F. *HELVA. COS. cum P. Veturio. AN. CCLIV. Cassiodorus, Livius lib. II. Dionysius V. MAG. EQ. A. Postumio. Dict. AN. CCLVII. Livius, Dionysius libro VI.

I

L. ÆBUTIUS T. F. T. N. HELVA. COS. cum P. Servilio. AN. CCXC. Cassiod. Livius libro III. Dionysius lib. IX. In magistratu mortuus est.

I

POSTUMUS ÆBUTIUS L. F. T. N HELUA. CORNICEN. COS. cum M. Fabio. AN. CCCXI. Cassiodorus. MAG. EQ. Q. Servilio Dictatore. AN. CCCXIIX. Livius libro IV.

PINARIA GENS.

PINARIA dicta à Pino Numæ regis filio: Plutarchus in *Numa*: vel à Pinariis qui Herculi faciebant sacra anniversaria. Livius, Dionysius, Virgilius IIX.

*PINARIUS RUFUS.

P. PINARIUS *RUFUS. COS. cum C. Julio. AN. CCLXIV. Cassiodorus, Livius II. Dionysius IIX.

I

L. PINARIUS P. F. *N. RUFUS. COS. cum Sp. Furio. AN. CCXXCI. Cassiodorus, Livius libro II. Dionysius IX.

I

L. PINARIUS L. F. P. N. RUFUS. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCXXI. Livius libro IIII.

L. PINARIUS *NATTA. MAG. EQ. L. Manlio Dict. AN. CCCXC. Liv. lib. VII.

VETUSIA GENS, POST VETURIA DICTA.

P. VETURIUS GEMINUS CICURINUS.

P. VETURIUS P. F. *N. GEMINUS CICURINUS. COS. cum T. Æbutio AN. CCLIV. Cassiod. Livius libro II. Dionysius lib. V. PRIMUS QUÆST. cum M. Minucio. AN. CCXLIV. Plutarchus in *Poplicola*.

I

C. VETURIVS P. F. P. N. GEMINUS CICURINUS. COS. cum T. Romulio. AN. CCXCIIX. Cassiodorus, Livius lib. III. Dionysius lib. X. XVIR. LLM. SCRIBEND. C. AN. CCCII. Livius, Dionysius.

M. VETURIUS TI. F. SP. N. CRASSUS CICURINUS. TR. MIL. AN. CCCLIV. Livius libro V.

I

C. VETURIUS M. F. TI. N. CRASSUS CICURINUS. TR. MIL. AN. CCCLXXVII. TR. II. AN. CCCLXXXIV. Livius lib. VI.

T. VETURIUS P. F. *N. GEMINUS CICURINUS. COS. cum A. Virginio. AN. CCLIX. Cassiod. Dion. l. VI. Asconius in *Cornelianam*.

I

T. VETURIUS T. F. P. N. GEMINUS CICURINUS COS. cum T. Lucretio. AN. CCXCI. Cassiodor. Dionys. lib. IX. Livius lib. III.

SEMPRONIA GENS.

A. SEMPRONIUS *ATRATINUS. COS. cum M. Minucio. AN. CCLVI. Cassiod. Livius lib. II. Dionys. lib. VI. COS. II. eodem collega. AN. CCLXII. Cassiodorus, Livius, Dionysius libro VII.

A. SEMPRONIUS A. F. *N. ATRATINVS. TR. MIL. AN. CCCIX. Dionys. l. XI. Liv. lib. IV. Vitio factus abd.

I

C. SEMPRONIVS A. F. A. N. ATRATINVS. COS. cum Q. Fabio. AN. CCCXXXIX. Liv. li. IV. Val. l. III. c. II. & l. VI. c. V. cum Volscis ad Verruginem malè pugnasse scribit.

L. SEMPRONIUS A. F. *N. ATRATINUS. COS. cum L. Papirio. AN. CCCIX. Cassiodorus, Dionysius lib. XI. Livius lib. IV. CENS. cod. collega. AN. CCCX. Cicero libro Epistolarum IX.

I

A. SEMPRONIUS L. F. A. N. ATRATINUS. TR. MIL. AN. CCCXXIIX. TR. II. AN. CCCXXXIII. TR. III. AN. CCCXXXVII. Livius libro IV.

I

A. SEMPRONIVS A. F. L. N. ATRATINUS. MAG. EQ. T. Quinctio Dict. AN. CCCLXXIV. Livius libro VI.

MI-

MINUCIA GENS.

*MINUCIUS. *AUGURINUS.

M. MINUCIUS *F. *N. AVGVRINVS. COS. cum A. Sempronio. AN. CCLVI. Cassiodorus, Livius libro II. Dionysius lib. VI. cos. II. eodem collega. AN. CCLXII. Cassiodorus, Livius, Dionysius libro VII.

I

L. MINVCIVS M. F. *N. AVGVRINVS. cos. cum C. Nautio. AN. CCXCV. Hunc obsessum ab Æquis L. Quinctius Dict. obsidione liberavit, & magist. abd. coegit. Livius lib. III, Dionisius X. Valerius lib. II. cap. II.

P. MINVCIVS. *F. *N. AVGVRINVS. cos. cum T. Geganio. AN. CCLXI. Cassiodorus, Livius II. Dionysius libro VII.

I

Q. MINVCIVS P. F. N. AVGVRINVS. cos. cum C. Horatio. AN. CCXCVI. Cassiodorus, Livius libro III, Dionysius lib. X.

AQVILLIA GENS, ab aquillo, id est, nigro colore. Festus.

C. AQVILLIVS *SABINVS. COS. cum T. Sicinio. AN. CCLXVI. Dionysius lib. IIX. Livius lib. II. Hujus nepotem fuisse oportet eum, qui & *Corvus* dictus est, cujus filii fuere.

M. AQVILIVS C. F. *N. SABINVS De quo nihil comperti habeo.

I

C. AQVILIVS M. F. C. N. FLORVS. cos. cum L. Cornelio. AN. CDXCIV. Cassiod. Orosius lib. IV. cap. VII.

L. AQVILLIVS C. F. *N. CORVUS. TR. MIL. AN. CCCLXVII. Livius libro VII.

M. AQVILLIVS M. F. M. N. GALLVS. COS. cum C. Sempronio. AN DCXXIV. Cassiodorus, Vellejus libro II. Asiatici belli reliquias confecit. Florus libro II. cap. XX.

I

M. AQVILLIVS M. F. M. N. GALLVS. COS. cum C. Mario. AN. DCLII. Cassiodorus. Meminit Cicero *pro Scauro*.

I

C. AQVILIVS M. F. M. N. GALLVS. PR. PECULAT. AN. DCXXCVII. Cicero *pro Cluentio*, *Officiorum* III. in *Topicis*. Summus hic fuit Jurisconsultus. Cicero *pro Quinctio*, *pro Cæcinna*, Pomponius lib. II. *De origine juris.*

QVINCTILIA GENS.

SEX. QVINCTILIVS SEX. F. P. VARUS. COS. cum P. Curiatio. AN. CCC. Cassiodor. In magistratu mortuus est. Dionysius lib. X. Livius lib III.

I

M. QVINCTILIVS SEX. F. SEX. N. VARVS. TR. MIL. AN. CCCL. Livius libro V.

I

CN. QVINCTILIVS M. F. SEX. N. VARVS. DICT. CL. FIG. C. AN. CDXXII. Livius lib. IIX.

HORTENSIA GENS.

SEBASTIANUS Corradus, scriptorum veterum & antiquitatis bene peritus, quem nos, ut ejus in litterarum studia merita poscunt, honoris caussa nominamus, Hortensios plebejos fuisse existimat, tum quod Q. Hortensius Dictator legem de plebiscitis tulerit, tum etiam quod complures Hortensios Tribunatum pl. gessisse in veterum monumentis reperiat. Ego ut Hortensios inter Patricios referrem, hac potissimum caussa adductus sum. Video enim Q. Hortensium oratorem, cum in Quinctiana oratione, tum vero in Verrinis actionibus nobilem à Cicerone appellari: quod qua ratione verum sit, nisi Patricium fuisse dicamus, conjectura assequi certè nullo modo possum. Neminem etiam Hortensiorum, præter Lucium, (quem lib. XLIII. Livius prætorem fuisse scribit) ante hunc curulem gessisse magistratum reperio. Cum igitur conditione nobilis non sit, origine nobilem esse necesse est: cujusmodi Patricios fuisse jam ante dilucidè perspicueque, opinor, demonstravimus. Nec verò aut quia Dictator Hortensius legem de plebiscitis tulit, aut quia Tribuni pl. Hortensii fuerunt, plebeji existimandi sunt. Ille enim benevolentiam & voluntates plebis hac sua lege captabat, quod Poplicolas, Horatios, quod complures alios factitasse animadvertimus. Hi verò quod diversæ essent gentis, Tribuni pl. creati sunt, ut etiam

etiam in Corneliis, Claudiis, Semproniis. Uterer plurimis exemplis, nisi rem perspicuam arbitrarer & apertam. Ipsum quidem certè Hortensium magistratum plebejum adeptum, nulli, quod sciam, veterum tradiderunt. Hoc sanè miror, Ortalum Hortensii oratoris nepotem apud Tacitum in secundo ita loqui, *En stirps & progenies tot Consulum, tot Dictatorum*, cum unus ex Hortensiis fuerit Dictator, unicus etiam Consul. Hoc nimirum est quod in *Bruto* Cicero queritur, *Laudationibus historiam factam esse mendosiorem*. Multa enim scripta sunt in eis quæ facta non sunt, falsi triumphi, plures Consulatus, genera etiam falsa, & à plebe transitiones, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus: quod ex stemmate liquidò constabit.

Q. HORTENSIVS. DICT. SEDIT. SEDAND. C. AN. CDLXVII. Legem de Plebiscitis in Esculeto tulit. Plinius lib. XVI. cap. X. Gellius lib. XV. cap. XXVII. In magistratu mortuus est. Epitoma XI.

L. HORTENSIVS. *PR. AN. DXXCIII. Livius XLIII.

Q. HORTENSIVS. L. F. *N. AVGVR. Cicero in *Bruto*. TR. MILITARIS bello sociali. AN. DCLXIII. Cicero in *Bruto*. ÆDIL. CVR. AN. DCLXXIIX. Cicero in *Pratura urbana*, *de Offic*. II. PR. AN. DCXXCI. Cicero *actione* I. cos. cum Q. Cæcilio. AN. DCXXCIV. Cassiodorus, Cicero in *Verrinis actionibus*. Summus orator, senator sapientissimus, præstantissimus civis, mortuus est L. Paullo, C. Marcello coss. Cicero *de claris Oratoribus*, Cælius lib. IIX. *Epist*. ad Ciceronem. Meminit Plinius lib.xx. cap. xx. lib.XIV. cap. XIV. & lib. XXXV. cap. XI. Macrobius *Saturn*. III. Plutarchus in *Catone*. Vellejus lib. IIX. cap. X. lib. IX. cap. IV. Gellius.

I

Q. HORTENSIVS. Q. F. L. N. ORTALVS. PR. provinciam Macedoniam obtinuit. Plutarchus in *Bruto*. Dio lib. XLVI. Ab Antonio post pugnam Philippicam ad fratris monumentum occisus. Plutarchus in *Antonio*. Vellejus lib. II. Epitoma CXXIV. Meminit Cicero ad Atticum VI. & IX. Valerius lib. V. cap. IX.

I

M. HORTENSIVS. Q. F. Q. N. ORTALVS. Meminit Tacitus lib. II. Suetonius in *Tiberio*. Valerius cap. V. lib. III. *Corbionem* appellat, & dissolutum, perditum, profusum, nepotem fuisse scribit.

OCTAVIA GENS.

OCTAVIAM gentem Velitris olim præcipuam fuisse scribit in *Augusto* Suetonius. Ea verò à Tarquinio Prisco rege in Senatum lecta, & à Ser. Tullio inter Patricias cooptata, procedente tempore ad plebem se contulit. longo deinde intervallo à C. Cæsare, Cassia lege, in patriciatum revocata est. Auctor hujus gentis, qui quidem primus magistratum populi suffragio adeptus sit, Cn. Rufus perhibetur à Suetonio. Is quæstorius mortuus est. ejus verò filius primus ex hac familia Consul est factus: cujus rei auctor est Cicero libro *de Officiis* I. *Cn. Octavio*, inquit, *qui primus ex illa familia Cos. factus est, honori fuisse accepimus, quod præclaram ædificasset in Palatio, & plenam dignitatis domum: quæ cùm vulgò viseretur, suffragata domino, novo homini, ad Consulatum putabatur.* Et *Philippica* nona, *Cn. Octavii clari & magni viri, qui primus in eam familiam, quæ postea viris fortissimis floruit, attulit Consulatum, statuam videmus in rostris.* Atque hæc de prima Octaviæ gentis familia. Altera verò nullis neque rebus gestis, neque honoribus floruit. Testis est ipse Augustus, qui nihil amplius quam equestri familia ortum se scribit, vetere ac locuplete, & in qua primus Senator pater suus fuerit, quem pro prætore Macedoniam provinciam obtinuisse, Cicero ad Q. fratrem satis dilucide ostendit. Hinc inscripio vetus in hortis Colatianis Romæ legitur talis:

C. OCTAVIVS. C. F. C. N. P. PATER AVGVSTI.
TR. MIL. BIS. Q. AEDILIS. PL. CVM. C. TORANIO. IVDEX. QVAESTIONVM. IMPERATOR. APPELLATVS. EX. PROVINCIA. MACEDONIA.

CN. OCTAVIVS. CN. F. *N. RVFVS. QVAESTOR fuit. Suetonius in *Octaviano*.

CN.

CN. OCTAVIVS. CN. F. CN. N. PR. AN. DXXCII. De rege Perse navalem triumphum egit. Livius lib. XLV. Vellejus lib. I. Plinius lib. XXXIV. cap. III. cos. cum T. Manlio, AN. DXXCIIX. Cassiodorus. Legatus à Senatu in Syriam missus. Laodiceæ in gymnasio à Leptine est interfectus, Scipione, Marcio coss. Cicero lib. *de Finib.* I. *Philipp.* IX. Appianus in *Syriacis*, Suetonius.

I

CN. OCTAVIVS. CN. F. CN. N. cos. cum T. Annio. AN. DCXXV. Cassiodorus.

I

CN. OCTAVIVS. CN. F. CN. N. cos. cum P. Cornelio. AN. DCLXVI. Cassiodorus. In magistratu à Marianis occisus est. Appianus I. Epitoma XXC. Cicero *Tusculana* V. Ubi C. vulgo corruptè legitur. *

C. OCTAVIVS. CN. F. CN. N. in Equestri ordine nullis honoribus functus permansit. Suetonius.

I

C. OCTAVIVS. C. F. CN. N. TR. MIL. in Sicilia Aimilio Papo Imp. Suetonius.

I

C. OCTAVIVS. C. F. C. N. Municipalibus magisteriis contentus, abundante patrimonio tranquillissimè ad summam senectutem vixit.

I

C. OCTAVIVS. C. F. C. N. AEDIL. PL. PR. AN. DCXCII. Provinciam Macedoniam sortitus est. Suetonius, Cicero Epist. ad Q. Fr. I.

I

C. OCTAVIVS. C. F. C. N. Ab C. Julio Cæsare testamento adoptatus. C. IVLIVS. CAESAR. OCTAVIVS. APP. EST.

*

C. OCTAVIVS. CN. F. CN. N. cos. cum C. Aurelio. AN. DCLXXIIX. Cassiodorus, Cicero *Accusatione* I.

M. OCTAVIVS. CN. F. CN. N. De quo nihil accepimus.

I

CN. OCTAVIVS. M. F. CN. N. cos. cum M. Scribonio. AN. DCLXXVII. Cassiodorus.

PLEBEIAE GENTES.

LICINIA GENS.

HACTENUS Patricias gentes persecuti sumus, quàm potuimus diligentissimè: restat ut de Plebejis videamus. Plebeji verò qui à patriciis non origine, sed genere, sacris, auspiciis, honoribus separantur, trium fere generum sunt. Est enim infima plebecula, quæ operosas & quæstuosas artes exercet. Sunt equites, qui in Senatum lecti non sunt, quive CDM. HS in bonis habent. Sunt etiam nobiles, quorum majores, curules magistratus essent adepti. Equites qui sub regibus primò *Celeres*, deinde *Flexumines*, postea *Trossuli* ad ætatem usque C. Gracchi, Junio Gracchano auctore, appellati sunt: alii publico equo merebant, quos *militares* Plinius lib. XXXIII. appellat: alii privato. Hanc equitum differentiam præter Plinium Livius quoque lib. XXVII. satis apertè indicat. *Illis omnibus*, inquit, (*& multi erant*) *adempti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant. addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent.* Qui equo publico stipendia facerent, à Ser. Tullio primùm instituti sunt: iisque bina millia æris ad equos alendos attributa, Livius lib. I. ostendit. Bello deinde Vejenti (ut idem libro V. tradit) primùm equis merere equites coeperunt: quod de privatis equis intelligendum est. Ait enim paullo

ante: *Cum repente quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, consilio prius inter se habito, Senatum adeunt, factaque dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt.* Cicero verò in illo suo numquam satis laudato Consulatu, primus equites à plebe separavit, & tertium equitum ordinem in rempublicam induxit. Sic L. quoque Otho lege lata equitum subsellia à populari consessu disjunxit. Atque ab illo tempore (ut Plinius scribit) tertium hoc corpus in republica factum est, coepitque adjici Senatui populoque Romano equester ordo: cujus insigne annulus erat, ut Senatorum latus clavus & calceus lunatus. qua de re in libro nostro *de magistratibus Roman.* I. copiosius. Nobiles verò plebeji, quorum majores familiæ suæ imagines essent consecuti, nominati sunt. Nam ut qui à primis Romuli Senatoribus originem duxerunt, *Patricii* appellari, sic *plebeji* ipsi quoque, postquam magistratus illis atque honorum insignia & ornamenta patuerunt, nobiles dici voluerunt. Neque tamen ignoro promiscue & communiter hoc verbum usurpari ab auctoribus: plebejorum tamen proprium facile crediderim, cum in toga candida ita scribat Pædianus: *Cicero competitores quatuor plebejos habuit, ex quibus duo nobiles, duo qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant.* Quo enim alio nomine eos, qui jus imaginis (ut Cicero loquitur) ad memoriam posteritatemque prodendam adepti essent, appellaremus, non certe reperio. Verum hæc quoque hactenus de plebejis familiis. Licinia verò gens, & antiquitate generis, & rebus gestis plebejarum omnium facile princeps, in quatuor familias dividitur: quarum antiquissima eorum est, qui *Stolones* dicti sunt. Stoloni verò pampinatio inventa primo dedit nomen: ita enim appellari in arboribus fruticationem inutilem auctor est Plinius libro XVII. cap. I. Qua de re sic Varro lib. *de re rustica* I. *Nam Stolonis illa lex, quæ vetat plus D. jugera habere civem Rom. & qui propter diligentiam culturæ Stolonum confirmavit cognomen, quod nullus in ejus fundo reperiri poterat stolo, quod effodiebat circum arbores, è radicibus quæ nascerentur è solo, quos stolones appellabant.* Reliquarum familiarum nomina in quibus Crassi sunt, Murænæ, & Luculli, à studio & natura ducta satis constat.

P. LICINIUS *CALVUS PRIMUS. E. PLEBE. TR. MIL. COS. POT. AN. CCCLIII. Livius libro V.

P. LICINIVS P. F. *N. CALVUS. TR. MIL. AN. CCCLVII. Livius lib. V.

I

P. LICINIVS P. F. P. N. VARVS. De quo nihil tradunt auctores.

*

C. LICINIVS P. F. *N. CALVUS. De quo nihil accepimus.

I

C. LICINIVS C. F. P. N. CALVUS. TR. MIL. AN. CCCLXVII. TR. PL. cum L. Sextio quinquennium sine curuli magistratu rempub. administravit. Livius lib. VI. PRIMVS. E. PLEBE. MAG. EQ. P. Manlio Dict. AN. CCCXXCV. Livius eodem. COS. cum C. Sulpicio. AN. CCCXXCIX. Livius libro VII. Valerius libro II. cap. I. COS. II. AN. CCCXCII. Livius eodem.

*

P. LICINIVS P. F. P. N. CRASSVS DIVES. PONT. MAX. Cicero in *Catone*. MAG. EQ. Q. Fulvio Dict. AN. DXLIII. Livius libro XXVII. CENS. cum L. Veturio. AN. DXLIII. PR. AN. DXLV. Livius eodem. COS. cum P. Cornelio. AN. DXLIIX. Livius l. XXIIX. Cic. in *Bruto*. Hunc nunquam risisse, ob eamque causam *Agelastum* appellatum Plin. refert lib. VII. cap. XIX. Idem tradit Solinus capite III.

*

C. LICINIVS P. F. P. N. VARVS. COS. cum P. Cornelio. AN. DXVII. Cassiodorus.

C. LICINIVS C. F. P. N. CRASSVS. COS. cum L. Aimil. AN. DXXCV. Liv. lib. XLIV.

P. LICINIVS C. F. P. N. CRASSVS. PR. AN. DLXXVII. Livius lib. XLI. COS. cum C. Cassio. AN. DXXCII. Cassiod. Bellum cum Perse Macedonum rege gessit, prælio equestri à rege victus est & profligatus, Liv. l. XLII. Meminit Pli. l. VII. c. IV. Gell. IX. c. IV.

*

P. LICINIVS P. F. P. N. CRASSVS MVCIANVS. PONT. MAX. COS. cum L. Valerio. AN. DCXXII. Cassiodorus, Cicero *Philipp.* XI. Proconsul bellum adversus Aristonicum gessit in Asia. Val. lib. IIX. c. VII. ab Epit. LIX. Vell. l. II. Aristonico occisum scribit. Livius, ut est in Epitoma LIX. in prælio cecidisse tradit. Eum Strabo est secutus lib. XIV. & Eutropius lib. IV. Valerius verò lib. III. cap. II. à barbaro quodam occisum refert. Meminit Gellius libro I. cap. XIII. Cicero in *Catone*, *Bruto*, *de Orat.* I. ad Atticum V. Pomponius l. II. *de origine juris.*

*I

M. LICINIVS P. F. P. N. CRASSVS. Opinor hunc esse quem Cicero libro *de Oratore* I. Ædilitatem petiisse scribit, & fratrem P. Mucii appellat. Sed an ibi P. recte legatur, doctiores judicabunt.

**I

L. LICI-

*I

L. LICINIVS P. F. P. N. CRASSVS. TR. PL. Mario, Cassio coss. Cicero in *Bruto*. ÆDILIS CVRVL. Cicero *de Officiis* II. & *de signis*. cos. cum Q. Mucio AN. DCLIIX. Cicero in *Bruto*. Galliam proconsul administravit, quum latrones provinciam infestam reddentes confecisset, triumphum petiit, intercedente Scævola non obtinuit. Cicer. lib. I. *Rhetoricorum, in Pisonem*, & Asconius. CENS. cum Cn. Domitio. AN DCLXI. Cicer. lib. *de Oratore* II. Plin. lib. XVII. Valerius lib. IX. cap. I. Macrob. lib. III. *Saturn.* cap. XV. Quum in Philippum cos. Idibus Septembris summa cum auctoritate in Senatu perorasset, cum febri domum rediit, dicque septimo est lateris dolore consumptus, L. Philippo, Sex. Julio coss. Cicero lib. *de Orat.* III. Val. lib. VI. cap. II. Meminit Plinius lib. XXXVI. cap. III.

I

L. LICINIVS L. F. P. N. CRASSVS. Meminit Plinius libro XXXIV. capite III.

**I

P. LICINIVS M. F. P. N. CRASSVS. cos. cum Cn. Cornelio. AN. DCLVI. Cassiodorus, Plinius libro X. capite II. & libro XXX. capite I. Plutarchus in *Crasso*. Proconsul adversus Lusitanos prosperè pugnavit, de Hispanis triumphavit. Strabo lib. III. Asconius in *Pisonianam*. CENS. cum L. Julio. AN. DCLXIV. Plinius libro XIII. Plutarchus, Cicero *pro Archia*. Hic ne in manus inciderct hostium, seipsum interemit, bello civili Mariano. Cicero *Tusculana* quinta, *pro Scauro*. Asconius, Lucanus libro II. *

M. LICINIVS P. F. M. N. CRASSVS DIVES. PR. AN. DCXXCII. Primus cum parte fugitivorum quæ ex Gallis Germanisque constabat feliciter pugnavit, cæsis hostium XXXV. millibus, & duce eorum Granico, cum Spartaco deinde bellavit, cæsis cum ipso millibus XL. ovans in urbem cum laurea primus est ingressus. Epitoma XCVII. Gellius lib. V. cap. VI. Plinius lib. XV. cap. XXII. & XVI. cap. XXIX. Florus lib. III. cap. XX. Cicero *in Pisonem*, & *Accusationis* V. cos. cum Cn. Pompejo. AN. DCXXCIII. Cassiodorus. Epitome XCVII. Appianus lib. I. Salustius in *Catil.* CENS. cum Q. Lutatio AN. DCXXCIIX. Plutarchus. cos. II. cum Cn. Pompejo. AN. DCXCIIX. Cassiodorus, Dio libro XXXIX. Cæsar *de bello Gallico* IV. Contra Parthos bellum gessit, ab iis victus, cum filio & toto ferè exercitu trans Euphratem maxima cum ignominia & dedecore periit. Epitome CVI. Appianus in *Parthicis*. Dio lib. XL. Plutarchus in vita. Plin. lib. XXXIII. cap. X. Vellejus lib. II. Florus lib. III. cap. XI. Eutropius VI. Ovidius *Fastorum* VI. Cicero lib. I. & II. *de Divinatione*.

*

P. LICINIVS P. F. M. N. CRASSVS. Ab equitibus Fimbriæ bello civili Mariano occisus est. Epitoma XXC. Lucan. li. II. Flor. lib. III. capite XXI.

M. LICINIVS M. F. P. N. CRASSVS. In exercitu Cæsaris militavit in Gallia. Cæsar lib. I. Maritimas civitates quæ Oceanum attingunt, in deditionem accepit. lib. II. in Aquitaniam missus cum exercitu, Sontiates, Vocates, Tamosates profligavit, & maximam Aquitaniæ partem in deditionem accepit, lib. III. Quæstor Cæsaris in Gallia. AN. DCXCIX. lib. V. & VI. *de bello Gallico*. Ad bellum Parthicum cum equitibus mille à Cæsare missus, in prælio occisus est. Appianus, Plutarchus, alii.

I

M. LICINIVS M. F. M. N. CRASSVS. COS. cum C. Julio. AN. DCCXXIII. Cassiodorus, Dio libro LI.

I

M. LICINIVS M. F. M. N. CRASSVS. COS. cum Cn. Cornelio. AN. DCCXXXIX. Cassiodorus, Dio libro LIV.

P. LICINIVS M. P. N. CRASSVS. Hunc Plut. in *Cicer.* Digno cuidam similem fuisse refert, ac propterea matrem impudicitiæ à plerisque notatam. In hunc est illud Ciceronis, *Dignus quidem Crassi est.*

LICINII LVCVLLI.

L. LICINIVS L. F. *N. LVCVLLVS. Nullum est adeptus magistratum.

I

L. LICINIVS L. F. L. N. LVCVLLVS. COS. cum A. Postumio. AN. DCII. Cassiodorus. Hispaniam provinciam sortitus Vacceos, Cantabros, & alias adhuc incognitas nationes subegit. Epitome XLIIX. Appianus in *Hispaniensibus*. Meminit Cicero in *Bruto*, & lib. *Academicarum quæst.* IV.

I

L. LICINIVS L. F. L. N. LVCVLLVS. Hunc furti damnatum Plut. in *Lucullo* scribit.

L. LICINIVS L. F. L. N. LUCVLLVS QVÆSTOR in Asiam profectus est, ibi permultos annos admirabili quadam laude provinciæ præfuit, deinde absens factus Ædilis, continuò prætor; pòst in Africam missus, inde cos. factus est cum M. Aurelio. AN. DCLXXIX. Cassiodor. Cic. *Accusationis* V. Bellum cum Mithridate novem annis feliciffimè sine ullo ærarii sumptu gessit. Eum sæpe multis locis fudit. Cyzicum obsidione liberavit. Tigranem regum Maximum in Armenia vicit: deque iis Cicerone, Antonio coss. triumphavit. Epit. XCIV. & seq. Florus lib. III. cap. V. Eutropius lib. VI. Plutarch. in vita, Appianus in *Mithridaticis*, Dio lib. XXXV. Vellejus lib. II. Cicero *pro lege Manilia* & *pro Murena*, & in *Academicis*. Meminit Plin. lib. XXXVI. cap. VI. Julius Solinus V. XXI. alii.

I

L. LICINIVS L. F. L. N. LVCVLLVS. Meminit Cicero *de Finibus* III. Pugna Philippensi cecidit. Vellejus lib. II.

M. LICINIVS L. F. L. N. LUCVLLVS PONTIFEX. Cicero *pro Domo*. Ædilis curulis fuit cum fratre. Plutarchus in *Lucullo*. Plinius libro IIX. cap. VII. PR. INTER PEREG. Asconius *in orat. contra Catilinam*. cos. cum C. Cassio. AN. DCXXC. Cassiodorus, Cicero *pro Cluentio*, *& Verrina* III. Bessis primus Romanorum per Thraciam bellum intulit, atque eos ingenti prælio in Aemo monte superavit, & ex Macedonia triumphavit. Cicero *in Pisonem*, & Asconius, Orosius lib. VI. cap. III. Florus lib. III. cap. IV. Eutropius libro VI.

LICINII MURÆNÆ, ex municipio Lanuvio. Cicero *pro Muræna.*

L. LICINIUS *MURÆNA. PR. AN. DCLXX. Cum Mithridate bellum gessit, deque eo Sulla, Metello coss. triumphavit. Appianus in *Mithridaticis.* Cicero *pro lege Manilia*, & *pro Muræna.*

L. LICINIUS L. F. *N. MURÆNA. Legatus L. Luculli in Asia. Ædilis curulis. AN. DCXXCV. In circo pægma duxit, in quo fuere argenti pondo CXXIV. Plinius lib. XXXIII. cap. III. PR. URB. AN. DCXXCIIX. Galliam provinciam sortitus est. Cicero *pro Muræna.* COS. cum D. Silano. AN. DCXCI. Cassiodorus, Dio lib. XXXVII. Ambitus à Catone & Sulpicio accusatus, à Cicerone COS. defensus, absolutus est. Plutarchus in *Cicerone.*

C. LICINIUS L. F. L. N. MURÆNA. Hunc opinor Galliam Transalpinam Proprætore obtinuisse, quod ex Muræniana Ciceronis Oratione colligi posse videtur.

AURELIA GENS.

AURELIA gens à Sabinis oriunda. A Sole primùm Auselia dicta est, quòd ei publicè datus locus, in quo sacra Soli faceret. auctor Festus Pompejus.

L. AURELIUS C. F. *N. COTTA. De quo nihil accepimus.

C. AURELIUS L. F. C. N. COTTA. COS. cum P. Servilio. AN. DI. Cassiodorus, Cicero in *Lucullo.* Frontinus lib. IV. *Stratagemat.* de Pœnis triumph. Orosius libro IV. cap. VII. COS. II. cum P. Servilio. AN. DV. Cassiodorus. CENS. cum N. Fabio, AN. DXII. MAG. EQ. C. Duilio Dictat. AN. DXXII. Meminit Valerius lib. II. cap. II.

C. AURELIUS C. F. L. N. COTTA. PR. AN. DLI. Liv. lib. XXX. COS. cum P. Sulpicio. AN. DLIII. Cassiodorus.

L. AURELIUS C. F. C. N. COTTA. COS. cum Ser. Sulpicio. AN. DCIX. Cassiodorus, Valerius lib. VI. cap. IV.

L. AURELIUS L. F. L. N. COTTA. COS. cum L. Cæcilio. AN. DCXXXIV. Cassiodorus, Plutarchus in *Mario.*

M. AURELIUS L. F. L. N. COTTA. Meminit Valerius Maximus libro V. cap. IV.

L. AURELIUS C. F. L. N. ORESTES. De quo nihil tradunt auctores.

L. AURELIUS L. F. C. N. ORESTES. COS. cum Sex. Julio. AN. DXCVI. Cassiodorus. Meminit Plinius lib. XXXIII. cap. III.

L. AURELIUS L. F. L. N. ORESTES. COS. cum Mam. Æmilio. AN. DCXXVII. Cassiodorus. Sardos subegit. Epitoma LX. Plutarch. in *Gracchis.* Meminit Cicero in *Bruto.*

C. AURELIUS L. F. L. N. ORESTES. De quo nihil meminit Cicero in *Bruto.*

L. AURELIUS L. F. L. N. ORESTES. COS. cum C. Mario. AN. DCL. Cassiodorus.

M. AURELIUS M. F. L. N. COTTA. COS. cum M. Licinio, AN. DCLXXIX. Cassiodorus, Asconius *in Cornelianam.*

M. AURELIUS *SCAURUS. Quæstor L. Flacci. Cicero *Verrina* prima & tertia. COS. cum Ser. Sulpicio. AN. DCXLV. Cassiodorus, Jul. Obsequens. Legatus C. Manlii cos. à Cimbris captus, quum in consilium ab iis evocatus deterreret eos ne Alpes transirent, Italiam petituri, quod diceret Romanos vinci non posse, à Bojorige, feroci juvene occisus est. Epit. LXVII. Orosius l. V. c. XVI. *Æmilium* mendosè appellat. Meminit Vellejus Paterculus lib. II.

C. AURELIUS M. F. L. N. COTTA. COS. cum L. Octavio. AN. DCLXXIIX Cassiodorus. Summus hic fuit orator, ut patet ex Ciceronis libris *de Oratore* & *Bruto.* Legem tulit ut liceret Trib. pl. alios magistratus capere. Cicero *pro Cornelio*, & Asconius. Ex Consulat. in Galliam cum imperio profectus est, & cum illi decretus esset triumphus, mortuus est ante diem triumphi. Cicero & Asconius *in Pisonem.*

L. AURELIUS M. F. L. N. COTTA. PR. AN. DCXXCIII. Judicia ad equites Romanos transtulit. Epit. XCVII. Asconius *in Pisonianam*, judicia L. Aurelia inter Senatum, equites R. & Trib. ærarios communicata scribit. Idem ferè Vellej. lib. II. COS. cum L. Manlio. AN. DCXXCIIX. Cassiod. Dio libro XXXVII. Asconius *in Cornelianam.* CENS. cum P. Servilio. AN. DCXXCIX. Plutarchus in *Cicerone.* Cicero *pro Domo.* Meminit idem *pro Sextio*, & libro *de Legibus* tertio.

DECIORUM FAMILIA.

AMPLISSIMA fuit & clariſſima Romæ Deciorum familia, cum propter res domi militiæque præclarè fortiterque geſtas, tum verò propter ſingularem erga patriam pietatem & amorem. Nam P. Decius parens hujus familiæ, (qui ut Cicero & Valerius teſtantur) primus è Deciis Conſul fuit, Codri Athenienſium regis exemplo, devovit ſe, & voluntariam mortem pro patria oppetiit: cujus mors ita glorioſa fuit, ut eandem concupiſceret filius, & ampliſſimis perfunctus honoribus, & quartum tum Conſul. Nepos verò haud ipſe majorum ſuorum virtute indignus, & quidem certè laudem quæ in hac familia floruit, cupidiſſimè eſt perſecutus, diſſimili tamen ratione: neque enim ſe devovit (ut quidam exiſtimant) ſed Conſul, in prælio contra Pyrrhum fortiter pugnans cecidit. Præclara ſane hujus familiæ & immortalis ad laudem & gloriam poſteris fuiſſet memoria, niſi eam, quæ nihil habet perpetuum, nihil firmum, fortuna, è medio quaſi curſu revocaſſet, ut quam ſecundiſſimo vento in altum provexiſſet, eandem ante obrueret, quam portum conſpicere poſſet. Neque enim quemquam è Deciis poſt hos, aut honores adeptum, aut magiſtratus geſſiſſe, aut virtute aliqua vel mediocri floruiſſe accepimus. Plebejam verò hanc eſſe familiam omnibus, opinor, perſpicuum eſt: & Livius lib. IX. & X. ſatis dilucidè oſtendit: atque etiam probant iſti Juvenalis verſiculi, quos adſcribere libuit:

Plebejæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: pro totis legionibus attamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latina
Sufficiunt diis infernis, terræque parenti.

Exſtat inſcriptio vetus P. Decii ejus qui quartum Cos. fuit, in lib. *Epigram. urbis antiquæ*: quam, quia ejus de Samnitibus triumphum indicat, de quo non ſatis inter omnes conſtat, ſubjiciendam exiſtimavi:

P. DECIVS P. DECII F. PRIMO COS. DE
SAMNITIBVS TRIVMPHANS, SPOLIA
EX HIS CERERI CONSECRAVIT, ITE-
RVM ET TERTIO CONSVL.

P. DECIVS. Q. F. *N. MVS. TR. MILITARIS. M. Valerio, A. Cornelio coss. Exercitum bello Samnitico obſidione liberavit. Livius lib. VII. & XXII. Cicero lib. *de Divinatione* I. cos. cum T. Manlio. AN. CDXIII. Caſſiodorus. Bello Latino, quum Romanam aciem inclinatam videret, pro ſalute reipub. devovit ſe, atque in aciem Latinorum irrupit armatus, factaque ingenti ſtrage telis obrutus, pro patria fortiter occubuit: quo ejus facto ſuperati ſunt, & deleti Latini. Livius lib. IIX. Cicero in *Catone* & *Tuſculana* I. Plinius lib. XXII. cap. XXV. Valerius lib. V. cap. VI. Florus lib. I. cap. XIV. ubi pro *Mure Murana* mendosè ſcriptum eſſe, rectè docuit Cuſpinianus.

I

P. DECIVS. P. F. Q. N. MVS. PONTIFEX. MAX. Livius lib. X. cos. cum M. Valerio. AN. DCXLI. Caſſiodorus, Diodorus lib. XIX. Hunc graviter in magiſtratu ægrotaſſe Livius lib. IX. ſcribit. Auctor verò de viris illuſtribus, primo Conſulatu de Samnitibus Decium triumphaſſe tradit. quod ſane vetus inſcriptio, quam ſuprà retulimus comprobare videtur. cos. II. cum Q. Fabio. AN. CDXLV. Caſſiodorus, Diodorus lib. XX. MAG. EQ. P. Cornelio Dict. AN. CDXLVII. CENS. cum Q. Fabio. AN. CDXLIX. Livius lib. IX. cos. III. cum Q. Fabio. AN. CDLVI. Imperium illi ut rem in Samnio gereret, in annum ſequentem prorogatum. Murgantiam validam gentis urbem vi cepit, inde Romuleam, mox Ferentinum. Livius lib. X. cos. IV. cum Q. Fabio. AN. CDLIIX. pro patria, exemplo patris, bello Etruſco ſe devovit. Livius lib. X. Plinius lib. XXIIX. cap. II. Cicero lib. *de Finibus* II. *Tuſculana* I. In *Catone*. *Pro Sextio*. *Pro Domo*. *De Natura Deorum* III. auctor ad Herennium lib. IV. Valerius lib. V. cap. VI.

I

P. DECIVS. P. F. P. N. MVS. cos. cum P. Sulpicio. AN. CDLXXIV. In prælio contra Pyrrhum occiſus eſt. Cicero lib. *de Finibus* II. & *Tuſculana* I. Eutropius lib. II.

CAECILIA GENS.

VARIAS & diverſas fuiſſe veterum de Cæciliæ gentis origine opiniones, teſtis eſt libro III. Feſtus Pompejus. Nam alii à Cæculo, qui Præneſte condidit, ortos Cæcilios, alii verò à Cæcade Trojano Æneæ comite ſic nominatos exiſtimarunt. Tertiam ipſe quoque Pompejus nominis rationem affingit, qui à caculis deducit. *cacula* autem ſervus militis dicitur. unde illud Plauti, *Video caculam militarem*. Quod ſi verum eſt, ſine diphthongi nota *Cecilios*, cum eruditiſſimo acerrimique judicii viro Seb. Corrado, ſcribendos exiſtimarem: neque tamen his in rebus nimium laboro, quibus pleruraque fidem & auctoritatem antiquitas derogare videtur. Princeps & parens hujus gentis L. Cæcilius, opi-

 nor,

nor, est, qui cum Servilio Consul fuit, & prætorà Gallis unà cum exercitu oppressus est. Nemo enim de Cæciliis ante hunc (quod quidem veterum annalium monumenta declarent) curulem magistratum gessit. Verùm hi in tantum deinde maximis amplissimisque honoribus aucti sunt, ut Nævius poëta, fato Metellos fieri Consules dicere non dubitarit, ut est apud Pædianum. Qua de re sic Paterculus libro II. scribit, *Ut paullo ante Domitiæ familiæ, ita Cæciliæ notanda claritudo est, quippe intra* XII. *ferme annos hujus temporis Coss. fuere Metelli, aut Censores, aut triumpharunt amplius* XII. Ut appareat quemadmodum urbium imperiorumque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire. *Metelli* verò à *metellis*, qui in lege militari dicuntur quasi mercenarii, nominati sunt, auctore Aecio. Reliqua Cæciliorum cognomina ex devictis gentibus ducta sunt. Legitur epigramma L. Cæcilii ejus qui Asdrubalem vicit, in antiquitatibus urbis, ejusmodi:

S. P. Q. R.
L. METELLVS PONT. II. COS. DICT. MAG. EQ. XVVIR LL. AG. DAND. QVI PRIMVS ELEPHANTOS PRIMO PVNICO BELLO DVXIT IN TRIVMPHO. PRIMARIVS BELLATOR, OPTVMVS ORATOR, FORTISSIMVS IMP. AVSPICIO SVO MAXIMAS RES G. MAXIMO VSVS HONORE. SVMMA SAPIENTIA. MAX. SEN. PARTAM EX AEQVO PECVNIAM MAG. SING. L. RELIQVIT. CLARISSIMVS IN CIVITATE FVIT. TRIBVIT EI VT QVOTIES IN SENATVM IRET, CVRRV VEHERETVR AD CVRIAM. QVOD A CONDITO AEVO NVLLI ALII CONTIGIT.

L. CAECILIVS. C. F. *N. METELLVS. cos. cum C. Servilio. AN. CDLXIX. Cassiodorus. PR. anno sequenti, à Gallis unà cum exercitu oppressus est. Epitome XII.

I

L. CAECILIVS. L. F. C. N. METELLVS. PONT. MAX. Dionysius lib. II. Plinius lib. VII. cap. XLIII. Epitoma XIX. Valerius lib. I. cap. IV. Cicero in *Catone*. cos. cum C. Furio. AN. DII. Proconsul in Sicilia Asdrubalem vicit. XX M. Carthaginiensium cæsis, elephantis XXVI. interfectis, CIV. captis, de Pœnis speciosissimum triumphum egit. Polybius lib I. Epitoma XIX. Eutropius lib. II. Plinius lib. IIX. cap. VI. MAG. EQ. A. Atilio Dict. AN. DIV. COS. II. cum N. Fabio. AN. DVI. Cassiodorus, Plinius lib. VII. cap. XLIII. DICT. COMIT. HABEND. C. AN. DXXIX. Plinius lib. VII.

I

Q. CAECILIVS. L. F. L. N. METELLVS. MAG. EQ. M. Livio Dict. ab eodem cos. creatus est, cum L. Veturio. AN. DXLVII. Livius lib. XXIIX. DICT. COMIT. HABEND. C. AN. DXLIIX. Livius lib. XXIX. Meminit Cicero in *Bruto*.

*

Q. CAECILIVS. Q. F. L. N. METELLVS. MACEDONICVS. PR. AN. DCV. Andriscum qui *Pseudophilippus* dictus est, vicit, unde *Macedonicus* diei meruit. Prorogatoque imperio Achæos Bœotosque superavit, & de Andrisco triumphavit. Epitoma XLIX. & LI. Vellejus lib. II. Eutropius lib. IV. cos. cum Ap. Claudio. AN. DCX. Cassiodorus, Orosius l. V. c. XI. Proconsul Celtiberos cæcidit. Epitoma LIII. Florus l. II. C. XVII. CENS. cum Q. Pompejo. AN. DCXXII. Et tum primùm uterque è plebe Censores facti. Epitoma LIX. *

L. CAECILIVS. Q. F. L. N. METELLVS. CALVVS. cos. cum Q. Fabio. AN. DCXI. Cassiodorus, Cicero ad Atticum XII. Julius Obsequens. Meminit Valerius lib. IIX. cap. V.

I

L. CAECILIVS. L. F. Q. N. METELLVS. CALVVS. cos. cum L. Aurelio. AN. DCXXXIV. Cassiodorus, Julius Obsequens. Meminit Plutarch. in *Mario*. CENS. cum Cn. Domitio. AN. DCXXXIIX. Cicero *pro Domo*. Hi Censores artem Ludicram ex urbe removerunt, præter Latinum tibicinem cum cantore, & ludum talorum, ut est apud Cassiodorum.

I

Q. CAECILIVS. L. F. L. N. METELLVS. QVI. POSTEA. NVMIDICVS E. APP. cos. cum M. Juoio. AN. DCXLIV. Cassiodorus, Cicero in *Bruto*, *pro Cornelio*, & ibi Asconius. Provinciam Numidiam sortitus, duobus præliis Jugurtham fudit. Thalam oppidum cepit, & universam Numidiam vastavit. Romam reversus ex Numidia triumph. Epitome LXV. Salustius in *Jugurth*. Florus lib. III. Eutropius lib. IV. Rogatione Saturnini Tribuoi pl. Mario, Valerio coss. in exilium pulsus, revocatus ingenti favore pop. Antonio, Postumio coss. Plutarch. in *Mario*, Appianus lib. I. Cicero *pro Sextio*, & *in Pisonem*, Epitoma LXIX.

I

Q. CAECILIVS. Q. F. L. N. METELLVS. SCIPIO. PIVS. cos. cum L. Sulla. AN. DCLXXIII. Cassiodorus, Appianus lib. primo. Vellejus II. Bellum adversus Sertorium in Hispania gessit. Plutarch. 10 *Sertorio*, Valerius lib. IX. cap. I.

I

Q. CAECILIVS. Q. F. Q. N. METELLVS. PIVS. SCIPIO. cos. cum Cn. Pompejo. AN. DCCI. Cassiodorus Post Pompeii cædem adversus Cæsarem in Africa bellum gessit, à quo victus, quum Hispaniam peteret, P. Sitii classe circumventus interiit. Epitoma CXIV. Hirtius lib. V. Dio lib. XLIII.

Q. CAE-

Q. CAECILIVS. Q. F. Q. N. METELLVS, QVI. POSTEA. BALEARICVS. APP. E. COS. cum T. Quinctio. AN. DCXXX. Cassiodorus, Eutropius lib. IV. Orosius lib. V. cap. XI. Baleares vicit, deque iis triumph. Florus lib. III. cap. IIX. Epitoma LX. Strabo lib. XIII. CENS. cum Q. Servilio. AN. DCXXXIII. Cicero lib. *de Finibus* V. & post reditum ad Quirites.

L. CAECILIVS. Q. F. Q. N. METELLVS. DIADEMATVS. COS. cum Q. Mucio. AN. DCXXXVI. IN HOC HONORE DALMATICVS. E. APP. Cassiodor. Plut. in *Coriolano*. Dalmatas subegit, deque iis triumphavit. Epitome LXII. Eutropius l. IV. De manubiis Dalmaticis ædem Castoris extruxit. Asconius *Verrina* II.

M. CAECILIVS. Q. F. Q. N. METELLVS. COS. cum M. Aimilio. AN. DCXXXIIX. Cassiodorus. Sardos vicit, deque iis triumph. Eutropius libro IV. Vellejus II.

C. CAECILIVS. Q. F. Q. N. CAPRARIVS. COS. cum Cn. Papirio. AN DCXL. Cassiodorus, Tacitus *de moribus Germanorum*. Ex Macedonia triumphavit. Vellejus l. II. Eutropius l. IV.

I

Q. CAECILIVS. Q. F. Q. N. METELLVS. NEPOS. COS. cum T. Didio AN. DCLV. Cassiodorus, Julius Obsequens. Huic populus R. quia male adversus Cimbros rem gessit, imperium abrogavit, ut scribit Asconius in *Cornelianam*. **

Q. CAECILIVS. Q. F. Q. N. METELLVS. NEPOS TR. PL. AN. DCXCI. Ciceronem Consulem concione prohibuit. l. Epist. V. PR. AN. DCXCIII. Dio lib. XXXVII. COS. cum P. Cornelio AN. DCXCVI. Cicero *pro Domo*, in *Pisonem*, Plinius l. VII. c. XII. Dio l. XXXIX. Qui tabulas Capitolinas supplent L. N. hunc appellant. ego Cic. secutus sum, qui l. Epist. V. Metelli Celeris fratrem hunc vocat.

Q. CAECILIVS. Q. F. Q. N. CELER. PR. AN. DCXCV. Cicero *pro Sulla*. COS. cum L. Afranio. AN. DCXCIII. Cassiodor. Cicero l. I. ad Atticum, Dio libro XXXVII.

L. CAECILIVS. L. F. Q. N. METELLVS. PR. AN. DCXXCIII. ex Prætura Siciliam provinciam obtinuit. Cicero *in Verrem*. COS. DES. cum Q. Marcio AN. DCXXCV. antequam iniret mortuus est. Dio libro XXXV.

Q. CAECILIVS. L. F. Q. N. METELLVS, QVI POSTEA CRETICVS. AP. E. COS. cum Q. Hortensio. AN. DCXXCIV. Cassiodorus. Meminit Cicero in *Verrinis actionibus*. Cretam insulam subegit, & triumph. Epit. XCIX. Dio l. XXXVI.

I

Q. CAECILIVS. Q. F. L. N. METELLVS. CRETICVS. De quo nihil accepimus.

I

Q. CAECILIVS. Q. F. Q. N. METELLVS. CRETICVS. COS. cum A. Licinio. AN. DCCLIX. Cassiodorus, Dio lib. LV.

M. CAECILIVS. L. F. Q. N. METELLVS. PR. REPETVNDARVM, AN. DCXXCIV. Cicero *in Verrem*, & Asconius.

A E L I A   G E N S.

POMPONIVS IC. in tit. Pandect. *De orig. juris*, Æliam patriciam gentem appellat. Verùm sicut aliis in locis parum firmamenti tota illa Pomponii disputatio habet, sic in hoc loco cum Ælium Tuberonem patricium fuisse scribit, perspicuè falsum tradit. Nam ut hoc omittam, Tribunos pl. ex Æliis complures fuisse, (quod sanè hac in re solet valere plurimum) illud certè satis magno argumento nobis esse debet, quod cum Consulum alter è plebe, alter è Patriciis crearetur, auctore Livio, Ælii cum Patriciis semper, nunquam cum plebejis comparati sint. Qui enim primus Æliorum Consulatum est adeptus, collegam Sulpicium habuit, secundus Fabium, tertius Servilium, quartus Valerium, usque ad aunum DXXCI. quo quidem anno duo primum è plebe Coss. creati sunt, C. Popillius, & P. Aelius: ut in tabulis Capitolinis notatum videmus. Aeliorum autem alii Pæti sunt, alii Tuberones, Ligures, Cati, & Lamiæ. Pæti cognomen qui primus tulit, quod oculis leviter declinatis esset, sic dictus est, teste Porphyrione in Horatii Satyr. III. Acro tamen eum, cujus oculi huc & illuc celeriter moverentur, Pætum nominatum existimat. Hoc Aeliorum fuisse cognomen Cicero tum in *Sextiana*, tum etiam in *Cluentiana* demonstrat, cum ait: *Quid tu*, inquit, *Pæte. hoc enim sibi Stalenus cognomen ex imaginibus Æliorum delegerat: ne, si se Ligurem fecisset, nationis magis suæ, quam generis uti cognomine videretur.* Ubi tamen in omnibus, quos ego quidem viderim libris, *Pacete* pro *Pæte* corruptè legitur. *Cati* à P. Ælio dicti sunt, quem Ennius, quia Juris civilis omnium peritissimus esset, catum, id est, sapientem, auctore Varrone, appellavit. *Lamiæ* verò à Lamo Formiarum tyranno. Horatius libro *Carminum* III.

Æli vetusto nobilis ab Lamo,
(Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos)
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lyrim
Late tyrannus.

AELII PAETI.

P. AELIVS. * PAETVS. QVAESTOR. Cornelio, Furio coss. Livius libro IV.

I

P. AELIVS. P. F. * N. PAETVS. cos. cum C. Sulpicio. AN. CDXVI. Cassiodorus, Livius lib. IIX. Diodorus lib. XVII. *Papirium* perperam appellat.

I

P. AELIVS. P. F. P. N. PAETVS. AVGVR. Livius X. MAG. EQ. Q. Fabio Dictat. AN. CDXXXII. Livius lib. IX. Quamquam *Aemilius* ibi pro *Ælio* mendosè librariorum, opinor, vitio legitur.

I

Q. AELIVS. P. F. P. N. PAETVS. cos. cum M. Valerio. AN. CDLXVII. Cassiodorus.

P. AELIVS. Q. F. P. N. PAETVS. ÆDILIS. PL. Livius lib. XXIX. PR. AN. DL. Livius XXX. MAG. EQ. C. Servilio Dictatore. AN. DLI. Livius lib. XXX. cos. cum Cn. Cornelio. AN. DLII. His coss. pax Carthaginensibus data. Livius eodem. Appianus in *Punicis*. Meminit Plinius lib. XIIX. cap. XIIX. Orosius lib. IV. cap. XIX. CENS. cum P. Cornelio. AN. DLIV. Livius lib. XXXII. Plutarchus in *Africano*. PR. II. AN. DLXXVI. Livius lib. XLI. Meminit Pomponius in titulo *De origine juris*.

I

Q. AELIVS. P. F. Q. N. PAETVS. Legatus Paulli bello Macedonico. Livius lib. XLIV. Plutarchus in *Paullo*. cos. cum M. Junio. AN. DXXCVI. Livius lib. XLV. Cassiodorus. Meminit Cicero in *Bruto*, & *Catone*, & Julius Obsequens: sed ibi depravata sunt coss. nomina. Valerius quoque lib. IV. cap. III. & IV. Paulli filiam in matrimonio habuit. Plutarchus in *Paullo*. *

SEX. AELIVS. Q. F. P. N. PAETVS. CATVS. cos. cum T. Quinctio. AN. DLV. Livius lib. XXXII. Plutarchus in *Flaminio*. CENS. cum C. Cornelio. AN. DLIX. Livius lib. XXXIV. Asconius in *Cornelianam*. Hic civilis scientiæ omnium peritissimus habitus est, ob eamque causam *Catus* ab Ennio est appellatus. Cicero in *Bruto*, lib. *de Oratore* I. *Tusculana* I. & *Catone*, ubi pro *Sex. Aemilio*, *Ælio* reponendum arbitror. Varro lib. *de lingua Latina* VI. Pomponius titulo *de Origine juris*.

P. AELIVS. P. F. P. N. LIGVS. cos. cum C. Popillio. AN. DXXCI. Livius lib. XLII.

L. AELIVS. P. F. * N. LAMIA. cos. cum M. Servilio. AN. DCCLIV. Cassiodorus, Dio lib. LV.

SEX. AELIVS. Q. F. * N. CATVS. cos. cum C. Sentio. AN. DCCLVI. Cassiodorus, Dio lib. LV. Auctor hic fuit legis Æliæ Sentiæ.

AELII TVBERONES.

* I

Q. AELIVS. Q. F. P. N. TUBERO. Hunc vita & oratione durum, incultum, horridum fuisse, eamque ob causam honoribus suorum majorum respondere non potuisse, Cicero *de claris oratoribus* scribit. Apparet ergo Pomponium I C. cum cos. Tuberonem fuisse tradit, rerum Rom. (ut levissimè dicam) inscitia lapsum esse. Tantum enim abest ut Consul fuerit Tubero, ut ne quidem Præturam sit adeptus. Cum enim in epulo Q. Maximi, pelliculis hædinis Punicanos lectulos stravisset, & vasa Samia exposuisset, graviter tulit populus hanc perversam sapientiam Tuberonis. Itaque cum esset L. Paulli nepos. P. Africani sororis filius, Prætura dejectus est, ut Cicero in *Murensana* testatur: & Valerius lib. VII. cap. V.

I

L. AELIVS. Q. F. Q. N. TVBERO. Græcis & Latinis litteris eruditissimus, antiquitatisque, & in inventis rebus & in actis, scriptorumque veterum litteratè peritus habitus est. Cicero in *Bruto*.

I

L. AELIVS. L. F. Q. N. TVBERO. PR. Iberiam provinciam obtinuit. Plutarchus in *Cæsare*.

I

L. AELIUS. L. F. L. N. TVBERO. Legatus Q. Ciceroni in Asia. Cicero libro ad Q. Fr. I. & *pro Plancio*. Hunc, cum in Africam bello civili Pompejano, cum imperio missus à Senatu esset, & Uticam venisset, Actius Varus portu atque oppido prohibuit, neque affectum valetudine filium exponere in terram passus est, sed sublatis anchoris excedere eo loco coegit. Cæsar lib. *de Bello civili* I. Cicero *pro Q. Ligario*.

I

Q. AELIVS. L. F. L. N. TVBERO. Q. Ligarium apud Cæsarem Dictatorem accusavit, defendente Cicerone. à causis agendis ad jus civile se contulit. Pomponius *De origine juris*. Cicero *pro Q. Ligario*.

I

Q. AELIVS. Q. F. L. N. TVBERO. cos. cum Paullo Fabio. AN. DCCXLII. Cassiodorus, Dio lib. LIV. Plinius lib. IIX. cap. VII.

DO-

DOMITIA GENS.

DUAS Domitiæ gentis fuisse familias, auctor est in *Nerone* Suetonius: quarum una Calvinorum est, Ahenobarborum altera. Ex Calvinis quatuor omnino curules magistratus gesserunt. Ahenobarbi verò maximis amplissimisque perfuncti honoribus, multis ætatibus summa cum laude in Republica floruerunt. Hi suæ familiæ principem ac cognominis auctorem L. Domitium nuncupant: cui rure revertenti juvenes gemini imperasse dicuntur, nuntiaret Senatui ac populo Rom. victoriam, qua de incertum adhuc erat, atque in fidem majestatis adeò permulsisse malas, ut è nigro rutilum, ærique assimilem capillum redderent: quod insigue mansit in posteris ejus, quamobrem etiam *Ahenobarbi* nominati sunt. Id bello Latino quod cum Tarquiniis Romani gesserunt, Plutarchus in *Paullo*, Dionysius lib. VI. Cicero *de Natura Deorum* II. & *Tusculana disputatione* I. accidisse scribunt. Hane Ahenobarborum familiam Suetonius inter patricios allectam tradit, quod (pace tanti viri dixerim) vereor ut satis exploratum sit: cum inter omnes satis constet Trib. pl. Ahenobarbos fuisse, quo quidem honore Patricii, sacratis legibus, excludebantur. Errat quoque, cum septem Consulatus Ahenobarbis attribuit: novem enim sunt, quod fasti declarant. De hac familia sie Vellejus lib. II. loquitur, *Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quædam, & ut clarissima, ita artata numero felicitas, uti ante hunc nobilissimæ simplicitatis juvenem Cn. Domitium, fuere singulis omnino parentibus geniti, sed omnes ad Consulatum sacerdotiaque, ad triumphi autem penè omnes pervenerunt insignia.* Mirum sanè quod triumphi insignia penè omnes consecutos scribit, quæ tamen ante oppressam ab Imperatoribus Rempublicam concedi moris non fuisse, nemo est paulo erudirior, qui dubitare possit. Sed ut hoc relinquam, ne triumphasse quidem quemquam ex Domitiis, prætet eum, quo de agit Paterculus, veteres, quod quidem sciam, tradiderunt.

CALVINORUM FAMILIA.

CN. DOMITIUS * CALVINUS. COS. cum A. Cornelio. AN. CDXXI. Livius lib. IIX.

CN. DOMITIUS CN. F. *N. CALVINUS. CENS. cum Q. Fabio. AN. CDLXXIV. PRIMVS E PLEBE LVSTR. F. Epitome XIII.

C. DOMITIUS CN. F. *N. CALVINUS. ÆDILIS CURUL. Livius lib. X. Plin. lib. XXXIII. cap. I. COS. cum P. Cornelio. AN. CDLXX. Cassiodorus.

FVIT SINE HONORE CONSVLARI CALVINORVM FAMILIA ANNIS AMPLIVS DVCENTIS.

* CN. DOMITIANUS M. F. M. N. CALVINUS. COS. cum M. Valerio. AN. DCC. Dio lib. XL. Legatus Cæsaris bello civili, Scipionem duobus præliis vicit. Gomphos Thessaliæ oppidum vi cepit. A Pharnace bello Alexandrino superatus est & profligatus. Dio lib. XLI. & XLII. Cæsar lib. *de Bello civili* III. Hirtius lib. IV. ubi P. mendosè scriptum est. COS. II. cum C. Asinio. AN. DCCXIII. Cassiodorus, Dio lib. XLIIX.

AHENOBARBORVM FAMILIA.

CN. DOMITIUS L. F. L. N. AHENOBARBUS. PR. AN. DLIX. Livius lib. XXXIV. COS. cum L. Quinctio. AN. DLXI. Livius lib. XXXV.

CN. DOMITIUS CN. F. L. N. AHENOBARBUS. COS. cum P. Cornelio. AN. DXCI. Hos coss. prioribus abd. suff. in tabulis Capitolinis reperio.

CN. DOMITIUS CN. F. CN. N. AHENOBARBUS. TR. PL. Cicero *pro Scauro*, & Asconius. COS. cum C. Fannio. AN. DCXXXI. Cassiodorus, Cicero in *Bruto*. Allobrogibus, Arvernisque superatis, elephanto per provinciam invectus est, turba militum quasi inter solennia prosequente: deque iis triumphavit. Vellejus lib. II: Epitome LXI. Florus lib. III. cap. II. Eutropius lib. IV. Ubi *Sex. Calvinus* mendosè scriptum est. Valerius lib. IX. cap. VI. Suetonius in *Tiberio* hoc CN. hujus filio perperam tribuit. CENS. cum L. Cæcilio. AN. DCXXXIIX. Cassiodorus, Epitome LXII.

CN. DOMITIUS CN. F. CN. N. AHENOBARBUS. PONT. MAX. Epit. LVII. TR. PL. C. Mario. III. L. Aurelio. coss. legem de Sacerdotiis tulit. Cicero *in Rullum*, orat. II. ad Brutum, Epist. V. Vellejus lib. II. Suetonius in *Nerone*, Dio lib. XXXVII. Meminit Valerius lib. VI. cap. V. COS. cum C. Cassio. AN. DCLVII. Cassiodorus. CENS. cum L. Licinio. AN. DCLXI. Cicero lib. *de Orat.* II. Gellius lib. XV. cap. XI. Valerius lib. IX. cap. I.

L. DOMITIUS. CN. F. CN. N. AHENOBARBUS. PR. Siciliam provinciam obtinuit. Cic. *de Suppliciis*, Valer. lib. VI. cap. III. COS. cum C. Cœlio. AN. DCLIX. Cassiodorus, Obsequens, Asconius *in Cornelianam*.

•I

•L. DOMITIVS. CN. F. CN. N. AHENOBARBVS. ÆDILIS. CVRVLIS, ursos Numidicos centum, & totidem Æthiopas venatores in circo Romano edidit M. Messalla, M. Pisone coss. atque sic legendum existimo Solini locum cap. XXIIX. Idem scribit Plinius lib. IIX. cap. XXXVI. PR. AN. DCXCV. cos. cum Appio Claudio. AN. DCXCIX. Cassiodorus, Cæsar lib. *de Bello Gallico* V. Ex Consulatu in Galliam ulteriorem profectus proconsulari imperio, Corfinii à Cæsare obsessus, captus, atque incolumis dimissus, ad Pompejum se contulit: post Pharsalicam pugnam, ex castris in montem refugiens, ab equitibus est interfectus. Cæsar lib. III. Dio lib. XLI. Suetonius in *Nerone*, Appianus II. Lucanus VII. Cicero ad Atticum IIX. & XVI. *Familiar.* in *Bruto*, *Philipp.* XIII. Asconius *pro Scauro*, Plutarch. in *Catone*. Meminit Plinius lib. VII. cap. LIII.

I

CN. DOMITIVS. L. F. CN. N. Lege Pedia damnatus, ad Cassium & Brutum fugit, post utriusque interitum cum Antonio se conjunxit. cos. fuit cum C. Sosio. AN. DCCXXI. Cassiodor. Bello verò civili Antoniano transiit ad Augustum, & paucis post diebus mortuus est. Suetonius in *Nerone*, Vellejus lib. II. Appianus lib. V. Plutarchus in *Antonio*, Dio lib. XLIIX. & L.

CN. DOMITIVS. CN. F. L. N. AHENOBARBVS. Arrogans, profusus, immitis. ÆDIL. CVRVL. L. Plancum Censorem, via sibi decedere cocgit. Sueto. in *Nerone*.

I

CN. DOMITIVS. CN. F. CN. N. AHENOBARBVS. COS. cum M. Furio. AN. DCCXXCIV. Suetonius, Tacitus lib. V. Dio lib. LIIX.

I

CN. DOMITIVS. CN. F. CN. N. AHENOBARBVS, adoptatus ab Imp. Claudio. IMP. NERO. CLAVDIVS. DOMITIANVS. E. APP. De quo suo loco.

L. DOMITIVS. CN. F. L. N. AHENOBARBVS. COS. cum P. Cornelio. AN. DCCXXXVII. Cassiodorus, Dio lib. LIV. Vellejus lib. II.

I

CN. DOMITIVS. L. F. CN. N. AHENOBARBVS. Meminit Paterculus libro. II.

CLAVDIA MARCELLORVM GENS.

ALTERA hæc Claudiorum gens est, & quidem plebeja. Regillenses enim Claudii, item Pulchri, & Nerones patricii sunt, plebeji Marcelli. Licet autem conditio harum gentium diversa sit, originem certè utriusque gentis eandem prorsus esse opinor. Hoc verò quid sit, breviter aperiendum censeo. Tres potissimùm causas reperio, quare unius gentis ac nominis familiæ, patriciæ aliæ sint, aliæ plebejæ. Prima est, diversa & dissimilis generis origo. Sic Tullii alii à Ser. Tullio, alii à Tullo Actio Volscorum rege orti sunt & procreati: illi Patricii, hi Plebeji: illi *Longi*, hi *Cicerones* cognominati sunt. qua de re Cicero *de Claris oratoribus*: quod idem de Sulpiciis libro III. Tacitus tradit. Hæc prima causa est. Altera, crebræ familiarum ad plebem transitiones: cujus rei Suetonius auctor est, qui Octaviam gentem inter Patricios allectam, ad plebem transisse scribit. Parem & similem Calpurniæ, Pomponiæ, Marciæ, Muciæ, eandem quoque hujus Claudiæ gentis rationem esse duco: ut quæ ex Sabinis oriunda, cum Actio Clauso in urbem migrarit, longo deinde temporis intervallo ad plebem se contulerit: cujus quidem rei causam nemo adhuc tradidit, ego hanc esse verissimam existimo, quam licet perspicere, si & memoriam temporum replicare, & reip. Romanæ statum diligenter perpendere velimus. Perspicuum enim est, constatque inter omnes, honores, magistratus, imperia, in populi fuisse potestate: eaque omnia ad nutum & arbitrium multitudinis administrata esse, nemo est qui vel primis (ut dicitur) labris historiam populi Rom. attigerit, qui ignoret: & exempla hujus rei clara & illustria passim apud auctores extant. Hinc factum est, ut qui honores & magistratus peterent. plebi se venditarent, à patrum gravitate ad imperitæ multitudinis potentiam desciscerent, gentes denique, familias, sacra, qui maxime populares haberi vellent, miscerent & perturbarent. Accedit eodem illud quoque, ut qui populari luce, qui magistratibus & honoribus, multis ætatibus, caruissent, non ii jam in patriciis, sed plebejis numerarentur: quod quidem certè Pomponiis, quorum clarissima origo est, accidisse video. Hoc etiam, opinor, est, quod Scaurum *plebejum* & *novum hominem* Pædianus & Plutarchus appellant, quum & nobilis sit, & majorum gentium patricius. Tertia verò & ultima causa est, civitatis beneficium. Qui enim civitate donati sunt, cum liberti, tum etiam ii quibus virtutis causa id tributum est, patricii non fiunt, sed plebeji. Sic Cornelius Balbus Hispanus vir consularis & triumphalis plebejus est, non autem patricius, & sic de reliquis omnibus, qui à Sulla civitate donati sunt, judicandum videtur. Has tres omnino causas reperio, quare unius nominis familiæ patriciæ sint & plebejæ. Neque tamen ignoro etiam adoptionem causam hujusce rei à quibusdam numerari, haud scio an rectè. Neque enim M. Brutus plebejus à Q. Cæpione patricio adoptatus, neque item P. Scipio patricius à Q. Metello plebejo adoptatus, patriciam Brutorum, aut Scipionum plebejam familiam constituunt. Solus enim is qui adoptatur, adoptantis conditionem sequitur, non autem gens universa aut familia aliqua. Hæc eo pertinent, ut intelligamus Claudios Pulchros à Mar-

cellis nulla alia nisi conditionis ratione differre, origine planè eosdem esse. Plutarchus Posidonium secutus, Marcellum à Marte deducit, quod facile concedo, vel antiquitatis causa. Illud sanè permirum mihi videtur, quod idem M. Claudium, qui quintùm Cos. fuit, *Marcellum*, propter egregiam rei militaris scientiam, primum nominatum scribit. Veterum enim annalium monumenta, quæ & Livius & reliqui secuti sunt, patrem & avum *Marcellum* appellant. Atque unicum hujus gentis cognomen hoc est, quod in aliis fortasse gentibus non item: rectius certè *familiam* quàm *gentem* appellabimus, quum gens ex multis familiis constet. Et hæc causa est cur de transitione Marcellorum ab plebem, suspicari mihi primùm in mentem venerit, rectene an secus, doctiorum esto judicium.

M. CLAVDIVS. *F. *N. MARCELLVS. cos. cum C. Valerio. AN. CDXXII. Livius lib. IIX. DICT. COMIT. HABEND. C. AN. CDXXVI. Vitio fact. abd. Liv. l. IIX.

I

M. CLAVDIVS. M. F. *N. MARCELLVS. cos. cum C. Nautio. AN. CDLXVI. Cassiodorus.

I

M. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. cos. cum Cn. Cornelio. AN. DXXXI. Gallos acie vicit, occiso eorum rege Virdumaro, tertia post Romulum Feretrio Jovi arma suspendit. Polybius lib. II. Epitome XX. Eutropius lib. III. Valerius lib. III. cap. II. Virg. lib. VI. cos. II. cum Ti. Sempronio. AN. DXXXIIX. Vitio fact. abd. Liv. l. XXIII. cos. III. cum Q. Fabio. AN. DXXXIX. Liv. l. XXIV. In Siciliam cum imperio profectus, Syracusas triennio expugnavit, atque Siciliam in pop. R. potestatem redegit. Triumphus ei à Senatu negatus. in Albano monte triumphavit. Liv. l. XXV. Cic. *Accusat.* IV. & V. Val. l. II. cap. III. & l. IV. & V. C. I. cos. IV. cum P. Valerio. AN. DXLIII. Salapiam oppidum in Italia per proditionem recepit, & alia in Samnitibus oppida occupavit. Liv. lib. XXVI. cos. V. cum T. Quinctio. AN. DXLV. Ab Hannibale insidiis circumventus, occisus est. Liv. l. XXVII. Cic. in *Catone*, Valer. l. I. c. VI. & l. V. c. I. Plutarch. in vita: qui tamen hac in re tradenda, non solùm temporum ordines, verùm etiam res gestas, suo more confundit & perturbat.

M. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. PR. AN. DLV. Livius lib. XXXII. cos. cum L. Furio. AN. DLVII. Gallos transpadanos vicit. De Insubribus & Comensibus triumphavit. Livius lib. XXXIII. CENS. cum T. Quinctio. AN. DLXIV. Liv. l. XXXVII. Cicero in *Catone*.

I

M. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. PR. AN. DXXCIV. Liv. lib. XLIII. cos. cum C. Sulpicio. AN. DXXCVII. Livius lib. XLV. Gallos Alpinos subegit. Epitome XLVI. cos. II. cum P. Cornelio. AN. DXCIIX. Cassiodorus. cos. III. cum L. Valerio. AN. DCI. Cassiodorus. Naufragio in Africa periit. Epitoma L. Cic. *de Natura Deorum* II. & *de Divinat.* II. Idem *de Fato*, *in Pisonem*, & Asconius.

M. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. PR. AN. DLXV. Livius l. XXXIIX. cos. cum Q. Fabio. AN. DLXX. Livius libro XXXIX.

M. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. Nullum magistratum gessit.

C. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. De quo nihil tradunt auctores.

I

C. CLAVDIVS. C. F. M. N. MARCELLVS. cos. cum L. Aimilio. AN. DCCIII. Cassiodorus, Hirtius l. IIX. Dio l. XL. Meminit Suetonius in *Cæsare*.

M. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. cos. cum Ser. Sulpicio. AN. DCCII. Cassiodor. Cic. ad Atticum IIX. Cælius lib. IIX. Epist. Dio lib. XL. Post bellum Pomp. deprecante Senatu, à Cæsare in gratiam receptus, antequam in urbem rediisset, Athenis in Piræo à P. Magione occisus est. Cicero *pro Marcello*, Ser. Sulpicius, lib. IV. Epist. ad Ciceronem, Valerius lib. IX. cap. XI.

I

M. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. COS. cum L. Arruntio. AN. DCCXXXI. Cassiodorus, Dio lib. LIV.

I

M. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. Octaviani ex sorore nepos. Ædilis pl. in magistratu mortuus est. Plutarch. in *Marcello*, Epitome CXL.

C. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. cos. cum L. Cornelio. AN. DCCIV. Appianus lib. II. Plutarchus in *Pompejo* & *Cæsare*, Dio lib. XLI. Meminit M. Marcellus libro IV. Epist. ad Ciceronem.

MVCIA GENS.

Q. MVCIVS. P. F. *N. SCAEVVLA. De quo nihil accepimus.

Q. MVCIVS. Q. F. P. N. SCAEVVLA. PR. AN. DLXXIV. Liv. lib. XL. cos. cum Sp. Postumio. AN. DLXXIX. Cassiodor. Liv. libro XLI.

I

Q. MVCIVS. Q. F. Q. N. SCAEVVLA. AVGVR. Cic. in *Lælio*. cos. cum L. Cæcilio. AN. DCXXXVI. Cassiodor. Meminit Cic. libro *de Oratore* I.

P. MVCIVS. Q. F. P. N. SCAEVVLA. PR. AN. DLXXIV. Liv. l. XL. cos. cum M. Aimilio. AN. DLXXIIX. Cassiodor. Plinius lib. II. capite XXXI.

I

P. MVCIVS. P. F. Q. N. SCAEVVLA. PONT. MAX. TR. PL. Cæpione, Pompejo coss. Cic. l. *de Finibus* II. PR. AN. DCXVII. Cic. ad Attic. XII. cos. cum L. Calpurnio. AN. DCXX. Cassiod. Cic. *Accusat.* IIII. His coss. Ti. Gracchus occisus est. Asconius *Verrina* II. Cic. *pro domo*, & *in Catilinam*. meminit idem *Accusat.* IIII. & *de Oratore* I. Pomponius titulo *de Origine juris*. Hunc Plutarch. in *Sulla* phthiriasi interiisse scribit. *

* I

Q. MVCIVS. P. F. P. N. SCAEVVLA. PONTIFEX. Quæstor in Asia fuit. Cicero *de Oratore* I. & III. TR. PL. Q. Servilio, C. Atilio coss. Cicero in *Bruto*. ÆDILIS CVRVL. Spectaculum ex leontophonis exhibuit. Solinus cap. XXIX. Meminit Cicero *de Officiis* II. *Accusationis* IIII. cos. cum L. Crasso. AN. DCLIIX. Cassiodorus, Cicero in *Bruto*. Asiam provinciam tam sanctè administravit, ut Senatus deinceps in eam provinciam ituris, exemplum officii Scævulam decreto proponeret, in cujus honorem Asiani diem festum *Mucia* nominarunt. Valerius lib. IIX. cap. XVI. Asconius in *Divinat.* Cicero *Accusationis* II. Ad Atticum V. Bello civili à Marianis in vestibulo ædis Vestæ occisus est. Epitoma XXCVI. Lucanus lib. II. Florus lib. III. cap. XXI. Vellejus lib. II. Cicero ad Atticum IIX. Hunc Cicero Jurisperitorum eloquentissimum, & eloquentium jurisperitissimum *de Oratore* I. nominat. Meminit Pomponius *de Origine juris*.

PORCIA GENS.

EA fuit reipublicæ Romanæ ratio & consuetudo, ut peregrinas nationes societatis fœdere, Italicas verò gentes civitatis jure sibi conjungeret. Nunquam enim à Romanis (ut Cicero *pro Balbo* scribit) intermissa est largitio & communicatio civitatis: quæ res, & ad conciliandos animos hominum, & ad augendam potentiam, maximo in imperio adjumento esse solet. Quorum igitur spectata in rempublicam & cognita fides esset, iis civitatem populus R. largiebatur, non tamen eadem ratione omnibus. Nam aliis cum suffragio, aliis verò sine suffragio, civitas beneficium tribuebat. illi *municipes*, hi *cærites* dicebantur. Municipes suo jure & suis legibus vivebant: muneris tantùm cum populo Romano honorarii participes erant: à quo munere capessendo *municipes* appellati videntur. Cærites verò, cives quidem illi erant, & onera civium sustinebant, nullo tamen honore fungebantur, nec suffragii jus habebant. Dicti autem *Cærites* sunt à Cære oppido, quod primum, pro sacris bello Gallico receptis custoditisque, civitatem sine suffragio accepit. Hinc *tabulæ Cærites* rectè non versa vice, ut Gellius lib. XVI. cap. XIII. de eadem re contrariè scribit, appellatæ, in quas Censores referri jubebant, quos notæ causa suffragiis privabant. Hanc differentiam usque ad bellum Marsicum durasse, quo universa fere Italia civitate donata est, licet promiscuè ab auctoribus etiam ii, qui suffragii jus non haberent, *municipes* nominarentur, testis est lib. II. Vellejus Paterculus. Itaque verè municipes & cives Romani erant, & suffragia ferebant, atque magistratus petebant. Quare Curii, Coruncanii, Porcii, Pompeii, Marii, Tullii, & reliqui ex municipiis oriundi amplissimos Romæ honores consecuti sunt. Hæc autem, qua de agimus, Porcia gens, Tusculana est, auctore Plutarcho in *Censorino*, & Tacito lib. XI. quomodo etiam Cicero libro *de Legibus* secundo scribit: *Ego me hercule*, inquit, *& illi, & omnibus municipibus duas esse censeo patrias: unam naturæ, alteram civitatis. ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est*: itaque cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris. Est autem hic M. Porcius Cato princeps hujus gentis, qui *Priscus* primò, deinde, quia multarum rerum usum haberet, *Cato*, teste Plutarcho, appellatus est, quod cognomen posteri retinuerunt. Idem quoque à censura severè administrata, *Censorius* dictus est: & in summa senectute, quia multa ejus in Senatu, multa in foro, vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acutè ferebantur, *Sapientis* cognomen adeptus est, testis Cicero *de Officiis* III. & in *Lælio*. Cujus præclarum in Hispania monumentum tali quam subjiciam inscriptione exstare, refert Augustinus Nerrucius:

PALLADI VICTRICI SACRVM.
HIC HOSTIVM RELIQVIAS PROFLIGAVIT CATO, VBI SACELLVM MIRO ARTIFICIO CONDITVM, ET AEREAM PALLADIS EFFIGIEM RELIQVIT.
PAREANT ERGO ET NOSCANT OMNES, SENATVS ET POPVLI ROMANI IMPERIVM DEORVM NVMINE ET MILITVM FORTITVDINE ET TVERI ET REGI.

M. PORCIVS. *CATO. Plutarchus in *Censorino*.

I

M. PORCIVS. M. F. *N. CATO. CENSORIN. AVGVR. Quæstor. AN. DXLI. ÆDILIS. AN. DXLV. PR. AN. DXLIX. Cicero in *Catone*. cos. cum L. Valerio. AN. DLIX. Livius lib. XXXIII. Plutarchus, Cicero in *Catone* & *Bruto*. Hispaniam citeriorem provinciam sortitus, quæ rebellaverat, pacavit, atque ex ea triumph. Appianus in *Hispaniensibus*. CENS. cum L. Valerio. AN. DLXIX. Liv. l. XXXIX. Cic. in *Catone*, Valer. l. II. cap. IV. & l. IV. cap. V. & lib. III. cap. IV. Plutarch. Virgilius lib. VI. Vixit AN. LXXX. Cicero in *Bruto*.

L. PORCIVS. L. F. L. N. LICINVS. PR. AN. DLX. Livius lib. XXXIV. cos. cum P. Claudio. AN. DLXIX. Livius lib. XXXIX.

M. POR-

M. PORCIUS M. F. M. N. CATO. PR. DES. vivo patre moritur. Epitome XLIIX. Gener L.Paulli fuit. Cicero in *Catone*, lib. *de Orat.* II. & *Offic.* I. Egregios de juris disciplina libros reliquit. Pomp. libro II. *de Orig. juris.*

M. PORCIUS M. F. M. N. CATO SALONIANUS. Mortuus est dum esset Imperator. Plutarch. in *Censorino.*

M. PORCIUS M. F. M. N. CATO TR. PL. Præturam petens mortuus est. Gellius lib. XIII. cap. XIIX. Hunc Consularem Plutarchus in *Censorino* vocat: quod quàm verum sit ex fastis Consulum apparet. Hujus meminit Valerius lib. IIX. cap. IX.

M. PORCIUS M. F. M. N. CATO TR. PL. Silano, Muræna coss. Plutarchus, Cicero *pro Murena.* Rogatione Clodia, Pisone, Gabinio coss. pecuniæ Ptolomæi regis Cypri deportandæ præfectus. Epitome CIV. Valerius lib. IIX. cap. XVI. Ammianus Marcellinus lib. XIV. Cicero *pro Sextio*, & *pro Domo.* Dio lib. XXXIX. Appianus tamen *de Bellis civilibus* secundo, post Pompeji tert. Consulatum hoc factum scribit. Verùm illorum locorum collatione, Appianum graviter peccasse, nemo paulò eruditior, ut opinor, dubitaverit. PR. AN. DCXCIX. Valerius lib. III. cap. VI. Asconius *pro Scauro*, Plutarch. Bello civili Cæsariano Uticæ se interemit. Epitome CXIV. Hirtius lib. V. Appianus lib. II. Plutarch. in vita. Dio lib. XLIII. Meminit Cicero in *Bruto, de Finibus*, alibi. Virgilius lib. IIX. Valer. lib. II. cap. ult. & lib. IV. cap. I. & III. & lib. VI. cap. II. & lib. IIX. cap. VII.

M. PORCIUS M. F. M. N. CATO. A Cæsare post patris interitum in gratiam receptus, pugna Philippensi fortiter pugnans cecidit. Dio lib. XLIII. Appianus lib. IV. Plutarch. in *Bruto*, Vellejus lib. II.

M. PORCIUS M. F. M. N. CATO. COS. cum Q. Marcio. AN. DCXXXV. Cassiodorus, Obsequens, Plinius lib. II. cap. XXXI. In Africam cum imperio profectus, in provincia mortuus est. Gellius lib. XIII. cap. XIIX. Meminit Vellejus lib. I. Valerius lib. V. cap. X. Ubi non rectè superiorem Catonem hunc nominat: id enim *Censorino* eodem auctore tribuitur.

L. PORCIUS M. F. M. N. CATO. PR. Marsos prælio vicit. Epitome LXXIV. cos. cum Cn. Pompejo. AN. DCLXIV. Cassiodorus, Asconius in *Cornelianam.* Quum ad lacum Fucinum contra Marsos bellum gereret, à filio C. Marii occisus est. Orosius lib. V. cap XVII. Alii ab hostibus occisum tradunt. Epitome LXXIV. Appianus lib. I, Vellejus II. Meminit hujus Plinius lib. III. cap. V. Ubi tamen quum *L. Carbo* mendosè scriptum esset, Cuspinianus optima conjectura *L. Catonem* reposuit.

C. PORCIUS M. F. M. N. CATO. cos. cum M. Acilio. AN. DCXXXIX. Cassiod. Repetundarum ex Macedonia damnatus, & in exilium profectus, civis Tarraconensis factus est. Cicer. in *Pretura Siciliensi.* Item *de Signis*, & *pro Balbo.* Vellej. l. II. litem IV. M. æstimatam scribit. Cic. HS XIIX. M. Meminit Plinius lib. III. cap. LVI.

CURII, FABRICII, CORUNCANII.

QUONIAM eorum, qui ex municipiis honores essent & magistratus Romæ adepti, proximè meminimus, haud alienum visum est à proposito nostro, si Curios hîc, Fabricios & Coruncanios subjiceremus. Nam & municipes hi sunt, & æquales illorum temporum, ita verè plurimis maximisque virtutibus atque omni laude cumulati: ut quamvis neque familiam, neque stirpem constituant, sine tamen justa reprehensione præteriri posse non videantur. Curios municipes fuisse, Cicero *pro Muræna* & *Sulla* demonstrat, municipii mentionem facit nullam. item de Fabriciis. Coruncanios in XI. apud Tacitum Claudius Imp. Camerio Italiæ municipio oriundos testatur. Cicero verò *pro Plancio*, Tusculanos fuisse satis dilucidè ostendit.

M. CURIUS M. F. M. N. DENTATUS. TR. PL. AN. CDLIV. Cicero in *Bruto.* cos. cum P. Cornelio. AN. CDLXIII. Cassiodorus, Eutropius lib. II. Cicero in *Catone*, Plutarchus in *Censorino*, Valerius lib. IV. cap. III. Plinius lib. XV. cap. V. Bellum Samniticum gessit: omnem eum tractum, qua Nar ambit, fontesque Velini, Hadriatico tenus mari, igne ferroque vastavit. Qua victoria tantum agrorum, tantum hominum redactum in potestatem, ut in utro plus esset ne ipse quidem posset existimare, qui vicerat. De Samnitibus, Sabinis, Lucanis triumphavit. Florus lib. III. cap. XV. Eutropius secundo, Orosius lib. III. cap. XIX. CENS. cum L. Papirio. AN. CDLXIV. cos. II. cum L. Cornelio. AN. CDLXXIIX. Epitome XIV. Valerius lib. VI. cap. III. Cicero *pro Murana*, & in *Catone.* Contra Pyrrhum missus, cum eo pugnavit, exercitum ejus cæcidit, ipsum Tarento fugavit, castra cepit, de rege Pyrrho & Samnitibus II. triumphavit. Plutarchus in *Pyrrho*, Eutropius II. Florus lib. I. cap. XIIX. cos. III. cum Ser. Cornelio. AN. CDLXXIX. Cassiodorus.

C. FABRICIUS C. F. C. N. LUSCINUS. COS. cum Q. Aimilio. AN. CDLXXI. Cassiodorus, Cicero in *Lælio.* De Etruscis & Gallis triumphavit. cos. II. cum Q. Aimilio. AN. CDLXXV. Bellum cum Pyrrho gessit. Ad quem cum Pyrrhi medicus nocte venisset, promittens veneno Pyrrhum occisurum, vinctum cum Pyrrho reduci jussit. Cum Bruttiis & Lucanis prosperè pugnavit, de iis, Tarentinis, & Samnitibus II. triumphavit. Epitome XIII. Eutropius lib. II. Florus lib. I. cap. XIIX. Cicero in *Bruto*,

in Catone, *Officiorum* tertio, Gellius lib. III. cap. IIX. Plut. in *Pyrrho*, Virgilius *Æneid.* lib. VI. Meminit Valerius lib. IV. cap. III. & IV. Ubi mendosè *Luscinus* pro *Luscinus* scriptum est. Idem lib. VI. cap. V. GENS. cum Q. Aimilio. AN. CDLXXIIX. Gellius lib. XVII. Valerius lib. II. cap. IV.

TI. CORVNCANIVS TI. F. TI. N. PRIMVS PONTIFEX. MAX. è plebe creatus. Epitome XIIX. Cicero *pro Domo*, *De natura Deorum* primo, *de Legibus* secundo. cos. cum P. Valerio. AN. CDLXXIII. Cassiodorus. De Vulsiniensibus triumphavit. CENS. cum C. Claudio. AN. CDXXCV. DICT. COMIT. HABEND. C. AN. DVII. Meminit Cicero in *Bruto*, *de Oratore* tertio, Pomponius *de origine juris*. Meminit præterea C. & L. Coruncaniorum, qui legati ad Teucam Illyriorum reginam missi sunt, Polybius lib. II. & minorem natu à regina occisum refert: quos tamen Plinius lib. XXXIV. cap. VI. P. Junium & Ti. Coruncanium nominat, atque ambos à regina interfectos, statuas illis in foro tripedaneas statutas scribit: quem secutus videtur Florus lib. II. c. V. Præter hos nullum apud veteres Coruncanium reperire licet.

ACILIA GENS.

ACILIAM gentem à Trojanis oriundam Herodianus auctor est: abjectam verò fuisse & obscuram vel hinc apparet, quod postremos omnium eorum quorum originem veteres ad Æneam referunt, honores Acilios adeptos satis constet. Primus enim M. Acilius C. F. DLVII. post urbem conditam anno, curules gessit magistratus. Unde à Livio lib. XXXVII. *novus homo* appellatur. Hi *Glabriones* dicti sunt, quod glabri & sine pilis essent: testis est Varro libro *de vita populi Romani* primo, auctore Nonio Marcello. Atque huc referri debet illud Plauti in *Aulularia*, *Tu istum gallum, si sapis, glabriorem reddis, quam vulsus ludius.*

M. ACILIUS C. F. L. N. GLABRIO. TR. PL. Cornelio, Ælio coss. Livius lib. XXX. XVIR. SACR. Livius lib. XXXI. PR. AN. DLVII. Livius lib. XXXIII. COS. cum P. Cornelio. AN. DLXII. Cassiod. Cicero in *Catone*. Quanquam ibi pro *M. Acilio*, *M. Atilio* mendosè scriptum videtur. Livius lib. XXXV. Antiochum regem Ætolosque ad Thermopylas vicit, deque iis Procos. triumphavit. Livius lib. XXXVI. Ædem Pietatis dedicavit, primusque auratam statuam patri posuit. Val. l. II. c. I. ubi tamen *Atilius* pro *Acilio* perperam legitur.

I

M. ACILIUS M. F. C. N. GLABRIO. COS. cum Q. Opimio. AN. DXCIX. Hunc in locum L. Postumii suffectum docent Capitolinarum tabularum auctores.

M. ACILIUS L. F. L. N. BALBUS GLABRIO. COS. cum L. Quinctio. AN. DCIII. Cassiod. Plinius lib. VII. cap. XXXVI. Cicero in *Catone*, & ad Atticum XII.

I

M. ACILIUS M. F. L. N. BALBUS GLABRIO. COS. cum C. Porcio. AN. DCXXXIX. Cassiodorus, Plinius lib. II. cap. LVI. Legem de pecuniis repetundis tulit. Cicero in *Verrinis actionibus* & Asconius.

I

M. ACILIUS M. F. M. N. GLABRIO. PR. REPETUND. AN. DCXXCIII. Apud quem Cicero Verrem accusavit, Asconio & Cicerone auctoribus. cos. cum C. Calpurnio. AN. DCXXCVI. Cassiod. Dio l. XXXV. Cic. ad Atticum l. XII. & *pro lege Manilia*.

MARIA GENS.

CAIUS Marius, municeps Arpinas, humili atque obscuro loco natus, nulla majorum commendatione, amplissimos honores est consecutus. Contigit illi, quod haud scio an nemini, ut duabus in Ædilitate acceptis repulsis, septies tamen Consul summo populi studio crearetur. vir quem neque propter dignitatem laudare satis quisquam commodè, neque propter crudelitatem abunde vituperare potest. Nemo unquam tanto metu & periculo rempublicam liberavit, nemo majori calamitate eandem affecit. Qui enim gladios Cimbrorum & Teutonum in rempublicam districtos à jugulis civium rejecerat: qui faces jam accensas ad urbis excidium, extinxerat: qui urbem & Italiam ex ore atque faucibus hostium eripuerat, ipse ille libertatis Romanæ vindex, primus in Rempublicam gladium distrinxit, primus sceleratas faces patriæ intulit; vastitate denique Italiam, cædibus, incendio, ruina, urbem replevit. Justas ergo & debitas pœnas Reipublicæ persolvit. Armis Sullanis urbe ejectus, in Minturnensium paludibus latuit: terra marique jactatus, in oris Africæ desertissimis jacuit. Filius non ita multis post annis in cuniculis Præneste trucidatus, memoria simul & nominis & generis interiit. Extat Epigramma vetus in libro urbis antiquæ, quod res ejus gestas indicat, ejusmodi:

C. MARIVS PR. TR. PL. Q. AVGVR. TR. MIL. EX. SORTEM BELLVM CVM IVGVRTHA REGE NVMID. VEL. PROCOS. GESSIT, EVM CEPIT, ET TRIVMPHALIS IN IOVIS AEDEM SECVNDO CONSVLATV ANTE CVRRVM SVVM DVCI IVSSIT. III. CONSVL ABSENS CREATVS EST. IIII. TEVTONORVM EXERCITVM DELEVIT. V. CONSVL CIMBROS FVGAVIT EX IEIS ET TEVTONIS ITERVM TRIVMPHAVIT. REMPVB. TVRBATAM SEDITIONIBVS, ET TR. PL. ET PRÆTOR. QVI ARMATI CAPITOLIVM OCCVPAVERANT, VI. COS. VINDICAVIT. POST LXX. ANNVM PATRIA PER ARMA CIVILIA PVLSVS, ARMIS RESTITVTVS. VII. COS. FACTVS EST. DE MANVBIIS CIMBRICIS ET TEVTONICIS AEDEM HONORI, ET VIRTVTI VICTOR VESTE TRIVMPHALI CALCEIS PVNICEIS.

C. MARIUS C. F. * N. Bello Numantino Scipione imperatore in Hispania meruit, hostem ex provocatione occidit. Plutarchus, Cicero *pro Cornelio Balbo*. TR. PL. Cotta, Metello coss. legem de suffragiis tulit. Plutarchus, Cicero *de Legibus* III. In Ædilitate bis repulsam tulit. Cicero *pro Plancio*. Ex Prætura Hispaniam sortitus, provinciam Iberorum latrociniis liberavit. Legatus cum Metello imperatore ad Numidicum bellum profectus, à quo cum Romam missus esset, criminatus est, bellum illum producere, se, si Consulem fecissent, brevi tempore aut vivum aut mortuum Jugurtham in pop. R. potestatem redacturum. Itaque cos. factus est cum L. Cassio. AN. DCXLVI. Cassiodorus, Cicero lib. *de Officiis* III. in Africam cum exercitu profectus, Jugurtham & Bochum Maurorum regem multis præliis vicit: Jugurtham vivum à Bocho, Sullæ opera, accepit, deque eo triumphavit. Salustius in *Jugurth.* Epitome LXVI. Florus libro III. Eutropius libro IV. Orosius lib. V. cap. XIV. cos. iterum absens creatus cum C. Flavio. AN. DCXLIX. Cassiodorus, Asconius in *Cornelianam*. cos. III. cum L. Aurelio. AN. DCL. Cassiodorus, Epitome LXVII. Plinius lib. II. cap. LIX. cos. IV. cum Q. Catulo. AN. DCLI. Bellum Cimbricum gessit, summa vi oppugnata à Teutonis & Ambronibus castra defendit: duobus deinde præliis circa Aquas Sextias eos delevit, in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Epitome LXIIX. Eutropius libro V. Florus libro III. cap. III. cos. V. cum M. Aquillio. AN. DCLII. Cassiodorus. Cimbros qui per Noricum profligato Q. Catulo procos. irruperant in Italiam, collatis signis funditus delevit: cæsa traduntur hostium centum quadraginta millia, capta sexaginta. Marius totius civitatis consensu exceptus, pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno contentus fuit. Epitome LXIIX. Vellejus lib. II. cos. VI. cum L. Valerio. AN. DCLIII. Cassiodorus. His coss. Saturninus Trib. pl. qui seditionem concitavit, & Glaucia Prætor à Rabirio occisi sunt. Epitome LXIX. Cicero *pro Rabirio* perduellionis reo. L. Sulla, Q. Pompejo coss. civitate à Sulla pulsus, in Minturnensium paludibus latuit, à Minturnensibus captus & dimissus, in Africam delatus est. Accersitus à Cinna cos. urbem cepit, eam cædibus & rapinis vastavit. Epitome LXXVII. & XXC. Appianus lib. I. Vellejus lib. II. Florus lib. III. cap. XXI. cos. VII. cum L. Cornelio. AN. DCLXVII. Idibus Martiis in magistratu mortuus est. Appianus, Plutarchus in vita & *Sulla*, Cicero libro *de Natur. Deor.* III.

I

C. MARIVS C. F. C. N. Cum patre in Africam profugit, quo mortuo cos. creatus est admodum adolescens cum Cn. Papirio. AN. DCLXXI. Ejus jussu Damasippus Pr. cum Senatum convocasset, omnem nobilitatem, quæ in urbe erat, trucidavit. Ipse à Sulla, exercitu ejus fuso deletoque, Præneste obsessus, cum per cuniculum captaret evadere, septusque ab exercitu esset, mortem sibi conscivit in ipso cuniculo. Epitome XXCVI. & sequentibus, Appianus lib. I. Plutarchus in *Sulla* & *Mario*, Vellejus lib. II. Florus libro III. capite XXI.

POMPEIA GENS.

VELLEJUS Patereulus, auctor antiquitatis sane luculentus, tres Pompejæ gentis fuisse familias libro II. tradit: quæ verò hæ sint non explicat. Mihi diligentissimè hæc perpendenti, duæ omnino hujusce gentis familiæ diversæ occurrunt. Prima Ruforum est, quorum quidem tres ante bellum civile Sullanum, tres post Pompejanum, curules gessisse magistratus reperio. Neque tamen ignoro quosdam ex his *Bithynicos* appellari. Eos enim, quia ejusdem planè sunt stirpis, cum cæteris conjunximus. Hujus familiæ auctor est & princeps Q. Pompejus, is qui rem ad Numantiam malè gessit: unde à Cicerone *de Claris oratoribus*, *homo per se cognitus: pro Muræna*, *novus homo* appellatur: atque etiam in *Accusationis* V. *humili & obscuro loco natus* dicitur. Altera familia Pompeji Magni est, cujus pater, quia perversis esset oculis, *Strabo* nominatus: ipse verò propter res in prima ætate præclarè fortiterque gestas, primus omnium *Magni* cognomine est à Sulla decoratus, omnium certe seculorum & nationum facilè princeps, qui fines imperii Romani (ut Cicero *in Catilinam* scribit) non terræ, sed cæli regionibus terminavit, cujus extat monumentum apud Plinium lib. VII. & in libro Epigram. urbis, quod apponam:

P. VRB. RO. S. P. Q. R. CN. POMPEIVS MAGNVS IMP. BELLO XXX. ANN. CONFECTO FVSIS, FVGATIS, OCCISIS, IN DEDITIONEM ACCEPTIS HOMINVM CENTIES VICIES SEMEL LXXXIII. M. DEPRESSIS AVT CAPTIS NAVIBVS DCCCXLVI. OPPIDIS, CASTELLIS MDXXXVIII. IN FIDEM ACCEPTIS TERRIS A MEOTI AD RVBRVM MARE SVBACTIS QVVM ORAM MARITIMAM PRAEDONIBVS LIBERASSET, ET IMPERIVM MARIS POPVLI ROMANI RESTITVISSET. EX ASIA, PONTO, ARMENIA, PAPHLAGONIA, CAPPADOCIA, CILICIA, SYRIA, SCYTHIS, IVDAEIS, ALBANIS, IBERIA, INSVLA CRETA, BASTERNIS, ET SVPER HAEC DE REGIBVS MITHRIDATE ATQVE TIGRANE TRIVMPHAVIT.

POMPEIÆ GENTIS FAMILIA PRIMA.

A. POMPEIVS. *RVFVS.

I

Q. POMPEIVS. A. F. *N. RVFVS. cos. cum Cn. Servilio. AN. DCXII. Cassiodorus, Cicero ad Atticum XII. In Hispaniam profectus procos. imperio, Termestinos subegit, cum eisdem & Numantinis pacem ignobilem fecit. Romam reversus à clarissimis viris accusatus, absolutus est. Cassiodorus, Vellejus lib. II. Cicero *pro Murena*, *pro Fonteio*, libro *Accusationis* V. & *de Finibus* II. *Officiorum* III. Appianus in *Hispaniensibus*, Eutropius lib. IV. Valerius Max. capite V. libri VIII. Aufidium appellat. Est autem Aufidius familiæ nomen: quare eorum sententiam sequor, qui *A. F.* pro *Aufidio* legendum existimant.

Q. POMPEIVS. Q. F. A. N. RVFVS. PR. VRB. AN. DCLXIII. Cicero lib. *de Oratore* I. Valerius libro III. capite V. cos. cum L. Sulla. AN. DCLXV. In Magistratu à militibus occisus est. Appianus lib. I. Asconius in *Cornelianam*, Cicero in *Bruto*, & *contra Rullum* oratione I. & II.

I

Q. POMPEIVS. Q. F. Q. N. RVFVS. Gener Sullæ ab emissariis P. Sulpicii Trib. pl. occisus est. AN. DCLXV. Vellejus Paterc. lib. II. Epitoma LXXVII. Appianus I. Plutarchus in *Sulla*.

I

Q. POMPEIVS. Q. F. Q. N. RVFVS. TR. PL. AN. CCC. In carcerem, quod comitia impediret, jussu Senatus conjectus est. Dio libro XL. ὁ Σύλλα θυγατριδοῦν appellat. Lapsus videtur interpres, qui Sullæ sororis filium convertit.

SEX. POMPEIVS. SEX. F. *N. RVFVS. cos. cum L. Cornificio. AN. DCCXIIX. Cassiodorus, Dio libro XLIX. Hunc, Cuspinianus, & literarum & antiquitatis alioqui peritissimus, Cn. Pompeji minorem natu filium falso credidit. Ille enim cos. DES. antequam iniret occisus est. Appianus libro V.

I

SEX. POMPEIVS. SEX. F. SEX. N. RVFVS. cos. cum Sex. Appulejo. AN. DCCLXVI. Cassiodorus, Dio libro LVI.

A. POMPEIVS. Q. F. A. N. RVFVS. Obiit in Capitolio, quum deos salutasset, Plin. l. VII. cap. LIII.

I

A. POMPEIVS. A. F. Q. N. BITHYNICVS. Hunc in *Bruto* Cicero summo studio dicendi, multaque doctrina, incredibili labore ac industria fuisse scribit.

I

A. POMPEIVS. A. F. A. N. BITHYNICVS. PR. in Sicilia à Sex. Pompejo Magni filio occisus est. Appianus libro IIII. Epitome CXXIII. Dio l. XLIX.

SECVNDA POMPEIAE GENTIS FAMILIA.

SEX. POMPEIVS. CN. F. *N Nullos honores est adeptus.

SEX. POMPEIVS. SEX. F. CN. N. Præstantissimum ingenium contulit ad summam juris civilis & ad perfectam geometriæ ac rerum Stoicarum scientiam. Cicero in *Bruto*, *de Oratore* III. & *Philippica* XII. Pomponius libro II. *De Origine juris*.

CN. POMPEIVS. SEX. F. CN. N. STRABO. PR. A Picentibus victus, non ita multo post eosdem fudit. cos. cum L. Porcio. AN. DCLXIV. Cassiodorus. Proconsul Marsos acie vicit, Vestinos & Pelignos in deditionem accepit, Asculum cepit & triumphavit. Octavio, Cornelio coss. fulmine extinctus est: lectum ejus populus diripuit, corpus unco traxit. Appianus lib. I. Plutarchus in *Pompejo*, Cicero *in Pisonem*, & *Philipp.* XII. Epitome LXXIV. & sequentibus, Vellejus lib. II. *

CN. POM-

*I

CN. POMPEIUS CN. F. SEX. N. QVI POSTEA. MAGNUS. APP. EST. AUGUR. Eques Rom. nullo honore functus, Sulla Dictatore ex Africa de Hiarba Mauritaniæ rege triumphavit. AN. DCLXXII. Triumphavit iterum, ex Hispania profligato Sertorio, antequam iniret Consulatum. COS. cum per ætatem fieri non posset legibus solutus est, creatus cum M. Crasso. AN. DCXXCIII. Post Consulatum M. Acilio, C. Pisone coss. bellum Piraticum cum XV. legatis gessit, intra XL. diem confecit. Manilia lege ad bellum Mithridaticum extra ordinem profectus, AN. DCXXCVII. Mithridatem Asiæ, Tigranem Armeniæ, Atrocem Iberiæ, Aristobulum Judææ regem maximis præliis vicit, multasque gentes in potestatem populi Romani redegit. De orbe terrarum Messalla, Pisone coss. III. triumphavit, pridie Kal. Octobris die natalis sui. COS. II. cum M. Crasso. AN. DCXCIIX. COS. III. solus. AN. DCCI. Nec plures Consulatus gessit. Mendum est apud Plinium libro XV. cap. I. ubi quarto Consulatu pro tertio scriptum est, librariorum, opinor, vitio. Pugna Pharsalica à Cæsare victus & profligatus, in Ægyptum fugiens à Ptolomæo rege interfectus est. AN. DCCV. ætatis suæ LIX. Hæc Cassiod. Appianus in *Mithridaticis*, & lib. *de Bellis civilibus* I. Plutarchus in vita & *Cæsare*, Cicero ad Atticum, *pro lege Manilia* ubique. Plinius VII. & XXXVII. cap. II. Cæsar *de Bello civili*, Vellejus Paterculus lib. II. Dio lib. XXXV. VII. VIII. XL. & XLII. Eutropius, Florus, alii.

CN. POMPEIUS CN. F. CN. N. MAGNUS. Bello Pompejano classis Ægyptiæ præfectus, Cæsaris ad Oricum naves partim abduxit, partim incendit. Cæsar *de Bello civili* III. Post patris cædem in Hispaniam à Catone missus, bellum cum Cæsare gessit, ab eo IIII. cos. ad Mundam victus, & in fuga occisus est. Appianus lib. II. Plutarch. & Zonaras in *Cæsare*, Cicero ad Atticum XVI. Dio lib. XLIII. Hirtius lib. V. & VI. Florus lib. IV. cap. II. Eutropius lib. VI. Vellejus lib. II.

SEX. POMP. CN. F. CN. N. MAGNUS. Bello Hispaniensi præsidio Cordubam tenuit. Hirtius libro VI. post Cæsaris cædem à Senatu revocatus, præfectus totius oris maritimæ constitutus, armis Siciliam occupavit, Augustum navali prælio vicit. Ab Agrippa, Cornificio, Pompejo coss. profligatus, in Asiam fugiens, jussu Antonii interfectus est. Appianus lib. IV. & V. Cicero *Philip.* V. & XIII. Dio lib. XLIIX. & seq. Eutrop. lib. VII. Florus lib. IV. cap. IIX. Zonaras in *Octaviano*.

LIVIA GENS.

LIVIORUM gentem plebejam fuisse, Suetonius in *Tiberio* tradit, eamque admodum floruisse, octo Consulatibus, censura duplici, triumphis tribus, censura etiam ac magisterio equitum honoratam fuisse refert: claram præterea & insignem viris, ac maximè Salinatore Drusoque, quorum alter ob commentum in censura salis vectigal, *Salinatoris*, alter vero hostium duce Drauso cominus trucidato, sibi posterisque suis *Drusi* cognomen invenit. Quo tamen in loco magistratuum numerum non satis attendisse videtur vir ille, ut ex gentis descriptione facilè cuivis apparebit.

C. LIVIUS *DENTER. MAG. EQ. C. Claudio Dictatori. AN. CDV.

I

M. LIVIUS C. F. *N. DENTER. Nullum magistratum gessit.

I

M. LIVIUS M. F. C. N. DENTER. PONTIFEX. COS. cum M. Aimilio. AN. CDLI. Livius X. Diodorus lib. XX.

I

M. LIVIUS M. F. M. N. SALINATOR. COS. cum L. Aimilio. AN. DXXXIV. Cassiodorus, Plinius libro XXXIX. cap. I. de Illyriis triumphavit. Damnatus autem populi judicio, quòd prædam non æqualiter diviserat militibus. Frontinus lib. IV. COS. II. cum C. Claudio. AN. DXLVI. Livius lib. XXVII. Asdrubalem cum toto exercitu ad Senam oppidum delevit. De Pœnis II. triumphavit. Livius XXIIX. Valerius lib. IV. cap. II. & lib. VII. cap. IV. Item IX. capite III. DICT. COMIT. HABEND. C. AN. DXLVI. Livius lib. XXIIX. CENS. cum C. Claudio, AN. DXLIX. Præter Metiam tribum, populum Romanum omnem triginta & quatuor tribus in Censura notavit levitatis nomine, quòd quum se post priorem Consulatum multa irrogata condamnassent, cos. iterum Censoremque fecissent. Livius lib. XXIX. Suetonius in *Tiberio*. Valerius libro IV. cap. II. Sex. Salinatorem perperam appellat.

I

C. LIVIUS M. F. M. N. SALINATOR. PR. AN. DLXII. Livius lib. XXXV. COS. cum M. Valerio. AN. DLXV. Livius lib. XXXIIX. Meminit Cicero in *Catone*.

I

M. LIVIUS C. F. M. N. DRUSUS. Hic opinor est, qui duce hostium Drauso cominus trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit. PROPR. ex provincia Gallia aurum retulit, Senonibus olim in obsidione Capitolii datum auctor Suetonius.

I

C. LIVIUS M. F. C. N. DRUSUS. COS. cum P. Cornelio. AN. DCVI. Cassiodorus, Appianus in *Hispaniensibus*, Jul. Obsequens, ubi mendosè est, *Lelius*, pro *Livius*.

*

M. LIVIUS *PACATUS. PRÆFECTUS Tarentinus, oppidum proditione amisit, arcem per quinquenniũ tutatus est. Huic glorianti ac dicenti, *Mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepisti*: *Certè*, inquit: *nam nisi tu amisisses, nunquam recepissem*. Livius libro XXV. & XXVII. Cicero in *Catone*, & eum secutus Plutarchus in *Fabio*, Salinatori hoc tribuit. Lapsum hac in re Ciceronem Hen. Glareanus præstantissimo studio atque doctrina vir, jampridem ostendit: quod quum alii sibi arrogant, faciunt, me hercule, impudenter.

M. LIVIUS C. F. M. N. DRUSUS. TR. PL. AN. DCXXXI. Ob eximiam adversus Gracchos operam, *Patronus Senatus* appellatus est. Suetonius in *Tiberio*, Plut. in *Gracchis*, Cic. in *Bruto*, Plin. lib. XXXIII. Asconius in *Cornelianam*. PR. VRB. AN. DCXXXIIX. Cicero ad Atticum VII. Auctor ad Herennium lib. II. COS. cum L. Calpurnio. AN. DCXLI. Cassiodorus. Scordiscos in Thracia vicit, deque iis triumphavit. Epitoma LXI. CENS. cum M. Aimilio. AN. DCXLIV. In magistratu mortuus est.

I

M. LIVIUS M. F. C. N. PONTIFEX. Cicero *pro Domo*. TR. PL. AN. DCLXII. Nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, à Paterculo dicitur. Senatui judicia, quæ Sempronia lege ad equites translata erant, restituere conatus est. quod beneficium quum sperni à Senatu videret, ad plebem se contulit, & legem de civitate sociis danda promulgavit. Reversus è foro in atrio domus suæ cultello percussus, intra paucas horas decessit: leges ejus omnes sc. abrogatæ. Vellejus lib. II. Suetonius in *Tiberio*, Appianus lib. I. Cicero in *Bruto*, *pro Domo*, *de Finibus* IV. *de Legibus* II. *de Natura deorum* III. A Q. Vario ferro sublatum scribit. Plinius lib. XXIIX. cap. IX. caprinum sanguinem bibisse refert. Meminit idem lib. XXV. cap. V. & lib. XXXIII. cap. I. Gellius lib. XVII. cap. XV. Valerius lib. IX. cap. V. Florus lib. III. cap. XVII.

C. LIVIUS C. F. M. N. DRVSVS. Meminit Cic. in *Bruto*. Hunc opinor esse, cujus domum Cic. Tusculana quinta consultoribus compleri solitam, & cæcum fuisse scribit. Idem tradit Val. l. IIX. c. VII.

I

L. LIVIUS C. F. C. N. DRVSVS. Nullum Magistratum gessit. Bello civili Octaviano Brutum & Cassium sequutus, post pugnam Philippensem in tabernaculo sibi ipsi mortem conscivit. Pater hic fuit Liviæ Augustæ. Vellej. lib. II. Dio lib. XLIIX.

I

L. LIVIUS L. F. C. N. DRVSVS. COS. cum L. Calpurnio. AN. DCCXXXIIX. Cassiodorus, Dio lib. LIV.

TULLIA GENS.

TULLII, qui *Cicerones* dicuntur, municipes Arpinates sunt, orti à Tullo Attio Volscorum rege. Auctorem hujus rei habeo (ut omittam Plutarchum & Eutropium) Silium Italicum, qui libro octavo *Punicorum* sic scribit,

Tullius æratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies, & Tullo sanguis ab alto.

Ipse quoque Cicero stirpem suam antiquissimam lib. *de Legibus* II. prædicat. Sunt tamen qui à *tullis*, id est, aquæ ductibus, *Tullios* deducere malunt. à quibus ut dissentiam, cum illorum quos dixi facit auctoritas, tum verò quod in cognominibus, vocabulorum ejusmodi derivationes locum quidem habere aliquem posse videantur, in nominibus certè gentium non item. Atque haud scio an *Tullum*, quod Volcatiorum cognomen est, quàm *Tullium*, quod gentis est nomen, à tullis rectius deducamus, accommodatius sanè ad horum nominum rationem. Unica verò hujus Tulliæ gentis familia magistratibus & honoribus floruit, ea quæ *Ciceronum* cognomen tulit, à ciceribus serendis, ut ait Varro. Illud enim quod de verruca, quam *ciceren* Latini vocant, Plutarchus narrat, eo mihi minus verisimile fit, quod patrem & avum suum Cicero eodem plane usos esse cognomine *de Legibus* III. & II. *de Oratore* satis dilucidè ostendat. Ac ex his quidem primus M. Cicero orator honores est adeptus. Nam de avo sic libro *de Legibus* III. loquitur, *Et avus noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cujus in matrimonio sororem aviam nostram habebat, ferenti legem tabellariam.* Excitabat enim fluctus in simpulo (ut dicitur) Gratidius, quos post filius ejus Marius in Ægæo excitavit mari ac nostro quidem. Quæ cum res esset ad se delata, Scaurus consul, *Utinam*, inquit, *M. Cicero, isto animo atque virtute in summa Republica nobiscum versari, quàm in municipali maluisses.* Hæc ille.

M. TULLIUS * CICERO. Meminit Cicero lib. *de Legibus* tertio.

M. TULLIUS M. F. * N. CICERO. In filii Consulat. petitione moritur. Cicero ad Atticum lib. I. Plutarchus. Meminit lib. *de Oratore* secundo.

L. TULLIUS M. F. * N. CICERO. cum M. Antonio Proconsule in Ciliciam est profectus. Cicero lib. II. *de Oratore*.

I

L. TULLIUS L. F. M. N. CICERO. Meminit Cicero lib. *de Finibus* V. & *Accusationis* IV.

M. TULLIUS M. F. M. N. CICERO AVGVR. In *Bruto*. *de Divinat.* I. QVÆSTOR. in Sicilia Sex. Peduceo Prætori. AN. DCLXXIIX. Asconius in *divinat*. Cicero *post reditum in Senatu*, *in Pison*. *pro Plancio*. in *Bruto*. ÆDILIS CVRVL. AN. DCXXCIV. Verrem de pecuniis repetundis accusavit,

Q. TULLIUS M. F. M. N. CICERO. ÆDIL. CUR. Cicero Epist. ad Q. Fr. I. Legatus Cæsaris in Gallia. Cæsar lib. *de Bello Gallico* V. & VI. Dio lib. XXXIX. PR. AN. DCXCI. Asiam Proconsule triennium obtinuit. Plutarchus in *Cicerone*, Cicero ad Q. Fr. à Triumviris proscriptus occisus est. Appianus lib. IV. Dio libro XLVII.

I

Q. TULLIUS Q. F. M. N. CICERO. Meminit Cicero sæpius in Epistolis ad Atticum. à IIIVIRIS proscriptus, patrem abscondit, nec ullis tormentis cogi potuit, ut illum indicaret: quod cum pater ferre non posset, & se prodidisset, ambo interfecti sunt. Dio l. XLVII. Paulò aliter Appianus libro IV. Dionem secutus est Zonaras in *Octaviano*.

vit. Ludos trinos fecit. *Accusationis* v. & *pro Murana*. PR. REPETVND. AN. DCXXCVII. *pro Cluentio*, in *Bruto*, *in Pisonem*. Legem Maniliam suasit. Dio lib. XXXVI. Extat oratio pro lege Manilia. Cluentium veneficii, & Cornelium majestatis defendit. Asconius in *Cornelianam*. cos. cum C. Antonio. AN. DCXC. Agrarias Rulli leges abrogavit, Rabirium perduellionis reum defendit, proscriptorum liberos magistratus petere vetuit, Legem de ambitu tulit, Murænam cos. DES. ambitus reum defendit, Catilinam urbe ejecit, de conjuratis supplicium sumpsit, *Pater patriæ* à Catone appellatus, ipsi primo omnium supplicationes togato decretæ, à Campanis aurea statua donatus est. Dio lib. XXXVII. Epit. CII. Salustius, & Cicero *in Catil. in Pisonem, in Vatinium, pro Sextio*, ubique. Gabinio, Pisone coss. rogatione Clodia, quod indemnatos cives occidisset, in exilium pulsus, ejus domus eversa, bona sub hasta vendita: revocatus Lentulo, Metello coss. XVI. post exilium mense, pridie Non. Sextiles, ingenti omnium ordinum studio Romam reversus, domos sumptu publico ædificata. Dio lib. XXXIIX. & XXXIX. Epitome CIII. & CIV. In orationibus *post reditum, pro Sextio, in Pisonem, pro Plancio, de Legibus* III. Ad Atticum III. & IV. Marcello, Sulpicio. coss. In Ciliciam Proconsul profectus, Eranam, itemque Sepyram, Ceminorim, Eleutherocilicium & Pindenissum magna hostium multitudine occisa cepit, Tibaranos in deditionem accepit, quamobrem Imperator app. supplicationesque absenti decretæ, & triumphus. lib. XV. Epist. ad Catonem, & ad Atticum V. Bello civili Pompejanas partes secutus, his profligatis, à Cæsare in gratiam receptus. Dio XLI. & XLII. ad Atticum VII. & sequentibus. Post cujus cædem, cum multa præclarè in republica gessisset, à IIIVIRIS proscriptus, occisus est anno ætatis LXIII. ejus caput cum manu dextra pro rostris positum. Epit. CXX. Plut. in vita, Appianus lib. IV. Dio lib. XLVII. Vellejus lib. II. Florus lib. IV. cap. V. Eutropius lib. VII. Valerius lib. I. cap. IV. & lib. V. cap. III.

I

M. TULLIUS M. F. M. N. CICERO PONTIFEX. COS. cum C. Julio. AN. DCCXXIII. Imagines Antonii sc. sustulit, ac ne quis Antoniorum *Marcus* appellaretur, edixit. Plutarchus in *Cicerone*, Dio lib. LI. Proconsul Syriam obtinuit. Appianus libro IV.

JUNIA GENS.

D. JUNIUS * BRUTUS SCÆVA. MAG. EQ. Q. Publilio Dict. AN. CDXIV. COS. cum L. Furio. AN. CDXXIIX. Cassiod. Livius libro IIX. Diodorus lib. XIIX.

I

D. JUNIUS D. F. * N. BRUTUS SCÆVA. COS. cum Q. Fabio. AN. CDLXI. Cassiodorus, Livius lib. X.

I

D. JUNIUS D. F. D. N. PERA. COS. cum N. Fabio. AN. CDXXCVII. Cassiod. de Sassinatibus & Sallentinis triumphavit. CENS. cum L. Postumio. AN. D. collega mortuo abd.

I

M. JUNIUS D. F. D. N. PERA. COS. cum M. Aimilio. AN. DXXIII. Cassiodor. CENS. cum C. Claudio. AN. DXXIIX. DICT. R. G. C. AN. DXXXVII. Livius libro XXII. Valerius libro VII. cap. VI.

C. JUNIUS C. F. C. N. BUBULCUS BRUTUS. COS. cum Q. Aimilio. AN. CDXXXVI. Livius lib. IX. Diodorus XIX. cos. II. cum L. Papirio. AN. CDXL. MAG. EQ. C. Sulpicio Dict. AN. CDXLI. COS. III. cum Q. Aimilio, AN. CDXLII. Cassiod. Diodorus lib. XX. ubi pro *Julio*, *Junio* legendum rectè Cuspinianus præstanti vir ingenio admonuit. MAG. EQ. II. AN. CDXLIV. CENS. cum M. Valerio. AN. CDXLVI. Valer. lib. II. C. IV. DICT. R. G. C. AN. CDLI. Æquos subegit, ac die octavo triumphans in orbem rediit, ædemque Salutis quam Consul voverat, Censor locaverat, Dictator dedicavit. Livius lib. X. Valerius lib. IIX. cap. XV.

I

C. JUNIUS C. F. C. N. BUBULCUS BRUTUS. COS. cum L. Postumio. AN. CDLXII. Cassiod. Liv. l. XXVII. COS. II. cum P. Cornelio. AN. CDLXXVI. Cassiod. De Lucanis & Brutiis triumphavit.

L. JUNIUS C. F. L. N. PULLUS. COS. cum P. Claudio. AN. DIV. Adversum Pœnos in Siciliam missus, tempestate classem amisit, quum auspiciis non paruisset, damnatusque ignominiam voluntaria morte prævenit. Cicero *de Divinat.* I. & *natura deorum* II. Valer. lib. I. cap. IV. Polybius lib. I. Eutropius lib. II. *

M. JUNIUS L. F. C. N. BRUTUS. Sine magistratibus fuit.

I

M. JUNIUS M. F. L. N. BRUTUS. PR. AN. DLXII. Livius libro XXXV. cos. cum L. Manlio. AN. DLXXV. Livius lib. XL.

I

M. JUNIUS M. F. M. N. PENNUS. PR. AN. DXXCI. Liv. l. XLII. cos. cum Q. Ælio. AN. DXXCVI. Cassiod. Liv. lib. XLV. *

T. JUNIUS L. F. C. N. BRUTUS. Tribunitium Cicero in *Bruto* appellat, facilem & expeditum ad dicendum: & vitæ splendore multo, & ingenio probabili fuisse refert, neque longius honoribus processisse, quòd infirma atque etiam ægra esset valetudine.

M. JUNIUS M. F. M. N. PENNUS. TR. PL. M. Lepido, L. Oreste coss. Ædilitius est mortuus. Cic. in *Bruto*.

I

M. JUNIUS M. F. M. N. SILANUS. COS. cum Q. Cæcilio. AN. DCXLIV. Cassiod. Adversum Cimbros infeliciter pugnavit. Epit. LXV. A Cn. Domitio apud populum accusatus, absolutus est. Asconius *in Cornelianam*. Cicero in *Divinatione*, propter Egritomari paterni amici & hospitis injurias, à Domitio accusatum memorat. Idem in *Accusat.* II. & *Bruto*.

I

D. JUNIUS M. F. M. N. SILANUS. COS. cum L. Muræna. AN. DCXCI. Cassiod. Dio l. XXXVII. Sal. in *Catil.* Plut. in *Cicerone*.

I

M. JUNIUS D. F. M. N. SILANUS. COS. cum C. Julio. AN. DCCXXIIX. Cassiodor. Dio lib. XXXIII.

D. JUNIUS M. F. M. N. PENNUS. QVI POSTEA GALLAICVS EST APP. AVGVR. Cicero in *Lælio*. cos. cum P. Cornelio. AN. DCXV. Cassiod. Hispaniam ulteriorem sortitus, Lusitaniam urbium expugnationibus usque ad Oceanum perdomuit, & cum flumen Oblivionis milites transire nollent, raptum signifero signũ ipse transtulit. Triumph. Popillio, Rupilio coss. Epit. LV. & seq. Strabo l. III. Florus l. II. c. XVII. Vellejus l. II. A. mendosè nominat. Meminit Cic. in *Bruto*, *de LL.* III. Val. l. VI. c. IV. & IIX. c. XV.

I

D. JUNIUS D. F. M. N. BRUTUS. cos. cum M. Aimilio. AN. DCLXXVI. Cassiod. Jul. Obseq. Meminit Cic. in *Bruto*, Ascon. *in Cornelianam*;

FULVIA GENS.

L. FULVIUS L. F. L. N. CURVUS. COS. cum Q. Fabio. AN. CDXXXI. Cassiodorus, Livius libro IIX. de Samnitibus triumphavit. MAG. EQ. L. Aimilio Dict. AN. CDXXXVII. Livius lib. IX.

I

M. FULVIUS L. F. L. N. CURVUS PAITINUS. COS. cum L. Postumio. AN. CDXLIIX. suffectus in locum Ti. Minucii, Bovianum cepit, de Samnitibus triumphavit, Livius auctor libro IX.

CN. FULVIUS CN. F. *N. PAITINUS. De quo nihil tradunt auctores.

CN. FULVIUS CN. F. CN. N. MAXUM. CENTUMALUS. cos. cum L. Cornelio. AN. CDLV. Livius lib. X. de Samnitibus & Etruscis triumphavit.

I

CN. FULVIUS CN. F. CN. N. MAXUM. CENTUMALUS. DICT. CL. FIGENDI C. AN. CDXC. cos. cum L. Postumio. AN. DXXIV. Cassiodorus. Bellum cum Illyriis gessit. Corcyram in potestatem populi Romani redegit, Dyrrhachium in deditionem accepit. Apolloniam cepit, de Illyriis triumphavit. Florus lib. II. cap. V. Epitome XX. Orosius lib. IV. cap. XII. Eutropius lib. II. Polybius libro II. ubi mendum est in prænomine.

I

CN. FULVIUS CN. F. CN. N. MAXUM. CENTUMALUS. ÆDIL. CURUL. PR. AN. DXL. Livius libro XXIV. cos. cum P. Sulpicio. AN. DXLII. Livius libro XXV. Orosius libro IV. cap. XVI. Proconsul cum exercitu cæsus ab Annibale ad Herdoneam est. Livius libro XXVII.

M. FULVIUS CN. F. CN. N. PAITINUS. COS. cum T. Manlio. AN. CDLI*. Livius lib. X. De Nequinatibus triumphavit.

I

M. FULVIUS M. F. CN. N. PAITINUS NOBILIOR. Sine magistratu fuit.

I

SER. FULVIUS M. F. M. N. PAITINUS NOBILIOR. cos. cum M. Aimilio. AN. CDXCIIX. Cassiodorus. Hic quum prosperè terra marique cum Carthaginiensibus bellum in Sicilia gessisset, naufragio classem amisit. Epitome XIIX. Polybius libro I. Eutropius lib. II. Orosius lib. IV. cap. VII.

I

M. FULVIUS SER. F. M. N. NOBILIOR. De quo nihil accepimus.

I

M. FULVIUS M. F. SER. N. NOBILIOR. PR. AN. DLX. Livius libro XXXIV. Hispaniam ulteriorem sortitus, re bene gesta, urbem ovans est ingressus. Liv. lib. XXXV. cos. cum Cn. Manlio. AN. DLXIV. Cassiod. In Cephalleniam transgressus omnes civitates in deditionem sine prælio accepit, de Ætolis triumphavit. Liv. lib. XXXVII. & seq. Orosius l. IV. c. XIX. CENS. cum M. Aimilio. AN. DLXIV. Liv. lib. XL. Val. l. IV. c. II. Gellius lib. XII. cap. IIX. Meminit Cicero *Tusculana* prima. *

M. FULVIUS M. F. M. N. NOBILIOR. cos. cum Cn. Cornelio. AN. DXCIV. Cassiodorus. His coss. Terentium mortuum esse in Arcadiæ Stymphalo, auctor est Donatus.

Q. FULVIUS M. F. M. N. NOBILIOR. COS. cum T. Annio. AN. DC. Hi primi coss. Kal. Jan. magist. inierunt. Cassiodorus, Epimme XLVII. CENS. cum Q. Fabio. AN. DCXVII. IIIVIR COL. DEDUCENDÆ. Ennium, qui cum patre ejus in Ætolia militaverat, civitate donavit. Cicero in *Bruto*.

FVLVII FLACCI.

M. FULVIUS Q. F. M. N. FLACCUS. COS. cum App. Claudio. AN CDXXCIX. Cassiodorus, Gellius lib. XXVII. cap. XXI. Vellejus libro II. Florus libro II. De Vulsiniensibus triumph. MAG. EQ. Ti. Coruncanio Dict. AN. DVII.

Q. FULVIUS M. F. Q. N. FLACCUS. cos. cum L. Cornelio. AN. DXVI. Cassiodor. Eutropius lib. III. CENS. cum T. Manlio. AN. DXXII. Vitio fact. abd. Livius XXIII. cos. II. cum T. Manlio. AN. DXXIX. Cassiodorus. Hi coss. primi trans Padum Romanas duxerunt legiones, ibi cum Insubribus Gallis pugnatum est, quorum interfecta sunt XXIII. millia, capta V. millia. Orosius l. IV. c. XII. Polyb. l. II. Epit. XX. MAG. EQ. C. Claudio Dict. AN. DXL. Liv. l. XXV. cos. III. cum Ap. Claudio. AN. DXLI. Liv. eodem. Florus lib. II. c. VI. Anno insequenti proconsul Fulvius Capuam recepit, Senatum Campanorum securi percussit. Livius lib. XXVI. Val. lib. III. cap. II. & IIX. DICT. COMIT. HABEND. C. AN. DXLIII. Livius XXVII. Plutarchus in *Marcello*. cos. IV. cum Q. Fabio AN. DXLIV. Livius XXVII. Plutarchus in *Annibale*.

C. FULVIUS M. F. Q. N. FLACCUS. Legatus Q. Fr. consulis. AN. DXLIV. Livius libro XXVII.

CN. FULVIUS M. F. Q. N. FLACCUS. PR. AN. DXLI. Malè adversus Annibalem in Apulia pugnavit, in quo prælio hominum sexdecim millia ceciderunt: ipse cum equitibus ducentis effugit. Livius lib. XXV. Accusatus à C. Bleso Trib. pl. ante judicii diem Tarquinios exulatum abiit, id ei justum exilium esse scivit plebs. Liv. lib. XXVI.

I

Q. FULVIUS CN. F. M. N. FLACCUS. PR. AN. DLXVI. Liv. lib. XXXIIX. cos. suffectus in locum C. Pisonis. AN. DLXXIII. Liv. lib. XL.

I

SER. FULVIUS Q. F. CN. N. FLACCUS. cos. cum C. Calpurnio. AN. DCXIIX. Cassiod. Vardæos in Illyrico subegit. Epit. LVI. Appianus in *Illyricis* meminit. Orosius lib. IV, cap. III. Cicero in *Bruto*.

Q. FVL-

Q. FVLVIVS. Q. F. M. N. FLACCVS. PR. AN. DLXXI. Livius lib. XXXIX. Hispaniam citeriorem sortitus, Celtiberos vicit, cæsa sunt in prælio XX. millia hominum, IV. millia capta, de iis triumphavit. Liv. libro XL. cos. cum L. Manlio. AN. DLXXIV. Ligures subegit, deque iis triumphavit. Livius lib. XL. Plinius lib. XXXV. cap. III. CENS. cum A. Postumio. AN. DLXXIX. Livius lib. XLIII. Valerius libro II. capite II. Vellejus libro I.

CN. FVLVIVS. Q. F. M. N. FLACCVS. Hic quod cohortem legionis in qua Trib. militum erat, injussu Consulis domum dimisisset, à Q. Fr. Censore Senatu motus est. Valerius l. II. c. II. Vellejus I.

M. FVLVIVS Q. F. M. N. FLACCVS. magistratum nullum gessit. Meminit Livius libro XXXX. *

I

Q. FVLVIVS. Q. F. Q. N. FLACCVS. cos. cum P. Cornelio. AN. DCXIX. Cassiodorus. Bellum servile in Sicilia gessit, ut est in Epitoma LVI.

*

M. FVLVIVS. M. F. Q. N. FLACCVS. cos. cum M. Plautio. AN. DCXXIIX. Cassiodorus, Jul. Obsequens. Leges de provocatione, & de civitate Italis danda promulgavit. Appianus I. Valerius lib. IX. cap. V. Hic primus omnium Transalpinos Ligures bello domuit. Epitome LX. De Liguribus & Vocontiis triumphavit. Plutarchus in *Gracchis*, Vellejus lib. II. Hunc C. Gracchus in Ti. fratris locum IIIVIRVM AGR. DAND. nominavit, & socium potentiæ assumpsit. Ab Opimio cos. quum Aventinum montem armatus occupasset, interemptus est, ejus domus eversa & publicata. Epitome LXI. Appianus I. Plutarchus in *Gracchis*, Vellejus lib. II. Valerius lib. VI. cap. III. Cic. *Catil.* I. & IV. & *pro domo.* *

Q. FVLVIVS. M. F. Q. N. FLACCVS. IIIVIR. EPVLONVM. Liv. lib. XXXX.

*

M. FVLVIVS. M. F. M. N. FLACCVS. Vnà cum patre in Aventino dimicans cecidit. Plutharcus in *Gracchis*.

Q. FVLVIVS. M. F. M. N. FLACCVS. A patre ad Opimium cos. legatus de conditionibus missus, in carcere necatus est. Cic. *Catilina.* IV. Plutarchus, Appianus, Vellejus l. II. juvenem specie excellenti fuisse tradit, necdum duodevigesimum annum egressum: Cicero impuberem appellat. Mortis quoque genus aliud profert Paterculus, quod Valerius cap. XII. libri noni, M. Herennio tribuit.

SEMPRONIA GENS.

SEMPRONII SOPHI.

P. SEMPRONIVS. P. F. C. N. SOPHVS. PONTIFEX. Livius lib. X. TR. PL. AN. CDXLIII. Appium Claudium Censorem in vincula duci jussit. Livius lib. IX. PR. AN. CDXLVII. Livius IX. cos. cum P. Sulpicio. AN. CDXLIX. Livius eodem, Diodorus libro XX. Plinius libro XXXIII. capite I. *P. Sempronium Longum* appellat: quod ut falsum esse credam, cum aliorum tum Livii facit auctoritas. MAG. EQ. Ap. Claudio DICT. AN. CDLII. CENS. cum P. Sulpicio. AN. CDLIV. Livius lib. X. Meminit Valerius lib. VI. cap. III. Pomponius *de Origine juris.*

I

P. SEMPRONIVS. P. F. P. N. SOPHVS. cos. cum Ap. Claudio. AN. CDXXCV. Cassiodorus, Vellejus libro I. Adversus Picentes duxit exercitum, & quum subitus terræ motus utrasque acies confudisset, exhortatione confirmavit suos, & impulit, ut consternatum superstitione hostem invaderent, unde victoriam reportavit, deque Picentibus triumphavit. Eutropius libro II. Florus I. cap. XIX. Orosius lib. IV. cap. IV. CENS. cum M. Valerio. AN. DI. Epitome XIIX. Valerius libro II. capite IV.

SEMPRONII LONGI.

C. SEMPRONIVS. TI. F. TI. N. BLAESVS. cos. cum Cn. Servilio. AN. D. Cassiodorus. In Africam trajecit, universam oram maritimam depopulatus est. Romam reversus, triumphum meruit. Polybius lib. I. Eutropius libro II. Orosius libro IV. capite VII.

I

TI. SEMPRONIVS. C. F. TI. N. LONGVS. cos. cum P. Cornelio. AN. DXXXV. Cassiodorus. His coss. bellum Punicum secundum initum est. Livius lib. XXI. Polybius III. Florus lib. II. Orosius lib. IV. cap. XIV. Asconius in *Cornelianam*.

I

TI. SEMPRONIVS. TI. F. C. N. LONGVS. XVIR. SACR. Livius lib. XXVII. PR. AN. DLVII. Livius lib. XXXIII. cos. cum P. Cornelio. AN. DLIX. Livius lib. XXXIV. Orosius lib. IV. capite XIX.

SEMPRONII TVDITANI.

C. SEMPRONIVS. M. F. *N. TVDITANVS. De quo nihil accepimus.

C. SEMPRONIVS. C. F. M. N. TVDITANVS. Fuit sine honoribus. *

M. SEMPRONIVS. C. F. M. N. TVDITANVS. COS. cum C. Claudio. AN. DXIII. His coss. Ludis Romanis primùm Tragœdia & Comœdia ad scenam data, à Livio Andronico. Cassiodorus, Cic. in *Bruto*, in *Catone*, *Tusculana* I. Gellius lib. XVII. Meminit Livius lib. VII. CENS. cum Q. Fabio. AN. DXXIII.

I

M. SEMPRONIVS. M. F. C. N. TVDITANVS. PR. AN. DLXIV. Livius lib. XXXVII. COS. cum Ap. Claudio. AN. DLXIIX. Cassiodorus, Livius lib. XXXIX.

*

C. SEMPRONIVS. C. F. C. N. TVDITANVS. De quo nihil auctores.

I

C. SEMPRONIVS. C. F. C. N. TVDITANVS. PR. AN. DCXXI. Cicero ad Atticum XIII. COS. cum M. Aquillio. AN. DCXXIV. Cassiodorus. Hic contra Japudas missus, primo rem malè gessit, mox victoria cladem emendavit, virtute D. Junii, qui Lusitanos subegerat. Epitome LIX. Cicero in *Bruto*.

P. SEMPRONIVS. C. F. C. N. TVDITANVS. PR. AN. DXL. Livius lib. XXIV. CENS. cum M. Cornelio. AN. DXLIV. Livius lib. XXVII. COS. cum M. Cornelio. AN. DXLIX. Livius lib. XXIX. Meminit Cic. in *Bruto* & *Catone*.

SEMPRONII GRACCHI.

TI. SEMPRONIVS. TI. F. C. N. GRACCHVS. COS. cum P. Valerio. AN. DXV. Cassiodorus, Orosius lib. IV. cap. IX. his coss. cum Faliscis bellatum scribit.

I

TI. SEMPRONIVS. TI. F. TI. N. GRACCHVS. ÆDIL. CVRVL. MAG. EQ. factus M. Junio Dict. AN. DXXXVII. Livius lib. XXII. COS. cum L. Postumio. AN. DXXXIIX. In Campania, Cumis rem feliciter gessit. Livius lib. XXIII. Eutropius lib. III. COS. II. cum Q. Fabio. AN. DXL. Livius lib. XXIV. Appianus in *Punicis*. PROCOS. ab hospite Lucano in insidias deductus, à Magone interemptus est: ejus ossa Hannibal militibus in patriam deportanda tradidit. Livius lib. XXV. Valerius lib. V. cap. I.

I

P. SEMPRONIVS. TI. F. TI. N. GRACCHVS: Nullum magistratum est adeptus.

I

TI. SEMPRONIVS. P. F. TI. N. GRACCHVS. AVGVR. Cicero *de Divin.* I. Epi. ad Q. Fr. II. TR. PL. AN. DLXIII. Livius lib. XXXIIX. Gellius lib. VII. cap. XIX. Valerius lib. IV. cap. I. & II. Cicero *de Provinciis cons.* PR. AN. DLXXIII. Celtiberos vicit. CCC. eorum oppida delevit, monumentumque suorum operum Gracchurim oppidum in Hispania constituit: de Celtiberis triumphavit. Livius lib. XLI. Appianus in *Iberica*, Orosius lib. IV. cap. X. COS. cum C. Claudio. AN. DLXXVI. Exercitum in Sardiniam duxit, omnes Sardorum populos qui defecerant, in deditionem redegit, deque iis II. triumphavit. Livius lib. XLI. CENS. cum C. Claudio. AN. DXXCIV. Livius lib. XLIII. Valer. lib. VI. cap. V. Cicero lib. *de Oratore*, & *Rhetoricum* I. COS. II. cum M. Juventio. AN. DXC. Cassiodorus. Meminit Cicero in *Bruto*, *de Nat. deorum* II. Plutarch. in *Gracchis*, Valerius lib. I. cap. I. & IV. & cap. VI.

TI. SEMPRONIVS. TI. F. P. N. GRACCHVS. AVGVR. Quæstor in Hispania. C. Mancino COS. AN. DCXVI. Cicero lib. II. *Rhetoricum*, Plutarchus, Vellejus lib. II. TR. PL. AN. DCXX. Rempub. perniciosis legibus labefactavit, contra voluntatem Senatus M. Octavio collegæ magistratum abrogavit: & cum iterum Tr. pl. creari vellet, auctore P. Nasica in Capitolio subselliorum fragmentis occisus est, corpus in Tiberim projectum. Epitome LIIX. Plutarch. in vita, Appianus I. Cicero *de Legibus* III. *pro Sextio*, *pro Milone*, *de harusp. responsis*. Meminit etiam in *Bruto*, Vellejus lib. II. Florus, Eutropius, alii.

C. SEMPRONIVS. TI. F. TI. N. GRACCHVS. QVÆSTOR. M. Lepido L. Oreste coss. Cicero in *Bruto*. TR. PL. AN. DCXXX. Leges agrarias & frumentarias tulit: & in alterum annum continuato tribunatu. IIIVIR. colonias in Italiam & Carthaginem deduxit, cumque armatus Aventinum occupasset, ab Opimio cos. convocato ad arma populo, pulsus est, & interemptus, corpus in Tiberim projectum. Valerius & Plutarchus auctores sunt, Gracchum, ne in inimicorum potestatem deveniret, Philocrati servo cervices incidendas præbuisse. De hac re scribunt Vellejus lib. II. Appianus I. Plutarch. in vita, Epitome LX. & sequent. Valer. I. c. VII. & l. VI. c. IIX. & l. IIX. cap. X. Cicero *de Divinat.* I. *Catil.* II. *de harusp. respons. pro Domo*, *pro Sextio*, *pro C. Rabirio perduell.* & *de Finibus* V.

ATI-

ATILIA GENS.

ATILII REGVLI.

L. ATILIVS. *VVLSO. TR. MIL. AN. CCCLIV. Livius lib. V. TR. MIL. II. AN. CCCLVII. Livius eodem.

M. ATILIVS. M. F. *N. REGVLVS. cos. cum M. Valerio. AN. CDXIIX. Livius libro IIX. Diodorus lib. XVII.

I

M. ATILIVS. M. F. M. N. REGVLVS. cos. cum L. Postumio. AN. CDLIX. De Samnitibus & Volsonibus triumphavit. Livius lib. X.

M. ATILIVS. M. F. L. N. REGVLVS. cos. cum L. Julio. AN. CDXXCVI. Cassiodorus, Eutropius lib. II. Bellum cum Sallentinis gessit, deque iis triumphavit. Florus lib. I. cap. XX. cos. II. cum L. Manlio. AN. CDXCVII. Amilcare Carthaginensium duce navali prælio victo, in Africam exercitum trajecit. Duos Hasdrubales & Amilcarem acie vicit. PROCOS. à Carthaginensibus, Xantippo Lacedæmonio duce, ultima pernicie victus, captus est. Ab iis de captivis redimendis juratus ad Senatum missus, reddi captivos negavit utile esse. Ipse cum Carthaginem rediisset, vigilando crudelissimè est necatus. Epitome XIIX. Polyb. I. Appianus in *Punicis*, Florus lib. II. cap. II. Gellius lib. VI. cap. IV. Cicero *de Finibus* II. & *Officiorum* III. *in Pisonem*, in *Catone*, Valerius lib. I. cap. I. & lib. IV. cap. IV. & lib. IX. cap. II. Meminit Livius lib. XXIIX. & XXX.

M. ATILIVS. M. F. M. N. REGVLVS. cos. cum P. Valerio. AN. DXXVI. Cassiodorus, Gellius lib. IV. cap. III. cos. II. AN. DXXXVI. Suffect. in locum C. Flaminii. Livius lib. XXII. CENS. cum P. Furio. AN. DXXXIX. Livius lib. XXIV. Valerius lib. II. cap. IV. Quod si verum est, lapsus Polybius videtur, qui pugna Cannensi hunc occidisse lib. III. tradit.

I

C. ATILIVS. M. F. M. N. REGVLVS. cos. cum L. Aimilio. AN. DXXIIX. Cassiodorus. In Sardiniam navigavit, inde reversus cum Gallis acie conflixit, ipse dimicans occiditur, collega exercitum Gallorum delevit. Polybius lib. II. Plinius l. III. cap. XIX.

C. ATILIVS. M. F. M. N. REGVLVS. SERRANVS. cos. cum Cn. Cornelio. AN. CDXCVI. Cassiodorus, Polybius I. Valerius lib. IV. cap. IV. cos. II. cum A. Manlio. AN. DIII. Cassiodorus, Polybius, Orosius lib. IV. cap. IIX. Meminit Cicero *pro Sex. Roscio.*

I

C. ATILIVS. C. F. M. N. SERRANVS. Nullum magistratum est adeptus.

I

C. ATILIVS. C. F. C. N. SERRANVS. PR. AN. DXXC. Liv. l. XLI. cos. cum C. Hostilio. AN. DXXCIII. Cassiodorus, Livius lib. XLIII.

SEX. ATILIVS. *SERRANVS. cos. cum P. Furio. AN. DCXVII. Cassiodorus, Cicero *Officiorum* III. ad Atticum XII.

I

C. ATILIVS. SEX. F. SERRANVS. cos. cum Q. Cæpione. AN. DCXLVII. Cassiodorus.

ATILII CALATINI.

A. ATILIVS. A. F. C. N. CALATINVS. cos. cum Q. Sulpicio. AN. CDXCV. Cassiodorus, Polybius lib. I. cos. II. cum Cn. Cornelio. AN. CDXCIX. Cassiodorus, Polybius. DICT. R. G. C. AN. DIV. Primus exercitum extra Italiam Dictator duxit. Dio lib. XXXVI. CENS. cum A. Manlio. AN. DVI. Epitome XIX. In cujus sepulchro Cato apud Ciceronem hoc elogium incisum fuisse refert. VNICVM. PLVRIMÆ. CONSENTIVNT. GENTES. POPVLI. PRIMARIVM. FVISSE. VIRVM. Meminit Cicero *de Natura deorum* secundo.

I

C. ATILIVS. A. F. A. N. CALATINVS. BVLBVS. cos. cum M. Fabio. AN. DIIX. Cassiodorus, Vellejus lib. I. cos. II. cum T. Manlio. AN. DXIIX. Cassiodorus, Orosius lib. IV. cap. X. His coss. Janus II. clausus est. Plutarchus in *Numa*, Florus l. II. cap. III. CENS. cum A. Postumio. AN. DXIX.

CAL-

CALPVRNIA GENS.

PLVTARCHVS Calpurniam gentem & nominis & generis originem à Calpo Numæ regis filio accepisse in *Numa* tradit, quod idem Festus lib. III. scribit, & ad Pisonem his verbis ostendit Ovidius:

- - - - Nam quid memorare necesse est
Ut domus à Calpo nomen Calpurnia ducat?

Cum igitur antiquissima sit hujus gentis & regia origo, à Patriciis ad plebem descivisse Calpurnios, ut plerosque alios, existimare licet. Hujus gentis familiæ præcipuæ duæ sunt, una Pisonum, altera eorum qui *Frugi* appellati sunt. *Pisones* non à pisis, sed à *pinsendo* dictos, Plinius cap. III. lib. XIIX. docet: & Ovidius hoc versu satis apertè indicat,

Claraque Pisonis tulerit cognomina prima
Humida callosa cum pinseret hordea dextra.

C. CALPVRNIVS. C. F. C. N. PISO. PR. AN. DLXVII. Livius lib. XXXIX. cos. cum A. Postumio. AN. DLXXIII. In magistratu mortuus est. Liv. l. XL.

L. CALPVRNIVS. C. F. C. N. PISO. CAESONINVS. cos. cum Sp. Postumio. AN. DCV. Cassiodorus, Appianus in *Punicis*.

L. CALPVRNIVS. L. F. L. N. PISO. CAESONINVS. cos. cum M. Livio. AN. DCXLI. Cassiodorus. Legatus C. Cassii COS. à Tugurnis occisus. Cæsar *de bello Gallico* I.

L. CALPVRNIVS. L. F. L. N. PISO. FRVGI. Nullos est honores adeptus.

L. CALPVRNIVS. L. F. L. N. PISO. FRVGI. IIVIR. CAPVÆ. Cicero *pro Sextio*. cos. cum A. Gabinio. AN. DCXCV. Cassiodorus, Plutarchus in *Cesare*, & Suetonius, Dio libro XXXIIX. Cæsar *de bello Gallico* I. His COSS. Cicero rogatione Clodia in exilium pulsus est. *In Pisonem, pro Sextio, pro Domo, de provinciis Consularibus*. CENS. cum Ap. Claudio AN. DCCIII. Dio lib. XL. Cæsar *de bello Civili* I. Vellejus lib. II.

L. CALPVRNIVS. L. F. L. N. PISO. FRVGI. cos. cum M. Druso. AN. DCCXXXIIX. Cassiodorus, Dio libro LIV. PRAEF. VRB. ab Augusto constitutus. Tacitus lib. V. Vellejus lib. II.

CN. CALPVRNIVS. CN. F. CN. N. PISO. AVGVR. cos. cum C. Julio. AN. DCCXXX. Cassiodorus, Dio lib. LIII. cos. II. cum Ti. Claudio. AN. DCCXLVI. Cassiodorus, Dio libro LV.

L. CALPVRNIVS. CN. F. CN. N. PISO. AVGVR. cos. cum Cosso Cornelio. AN. DCCLII. Cassiodorus, Dio lib. LV.

L. CALPVRNIVS. L. F. L. N. PISO FRVGI. TR. PL. AN. DCIV. Legem de pecuniis repetundis primus tulit. Cic. *Officiorum* II. & in *Bruto*. cos. cum P. Mucio. AN. DCXX. Cassiodorus, Asconius *Verrina* II. ubi *Cn.* vulgo mendosè legitur. CENS. cum Q. Fabio. AN. DCXLV.

L. CALPVRNIVS. L. F. L. N. PISO. FRVGI. PR. AN. DCXLII. In Hispania occisus est. Cicero *de Signis*.

L. CALPVRNIVS. L. F. L. N. PISO. FRVGI. Hunc Prætorium Cicero *Accusationis* IV. nominat.

C. CALPVRNIVS. L. F. L. N. PISO. FRVGI. cos. cum M. Acilio. AN. DCXXCVI. Cassiodorus, Dio libro XXXV. Legem de ambitu tulit. Cicero *pro Murana*, Asconius in *Cornelianam*, Dio lib. XXXVI. Meminit Valerius lib. III. cap. IIX.

CN. CALPVRNIVS. * PISO. COS. cum M. Popillio. AN. DCXIV. Cassiodorus.

C. CALPVRNIVS. * PISO. cos. cum Ser. Fulvio. AN. DCXIIX. Cassiodorus.

L. CALPVRNIVS. * BESTIA. cos. cum P. Cornelio. AN. DCXLIII. Cassiodorus, Valerius lib. I. cap. V. Salustius in *Jugurtha*.

M. CALPVRNIVS. L. F. * N. BIBVLVS. ÆDIL. CVR. AN. DCXXCIX. Cæsar *de bello Civili* III. Dio libro XXXVII. PR. AN. DCXCI. Cæsar eodem. cos. cum C. Julio. AN. DCXCIV. Cassiodorus, Dio lib. XXXIIX. Plutarchus in *Cesare*, Cicero *in Vatinium*. PROCOS. Marcello, Sulpicio coss. Syriam provinciam obtinuit. Dio lib. XL. Cicero ad Atticum VI. & VII. Bello civili mari à Pompejo præfectus, multis laboribus confectus mortuus est. Dio lib. XLI. Cæsar lib. III.

MARCIA GENS.

C. MARCIVS. L. F. C. N. RVTILVS. PONTIFEX. Liv. l. X. cos. cum Cn. Manlio. AN. CCCXCVI. Liv. l. VII. De Privernatibus triumph. Idem PRIMVS. E. PLEBE. DICT. AN. CCCXCVII. Sine patrum auctoritate, populi jussu de Tuscis II. triumph. Liv. l. VII. & X. cos. II. cum P. Valerio. AN. CDI. Cassiod. Livius lib. VII. CENS. PR. E. PLEBE. cum Cn. Manlio. AN. CDII. Idem cos. III. cum T. Manlio. AN. CDIX. Cassiod. Livius, Diodorus lib. XVI. cos. IV. cum Q. Servilio. AN. CDXI. Cassiodorus, Livius, Diodorus.

C. MAR-

I

C. MARCIVS. C. F. L. N. RVTILVS. QVI. POSTEA. CENSORINVS. EST. APP. cos. cum Q. Fabio. AN. CDXLIII. Cassiodorus, Livius lib. IX. CENS. cum P. Cornelio. AN. CDLIX. Liv. lib. X. CENS. II. cum Cn. Cornelio. AN. CDXXCIIX. Val. lib. IV. cap. I. Plutarchus in *Coriolano*.

Q. MARCIVS. Q. F. Q. N. TREMVLVS. cos. cum P. Cornelio. AN. CDXLVII. Cassiodorus, Diodorus lib. XX. De Hernicis triumphavit, eique statua equestris togata ante templum Castoris posita est. Livius lib. IX. Plinius lib. XXXIV. cap. VI. Cic. *Philip.* VI. cos. II. cum P. Cornelio. AN. CDLXV. Cassiodorus.

I

Q. MARCIVS. Q. F. Q. N. PHILIPPVS. cos. cum L. Aimilio. AN. CDLXXII. Cassiodorus. De Etruscis triumphavit. Atque his coss. bellum Tarentinum initum est. Epitome XII. Orosius lib. IV. cap. I. MAG. EQ. Cn. Fulvio Dict. AN. CDXC.

L. MARCIVS. Q. F. Q. N. PHILIPPVS. De quo nihil accepimus.

I

Q. MARCIVS. L. F. Q. N. PHILIPPVS. PR. AN. DLXV. Livius libro XXXIIX. cos. cum Sp. Postumio. AN. DLXVII. Livius lib. XXXIX. Meminit Plinius lib. XXXIII. cap. X. Valerius lib. VI. cap. III. cos. II. cum Cn. Servilio. AN. DXXCIV. Livius lib. XLIII. His coss. Ennium mortuum scribit in *Bruto* & *Catone* Cicero. CENS. cum L. Aimilio. AN. DXXCIX. Plutar. in *Paulo*, Plinius lib. VI. cap. XVI.

L. MARCIVS. Q. F. Q. N. PHILIPPVS. cos. cum Sex. Julio. AN. DCLXII. Cassiodorus, Cicero *pro Cornelio*, Appianus I. & J. Obsequens *Lupum* mendosè appellant. Meminit Plinius lib. II. cap. XXX. His coss. bellum sociale coeptum auctor est Plinius lib. XXIII. & Paterculus lib. II. CENS. cum M. Perpenna. AN. DCLXVII. Cicero in *Pratura urbana*, *pro Domo*, Valerius lib. IIX. cap. XIV. Hunc gloriari solitum se sine ullo munere adeptum esse omnia, quæ haberentur amplissima, Cicero *Officiorum* scribit, ubi cum *Q. Fabius* F. vulgo legitur, *Fabius* imperiti alicujus glossam existimarem. Hunc à Druso in carcerem conjectum, auctor est Valerius lib. IX. cap. V. Meminit Cicero *de Oratore* III. in *Bruto*, *pro Murana*, *pro Plancio*.

Q. MARCIVS. * REX. cos. cum M. Porcio. AN. DCXXXV. Cassiodorus, Plinius lib. II. cap. XXX. Vellejus lib. I. Meminit Valerius lib. V. cap. X.

I

Q. MARCIVS. Q. F. *N. REX. cos. sine collega. AN. DCXXCV. Cassiodorus, Dio lib. XXXV. Pædianus *in Pisonem*.

C. MARCIVS. Q. F. L. N. FIGVLVS. Fuit sine honoribus.

I

C. MARCIVS. C. F. Q. N. FIGVLVS. PR. AN. DXXCIV. Livius l. XLIII. cos. cum P. Cornelio. AN. DXCI. Cassiod. Cicero *de Natura deorum* II. Adversus Dalmatas parum prosperè primùm, deinde feliciter pugnavit. Epitome XLVII. cos. II. cum L. Cornelio. AN. DXCVII. Cassiodorus, Cicero in *Bruto*. Meminit Valerius lib. IX. cap. III. sed falsum tradit, quum filium Q. Marcii appellat, ejus qui cos. iterum & CENS. creatus est, ut ex tabulis Capitolinis perspicuè apparet. *

*

C. MARCIVS. C. F. C. N. FIGVLVS, de quo nihil tradunt auctores.

I

C. MARCIVS. C. F. C. N. de quo nihil invenio.

I

C. MARCIVS. C. F. C. N. FIGVLVS. cos. cum L. Julia. AN. DCXXCIX. Cassiodorus, Dio libro XXXVII. Cicero *pro Sulla*.

L. MARCIVS. C. F. C. N. CENSORINVS. cos. cum M. Manilio. AN. DCIV. Cassiodorus, Cicero in *Bruto*, ad Atticum XII. Epitome XLIX. His coss. bellum Punicum III. initum est. Appianus in *Punicis*. CENS. cum L. Cornelio. AN. DCIV. Valerius lib. VI. cap. XI.

I

L. MARCIVS. L. F. C. N. CENSORINVS. De quo nihil.

I

L. MARCIVS. L. F. L. N. CENSORINVS. cos. cum C. Calvisio. AN. DCCIV. Cassiodorus, Dio lib. XLIX.

I

C. MARCIVS. L. F. L. N. CENSORINVS. cos. cum C. Asinio. AN. DCCXLV. Cassiodorus, Dio lib. LV. Meminit Plinius lib. XXXIII. cap. X.

POPILLIA GENS.

M. POPILLIVS. M. F. C. N. LAENAS. FL. CARMENTALIS. cos. cum C. Manlio. AN. CCCXCIV. Cassiodorus, Livius lib. VII. Diodorus XVI. Hic cum cos. esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum Læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione nunciata, ut erat Læna amictus, ita venit in concionem, seditionemque cùm auctoritate, tum oratione sedavit. Cicero *de Claris oratoribus*. cos. II. cum M. Fabio. AN. CCCXCVII. Cassiodorus. In Tiburtes profectus, rem prosperè gessit. Livius eodem. cos. III. cum L. Cornelio. AN. CDIII. Cassiodorus, Diodorus lib. XVI. Gallorum exercitum, qui in agro Latino consederat, profligavit, deque iis triumph. Liv. l. VII. cos. IV. cum M. Valerio. AN. CDV. Cassiodorus, Liv. Diod. CENS. cum M. Fabio. AN. CDVII. Meminit Valerius lib. IIX. cap. VI.

I

M. POPILLIVS. M. F. M. N. LAENAS. cos. cum Sp. Nautio. AN. CDXXXVII. Cassiodorus, Livius libro IX.

FVIT SINE MAGISTRATIBVS POPILLIORVM GENS ANNIS PLVS MINVS CXL.

P. POPILLIVS. P. F. *N. LAENAS.

M. POPILLIVS. P. F. P. N. LAENAS. PR. AN. DLXXVII. Livius lib. XLI. Valerius libro IIX. cap. I. cos. cum L. Postumio. AN. DXXC. Cassiodorus. Adversus Ligures bellum gessit. Statellates in deditionem accepit. Livius lib. XLI. Floralia his coss. instituta docet lib. *Fastorum* V. Ovidius. CENS. cum P. Cornelio. AN. DXCIV. Plinius lib. XXXIV. cap. VI.

I

M. POPILLIVS. M. F. P. N. LAENAS. cos. cum Cn. Calpurnio. AN. DCXIV. Cassiodorus, Appianus in *Hispaniensibus*.

C. POPILLIVS. P. F. P. N. LAENAS. cos. cum P. Ælio. AN. DXXCI. Cassiodorus, Livius libro XLII. Hi primi è plebe coss. ambo creati sunt. cos. II. cum M. Aimilio. AN. DXCV. Cassiodorus.

I

P. POPILLIVS. C. F. P. N. LAENAS. cos. cum P. Rupilio. AN. DCXXI. Cassiodorus, Epitome LIX. Cicero *Accusationis* IV. ad Atticum XIII.

PLAVTIA GENS.

P. PLAVTIVS. P. F. PROCVLVS.

C. PLAVTIVS. P. F. P. N. PROCVLVS. cos. cum M. Fabio. AN. CCCXCV. Cassiodorus, Diodorus lib. XVI. Hernicos vicit. Livius lib. VII. MAG. EQ. C. Marcio Dict. AN. CCCXCV. Idem.

I

C. PLAVTIVS. C. F. P. N. PROCVLVS. cos. T. Manlio. AN. CDVI. Cassiodorus, Diodorus lib. XVI. Livius lib. VII. cos. II. cum L. Aimilio. AN. CDXII. Cassiodorus, Diodorus. Privernates acie vicit, eorum urbem expugnavit. Livius lib. IIX. Valerius l. VI. cap. II.

I

C. PLAVTIVS. C. F. C. N. PROCVLVS cos. cum P. Cornelio. AN. CDXXV. Cassiodorus, Diodorus lib. XVII. Livius lib. IIX. CENS. cum Ap. Claudio. AN. CDXLI. IN HOC HONORE VENOX E. APP. Frontinus.

P. PLAVTIVS. P. F. P. N. PROCVLVS. De quo nihil accepimus.

I

C. PLAVTIVS. P. F. P. N. DECIANVS. cos. cum L. Aimilio. AN. CDXXIV. Cassiodorus. Privernum cepit, deque Privernatibus triumphavit. Livius lib. IIX.

L. PLAVTIVS. L. F. *N. VENNO. cos. cum L. Papirio. AN. CDXXIII. Cassiodorus, Diodorus lib. XVII. Bellum Privernum hoc anno initum. Livius lib. IIX.

I

L. PLAVTIVS. L. F. L. N. VENNO. cos. cum M. Fossio. AN. CDXXXV. Cassiodorus, Diodorus lib. XIX. Livius lib. IX.

M. PLAVTIVS. *HYPSAEVS. cos. cum M. Fulvio. AN. DCXXIIX. Cassiodorus, Jul. Obsequens, Orosius lib V. cap. X. Meminit Valerius lib. IX. cap. V. quanquam ibi *Planci* mendosè scriptum est.

M. PLAVTIVS. M. F. A. N. SILVANVS. cos. cum C. Julio. AN. DCCLI. Cassiodorus, Dio lib. LV.

LUTATIA GENS.

C. LVTATIVS. C. F. *N. CATVLVS. Fuit sine magistratibus.

C. LVTATIVS. C. F. C. N. CATVLVS. PONT. MAX. COS. cum A. Postumio. AN. DXI. Pœnos in Sicilia navali prælio vicit, quinquaginta naves Carthaginensium demersæ, septuaginta captæ, de Pœnis triumphavit. Cassiod. Epitoma XIX. Val. l. II. c. III. Orosius lib. IV. cap. IX.

*I

Q. LVTATIVS. C. F. C. N. CATVLVS. cos. cum A. Manlio. AN. DXII. Cassiodorus, Orosius lib. IV. cap. IX. His coss. Pœnis pax data. Livius l. XXX. CENS. cum L. Cornelio. AN. DXVII. In magist. mortuus est.

I

Q. LVTATIVS. Q. F. C. N. CATVLVS. De quo nihil accepimus.

I

Q. LVTATIVS. Q. F. Q. N. CATVLVS. cos. cum C. Mario. AN. DCLI. Cassiodorus, Obsequens. PROCOS. Cimbros, à quibus ab alpibus repulsus erat & fugatus, cum Mario vicit, deque iis triumphavit. Epitoma LXIIX. Plut. in *Mario*, Val. lib. VI. cap III. Cic. *pro Domo*. Marianis armis oppressâ Repub. quum deprecantibus necessariis Catuli, *Marius non semel*, respondisset, *sed sæpe, moriatur*, mortem sibi conscivit. Appian. I. Cic. *Tusc.* V. Vellejus II. Val. l. IX. c. XII.

**I

C. LVTA-


*I

C. LVTATIVS. C. F. C. N. CATVLVS. cos. cum L. Veturio. AN. DXXXIII. His coss. viam Flaminiam munitam, & circum factum, qui *Flaminius* appellatur, scribit Cassiodorus.

**I

Q. LVTATIVS. Q. F. Q. N. CATVLVS. cos. cum M. Aimilio. AN. DCLXXV. Cassiodorus, Plinius lib. XXXV. cap. III. Cicero *pro Balbo*. M. Lepidum, qui patriæ bellum nefarium intulerat, profligavit. Epit. XC. Appian. I. Cic. *Catil.* III. Valerius lib. II. cap. III. Plutarch. in *Sulla*. Capitolium, quod Scipione, Norbano coss. custodum negligentia conflagrarat, restituit & dedicavit. Cic. *Accusationis* IV. Plutarch. in *Poplicola*, Valerius l. VI. c. IV. Plinius lib. XIX. cap. I. Dio lib. XLIII. CENS. cum M. Licinio. AN. DCXXCIIX. Dio lib. XXXVI. Plutarchus in *Crasso*. Meminit Cic. *pro lege Manilia*, lib. *Accusationis* I. *in Pisonem*, *pro Sextio*, *post reditum in Senatu*, in *Bruto*, Valerius lib. IIX. cap. XVI. Vellejus libro II. Mortuus est M. Messalla, M. Pisone coss. Dio lib. XXXVII.

FRANCISCI ROBORTELLI VTINENSIS DE COGNOMINIBVS, ET APPELLATIONIBVS IMPP.



CAESARIS cognomen primus Augustus à Julio Cæsare adoptatus assumpsit, jure testamenti, & adoptionis; inde factum, ut postea Cæsares dicerentur, qui erant successuri Imp. ut postea dicemus. Sed id fluxit primùm è consuetudine assumendorum nominum in adoptionibus, quæ quidem varia fuit. Nam aliquando suum nomen gentile mutabant, in *anus*, assumpto gentili nomine ejus à quo adoptati fuerant; ut est apud Cic. lib. 3. ad Att. de Pomponio Attico, qui dictus est Cæcilius Pomponianus Atticus: idem asserit Dion lib. 46. de Octaviano itidem factum in nominibus Scipionis Æmiliani: aliquando secus est factum, ut in Cornelii Scipionis adoptione per Q. Cæcilium Metellum, qui dictus est Q. Cæcilius Metellus Scipio. Vide Dionem lib. 40. Et hoc veteres dicebant asciscere in nomen familiæ. Suet. in *Divo Claudio* num. 39. Asciturus in nomen familiæ Neronem Suetonius in *Nerone*, num. 7. ubi ait, post adoptionem ægrè tulit se Ænobarbi nomine salutatum à Britannico, & Julius Capitolinus in *vita Veri* 193. sub initium. Post septimum annum in familiam Aureliam traductus. Ibidem etiam vide alia. Atque hoc quidem modo Cæsaris nomen assumptum ab Octavio, sed postea qui hæredes erant veluti quidam Imperii constituti ab Imp. adhuc vivente, ita dici cœperunt. Capitolinus in *Severo* pag. 227. filium suum majorem Bassianum apposito Aurelii Antonini nomine Cæsarem appellavit, & 229. Cæsarem deinde Bassianum Antoninum à senatu appellari jussit, decretis Imperatoriis insignibus, & ibidem, Bassianum, qui Cæsar appellatus jam fuerat. Getam quoque minorem filium Cæsarem dixerunt, & 192. in M. Ant. Philosopho petiit L. ut filii Marci Cæsares dicerentur. Dion verò lib. 52. sub finem concionis à Mæcenate habitæ de non deponendo imperio. τὸ δ' ὄνομα τῆς βασιλείας ὡς ἐπάρατον φοβηθεὶς τῇ τοῦ Καίσαρος προσηγορίᾳ χρώμενος αὐτάρκει. id est, *cum nomen Regis detestaretur, & horreret ut invisum, Cæsaris appellatione contentus fuit*; ex quibus verbis patet, quam vim habeat illa appellatio, & Idem lib. 53. ἡ γὰρ δὴ τοῦ Καίσαρος πρόσρησις δύναμιν οὐδεμίαν αὐτοῖς οἰκείαν δίδωσι. δηλοῖ δὲ τὸ τοῦ γένους σφῶν διαδοχήν. id est, *Cæs. appellati nullam potestatem ipsis tribuit, sed generis successionem significat.*

ROMULUS aliquando dici cupivit Augustus, ut Dion scribit lib. eodem, sed cum sensisset se in regis suspitionem venire apud populum tale cognomen non assumpsit.

AUGUSTUS postea dictus est. Dion eodem lib. pag. 344. & quidem à Senatu, & à populo quasi quidpiam divinum inesset illi, supra hominis naturam, quæ etiam persequitur copiosè Suetonius in *Aug.* Julius Capitolinus in *Severo* 230. refert, Severum ægrè tulisse, quòd milites se vivo adhuc Bassianum filium Augustum vocassent, ac propè in milites animadvertit. Idem in *Pertinace* 214. eadem die, qua Augustus est appellatus, & Flavia Titiana uxor ejus Augusta est appellata, & 215. ibidem, Senatus filium ejus Pertinacem Cæsarem appellavit, sed Pertinax nec uxoris Augustæ appellationem recepit, & de filio dixit, cum meruerit, de Augusta Suetonius num. 9. de matre ipsius, itidem in *Domit.* de uxore num. 3. Senatus, & Populus appellationes dabat Impp. at non omnes recipiebant Impp. ut patet. Mulieribus etiam, quæ aut filiæ essent aut uxores, aut matres Impp. indi solitas has appellationes declarat Spartianus in *Juliano Didio*. Manlia, & filia ejus Didia Augustæ sunt appella-

tæ, & Cornelius Tacitus lib. 12. Augetur Agrippina cognomento Augustæ, de Augusto etiam vide Julium Capitolinum in *M. Antonino Philosopho* 190, L. Aurelium Verum Commodum appellavit, Cæsaremque dixit, & Augustum, atque ex eo Remp. regere pariter cœperunt; tuncque primum Roma. Imperium duos Augg. habuit.

IMPERATORIS etiam nomen magnam vim habebat, sicuti declarat Dion lib. 53. pag. 344. ubi narrat, cum omnium rerum arbitrium, & potestatem in se transferre vellent olim Cæsares, ne invisi essent, id sibi arrogasse, indendo nomina illa, quæ vigebant Rep. florente. Vis autem hæc erat in tali appellatione, habere delectum; pecuniam colligere, & imperare; de bello, & pace statuere; in provinciis summum jus habere; cives perimere posse, & intra, & extra pomœrium: quo loco sciendum non fuisse hanc potestatem ulli Imp. qui duceret exercitum, vigente Rep. datam intra pomœrium, nam ubi primùm urbem ingrediebantur, imperium deponebant, & ideo ad urbem veniebant, & ad urbem esse dicebantur. Vide Asc. in 1. *in Verrem* pag. 48. Imperium autem olim propriè erat jus gerendi belli, hinc inscriptiones illæ in Ep. Cic. Imp. & lib. 2. fam. ep. se Imperatorem ait Cicero ad Issum fuisse appellatum. Imperatoris appellatio, post Cæsaris appellationem indebatur. Capitolinus in *M. Antonino Philosopho* 193. in filium Commodum, quamvis scelestum, contulit nomen Cæsaris, mox sacerdotium, statimque nomen Imperatoris, participationem triumphi, & consulatum. IMPERATOR. prænomen fuisse Suetonius in *Tiberio* demonstrat, pag. 59. num. 26. prænomen quoque Imp. & cognomen vocat, in *Nerone* num. 8. Imperatoris nomen à Nerone assumptum, cùm primùm Remp. regere cœpit, & ibidem, proque palatii gradibus Imperator consultatus, lectica in castra, inde raptim appellatis militibus in curiam delatus est: Spartianus quoque in *Juliano Didio* 204. factoque S. C. Imperator est appellatus. Interdum etiam filio vivente patre dabatur hoc nomen. Vide Aelium Lampridium in *Commodo* 207. ubi ait, cum patre Imp. est appellatus, & triumphavit cum patre, nam hoc patres decreverant, & cum patre erat profectus ad bellum Germanicum. DIVI etiam appellatio indebatur Imp. sed post mortem facta consecratione. Volcatius in *Avidio Cassio* 221. nam & Divum eum appellasse dicitur, & Cor. Tacitus lib. primo pag. 5. solam Divi Augusti mentem, & idem pag. 4. Divi Julii funus turbassent. Flamines, & Sodales Augustales instituti, itidem & ludi. Vide Cor. Tacitum lib. primo pag. 19. ex primoribus civitatis, imò ipse Tiberius Germanicus, Drusus, & Claudius adjecti; PATRIS PATRIAE etiam cognomen indi solitum Impp. Capitolinus in *M. Antonino* 192. Patris Patriæ nomen ambobus decretum, & Suetonius in *Nerone* numero 8. tantùm patris patriæ nomine recusato propter ætatem; erat enim natus annos septemdecim, & Spartianus in *Didio Juliano* pag. 204. patris patriæ quoque nomen recepit MATER PATRIAE quoque Augusta dici solita. Tacitus lib. 1. pag. 6. alii matrem patriæ appellandam censuerunt. PRINCEPS JUVENTUTIS etiam dici solitus Imp. filius, & alii consanguinei adhuc adolescentes. Lampridius in *Commodo* pag. 207. inter tres solos principes juventutis cooptatus. & Tacitus lib. 1. sub initium pag prima. Princeps juventutis nondum posita prætexta puerili appellari cupiverat Agrippa. de Caio autem, & Lucio adolescentibus filiis Agrippæ loquitur, quos adoptaverat Augustus. Principem juventutis Imp. filium, honoris causa, dici solitum. Vide Suetonium in *Caligula* num. 15. PARTHICUS. GERMANICUS. BRITANNICUS, & similia cognomina à victis populis deducta Impp. Senatus dabat. Spartianus in *Severo* 229. & Parthici nomen meruit; de cognomine itidem Parthici, & Germanici Capitolinus in *M. Antonino Philosopho* 129. Præterea, & Suetonius in *Domitiano* num. 13. post duos triumphos Germanici cognomine assumpto. Parthicus etiam Trajanus dictus. Vide Dionem in *Trajano* 157. DOMINUS Domitianus solus dici voluit. Vide Suet. in *Domitiano* num. 13. Ipse cum dictaret epistolam, sic cœpit. Dominus, ac Deus noster. & idem Imp. uxorem suam Dominam jussit vocari, idem Suetonius num. 39. quam quidem appellationem, ut plenam arrogantiæ rejecit Imp. Tiberius. Vide eundem Suetonium num. 67. OPTIMUS. laudatissima omnium fuit appellatio ex S. C. olim Imp. Trajano attributa. Dion in *Trajano* 157. in honorem ejus Senatus decrevit, ut optimus diceretur. CALIGULA cognomentum fuit in castris puero à militibus inditum, ut Suetonius scribit, nec debet connumerari inter illa, quæ recensuimus, quale illud, quod inditum fuit Augusto adhuc infanti, nam THURINUS dictus est, nec tamen Lustrico die id factum, nam gentilia nomina eo die infantibus imponebantur, declarat enim Sex. Pompejus lustricos dies dictos, quibus nomina imponerentur, octavo sc. & nono die post ortum, ut etiam declarat Plutarch. in *probl. Rom.* locus est Suetonii adnotandus in *Claudio Nerone*, qui huc spectat, num. 5. Ejusdem futuræ infelicitatis signum ejusdem die lustrico extitit; Nam C. Cæsar rogante sorore infanti ei, quod vellet, nomen daret; intuens Claudium patruum suum, à quo mox principe Nero adoptatus est, ejus se dixit dare; ergo lustrico die est appellatus infans Claudius. Ecce, ut non addebatur prænomen, nam quo die virilis toga dabatur, assumebant prænomina, ut alibi ex Valerio à me contra nonnullorum sententiam declaratum fuit. Hæc à me hactenus de cognominibus, & appellationibus Impp. dicta sint.

DE ROMANORVM GENTIBVS ET FAMILIIS

SCRIPTORES DVO PRÆSTANTISSIMI,

ANTONIVS AVGVSTINVS,

ET

FVLVIVS VRSINVS. C. R.

ANTONII AUGUSTINI DE FAMILIIS ROMANORUM LIBER SINGULARIS.

ACILIA.



CILIA familia plebeja, sed nobilis consulatibus quinque, & triumpho uno ante Imperatores fuit, neque postea minus floruit. Vigente republica ejus stirpes duæ, Glabrionum, & Balborum: consulares ambæ fuerunt. Primus Glabrionum M. Acilius C. F. L. N. Consul fuit an. DLXII. & Proconsule triumphavit de Ætolis, & rege Syriæ Antiocho anno proximo. Ejus filius Manius Consul suffectus L. Postumio Albino anno fere DC. Hic avus, vel proavus M. Glabrionis fuit, apud quem Prætorem de repetundis cognoscentem Cicero C. Verrem accusavit, cique in memoriam redigit legis paternæ Aciliæ, avique materni P. Scevolæ, ac Soceri M. Scauri. Asconius in *Verr.* II. & *pro Scauro*. Hic M. Acilius M. F. M. N. Consul fuit an. DCLXXXVI. cum C. Pisone Frugi. Ex Æmilia uxore liberos procreavit. Balborum primus M. Acilius L. F. K. N. consul fuit anno DCIII. cum T. Quinctio. T. F. Flaminio. Ejus filius Manius post sex & triginta annos cum C. Catone. Sub Imperatoribus patricii Glabriones sex consules fuerunt, Aviolæ tres, Rufus, Faustinus, Severus singulares. Glabrionum primus sub Domitiano consulatum cum M. Ulpio Trajano, qui postea Imp. dictus est, cepit, in eo occisus est an. DCCCLIII. Alter illius, ut creditur, filius, cum paterno Manii prænomine cos. fuit cum C. Bellicio Torquato an. XXXIII. post patrem sub Hadriano Imp. Tertius sub Pio Antonino Sex. Acilius Glabrio cum C. Valerio Omollo Veriano Cos. an. DCCCCIV. Quartus Manius bis consul fuit, sed alterius anni tempus ignotum; atque ideo suffectum fuisse credendum est, iterum consul fuit collega Commodi Imp. in quinto consulatu an. CCIↃXXXIIX. Hic ille est, quem Pertinax dignum imperio orbis terrarum judicabat, quem omnium patriciorum nobilissimum esse dicebat: originemque generis ab Ænea Veneris filio duxisse. Hunc quidem Manii filium, Manii nepotem esse credendum est; patrem verò fuisse Acilii Faustini consularis duo tituli duarum clarissimarum feminarum significant. Quintus M. Glabrio consul cum M. Valerio Maximo, iterum sub Valeriano, & Galieno Impp. anno CIↃVIII. illius, ut arbitror, nepos fuit. Ultimus Anicius Acilius Glabrio Faustus collega Theodosii Jun. in XVI. consulatu anno CIↃCXXXIX. Christi CCCCXXXVII. Hic etiam sub Honorio, & Theodosio præfectus urbis fuit. Hic videtur in Aniciorum nobilem quoque familiam insertus utriusque nomina usurpasse. Aviolarum primus collega in consulatu Q. Asinii Marcelli, sub quibus Ti. Claudius Imp. mortuus est. anno DCCCVI. Hunc memoriæ proditum est in rogo positum se vivum comburi ostendisse, sed subveniri non potuisse, ut Plin. lib. VI. Val. Max. lib. I. referunt. Alter ejus, ut credibile est, nepos sub Hadriano Imp. consul fuit cum C. Corellio Pansa anno DCCCLXXIIII. Tertius hujus fortasse filius cum M. Antonio Gordiano Imp. cos. anno DCCCC. Quartus Rufus Acilius ante hos duos non ordinarius, sed suffectus cos. fuit ex Kal. Jul. sub Trajano Imp. cum C. Cæcilio Classico, ut Plinius minor in epistola quadam refert, anno DCCCLIV. Fortasse is est, cujus titulus extat Panhormi L. ACILIO. L. F. Q. N. RVFO Faustinus Glabrionis bis consulis filius, atque Glabrionis senioris nepos, ut diximus, consul fuit sub Severo cum C. Carsonio Macro Rufiniano anno DCCCCLXII. Hujus filius C. Acilius, filia Acilia Maniliola, neptis ex filio Acilia Gavinia Præstana Severus Acilius cos. sub Constantino Imp. fuit cum FL. Junio Rufino anno CIↃLXXIV. & post alterum annum Præf. urbi. De Fausto diximus, cum de Glabrione ultimo dictum est.

ÆLIA.

ÆLIA familia, sive Ailia plebeja, sed non ignobilis multis ex consularibus viris, & duobus censoriis, ac duobus, qui Magistri Equitum fuere. Antiquiores cognomento *Pasti*, sive *Paeti* dicti, deinde *Cati*, *Tuberones*, *Ligures*, *Lamia* vigente libertate. Postea ex eadem Imperatores fuerunt P. Ælius Hadrianus, T. Ælius Antoninus Pius, L. Ælius Aurelius Commodus, Cæsar verò tantùm L. Ælius Hadriani filius L. Aurelii Veri Imp. pater. Pætos consules quinque, censores duos, Magistros Equitum item duos ante C. Cæsaris Dictaturam fuisse video. Nam primus P. Ailius Paitus cos. fuit cum C. Sulpicio Longo anno CDXVI. ejus filius P. Paitus Magister Equitum fuit Q. Fabio Ambusto Dictatori comitiorum caussa, sed vitio facti abdicarunt, & in eorum locum facti sunt M. Æmilius Barbula Dict. L. Valerius Potitus Flaccus II. Mag. Eq. quo anno Caudina nota inusta est Ti. Veturio Calvino II. Sp. Postumio Regi[illegible]nsi Albino II. cos. anno CDXXXII. Post annos XXXV. C. Paitus cos. fuit cum M. Valerio Maximo Potito, quo anno plebs in Janiculum secessit: quam Q. Hortensius Dictator placavit. Postea P. Ailius Q. F. Q. N. Paitus Magister Equi-

A Equitum fuit C. Servilio Dictatore an. DLI. Comitiorum habendorum caussa, quibus comitiis consules creati sunt CN. Cornelius Lentulus, & P. Ailius, Q. F. P. N. Paitus. Fuit hic jurisperitus, & frater ejus Sextus, quam scientiam Tuberones quoque illustrarunt. Nec Mucia familia plures Jurisconsultos habuit, quam Ælia. Censores quoque ambo fratres fuerunt, Publius collega P. Scipionis Africani post biennium, quàm consul ipse fuerat, Sextus sequenti lustro cum C. Cornelio Cethego; lustrumque fecere XLVI. & XLVII. Sextus
B consul fuerat cum T. Quinctio Flaminio an. DLV. Hic ille est, qui primus *Catus* appellatus est, de quo Ennius:

Egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus.

Catum Varro interpretatur *acutum* potius, quàm *sapientem*. Ab hoc actiones compositæ sunt, quod *jus Ælianum* dicebatur, & liber *Tripertita* inscriptus, ut Pomponius refert. Publii filius Q. Paitus consul fuit cum M. Junio Penno an. DXXCVI. Hunc sunt, qui existiment primum *Tuberonem* appellatum L. Æmilii Paulli, qui hoc anno
C triumphavit Proconsule ex Macedonia, & rege Persa, generum. Memoriæque proditum est, sexdecim Ælios in una domuncula habitasse, ubi postea Mariana monumenta fuerunt, unum eos io agro Vejente fundum aluisse, unum eis in circo spectaculi locum fuisse. nullum apud eos argenti scrupulum ante, quàm Paullus genero ex præda quinque pondo donasset. Natus ex bis est Publius Tubero, & Q. Tubero ille Stoicus, qui in Triumviratu judicavit contra avunculi sui minoris Africani testimonium: quique rogatus à Q. Fabio Maximo
D consobrino suo, cum epulum Africani mortui nomine populo daret, ut triclinium sterneret, pelliculis hædinis lectulos punicanos stravit, & exposuit vasa Samia, ut Cicero auctor est. Quibus rebus vir integerrimus, atque eruditissimus, & L. Paulli nepos in Præturæ petitione repulsam tulit. Hic juris quoque civilis peritissimus fuit, & alius Q. Tubero, qui Ligarium accusavit, nec obtinuit apud C. Cæsarem. Nam cum pater ejus L. Tubero Africam ex Senatus decreto obtinere deberet, à P. Attio Varo, & Q. Ligario prohibitus est,
E qui nec aquam haurire, nec filium affectum valetudine in terram exponere passi sunt. Extat ea de re Ciceronis Ligariana oratio, qui initio orationis propinquum Q. Tuberonem appellat. Hic doctissimus fuit non solum juris publici, & privati, sed totius antiquitatis, librosque plurimos reliquit, sed propter antiquorum verborum usurpationem parum gratos. Fuit autem patricius, ut Pomponius asserit, & ex Sulpitia Servii filia, qui princeps juris consultorum eo tempore fuit, matrem Caii Cassii Longini juris etiam consulti doctissimi suscepit. Sed
F hæc posteriora sunt. Redeo ad superiora tempora libertatis reip. Romanæ.

Ligurem Consularem unum reperin P. Ælium P. F. P. N. qui cum C. Popillio P. F. P. N. Lænate consul fuit an. DXXCI. notatumque est tum primùm ambos coss. plebejos fuisse. Hæc de consularibus Æliis.

A Apud Livium autem legi quemdam P. Ælium Quæstorem an. CCCXLIV. necnon apud Plinium Thurinos C. Ælium TR. PL. statua & corona aurea donasse, quod legem pertulisset in Stennium Statilium Lucanum, qui Thurinos bis infestaverat. Sub Imperatoribus quatuor ante Hadrisnum Augustum consules video cognominibus inter se distinctos, Q. Tuberonem, L. Lamiam, Sex. Catom, & L. Sejanum: tres primos sub Augusto, ultimum sub Ti. Cæsare. Tubero cum à Dione Q. F. dicatur. non is est, de quo antea diximus, Q. Tubero L. F.
B sed ejus filius, quamvis Pomponius eumdem esse videatur affirmare. Fuit quidem certè cos. cum Paullo Fabio Q. F. Maximo an. DCCXLII. At L. Lamia L. F. cos. fuit cum M. Servilio M. F. Gemino post XIII. annos, quàm superiores. *Lamias* à *Lamo* dictos, qui Formias condidit, Horatius auctor est, eosque & vetustos, & nobiles appellat. Cicero L. Lamiam equitem Ro. prodidit in exilium missum à Gabinio cos. quod Ciceroni faveret. eundem Ciceronis cadaver, vel cineres sepulcro condidisse traditum est carminibus non ineruditis.
C Val. Max. libro I. cap. VIII. & Plin. lib. VII. cap. LII. memoriæ prodiderunt L. Lamiam virum Prætorium vocem in rogo edidisse, & C. Ælium Tuberonem Prætura functum à rogo relatum. Sex. Ælius Q. F. Catus, ab illo cordato viro Cato Ælio, ut Ennius scripsit, ducens originem successor Lamiæ fuit, cum C. Sentio C. F. Saturnino. Ab his lex Ælia Sentia perlata est auctore Augusto. Ultimus L. Ælius Sejanus L. Seii Strabonis equitis Ro. filius temporibus Ti. Cæsaris plurimum potuit. natus Volsiniis, Præfectus prætorio fuit,
D & consulatum adeptus est, quo anno Tiberius quintum consulatum solus cepit; sed post mensem Sejanum collegam ascivit. an. DCCLXXXIII. ex uxore Apicata tres liberos habuit; sed is cum liberis oppressus est, conjurasse adversum Imp. convictus. Avunculum habuit Junium Blæsum Procos. Africæ. P. Ælius T. F. T. N. Hadrianus Italicensibus parentibus natus, qui ex Hadria Scipionum tempore in Hispaniam migrarunt. Ejus pater Hadrianus Afer consobrinus Trajani Imp. avus Marillinus primus in ejus familia senator, ut Ælius Spar-
E tianus refert. Ante imperium cos. suffectus ex Kal. Jul. cum L. Publilio Celso an. DCCCDLXI. Iterum, ac tertio consul initio principatus, quem adoptione vera, vel ficta moriente Trajano suscepit, Ulpiæ familiæ nomen recusasse videtur: *Trajani* cognomen usurpasse: filios, atque libertos *Ælios* appellavisse. Extant plerique tituli libertorum Hadriani; qui P. AELII, AVG. LIB. notantur: ut Antonini Pii liberti, T. ÆLII. AVG. L. Colonias quoque *Ælias* dictas constat, aliasque urbes restauratas; in quibus Hierosolymorum urbs *Ælia Ca-*
F *pitolina* dicta deinceps est. Tribuniciam potestatem semel, ac vicies suscepit, Imperator bis appellatus est; cæterosque titulos vivus obtinuit, & post mortem *Divus Hadrianus* dictus. Filios adoptavit L. Cejonium L. F. L. N. Commodum Verum, qui postea *L. Ælius* Cæsar appellatus fuit, & T. Aureli-

Aurelium Fulvium Bojonium Antoninum, qui postea *Imp. Cæsar. T. Ælius Antoninus Pius* dictus est. L. Ælius ante adoptionem consul fuit cum Sex. Vetuleno Civica Pompejano an. DCCCXXCIIX. eodemque anno adoptatus nomen mutavit, & Tribuniciam potestatem accepit, & consul iterum designatus in proximum annum est. Ipsis verò Kal. Jan. mortuus est cos. II. TR. POT. II. Filium reliquit L. Cejonium Commodum, qui à T. Antonino adoptatus *L. Aurelius Verus* appellatus est, & cum fratre adoptivo M. Aurelio Antonino, eodemque socero suo imperium obtinuit. Hi verò secuti sunt Aurelii nomen: propterea quod Pius ex ea familia fuerit: quamvis adoptione Hadriani in Æliam translatus sit. Summo quidem certè jure omnes hi in Coccejam familiam erant inserendi. Nam Coccejus Nerva Ulpium Trajanum, Ulpius Ælium Hadrianum, Ælius Cejonium Commodum, & Aurelium Antoninum, Aurelius Annium Verum, & Cejonium Commodum adoptavit. T. Antoninus Pius consul quater fuit, Tribuniciam potestatem quater & vicies accepit, Imperator bis appellatus est. Faustinam filiam Marco filio adoptivo conjunxit. ex his L. Commodus natus est, qui patre vivo *Augustus* appellatus, & post ejus mortem paternas, & avitas virtutes non est imitatus. Hunc video & *L. Ælium*, & *M. Aurelium*, & *L. Ælium Aurelium* dictum esse. Consul septies fuit, Trib. Pot. XVIIII. Imp. VIII. Post hos Imperatores tres tantum Ælios consules invenio: C. Ælium, sive Allium C. F. Fuscianum, qui sub eodem Commodo consul fuit cum Dullio Silano an. DCCCCXL. & Q. Ælium vel Allium Maximum, collegam M. Flavii M. F. Apri post annos XIX. sub Severo, & Antonino, nec non Ælium Scorpianum consulem suffectum ex Kal. Jul. an. CIϽXXIIX. sub Floriano Imp.

ÆMILIA.

ÆMILIA sive Aimilia familia patricia clarissima fuit, ab ipsis initiis libertatis reip.
Rom. ad Augusti tempora multis illustribus viris domi, militiaque decorata, Pon-
IV. tificatu maximo, Dictaturis, Triumphis, Principatibus Senatus, Censuris, Consulatibus, Magisteriis Equitum, & Tribunatibus. Militum consulari potestate, & Triumviratu reipublicæ constituendæ, ita sæpe, ut paucæ eam numero vincant, exornata est. Dividitur in has quinque præcipuas stirpes, quæ cognominibus distinguuntur, Mamercinorum, Barbularum, Paullorum, Paporum, Lepidorum. Sunt etiam aliæ singulares, aut raræ, ex quibus unus aut alter consul fuit, ut Regillorum, Scaurorum, de quibus posterius dicemus. Mamercini novem obtinuerunt consulatus XII. Dictaturas V. Tribunatus Militares cum consulari potestate IX. Magisteria Equitum III. Triumphos III. Nam pri-
I. mus L. Aimilius Mamerci filius ter consul fuit primo cum Kæsone Fabio K. F. Vibulano anno CCLXVIIII. deinde sexto anno cum C. Servilio Structo Ahala, tertio post annos quinque cum Vopisco Julio Julo.

Hujus Lucii filius Tiberius Mamercinus II
bis consul fuit, prius anno tertio post ultimum patris consulatum cum L. Valerio Voluso Potito II. posterius cum
Q. Fabio Vibulano anno CCXXCVI. Tertius III
Mamercus fuit M. F. Lucii ter consulis, ut suspicor, nepos. Hic ter Dictator fuit, ac bis triumphavit. Tribunus antea Militum fuerat an. CCCXV. cum L. Quinctio Cincinnato, & L. Julio Julo. Anno proximo Dictator de Fidenatibus Idib. Sep. triumphavit. Ac tertio postea anno iterum Dictator rei gerundæ caussa fuit. Post undecim verò annos iterum triumphavit Dictator tertiùm de Vejentib. & Fidenatibus. Quæsitor biennio antea fuerat, hoc est, anno CCCXXV. Ma- IIII
merci filius Manius ter Tribunus Militum fuit post consulatum, quem gessit anno CCCXLIII. cum C. Valerio Potito Voluso. Namque quinquennio post cum aliis quinque patriciis, & anno CCCL. iterum cum totidem, ac biennio proximo, cum totidem collegis patriciis tertiò Tribunatum gessit. Hunc apertè Verrius Flaccus *M. Aimilium, Mam.* F. M. N. *Mamercinum* in fastis notat.
At C. Mamercinus, qui bis Tribunus Mili- V. VI
tum, & M. Mamercinus, qui semel creati sunt, ille annis CCCLIX. & CCCLXII. hic hoc eodem postremo relato anno: quibus parentibus orti fuerint, nullum habemus auctorem. Mihi probabile videtur, Manii fratres fuisse.
Septimus Mamercinus quinquies Tribunus VII
Militum, bis consul, semel Magister Equitum creatus est. Hunc *L. Aimilium* L. F. appellatum video, adderem libens *Mam. N.* Primus Tribunatus actus est anno sequenti post captam urbem à Gallis, hoc est, anno CCCLXIV. Secundus biennio post primum, tertius quadriennio post alterum, quartus continuatus est post tertium, inter quartum, & quintum anni quatuor medii interfuerunt. Post hos magistratus ob maximas contentiones plebis cum patribus de plebejo consule M. Furius Camillus IV. Dictator dictus L. Aimilium Magistrum Equitum fuit, sed ambo re infecta abdicarunt, fuit is annus CCCLXXXV. Tandem biennio post pacata seditione primus L. Sextius plebejus, qui diu Tribunus Plebis fuerat, consul collegam habuit ex patribus eundem L. Mamercinum: Iterum consul fuit post annos tres
cum Cn. Genucio Aventinensi. Hujus filius IIX.
L. Aimilius apertè à Verrio L. F. L. N. *Mamercinus Privernas* appellatur. Bis Dictator, bis Magister Equitum, & bis Consul fuit, & in secundo consulatu triumphavit de Privernatibus, unde cognomen accepit Kal. Mart. an. CDXXIV. cum collega C. Plautio P. F. Decisno Hypsæo. Magister Equitum fuit C. Julio Julo Dictatore in castris novo more dicto an. CDI. Iterum decennio post M. Valerio Corvo Dictatori. & anno sequenti consulatum gessit cum C. Plautio C. F. Vennone II. Dictator comitiorum habendorum caussâ an. CDXIIX. Magistrum Equitum dixit Q. Publilium Philonem plebejum. Iterum Dictator rei gerundæ caussa
Magistrum Equit. habuit L. Fulvium Cur- IX.
vum item plebejum anno CDXXXVII. Postremus Mamercinus *Tiberus* prænomine, quo nemo alius usus est, quod meminerim, ex hac familia: Consul fuit cum Q.

Publilio Philone an. CDXIV. ejus parentes ignorantur. Possumus hunc suspicari esse Privernatis fratrem.

II. Barbulæ quatuor, totidem Consulatus,
Dictaturam unam, triumphos duos con-
I. secuti sunt. Primus M. Aimilius Q. F. L.
N. Dictator fuit comitiorum habendorum
caussa an. CDXXXII. quo anno turpis Caudina pax inita fuit. Magistrum Equitum dixit L. Valerium Potitum Flaccum II. Hunc quidam M. F. appellant, sed ego titulum sequor, & denarium, in quo M. Aimilius Q. F. Barbula Consul fuisse dicitur, annum tamen consulatus nondum reperi.
II. Hujus frater Q. Aimilius à Verrio Q. F. L.
N. appellatur. Consul fuit quadriennio post cum C. Junio Bubulco Bruto. eundem collegam habuit tertium consulem in secundo consulatu anno CDXLII. Amboque eodem mense triumpharunt, Brutus Nonis Sextil. de Samnitibus, Barbula Idibus de Etrus-
III. ceis. Secutus est L. Barbula Q. F. Q. N.
cos. anno primo belli Tarentini, cujus collega fuit Q. Marcius Philippus. Amboque triumpharunt: Philippus eodem anno de Etrusceis, Barbula proximo anno Proconsule de Tarentineis, Samnitibus, & Sallentineis VI. Idus Quinctil. an. CDLXXIII.
IV. Quartus fuit M. Aimilius, quem Verrius
L. F. Q. N. notat consulem cum M. Junio Pera an. DXXIII. Hic fortasse est in denario Q. F. dictus, conveniret eo im prænomen. Nec displiceret, ut hunc Q. F. L. N. appellaremus; ut tempora consulatuum quadrarent aptius. Hæc de Barbulis.

III. Paullorum gens quatuor habuit veteres
insignes viros, qui consulatum sexies, Magisterium Equitum semel, Censorium honorem item semel, & triumphos quinque sunt consecuti. Post annum septingentesimum quatuor reperio Paullos Consulares, ex quibus unus censorius fuit. Sed hi inter Lepidos erunt referendi, nam utrumque nomen usurparunt, uno excepto L. Æmilio M. F. qui Consul fuit cum C. Claudio C. F. Marcello anno DCCIII.
I. Primus igitur M. Aimilius L. F. L. N. Paul-
lus Consul fuit cum M. Livio Dentre an. CDLI. & sequenti anno Magister Equitum Q. Fabio Maximo Rulliano Dictatore ite-
II. rum rei gerundæ caussa. Hujus filius Mar-
cus Consulatum gessit cum Ser. Fulvio Pætino Nobiliore. amboque anno proximo Proconsulibus de Cossurensibus & Pœneis navales triumphos egerunt: Nobilior XIII. Kal. Febr. Paullus XII. Kal. an. CDXCIX.
III. decimo anno belli Punici primi. Tertius
fuit L. Paullus superioris filius. Hic Consul fuit cum M. Livio Salinatore anno DXXXIV. uterque in consulatu de Illurieis triumphavit. Sed ambo postea accusati, Salinatorque solus damnatus est. Iterum consul triennio post, qui tertius annus fuit belli Punici secundi, propter collegæ C. Terentii Varronis temeritatem in Cannensi pugna
IV. occisus est. Filium reliquit L. Æmilium
clarissimum virum, qui ter triumphavit, bis Consul & Censor, & Augur fuit. Namque ante Consulatum Proprætore triumphavit ex Hispania anno DLXIV. post septem annos consul fuit cum CN. Bæbio Pamphilo, & anno proximo iterum tri-

A umphavit de Liguribus Ingauneis. Iterum consul anno DXXCV. cum C. Licinio Crasso fuit. Persem ultimum Macedonum Regem prælio vicit, atque captivum cum liberis in triumpho duxit, quem triduo egit quarto, tertio, & pridie Kal. Decemb. Proconsule anno proximo. Eodem tempore duos filios amisit, quos sui nominis, & familiæ heredes relinquere cogitabat. Nam duos majores alterum P. Cornelio Scipioni Africani majoris, & Æmiliæ sororis filio in adoptionem dedit, qui postea *Africanus minor*, Carthagine diruta, appellatus
B est; alterum Q. Fabio Maximo quinquies consuli. Itaque alter dictus est *P. Cornelius P. F. Scipio Æmilianus*, cujus liberos nullos extitisse meminimus, alter *Q. Fabius Q. F. Maximus Æmilianus*, à quo plures Fabii extiterunt. Filias reliquit tres, ex quibus una Q. Ælio Tuberoni, altera M. Catoni Liciniano M. Catonis Censorii filio nupsit, ex quibus liberi nati sunt. Mater horum omnium Papiria fuit C. Papirii Masonis consularis, & triumphalis viri filia. Censuram denique Paullus obtinuit anno tertio post triumphum cum Q. Marcio Phi-
C lippo lustrumque fecerunt LIII.

Paporum geos duos habuit clarissimos
viros, quorum alter consul bis, & censor; alter etiam censorius, & triumphalis, ac consularis fuit. Ante hos à Livio M. Æmilius Papus Dictator refertur, quem nos *Barbulam* appellavimus, alios annales secuti. Sed sine controversia Q. Aimilius Papus consul fuit cum C. Fabricio Luscino anno proximo ante bellum Tarentinum, quod L. Aimilio Barbula, & Q. Marcio Philippo cos. inchoatum est anno CDLXXII. Secundum consulatum, & censuram eum
D eodem collega egit an. CDLXXV. & CDLXXXIIX. lustrum fecerunt XXXIII. Post hunc L. Aimilius Q. F. L. N. post illius censuræ annum I. consul fuit cum C. Atilio Regulo anno primo belli Gallici Cisalpini, & de Galleis triumphum egit III. Nonas Mart. in consulatu. Censor fuit cum C. Flaminio anno DXXXIII. qui circo Flaminio, & viæ Flaminiæ nomen reliquit. Paporum cognomen videtur ex eo sumptum, quod papi carduorum flores sint, ut ait Festus, de quibus Lucretius:

E *Vestem nec plumas avium, paposque volantes.*

Ad Lepidorum stirpem ventum est, ex qua decem ad M. Lepidum Triumvirum, post eum ad obitum Augusti septem insignes magistratus, honores, ac sacerdotia obtinuerunt. Duo Pontifices Maximi fuerunt, unus semel, alter sex lustris Princeps Senatus, unus Triumvir bis reip. constituendæ, unus Magister Equitum bis, Censores tres, duo triumphales, ex quibus alter bis, unus triumphalia ornamenta accepit. Consules XV. consulatus obtiuere
F XVIII. ex quibus IIII. tantum suffectorum fuerunt. Primus M. Lepidus cos. fuit cum I.
C. Claudio Canina an. CDLXVIII. Alter Mar- II.
cus Marci filius Marci nepos, quem Livius ait bis consulem, atque Augurem fuisse, & patrem Marci, Lucii, & Quincti Lepidorum, consul fuit cum M. Poblicio Malleolo anno

anno DXXI. Iterum consul cum M. Vale-
rio Lævino post duodecim annos, quo
anno L. Veturius Philo, & C. Lutatius
Catulus vitio facti abdicarunt, ut quidam
III. scripserunt. Tertius Marcus superioris fi-
lius indolis suæ specimen prætextatus de-
dit, qui annos natus XV. hostem occidit,
civem servavit, quamobrem statua ei statuta
est in Capitolio. quod Valerius Maximus
refert, & de ea re denarius extat cum his
literis M. LEPIDVS. AN. XV. PR. H. O. C.
S. Alter quoque denarius insignem hono-
rem habitum eidem M. Lepido significat,
cujus multi meminerunt, ut cum Ptole-
mæus Rex tutorem filio suo populum
Rom. reliquisset; Lepidus hic, qui
Pontifex Maximus, ac bis consul fuit, ad
Regis pueri tutelam gerendam Alexandre-
am missus sit. Primum consulatum gessit
cum C. Flaminio C. F. an. DLXVI. Ponti-
fex Max. octavo postea anno in locum C.
Servilii Gemini factus est, item censor eo-
dem anno cum M. Fulvio Nobiliore, cum
quo inimicitias gesserat, quas reip. caussâ
censor designatus deposuit, lustrum fece-
runt L. & ipse Lepidus princeps senatus di-
ctus est. Iterum consul cum P. Mucio Scæ-
vula, de Liguribus triumphavit an. DLXX-
VIII. Hic sex lustris princeps senatus lectus
est. Sexti censores fuere M. Valerius Mes-
salla, C. Cassius Longinus, qui lustrum LV.
fecerunt an. DXCIX. M. Lepidus mortuus
IV. est anno postea tertio, aut quarto. Quartus
M. Lepidus M. F. M. N. ac consul anno
V. DXCV. cum C. Popillio Lænate II. Quin-
tus M. Lepidus, *Porcina* dictus est prin-
cipis Lepidi filius. Consul autem fuit anno
VI. DCXVI. cum C. Hostilio Mancino. Sextus
Mamerci prænomine superioris, ut cre-
ditur, frater undecimo postea anno consul
fuit cum L. Aurelio Oreste, quo tempore
quarti ludi sæculares facti sunt, ut plures
VII. scripserunt. Septimus *M. Aimilius* Q. F.
M. N. *Lepidus* à Verrio appellatur, consul
autem fuit cum Q. Lutatio Catulo, Sullæ-
que & Catuli adversarius extitit in consu-
latu an. DCLXXV. Hunc esse arbitror Tri-
umviri patrem, quem pronepotem princi-
pis senatus fuisse Cicero auctor est. Erit
VIII. igitur hic Porcinæ nepos. Octavus Mamer-
cus Aimilius Mam. F. M. N. Lepidus Livia-
nus. qui D. Livii Drusi filius fuisse dicitur,
adoptatus à Mamerco principis Lepidi filio.
Consul autem fuit anno post superiorem
CN. Octavio. Censor post consulatum an.
XVI. cum P. Servilio Isaurico fuit, lu-
strum fecerunt LXIX. & proximo lustro prin-
ceps senatus lectus est an. DCXCIIX. Ad
hunc, ejusve liberos pertinet denarius ita
inscriptus M. MAMERC. LEPIDVS. LIVIA-
IX. NVS. Nonus M. Lepidus, qui cum L.
Volcatio Lullo consul fuit an. DCXXCVII.
Hujus parentes ignorantur. Verisimile est
ab eo, quem quarto loco retulimus, origi-
nem traxisse. Pervenimus ad M. Lepidum
X. Triumvirum, qui à M. Verrio M. F. Q.
N. dicitur: hoc est septimo loco constitu-
ti filius. Hic prætor Cæsarem dict. dixit no-
vo more, cæteros enim consules dixerunt.
Proprætore ex Hispania triumphum egit.
an. DCCVI. Sequenti anno consul fuit cum
C. Cæsare III. consule, & in tertia, &
A quarta dictatura magister equitum, eas
gessit Cæsar duobus proximis annis. Occi-
so Cæsare Eidibus Martiis Pontifex Ma-
ximus factus est an. DCCIX. Sequenti anno
triumvir reip. constituendæ cum M. An-
tonio, cujus filiam filio suo collocavit. &
C. Cæsare Octaviano, qui postea *Augu-
stus* appellatus est. Susceperunt autem hoc
genus imperii ex ante diem quintum Kal.
Decemb. ad Pridie Kal. Januar. sextus,
hoc est, in quinquennium. Eodem anno
pridie Kal. Januar. procos. ex Hispania
iterum triumphavit. Kalendis ipsis consul
B iterum fuit cum C. Munatio Planco, qui
IV. Kal. Jan. de Galleia triumphum ege-
rat. Jactatus est in triumpho ex licentia mi-
litari versus:

*De Germaneis, non de Galleis duo trium-
phant consules.*

Propterea quod nomina duorum fratrum
eorundem in proscriptorum tabulis lege-
rentur. Fratrem Lepidi arbitror fuisse
Paullum Lepidum, qui servatus est. Plan-
ci frater *L. Plotius* dicebatur. Iterum tri-
umvir in alterum quinquennium cum eis-
dem collegis creatus anno secundo à C.
C Cæsare collega abdicare coactus est. erat
is annus DCCXVII. vixit autem usque ad
DCCXL. annum Pontifex maximus. Uxor
ejus Junia M. Bruti soror, ex qua liberos
suscepit. Post hunc primus Paullus Aimi- I.
lius M. F. L. N. consul suffectus ex Kal. Jul.
cum C. Memmio an. DCCXIX. Hic etiam
censor fuit cum L. Munatio Planco post
annos XII. lustrum tamen non fecerunt.
Hunc quidam P. Aimilium Paullum, alii
M. F. Q. N. appellant. nos verisimiliora secu-
ti sumus. Hujus censoris filius L. Paulus
Juliam Juliæ, & M. Agrippæ filiam Augusti
D neptem duxit, Æmiliamque Lepidam ex
ea suscepit, quæ fuit Ti. CL. Imp. spon-
sa. Alter Paullus Triumviri frater consul II.
etiam suffectus fuit ex Kal. Jul. cum L.
Cornelio an. DCCXXI. Hic porticum Pauli
ædificavit, & dedicavit. Tertius Q. Lepi- III.
dus est Manii filius, qui consul cum M. Lol-
lio M. F. fuit an DCCXXII. ut ex titulo pon-
tis Fabricii constat. Quem enim L. Fabri-
cius curator viarum faciendum curaverat, hi
consules ex S. C. probaverunt. Quartus L. IV
Aimilius L. F. Paullus. Hunc putant filium
fuisse L. Paulli M. F. qui cos. fuit anno
E DCCIII. essèque inter Paullorum gentem
constituendum. Mihi magis placet, ut hoc
loco relinquatur. Consul fuit an. DCCLIII.
cum C. Cæsare Augusti filio post Christum
natum anno secundo. Quintus erit M. V.
Lepidus L. F. qui cum L. Arruntio consul
fuit, quinto post superiorem anno. Sextus VI.
Manius Aimilius. Q. F M. N. Lepidus, qui
consul cum T. Statilio Tauro fuit an. DCC-
LXIII. Præter hos invenio M. Æmilium VII.
Q. F. M. N. Lepidum obtinuisse triumpha-
lia ornamenta legatum Augusti an. DCCLXI.
ex Delmatia. Ad extremum de Lepidi
F cognomine non reticebo, videri eo voluisse
exprimere, quid Aimilii nomine significa-
retur. ut cum Vergilius *armisonam Pal-
ladem*, *Plemmyrion undosum*, *clarum O-
lympum* dixit. Sic felix Sylla *Faustum* fili-
um appellavit, & filiam *Faustam*; quod
usurpari soleret: (*Quod felix, faustumque sit*)

ac non multum significatione differrent. A
VI. Nunc de reliquis Æmiliis videamus. *Regilli*
cognomine unum triumphalem L. Aimili-
um M. F. reperio proprætore navalem egis-
se de rege Antiocho Kal. Febr. AN. DLXIV.
Scaurum item unum insignem virum M.
Aimilium M. F. L. N. qui consul cum M.
Cæcilio Q. F. Metello anno DCCXXIIX. De
Galleis karneis triumphavit. Censor post
sex annos fuit cum M. Livio C. F. M.
Aimiliani Nepote Druso, qui in eo hono-
re mortuus est, & Scaurus abdicavit more
majorum, ante tamen viam Æmiliam stra-
vit, pontemque refecit Æmilium. Proxi- B
mo anno censores creati Q. Fabius Max. Al-
lobrogicus, & C. Licinius Geta, hunc prin-
cipem senatus legerunt, & tribus aliis lu-
stris alii censores, quoad mortuus est. Au-
gurem quoque fuisse proditum est. Hujus
uxor fuit Cæcilia L. Metelli Delmatici filia,
quæ postea L. Sullæ Felici Dictatori nup-
sit, neque satis pudica credita est. Filios
ex ea reliquit M. Scaurum, qui insignem
Ædilitatem curulem obiit, ac prætor Sar-
diniam obtinuit, quem Cicero reum repe-
tundarum defendit, & filiam Æmiliam,
quæ prius ex M. Acilio Glabrione viro con- C
sulari ejusdem nominis filium procreavit:
& postea CN. Pompejo Magno nupsit.
Tertiam verò Muciam ejusdem Pompeji
uxorem, quæ soror Q. Metelli Nepotis
dicta est, duxit M. Scaurus filius, & ex ea
filium procreavit, qui frater filiorum Pom-
peji fuit: ut ipse frater filiorum L. Sullæ
Fausti & Faustæ, de quibus paullo ante
dictum est, fuit. Præter hos omnes, in fa-
stis Verrii Flacci tertiis ludis sæcularibus
qui an. DXVII. facti sunt, M. Aimilius M.
F. Magister X. vir cum M. Livio Salina-
tore fuit. Hæc de his Æmiliis, qui ante D
VII. Ti. Cæsarem claruerunt. Post quæ tempo-
ra vix quinque aut sex hujus tam illustris
familiæ nomen retinuere, qui consulatus
I. adepti sint. Primus M. Lepidus consul cum
L. Nonio fuit. hos existimo fuisse anno
DCCCXLVI. quo anno alii L. Nonium Aspre-
natem Torquatum, & Clementem, vel
Lateranum sub Domitiano Imp. produnt.
II. Alter est Æmilius Ælianus qui cum L.
Antistio vetere cos. fuit an. DCCCLXIIX.
III. sub Nerva Imp. Tertius Æmilius Juncus,
qui cum Julio, vel Aulo Severo consul
suffectus fuit ex Kal. Jul. sub Commodo E
IV. Imp. an. DCCCCXXXIV. Quartus Æmilius
Lætus, qui bis consul fuit, prioris consu-
latus tempus ignoratur, credendum est suf-
fectum fuisse. Iterum consul cum Anicio
Cereali fuit an. XXXIII. post superioris con-
sulatum sub M. Antonino Severi Imp. filio.
V. Quintus Æmilius Papus consul fuit cum
C. Julio Arriano sub Gordiano Imp. an.
VI. DCCCCXCV. Sextus FL. Æmilius cos. fuit
cum FL. Viatore an. CIƆCCXLVI. sub Ana-
stasio Imp. His Æmilius Papinianus præ-
fectus prætorio jurisconsultorum princeps,
qui à M. Antonino Severi filio occisus est, F
addatur. Is solus Æmiliæ familiæ gloriam
senescentem retinuit, & decoravit.

ANTONIA.

ANTONIA familia in duas gentes divisa patriciorum, & plebejorum paucos habuit, qui magistratus majores, & honores fuerint adepti. Patricii duo *Merenda* cognomento dicti, quorum alter T. Antonius Decemvir legibus scribendis fuit anno urbis CCCIII. Iterum anno proximo factus, propter scelus Appii Claudii collegæ abdicavit. Leges tamen XII. tabularum ab his, & aliis Decemviris conscriptæ sunt. Alter Q. Antonius hujus, ut creditur, filius tribunus militum fuit consulari potestate an. CCCXXXI. collegæ ejus fuerunt L. Manlius Vulso Capitolinus, L. Papirius Mugillanus, L. Servilius Structus. Sequutus est magister equitum M. Antonius, P. Cornelio Rufino Dictatore an. CCCCXIX. quem superioribus patriciis connumerassem, nisi me cognominis defectus, & prænomen *Marci* retardaret. & quod jam tum plebeji magistri equitum fierent post C. Licinium Calvum, qui primus è plebe magister equitum fuit anno CCCLXXXV. Hic quoque Antonius, & Rufinus Dictator vitio creati abdicarunt. Plebeji post hunc sex, consulatus obtinuerunt septem, censuras duas, triumphos duos, ovationem unam, magisterium equitum unum, triumviratus reip. constituendæ duos. Hæc ante obitum Augusti. Postea tres Imperatores Antonii Gordiani fuerunt, una Antonia Augusta Ti. Claudii Imperatoris mater. Antonini Imperatores plures, sed hi Æliam, & Aureliam familias exornarunt. Princeps hujus familiæ florente rep. M. Antonius fuit vir disertissimus, quem Cicero multis laudibus exornat. hic prætor de piratis triumphavit an. DCLI. consul triennio post cum A. Postumio Albino, censor biennio sequenti cum L. Valerio Flacco. occisus est à L. Cinna consule an. DCLXVI. duos filios reliquit Marcum Triumviri patrem, & C. Antonium M. Tullii Ciceronis in consulatu collegam an. DCXC. qui quamvis Catilinam detecta conjuratione armis est persecutus; tamen, ut conjurationis conscius, & particeps damnatus est. Hic duas filias reliquit, quarum alteram duxit M. Antonius frater patruelis, alteram Caninius Gallus ejus accusator. M. Antonius Quæstor C. Cæsaris in Gallia, postea Augur creatus est, ac paullo post Tribunus plebis C. Claudio Marcello L. Lentulo coss. an. DCCIV. partes Cæsaris acriter defendens confugit ad ejus exercitum, quod initium fuit belli civilis. biennio post eidem Cæsari Dictatori magister equitum fuit. & in quinto consulatu, tertio deinde anno collega diadema regium Lupercalibus eidem obtulit, Lupercus ipse, & consul, Cæsar recusavit. Occiso Cæsare Idibus Martiis P. Cornelio Dolabella suffecto præclara decreta de abolenda dictatura, de oblivione rerum præteritarum, de actis Cæsaris confirmandis per senatum obtinuit. Sed postea potentiæ C. Cæsaris, & tyrannidis successor esse concupivit, ac provincias Gallias cum exercitu obtinere. Tandem triumvir reip. constituendæ in quinquennium cum M. Æmilio Lepido, & C. Julio Cæsare hærede Dictatoris factus est. Brutum, & Cassium

Cassium interfectores Cæsaris persecutus. Ovans urbem ingressus est, hoc titulo, quod pacem cum C. Cæsare fecisset anno DCCXIV. Iterum in quinquennium renovatus est ei triumviratus, mox consul iterum factus cum L. Scribonio Libone an. DCCXIX. ipsis Kal. Jan. abdicavit, & in ejus locum factus est L. Sempronius Atratin. Designatus tertio consul in an. DCCXXII. hostis à Cæsare judicatus non iniit. tandemque cum Cleopatra Ægypti regina, ex qua liberos susceperat, eodem anno apud Actium victus se ipsum interemit. Fratres habuit Cajum, & Lucium, Lucio soli *Pietatis* cognomen inditum. Consul fuit cum P. Servilio Vatia Isaurico II. ann. DCCXII. Kal. Jan. triumphum egit ex Alpibus. Censor fuerat anno proximo cum P. Sulpicio Quirino, lustrum tamen non fecerunt. Fuit etiam Publius Antonius consul suffectus C. Cæsari Octaviano in secundo consulatu. cum Kal. Jan. abdicasset, post consulatum Lucii an. VIII. Ejus collega fuit L. Volcatius. Tullus. Hunc suspicor Marci filium, ut etiam Iulus Antonius fuit, qui consulatum adeptus est cum Q. Fabio Max. ann. DCCXLIII. & propter adulterium cum Julia Augusti filia occisus est. Uxores Marci fuerunt tres, Antonia C. Antonii consularis patrui sui filia, quæ parum pudica fuit: Fulvia, ex qua liberos procreavit, P. Clodii Pulchri prius inimici Ciceronis uxor, deinde C. Curionis filii. Tertia uxor Octavia major soror Augusti, quæ prius C. Marcello nupsit, & liberis susceptis ex ea, nupsit Antonio. Duæ natæ filiæ Antonia major, quæ L. Domitio Ahenobarbo avo Neronis Imp. nupsit: & Antonia minor, uxor Neronis Claudii Drusi Augusti privigni, ex quibus Ti. Claudius Imperator natus, qui matrem, ut diximus, Antoniam Augustam appellavit, & ejus nomine plerosque nummos signari jussit. Filiam quoque suam is eodem nomine appellavit uxorem CN. Pompeji Magni, ac postea Fausti Syllæ nobilissimorum adolescentium. Mater Marci, & fratrum Julia soror L. Cæsaris viri consularis post mortem viri P. Cornelio Lentulo Suræ nupsit, quem prætorem Cicero consul propter conjurationem Catilinæ ex s. c. occidi jussit. Hac de caussa Cicero eum malle dicit vitrici sui, quam avunculi similem esse. Iulus Antonius, de quo paullo ante diximus, is est, ad quem Horatius carmen illud misit, cujus initium est,

Pindarum quisquis studet æmulari
Iule ceratis, &c.

Is vero, aut alius Marci filius, & Fulviæ, uxorem duxit Marcellam C. Marcelli & Octaviæ majoris sororis Augusti filiam, quam M. Agrippa, ut Juliam duceret Augusti filiam, post obitum Marcelli prioris viri repudiavit. Erat autem Marcellus ejusdem Marcellæ frater germanus. Cleopatra quoque M. Antonii & Cleopatræ reginæ filia nupsit Jubæ regi Mauritaniæ, ex qua Ptolemæus natus est. Alia filia Marci occiso Cæsare filio M. Lepidi nupsit. Mortuus est Marcus annos natus LVI. sive LIII. ut Plutarchus asserit. Iulus filium reliquit L. Antonium. Post Augusti mortem ante Gordianos Imperatores duos tantùm consules Antonios invenio *Rufinos* cognomento. Alter M. Antonius, qui consul fuit Ser. Octavio Lænate Pontiano sub Hadriano Imp. an. DCCCLXXXIII. Alter collega fuit Bruttii Præsentis II. cos. an. DCCCCV. sub Pio Aug. quem *Antoninum* dictum fuisse non possumus certos testes afferre. Gordiani Imperatores tres fuere Maximi Imp. successores, vel potius ejus tyrannidis vindices. Ex his duos *Africanos* cognominatos scimus, patrem, & filium, pecuniamque eorum nominibus signatam, in qua M. ANT. GORDIANVS. AFR. conscriptum esse videmus. Seni pater fuit Mettius Marullus, mater Ulpia Gordiana, ex Gracchorum genere patrem, ex Trajani cognatione matrem esse dicebat. Uxor Fabia Orestilla Antonii proneptis esse dicebatur. Ipse multis voluminibus Antoninorum Augustorum res gestas versibus, atque soluta oratione conscripsit, seque & liberos suos modo *Antoninos*, modo *Antonios* appellabat. Consulatus duos pater gessit, filius unum, omnes suffectorum fuisse credimus. Neque enim aliud expressum est, quam patrem priore consulatu collegam Antonini Caracallæ, posteriore Alexandri Imp. fuisse. Imperium paucis diebus in Africa tenuerunt, filiusque in prælio occisus, pater octogenarius se ipsum laqueo suffocavit. Tertius Gordianus senioris Africani ex filia nepos cum D. Cælio Balbino, & M. Clodio Pupieno Max. Augustis *Cæsar* dictus, illis occisis, & Maximino Aug. ac Julio Maximo Cæsare *M. Antonius Gordianus Augustus* appellatus est. Tribuniciam potestatem sexies, consulatum bis obtinuit. Post Gordianos duos solùm consulares invenimus, FL. Antonium Marcellinum, qui cum Coelio Probino cos. fuit an. CIↃXCII. sub tribus filiis Constantini Imp. & FL. Antonium, qui cum Postumo Syagrio II. cos. fuit an. CIↃCXXXIII. Sub Gratiano, Valentiniano, & Theodosio. anno autem Christi CCCLXXXII. Addam ad extremum, *Antonios* ab *Anteone*, quem Vergilius *Antorem*, *Antonem* videtur appellasse, Herculis filio, aut socio originem duxisse, jactatum illis temporibus esse. Is erat illorum temporum error: ut suæ nobilitatis principes aut in deos, aut in heroas deorum nothos filios referrent.

AQVILLIA.

AQVILLIA duplex familia patriciorum, & plebejorum paucos habuit consulares, & triumphales, aut aliis maximis honoribus usos. Patriciorum vetustissima memoria est, M. Aquillium Quartumvirum, vel potius Duumvirum sacris faciundis à Tarquinio Superbo insui culeo jussum ob libros Sibyllinos evulgatos, ut Dionysius scribit. Post hanc Aquilliorum, & filiorum L. Junii Bruti primi consulis conjuratio, ut reges restituerentur. Primus consul C. Aquillius Tuscus, cujus collega fuit T. Sicinius Sabinus anno CCLXVI. Ovans de Herniceis in urbem rediit. Post centum uno minus annos L. Aquillius Corvus tribunus militum fuit consulari potestate cum aliis quinque patriciis. Plebeji tres consulares, & triumphales fuerunt. Primus C. Florus M. F. C. N. cos.

fuit cum L. Cornelio Scipione. amboque
consules de Pœnoeis triumpharunt Scipio
cos. Florus procos. IIII. Non. Octob. an.
II. CDXCV. Post hunc M. Aquillius M. F. M.
N. cum C. Sempronio Tuditano an. DCXXIV.
consul fuit. Ambo etiam triumpharunt, Sem-
pronius in cônsulatu de Japudibus, Aquillius
ex Asia III. Nonas Novemb. an. DCXXVII.
proconsule. Hujus filius M. Aquillius con-
sul fuit cum C. Mario quintùm cos. an. DCLI.
Ovans rediit procos. de serveis fugitiveis ex
Sicilia post biennium M. Antonio cos. qui
ejus patrocinium postea suscepit, atque
cum defensione accurata à magnis crimini-
bus liberavit. Pater hic fuit, ut Asconius
ait P. Cornelii Lentuli Suræ, qui consul
fuit cum CN. Aufidio Oreste an. DCXXCII.
Sed postea senatu à censoribus motus ite-
rum prætor fuit Cicerone consule, & à se-
natu abdicare coactus ob conjurationem Ca-
tilinæ occisus est. Uxorem habuit Juliam
L. Cæsaris sororem M. Antonii Triumviri
matrem. Sed de hoc in Cornelia dicemus,
insertus enim est adoptione in eam fami-
III. liam. Addendus est his C. Aquillius Gal-
lus juris consultus clarissimus, qui præto-
rius fuit, apud quem Cicero causas egit.
Tempore Augustorum duos, tresve con-
sulares invenio, M. Aquillium C. F. Julia-
num, qui cos. fuit cum P. Nonio Asprena-
te Torquato sub Caligula an. DCCXCI. & Q.
Aquillium Sabinum, qui bis consul fuit sub
Caracalla, prioris consulatus collega fuit
Silius Messalla anno DCCCCLXVI. posterioris
Sex. Aurelius Anullinus post biennium.
Tertius est Aquillius Orfitus, qui cum Sex.
Laterano cos. fuit anno .... Fuit etiam
unica Augusta Julia Aquillia Severa Elaga-
bali Antonini uxor, quam virginem Ve-
stalem fuisse Dion testatur.

ATILIA.

ATILIA duplex familia patriciorum,
qui *Longi* dicti sunt; & plebejorum, qui
Reguli & *Serrani*, & *Calatini*, & *Bulbi* sunt
appellati. Longi duo, tantum ambo eodem
prænomine, tribuni militum consulari po-
testate; quorum alter primus creatus est in
eo magistratu cum collegis A. Sempronio
Atratino, T. Clœlio Siculo, sed ut vitio
facti abdicarunt, & pro eis consules facti
L. Papirius Mugilanus, L. Sempronius A-
tratinus an. CCCIX. Alter L. Atilius L. F. L.
N. bis tribunus mil. fuit, an. CCCLIV. &
CCCLVII. Reguli sex, consulatus obtinue-
runt novem, censuram unam, triumphos
I. tres. Primus M. Atilius M. F. consul fuit
cum M. Valerio Corvo IV. anno CDXVIII.
Hujus filius esse creditur M. Atilius M. F.
M. N. qui consul fuit an. CDLIX. cum L.
II. Postumio Megello II. amboque consules
triumpharunt, Postumius de Samnitibus,
& Etrusceis VI. Kal. April. Regulus de Vol-
III. sonibus, & Samnitibus V. Kal. Tertius fuit
princeps ille familiæ M. Atilius M. F. Lucii,
vel Auli nepos; Verrius enim inconstans in
hoc est. hunc bis consulem, & triumpha-
lem Cicero appellat, qui captus à Cartha-
giniensibus, & missus ab eis, ut captivi
redimerentur, aut permutarentur, suasit
senatui, ut neutrum facerent, & ad cer-

A tam mortem, atque cruciatus in Africam
reversus est. Primum consulatum gesserat
cum L. Julio Libone, & ambo cos. de Sal-
lentineis triumpharunt VIII. Kal. Feb. an.
CDXXCVI. In secundo consulatu suffectus est
Q. Cædicio in eo magistratu mortuo, cu-
jus collega fuit L. Manlius Vulso Longus,
undecimo anno post priorem consulatum:
in quo insignem victoriam sæpius in Sicilia,
& Africa de Pœnicis reportaverat. Hujus
uxor *Marcia*, filius *Serranus* à Silio Italico ap-
pellantur: quos ait durè atque asperè ab eo
fuisse rejectos. veritus enim est, ne eorum ca-
B ritate fidem, ac jusjurandum violaret. Quar- IV.
tus est C. Atilius M. F. M. N. illius, ut cre-
ditur filius, quem etiam *Serranum* appel-
lant, qui cos. fuit anno proximo ante su-
perioris secundum consulatum, cum CN.
Cornelio Blasione II. navalemque egit de
Pœnicis triumphum in consulatu. Iterum
consul fuit an. DIII. cum L. Manlio Vulso-
ne Longo. II. Quintus M. Atilius M. F. M. V.
N. superioris fortasse frater consul fuit cum
P. Valerio Flacco an. DXXVI. iterum consul
suffectus C. Flaminio ab Hannibale occiso
anno secundo belli Punici secundi, post al-
C terum consulatum anno X. eorum collega
fuit CN. Servilius Geminus. Censor trien-
nio post cum P. Furio Philo, qui in hoc
honore mortuus est, Regulus abdicavit.
M. Metellum Quæst. aliosque equites Ro-
manos, qui deserere Italiam juraverant post
Cannensem pugnam ærarios retulerunt. Sex- VI.
tus est C. Atilius M. F. M. N. quem superio-
ris filium fuisse arbitror. Hic consul fuit
an. DXXVIII. qui primus fuit belli Gallici
Cisalpini, cum L. Aimilio Papo. Serrano-
rum gens tres habuit consulares, quos etiam
invenio *Sarranos*, & *Saranos* appellatos, quasi
D *Tyrios*, vel *Punicos* dixeris. Pœnos Sarra
oriundos Ennius dixit, hoc est, Tyro. In-
de *Sarrana tibia*, *Sarranum ostrum*. Sic or-
tos à Regulo captivo, qui apud Pœnos oc-
cidi maluit, quam apud suos vivere, *Sar-
ranos* fortasse dixerunt. De Cajo filio in
Regulis dictum est. Ejus, ut arbitror, ne- VII.
pos A. Atilius C. F. C. N. consul fuit cum A.
Hostilio Mancino an. DXXCIII. belli Persici
anno secundo. Post hunc Sex. Atilius, qui
cos. fuit an. DCXVII. cum P. Furio Philo.
Sunt, qui putent hunc M. F. quod titulus
inveniatur cujusdam Sex. Serrani M. F. pro-
E cos. sed quia incertum est eundem esse, pro
certo non accipio. Sequitur C. Serranus, qui VIII.
consul fuit cum Q. Servilio Cæpione an.
DCXLVII. quibus consulibus M. Cicero na-
tus est III. Non. Jan. ut Gellius scribit. Ca-
latinum unum insignem virum consularem
bis invenio, & triumphalem. idem dicta-
tor, & censor fuit tempore belli Punici
primi. A. Atilius A. F. C. N. à Verrio appel-
latur. Priorem consulatum egit cum Q. Sul-
pitio Paterculo an. CCCCXCV. ambo trium-
pharunt, Sulpitius in consulatu de Pœneis,
& Sardeis, Atilius PR. vel procos. ex Sicilia de
F Pœneis XIV. Kal. Febr. post consulatum. Ite-
rum cos. fuit cum CN. Cornelio Scipione Asi-
na iterum cos. an. CDXCIX. & post quinquen-
nium dictator rei gerundæ caussa Magi-
strum equitum dixit L. Cæcilium Metellum.
Censor biennio post factus est cum A. Man-
lio Torquato lustrum fecerunt XXXIIX. U-
xor

xor hujus existimatur Fabia Q. Fabii Max. Rulliani filia. Paupertas ejus maxima; ex aratro ad honores vocatus est; unde fortasse cognomen inditum, *Calare* enim *vocare* est, ut ex kalendis, & calatis comitiis cognoscimus. Huic positum fuisse elogium ad portam Capenam Cicero refert. *Uno ore cui plurimæ consentiunt gentes populi primarium fuisse virum.* Bulbus unus C. Atilius A. F. A. N. cos. fuit an. DVIII. cum M. Fabio Buteone. Iterum cos. decennio post cum T. Manlio Torquato. Quibus consulibus pace populo Ro. ubique parta Janus iterum clusus est. Primùm vero Numa rege claudi cœpit. Tertiò Augusto Imperatore V. cos. quartò Aug. IX. cos. quintò Nerone Imp. III. cos. sextò Vespasiano Aug. III. cos. Sed nos ad Atilios revertamur. Imperatorum temporibus quatuor tantum reperio consulares Atilios. Primus est M. Regulus cos. suffectus ex Kal. Jul. cum C. Fontejo Capitone an. DCCXX. secundo Augusti consulatu. Alter est M. Atilius Metilius Bradua, qui cos. fuit cum Appio Annio Trebonio Gallo an. DCCCLX. sub Trajano Imp. Ejusdem nominis alter Bradua cum Triario Materno cos. fuit an. DCCCCXXXVII. sub Commodo Imp. Iterumque post sex annos cum Cassio Aproniano. Quartus Atilius est, quem alii *Julium* appellant *Severi* cognomento cos. suffectus fuit cum Æmilio Junco an. DCCCCXXXIV. Sub eodem Imp.

AVRELIA.

AVRELIA familia prius *Auselia* dicta à Sole, Sabina origine, & plebeja tribus cognominibus distincta est: Cottarum, Orestarum, & Scaurorum. Cottæ ab anno D. urbis ad DCC. septem habuit consulares, quorum unus bis consul fuit, duo censores, unus magister equitum, unus triumphalis. Orestæ eisdem temporibus tres consulares; unus etiam triumphalis. Scaurus unus consularis. Hæc florente republica. Postea multis imperatoribus illustris reddita est. Nam propter adoptionem Hadriani T. Aurelius Antoninus, qui postea *Pius* appellatus est, *T. Ælius Antoninus* dictus, & quos ipse adoptavit, M. Annius, & L. Cejonius *Aurelii Antonini* appellati sunt, & post eos Commodus M. F. item Caracalla Septimii Severi filius, & Elagabalus *M. Aurelii Antonini* dicti sunt. Severus quoque Alexander, Valerianus, Claudius, Quintillus, Aurelianus, Probus, Carus, Carinus, Numerianus, Diocletianus, Maximianus, Constantius, Severus, Maxentius, Constantinus Max. & Licinius *Aurelii*
I. fuerunt appellati. Primus C. Cotta L. F. C.
N. cos. fuit cum P. Servilio Gemino, & solus triumphavit Idibus April. an. DI. de Pœneis, & Siculeis. Iterum cum eodem collega post quadriennium cos. fuit. Censor cum N. Fabio Buteone septimo deinde anno, lustrum fecerunt XXXIX. Magister equitum fuit C. Diulio dictatore comitio-
II. rum habendorum caussa an. DXXII. Alter C.
Cotta C. F. C. N. superioris, ut creditur, filius cos. fuit cum P. Sulpicio Galba Max. II. anno primo belli Philippici, hoc est,
an. DLIII. Post hunc L. Cotta fuit, cujus III.
parentes ignoramus, cos. cum Ser. Sulpicio Galba an. DCIX. Quartus L. Cotta su- IV.
perioris, ut creditur, filius cos. fuit cum L.
Cæcilio Metello Calvo an. DCXXXIV. Quin- V.
tus C. Aurelius M. F. cos. cum L. Octavio an. DCLXXIIX. Huic triumphus decretus erat, sed ob rescissam cicatricem prius mortuus est. Laudatur, ut disertus à Cicerone, ejusque leges aliquot fuerunt. Hujus mater Rutilia P. Rutilii consularis viri soror eti-
am laudatur. Sextus Marcus superioris fra- VI.
ter cos. fuit anno sequenti cum L. Licinio
Lucullo. Septimus L. Cotta superiorum VII.
duorum frater cos. an. DCXXCIIX. cum L. Manlio Torquato, damnatis competitoribus jam designatis P. Cornelio Sulla, & P. Autronio Pæto. Censor idem anno proximo cum Q. Cæcilio Metello Pio, quo mortuo, Cotta abdicavit. Orestæ omnes eodem prænomine usi sunt. ex quibus primus L. Orestes L. F. L. N. cos. fuit an. DXCVI. cum Sex. Julio Cæsare. Alter cos. anno DCXXVII. cum Mam. Aimilio Lepido. quibus cos. ludi seculares quarti facti sunt. Hic superioris filius fuit, triumphavit Procos. ex Sardinia VI. Id. Decemb. post triennium. Tertius superioris filius in consulatu collega fuit C. Marii III. cos. & in eo magistratu mortuus est an. DCL. Scaurus unicus M. Aurelius cos. suffectus fuit anno DCXLV. collegæ Ser. Sulpicii Galbæ, quem quidam arbitrantur fuisse L. Hortensium patrem Q. Hortensii oratoris, eundemque antequam iniret consulatum, damnatum esse. Hactenus Aurelios consulares retulimus, qui ante Cæsarum imperium vixerunt. Nunc de iis, qui sub eis, aut de ipsis Aureliis Augustis paucis perstringam. Ante T. Antonini Pii tempora unum tantùm reperio, qui non fuerit ex ejus parentibus M. Aurelium M. F. M. N. Cottam cos. is consul fuit cum M. Valerio Messalla anno DCCLXXII. sub Ti. Cæsare. Hunc Messallam matre Aurelia fuisse ex Cottarum stirpe Ovidius auctor est. Aurelia quoque matre natus est C. Julius Cæsar Dictator C. Cottæ filia M. Cottæ avus M. Cotta consul, de quo supra diximus. Cæteri consulares ex Fulvorum familia, quæ in Gallia Transalpina in Colonia Nemausense fuerat ex ea ortus T. Aurelius Fulvus avus Pii Antonini Imperatoris, bis consul, & Præfectus Vrbi fuit. Priore consulatu collega Domitiani Imp. in undecimo ejus consulatu an. DCCCXXXVII. posteriore A. Sempronii Atratini post quadriennium sub eodem Imp. Hujus filius eodem nomine consul etiam fuit, sed quo tempore incertum est, suffectus fortasse, aut honoris titulo contentus homo, ut ait Capitolinus, tristis, & æger. Hic Arriam Fadillam duxit Arrii Antonini bis consulis, & Boviniæ, vel Biojoniæ Procillæ filiam. Ex hac natus est T. Aurelius Fulvus Bojonius Antoninus, qui antequam adoptaretur ab Hadriano Imp. cos. fuit cum L. Catilio Severo an. DCCCLXXII. adoptatus est post obitum L. Ælii Cæsaris ea conditione, ut filium Lucii, & M. Annium Verum sibi filios adoptaret. is fuit an. DCCCXC. ultimus Imp. Mater post patris obitum Julio Lupo consulari viro nupsit,

nupsit, ex ea Julia Fadilla nata est soror uterina Pii. Uxorem habuit Anniam Faustinam, quæ postea *Augusta*, & post obitum *Diva Faustina* dicta est, filiam Annii Veri avi Marci Imperatoris, qui etiam gener, & filius Pii fuit. Nam Faustina minor, quæ etiam *Augusta*, & *Diva Faustina Pia* appellata est, Pii filia fuit, Marci uxor. major Pii filia Lamiæ Silano nupsit. De Tito, quod in Æliam familiam insertus sit, in Ælia diximus. Marcus ex Annia familia in Aureliam translatus, sub Pio *Cæsar* dictus tres consulatus obtinuit, ac Tribuniciam potestatem xv. Pontificatum, & Proconsulatum. Post obitum Pii cum L. Aurelio Vero fratre adoptivo, eodemque genero suo Lucilla filia, quæ postea *Augusta* dicta est, ei collocata annos VIII. & amplius imperavit. postea Commodum filium Cæsarem Augustum appellavit, & cum filio, aut Cæsare, aut Augusto ultra annos decem imperavit. Imper. decies dictus est Trib. potest. XXXIIII. accepit. L. Verus vivo Pio Aug. patre adoptivo bis consul fuit, & *Cæsar* dictus est. Post obitum Pii cum Marco *Augustus* dictus, Pontifex fuit, Imperator quinquies, Tribuniciam potest. novies accepit, consulatumque tertium obtinuit. Ambo fratres post obitum *Divi* appellati sunt. M. Aurelius Commodus Marci filius *Cæsar* vivo L. Vero appellatus est. Post obitum Veri annis aliquot exactis Tribuniciam potestatem, ac deinde *Augusti* nomen accepit, consul bis fuit vivo patre, Pontifex, Imperator quater, Trib. potest. sexies accepit. Post mortem patris Pont. Max. consul. VIII. Trib. potest. XVIII. Imp. VIII. dictus occisus est. Indignus tanto patre filius. His temporibus duos consulares Aurelios invenio, quorum alter M. Aurelius Severus Cethegus cos. fuit cum L. Junio Claro an. DCCCCXXII. post obitum L. Veri sub Marco solo. Imp. alter M. Aurelius Claudius Pompejanus post annos tres cos. fuit cum CN. Claudio Severo II. Hic gener Marci fuit. Non longè ab interitu Commodi L. Septimius Severus imperium obtinuit, hic se Marci filium mentitus est, & filium suum *M. Aurelium Antoninum* appellari voluit, ac Cæsarem, Pontificem, & mox Augustum fecit, cos. III. Imp. II. TR. POT. XIIII. vivo patre. eo defuncto cum fratre P. Septimio Geta menses fere tredecim, & postea solus annis V. & amplius imperavit. Hoc tempore Pont. Max. cos. IIII. TR. Potest. XIX. Imp. III. appellatus est. Hic à multis scriptoribus *Caracalla* dicitur, ab aliquibus *Magnus Antoninus*. Hoc tempore duos consulares fuisse Aurelios reperi, M. Aurelium Claudium M. F. Pompejanum, qui cos. fuit cum Lollialo Avito an. DCCCLXI. sub Severo, & Antonino Impp. Hic nepos M. Aurelii philosophi fuit ex Lucilla filia majore. De patris consulatu supra dictum est. Iterum consul fuit, sed tempus incertum est. Alterum Aurelium invenio Sex. Anullinum cos. cum Q. Aquillio Sabino II. an. DCCCCLXIX. sub eodem Antonino Imperat. Occiso Antonino, & paullo post Macrino Sacerdos dei Elagabali *Imperator M. Aurelius Antoninus* appellatus est. is se Antonini filium finxit.

A Pont. Max. TR. Pot. IIII. cos. IIII. occisus est. Successor ejus fuit M. Aurelius Severus Alexander frater consobrinus superioris, quamvis hic etiam se Antonini Magni filium diceret. mater huic Julia Mamæa Augusta, vel Christiana, vel Christianorum patrona. matertera Julia Soemias Augusta mater Elagabali, avia Julia Mæsa Augusta vivo fratre *Cæsar* appellatus est, & consul fuit, postea Pont. Max. TR. POT. XIV. COS. III. occisus est, optimusque Imp. fuit: ut frater omnium turpissimus. His temporibus, & sequentibus usque ad B Valerianum Imp. cos. consulares invenio. Primus est M. Aurelius Augustus Lib. Eutychianus Comazon, qui ter consul fuit. primo consulatu suffectus cum Elagabalo Imp. anno DCCCCCLXX. Iterum cos. cum eodem III. cos. post biennium. Tertii consulatus tempus incertum est. Alter M. Aurelius Claudius Pompejanus, ejus, ut creditur, de quo antea locuti sumus, filius cos. fuit an. DCCCCXXCIII. sub Alex. Imp. Iterum cos. decennio post collega Gordiani Tertii Imp. in secundo consulatu. Valerianus Imp. multis nominibus appellatus C est, *P. Aurelius Licinius Valerius Valerianus*, Censor fuit sub Decio Imp. sine collega, lustrum non fecit. cum Gallieno filio an. VII. imperavit. Pont. Max. Trib. pot. VII. cos. IIII. captus à Persis est. Filios sunt, qui etiam *Aurelios* appellent; sed eos in Licinia, ut Licinios referemus. Eodem tempore M. Aurelius Memmius Fuscus cos. fuit cum Pomponio Basso an. CIↃX. Marcus Aurelius Victorinus pater, & Victorinus fil. Imperatores dicti tyrannis recensentur. M. Aurelius Flavius Claudius Imperator in Claudia referendus. M. D Aurelius Quintillus Imp. Claudii frater dies XVII. imperavit. L. Domitius Aurelius Valerius Aurelianus Imp. in Domitia collocandus. M. Aurelius Gordianus cos. suf. sine collega ex Kal. Febr. in interregno occiso Aureliano Imp. ann. CIↃXXVII. M. Aurelius Valerius Probus, hic se Aurelium in ære signato asserit. Pont. Max. Trib. pot. VI. cos. V. occisus est. M. Aurelius Carus Imp. à quibusdam etiam *Manlius Aurelianus* dicitur, Carinum, & Numerianum filios Cæsares fecit cos. II. Trib. pot. II. Pont. Max. mortuus est. Filii Imp. E an. I. eodem, quo pater prænomine Aurelii cos. II. Carinus Pont. Max. fuit, Numerianus Pontif. ambo Trib. pot. semel obtinuerunt. C. Aurelius Valerius Diocletianus imperavit solus annos duos, & cum M. Aurelio Valerio Maximiano an. XVIII. & Diocletianus Pont. Max. Trib. pot. XX. cos. IX. ac Maximianus Pontif. Trib. pot. XIIX. cos. VIII. abdicarunt relicto imperio M. Aurelio Flavio Valerio Constantio, & C. Galerio Valerio Maximiano, quos antea Cæsares creaverant. Constantius Pont. Max. Trib. pot. XVI. cos. VI. mortuus F est. His temporibus duo consulares fuerunt, M. Aurelius Maximus, qui consul fuit cum Pomponio Januario an. CIↃXXXIX. sub Diocletiano, & Maximiano Impp. & M. Aurelius Asclepiodotus, qui cum Afranio Hannibaliano cos. fuit anno CIↃXLIII. easdem Augustis. Hic præfectus Præto-

Prætorio Britannias recuperavit. Constan-
tii, & Maximiani Jun. tempore C. Galerius
Maximinus & M. Aurelius Severus *Cæsares*
appellati sunt. Mortuo Constantio Constan-
tinus filius cum Maximiano, & M. Aure-
lio Maxentio Maximiani Sen. filio imperium
tenuerunt. Constantinum sunt, qui *C. Au-
relium Valerium Flavium Constantinum* ap-
pellent, ac Licinium ejus collegam *C. Au-
relium Valerium Licinianum Licinium.* Hoc
I. tempore L. Aurelius Symmachus cos. fuit
cum Ovinio Gallicano an. CIƆXXCI. sub Con-
II. stantino Imp. & M. Aurelius Xenophilus
cos. cum Fl. Valerio Delmatio, qui postea
Cæsar appellatus est triennio post superio-
III. rem. Post quem Sex. Aurel. Victor, cu-
jus extat epitome historica Cæsarum, cos.
fuit cum Julio Felice Valentiniano anno
CIƆCXX. sub Valente, Valentiniano & Gra-
IV. tiano Imperatoribus. Secutus est L. Aurelius
L. F. Avianius Symmachus insignis orator,
cujus exstant epistolæ, & orationes aliquot
illis temporibus disertissimæ, hoc tempore
parum gratæ. Cos. fuit cum Ti. Fabio Ti-
tiano an. CIƆCXLIII. sub Theodosio, & Ar-
cadio Impp. Hic Præf. Urbi, & annonæ &
Propræf. Præt. Pontifex Major, & XV.
Vir sacris faciundis etiam fuit. Hujus fi-
V. lius Quinctus Aurelius Symmachus cos. fuit
in Occidente cum F. L. Ætio magistro u-
triusque militiæ III. an. CIƆCXCIIX. sub Pla-
cidio Valentiniano tempore Theodosii Jun.
VI. Imp. Superioris deinde filius Q. Symma-
chus cos. fuit in occidente an. CIƆCCXXXVII.
sub Odovacre tempore Zenonis Imp. Se-
VII. cutus est M. Aurel. Cassiodorus Senator,
cujus extant præclara monumenta. cos. fuit
in occidente sub rege Theoderico anno
CIƆCCLXVI. hoc est, Christi DXIV. tempo-
VIII. re Anastasii Imp. Postremus Q. Aurelius
Anicius Symmachus an. CIƆCCLXXIV. cos.
fuit cum genero Anicio Manlio Severino
Boëtio, viri ambo doctissimi habiti sunt
tempore Justini Imp. in occidente sub di-
cto Rege.

CÆCILIA.

CÆCILIA gens plebeja, sed nobilis,
ex qua Metellorum familia non ante CDLXX.
fere annum consulatum adepta, intra an-
nos CCXC. Pontificatus Maximos quatuor,
Dictaturas duas, Principatus senatus tres,
Censuras septem, Triumphos novem, Con-
sulatus XX. Magisteria equitum duo, viri
XIX. adepti sunt. Ante hæc tempora Caja
Cæcilia Tanaquil Tarquinius cum Prisco
Damarati Corinthii filio Romam migravit,
Etruscæ disciplinæ perita viro regnum au-
gurata est. Ab ea boni ominis caussa mu-
lieres omnes *Cajæ* dictæ sunt. Qua de cau-
sa omnes liberti mulierum, se *Caja liber-
tos* in titulis monumentorum his notis asse-
runt. C. CÆCILIVS. Ɔ. L. EROS. Post
Reges exactos Q. Cæcilius anno CCCXIV.
I. tribunus plebis fuit. Primus consul L. Me-
tellus C. F. cum C. Servilio Gemino Tuc-
ca ante bellum Tarentinum anno tertio. in
magistratu à Senonibus Gallis occisus est,
& in ejus locum M. Curius Dentatus II.
cos. factus. Hunc *Dentonem*, vel *Den-
tricem* quidam appellant, quod cognomen

A ab aliis Cæciliis aliquando usurpatum est.
Alter princeps familiæ sine nulla dubita- II.
tione L. Metellus L. F. C. N. bis consul,
dictator, Pontif. Max. magister equitum,
decemvir agris dandis, vir triumphalis
clarissimum Metellorum nomen reddidit.
Priori consulatu, quem cum C. Furio Pa-
cilo egit, anno DII. insignem victoriam in
Sicilia de Pœneis adeptus est, ac de
eis triumphavit procos. VII. Idus Sep-
temb. anno proximo. Primus elephantos
duxit in triumpho, neque quisquam plu-
res. erant autem CXI. Biennio post magi-
B ster equitum fuit A. Atilio Calatino Dicta-
tore. Tum primum dictator extra Italiam
profectus est. Iterum cos. fuit cum N. Fa-
bio Buteone anno DVI. post quadriennium
Pontifex Max. factus est, eique sacerdotio
duos, & viginti annos præfuit. Dictator
comitiorum caussa an. DXXIX. Numerium
Fabium collegam magistrum equitum di-
xit. Palladium ex incendio in templo Ve-
stæ exorto eduxit, cæcusque factus est.
Curru in senatum veniens utebatur. Cen-
tesimum annum agens moritur. Hujus fi- III.
lius Q. Cæcilius, qui patrem in funere lau-
C davit, & orator aliquo in numero fuit, sed
& L. Metellus, qui Quæstor fuit anno
DXXXIX. & anno proximo tribunus plebis,
quique post Cannensem cladem auctor de-
serendæ Italiæ fuerat, nisi à Scipione Afri-
cano interpellatus fuisset: nec non M. Me-
tellus, qui prætor fuit an. DXLVII. ejusdem
filii esse creduntur. Quinctus eodem anno
cos. fuit cum L. Veturio Philone, magi-
ster equitum fuerat M. Livio Salinatori eo-
rundem comitiorum habendorum caussa.
Proximo anno post consulatum dictator co-
mitiorum caussa dictus Philonem collegam
D magistrum equitum fecit. Hujus filii duo, ma- IV.
jor paterno prænomine postea *Macedonicus*
dictus est, minor *L. Metellus Calvus.* Fuit V.
etiam eisdem temporibus L. Cæcilius Metel-
lus Dentrix, qui prætor fuit an. DLXX. cujus
parentes ignoramus, sed potuit illius L. Me-
telli filius esse, qui TR. PL. fuit ante an. XXX.
Macedonici felicitatem multi laudarunt.
Nam consul, censor, augur, ac triumphalis, &
duobus lustris princeps senatus, filius, & ne-
pos consularium, atque illustrium virorum fi-
lios, & nepotes habuit consulares, & trium-
phales multos. Ante consulatum proprætore
E triumphavit ex Macedonia de Andrisco Pseu-
dophilippo an. DCVII. quo anno Africanus
Æmilianus ex Africa procos. consulatum tri-
ennio post adeptus est cum AP. Claudio Pul-
chro. anno proximo Calvus frater cum Q. Fa-
bio Maximo Serviliano. Censuram ambo fra-
tres obtinuerunt, Macedonicus cum Q. Pom-
pejo Rufo, plebejusque tum primum uterque
censor fuit ann. DCXXII. Calvus post quin-
quennium cum L. Calpurnio Pisone Frugi,
qui lustrum non fecerunt. illi fecerunt LIX.
unum in vita periculum censor subiit Ma-
cedonicus, quod C. Atinium Macerionem
F TR. PL. senatu moverit; ab eodem enim com-
prehensus est, & obtorto collo in Capitolium
ducebatur ut è saxo præcipitaretur, nisi colle-
gæ auxilium tulissent. uxores ducendas esse
disertè in censura populum admonuit. Cum
Africano minore inimicitias gessit. Princeps
senatus duobus lustris lectus est an. DCXXIII.

Balcarico filio Censore, & quinquennio
proximo L. Metello Calvi F. Censore.
Hujus filii quatuor Quinctus, Lucius, Mar-
VI. cus, Cajus. filiæ tres, quarum una P. Cor-
nelio Scipioni Nasicæ nupsit, qui cos. bel-
lo Jugurthino in magistratu mortuus est.
Horum nepos fuit Q. Metellus Scipio, de
quo paullo post dicemus. Alteram duxit
C. Servilius, ex qua P. Servilius Isauricus
princeps senatus, & bis triumphalis natus
est. Q. Metellus Q. Macedonici filius ex
triumpho, ut pater, cognomen *Balearici*
consecutus est, quem egit post consulatum,
in quo habuit collegam T. Quinctium Fla-
minium an. DCXXX. Censor triennio post
fuit cum Q. Servilio Cæpione, & lustrum
fecerunt LXI. Hujus filii Q. Metellus Ne-
pos, de quo postea, & Cæcilia Appii
Claudii viri consularis uxor, ex quibus
orti sunt AP. Claudius vir consularis & cen-
sorius, & P. Claudius Trib. Plebis. Alter
VII. Macedonici filius Lucius cognomen ex tri-
umpho *Delmatici* assecutus est, patrem, &
fratrem imitatus, antea *Diadematus* dictus,
ut quidam asserunt, ob frontem diu vitta
vel diademate obligatum. Consul fuit cum
Q. Mucio Scævola, & procos. triumphum
egit de Delmateis anno DCXXXVII. Pontifex
Maximus fuit anno DCLXIII. post CN. Do-
mitium Ahenobarbum. Hujus filii fue-
runt Q. Metellus Creticus, & Cæcilia M.
Æmilii Scauri. qui princeps senatus quater
lectus est, uxor quæ mortuo viro, filio,
& filia prius ex eo susceptis nupsit L. Cor-
nelio Sullæ Felici Dictatori. & ex eo etiam
filios peperit. Tertius Marcus Macedoni-
VIII. ci filius cos. fuit cum M. Æmilio M. F. Scau-
ro, quem generum fuisse diximus L. Del-
matici an. DCXXXIIX. Ambo consulares tri-
umpharunt, Scaurus in consulatu de Gal-
leis Karneis, M. Metellus post biennium
ex Sardinia. Quartus frater horum fuit C.
IX. Metellus *Caprarius* cognomento, quem non
consulem, sed designatum vidit moriens
pater cum CN. Papirio Carbone. Hic etiam
triumphavit in consulatu eodem die, quo
Marcus frater ex Træcia. Quod tum pri-
mum accidit, idque solum defuit paternæ
felicitati, ut id videre posset. Hic etiam
Censor fuit, ut quibusdam placet an. DCLI.
cum Q. Metello Numidico fratre patruele,
lustrum fecerunt LXIV. Nunc Calvi ejus
fratris liberos persequamur. L. Metellus
X. Calvus L. Calvi filius Pontifex Max. Cen-
sor, & consul fuit. collegam in consulatu
habuit L. Aurelium Cottam an. DCXXXIV.
in Censura, quam quadriennio post gessit,
CN. Domitium Ahenobarbum. lustrum fe-
cerunt LXII. in quo princeps senatus lectus
est Macedonicus, ut antea retulimus. Pon-
tificatum obtinuit mortuo P. Mucio Scæ-
vola anno DCXXXIX. Hujus frater fuit Q.
XI. Metellus, *Numidicus* post victoriam, &
triumphum dictus bello Jugurthino. Con-
sul hic fuit quinquennio post eum annum,
quem proximè retulimus Pontificatus fra-
tris, cum M. Junio Silano: de Jugurtha,
& Numideis Procos. biennio post trium-
phavit. Clarissimus vir domi, militiæque
Censor quinquennio post triumphum cum
C. Caprario fratre patruele, ut antea dixi-
mus. Jurare in Appuleji Saturnini TR. PL.

A leges noluit, ob quod exilium fortiter tu-
lit. Saturnino occiso lacrymis filii, qui *Pius*
hac de causa dictus est, revocatus est. So-
rorem habuit Cæciliam parum pudicam ma-
trem L. Licinii Luculli, qui de Mithridate
triumphavit. Q. Metellus Pius clarissimus XII.
etiam vir consul, censor, Pontifex Max. &
princeps senatus, ac triumphalis fuit L. Sul-
læ Felicis in secundo consulatu collega an.
DCLXXIII. propter affinitatem ejus partes se-
cutus, nam Sulla Delmatici, aut L. Calvi
filiam, & ex ea liberos susceperat. Q. Ser-
torium in Hispania persecutus est adjutore
B CN. Pompejo Magno, mortuo Sertorio à
suis, Romam reversi ambo ex Hispania
triumpharunt an. DCXXCII. Pontificatum
ante undecim annos assecutus fuerat mor-
tuo Q. Mucio Scævola. Princeps senatus
lectus est LXVIII. lustro. Septimo post tri-
umphum anno sine liberis mortuus est. Ad- XIII.
optivum filium heredem nominis, & fami-
liæ reliquit nobilissimum virum P. Corne-
lium Nasicam P. Scipionis Nasicæ viri con-
sularis, & Cæciliæ Q. Macedonici filiæ ne-
potem, cujus mater Licinia L. Crassi orato-
ris consularis, & censorii filia fuit. Hic post
C adoptionem Q. *Cæcilius* Q. F. *Metellus Pius*
Scipio appellatus est. Uxor huic Lepida, de
qua cum M. Catone contendit. Filia Cor-
nelia ante adoptionem nata clarissimis nuptiis
bis celebratis infelici exitu virorum super-
stes. Nam P. Crasso prius, qui cum patre
M. Licinio Crasso Divite à Parthis occisus
est, postea CN. Pompejo Magno, qui patris
in consulatu tertio collega fuit, nupsit. Hunc
consulatum Magnus sine collega iniit dilatis
comitiis contentionibus candidatorum T.
Milonis, & Metelli Scipionis, & P. Plau-
tii Hypsæi, quique eorum partes non sine
D ferro agebant. Tunc P. Clodius Seditio-
num princeps à Milone occisus est. Ab In-
terrege Ser. Sulpicio Pompejus primus crea-
tus consul sine collega V. Kal. Mart. iniit.
collegam socerum Scipionem habuit Kal.
Sextil. Milo damnatus est. Bellum paullo
post inter Cæsarem, & Pompejum exarsit.
Metellus generum secutus, eique superstes
in Africa, ne in manus inimici veniret, se
ipsum interemit. Moriens cum à militibus
Imperator quæreretur, dixit, *Imperator be-*
ne se habet. Redeo nunc ad Macedonici ne-
potes. Q. Metellus Nepos Balearici filius XIIII.
E cognomen id retinuit, quod nepos esset
Macedonici. Consul is fuit cum T. Di-
dio T. F. an. DCLV. ab his lex *Cæcilia*, &
Didia appellata est. Hujus filius Q. Me- XV.
tellus Nepos, qui Tribunus Pl. Cicero-
nem consulatu abeuntem concionem habe-
re prohibuit, jurare tantum veteri more
permisit prid. Kal. Jan. an. DCXC. consul
postea fuit cum P. Cornelio Lentulo Spin-
thero quinquennio post atque æquiorem se
M. Ciceroni ab exilio redeunti præbuit.
Hujus uterina soror Mucia *Tertia* dicta est
CN. Pompeji, & postea M. Scauri uxor.
F L. Delmatici Q. Metellus filius *Creticus* XVI.
postea dictus consul fuit an. DCXXCIV. cum
Q. Hortensio oratore, triumphum egit post
septem annos Procos. ex Creta. Hujus, ut XVII.
creditur, frater, & in consulatu successor L.
Metellus consul designatus mortuus est, Q.
Marcius Rex solus consulatum gessit. In Præ-
tura

tura successor C. Verris in Sicilia fuit. Horum etiam frater M. Metellus de repetundis Prætor cognovit Cretico fratre consule. His
XVIII. etiam temporibus Q. Metellus Celer frater posterioris Nepotis fuit, sed germanus, an uterinus, an patruelis incertum est. Mihi uterinus fuisse videtur, quod eo tempore duo germani non eisdem prænominibus utebantur. tum etiam, quod cognomen ob celeritatem ludorum post mortem patris accepit. id magis Q. Nepoti debebatur, qui paternum cognomen retinebat, utpote heredi, aut unico, aut maximo. Patrueles non fuisse indicat, quod ambo Q. F. dicuntur. Prætor hic fuit Cicerone consule, & conjurationis vindex. Consul triennio post cum L. Afranio ann. DCXCIII. Sunt, qui putent hunc Q. Metelli Celeris filium fuisse, qui Tribunus PL. fuit cum Q. Vario, ut Cicero in *Bruto* significat. idem, & Pontifex, & Augur fuit. Hujus uxor Clodia, sive Claudia Appii, & Publii soror, de cujus impudicitia multa Cicero in oratione pro M. Cælio Rufo. Eam Appulejus à Catulo *Lesbiam* appellari ait, Plutarchus *Quadrantariam* vulgo cognominatam. Fuit eisdem temporibus L. Metellus, qui C. Cæsari pecuniam ex ærario publico efferenti Tribunicia potestate impedire conatus est. Cujus
XIX. parentes ignoramus. Postremus Metellus sub Augusto fuit Q. Creticus Silanus Q. F. Q. N. cos. cum A. Licinio Nerva Siliano an. DCCLIX. Hæc de Metellis, quorum cognomen militaris ministerii esse docet Festus Attii carmine,

Calones, famulique metellique caculaque.

Alii Cæcilii non consulares fuerunt, ut Q. Cæcilius Niger Siculus Quæstor C. Verris, de quo multa Cicero in *Divinatione*, in Verrem. & Q. Cæcilius T. Pomponii Attici avunculus, ejusque ex testamento pater, vir avarus, & populo odiosus, ob cujus hereditatem Atticus *Q. Cæcilius Pomponianus Atticus* dictus est, & filia Attici postea nata *Cæcilia Attica*, uxor M. Agrippæ ter cos. ex qua Agrippina nata est uxor Ti. Claudii Neronis, qui *Ti. Cæsar* paullo post dictus est, & postea C. Asinii Galli. De Q. Cæcilio Basso in *Philippica XI.* Ciceronis fit mentio. fortis is vir fuit adversus barbaros. His omnibus antiquior fuit Q. Cæcilius Statius poëta comicus, cui primas præsertim in argumentis veteres detulerunt. Servus is fuit Ennii, & Plauti tempore. Post Augusti obitum consulares Cæcilios tres reperio omnes suffectos. Nam Cn. Cæcilius simplex cum G. Quinctio Attico ex Kal. Novemb. cos. an. DCCCXXI. sub Vitellio Imp. C. Cæcilius Plinius C. F. C. N. Secundus cos. suf. cum Cornuto Tertullo ex Kal. Sept. sub Trajano Imp. an. DCCCLII. Hic est, cujus Epistolæ, & Panegyricus ad eundem Imperatorem extant. patria Novocomensis fuit. ejus avunculus C. Plinius secundus, qui naturalem historiam conscripsit. Tertius est C. Cæcilius Classicus, qui biennio post cum Acilio Rufo ex Kalendis Juliis cos suffectus fuit sub eodem Imperatore.

CALPURNIA.

Calpurnia familia origine Sabina, plebeja fuit, multosque habuit consulares viros, censorios tres, triumphalem unum. Tribus cognominibus distinguitur, Pisonum, Bestiarum, & Bibulorum. Pisonum alii *Frugi*, alii *Cæsonini*, alii *Pisones* tantum, sine alio cognomine dicuntur. Ante obitum Augusti undecim consulares Pisones invenio. Antiquissimus C. Piso C. F. C. N. Hic Prætor de Lusitaneis, & Celtibereis ex Hispania triumphavit anno DLXIX. Consul fuit quadriennio post cum A. Postumio Albino. & in magistratu mortuus est, in ejus locum Q. Fulvius CN. F. M. N. Flaccus Pisonis privignus suffectus est. Ea de caussa suspicio orta est Quartam Hostiliam uxorem matrem Fulvii, Pisonem occidisse, & ob id damnatam fuisse ferunt. Post hunc L. Piso Cæsoninus C. F. C. N. cos. fuit an. DCV. cum SP. Postumio Albino Magno. Hic superioris filius, aut nepos, & ut ex Ciceronis, & Asconii verbis elicitur, adoptivus potius, quam naturalis. Nam Cæsonium quendam Gallum Placentiam venisse, ejusque filium Calventii Mediolanensis filiam duxisse, ex quibus L. Piso nepos, aut pronepos hujus natus sit, in quem tota illa oratione, quæ *in Pisonem* inscribitur, invehitur. Tertius Cn. Piso cos. cum M. Popillio Lænate an. DCXIV. Quartus Q. Piso cos. quadriennio post superiorem cum Ser. Fulvio Flacco. Quintus L. Piso Frugi, hic primus cognomen id ob frugalitatem accepit. Tribunus Pl. fuit an. DCIV. cos. post XVI. annos cum P. Mucio Scævola. Censor cum L. Metello Calvo an. DCXXVI. lustrum non fecerunt. Legem Calpurniam de repetundis primam in tribunatu hic tulit. Sextus L. Piso Cæsoninus superioris Cæsonini filius cos. fuit cum M. Livio Druso an. DCXLI. Hic legatus occisus est à Galleis cum L. Cassio Longino cos. post annos quinque. Septimus C. Piso Frugi, qui filius, vel nepos fuit L. Pisonis Frugi, de quo antea diximus. cos. fuit ann. DCXXXVI. cum M. Acilio Glabrione. His temporibus L. Piso Frugi filius primi L. Pisonis Frugi Prætor in Hispania obiit, & Cn. Piso CN. F. qui conjurare cum Catilina, & P. Autronio an. DCXXXVIII. ausus est, Quæstor Pro PR. in Hispania occisus est. Fuit alius L. Piso Frugi L. F. L. illius primi N. Prætor ante ann. DCLXXXIV. Octavus Consularis fuit L. Piso Cæsoninus, qui nepos fuit ejus, qui à Gallis occisus est, ut C. Cæsar gener testatur, ultum se privatas inimicitias familiæ, quod avum soceri occiderint. cos. fuit cum A. Gabinio ann. DCXCV. quibus cos. M. Cicero in exilium missus est, quamobrem cum eo inimicitias exercuit. quamvis gener Ciceronis C. Piso L. F. Frugi propinquus esset L. Pisonis. Post consulatum in Macedoniam profectus est. Inde revocatus post biennium ex sententia Ciceronis, quæ extat in oratione *de provinciis consularibus* inscripta. Censor fuit anno DCCIII. cum Ap. Claudio Pulchro. lustrum fecerunt LXXI. Calpurnia filia C. Cæsari nupsit, quo anno in Gallias profectus est, eaque Cæsari superstes fuit. Laudatur à Cicerone hic Piso in *Philippicis*, quod primus in M. Antonium cos. invectus sit. Hoc tempore M. Pupius Pisonem quendam

Nnnn 2 ad-

adoptavit, qui M. Pupius M. F. *Piso Calpur-* A
nianus dictus cos. & triumphalis fuit, in cu-
jus domo Cicero discere solebat. biennio post
Ciceronem cos. fuit cum M. Valerio Mes-
IX. salla Nigro. Nonus CN. Piso CN. F. CN. N.
collega Augusti in XI. consulatu in locum A.
Terentii Varronis Murenæ, qui antequam ini-
ret, mortuus est. an. DCCXXX. iterum cos. fuit
cum Ti. Claudio Nerone II. post XVI. annos.
X. Decimus L. Piso Cæsoninus L. F. L. N. filius,
ut creditur, Censorii cos. fuit cum M. Livio
Druso Libone post annos octo; quàm supe-
rior. Hic triumphalia ornamenta accepit le-
gatus Augusti an. DCCXLIII. de Besseis, & B
XI. Scordisceis ex Thracia. Postremus L. Piso
Augur CN. F. CN. N. cos. fuit cum Cosso Cor-
nelio Lentulo *Isaurico* postea dicto an. DCCLII.
qui annus primus post Virginis partum fuit.
Hic CN. Pisonis bis cos. filius fuisse creditur.
Bestiam Calpurnium consularem unum repe-
rio, cujus collega fuit in consulatu P. Sci-
pio Nasica belli Jugurthini anno I. qui fuit
urbis DCXLII. is L. Calpurnius *Bestia* dictus,
eodem nomine alter inter sodales L. Catilinæ
à Sallustio nominatur: & postea Tribunus
plebis fuisse dicitur eodem anno. Hunc cre-
diderim à Cicerone defensum fuisse in ea ora- C
tione, quæ inscribebatur *pro Bestia*, quæ
non extat. Laudatur à Paterculo Calpurnia
Bestiæ filia, quæ P. Antistio Ædilicio viro
suo à Damasippo PR. occiso se ipsam gladio
trajecit an. DCLXXI. Horum filia Antistia à
CN. Pompejo repudiata, ex abortu mortua
est. Bibulum quoque unum consularem vi-
deo, qui cum C. Cæsare cos. fuit, M. Cal-
purnium an. DCXCIV. quem Cæsar domo sua
exire non sinebat, sed edictis fortitudinem
animi contra insolentiam armatorum osten-
debat. Censor post quadriennium fuit cum
M. Valerio Messalla Nigro. lustrum fecerunt D
LXX. ut quibusdam placet. Bello civili mor-
tuus est. Hujus filios in Ægypto occisos fu-
isse video, eumque M. Catonis generum fu-
isse. Porcia uxor M. Bruto Cæpioni nupsit.
Post mortem Augusti quinque Pisones con-
sules invenio, Cæsarem unum paucis diebus,
adoptatum à Galba Imperatore; Augustum u-
num appellatum à paucis in Thessalia tempo-
re Gallieni Imp. cui à senatu statua post mor-
tem inter triumphales, & quadriga decreta
est. His duobus Lucii prænomen fuit, Cæsar
M. Licinii Crassi filius à L. Pisone Frugi adop-
tatus est, postea in Sulpiciam familiam à Gal- E
ba translatus, occisus est cum patre adoptivo
eodem mense. Primus Piso L. Calpurnius
I. L. F. L. N. cos. fuit cum M. Licinio Crasso an.
II. DCCLXXIX. sub Ti. Cæsare Imp. Secundus C.
Piso Magnus cos. suffectus ex Kal. Juliis cum
L. Vitellio Paullo an. DCCC. sub Ti. Claudio
III. Imp. Tertius L. Piso L. F. primi illius, ut cre-
ditur, filius collega fuit Neronis Imp. in se-
cundo consulatu nono anno post superioris
consulatum. Quartus L. Piso cos. fuit cum
IV. Vettio Rustico Bolano an. DCCCLXIII. sub
Trajano Imp. Quintus Calpurnius Piso cos.
V. fuit cum M. Salvio Juliano an. DCCCCXXVII. F
sub M. Philosopho Augusto. Præter hos
Pisones unum consularem reperi Calpur-
nium Agricolam, qui sub Alexandro Imper.
cos. fuit cum Clementino an. DCCCCXXCII.

CASSIA.

CASSIA familia duplex Patriciorum,
& Plebejorum. Patricius unum consularis,
cujus cognomen variè scribunt, alii *Vecel-*
linum, alii *Viscellinum*, alii *Bicellinum*. Hic
ter consul fuit, bis triumphavit, primus Ma-
gister Equitum fuit. Plebeji septem, consu-
latus totidem, censuras duas ante Cæs. Dict.
obtinuerunt. cognomen omnibus *Longinus*,
uno Varo excepto, & altero Longino *Ra-*
villa dicto. Patricius SP. Cassius clarissimus
vir, primis illis libertatis temporibus post re-
ges exactos, consul fuit cum Opitre Vergi-
nio Tricosto anno CCLI. Ambo consules tri-
umpharunt, Cassius de Sabineis, Opiter de
Camerineis, & Auronceis. Quadriennio post
Magister equitum primus factus est, Dicta-
tore, quem tunc Magistrum populi dice-
bant, primo seditionis sedandæ, & rei ge-
rundæ caussâ dicto T. Lartio Flavo. Iterum
cos. fuit cum Postumo Cominio Aurunco
II. anno nono post alterum consulatum, lu-
strum fecerunt VII. nondum enim Censores
instituti fuerant, & censendi officium con-
sulum erat. Tertio consul cum Proculo Ver-
ginio Tricosto Rutilo septennio post factus
agrariam legem primus tulit. ac de Volsceis,
& Herniceis iterum triumphavit. Ex lege
Agraria tyrannidis affectatæ crimine officiis
senatores post consulatum damnarunt, ei in-
terempto domus diruta est, in solo ædes
Telluris facta. à patre de consilio propin-
quorum damnatum, & interemptum fuisse
aliqui historici prodiderunt, peculiumque
Cereri consecratum. Primus ex plebejis C. I.
Cassius Longinus C. F. C. N. anno DXXCII. bel-
li Persici anno primo consulatum adeptus est
cum P. Licinio Crasso. Censor post XVII. an-
nos cum M. Valerio Messalla. lustrum fece-
runt LV. Post hunc Q. Longinus Q. F. L. N. II.
cum A. Manlio Torquato cos. fuit anno
DXXCIIX. & in magistratu mortuus est. Hu-
jus filius fuisse creditur L. Longinus Ra- III.
villa, qui an. DCXXVI. cos. fuit cum L. Cor-
nelio Cinna, & biennio post censor cum
CN. Servilio Cæpione, qui lustrum fecerunt
LX. Post hunc C. Longinus C. Longini, de IV.
quo primo loco dictum est, ut creditur, fi-
lius cos. fuit cum C. Sextio Calvino post Ra-
villæ consulatum anno tertio. Ambo consu-
les plebeji triumphasse dicuntur, sed de Sex-
tio certius est. Procos. de Liguribus Vocon-
tieis, Salluveisque triumphasse. Sequitur L. V.
Cassius L. F. Q. N. Ravillæ, ut creditur, fi-
lius in consulatu à Gallis occisus est, cum L.
Pisone Cæsonino legato an. DCLVI. cui CN.
Cornelius Dolabella suffectus est. Ejus col-
lega fuit C. Marius in primo consulatu. Hu-
jus frater esse potuit C. Cassius Longinus, qui VI.
cum CN. Domitio Ahenobarbo cos. fuit post
undecim annos. Præter hos Crispus Sallu-
stius L. Cassium Longinum Senatorii ordinis VII.
enumerat in conjuratis cum L. Catilina, & ab
Asconio competitor Ciceronis, & conjuratio-
nis particeps. Postremo anno DCXXC. C. Cas-
sius Varus cos. fuit cum M. Terentio Varro-
ne Lucullo. Ab his lex Terentia, & Cassia,
de qua Cicero in Verrinis, nomen accepit. A-
liæ leges *Cassiæ* dictæ sunt, quod à L. Cassio
L. F. Longino Tribuno PL. latæ fuerunt,
quas Asconius enumerat in Corneliana C.
Mario

Mario VI. L. Valerio Flacco cos. ait latas fuisse, hoc est, an. DCLIII. Potuit hic Tribunus ejus consulis fuisse filius, qui à Gallis occisus est. Ab eodem mentio fit P. Cassii Prætoris, qui de Majestate cognoscebat M. Lepido L. Volcatio cos. hoc est, an. DCXXCVII. Sæpius quoque à Cicerone & aliis refertur illud Cassianum, *cui bono fuerit*, dictum optimi judicis L. Cassii, qui ab eo crimen ortum fuisse dicebat, cui bono erat id fieri.

Addendus est C. Cassius unus ex interfectoribus Cæsaris, qui cum D. Bruto cos. designatus fuerat in annum DCCXI. Hic puer Fausto puero Sullæ filio colaphum impegit, quod laudaret patris dominationem. Uxor Junia M. Bruti soror, Filio togam virilem Idib. Martiis, quibus Cæsarem occidit, dedit. Victus à M. Antonio seipsum interemit, aut à servo occisus est. Sub Augusto unicum consularem L. Cassium L. F. L. N. Longinum invenio. Cos. suffectus fuit ex Kal. Juliis an. DCCLXIII. Sub Tiberio ultimus Longinus C. Cassius L. F. L. N. superioris, ut creditur, filius. hic cos. fuit cum M. Vinucio Quartino anno DCCXXCIII. Optimus Jurisconsultus, natusque ex filia Q. Ælii Tuberonis juriscon. quæ neptis erat clarissimi jurisconsulti Ser. Sulpitii Rufi. Hic familiam discipulorum duxit, quæ *Cassiana* dicebatur: ut à Proculejanis distingueretur. Post hæc sub M. Aurelio Antonino Imp. Avidius Cassius Cyprius genere, cujus avus maternus Avidius Severus, in oriente ementita morte Marci se Imperatorem appellavit. Occisus tamen est, & Mæcianus filius, cui Alexandria erat commissa. Alter filius Heliodorus deportatus est. Aliis filiis liberum exilium permissum, & Drunciano genero, cui Alexandria filia nupta erat. Alios Cassios reperio sub Gallieno Imp. sese *Augustos* in Gallia appellasse, quorum extant signati nummi. M. Cassius Postumius, & M. Cassius Hostilius, sunt qui etiam *Labienos* appellent. Cassios consulares sub aliis Imperatoribus eos solum reperio, qui *Dionis*, aut *Aproniani* cognomine significantur. Fuit autem Dion Cassius historicus, cujus pars historiarum Romanarum extat, & epitome Cæsarum à Xiphilino conscripta: Aproniani filius, qui consul sub Commodo Imperatore fuit cum M. Atilio Metilio Bradua II. an. DCCCCXLIII. Ipse Dion bis consul fuit: secundum consulatum cum Alexandro Imp. III. egit an. DCCCCXXCI. Prioris consulatus tempus ignoratur. Hic ex Nicæa Bithyniæ originem duxit, Præfectus Ægypti fuit, & postea Delmatiæ, ac Pannoniarum. Alter Dion cos. fuit cum C. Junio Tiberiano an. CIↃXLII. sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, quem putant Dionis historici filium, vel nepotem fuisse.

CLAVDIA.

CLAVDIA gens origine Sabina duplex fuit Patriciorum, & Plebejorum. Patricii, minorum gentium fuerunt, utpote post exactos Reges adscripti; in quatuor stirpes præcipuas cognominibus distinctas dividuntur.

A Regillensium, quorum aliqui *Crassini* etiam
dicuntur, Pulchrorum, Centhonum, &
Neronum. Plebeji clariores *Marcelli* cognominati
sunt. Vnaquæque familia plurimos
habuit ornatissimos viros, qui remp.
Romanam illustrarunt, & auxerunt usque
ad Neronem Imp. Regillenses & Crassinos
novem invenio obtinuisse Dictaturas tres,
Decemviratus legibus scribendis tres, Triumphos
duos, Consulatus sex, Tribunatus
militares consulari potestate duos. Inter
omnes constat venisse Clausium quen- I.
dam Sabinum ex Regillis Romam cum ita
B magna multitudine propinquorum, & clientium,
ut ex eis Claudia tribus aucta fuerit,
& nomen acceperit, vel, ut quidam
arbitrantur, cæteris addita fuerit. Clausum
appellatum fuisse asserunt, cum inter patricios
adscriptus fuit, *Appium Claudium Regillensem*,
anno urbis CCXLIX. Hunc videtur
Verrius Flaccus *Marcum Claudium* appellare,
cum eum avum esse asserat Appii
Decemviri. Hic consul fuit post annos novem
cum P. Servilio Prisco. Hujus filius II.
consul fuit cum T. Quinctio Capitolino
Barbato an. CCXXCII. ejusdem cum patre
C nominis. Alter filius C. Regillensis cos. III.
etiam fuit post XI. annos cum P. Valesio
P. F. Poplicola II. qui in eo magistratu
occisus est. Hos tres etiam *Sabinos* cognominatos
ab scriptoribus animadvertimus.
Post hos tertius Appius Claudius Crassinus IV.
AP. F. M. N. à Verrio appellatur, quem
alii, ut diximus, Appii nepotem, de quo
initio locuti sumus, tradiderunt. Hic consul
fuit cum T. Genucio Augurino an. CCCII.
sed abdicarunt, ut iidem cum aliis Decemviri
legum scribendarum caussa crearentur.
Hi primùm decem tabulas conscripserunt,
D postea duabus aliis scribendis iterum, ac
tertio idem Appius cum aliis, quos ipse
voluit, eundem magistratum sine provocatione
retinuerunt. Hoc initium legis duodecim
tabularum. Sed cum potestate in libidinem,
& malos mores abuterentur: seditione
in eos mota cum Verginia à patre
fuisset occisa, quam M. Claudius cliens
Appii in servitutem vindicabat, coacti sunt
Decemviri abdicare, multique ex eis damnati,
alii in carcere, aut in exilio perierunt.
Sequitur alius AP. Crassinus Regillensis V.
AP. F. AP. N. superioris, ut creditur, filius,
E qui Tribunus militum consulari potestate
fuit cum L. Sergio Fidenate II. Sp.
Nautio Rutilo, & Sex. Julio Julo anno
CCCXXIX. Hujus filius P. Crassinus Regillensis VI.
Trib. Mil. cum aliis quinque patriciis
an. CCCL. fuit. Hujus deinde filius AP.
Claudius eisdem cognominibus usus Dictator VII.
fuit primus ex hac familia rei gerundæ
caussa an. CCCXCI. Magistrum equitum dixit
L. Cornelium Scipionem. primus ex eadem
triumphavit de Hernicis. Cos. fuit
post XIV. annos cum L. Furio Camillo,
& in magistratu mortuus est. Secutus est VIII.
F C. Crassinus Regillensis, quem quidam
bis Dictatorem asseverant, & AP. F. P. N.
Cæcique patrem. prior dictatura anno CDV.
comitiorum habendorum caussa, posterior
rei gerundæ caussa an. CDXVI. in qua Magister
equitum fuit C. Claudius Hortator,
quem patricium, aut plebejum fuisse affir-

 mare

IX. mare non possumus. Postremus Appius Cl. A
Crassinus Rufus Ap. f. c. n. à quibusdam
appellatur Appii Cæci filius, is qui consul
fuit cum P. Semprônio Sopho an. CDXXCV.
Cum apud Suetonium inveniam Appium
Cæcum duos filios habuisse P. Pulchrum,
& Ti. Neronem, ex quibus duæ familiæ
Pulchrorum, & Neronum ortæ sint: cum-
que aliis placeat, Cæcum ipsum ex Re-
gillensibus ortum fuisse, de Appio Cæco
tanquam communi pariete, in quem tres hæc
familiæ tigna sua immiserint, separatim a-
gendum videtur.
Verrius Flaccus in censura, & consula- B
tu apertè Ap. Claudium C. f. ap. n. *Cæ-
cum* appellat. Censuram constituit an. CDXLI.
collegam in ea adscribit C. Plautium, qui
in eo honore *Venox* appellatus est. lustrum
fecisse ait XXVI. Ab hoc censore Appia via
strata est, aqua Claudia in urbem ducta,
ut multi prodiderunt. Consulatus collega
L. Volumnius Flamma Violens an. CDXLVI.
cum quo iterum post XI. annos consula-
tum gessit. Dictator fuit, sed quo anno
incertum est. quidam divinando in anno
CDLXVI. retulerunt: in veteri titulo hi
magistratus enumerantur. *Appius Claudius* C
*C. F. Cæcus Censor. Consul bis. Dictator. In-
terrex ter. Prætor bis. Ædilis Curulis bis.
Quæstor. Tribunus Militum ter.* Quid vero
egerit, ita recensetur. *Complura oppida de
Samnitibus cepit. Sabinorum, & Tuscorum
exercitum fudit. Pacem fieri cum Pyrrho Re-
ge prohibuit. In censura viam Appiam stravit.
& aquam in urbem adduxit. Ædem Bellonæ
fecit.* A Cicerone ejus quatuor filii, filiæ
vero quinque enumerantur. Filios fuisse cre-
dimus Ap. Crassinum, de quo antea dixi-
mus, P. Pulchrum, C. Centhonem, &
Ti. Neronem. Nunc igitur primum de Pul- D
chrorum stirpe, postea de reliquis dice-
mus.
Pulchros decem invenio, totidem con-
sulatus habuisse, censuras tres, triumphos
duos assecutos, Principem senatus unum
lectum fuisse. Primus is, de quo dixi-
I. mus, P. Pulcher cos. fuit an. DIV. cum L.
Junio Pullo. Hic temere cum Carthaginien-
sibus congressus bello Punico primo mag-
nam cladem accepit, jussus Dictatorem di-
cere M. Claudium C. f. Gliciam dixit via-
torem suum, qui scriba fuerat, sine Magi-
stro equitum, nam antequam eum diceret, E
coactus est abdicare. tum A. Atilius Cala-
tinus Dictator factus est, & L. Metellus
Magister equitum. Soror Publii Claudia
cum à populo in turba premeretur, opta-
vit, ut frater sæpius consul fieret, ut minor
esset populi multitudo. Ea de caussa dam-
nata est, alterius criminis rea innocens.
Hic auspicia ita contempsit, ut pullos in
mare projecerit, ut biberent, quando esse
II. pultem nollent. Hujus filius Ap. cl. Pul-
cher cos. fuit. an. DXLI. cum Q. Fulvio
Flacco III. Hujus tres filii fuisse videtur
III. IV. V. Appius, Publius, & Cajus. Appius cos. F
fuit XXVII. anno post patrem cum M. Sem-
pronio Tuditano, Publius anno proximo
cum L. Porcio Licino, Cajus cum Ti.
Sempronio Graccho an. DLXXVI. Ambo
consules triumpharunt, Pulcher in consula-
tu de Istreis, & Liguribus, Gracchus
biennio post de Sardeis. Ambo censores fue-
runt octavo anno post consulatum, lustrum-
que LII. fecerunt. Appii filius Appius, ut VI.
credirur cos. fuit cum Q. Metello Macedo-
nico an. DIX. suis sumptibus triumphavit
de Sallasseis ex Alpibus. Censor quinquen-
nio post cum P. Cornelio Lentulo. lustrum
non fecerunt. Biennio post Princeps senatus
lectus est lustro LVIII. Hic ex Antistia uxo-
re Claudiam procreavit, quam duxit Ti.
Sempronius Gracchus, qui in Tribunatu
plebis à P. Scipione Nasica occisus est; &
ex ea liberos reliquit. Caji filius, quem
consularem, censorium, & triumphalem
diximus, C. Pulcher fuit. consulque an. VII.
DCXXIII. cum M. Perperna. quamvis Pul-
cher hic, an Lentulus Appius, an Cajus
fuerit incertum sit. Alter C. Pulcher hujus VIII.
filius fuisse creditur, collega alterius M.
Perpernæ consul fuit ann. DCLXI. Hunc
Verrius C. n. appellat. Secutus est Ap. IX.
Pulcher superioris, ut creditur filius; aut
frater, qui cum P. Servilio Vatia, qui po-
stea *Isauricus* dictus est, consul fuit anno
DCLXXIV. quo anno L. Sulla Dictatura se
abdicavit. Cinnæ tempore exul fuit, &
ei magistratus abrogatus. Hujus soror Clo-
dia mater fuit, L. Marcii Philippi consu-
laris & censorii. uxor Cæcilia Q. Metelli Ba-
liarici filia ex qua filii tres Appius, Publi- X.
us, & Cajus, filiæ totidem natæ sunt: ex
quibus duas L. Licinius Lucullus, qui de
Mithridate triumphavit, & Q. Metellus
Celer duxerunt: quas parum pudicas fuisse
constitit. Tertiam Q. Marcius Rex, vir
consularis. Appius consul, & censor fuit,
duas filias procreavit, quas filio Pompeji
Magni Cn. ut suspicor, & M. Bruto col-
locavit. Publius Clodius cum adolescens in
domo C. Cæsaris Pont. Max. in sacris Bo-
næ deæ deprehensus esset. ejusque crimi-
nis reus corrupto judicio absolutus, ut no-
ceret Ciceroni testi Tribunatum plebis ob-
tinuit; cum se prius P. Fontejo Plebejo
minori natu in adoptionem dedisset. Cice-
ronem exulare coegit. sed restituto Cicero-
ne cum Præturam peteret, à T. Annio
Milone occisus est. Hujus uxores Pinaria,
& Fulvia, hæc postea C. Curioni, atque
eo interfecto M. Antonio nupsit. Socrus
Sempronia Tuditani filia fuit. Filium Sex.
Clodium, & filiam Clodiam Augusti spon-
sam reliquit. Cajus filios duos reliquit eis-
dem cognominibus, Appium majorem, &
Appium minorem, quorum Asconius, in
Miloniana meminit. Appius Pulcher, de
quo dicebamus, consul fuit an. DCXCIX. cum
L. Domitio Ahenobarbo, censor quadrien-
nio post cum L. Calpurnio Pisone Cæso-
nio. Post consulatum procos. in Cilicia fuit,
cujus M. Cicero successor fuit. Admonet
eum Cicero, *ut de proavo suo in censura co-
gitet.* ex quibus verbis apparet ejus pro-
avum fuisse Censorium, vel Appium, vel
C. Pulchrum Censorium, de quibus antea
diximus. Hic Augur fuit, & libros *de au-
gurali disciplina* edidit. Hæc de Pulchris.
Centhonum cognomine duos solos repe- II.
rio C. Centhonem Cæci filium, qui con-
sul, censor, & dictator fuit, atque Appi-
um qui Proprætore ovationem obtinuit,
ejus filium, Caji consulatus fuit an. DXIII.
cum

cum P. Sempronio Tuditano, quibus con-
fulibus Livius Andronicus primus poëta La-
tinus fabulam dedit. Censuram post XV.
annos gessit cum M. Junio Pera, lustrum
fecerunt XLII. Dictator fuit comitiorum
causa an. DXL. Magistrum equitum dixit Q.
Fulvium Flaccum. Appius Proprætore o-
vans ex Celtiberia reversus est an. DLXXIX.
III. Nerones duos consulares video, quorum
alter censuram, & ovationem obtinuit. Nam
C. Claudius TI. F. TI. N. Nero cos. fuit
cum M. Livio Salinatore II. an. DXLVI.
insignem victoriam ambo consules Asdru-
bale occiso de Pœneis obtinuerunt. de qui-
bus Salinator, in cujus provincia res gesta
est, triumphum egit; Nero majorem lau-
dis partem ovans tantum obtinuit. Censor
cum eodem Salinatore triennio post: lu-
strum fecerunt XLV. inimicitias se non de-
posuisse obstenderunt, notis collegæ unus-
quisque eorum notatus. Alter Nero fuit
Ti. Clodius P. F. TI. N. consul cum M.
Servilio Pulice Gemino an. DLI. His coss.
Scipio Africanus Hannibalem vicit, & finis
bello Punico secundo impositus. Cum hi
duo Nerones Tiberii nepotes à Verrio di-
cantur, & Ti. Nero Cæci filius fuerit,
verisimile est, hos pronepotes Appii Cæci
fuisse. *Neronem* lingua Sabina *fortem* signi-
ficari veteres testantur. ex hac stirpe pater
Tiberii Cæsaris Augusti, & pater Ti. Clau-
dii Augusti, qui Neronem adoptavit, fuit.
Præter jam dicta cognomina unum relictum
est patriciorum cognomen *Caudex*, quod
consularis vir, & ut quidam asserunt, tri-
umphalis Ap. Claudius C. F. AP. N. obti-
nuit initio primi belli Punici. Ejus colle-
ga fuit M. Fulvius Flaccus an. CDXXCIX.
insignem victoriam in Sicilia consecutus est.
Sed de triumpho relato varietas est inter
scriptores, & Verrius Flaccus in fastis o-
misit. Hunc fratrem fuisse AP. Cæci sunt
qui affirment, ego vel uterinum, vel con-
sobrinum esse crediderim potius, quàm ger-
manum. Plebejos Marcellos fuisse diximus,
sed clarissimos, & ornatissimos viros fuisse
constat. Novem enim viri obtinuerunt.
Dictaturam unam, consulatus XV. Censu-
ram unam, triumphos publicos IV. opima
spolia semel, ovationem unam, in monte
Albano semel. septem primi M. Marcelli
I. dicti sunt. Primus consul fuit cum C. Va-
lerio Potito Flacco an. CDXXII. Dictator
quadriennio post comitiorum caussa Magi-
strum equitum dixit SP. Postumium Regil-
lensem Albinum vitio facti abdicarunt. Al-
II. ter Marcellus cos. an. CCCCLXVI. cum C.
III. Nautio Rutilo. Tertius insignis vir, qui
primus post Cannensem pugnam Hanniba-
lem vicit, & quinquies consul fuit. Ante
secundum bellum Punicum cos. fuit cum
CN. Scipione Calvo ann. DXXXI. Kal.
Mart. triumphum egit de Galleis Insubri-
bus, & Germaneis, atque spolia opima re-
tulit duce hostium Virdumaro ad Clasti-
dium interfecto. II. consul suffectus fuit
L. Postumio Albino III. qui ante quàm
iniret, occisus est, sed vitio factus abdi-
cavit, & in ejus locum Q. Fabius Maxi-
mus Verrucosius III. cos. fuit cum Ti.
Sempronio Graccho. post pugnam Cannen-
sem anno primo, hoc est, an. urb. DXXXIX.

A Sed anno proximo cum eodem Q. Fabio IV.
ipse III. creatur. Triennio post captis Sy-
racusis in monte Albano II. triumphum
egit, atque ovationem III. Procos. Quar-
tum cos. fuit an. DXLIII. cum M. Valerio
Lævino II. in quinto consulatu, quem
cum T. Quinctio Crispino gessit biennio
post ab Hannibale occisus est. Quartus IV.
Marcellus cos. fuit an. DLVII. cum L. Fu-
rio Purpureone. triumphum egit de Co-
mensibus, & Insubribus IIII. Non. Mart.
Censor cum T. Quinctio Flaminino post
septem annos lustrum fecit XLVIII. Quin- V.
B tus cos. cum Q. Fabio Labeone an. DLXX.
Sextus vir insignis, qui ter consul fuit, VI.
& ter triumphalis. Hic nepos Marcelli
quinquies consulis fuit, de quo Asconius
ait, cum ad ædem Honoris, & Virtutis
suam, & patris, & avi statuas posuisset
subscripsisse, TRES. MARCELLI. NOVIES.
COS. In mari periisse Cicero auctor est. In
primo consulatu, quem gessit cum C. Sul-
pitio Gallo triumphavit de Galleis Contru-
beis, & Liguribus, Veleatibusque Idibus
intercalaribus ann. DXXCVII. Iterum cos.
fuit cum P. Scipione Nasica II. & de Li-
C guribus, & Veleatibus iterum post annos
XI. triumphavit. Tertium cos. fuit trien-
nio post cum L. Valerio Flacco, & pro-
cos. tertio triumphavit de Celtibereis an.
DCII. Septimus M. Marcellus M. F. M. N. VII.
cos. fuit cum Ser. Sulpicio Rufo jurisconsulto
sulto an. DCCII. Hic ille est, quem magnis
laudibus exornat Cicero, tum in *Bruto*,
tum in oratione *pro M. Marcello* inscripta,
qua gratias agit in Senatu Cæsari; quod se
facilem in restituendo eo præbuerit. Sed à
P. Magio Chilone in portu Attico interfe-
ctus est, ut ex Ser. Sulpitii litteris ad Ci-
D ceronem missis constat. Anno proximo C.
Marcellus C. F. M. N. frater patruelis su- VIII.
perioris cos. fuit cum L. Aimilio Paullo.
Hujus mater *Junia* dicebatur. Postremus IX.
cos. fuit anno sequenti, quo bellum civile
inter Cæsarem, & Pompejum exarsit C.
Marcellus M. F. M. N. Hic ultimi Marci
frater germanus, ejus collega fuit L. Cor-
nelius Lentulus Crus Flamen Martialis. Fe-
runt Octaviam majorem sororem Augusti C.
Marcelli uxorem fuisse, ex qua natus est il-
le Marcellus primus gener Augusti, quem
deflet Vergilius pulcherrimis versibus, &
E Marcellæ duæ, quarum alteram duxit M.
Agrippa, & postea Antonius M. Antonii
triumviri filius. Octavia mortuo C. Marcel-
lo nupsit M. Antonio Triumviro. Hunc
C. Marcellum eundem esse arbitrantur, quem
C. F. cos. fuisse diximus. A Marcellis Cor-
nelii Lentuli Marcellini originem ducunt
translato aliquo Marcello in Corneliorum
familiam: adoptione Plebejum fuisse C.
Claudium Caninam, qui bis consul, Cen-
sorius, & triumphalis fuit, collegæ patri-
cii indicant. ejus parentes ignoti, uno tan-
tum avo C. prænomine excepto. Prior con-
F sulatus cum M. Aimilio Lepido gestus est
anno CDLXIIX. Posterior cum C. Fabio
Dorsone post XII. annos. in eo triumphum
egit de Lucaneis, Samnitibus, Brutticis-
que Quirinalibus. Censor triennio post fuit
cum Ti. Coruncanio, lustrum fecerunt
XXXIV. Antiquissimus C. Claudius Cicero
Trib.

Trib. plebis anno CCXCIX. apud Livium lib. III. Ventum est ad Cæsaris, & Augusti tempora, quibus gens utraque Claudia patriciorum, & plebejorum Augusti affinitate locum suum tenuit. De plebejis Marcellis dictum est, de patriciis videamus. Etenim Livia Augusta, quæ etiam *Drusilla* dicta est Livii Drusi Claudiani filia origine gentis à Pulchris Claudiis genus duxit. virum habuit Ti. Claudium Neronem, virum Prætorium, qui partes Antonii adversus Augustum defendit. ex eo Ti. Neronem peperit, cumque prægnans esset, Augusto nupsit viro priori consentiente, tertioque post nuptias mense Neronem Claudium Drusum edidit. Tiberius in Juliam familiam adoptatus ab Augusto, translatus est, ejusque liberos in Julia referemus. Nero Drusus, qui etiam *Germanicus* dictus est, ex Antonia minore Germanicum & Ti. Cn. Drusum, qui postea *Ti. CL. Augustus Germanicus* appellatus est, procreavit, & Liviam, quam duxit Drusus Cæsar Ti. Cæsaris filius. Germanicus à Tiberio patruo adoptatus in Juliam familiam transfertur. De Tiberio Claudio postea dicemus.
Consulares Claudii hoc tempore fuerunt Ap.
I. Claudius C. F. Pulcher, qui an. DCCXV.
cos. fuit cum C. Norbano Flacco. M.
II. Claudius M. F. M. N. Marcellus Æserninus,
qui cos. fuit cum L. Arruncio an. DCCXXXI.
Idem, ut arbitror, est Magister XV. vir
sacris faciundis ludis sæcularibus quintis
post annos V. quamvis cognomen *Æser-*
III. *nini* taceatur. Ti. Claudius Ti. F. Nero
privignus Augusti ante adoptionem COS.
fuit an. DCCXL. cum P. Quinctilio Varo.
post quinquennium abjecto *Germanici* cognomine procos. ovans de Delmateis, Pannonicis, & Daceis. ex Illyrico. Iterum cos. fit proximo anno cum Cn. Pisone II. & in consulatu Kal. Jan. de Germaneis iterum triumphat. Proximo anno Tribuniciam potestatem in quinquennium accepit. triumphalia ornamenta bis assecutus est an. DCCXLII. & proximo anno. Anno deinde DCCLVI. V. Kal. Jul. adoptatus est ab Aug.
Cæs. Quartus consularis fuit Nero Cl. Dru-
IV. sus Germanicus frater superioris privignus
Augusti. Consul fuit ann. DCCXLIV. cum T. Quinctio Crispino, & in magistratu mortuus est. Triumphalia ornamenta assecutus est Prætor legatus Aug. an. DCCXLIII. Post obitum Augusti ante Ti. Claudii Aug. initium neminem Claudium consulem video, excepto ipso Ti. Claudio Drusi F. TI. N. Germanico, qui cos. fuit cum C. Julio Cæsare Aug. Germanico ex Kal. Juliis anno DCCXCIX. Ipse Tiberius Pont. Max. Trib. Potest. XVI. cos. V. Imp. XXVII. mortuus est. Triumphalia ornamenta acceperat anno DCCXCV. de Mauritaneis ex Africa. Huic sponsæ duæ, uxores quatuor collocatæ sigillatim sunt. Æmilia Lepida L. Paulli, & Juliæ filia, & Livia Medullina Camilla sponsæ, prima uxor Plautia Herculanilla triumphali patre nata, ex hac suscepit Drusum, & Claudiam. Secunda Ælia Pætia consularis filia, quæ ei Antoniam peperit, Cn. Pompeji Magni, & postea Fausti Sullæ uxorem. tertia Valeria Messallina Messallæ Barbati, qui consobrinus Ti. Cl. Imper. fuit filia. ex hac Octavia nata est, postea *Augusta* dicta uxor Neronis Imp. & Germanicus prius, postea *Britannicus* dictus. quarta Agrippina Augusta Germanici fratris, & Agrippinæ filia, quæ duobus antea viris nupserat Crispo Passieno, & Cn. Domitio Ahenobarbo, ex hoc Neronem susceperat. Hunc Neronem Tiberius ex Domitia familia in Claudiam adoptione transtulit, cum filium Britannicum haberet, & affirmaret neminem in Claudiam adoptatum. veneno ab uxore, eademque filia fratris divus factus est. veneno etiam Nero Britannicum sustulit. Drusus puer puerili joco se ipsum interemit, dum pirum in altum jactatum hianti ore excipit. Nero Claudius Cæsar Aug. Germanicus P. M. TR. POT. XIV. COS. V. Imp. III. occisus est. Inter Neronem, & D. Clodium Albinum, sive Severum Imp. hos consulares invenio. Sub Trajano Imp. tres consulatus Clodii Crispini, vel potius trium Crispinorum invenio. primo consulatu ex Kal. Jul. cum C. Julio Africano an. DCCCLX. Secundo post biennium cum Soleno Orfito. Tertio C. Clodius Crispinus post quadriennium à superiore cum L. Publilio Celso II. Post hos Ti. Claudius Ti. F. Fuscus Salinator collega fuit Hadriani Imp. in secundo consulatu an. DCCCLXX. Hic patricius fuit, & Serviani ter consulis filiam uxorem duxit, ex qua Fuscus natus est, quem cum avo suo Serviano Hadrianus interfecit. Ti. Claudius Atticus Herodes vir doctus Marci Imperatoris præceptor cos. fuit an. DCCCXCV. cum C. Bellicio Torquato sub Pio Antonino Imp. Post triennium Cn. Claudius Severus cos. fuit cum Sex. Erucio Claro II. Hic philosophus peripateticus Marci Imp. præceptor fuit. iterum cos. sub eodem Imp. an. DCCCXXVI. cum M. Aurelio Claudio Pompejano Antiocheno, cui nupta erat major Lucilla filia Marci Imp. Aute hunc annum Claudius Maximus vir doctus ejusdem Imp. præceptor cos. fuit cum Cornelio Scipione Orfito. D. Clodius Albinus occisis Commodo, Pertinace, & Juliano Imperator in Gallia appellatus est. Britannias tenuit, nam Septimius Severus ei *Cæsaris* nomen concessit. pecuniamque ea appellatione signari permisit. Sed occiso Pescennio Nigro in eum invectus est: & occidi curavit. Consul iterum fuit, & patricius ab Herodiano appellatur. *Septimii* nomen accepit, cum *Cæsar* appellatus est, quasi filius Severi esset. Ex hoc tempore usque ad Marcum Clodium Pupienum, qui cum D. Balbino Imperator factus est, hi consules fuerunt Claudii, vel Clodii. Primus Fl. Claudius Sulpitianus Pertinacis Imp. socer Præf. urbi, & cos. suf. ex Kal. Mart. cum L. Fabio Cilone Septimino an. DCCCCXLV. sub eodem Pertinace. Secundus Ap. Claudius Lateranus, qui cum M. Mario Titio Rufino post IV. annos à superiore cos. fuit sub Severo Imp. Tertius Ti. Claudius Severus, qui cum C. Aufidio Victorino triennio post superiorem cos. fuit sub eodem Severo, & Antonino Augg. Quartus, & quintus Claudius Julianus, & Clodius Crispinus, qui eodem anno sub Alex. Imp. cos. fuerant an. DCCCCXXVI.

Sequi-

Sequitur M. Clodius Pupienus Maximus, qui cum D. Cælio Balbino II. post triennium cos. fuit sub eodem Alex. & postea ambo collegæ *Augusti* appellati sunt, occisis duobus Gordianis Africanis, contra Maximinum Imp. Gordianusque nepos *Cæsar* appellatus est. Hic vir fortis fuit obscuro genere natus, patruus Pinarius Valens, pater Maximus faber ferrarius, aut rhedarius. Hi occiso à militibus Maximino, & filio, à Prætorianis occisi sunt. Eodem tempore cos. suffectus ex Kal. Septemb. fuit Ti. Claudius Julianus cum Celso Æliano an. DCCCCXXCIX. Sub Gallieno Imp. Claudius Censorinus *Augustus* appellatus in Italia est. Hic scurrarum adulatione *Claudius* appellatus est, bis consul, bis præfectus prætorio, ter præfectus urbi, quater proconsul, ter consularis fuit. Senex, & aliud agens in agro suo à militibus Imp. salutatus, ab eisdem ob severitatem disciplinæ occisus est. M. Aurelius Claudius Imp. quem etiam Flavium Trebellius Pollio appellat, fratres habuit Quinctillum, & Crispum. Crispi filia Claudia uxor Eutropii nobilissimi Dardanorum, ex quibus Constantius major natus est. Ipse Claudius post Gallienum Pont. Max. Trib. Pot. II. cos. II. mortuus est, frater Aurel. CL. Quinctillus Imp. dies XVII. superstes occisus est. Claudius in Divos relatus auctor generis Constantini, ob quem Flavii multi ex eis dicuntur, ac posteriores omnes Imperatores. Ante hunc Imp. Gallieni fratrem Claudium Valerianum Cæsarem appellatum fuisse animadverti. M. Claudius Tacitus sub Imp. Aureliano cos. fuit cum M. Mæcio Memmio Furio Placido an. CIↃXXV. sed biennio post occiso Aureliano successor fuit, & COS. II. Augustus menses sex, dies XX. Post quem frater Florianus menses duos, dies XX. Hunc M. Annium Florianum in assibus video signatum. quidam *M. Annium CL.* appellaverunt. Ab his ad FL. CL. Julianum neminem, aut Imp. aut cos. invenio. Hic sub Imp. FL. Jul. Constantio ter consul fuit ejus collega in VIII. IX. & X. consulatu, & ab eodem *Cæsar* appellatus occiso Constantio Gallo Cæsare Juliani. fratre. qui ambo fratres patrueles Constantii Imp. fuerunt, nati Constantio patre, qui frater germanus fuit Constantini Maximi Imp. Mortuo Constantio Julianus imperavit annos duos, consulque quater factus est. Post hunc Imp. consulares tres video Clodios, vel Claudios. Primus fuit Q. Clodius Hermogenianus Olybrius, qui cum D. Ausonio Magno Pœonio Gallo poëta cos. fuit an. CIↃCXXX. sub Valente, Gratiano, & Valentiniano Impp. in occidente. Alter Clodius Adelphius, qui cum Imp. FL. Marciano cos. fuit an. urbis CIↃCCIII. Christi CCCCLI. Tertius CL. Julius Ædesius Dynamius, qui cum FL. Sifidio cos. fuit an. Christi CCCCXXCIIX. sub Zenone Imperatore.

CORNELIA.

CORNELIA gens patricia in alias, atque alias stirpes derivata multos insignes
A viros, & omni honorum genere ornatos habuit. Plebeji vix aliquo numero fuerunt.
Quod in multis familiis aliter evenit. Præcipui patricii in tres quatuorve stirpes di-
rimi possunt: Cossorum, qui etiam *Ma-
luginenses*, & aliqui *Rutili*, aut *Arvinæ*
appellantur, & Scipionum, qui alia etiam
cognomina acceperunt, ut Asinæ, Calvi,
Nasicæ, Africani: necnon Lentulorum,
qui plura aliis cognomina sumpserunt. Ad-
dentur his, qui propter paucos consulares
viros non ita nobiles sunt: ut Rufini, Sul-
læ, Dolabellæ, Merulæ, Cethegi. Cossi vi-
B ginti consecuti sunt Pontificatum Maximum
semel, opima spolia semel, dictaturas tres,
censuras duas, triumphos tres, decemvira-
tum legibus scribendis bis, consulatus de-
cem, tribunatus militares consulari potesta-
te duos, & viginti, magisteria equitum
quatuor. Primus Ser. Cornelius L. F. Ma- I.
luginensis Cossus cos. fuit cum Q. Fabio
Vibulano an. CCLXVIII. Hujus filius esse II.
creditur L. Maluginensis Cossus SER. F. L.
N. qui cos. fuit cum alio Q. Fabio Vibu-
lano III. an. CCXCIV. Lustrum fecerunt X.
nondum enim Censores creati erant. Hoc
C verò fuit postremum consulum lustrum. In
hoc consulatu ambo consules triumpharunt,
Fabius de Æqueis Non. Maji, Cossus de
Volsceis Antiatib. IV. Id. Maji. Hujus frater
M. Cornelius Decemvir legibus scribendis III.
an. CCCIII. & CCCIV. Hic cum cæteris
duodecim tabularum leges conscripsit, &
coactus est abdicare, quod imperio abu-
terentur. Secutus est alter M. Cornelius, IV.
quem quidam superioris filium existimant.
Cos. fuit cum L. Papirio Crasso an. CCC-
XVII. Post hunc A. Cossus superioris, V.
ut creditur, frater, insignis vir Pontifex
D Max. an. CCCXXII. Cos. cum T. Quinctio
Cincinnato II. triennio post triumphum
egit de Vejentibus, & spolia opima tulit
post Romulum primus hostium duce Lar-
te Tolumnio rege interfecto. Incertum
tamen est an cos. vel Dict. vel Mag. eq.
ea tulerit. Tribunus militum fuit post bien-
nium, & eodem anno Mag. equitum Ma-
merco Aimilio Mamercino III. Dictatore
rei gerundæ caussa. Paullo post A. Cossus
Dictator seditionis sedandæ, & rei gerun-
dæ caussa reperitur an. CCCLXIIX. cum de
M. Manlii Capitolini seditione ageretur,
E quem eundem esse cum superiore non vide-
tur verisimile. Sextus P. Cossus Tribu- VI.
nus mil. fuit an. CCCXXXIIX. Hunc Ver-
rius P. N. appellat. Proximo anno Trib.
mil. CN. Cossus, cujus parentes ignorantur. VII.
Iterum post decennium creatus est cum P.
Maluginense. Octavus M. Cornelius Cossus VIII.
cos. fuit cum L. Furio Medullino anno
CCCXL. Nonus CN. Cossus, quem quidam IX.
A. F. M. N. vocant, cos. fuit cum eodem L.
Furio Medullino II. Trib. mil. fuit trien-
nio post consulatum cum P. Rutilo Cosso.
Iterum deinde Tribunus an. CCCLII. De- X.
F cimus P. Cossus A. F. M. N. superioris fortas-
se frater Trib. mil. fuit an. CCCXLV. Alter P. XI.
Cornelius M. F. L. N. *Rutilus Cossus* appel-
latur à Verrio Flacco, qui eodem anno
Dictator fuit rei gerundæ caussa Mag. equit.
dixit C. Servilium Ahalam. Tribunus mi-
litum fuit biennio post cum CN. Cosso,

xii. ut antea diximus. Duodecimus est P. Cor-
nelius Maluginensis, qui Trib. mil. fuit
cum Cn. Cosso ii. an. cccxlix. Ite-
rum verò post septem annos, sed vitio fa-
ctus cum aliis quinque abdicavit. Ter-
xiii. tiusdecimus P. Cossus, qui cum P. Corne-
lio Scipione, & aliis quatuor Trib. milit.
fuit an. ccclIIX. Quartusdecimus M.
xiiii. Cornelius Maluginensis triennio post cen-
sor suffectus C. Julio Julo mortuo, collega
eorum fuit L. Papirius Cursor. lustrum fece-
runt xvii. Sub eo lustro urbs capta est à
Gallis. Quamobrem, ne quis Censori mor-
tuo sufficeretur, decretum est. Sequitur
xv. Ser. Maluginensis, qui septies Trib. mil.
fuit, quod paucis accidit. Hic M. F. à qui-
busdam appellatur parum certis conjecturis.
Anno urbis captæ, hoc est, ccclxiii.
Tribun. militum fuit, iterum quadriennio
post, iii. an. ccclxix. quarto post bien-
nium, v. item post biennium, hoc est, uno
solo interjecto, in quo privatus fuit. Sex-
tùm Tribunus fuit an. ccclxxii. bien-
nio post vii. His temporibus victis
Gallis magnæ seditiones ortæ sunt de con-
sule altero plebejo creando, ob quas Tri-
buni plebis sine curuli magistratu popu-
larem statum quinquennio rexerunt. Sex-
xvi. tusdecimus M. Maluginensis superioris, ut
xvii. putant, frater bis Tribunus Militum fuit
cum A. Cornelio Cosso an. ccclxxiii.
& triennio post. Post hos duos, inve-
xiix. nio Ser. Cornelium Maluginensem, quem
M. N. appellat Verrius Magistrum equi-
tum fuisse T. Quinctio Capitolino Cri-
spino Dictatore rei gerundæ caussa anno
ccclxxii. Hunc suspicantur Servii sep-
ties Tribuni filium. Sequuntur Arvinæ
xix. duo, quorum alter Magister eq. bis, con-
sul bis, dictator, & triumphalis, alter
xx. consul bis, & censor fuerunt. Prior A.
Cornelius P. F. A. N. Cossus Arvina Magi-
ster equitum fuit T. Manlio Imperioso Tor-
quato an. cd. Dictatore rei gerundæ caussa.
Iterum eodem Dictatore post quadrienni-
um comitiorum caussa. Consul fuit anno
cdx. cum M. Valerio Corvo iii. Ambo
de Samnitibus triumpharunt, Corvus x.
Kal. Octob. Arvina viiii. Kal. Iterum
consul fuit cum Cn. Domitio Calvino an.
cdxxi. Dictator decennio post ludorum
Romanorum, & rei gerundæ caussa. Non
desunt scriptores, qui Dictatorem trium-
phasse affirment, sed Verrius in his non est,
quem sequimur. Hujus filius P. Arvina
A. F. P. N. cos. fuit cum Q. Marcio Tre-
mulo an. cdxlvii. Censor post xii.
annos cum C. Marcio Rutilo Censorino. lu-
strum fecerunt xxx. Iterum cos. cum Q.
Marcio collega an. cdlxv. Cossos *rugosos*
dictos Festus ait à vermibus ejusdem nomi-
nis, qui ligni materiam edunt, ab hoc cog-
nomine credo *Cornelios* dici, non à cornu,
vel corno: ut à Clauso *Claudii*, à Vole-
so *Valerii*, à Fuso *Furii*, qui antea *Fusii*
dicti sunt.

Scipionum gentem Africani duo nobi-
ii. lem alioqui, multo cæteris illustriorem red-
diderunt. De his ita agendum videtur,
ut prius eos, qui ante Africanum majorem
Scipiones magistratus majores, aut honores
consecuti sunt, enumeremus, postea de

A Africano, & aliis tractemus. Undecim inve-
nio ante Africanum consecutos fuisse Pon-
tificatum Max. duos Dictaturam unam,
Triumphos tres, Censuram unam, Con-
sulatus novem, Tribunatus consulari po-
testate duos, Magisteria equitum tria. Pri- i.
mus P. Cornelius an. ccclvii. Magister
equitum fuit M. Furio Camillo Dictatori
rei gerundæ caussa, à quo Veji capti sunt,
& de Ieis triumphavit. Anno proximo
Trib. Militum factus est, & iterum con-
tinuato in alterum annum magistratu. Inter-
rex biennio post fuit. Hujus filius Publius ii.
B Scipio primus Ædilis curulis fuit an. ccc-
xxcvii. & Magister equitum L. Furio M. F.
Camillo Dictatori comitiorum caussa anno
cdiii. Ejus fortasse frater L. Scipio eodem iii.
an. cos. fuit cum M. Popillio Lænate iii.
Magister etiam equitum fuerat Ap. Clau-
dio Crassino Regillensi Dictatore rei gerun-
dæ caussa an. ccxci. Quartus est P. Sci- iv.
pio Scapula Pontif. Max. an. cdxxi. quadri-
ennio post cos. cum C. Plautio Proculo.
Hunc sequitur P. Scipio Barbatus, qui Di- v.
ctator fuit comitiorum caussa Mag. equit.
dixit P. Decium Murem an. cdlxvii. bien-
C nio post Pont. Max. fuit. Post hos L. Sci- vi.
pio cos. fuit an. cdlv. cum Cn. Fulvio
Max. Centumalo. Hunc Cn. F. quidam
fuisse suspicantur. Septimus Cn. Cornelius vii.
L. F. Cn. N. Scipio Asina cos. fuit cum C.
Duilio anno quinto primi belli Punici,
hoc est, anno urbis cdxciii. Iterum cos.
post sex annos cum A. Atilio Calatino ii.
an. proximo triumphum egit Procos. de
Pœnis x. Kal. April. quorum omnium
Verrius in fastis testis est. Censor fuit cum
eodem C. Duilio an. cdxcv. lustrum xxxvi.
fecerunt. Hujus filius P. Scipio Asina cos. viii.
D fuit cum M. Minucio Rufo an. dxxxii.
& triumphum egit de Istreis. *Asina* cog-
nomen cur primo ex hac familia hæserit,
docet Macrobius in *Saturnalibus*. Patruus
superioris esse potest L. Scipio L. F. Cn. ix.
N. qui cos. fuit anno proximo post Asinæ,
& Duilii consulatum, teste Verrio. Cu-
jus collega fuit C. Aquilius Florus. tri-
umphum egit de Pœnis, Sardinia, &
Corsica v. Id. Mart. Hic Africani avus
fuit, cujus filii duo fuerunt Cn. Scipio x.
Calvus pater Nasicæ, & P. Scipio pater
Africani, & Asiatici. Cn. Calvus cos.
E fuit cum M. Marcello, qui opima tulit
an. dxxxi. P. Scipio cos. fuit quadrien- xi.
nio post cum Ti. Sempronio Longo anno
primo belli Punici secundi. Ambo fratres
in Hispania occisi sunt Proconsules. Ven-
tum est ad P. Cornelium Scipionem Afri-
canum, qui bis consularis, & censorius,
ac triumphalis ter princeps senatus, fra-
trem habuit consularem & triumphalem,
nepotem verò filii adoptione bis consularem,
bis triumphalem, & censorium & Augu-
rem, ex fratris liberis unus consularis fuit.
Scipiones Nasicæ patruo Africani orti ob-
F tinuerunt Pontificatus Maximos duos, tri-
umphos duos, principes senatus lecti sunt
bis, censor unus, consules quinque fuerunt,
unus vir optimus, quod cæteris honori-
bus majus est, omnium consensu judica-
tus. Africanus matre natus est Pomponia,
quam ferunt pariendo, aut paullo post mor-
tuam.

tiam. quamvis Polybio adſcribuntur frag- A
menta hiſtoriarum, in quibus Lucius, qui
poſtea *Aſiaticus* appellatus eſt, frater ma-
jor Africano dicitur, cum peteret Ædilita-
tem, Africanum habuiſſe competitorem
matre conſentiente, & ambos deſignatos
Ædiles curules. Patrem conſulem ſervaſſe
dicitur in prælio ſaucium annos natus XVII.
In Hiſpaniam profectus eſt an. XXIV. con-
ſulatum priorem geſſit cum P. Licinio Craſ-
ſo Divite Pont. Max. an. DXLIIX. Poſt qua-
driennium de Hannibale, & Syphaſe Nu-
midarum rege ex Africa Procos. trium-
phavit. Iterum cos. cum Ti. Sempronio B
Longo an. DLIX. Quadriennio poſt L. Sci-
pio Africani frater cos. cum C. Lælio fuit,
legatus fratris Africanus in Aſiam profectus
eſt, ex ea de Rege Antiocho Syriæ Procos.
L. Aſiaticus anno proximo triumphavit.
pro Aſiatico *Aſiagetem* exiſtimo initio in
Græcia dictum. cujus nominis extant ve-
ſtigia in nummis, & in veteribus libris Li-
vianis, & in carmine Sidonii Apollinaris.
Cenſor Africanus fuit cum P. Ailio Paito an.
DLIV. luſtrum fecerunt XLVI. Ter Prin-
ceps ſenatus lectus eſt luſtro XLVII. XLVIII.
& XLIX. nova ratione electus, non quia an- C
tiquior cenſorius eſſet, ſed quia dignior.
Uxorem habuit Tertiam Æmiliam L. Ai-
milii Paulli bis conſulis, & triumphalis,
qui in Cannenſi prælio obiit, filiam ex qua
filios duos, filias totidem procreavit. Major
Cornelia P. Naſicæ viro optimo, aut viri op-
timi filio nupſit: Minor Ti. Sempronio
Graccho bis conſuli, & Cenſorio. ex his na-
ti ſunt Ti. Gracch. & C. Gracc. ambo Tri-
buni plebis, ac diſertiſſimi, ſed ab optimati-
bus occiſi. Horum ſoror Sempronia Africani
minoris uxor fuit. CN. & Publius, Africani
filii ſine liberis deceſſerunt. Publius tamen D
Prætorius fuit & L. Paulli, qui ter trium-
phavit, & bis cos. fuit & cenſor, filium
in adoptionem accepit. Erat autem Paullus
frater Æmiliæ uxoris Africani. Cujus uxor
Papiria C. Maſonis Conſularis, & trium-
phalis viri filia fuit. Ex adoptione P. Cor-
nelius P. F. *Scipio Æmilianus* appellatus
eſt, qui poſtea *minor Africanus* dictus. Hic
cos. fuit an. DCVI. cum C. Livio Druſo.
Procos. anno proximo de Pœnis, & Aſ-
drubale ex Africa triumphum egit, everſa
Carthagine. Cenſor fuit cum L. Mummio
Achaico poſt quadriennium. Luſtrum fece- E
runt LVII. Iterum cos. fuit an. DCXIX.
cum C. Fulvio Flacco. Procos. iterum tri-
umphavit biennio poſt de Numantineis ex
Hiſpania Citeriore. Obſcurum exitum vitæ
uterque Africanus habuit, major exul vo-
luntarius Literni, minor Romæ, ut credi-
tum eſt, à C. Carbone ſuffocatus. Ex libe-
ris fratris Africani majoris unicum nomen in
faſtis reperitur. L. Agatici, qui cos. fuit
an. DCLXX. cum C. Norbano Flacco. Is
L. F. L. N. appellatur à Verrio. Capitolium
eo anno conflagravit. Hujus filiam duxit P.
Sextius P. F. qui TR. PL. Ciceronis partes F
defendit, & ab eodem judicio de vi defenſus
eſt. extatque oratio, quæ inſcribitur *pro P.
Sextio*, in qua ad exulem L. Scipionem
ſocerum Malliliam uxorem deduxiſſe re-
fert. Sextii mater Poſtumia C. Albini filia
fuit. Nunc Scipiones Naſicas perſequamur;

omnes eiſdem prænominibus uſos vide-
mus. Primus P. Cornelius CN. Calvi fili- I.
us vir optimus appellatus eſt admodum a-
doleſcens nondum Quæſtor, ut Peſſinun-
tiæ deæ hoſpes eſſet. cos. fuit anno primo
belli Antiochini, hoc eſt, anno DLXII.
cum M. Acilio Glabrione. De Bojeis Gal-
leis triumphavit in conſulatu. Sunt qui
hunc Pontificem Max. fuiſſe dicant an. DCIII.
ſed id de filio Naſica dictum ratio tempo-
rum expoſcit, ut probabilius judicemus.
Alter Naſica, qui à quibuſdam *Corculum* II.
appellatur, fratrem habuiſſe dicitur Mar-
cum. Cos. deſignatus eſt cum C. Marcio
Figulo an. DXCI. ſed vitio facti abdicarunt,
in eorum locum facti ſunt P. Cornelius Len-
tulus, & CN. Domitius Ahenobarbus. Poſt
ſeptem annos II. cos. cum M. Claudio
Marcello II. de Delmateis triumphum
egit. Cenſor fuit an. DXCIV. cum M. Po-
pillio Lænate. Luſtrum fecerunt LIV.
Princeps ſenatus duobus luſtris lectus eſt,
luſtro LVI. & LVII. Tertius *Serapion* ob III.
ſimilitudinem formæ cujuſdam victimarii
appellatus eſt. conſul fuit an. DCXV. cum D.
Junio Bruto Callaico. Pontifex Max. quin-
quennio poſt. Ti. Gracchum propinquum
ſuum, & Tribunum plebis, ut ſeditio-
ſum privato conſilio interfecit. Quartus Na- IV.
ſica cos. fuit anno primo belli Jugurthini cum
L. Calpurnio Beſtia; hoc eſt, an. DCXLII.
In conſulatu mortuus eſt. Hic Serapionis
filius Corculi nepos, viri optimi pronepos
fuit. Filium conſularem non habuit. Uxor
ejus Cæcilia Q. Metelli Macedonici filia.
Filius Liciniam duxit L. Craſſi oratoris
conſularis, & Cenſorii filiam, & Muciæ
Q. Scævulæ Auguris, & Læliæ filiæ. His
parentibus ortus eſt P. Cornelius *Naſica*
poſtea dictus Q. Metellus Pius Scipio, à
Q. Cæcilio Metello Pio adoptatus. cujus
frater à L. Craſſo avo adoptatus eſt. Uxor
Scipionis Metelli fuit Lepida, quam ſpon-
ſam dimiſit, ſed cum ea M. Catoni promiſſa
fuiſſet, recuperavit. Quod iniquo animo
tulit Cato, & Jambicis verſibus in eum in-
vectus eſt. Filia Cornelia P. Craſſi M. F. à
Parthis cum patre interempti, & poſtea CN.
Pompeji Magni uxor. Addatur ſuperiori-
bus CN. Scipio Hiſpallus L. F. L. N. qui cos.
fuit an. DLXXVII. cum Q. Petillio Spurino.
Ambo conſules in magiſtratu mortui ſunt.
Scipionis nomine baculum ſignificari Plau-
tus docet. in hanc familiam id cognomen
veniſſe ferunt, quod ſenex cæcutiens, aut
infirmus pro baculo uteretur filio.

Vidimus Coſſorum, & Scipionum ſtir-
pes: nunc Lentulorum perſequamur. His III.
varia cognomina adduntur, *Caudinus*, *Lu-
pus*, *Sura*, *Spinther*, *Marcellinus*, & ſi
qua alia ſunt. Sexdecim Lentulos invenio
conſecutos fuiſſe Pontificatum Maximum,
& Dictaturam ſemel, cenſuras quatuor,
triumphos duos, ovationes duas, princi-
patum ſenatus bis, conſulatus ſexdecim. Pri- I.
mus L. Lentulus cos. fuit cum Q. Publi-
lio Philone II. an. CDXXVI. Dictator fuit
poſt annos ſeptem rei gerundæ cauſſa. Alter II.
eſt Ser. Lentulus CN. F. CN. N. ut Verrin pla-
cet. cos. fuit an. CDL. cum L. Genucio Aven-
tinenſi. Tertius L. Lentulus Ti. F. Ser. N. III.
cos. an. CCCCLXXIIX. cum Manio Curio

Dentato III. triumphum egit de Samni-
IV. tibus, & Lucancis Kal. Mart. Quartus L.
Lentulus Caudinus superioris filius cos.
cum Q. Fulvio Flacco an. DXVI. Censor
anno proximo cum Q. Lutatio Cercone,
qui in magistratu mortuus est, & Lentulus
abdicavit. Pontifex Max. fuit ann. DXXXII.
post L. Metellum. Hujus frater P. Lentu-
V. lus Caudinus L. F. Ti. N. cos. fuit cum C.
Licinio Varo. Successor fratris fuit in con-
sulatu. quo anno Ludi seculares tertii facti
sunt. Caudinus de Liguribus Idibus inter-
VI. cal. triumphavit. Post hunc CN. Lentulus
L. F. L. N. cos. fuit cum P. Ailio Paito
an. DLII. Procos. ovans reversus est ex Hi-
VII. spania Citeriore post quinquennium. Hujus
frater L. Lentulus Procos. ovans ex Hispa-
nia an. DLIII. & anno proximo cos. fuit
VIII. cum P. Villio Tappulo. Octavus P. Len-
tulus L. F. L. N. superioris filius, ut credi-
tur, cos. suffectus fuit cum CN. Domitio
Ahenobarbo in locum P. Cornelii Scipio-
nis Nasicæ Optimi filii, & C. Marcii Fi-
guli, qui vitio facti abdicarunt an. DCXI.
Censor fuit, ut quibusdam placet, an.
DCXV. cum AP. Claudio Pulchro. Lustrum
non fecerunt. Princeps senatus lustro LIX.
& LX. lectus est. Avus hic P. Suræ fuit,
ut ex Cicerone didicimus. Nonus L. Len-
IX. tulus Lupus CN. F. L. N. ut Verrius testa-
tur, cos. fuit cum C. Marcio Figulo an.
DXCVII. Censor cum L. Marcio Censorino
post novem annos fuit. Hic ille Lupus est,
ut arbitror, quem Lucilius vexat. qui eis-
dem temporibus fuit, eundemque post con-
sulatum damnatum fuisse lege Cæcilia repe-
tundarum, ac postea Censorem fuisse Val.
X. Max. lib. VI. c. XI. scribit. Post hunc fra-
ter hujus CN. Lentulus cos. fuit cum L.
XI. Mummio anno DCVII. Undecimus alter
CN. Lentulus, cujus parentes ignoramus,
cos. fuit an. DCLVI. cum P. Licinio Crasso.
XII. Duodecimus CN. Lentulus CN. F. Clodia-
nus cos. fuit cum L. Gellio Poplicola an.
DCXXCI. Iidem Censores fuerunt post bien-
nium. lustrum fecerunt LXIIX. Hic Len-
tulus ex cognomine videtur à Clodia in Cor-
neliam familiam adoptione transiisse, cujus
rei incerta historia est. nisi fortè primus
XIII. Marcellinorum sit. Tertiusdecimus P. Len-
tulus Sura P. F. P. N. cos. fuit anno pro-
ximo post superioris consulatum, cum CN.
Aufidio Oreste. Hujus pater naturalis Ma-
nius Aquillius vir consularis, & triumpha-
lis fuit, quem M. Antonius orator defendit,
à P. Lentulo Publii principis senatus filio
adoptatus P. Cornelii Lentuli nomen acce-
pit. *Sura* dictus est, quod Quæsturæ pe-
cunia interversa, cum rogaretur à L. Sulla,
cujus Quæstor erat, *quam esset rationem red-
diturus*, *præbebo*, inquit, *Suram*. illic enim
pueri, & tyrones peccantes percuti solebant.
Id significat, qui dixit,

*Ferimur, inque vicem præbemus crura sa-
gittis.*

Hic post consulatum senatu motus à Cen-
soribus iterum magistratus eosdem obtinuit,
& Prætor iterum fuit consule Cicerone,
& in conjuratione Catilinæ, cum C. Ce-
thego, & Publio, ac Servio Sullis Servii fi-
liis, qui omnes Senatorii ordinis Cornelii
fuerunt, & equestris ordinis C. Corne-

A lius fuit. detecta conjuratione coactus ab-
dicare se Prætura interfectus est. Uxor Su-
ræ Julia mater M. Antonii Triumviri, so-
ror L. Cæsaris consulis an. DCXXCIX. cui
successit M. Tullius Cicero cos. Quartus- XIIII.
decimus P. Cornelius P. F. Lentulus Spin-
ther cos. fuit cum Q. Cæcilio Metello Ne-
pote. sexto anno post Ciceronis consula-
tum, quo anno ipse Cicero ab exilio re-
vocatus est. Cognomen Lentulus ab Spin-
there histrione, cui erat simillimus, acce-
pit, ut Valerius Maximus, & Plinius re-
tulerunt. Procos. ex Cilicia triumphum egit
B an. DCCII. Sequitur CN. Lentulus Marcelli- XV.
nus P. F. cos. fuit cum L. Marcio Philippo
anno proximo post superioris consulatum.
Cicero in *Bruto* auctor est M. Marcellum
veterem duorum filiorum patrem fuisse,
quorum alter *Marcellus Æserninus*, alter *P.
Lentulus Marcellinus* appellatus sit. Ab hoc
Marcellini originem duxere, ex quibus
hic primus consularis fuit. Postremus L. XVI.
Lentulus Crus P. F. Flamen Martialis, qui
ultimo anno libertatis reip. Rom. cos. fuit
cum C. Marcello M. F. qui fuit urbis an-
nus DCCIV. Huic uxorem fuisse Publiciam,
C socrum Semproniam invenio. Alios Lentu-
los consulares, qui sub Augusto vixerunt po-
stea referemus.

Quartus hic locus postulat, ut de aliis IV.
Corneliis dicamus, qui cognominibus à
superioribus Cossis, Scipionibus, & Len-
tulis distinguuntur, ut Rufini, Sullæ, Ce-
thegi, &c. Rufini duos habuerunt Dicta-
torios, alterum bis Consularem, & Trium-
phalem. Nam. P. Cornelius Rufinus Dicta-
tor rei gerundæ caussa dictus an. CDXIX. M.
Antonium Magistrum equitum dixit. sed
ambo vitio creati abdicarunt. Alter ejusdem
D nominis superioris filius fortasse, cos. fuit
cum M. Curio Dentato an. CDLXIII. Am-
bo consules de Samnitibus triumpharunt.
Iterum cos. post annos XIII. cum C. Ju-
nio Bubulco Bruto II. Dictator anno pro-
ximo, sive quo alio. res enim obscura est.
Hic tamen fortissimus, ornatissimusque vir
à C. Fabricio, & Q. Aimilio Papo Cen-
soribus senatu motus est, quod decem ar-
genti facti pondo haberet. furacem fuisse
jocus ille ejusdem Fabricii in eum dictus
ostendit apud Ciceronem; cum is gratias
ageret, quod cum consulem fecisset bello
E præsertim magno, & gravi; *malui*, inquit,
compilari, *quam venire*, *non est*, *quod gra-
tias agas*. Ab hoc ortus est L. Cornelius Sul-
la, qui Sextus ab illo dicitur fuisse. cog-
nomen mutasse majores dicuntur ob libros
Sibyllinos, quibus interpretandis unus ma-
jorum præfuit, Decemvir sacris faciundis.
ab eo munere *Sibylla*, vel *Sibulla*, postea
Sulla, vel *Sylla* dictus est. quamvis aliqui,
quod flavo, comptoque capillo fuerit, ita
appellatum asserant. P. Cornelius is diceba-
tur, Flamenque Dialis fuit, ut apud Gel-
lium L. Sullam libro *rerum gestarum* secun-
F do scripsisse invenio. Duos solos consulares
invenio Sullas, quorum alter cos. desig-
natus ambitus damnatus est, alter Sulla Fe-
lix, qui Dictator, bis consul, ac triumpha-
lis fuit. Vir fortis, sed tyrannus, & sanguina-
rius. L. F. P. N. à Verrio appellatur. Quæstor
C. Mario consuli Jugurthino in bello fuit;
cum-

cumque Jugurtha deditionem feciſſet, à Sulla Mario datus eſt; quam ſpeciem in anulis, & nummis exprimendam curavit. unde initium partium, & multorum malorum ſeminarium exortum eſt. Tribus tamen trophæis poſtea uſum, quod etiam Pompejo Magno placuit, Dion refert. Conſul cum Q. Pompejo Ruſo genero patre fuit anno DCLXV. cum bellum Mithridaticum ſuſcepiſſet, contentione orta inter C. Cæſarem L. F. Strabonem, & P. Sulpicium adoleſcentes diſertos, provincia conſularis C. Mario ex lege Sulpicii tribuitur. Hinc maximum ortum inter Marianos, & Sullanos bellum civile. Victor Sulla in Aſiam profectus eſt. Ubi fortem ſe, atque felicem multis, magniſque rebus geſtis oſtendit. Inde reverſus Samnites ad internecionem delevit, Marianos occidendos, proſcribendoſque curavit. Dictator ab Interrege L. Valerio Flacco Reip. conſtituendæ longo intervallo Dictaturæ nomine inaudito, dictus eſt ann. DCLXXI. anno proximo triumphum per biduum egit ex Græcia, Aſia, Ponto, & rege Mithridate IV. & III. Kal. Febr. In ſequentem annum cos. deſignatus eſt cum Q. Cæcilio Metello Pio. Altero poſt conſulatum anno ſe Dictatura abdicavit: quod C. Cæſar reprehendere ſolebat, ac dicere cum *magiſtrum populi*, ſic enim veteres Dictatorem appellabant, litteras neſciſſe. non quod Sulla indoctus eſſet, ſed quod tyrannorum jura, ſive artem tyrannidis retinendæ, quas litteras reconditas appellabat, ignoraret. In quibus illud erat ex Euripide, *Si violandum jus eſt, regnandi cauſſa*, &c. in quo Cæſar à Cicerone jure notatur. Uxores L. Sullæ quinque fuerunt, Ilia prima, ex qua filiam ſuſcepit; Ælia ſecunda; tertia Coelia, quam ut ſterilem repudiavit; quarta Cæcilia L. Metelli Delmatici filia, quæ parum pudica credita eſt, geminorum Fauſti, & Fauſtæ mater. hæc prius M. Æmilio Scauro principi Senatus nupſerat, ex qua filium, & filiam ſuſceperat. Quinta uxor Valeria Meſſallæ filia Q. Hortenſii ſoror, ex qua Poſtuma nata eſt. Fauſtus Pompejam CN. Magni filiam duxit, Fauſta nupſit T. Annio Miloni, cum qua C. Salluſtius Criſpus hiſtoricus deprehenſus loris cæſus eſt, altera Fauſta, ſive eadem nupſit C. Memmio, ex qua C. Memmius natus eſt, & ab eo repudiata nupſit C. Apronio Limoni. Alia Sullæ filia nupſit Q. Pompejo Ruſo, Q. Rufi, de quo ſupra diximus, filio, ex qua Q. Rufus TR. PL. & Pompeja C. Cæſaris Dictatoris uxor, quam P. Clodius adamavit, procreati ſunt. Alter Sulla conſul deſignatus P. Cornelius Ser. F. L. N. appellatus, filius fratris Felicis Dictatoris cum L. Autronio Pæto damnatus eſt ambitus. in eorum locum accuſatores ſucceſſerunt, L. Aurelius Cotta, L. Manlius Torquatus an. DCXXCIIX. Hunc defendit Cicero in oratione, quæ *pro P. Sulla* inſcribitur. Accuſabat L. Torquatus Lucii, de quo dictum eſt, filius Sullam cum Autronio, & Catilina conjuraſſe. cum in conjuratis cum fratre Servio nominat Criſpus Salluſtius, Cicero negat ullam unquam de eo ſuſpicionem habuiſſe: ſed vixiſſe Neapoli otioſum. Sullas ſequantur Cethegi, ex quibus quatuor conſulares, totidem conſulatus, cenſuras duas, duos etiam triumphos obtinuerunt. Primus M. Cethegus M. F. M. N. cum P. Sempronio Tuditano Cenſor fuit an. DXLIV. luſtrum fecerunt XLIV. cum neuter conſul fuiſſet. Nam conſules fuerunt quadriennio poſt. Hic *ſuaviloquens* appellatur ab Ennio. Alter C. Cethegus L. F. M. N. cos. fuit cum Q. Minucio Ruſo an. DLVI. triumphum egit de Inſubribus, & Coenomaneis Galleis. Cenſor triennio poſt fuit cum Sex. Ailio Pæto Cato. luſtrum fecerunt XLVII. Tertius P. Cethegus L. F. P. N. cos. fuit cum M. Bæbio Tamphilo an. DLXXII. anno proximo Procos. triumphavit de Liguribus. Quartus M. Cornelius C. F. C. N. Cethegus cos. fuit cum L. Anicio Gallo anno DXCIII. Si quis horum parentes conjungere velit, quos M. Verrius Flaccus diligenter enumerat, vix ullam propinquitatem eliciat exceptis duobus prioribus, quos fratres patrueles eſſe idem prænomen avi oſtendit. Quartus ſecundo conjungetur, ſi ejus nepotem fuiſſe credideris. Ita fiet, ut Marcus ſit pater Marci, & Lucii, ſecundus Marcus pater Marci Cenſ. & cos. Lucius verò pater Caji conſularis, hic Cajus Caji pater ſit, & Caji conſularis avus. Si tertium addere velis, fingendus eſt aliquis ex parentibus Marci Cenſorii habuiſſe etiam Publilium filium, qui pater Lucii fuerit, Lucium Publii conſularis patrem.

De Merulis pauca dicenda, duos enim ſolos conſulares inveni, quorum alter Flamen Dialis fuit. L. Cornelius L. F. Merula an. DLX. cos. fuit cum Q. Minucio Thermo. Alter ejuſdem nominis Flamen Dialis cos. ſuffectus fuit L. Cornelio Cinnæ, cui imperium abrogatum eſt, collega CN. Octavius occiſus eſt, & ipſe Merula cos. coactus à Marianis ſibi manus intulit an. DCLXVI. Dolabellæ ſex, conſulatus quinque, triumphos tres obtinuerunt. Primus P. Cornelius Dolabella Maximus cos. fuit cum CN. Domitio Calvino an. CDLXX. triumphum egit de Etruſceis, & Galleis Senonibus. Alter CN. Dolabella CN. F. CN. N. cos. fuit cum M. Fulvio Nobiliore an. DXCIV. Tertius CN. Dolabella cos. ſuffectus, ut quidam arbitrantur, L. Caſſio Longino, qui à Gallis occiſus eſt an. DCXLVI. Alter conſul C. Marius fuit, qui poſtea ſepties conſul appellatus eſt. Hunc putant quidam, Aſconium in *Verrinis*, atque alibi ſecuti, à M. Æmilio Scauro fuiſſe accuſatum, & damnatum. ſed mihi non fit veriſimile, de eo Ciceronem in *Verrinis* locutum; cum ſi de patre Scauro loquimur, jam Scaurus mortuus erat, cum Verres Prætor, aut Quæſtor fuit; ſi de filio non hic Dolabella eſt, de quo Cicero in *Pratura urbana* lib. III. *in Verrem* ait, Verrem defendiſſe legatum Pro quæſtore ſuum. Additque: *Nemo jam Dolabella, neque tui, neque tuorum liberorum, quos tu miſeros in egeſtate, atque in ſolitudine reliquiſti, miſereri poteſt.* Ille Dolabella, Carbonis ſucceſſor in conſulatu fuit. hic XXV. annis antiquior eſt. Quartus L. Dolabella L. F. L. N. quinto Kal. Feb. an. DCLV. Procos. ex Hiſpa. ulteriore de Luſitaneis triumphum egit. Quintus CN. Dolabella, de quo Ciceronem locutum eſſe dicebamus. is cos. fuit cum M. Tullio Decula ann. DCLXXII.

Procos. quadriennio post ex Macedonia triumphum egit. Sextus est P. Dolabella P. P. P. N. gener Ciceronis, qui C. Cæsari cos. V. Idib. Martiis interfecto suffectus est an. DCCIX. collega eorum M. Antonius. Hic modò laudatur, modò vituperatur à Cicerone, quod enim egerat adversus eos, qui columnam Cæsari statuerant, aut contra M. Antonium, effert summis laudibus; quod verò contra Trebonium, aut alios percussores Cæsaris maximè vituperat. Hostis judicatus est occiso Trebonio, isque paullò post à Cassio obsessus se ipsum interfecit. Cinnæ duo consulatus obtinueruot quinque. Nam L. Cornelius L. F. Cinna cos. fuit cum L. Cassio Longino Ravilla an. DCXXVI. Hujus, ut creditur, filius cos. cum CN. Octavio post annos XL. à collega urbe expulsus cum C. Mario urbem ingressus, & collegam, & qui ei suffectus fuerat, L. Merulam occidit. triennio consulatum continuavit. collegam habuit in secundo consulatu C. Marium Septimum consulem, quo Idib. Jan. mortuo L. Valerius Flaccus suffectus est. In tertio, & quarto CN. Papirius Carbo collega fuit. In hoc quarto Cinna seditione orta se consulatu abdicavit, & ab exercitu suo occisus est. Solus Carbo sine collega cos. fuit. Cinnæ filii fuerunt L. Cinna & Cornelia C. Cæsaris Dictatoris uxor, ex qua Juliam procreavit CN. Pompeji Magni uxorem. Hanc ita adamavit Cæsar, ut magno periculo eam retinuerit invito L. Sulla Dictatore. Nunc de Merenda, & Blasione, quos consulares fuisse scimus à superioribus separatos, dicendum est. Ser. Cornelius Merenda cos. fuit ann. CDLXXIX. cum M. Curio Dentato IV. CN. Cornelius L. F. CN. N. Blasio cos. fuit cum C. Genucio Clepsina II. post quadriennium à superiore. Triumphum egit de Sassinatibus. Censor fuit cum C. Marcio Rutilo Censorino II. quinquennio post consulatum. Lustrum fecerunt XXXV. Iterum consul fuit an. CDXCVI. cum C. Atilio Regulo. Sine cognomine ullo Cornelios aliquot iovenio. Nam Servio Tullio Rege Cornelius sacerdos fuit. & Ser. Cornelius Flamen Quirinalis mortuus est anno urbis CCC. & A. Cornelius Quæsitor de falso fuit anno sexto ante eum annum, ut Livius testatur. P. Cornelius Trib. Mil. fuit an. CCCLXIV. Alter ejusdem nominis quadriennio post, C. Cornelius an. CCCLXVII. Hæc tempore libertatis reip. Romanæ. Postea ante Augusti mortem hos consulares invenio. Lentuli septem totidem consulatus triumphalia ornamenta duo obtinuerunt. Namque eodem anno P. Cornelius P. F. Lentulus Marcellinus, & CN. Cornelius L. F. Lentulus consules fueruot an. DCCXXXV. & CN. Cornelius CN. F. Lentulus Augur postea *Getulicus* dictus cos. fuit cum M. Licinio Crasso post quatuor annos. Hic legatus Augusti triumphalia ornamenta accepit de Getuleis ex Africa an. DCCLIX. & anno DCCL. CN. Cornelius Lentulus L. F. Flamen Martialis cos. fuit cum M. Valerio Messalino Cotta. Et biennio post Cossus Cornelius CN. F. Leotulus postea *Isauricus* dictus cos. fuit cum L. Calpurnio Pisone Augure. Hic etiam legatus Aug. an. DCCLIX. triumphalia accepit de Isaureis ex Cilicia. Eodem anno P. Cornelius CN. F. Lentulus Scipio ex Kal. Juliis cos. fuit cum T. Quinctio Crispino Valeriano. Necnon anno DCCLXII. ex Kal. Jul. Ser. Cornelius CN. F. CN. N. Lentulus Maluginensis Flamen Dialis cos. fuit. *Scipionis* cognomine unum reperio P. Cornelium P. F. P. N. qui cos. fuit cum L. Domitio Ahenobarbo an. DCCXXXVII. Sulla quoque unus est L. Cornelius P. F. qui collega Augusti fuit in XII. consulatu an. DCCXLVIII. & VII. vir epulonum. Hunc creduot aliqui P. Sullæ cos. des. filium, qui Ser. filius fuit. Cinna unus L. Cinnæ quater consulis nepos CN. Cornelius L. F. L. N. Cinna Magnus cos. fuit cum L. Valerio Messalla Voluso an. DCCLVII. Dolabella unus P. Cornelius P. F. P. N. cos. fuit anno DCCLXII. cum C. Junio Silano Flamine Martiali. Ipse Septemvir epulonum, & sodalis Titiensis fuit. Præter hos, qui ex veteribus nobilissimis familiis patricus fuerunt: reperio Balbos Cornelios consulares, quorum origo Gaditana. Primus Balbus à CN. Pompejo civitatem Romanam accepit, de qua postea periclitatus est, & defensus à Cicerone. Hujus filius, ut arbitror, cos. suffectus fuit, primus ex provinciis ad Oceanum constitutis, ut Plinius animadvertit, L. Cornelius L. F. Balbus cum P. Canidio Crasso an. DCCXIII. Alter Balbus fuit L. Cornelius P. F. qui Procos. ex Africa VI. Kal. Apr. an. DCCXXXIV. triumphavit. Hunc existimo cos. suffectum fuisse ante annum XIII. cum Paullo Æmilio Lepido ex Kal. Juliis. quamvis *Balbi* nomen io fastis desit. Quod si non is est, inter eos, qui sine cognomine Cornelii fuerunt, collocetur. Julius Capitolinus auctor est D. Cælium Balbinum, qui cum M. Clodio Pupieno Maximo Imperator factus est, adversus Maximinum Imperatorem, patricium nobilissimumque fuisse, quod originem suam à Cornelio Balbo Theophane duceret. Theophanem Pompeji Magni libertum fuisse credo, aliumque à Cornelio Balbo. propinquum tamen fuisse indicat Cicero in oratione *pro Balbo*, & ab eodem Theophane adoptatum. Rectè igitur idem Theophanes *Balbus* dici potuit. *Balbinos* verò à Balbis dictos verisimile est. Itaque potuit aliquis Cornelius Balbus à Cælio adoptatus *Cælius Balbinus* dici, ut Claudius Marcellus à Lentulo adoptatus *Cornelius Lentulus Marcellinus* dictus est. Post Augustum, & ante Vespasianum Imp. adhuc retinuerunt antiqua cognomina hi consulares. Ser. Cornelius Ser. F. Cethegus cos. an. DCCLXXV. cum L. Visellio Varrone. Cossus Lentulus Cossi F. CN. N. Isauricus cum M. Asinio Agrippa cos. anno sequenti. CN. Lentulus CN. F. CN. N. Getulicus cum C. Calvisio Sabino cos. anno proximo. L. Cornelius L. F. P. N. Sulla cos. cum Ser. Sulpicio Galba, qui postea *Augustus* appellatus est anno urbis DCCXXCV. quo anno JESVS CHRISTVS dominus noster cruci affixus est. Superiores sub Ti. Cæsare Imp. fuerunt. Ser. Cornelius Scipio Orfitus collega Ti. Claudii Imp. in V. consulatu an. DCCCIII. Ab hoc plures Orfiti consulares. P. Cornelius L. F. N. Sulla Faustus cum L. Salvio Othone patre Imp. Othonis cos. anno sequenti. Eodem anno ex Kal. Juliis suffectus est

L.

L. Sulla frater consulis ordinarii cum M. Licinio Crasso Muciano, sub eodem Ti. CL. Imp. Sub Nerone P. Scipio P. F. cos. fuit cum Q. Volusio Saturnino an. DCCCVIII. Cossus Cornelius F. Cossi N. Lentulus collega fuit Neronis Imp. in IV. consulatu an. DCCCXII. P. Cornelius P. F. Scipio Asiaticus cos. ex Kal. Sept. an. DCCCXX. cum C. Bellico Natali sub Galba Imp. At homo novus Cornelius Laco Præf. Prætorio à Ti. CL. Aug. triumphalia ornamenta accepit anno DCCXCVII. de Britanneis. A Vespasiano ad Gallienum Imp. unum Scipionem Asiaticum, plures Scipiones Orfitos, cæteros Cornelios variis cognominibus consulares appellatos invenio. Omnes temporum ordinem secutus referam. C. Priscus sub Vespasiano cos. fuit cum L. Cejonio Commodo Vero avo L. Ælii Cæsaris, quem Hadrianus Imp. adoptavit. annus consulatus fuit DCCCXXX. Alter Cornelius Priscus cum Pompejo collega post XV. annos cos. sub Domitiano Imp. Post hunc P. Cornelius Tacitus historicus cos. suffectus T. Verginio Rufo III. qui recusavit occiso Vindice imperium, collegæ Nervæ Aug. in tertio consulatu an. DCCCXLIX. Ab hoc Tacito Imp. M. Claudius Tacitus gloriabatur se originem ducere, ejus libros sæpius quotannis describi, & in omnibus bibliothecis conservari jussit. Eodem anno M. Cornelius Fronto II. cos. cum Fabio Postumo ex Kal. Juliis, cos. III. fuit cum Imp. Trajano III. cos. post triennium. Hujus filius M. Cornelius Fronto orator, & cos. Magister fuit Imperatorum Antonini, & Lucii, ejus etiam nepos Fronto cos. fuit, qui ex Aufidia Aufidii Victorini bis Præfecti urbis, & consulis filia M. Aufidium Frontonem procreavit. A. Cornelius Palma bis consul fuit sub eodem Trajano. Namque anno DCCCLI. cum C. Sosio Senecione II. & decennio post cum C. Calvisio Tullo II. occisus est ab Imp. Hadriano. Cornelius Scipio Orfitus ex Kal. Mart. cos. suffectus an. DCCCLIII. Sub Hadriano Imp. P. Cornelius P. F. Scipio Asiaticus II. cos. cum Q. Vettio Aquilino an. DCCCLXXVII. Prioris consulatus tempus incertum est. Ser. Cornelius Scipio Orfitus cos. fuit cum Q. Nonio Prisco an. DCCCCI. sub Pio Imp. L. Cornelius C. F. Gal. Celsus cos. fuit sub Marco, & Lucio fratribus. Imp. cum C. Julio Macrino an. DCCCCXVI. Ejusdem cognominis Augusti tempore Cornelius Celsus *de Rhetorica*, *de re medica*, *de agricultura*, & *de re militari* scripsit elegantissimè. Cornelius Scipio Orfitus, & Servilius Pudens consules fuerunt anno sequenti. Alter Scipio Orfitus cum CL. Maximo cos. fuit anno DCCCCXXIV. sub Marco Imp. Tertius Orfitus post annos sex cos. cum Vettio Rufo sub eodem Marco, & Commodo Imp. P. Cornelius Anullinus II. cos. fuit cum M. Aufidio Frontone an. CCIƆLI. sub Severo, & Antonino Imp. Alterius consulatus tempus ignoratur. Alter Anullinus, qui cos. fuit cum Q. Aquillio Sabino II. sub Caracalla Imp. an. DCCCCLXVIII. non *Sex. Cornelius* P. F. appellatur, ut quidam scripserunt, sed *Sex. Aurelius Anullinus* ex titulo aquæ Marciæ. Pervenimus ad P. Licinium Gallienum Imp. cujus uxor *Cornelia Salonina Augusta* appellata est; filii verò *P. Licinius Cornelius Saloninus Valerianus Cæsar*, & *Q. Julius Licinius Saloninus Gallienus Cæsar*. Sed Valerianus Cæsar sex annis ante patrem, Gallienus Cæsar cum patre occisi sunt. Post hæc tempora unum tantum consularem inveni P. Cornelium Anullinum cos. suffectum ex Kal. Jul. occisum à Maxentio Cæs. anno CIƆLVII. sub Constantio Sen. & Galerio Maximiano Impp.

DOMITIA.

DOMITIA plebeja gens Consulares viros, & Censorios aliquot habuit, aliisque honoribus, & sacerdotiis usos, qui eam nobilem reddiderunt. In duas stirpes Calvinorum, & Ahenobarborum distinguitur. Calvini tres, quatuor consulatus, Censuram, & Triumphum, & Magisterium equitum destinatum assecuti sunt. Primus CN. Domitius, sive Cajus, cos. fuit cum A. Cornelio Cosso Arvina II. an. CCCCXXII. Alter CN. Calvinus superioris, ut creditur, filius cos. fuit an. CDLXX. cum P. Cornelio Dolabella Maximo. Censor triennio post cum Q. Fabio Maximo Gurgite. lustrum fecerunt XXXII. Calvinus plebejus Censor primus lustrum condidit. Tertius longo intervallo CN. Domitius M. F. M. N. cos. fuit cum M. Valerio Messalla an. DCC. Notatum in fastis est post VIII. annos, hunc in insequentem annum designatum non iniisse, sed an de Magisterio equitum, vel de consulatu dictum sit, incertum est. Iterum consul fuit cum C. Asinio Pollione anno DCCXIII. Triumphum egit ex Hispania XVI. Kal. Sextil. post quatuor annos sub Augusto Cæsare. Præter hos invenio C. Domitium CN. F. Calvinum Ædilem Curulem fuisse cum Sp. Carvilio Q. F. Maximo an. CDLIV. Ahenobarbi novem, totidem consulatus, censuras duas, triumphos totidem, triumphalia ornamenta, & Pontificatum Maximum semel obtinuerunt. Hos patriciis al-
lectos Suetonius appellat. Primus CN. Do- I.
mitius L. F. L. N. L. Pron. cos. fuit an. DLXI.
cum L. Quinctio Flaminino. Hujus filius
CN. Domitius CN. F. L. N. cum P. Corne- II.
lio Lentulo suffectus est in locum P. Scipio-
nis Nasicæ Corculi, & C. Marcii Figuli
trigesimo post superioris consulatum anno.
Hic etiam Augur fuit. Tertius superioris III.
filius CN. Ahenobarbus CN. F. CN. N. cos.
fuit an. DCXXXI. cum C. Fannio C. F. Strabone. Hunc atavum Neronis Imp. Suetonius appellat. Procos. triumphum egit de Galleis Arverneis anno proximo, vel biennio post. Censor fuit cum L. Metello Calvo anno DCXXXIIX. lustrum fecerunt LXII. acerba duorum plebejorum censura fuit, duos & triginta senatu moverunt. Quartus CN.
Domitius CN. F. CN. N. superioris filius cos. IV.
fuit cum C. Cassio Longino anno DCLVII. censor post quadriennium cum L. Licinio Crasso oratore. lustrum fecerunt LXVI. Idem Crassus parum collegæ benivolus dicere solebat, non mirum si barba ahenea esset, cui os ferreum, cor plumbeum esset. Pontifex Maximus fuit anno DCLI. Hic tribunus plebis, quod in locum patris alium Augures cooptassent, jus sacerdotum subrogandorum

dorum à collegiis ad populum transtulit.
Hunc avunculum Q. Catuli minoris fuisse
Cicero significat. Paterculus eam legem tu-
lisse ait C. Mario III. cos. an. DCL. Idem diem
dixit M. Æmilio Scauro ad populum; quod
sacra multa ejus opera deminuta esse dice-
ret: cumque servus Scauri indicium pro-
fessus ad eum venisset; comprehendi jussit,
& ad Scaurum deferri. Hunc Cicero se
puerum vidisse refert consulem, Censorem,
V. ac Pontificem Max. Quintus L. Domitius
CN. F. CN. N. frater superioris cos. fuit cum
VI. C. Cœlio Caldo an. DCLIX. Sextus L. A-
henobarbus CN. F. quem Suetonius abavum
constituit Neronis Imp. aitque cum Prætor
esset, Cæsarem abeuntem consulatu ad dis-
quisitionem senatus vocasse: consulem è
Gallia revocare tentasse. tandem successu-
rem à Senatu eundem Domitium datum fu-
isse, sed captum à Cæsare Corfinii, ac li-
beratum Massilienses labantes confirmasse,
& in acie Pharsalica occidisse. Ejus consu-
latus fuit an. DCXCIX. cum AP. Claudio Pul-
chro. Uxor ejus Porcia M. Catonis soror
VII. germana. Septimus CN. Domitius L. F. CN.
N. superioris filius cos. fuit cum C. Sosio
an. DCCXXI. sub Augusto. Hunc maximè
laudat Suetonius, damnatum lege Pedia, ut
Cæsaris percussorem, sed insontem, Bruti,
& Cassii partes secutum, & post eorum in-
teritum classem retinuisse, eamque postea
tradidisse M. Antonio; restitutum in patria
amplissimos honores assecutum. Iterum ob-
orta dissensione cum Antonio fuisse legatum,
sed postea reversum ad Cæsarem Augustum.
Triumphum egit Procos. ex Hispania post
VIII. consulatum anno proximo. Octavus L. Do-
mitius CN. F. L. N. superioris filius. Hic con-
sul fuit cum P. Cornelio Scipione anno
DCCXXXVII. Avus hic Neronis Imp. auri-
gandi artem, atque sævitiam eidem reliquit.
Triumphalia ornamenta ex Germanico bel-
lo tulit, an. DCCXLVII. legatus Imp. Cæs.
Aug. Uxor Antonia major M. Antonii Tri-
umviri, & Octaviæ majoris sororis Augusti
filia. Ex ea suscepit CN. Domitium Ahe-
nobarbum Neronis patrem, quem ex Agrip-
pina Germanici, & Agrippinæ filia procrea-
vit. Confessus est pater nato Nerone, nihil
ex se, & Agrippina posse, nisi detestabile
procreari. Cùm verba Suetonii cum fastis
Verrii confero, magnam video varietatem.
Nam Suetonius septem consulares, Verrius
novem enumerat: Suetonius post tres Lu-
cios tres Cnæos, cæteros variè Lucium, &
CN. alternando constituit. Verrius duobus
tribusve Luciis quatuor Cnæos, duos Lu-
cios statuit, cæteros alternando variat. Su-
stulisse videtur Suetonius quartum Cnæum,
& quartum Lucium, Calvinorum fortasse
familiæ esse existimans. Censura tamen e-
rit alteri addenda, cum Suetonius duos Cen-
sorios in his septem enumeret. Paterculus
septem ante CN. Neronis, ut arbitror, pa-
trem ait fuisse singulos parentibus suis natos,
consulares, sacerdotes, & penè omnes tri-
umphales. Sed ut hoc, quod de triumphis
dicit, falsum est, ita cætera falsa esse pos-
sunt. Pater Neronis consulatum gessit cum
A. Vitellio patruo A. Vitellii Imp. anno
DCCLXXXIV. sub Ti. Cæsare Aug. Paullò
post CN. Domitius CN. F. Corbulo cos. suf-
fectus fuit ex Kal. Febr. anno DCCXC. sub Ca-
ligula Imp. eidem post decennium orna-
menta triumphalia data sunt de Chaucis ex
Germania legato Ti. CL. Imp. Anno proxi-
mo post superioris consulatus annum cos.
fuit CN. Domitius Sex. F. Afer, cum Q.
Curtio Rufo ex Kal. Juliis sub Caligula
Imp. A Vespasiano ducta est FL. Domitil-
la FL. Liberalis filia, ex qua Titum, &
Domitianum postea Imperatores, & Domi-
tillam suscepit; & uxorem, & filiam adhuc
privatus amisit. Domitianus matris nomen
videtur accepisse, ut pater Vespasianus à
Vaspasia Polla matre dictus est. Domitiani
uxor Domitia Longina, quæ Ælio Lamiæ
nupserat, postea *Augusta* appellata est. Post
hæc tempora ante L. Domitium Aurelianum
Imp. duos tantum consulares invenio; Do-
mitium Apollinarem, qui cum Fabricio Ve-
jentone cos. suffectus fuit ex Kal. Jul. anno
DCCCXLIX. sub Nerva Imp. & C. Domitium
Dextrum, qui in secundo consulatu colle-
gam habuit L. Valerium Messallam Thra-
siam Priscum an. DCCCCXLVIII. sub Severo
Imp. Prioris consulatus tempus ignoratur.
Imp. L. Domitius Aurelius Valerius Aure-
lianus humili genere Sirmii, vel in Dacia
Ripensi natus Pont. Max. TR. POT. V. cos.
III. Imp. III. occisus est, filiam reliquit,
ex qua senator Aurelianus, & alii orti sunt,
Post hunc Imp. neminem consularem uno
excepto reperi, Domitio sive Dometio Le-
ontio, qui cum Sallustio cos. fuit anno
CIↃXCV. sub filiis Constantini Max.

FABIA.

FABIA familia patricia majorum, ut o-
pinor, gentium, quæ clarissimos viros ha-
buit, & omni honorum genere ornatissimos:
in sex stirpes dividitur, quarum tres fre-
quentes sunt, Vibulanorum, Ambustorum,
& Maximorum; tres minus frequentes,
Dorsonum, Pictorum, & Buteonum. Vi-
bulani septem consulatus obtinuerunt XIII.
Tribunatus Militares consulari potestate V.
Decemviratum legibus scribendis bis, trium-
phum, & ovationem semel. Primus Q. Fa- I.
bius K. F. Vibulanus consul fuit an. CCLXIIX.
cum Ser. Cornelio Maluginensi Cosso. Hu-
jus pater Kæso, sive Cæso Quæstor perdu-
ellionis fuerat proximo anno. Iterum cos.
fuit cum C. Julio Julo triennio post priorem
consulatum. biennio proximo occisus est. Hu- II.
jus frater K. Fabius cos. fuit cum L. Aimi-
lio Mamercino anno proximo post priorem
fratris consulatum. Iterum cos. fuit anno
proximo post posterioris consulatus fratris
annum cum Sp. Furio Medullino Fuso.
Tertiò consul fuit anno CCLXXII. cum T.
Verginio Tricosto Rutilo, Superiorum fra-
ter M. Fabius consul fuit proximo anno post III.
primi consulatus Kæsonis fratris annum cum
L. Valerio Voluso Potito. Iterum consul
fuit proximo anno post secundi consulatus
ejusdem fratris annum cum CN. Manlio Vul-
sone. Ita factum est, quod nunquam am-
plius evenit, ut tres fratres septem annis
semper consulatus obtinuerint. Biennio ta-
men post, sive anno proximo CCCVI. Fa-
bii cum familiis, & clientibus ad Creme-
ram cæsi sunt à Vejentibus, diem atrum,

&c por-

& portam Carmentalem, qua exierunt, *sceleratam* Romani vocaverunt. Falsumque est,
unum tantum impuberem domi relictum,
IV. idque jure reprehendit Dionysius. Post horum cædem Q. Fabius M. F. K. N. consul
fuit anno CCXXCVI. cum T. Aimilio Mamercino II. & Iterum consul cum T. Quinctio
Capitolino Barbato III. biennio post fuit, & in consulatu lustrum fecerunt VIV. nondum ad id munus Ceosoribus creatis. Tertium consul cum L. Cornelio Maluginensi
Cosso sexto post superiorem anno, lustrum etiam fecerunt X. & triumpharunt Fabius
Nonis Maji de Æqueis, Cossus IV. Idus de Volsceis Antiatibus. Quartum consulatum
obtinuit suffectus L. Minucio Augurino, cujus collega fuit C. Nautius Rutilus II.
anno proximo post tertium consulatum. Decemvir legibus scribendis fuit an. CCCIII.
Iterumque anno proximo, sed cum cæteris legibus XII. tabularum conscriptis abdica-
V. vit. Hunc secutus est M. Vibulanus filius cos. fuit anno CCCXI. cum Postumo Æbutio Helva cornicine. Tribunus Militum post
annos IX. cum M. Fossio Flaccinatore, & L.
VI. Sergio Fidenate. Sextus Q. Vibulanus superioris frater cos. fuit cum C. Semprooio Atratino anno CCCXXX. Septennio post
Trib. Mil. fuit. Iterumque post biennium.
VII. Septimus Numerius Vibulanus superiorum frater Q. F. M. N. cos. fuit cum T. Quinctio Capitolino Barbato anno CCCXXXII. ovans de Æqueis reversus est. Trib. Mil.
fuit post sex annos ioter duos Quinctii fratris Tribunatus. Iterum Tribunus anno
CCCXLVI. De hujus Fabii prænomine multi scripserunt, cum Fabium, qui occisis CCCVI. superstes fuit, duxisse filiam
Numerii Otacilii Maleventani viri locupletis ea conditione, ut qui primus nasceretur, prænomen avi ferret. natoque filio *Numerium Fabium* eum esse appellatum:
neminemque patricium antea eo nomine vocatum esse. Ego hunc aliis fratribus minorem fuisse credo, cum post eos fuerit
magistratus assecutus. Vibulanos sequuntur Ambusti, Ambustos Maximi. Ambusti XII. obtinuerunt Pontificatum Maximum, & Dictaturas duas, Principatus senatus tres, Magisteria equitum tria, Censuras duas, triumphum, & ovationem, Consulatus V. Tribunatus militares IX. Pri-
I. mus Q. Fabius Ambustus, quem putant M. F. Q. N. fuisse, ut Numerium, & Kæsonem Ambustos, quos hujus fratres fuisse arbitrantur. Quæ si vera sunt, addamus horum patrem fuisse M. Vibulanum,
de quo supra diximus. Ita Vibulanos Ambustis conjungemus. Illud certum est Q.
Ambustum cos. fuisse cum C. Furio Pacilo anno CCCXLI. Interrex anno proximo fuerat,
quod solis patriciis concessum est, etsi cæteri Magistratus postea plebejis fuerint communicati. N. Aiobustus post hunc Trib Mil. fuit
II. sexto postea anno. Hunc Verrius affirmat fu-
III. isse M. F. Q. N. Tertius K. Ambustus superioris frater Trib. Mil. fuit biennio post superio-
IV. rem. Iterumque post tres annos, & tertiò an-
V. no CCCLVIII. Tres postea fratres Q. K. M. Fabii M. F. cum legati ad Gallos Clusium obsi-
VI. dentes de pace missi essent, Clusinis opem tulerunt: Gallos irritarunt, ut arma contra

A urbem Romam moverent. prælio ad Alliam victores urbem ingressi sunt. tres Fabii Tribuni Militum eodem anno CCCLXIII. proximo anno occisi sunt. Hos Marci nepotes esse quidam suspicantur, ut sint Q. pronepotes, nati ex fratre superiorum. Sequitur VII.
M. Ambustus K. F. M. N. Tribunus Mil. fuit an. CCCLXXII. Iterumque post XI. annos. ac Censor anno CCCXC. cum L. Furio Medullino. lustrum fecerunt XX. Hunc, sive alium,
M. Ambustum constat Pont. Max. fuisse anno CCCLXIII. cum capta urbs fuit. fortasse is est, cujus eo anoo tres filii Tribuni mili-
B tum fuerunt. Hujus verò M. Censorii duæ filiæ Fabia Major nupta Ser. Sulpitio Prætextato patricio Minor C. Licinio Calvo Stoloni plebejo occasionem præbuerunt petendi consulem plebejum; quod exercuit multos annos civitatem Romanam. Ejusdem VIII.
fortasse filius fuit C. Ambustus, qui cos. fuit an. CCCXCV. cum C. Plautio Proculo.
Nonus M. Ambustus ter consul fuit. Huoc IX.
Verrius N. F. M. N. appellat. primo coosulatu ejus collega fuit C. Poetelius Libo Visolus biennio ante superioris consulatum. secundum quadriennio post primum gessit
C cum M. Popillio Lænate II. tertium biennio post cum T. Quinctio Capitolino Crispino. In primo consulatu ovans rediit de Herniceis Nonis Septemb. an. CCCXCIII. in tertio triumphans de Tiburtibus III.
Non. Jun. anno CCCXCIX. Dictator fuit comitiorum caussa triennio post triumphum.
Censorem fuisse necesse est, cum ter tribus lustris princeps senatus fuerit, hoc est,
XXV. XXVI. & XXVII. Censura fortasse ea est, quam M. Ambusto fratri patrueli tribuimus anno CCCXC. & quam aliqui huic tribuunt quioquennio post, eam illi M.
D Ambusto, sive alii conferrem, aut totam abjicerem. Cum enim princeps senatus legeretur antiquissimus Censorius, quo cum antiquiorem constituamus, magis ad veritatem, aut veritatis imaginem accedemus.
Hujus filius Q. Maximus Rullianus fuit, qui septies princeps senatus lectus est. de quo
paullò post dicemus. Est etiam alius M. Am- X.
bustus superioris, ut creditur, Marci filius, qui Magister equitum fuit A. Cornelio Cosso Arvina Dictatore ludorum, vel rei gerundæ caussâ an. CDXXXI. quo anno Q. Fabius
Rullianus cos. fuit. Ante hunc Q. Am- XI.
E bustus, cujus parentes ignoramus, Magister equitum fuit P. Valerio Potito Poplicola Dictatore Latinarum feriarum caussa anno CCCCIX. & Dictator anno CDXXXII.
Comitiorum caussa. Duodecimus est C. XII.
Ambustus Mag. equitum in locum Q. Aulii Gerretani in prælio occisi, Dictatore Q.
Fabio Max. Rulliano anno CDXXXIIX. Hunc M. F. M. N. Verrius appellat, ut
ipsum Q. Rullianum, cujus fratrem esse credendum est. Ambustos sequuntur
Maximi, vel potius Maxumi, ita enim tunc dicebantur, ex quibus originem du-
F cunt; qui fere omnes aliis cognominibus singularibus inter se singuli distinguuntur,
cum omnes fere *Q. Fabii Maximi* appellarentur. XI. reperio ante Augusti mortem
his honoribus, & magistratibus usos fuisse. Dictaturas enim quatuor, triumphos decem, censuras quinque, principatus se-

PPPP natus

natus XIII. consulatus XXI. & magisterium equitum obtinuerunt. Hoc singulare accidit huic familiæ Fabiæ, ut quatuor Principes senatus essent, tres Maximi, & unus Ambustus, pater, filius, nepos, ac pronepos, sive abnepos, & ex his tres primi XIIII. lustris lecti fuerint sine nlla interpolatione, pronepos post duos, quorum alter Fabius
I. etiam fuit. Primus Q. Fabius M. F. M. N.
Rullianus fuit, qui cognomine à Rullis originem ducere videretur, in adoptionem datus Fabiis; quod minime scriptum reperi, Rullos tamen Servilios plebejos appellatos fuisse certum est, vel ex eo, qui legem Agrariam promulgavit TR. PL. Cicerone cos. Maximi cognomen ex Censura obtinuit, in qua turbam forensem in Tribus urbanas coëgit, qui plurimum in Comitiis poterant. Verrius tamen id cognomen ante Censuram eidem tribuit. Hic quinquies cos. fuit, ter triumphalis, bis Dictator, quod pauci Romæ obtinuerunt, septies princeps senatus lectus est, quod nemini datum est. Magister equitum fuit, L. Papirio Cursore Dictatore rei gerundæ caussa an. CDXXVIII. coactus est abdicare, honesta de caussa, quod absente Dictatore Samnites hostes vicisset. Consul fuit post triennium cum L. Fulvio Curvo. Ambo cos. de Samnitibus triumpharunt: Fulvius Quirinalibus, hoc est, XIII. Kal. Mart. Fabius postridie. Dictator rei gerundæ caussa an. CDXXXIIX. Magistrum equitum dixit Q. Aulium Cerretanum, eo occiso à Samninbus C. Fabium Ambustum fratrem. Consul iterum fuit post quinquennium cum C. Marcio Rutilo, postea *Censorino* appellato, iterumque Procos. triumphavit Idibus Novemb. anno proximo de Etrusceis. Insequenti anno tertium consulatum gessit cum P. Decio Mure II. cos. & cum eodem Censor fuit an. CCCCXLIX. lustrum fecit XXVIII. à quo lustro princeps senatus in septimum lectus semper est. Iterum Dictator fuit triennio post rei gerundæ caussa, M. Aimilium Paullum Magistrum equitum dixit, eoque anno sine consulibus duo Dictatores fuerunt, Rullianus, & post eum M. Valerius Corvus, senis mensibus, quod tempus omnibus Dictatoribus ante L. Sullam constitutum fuit. Quartus consulatus datus est quadriennio post cum eodem P. Decio, cum quo tertiùm, & Censuram gesserat. uno postea anno interjecto vacuo iidem consules refecti sunt, Fabius V. Decius IV. Hoc consulatu Decius exemplo paterno se devovit, & occisus est: Fabius triumphum egit tertium de Sammitibus Etruscеis, & Galleis pridie Non. Sept.
II. an. CDLVIII. Hujus filius Q. Gurges ter
consularis, bis triumphalis, & Censorius, ac princeps senatus quater à paternis virtutibus non longè abfuit. Consul fuit cum D. Junio Bruto Scæva an. CDLXI. triumphum egit Procos. de Samnitibus an. proximo patre legato in equo currum sequente. Iterum cos. fuit cum C. Genucio Clepsina post XVI. annos, iterumque triumphavit de Samnitibus, Lucaneis, Bruttieis Quirinalibus an. CDLXXVII. Tertium consulatum egit cum L. Mamilio Vitulo post XI. annos. Censor creditur fuisse, quod princeps senatus lectus sit, anno CDLXXIII. cum CN. Domitio Calvino, qui primus è plebe lustrum XXXII. condidit. Lustro XXXV. & tribus proximis lustris Gurges princeps senatus
III. lectus est. Tertius Q. Maximus Verrucosus
à Plutarcho pronepos Rulliani Maximi appellatur, sed cum Q. F. Q. N. à Verrio appelletur, credendum est Gurgitis nepotem fuisse, patrem verò Quinctum nullis majoribus magistratibus usum fuisse. Ipse quinquies cos. bis Dictator, bis triumphalis, bis etiam princeps senatus, semel Censor, Pontifex, Augur, & quod omnium maximum fuit, conservator populi Romani creditus est, secundo bello Punico, quod magis prudenti cunctatione, & constanti patientia assecutus est, quam aliis virtutibus. de quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem;
Non ponebat enim rumores, ante salutem:
Ergo postque, magisque viri nunc gloria claret.

Primum consulatum obtinuit anno DXX. cum Manio Pomponio Mathone. Ambo cos. triumpharunt, Maximus de Ligurib. Kal. Feb. Matho de Sardeis Idib. Mart. Censor triennio post fuit cum M. Sempronio Tuditano. lustrum fecerunt XLI. post biennium iterum cos. fuit cum SP. Carvilio Maximo II. Ex hoc apparet censuræ honorem quinquennio non durasse, sed XVIII. menses. Hic enim & Censor, & cos. fuisset, quod numquam accidit. Dictator an. DXXXII. Magistrum equitum dixit C. Flaminium Comitiorum caussa, sive alterius rei urgentis; sed ridicula superstitione abdicarunt, quod vitio creati essent soricis occentu audito. tantis tenebris maximi viri tenebantur. Hujus rei Valerius Maximus auctor est, & Plutarchus idem Minucio Dictatori contigisse affirmat. Iterum Dictator, vel potius pro Dictatore à populo creatus fuit anno DXXXVI. occiso ab Hannibale C. Flaminio II. cos. apud Trasimenum, Magistrum equitum dixit M. Minucium Rufum, qui primus obtinuit, ut ei imperium æquaretur Dictatori, quod obtrectatione militum, & ambitione Minucii, neque intellecta prudenti Fabii cunctatione factum est. Sed Minucius temerè usus imperio partem exercitus, cui præerat, in summum periculum adduxit, Fabius utrumque exercitum servavit; idque Minucius agnovit, patremque appellavit, eique fasces submisit. Biennio post cos. tertio suffectus M. Marcello II. qui vitio factus fuerat, isque creabatur in locum L. Postumii Albini III. qui occisus fuit, antequam iniret. Eorum collega fuit TI. Sempronius Gracchus. Refectus est proximo anno cum M. Claudio Marcello III. & gladius, & clypeus populi Rom. ambo cos. dicti sunt. Quintum consulatum gessit cum Q. Fulvio Flacco IV. an. DXLIV. iterumque triumphavit de Tarentineis, & Pœneis. Princeps Senatus lectus est XLIV. & XLV. lustro. Tantam gloriam major splendor Scipionis Africani imminuit. Sed alter alterius ope adjutus est,
& civitas utrique obnoxia fuit. Filium amisit consularem Q. Fabium Maximum, qui IV.
Ti. Sempronii Gracchi II. cos. collega fuit an. DXL. post duos patris consulatus. Proditum est patrem Proconsulem filio consuli obviam venisse, jussumque à filio, ut equo descenderet: id patri gratissimum fuisse.

Ex

v. Ex liberis L. Æmilii Paulli, qui de Perſe Re-
ge triumphum egit, paterque Africani Mino-
ris fuit, majorem filium Verrucoſſus adopta-
vit, natum Papiria C. Maſonis conſularis, &
triumphalis viri filia. Is cos. fuit cum L.
Hoſtilio Mancino an. DCVIII. Sunt qui ad-
optionem in filium transferant. Hic Q. Fa-
bius Max. *Æmilianus* appellatus eſt Allobro-
vi. gici pater. Sextus eſt Q. Fabius Servilianus,
quem putant Æmiliani fratrem adoptivum
fuiſſe adoptatum à Verrucoſſo, vel ab ejus fi-
lio Q. Maximo, filiumque fuiſſe aſſerunt Cn.
Servilii Cæpionis, cujus filii Cn. Cæpio & Q.
Cæpio duobus proximis annis conſulatum Q.
Fabii Serviliani ſubſecuti ſunt. Conſul au-
tem is fuit cum L. Metello Calvo an. DCXI.
Cenſor ſexto poſtea anno cum Q. Fulvio No-
biliore. luſtrum fecerunt LVIII. filium minus
caſtum occidit, ſeque è conſpectu patriæ pri-
vii. vavit. Allobrogicus ſecutus eſt, quem Aimilia-
ni fuiſſe filium certum eſt. Is cos. fuit cum Q.
Opimio an. DCXXXII. triumphum egit anno
proximo. Procos. de Allobrogibus, & Rege
Arvernorum Betulto, ut Verrius notat. Cen-
ſor fuit an. DCXLV. cum C. Licinio Geta. lu-
ſtrum fecerunt LXIII. Tum fornix Fabianus
dictus eſt arcus juxta regiam in ſacra via ab eo
Cenſore conſtructus, ibique ejus ſtatua poſita
viii. eſt. Hujus filius fuit Q. Max. cui *Eburnus* ob
candorem cognomen fuit, quem etiam *pullum
Jovis* vocabant. Conſul fuit cum C. Licinio
Geta an. DCXXXVII. Huic proditum eſt à Q.
Pompejo Prætore Urbano bonis interdictum
fuiſſe. Superiores Maximi reip. Romanæ tem-
ix. pore fuerunt. Sub C. Cæſare Q. Fabius Q. F.
Q. N. conſul ſuffectus fuit an. DCCVIII. qui tri-
bus menſibus conſul fuit uno, aut altero minus
die. namque III. Kal. Jan. mortuus eſt, cui C.
Caninius Rebilus in unum diem ſuffectus eſt.
In quem pleraque Ciceronis joca ſunt. *Vigi-
lantem conſulem fuiſſe, qui toto conſulatu ſuo
ſomnum non ceperit. Antea Flamines Diales ha-
bueramus, nunc habemus conſulem. Dum ad
gratulandum feſtinarem, nox me oppreſſit.* Atque
x. alia id genus. Sub Auguſto Paullus Fabius Q.
F. Q. N. Maximus cos. fuit cum Q. Ælio Tu-
xi. berone an. DCCXLII. & anno proximo Q. Fa-
bius Q. F. Q. N. Maximus Africanus cum Julo
Antonio. Hos duos Fabios fratres fuiſſe veri-
ſimile eſt. *Maxumos* veteres non *Maximos* di-
cebant. Primus C. Cæſar traditur *optumum
Maximum* ſcripſiſſe. *Maxſumos* etiam ſcribe-
re veteres ſolebant, quod uſus poſtea mu-
tavit. Tres familias frequentiores Fabio-
rum peregimus, Vibulanorum, Ambuſto-
rum, & Maximorum: minus frequentes fa-
cilius perſequemur. Dorſonum antiquiſſi-
mus is eſt, qui capta urbe ex Capitolio in
collem Quirinalem ritu Gabino accinctus ad
ſtatum ſacrificium Fabiorum acceſſit: &
inde in Capitolium reverſus eſt an. CCCLXIII.
Is *C. Fabius Dorſo* appellatus eſt. Ejus gen-
tis duos tantum conſulares invenio, M. Fa-
bium, qui cos. fuit an. CDVIII. cum Ser. Sul-
picio Camerino. & C. Fabium illius fortaſſe
filium, qui an. CDXXC. cos. fuit cum C. Clau-
dio Canina iterum. Pictorum duos etiam
conſulares legi. Alter eſt C. Fabius C. F.
M. N. qui cos. fuit cum Q. Ogulnio Gallo
anno CDXXCIV. Hunc *Q. Fabium* appellat
Plinius, eoque cos. ait argentum ſignatum
primò fuiſſe Romæ quinto anno ante pri-

A mum bellum Punicum. Alter Caji frater
N. Pictor, qui triennio poſt cos. fuit cum
D. Junio Pera. triumphum egit bis III. No-
nas Oct. de Saſſinatibus, & Kal. Febr. de Sal-
lentineis, Meſſapicisque. Pictores hiſtoria-
rum ſcriptores referuntur Q. N. SER. Græce-
que eas ſcripſiſſe conſtat. Servius etiam, ut
juriſperitus à Cicerone laudatur. pingendi
artem didiciſſe primum ejus cognominis
conſtat, ejus opera à Plinio referuntur.
Buteonis familia duos etiam habuit conſu-
lares, quorum alter multis aliis bonorum
titulis ornatus fuit. nam Dictator, Cenſor, &
B Magiſter equitum, & bis Princeps Senatus
fuit Numerius Fabius M. F. M. N. Buteo. Is
cos. fuit anno DVI. cum L. Cæcilio Metel-
lo II. Cenſor cum C. Aurelio Cotta poſt ſex
annos. luſtrum fecerunt XXXIX. Magiſter e-
quitum an. DXXIX. L. Metello collega Di-
ctatore comitiorum cauſſa. Dictator ſine
Magiſtro equitum ſenatus legendi cauſſa fuit
poſt pugnam Cannenſem, quod nunquam
amplius accidit an. DXXXVII. Princeps ſe-
natus luſtro XLII. & XLIII. lectus eſt. Alter
Buteo ſuperioris frater biennio poſt fratris
conſulatum cum C. Atilio Bulbo conſul fuit.
C *Buteonis* nomine accipitris genus ſignificari,
à quo huic familiæ id cognomen hæſit, Pli-
nius auctor eſt. Apud Appianum quoque
legi Buteonem quendam fratrem patruelem
Africani Minoris fuiſſe. Addam hoc loco
Q. Fabium Q. F. Q. N. Labeonem, qui
Prætor ex Creta navalem egit anno DLXIV.
& poſt ſex annos cos. fuit cum M. Clau-
dio Marcello. Hunc ferunt arbitrum dece-
piſſe Nolanos, & Neapolitanos de finibus
agrorum contendentes, & regem Antio-
chum bello victum. illorum enim agrum, de
quo lis erat, adjudicavit populo Rom. hujus
D naves dimidias pollicitus ei ſe relicturum,
ſecari juſſit, ut dimidiatæ relinquerentur.
Unum etiam conſularem reperi, cognomi-
ne *Licinum*, cujus in ſuperioribus haberi
ratio non potuit. Is eſt M. Fabius C. F. M.
N. Licinus, qui cos. fuit anno DVII. cum
M. Otacilio Craſſo II. Hujus fortaſſe pa-
ter is eſt, quem paullo ante in Dorſoni-
bus retulimus, C. Fabius M. F. quem
Eutropius antiquus, & faſti Græci *Lici-
nium* appellant, alii *Luſcinum*. A Licino
Licinia familia dicta eſt. Veteris poetæ car-
men legi in Porcium Licinum:

E *Marmoreo in tumulo Liſcinus jacet, at
Cato nullo, Pompejus parvo: credimus eſſe
deos?*

Vetuſtiſſima memoria Fabiorum eſt, ut fa-
bulam Herculis, & nymphæ negligamus, ſub
Romulo apud Ovidium lib. II. *Faſtorum:*

*Riſit, & indoluit Fabios potuiſſe Remumque
Vincere, Quinctilios non potuiſſe ſuos.*

Hos Feſtus *Lupercos Fabianos*, & *Quinctili-
anos* videtur appellaſſe à Fabio, & Quin-
ctilio præpoſitis. Alibi legi Fabium Cele-
F rem Centurionem Remum occidiſſe, quod
muros urbis tranſgredi auſus fuerit. Ro-
mulum Celeres quoſdam ſatellites habuiſ-
ſe notum eſt. Poſt mortem Auguſti ali-
quot Fabii conſules fuerunt, unus tamen ſo-
lus ex patriciis eſſe videtur Paullus Fabius
Perſicus, qui cos. fuit cum L. Vitellio pa-

tre A. Vitellii Imp. an. DCCLXXXVI. post resurrectionem Christi domini an. primo sub Ti. Cæsare. Cæteri novi homines fuerunt, quos ordine temporum servato referemus. C. Fabius Valens cos. suffectus fuit cum A. Licinio Cæcina ex Kal. Sept. an. DCCCXXI. sub Vitellio Imp. Fabius Postumus cos. suf. ex Kal. Jul. cum M. Cornelio Frontone II. an. DCCCXLIX. sub Nerva Imp. L. Fabius Justus cum C. Julio Urso Servilio Serviano II. cos. suf. ex Kal. Jul. an. DCCCLXIII. sub Trajano Imp. Q. Fabius Catullinus cum M. Flavio Apro cos. fuit anno DCCCXXCII. sub Hadriano Imp. L. Fabius M. F. Gal. Cilo Septiminus Catinius Acilianus Lepidus Fulginianus bis cos. fuit priori consulatu cum FL. CL. Sulpiciano ex Kal. Mart. an. DCCCCXLV. sub Pertinace Imp. Iterum cum M. Annio Libone post XI. annos sub Severo, & Antonino, quo anno ludi sæculares VIII. facti sunt. Hic alios Magistratus obtinuit in titulis statuarum enumeratos. Præfecturam urbis, Legationes Augustales, pro Præfectis multarum provinciarum, Præf. ærarii militaris, Procos. provinciæ Narbonensis, X. Viratum Stlitibus judicandis, sodalit. Hadrian. atque alia munera. Ti. Fabius Titianus cos. fuit cum Imp. M. Julio Philippo an. DCCCCXCVII. Hoc nomine alii quatuor cos. fuerunt. Fabius Justus cum FL. Magno Januario cos. fuit anno CIↃLXXIX. sub Constantino Imp. Alter Ti. Fabius Titianus cos. fuit cum Feliciano cos. an. CIↃXCIIX. quo anno Constantinus Imp. mortuus est. Tertius cos. cum Neratio Cereali anno CIↃCIX. sub Constantio Jun. Imp. Quartus cum Q. Aurelio Avianio Symmacho anno urbis CIↃCXLII. Christi CCCXCI. sub Valentiniano Jun. Theodosio, & Arcadio Impp. Quintus Ti. Fabius Titianus cos. fuit cum Imp. Leone III. cos. an. urbis CIↃCCVII. CHRISTI CCCCLXVI.

FULVIA.

FULVIA plebeja gens, sed quæ non paucos habuit claros viros omni honorum genere ornatos; in tres familias cognominibus discretas dividitur. Nam Curvi, Pætini, & Nobiliores unam, Centumali alteram, tertiam Flacci obtinent. Curvos duos, Pætinos tres, Nobiliores quatuor invenio, sed septem tantum viri omnes fuerunt; quod duo bis numerantur; propterea quod alter, & *Curvus*, & *Pætinus*, alter & *Pætinus*, & *Nobilior* appellati sint. Hi igitur septem totidem consulatus, censuram unam, triumphos sex, ovationem unam, magisterium equitum item unum assecuti sunt. Centumali tres consulatus totidem, Dictaturam unam, triumphos duos obtinuerunt. Flacci septem consulatus decem, censuras duas, Dictaturam, Magisteria equitum duo, triumphos sex consecuti sunt.

I. Primus L. Fulvius L. F. L. N. Curvus cos. fuit anno CDXXXI. cum Q. Fabio Max. Rulliano. Ambo consules de Samnitibus triumpharunt. Curvus Quirinalibus, Fabius postridie, hoc est, XII. Kal. Mart. Magister equitum fuit dictus à L. Aimilio Mamercino Privernate II. Dictatore rei gerundæ caussa post sex annos à consulatu.

II. Hu-

A jus filius, vel frater fuit M. Curvus Pætinus L. F. L. N. qui cos. suffectus fuit Ti. Minucio Augurino in magistratu occiso, cujus collega L. Postumius Megellus erat. triumphum egit in consulat. de Samnitibus III. Non. Oct. an. CDXLIIX. *Pætini* cognomen adoptionis indicium est à Pæteis, quod cognomen Æliorum fuit. Oculorum vitium significat amantibus suave, quamobrem Venerem *pætam* dixere, ut *cæsiam* Minervam. Tertius est M. Pætinus CN. F. CN. N. qui cos. fuit cum T. Manlio Torquato, qui in magistratu mortuus est anno CCCCLIV. & triumphum egit de Samni- III.
B tibus, Nequinatibusque. Hunc superioribus conjungere non possumus, nisi fingamus, aliquem Lucium duos filios habuisse Lucium, & CN. ex Lucio superiores natos esse filios, aut nepotes, ex CN. hunc nepotem. Quartus Ser. Pætinus Nobilior M. F. M. N. cos. fuit. cum M. Aimilio Paullo an. CDXCIIX. Ambo navales egerunt triumphos de Cossurensibus, & Pœneis, Fulvius XIII. Kal. Feb. Paullus XII. Kal. Feb. anno proximo Procos. Quintus post hos consulares, & triumphales ovationem supra triumphum, & consulatum adjecit, ut jure no- IV. V.
C bilior cæteris diceretur, M. Fulvius M. F. Ser. N. Nobilior. In Prætura ovans ex Hispania reversus est an. DLXII. consul biennio post fuit cum CN. Manlio Vulsone, & post biennium à consulatu triumphum egit X. Kal. Mart. de Ætoleis Ambracibus, & Cephalenia. Secutus est alter M. Nobilior M. F. M. N. superioris, ut creditur, filius, qui etiam post consulatum triumphum egit. Consul fuit cum CN. Cornelio Dolabella Procos. triumphavit anno proximo de Liguribus, & Veleatibus XII. Kal. Sept. an. DXCV. Hujus frater Q. Ful- VI.
D vius anno sexcentesimo primus Kal. Jan. consulatum iniit cum T. Annio Lusco. Censor fuisse dicitur cum Q. Fabio Max. Serviliano post XVII. annos lustrumque fecisse LVIII. Lusit aliquando in hoc nomine M. Cato Censorius, qui paullo post consulatum Q. Fulvii mortuus est; & eum, de quo loquebatur, non *Nobiliorem* dicendum esse affirmabat, sed *mobiliorem*. Centumalus primus CN. Fulvius CN. F. CN. N. Maximus cos. fuit cum L. Scipione anno CDLV. anno proximo post consulatum M. Fulvii CN. F. CN. N. Pætini, qui videtur frater ejusdem fuisse. Hic etiam triumphum egit de Samni- I.
E tibus, Etruscisque Idib. Novemb. Dictator fuit clavi figendi caussa an. CDXC. ut Verrius hæc omnia diligentissimè in fastis conscripsit. Secutus est alter CN. Centumalus item CN. F. CN. N. superioris, ut creditur, filius. Consul fuit anno DXXIV. cum L. Postumio Albino II. Anno proximo Procos. ex Illureis navalem egit X. Kal. Quinct. Tertius CN. Centumalus CN. F. CN. N. consul fuit cum P. Sulpicio Galba Maximo anno DXLII. Successorque fuit Q. Fulvii Flacci quater consulis, post ejus tertium consulatum. Cognominis hujus origo mihi ignota est. Legi in Pandectis II. III.
F Florentinis *Centemmanum* appellatum fuisse Appium Claudium Cæcum. Ab eo nomine potuit hoc deduci, hoc est, à *centum manibus*. Litteram vero N. in L. mutari *Mallus* pro *Manlius*, *gemelli* pro *geminis* exemplo sunt. Flaccorum primus M. Fulvius Q. F. M. N. cos. fuit anno primo belli I.

Pu-

Punici primi, post urbem conditam anno CDXXCIX. cum AP. Claudio Caudice. triumphum egit de Vulsiniensibus Kal. Novemb. Magister equitum fuit Ti. Coruncanio Dictatore Comitiorum habendorum
II. caussa an. DVII. Hujus filius Q. Fulvius M. F. Q. N. quater cos. Dictator, Censor, Magister equitum, & triumphalis, princeps hujus gentis fuit. Primum consulatum egit nono post superioris Dictaturam anno cum L. Cornelio Lentulo Caudino, in eo de Liguribus triumphavit. Censor fuit cum T. Manlio Torquato an. DXXII. vitio tamen facti abdicarunt. Iterum cos. fuit post septem annos cum eodem Torquato II. etiam cos. Magister equitum an. DXL. Dictatore C. Claudio Centhone Dictatore Comitiorum caussa. His comitiis cos. III. designatus est cum AP. Claudio Pulchro. ab his cos. & urbs obsidione Hannibalis liberata, & Capua capta est anno proximo, & Flaccus invito collega, & senatus literis non lectis supplicium de senatoribus Campanis sumpsit. Dictator fuit comitiorum caussa biennio post consulatum, & his comitiis IV. COS. designatur cum Q. Fabio Max.
III. Verrucoso V. cos. Hujus tres filii fuisse dicuntur Q. & L. Flacci, tertius datus est in adoptionem L. Manlio Acidino. Duo fratres tum primùm consules eodem anno fuerunt Q. Fulvius Q. F. M. N. Flaccus, & L. Manlius L. F. L. N. Acidinus Fulvianus an. DLXXIV. Ambo etiam ante consulatum triumpharunt, Fulvius anno proximo cos. des. Proprætore ex Hispania citeriore, Fulvianus an. DLXIIX. Proprætore ex eadem provincia ovans rediit. Iterum etiam in consulatu Fulvius de Liguribus triumphavit. Censor postea fuit an. DLXXIX. cum A. Postumio Albino. lustrum fecerunt LI. in Censura L. Fulvium fratrem senatu movit, quod Tribunus Militum cohortem suam in-
IV. jussu consulis domum dimiserit. Quartus est Q. Flaccus CN. F. M. N. qui cos. suffectus fuit in locum C. Calpurnii Pisonis vitrici sui, qui in magistratu mortuus est an. DLXXIII. Eorum collega fuit A. Postumius Albinus. Hujus mater Quarta Hostilia damnata est, quod virum suum occi-
V. disse diceretur. Quintus Ser. Flaccus, cujus parentes ignoramus, cos. fuit cum Q. Calpurnio Pisone an. DCXIIX. triumphum egit de Vardeis ex Illurico. Anno proximo
VI. C. Flaccus collega fuit P. Scipionis Africani Æmiliani in secundo consulatu. Hujus
VII. etiam parentes ignorantur. Septimus M. Flaccus M. F. Q. N. cos. fuit an. DCXXIIX. cum M. Plautio Hupsaco. Procos. biennio post de Liguribus, Voconticis, Salluviisque triumphavit. Hic cum M. Flacco Prætore filio, alioque prætextato an. DCXXXII. occisus est cum C. Graccho TR. PL. à L. Opimio cos. Horum soror fuit Fulvia L. Cæsaris consularis, & Censorii uxor mater L. Cæsaris consularis, & Juliæ matris M. Antonii Triumviri reip. constituendæ, cujus uxor Fulvia, quæ C. Curionis antea, & P. Clodii uxor fuerat, & ingentes spiritus in Ciceronem, & postea in Augustum generum ostendit. Sub Domitiano Aug. C. Fulvius Valens annos natus XC. Cos. fuit cum C. Antistio Vetere, & in magistratu mortuus est an. DCCCXLVIII. Sub Severo, & Antonino Impp. Fulvius Æmilianus consul fuit cum M. Nummio Cejonio Annio Albino an. DCCCCLIIX. Alter ejusdem nominis ultimo Gordiani Imp. anno COS. fuit cum Peregrino an. urbis DCCCCXCVI. Iterum post quinquennium cum Vettio Aquilino sub Philippis Augg. Tertius Æmilianus cos. fuit post decennium à posteriore consulatu superioris cum Pomponio Basso II. sub Valeriano, & Gallieno Impp. Sub eodem Gallieno Imperatores Augusti appellati sunt tres Fulvii, Macrianus Junior, & Quietus, pater cum duobus filiis, sed ab Aureoli duce Domitiano victi, occisi sunt: ex eorum genere superstites Alexandri Magni imagine in omnibus ornamentis, & poculis utebantur. eam Macrianorum familiam appellat Trebellius Pollio, & ex ea Cornelium Macrum. Postea collega M. CL. Taciti Imp. in secundo consulatu fuit Fulvius Æmilianus an. CIↃXXIIX.

FURIA.

FURIA gens patricia, vel unico M. Camillo illustris, aliis etiam clarissimis viris exornata est. Dividitur in Fusorum, sive Medullinorum, vel Pacilorum, atque in Camillorum stirpes frequentiores. Phili quoque & Purpureones ejusdem gentis sunt, sed pauci ex eis consulares fuerunt. Hos omnes constat *Fusios* primum dictos, ut *Valesios*, & *Auselios*, postea *Fourios*, sive *Furios*. Idque *Fusorum* cognomen indicat à Fuso *Fusios* dictos, ut ab Julo *Julios*, à Clauso *Clandios*, à Voleso *Valerios*, à Cosso *Cornelios*, à Licino *Licinios*, à Plauto *Plautios*, à Tullo *Tullios*. Lusit in hoc nomine eleganter Ovidius,

Cur ego non dicam Furia te Furiam?

Sub Tullo Rege SP. Fusius pater patratus reperitur, Livio teste, quem ex hac familia fuisse certum est. Fusos, & Medullinos, ac Pacilos XVII. invenio obtinuisse Pontificatum Max. Consulatus XI. Tribunatus Militares XVII. Censuras duas, Camillos quinque assecutos fuisse invenio Dictaturas VII. Triumphos quinque, consulatus quinque, Tribunatus militares VI. Censuram. Interreges fuisse ter. Philos duos totidem consulatus, Censuram, & triumphum adeptos fuisse. Purpureonem unum consulatum, & triumphum consecutum. Primus Sex. Furius Medullinus Fu- I.
sus cos. fuit cum SP. Nautio Rutilo an. CCLXV. Secundus SP. Furius cos. fuit post II.
annos VII. cum K. Fabio Vibulano II. Tertius L. Furius cos. fuit an. CCLXXIX. III.
cum A. Manlio Vulsone. lustrum fecerunt VIII. ante primos Censores anno XLI. Quartus P. Furius biennio post COS. fuit IV.
cum L. Pinario Mamercino Rufo. Quintus V.
SP. Furius cos. fuit cum A. Postumio Albo Regillensi an. CCXXCIX. Hoc eodem anno P. Fusius consularis frater consulis occisus est. Iterum cos. fuit suffectus Sex. Quinctilio Varo, qui in hoc magistratu occisus est an. CCC. eorum collega fuit P. Curiatius Trigeminus. Sextus Q. Fusius Fusus Pont. Max. post quadriennium à superiore secun- VI.
do consulatu. Septimus Agrippa Medullinus VII.

Fusius cos. fuit cum T. Quinctio Capitoli-
VIII. no Barbato III. an. CCCVII. Octavus C.
Fusius Pacilus, qui post quinque annos cos.
fuit cum Manio Papirio Crasso. Censor
septennio post consulatum cum M. Gega-
nio Macerino. lustrum fecerunt XII. Tri-
bunus militum fuit an. CCCXXVII. Nonus
IX. L. Furius SP. F. Medullinus Trib. Mil.
fuit sexennio ante superiorem. Iterum crea-
tus est anno proximo post superioris Tribu-
X. natum. Tertio an. CCCXXXIII. Decimus L.
Furius L. F. SP. N. Medullinus, sic enim
à Verrio appellatur, cos. fuit an. CCCXL.
cum M. Cornelio Cosso. Iterum quadrien-
nio post cum CN. Cornelio Cosso. Septies
Tribunus Militum fuit, quod huic, &
Ser. Cornelio Maluginensi tantum conces-
sum est. Primus Tribunatus fuit an. CCC-
XLVI. biennio post consulatum. Secundus
post alterum biennium. Tertius an. CCCLV.
Quartus anno proximo. Quintus biennio
post quartum. Sextus anno sequenti. Sep-
XI. timus anno CCCLXII. Undecimus est C. Fu-
rius Pacilus, qui superioris C. Fusi Pacili
filius, ut creditur, fuit. Consulatum gessit
cum Q. Fabio Ambusto anno CCCXLI. Hu-
XII. jus nepos, aut pronepos fuit C. Furius C. F.
C. N. Pacilus, qui cos. fuit cum L. Cæci-
XIII. lio Metello anno DII. Tertiusdecimus fuit
M. Furius Fusus Tribunus Mil. an. CCCL.
XIIII. Quartusdecimus SP. Furius L. F. SP. N.
Medullinus Lucii bis cos. septies Tribuni
frater, quamvis hunc etiam *Lucium* Livius
appellet, Tribunus Mil. fuit an. CCCLIII.
XV. Quintusdecimus Agrippa Furius Medul-
linus Fusus alterius Agrippæ, ut creditur,
filius Trib. Mil. fuit cum L. Medullino
XVI. VII. an. CCCLXII. Sextusdecimus est L.
Furius SP. F. L. N. Medullinus, qui Trib.
Mil. fuit anno decimo post superiorem cum
M. Furio Camillo VI. Iterum decennio post
Censor fuit cum M. Fabio Ambusto anno
CCCXC. lustrum fecerunt vicesimum. Septi-
XVII. musdecimus SP. Furius superioris, ut cre-
ditur, frater, Trib. Mil. fuit an. CCCLXXV.
Hanc numerosam familiam nimis jejune
persecuti sumus; quod de ea historici non
satis certa scripserint; & Verrii Fasti in his
I. tradendis desiderentur. Camillorum primus
ille princeps Romanæ Reip. *alter Romulus*
dictus, cujus parentes ignoramus, M. Fu-
rius Camillus, cujus honores maximi, &
frequentes fuerunt. nam quinquies Dicta-
tor, sexies Tribunus militum fuit, quater
triumphum duxit, semel Censor, ter In-
terrex factus est. Hic tamen tantus, ac ta-
lis vir numquam consul fuit, & exilium
passus est. Sed ex relegatione major ei glo-
ria nata est, & patriam liberandi exilium
ei occasio fuit. Primus ei magistratus Cen-
sura fuit, quam cum M. Postumio Albino
Regillensi egit an. CCCL. lustrum fecerunt
XVI. Primus Tribunatus fuit biennio post,
secundus tertio postea anno, anno proxi-
mo Interrex. Dictator anno CCCLVII. tri-
umphum de Vejentibus egit quadrigis al-
bis, biennio post tertio Trib. Mil. fuit, &
an. CCCLXI. Interrex II. Postea in exilium
ob invidiam missus capta à Gallis Senonibus
urbe an. CCCLXIII. restitutus, & absens
Dictator II. factus Gallos vicit, & de Ieis
triumphavit. Anno proximo Dictator III.

A fuit rei gerundæ caussâ III. triumphum egit
de Volscis, Æquis, Etruscisque eodem
anno Interrex III. fuit. Quartum Tribu-
natum egit an. CCCLXVII. quintum post
biennium, sextum anno tertio post quin-
tum. Dictator IV. fuit an. CCCXXCV. rei
gerundæ caussâ; sed magis, ut seditio de
plebejo consule sedaretur; tamen cum vide-
ret majoris seditionis occasionem ex delectu,
& edictis oriri, abdicavit. Anno proximo
Dictator V. triumphum quartum egit de
Galleis Senonibus. & consule plebejo ac-
cepto à patribus, ac Prætore urbano, &
B duobus Ædilibus Curulibus patriciis crea-
tis, seditio sedata est. Primus Prætor ur-
banus fuit SP. Camillus M. F. Alter L. Ca- I.
millus M. F. bis Dictator, semel cos. fuit. II.
Priorem dictaturam egit an. CDIII. comi-
tiorum habendorum caussa, & eisdem co-
mitiis cos. designatus est cum AP. Claudio
Crassino Regillensi, ambo patricii fuerunt.
Iterum Dictator fuit quarto anno post con-
sulatum rei gerundæ caussâ. Tertius Camil- III.
lus L. Furius SP. F. M. N. consul fuit an.
CDXV. cum C. Mainio. Triumphum egit de
Pedaneis, & Tiburtibus IIII. Kal. Octob.
C Iterum cos. fuit an. CDXXVIII. cum D. Ju-
nio Bruto Scæva. Quartus longo intervallo IV.
M. Furius P. F. P. N. cos. fuit cum Sex.
Nonio Quinctiliano an. DCCLX. sub Augu-
sto. Suetonius etiam auctor est Ti. Clau-
dium Cæsarem habuisse admodum adole-
scentem sponsas duas, Æmiliam Lepidam
Augusti proneptem, & Liviam Medulli-
nam Camillam è genere antiquo Camilli
Dictatoris, quam ipso die nuptiis destinato
amisit. Sed & sub Ti. Cæs. Aug. M. Fu-
rius M. F. P. N. Camillus Scribonian. cos.
fuit suffectus ex Kal. Jul. an. DCC. Nunc
D de Philis videndum est. Duos consulares
reperio eodem nomine utrumque *P. Furium
Philum* appellari. prior cos. fuit an. DXXX.
cum C. Flaminio. Hic SP. F. M. N. à Ver-
rio notatur. Triumphum egit in consulatu
de Galleis, & Liguribus IIII. Idus Mart.
Censor fuit post annos novem cum M. Ati-
lio Regulo, sed in eo honore mortuus est,
& Regulus abdicavit. Alter Philus cos. fuit
cum Sex. Atilio Serrano an. DCXVII. Hic
laudatur, quod Q. Metellum, & Q. Pom-
pejum consulares inimicos suos in provin-
ciam Hispaniam duxerit legatos invitus, te-
E stes suarum actionum. Purpureo unus L.
Furius SP. F. SP. N. ante consulatum trium-
phum egit Prætor de Galleis an. DLIII.
quadriennio post cos. fuit cum M. Claudio
Marcello. Sub Imp. Claudio an. CIƆXXII.
consulem invenio Furium Orfitum cum FL.
Antiochiano. Idem Orfitus post triennium
Præfectus urbi fuit. quo anno consules fue-
runt M. CL. Tacitus, qui postea Imp. fuit,
& M. Mæcius Memmius Furius Balburius
Cæcilianus Placidus sub Aureliano Imp.
Post quadriennium Furius Lupus Præf.
urbi, & cos. collega Imp. Probi in secun-
F do consulatu. Præfecturam tenuit eo, &
aliis duobus postea annis. Ante superiores
consules Furia Sabinia Tranquillina Augu-
sta uxor Gordiani III. Imperatoris fuit.

JVLIA.

JVLIA Patricia majorum gentium
in duas præcipuas stirpes scinditur Juliorum,
& Cæsarum. Alia cognomina minus fre-
quentia usurparunt, ut *Mento*, & *Libo*,
de quibus posterius dicemus. Juliorum fami-
lia duodecim majoribus honoribus usos ha-
buit, qui Decemviratum legibus scriben-
dis, Dictaturam, Censuram, Magisterium
equitum, Consulatus VII. Tribunatus Mi-
litares consulari potestate IX. consecuti sunt.
Cæsares ante Augustum quinque, Dicta-
turas quatuor, Censuram, triumphos sex,
Pontificatum Max. consulatus IX. obtinue-
runt. Mento unus consul. Libo alter con-
I. sularis, & triumphalis. Juliorum primus C.
Julius L. F. cos. fuit an. CCLXIV. cum P.
II. Pinario Mamercino Rufo. Hujus filius
fuisse creditur C. Julius C. F. L. N. qui cos.
fuit post septem annos cum Q. Fabio Vi-
bulano II. Decemvir legibus scribendis fuit
an. CCCII. legatus occisus est anno deinde
III. XIII. Tertius fuit Vopiscus Julius Julus,
qui cos. fuit an. CCXC. cum L. Aimilio
Mamercino III. Hic fortasse superioris
IV. frater fuit. Quartus C. Julius cos. fuit
cum M. Geganio Macerino an. CCCVI. Hic
fortasse X. viri filius fuit. II. cos. fuit post
annos XII. cum L. Verginio Tricosto. qui
anno proximo refecti fuisse dicuntur, quod
alii historici negant. Quintus L. Julus, qui
V. Vopisci filius fuisse creditur, Tribunus Mi-
litum fuit cum Mamerco Aimilio, & L.
Quinctio Cincinnato anno CCCXV. Magister
equitum fuit A. Postumio Tuberto Dicta-
tore rei gerundæ caussa. Anno proximo
cos. cum L. Papirio Crasso II. an. CCC-
XXIII. Post hunc Sex. Julius post sex an-
VI. nos Trib. Militum fuit: hujus parentes ig-
VII. noramus. Septimus C. Julus L. F. Vopisci
N. Trib. Mil. fuit an. CCCXLV. & triennio
post iterum. Censor mortuus est an. CCCLXI.
eique suffectus est M. Cornelius Malugi-
nensis, qui cum L. Papirio Cursore lu-
strum fecerunt XVII. eo lustro urbs à Gal-
lis capta est. Religio fuit deinceps aliquem
in demortui locum sufficere; quasi veró
aliquid ad eam rem pertinuisset. Hujus fra-
VIII. ter fuit L. Julius, qui Tribunatum mili-
tum gessit anno CCCLII. & iterum post
IX. quadriennium. Ante hunc alter L. Julius
eundem magistratum gessit biennio ante
priorem superioris Tribunatum. ejus paren-
X. tes ignoramus. Decimus eodem nomine ap-
pellatus est. Tribunus Militum fuit anno
XI. CCCLXV. Vndecimus ejusdem nominis simi-
lem Tribunatum gessit anno CCCLXXIV.
XII. Duodecimus C. Julius Julus Dictator rei
gerundæ caussa in Castris dictus an. CCCCI.
I. Cæsarum primus Sex. Julius Sex. F. L. N.
cos. fuit anno DXCVI. cum L. Aurelio Ore-
II. ste. Post hunc alter Sex. Cæsar C. F. SEX.
N. à Verrio appellatur. cos. fuit an. DCLXII.
cum L. Marcio Philippo. Ejus successor
III. L. Cæsar L. F. Sex. N. superioris frater pa-
truelis cum P. Rupilio Lupo anno primo
belli Marsici consul fuit. Ab eo lex *Julia* ap-
pellata est, qua civitas data fuit sociis, qui in
officio manserunt, aut qui cito redierunt.
Censor fuit anno proximo post consulatum
cum P. Licinio Crasso, lustrum non fece-

A runt. biennio post occisus est cum fratre C.
Cæsare Strabone, qui Ædilis Curulis fuit,
Quæstor Trib. Milit. bis, X. viris agris dan-
dis, adtribuendis, judicandis, & Pontifex.
Horum mater fuit Popillia, quam mortu-
am laudavit publicè Q. Lutatius Catulus
major, horum frater uterinus, eique mu-
lieri tum primùm is honos datus est, qui
antea tantum viris haberi solebat. Uxor L.
Cæsaris Fulvia M. Fulvii Flacci viri consu-
laris filia, qui cum C. Graccho occisus est
à L. Opimio cos. Hujus filius L. Cæsar IV.
cos. fuit cum C. Marcio Figulo an. DCXX-
B CIX. cujus soror Julia ex M. Antonio Marci
oratoris filio Marcum Antonium Triumvi-
rum, & Cajum, & Lucium Antonios suf-
cepit, postea P. Cornelio Lentulo Suræ
consulari nupsit, qui in conjuratione Cati-
linæ Cicerone cos. occisus est anno proximo
post L. Cæsaris consulatum. Hic semper
optimarum partium fuit, nulla propinqui-
tatis C. Cæsaris, vel M. Antonii habita
ratione. Qua de caussa proscriptus est à Tri-
umviris, conservatus à sorore invito filio
ejus Antonio. Hujus filius fuit alter L. Cæ-
sar, qui cum mandatis de pace missus est
C ad Cæsarem initio belli civilis. Sequitur C. V.
Julius C. F. C. N. Cæsar. cujus pater Præ-
tor repentino mortuus est an. DCLXVIIII.
Avia paterna fuit Marcia Marcii Regis filia.
Amita Julia C. Marii septies cos. uxor, quam
mortuam laudavit. In ea oratione dixit Ju-
lios à Venere, & Ænea; Marcios à Numa
Rege ortos. Mater ei fuit Aurelia, quæ
eum Pontificem Max. vidit, & nescio an
cos. Initium Pontificatus fuit idem ille an-
nus conjurationis Catilinæ, in qua consen-
sisse insimulatus est. Quadriennio post cos.
fuit cum M. Calpurnio Bibulo an. DCXCIV.
D Omnia solus per vim, & populum egit.
L. Calpurnii Pisonis successoris in consu-
latu filiam duxit, Pompeja repudiata, ob
P. Clodii Pulchri amorem, cum in Bonæ
deæ sacris domi suæ Aurelia mater reperit
Clodium veste muliebri indutum, Pompeja
L. Sullæ Felicis neptis fuit, Q. Pompejo
Rufo, & Cornelia nata. Habuerat ante hanc
uxorem Corneliam L. Cinnæ quater cos.
filiam, ex qua Juliam susceperat CN. Pom-
peji Magni uxorem. Ante Corneliam Cos-
sutia Equitis Romani filia Cæsaris sponsa
fuit. Post consulatum decem annos Gallias
E tenuit, postea cum exercitu adversus CN.
Pompejum, & consules Romam venit. Di-
ctator à M. Lepido Prætore urbano dictus
est an. DCCIV. Iterum cos. anno proximo
cum P. Servilio Vatia Isaurico. quo anno
victo Pompejo II. Dictator reip. constitu-
endæ, M. Antonium Mag. Eq. dixit. III.
cos. cum M. Aimilio Lepido an. DCCVII.
fuit & III. Dictator anno proximo cos.
IV. sine collega, censum vicatim egit. Eo-
dem anno IV. Dictaturam iniit, quæ ei
postea perpetua concessa est. In tertio con-
sulatu quater triumphum egit, primum de
F Galleis & Germaneis, secundum de Phar-
nace Ponti Rege ex Asia, tertium ex Æ-
gypto de Rege Ptolemæo, quartum de Ju-
ba Mauritaniæ Rege ex Africa. In quarto
consulatu quintum egit ex Hispania. Anno
DCCIX. Dictator IV. vel potius perpetuus,
consul V. occisus est Eidibus Martiis. Ejus
colle-

collega fuit M. Antonius. In hac quarta Dictatura ovans ex monte Albano VII. Kal. Febr. reversus est. Sororem habuit Juliam nuptam M. Attio Balbo viro Prætorio, ex quo Attiam peperit. Attia C. Octavio C. F. C. N. Pron. nupta est, postea L. Marcio Philippo. C. Octavius Prætor fuit, & Procos. provinciam Macedoniam rexit, in qua Imperator appellatus est. ex priore uxore Ancharia Octaviam Majorem, ex Attia Octaviam Minorem, & C. Octavium, quem heredem C. Cæsar testamento reliquit. Quamobrem *C. Julius* C. F. *Cæsar* appellatus est, quem etiam jure *Octavianum* aliqui vocant. Post Cæsares quinque de Mentone, & Libone agere polliciti sumus. CN. Julius Mento fuit anno CCCXXII. cum T. Quinctio Penno Cincinnato L. Julius L. F. L. N. Libo cum M. Atilio Regulo anno CCCCXXCVI. & triumphum egit de Sallentineis VIII. Kal. Febr. cum M. Regulo collega. Sine cognomine antiquissima mentio est Proculi Julii Senatoris, qui Romulo à Senatoribus, ut creditur, occiso juravit se eum vidisse postea mandantem patribus, & populo, ut *Quirinum* appellarent, seque ut Deum colerent. Julios etiam plebejos fuisse video, ex quibus Tribuni plebis fuerunt Ap. Julius an. CCCIV. C. Julius an. CCCXXX. L. Julium Annalem, qui proscriptus est à Triumviris, & Q. Julium Candidum, qui patrem proscriptum prodidit, plebejos fuisse existimo. De Sexto Annali teste producto in reum, quem Cicero defendebat, notus est jocus; cum enim læsisset reum, & accusator, *dic aliquid M. Tulli si potes, de Sexto Annali*, tum Cicero versum ex sexto Annali Ennii recitavit,

Qui potis ingentes caussas evolvere belli.

Primus ex his cognomen ex lege Julia Annali, quam pertulit, invenit. Sunt qui putent Annales non Julios sed Villios fuisse, legemque *Villiam* non *Juliam* appellandam. Hæc de Juliis ante Augustum. à quo, & à majori avunculo C. Cæsare hæc familia super alias omnes excelluit. Nam, ut verum fateamur, libertatis tempore non à patriciis solum, Valeriis, Corneliis, Fabiis, Æmiliis; sed etiam à plebejis, Cæciliis, & Fulviis personarum, & honorum dignitate Julia familia victa est. A Cæsare, & Augusto menses duo, qui antea *Quintilis*, & *Sextilis* dicebantur; *Julius* & *Augustus* appellati sunt. Ab eisdem omnes Imperatores *Cæsares*, & *Augusti* dicti sunt. Inter divos falsos hi relati sunt, Divus Julius, Divus Augustus, Diva Augusta, quæ *Julia* post mortem Augusti appellata est, ut ex parte hæres. Diva Drusilla C. Cæsaris Caligulæ soror. Diva Julia Divi Titi filia. Diva Julia Augusta Severi Imp. uxor. Diva Julia Mæsa Elagabali, & Alexandri avia materna. Diva Julia Mamæa Alex. Imp. mater. Divus Philippus Senior. Divus Philippus Junior. & quæ verè Diva dicta est, FL. Julia Helena, quam *Sanctam Helenam* dicimus, & veneramur. Ex hac familia præter supradictos Imperatores & Augustas fuerunt: Ti. Julius Cæsar Augusti Cæsaris filius adoptivus, C. Julius Cæsar Germanici filius TI. N. Augusti pronepos, Agrip-

A pina Augusta ejusdem Germanici filia Ti. Claudii Imp. uxor mater Neronis Imp. Julia Sœmias Augusta mater Elagabali Imp. Julia Aquilia Severa Augusta uxor ejusdem Imp. Julia Paula Augusta, cujus cognationem ignoramus. Maximus Imp. & C. Julius Verus Maximus Cæsar ejus filius. C. Julius Æmilianus Imp. & Q. Julius Gallieni Imp. filius. FL. Julius Crispus Cæsar Constantini Max. filius, & FL. Julius Constantius Jun. Imp. Ex tanta gloria iterum in obscuras tenebras deciderunt: & vix fumi prætereuntis umbra quasi in somnis visa sit, levem quandam sui memoriam B reliquit.

Nunc de Augusto, & ejus liberis videamus; postea de iis, qui sub eo, & cæteris consulatus gesserunt. C. Octavius, ante adoptionem Magister equitum designatus fuit in locum M. Lepidi C. Cæsare IV. Dictatore an. DCCIX. post adoptionem COS. suffectus anno proximo, & III. vir Reip. constituendæ cum M. Aimilio Lepido, & M. Antonio ex ante diem V. Kal. Decemb. ad pridie Kal. Jan. sextas. II. Triumvir in alterum quinquennium cum eisdem fuit, C sed Lepidum abdicare coegit. M. Antonium hostem Reip. declaravit, & vicit, terdecies cos. fuit, duas ovationes, tres triumphos egit, Tribuniciam potestatem XXXVII. accepit, Imperator XXI. appellatus est, Pontifex Max. fuit mortuo M. Lepido an. DCCXL. Post Actiacam victoriam, quæ DCCXXII. anno urbis accidit, solus imperium tenuit, optimusque Imperator fuit ad an. DCCLXVI. quo mortuus est. Priores XII. ann. tyranni instar egit. Sponsas habuit duas, Serviliam P. Isaurici filiam, hanc reliquit ut privignam M. Antonii duceret, D Claudiam Fulviæ ex P. Clodio Pulchro filiam: sed eam intactam dimisit mores socrus exosus. Mox Scriboniam L. Libonis soceri Sex. Pompeji Magni sororem, quæ duobus antea consularibus nupserat, & ex altero mater erat, duxit. Cum hac etiam divortium fecit. Tandem Liviam Drusillam, quæ postea *Livia Augusta* dicta est, prægnantem ex Ti. Nerone duxit. quæ post tres menses Neronem Claudium Drusum Imperatoris Ti. Claudii patrem peperit. Ex Scribonia Juliam susceperat, quæ prius M. Marcello Octaviæ sororis Augusti filio, eo- E que mortuo M. Agrippæ nupsit, qui tunc Marcellam ejusdem Octaviæ filiam habebat in matrimonio, & ex ea liberos: sed eam repudiatam Octavia Antonio M. F. collocavit. Agrippa mortuo Julia T. Claudio Neroni privigno Augusti nupsit, qui uxorem prægnantem, & ex qua Drusum filium habebat, dimittere coactus est. Ea autem erat Agrippina M. Agrippæ, de quo diximus, filia ex Cæcilia Attica Q. Cæcilii Attici Pomponiani, & Piliæ filia: quæ post divortium abortum fecit; & nupsit C. Asinio Gallo Pollionis F. qui Saloiuoi ex F eadem pater fuit. Nepotes Augusti ex M. Vipsani Agrippa, & Julia filia fuerunt tres, Cajus, Lucius, & Agrippa Postumus: neptes duæ. Julia, & Agrippina. Cajum, & Lucium adoptavit emptos per æs, & libram à M. Agrippa patre. Ita ex Vipsaniis Julii facti sunt. Juliam duxit L. Paullus

Cen-

Censoris filius, ex his Æmilia Lepida nata est Ti. Claudii Imp. sponsa, postea repudiata, quod parentes Augustum offenderant. Agrippinam duxit Germanicus Neronis Drusi, de quo diximus, & Antoniæ Minoris filius. Erat autem Antonia M. Antonii Triumviri, & Octaviæ majoris minoris sororis Augusti, de qua diximus, filia. C. & L. Cæsares Pontifices, consules designati, quamvis aliqui Cajum cos. fuisse tradiderint, & principes juventutis mortui sunt, Cajus in Lycia, Lucius Massiliæ. Tunc Agrippam Postumum tertium nepotem, quem mox abdicavit, & Tiberium Neronem privignum in foro per legem Curiatam adoptavit. Sic Nero ex Claudia familia in Juliam venit prænomine retento. Ti. Julius Augusti F. *Cæsar* appellatus est. Duas Julias, filiam, & neptem Augustus relegavit. natum ex nepte filium ali, adgnoscique vetuit. A Tiberio Cæs. Germanicus fratris filius adoptatus est, ita is quoque ex Claudio Julius effectus est. Ti. Cæsar vivo Augusto patre adoptivo Tribuniciam potestatem XVI. accepit, Pontifex, & bis consul fuit, Imperator VII. appellatus est. Post mortem Pontifex Max. consulatum ter amplius accepit, Tribunic. potest. ad XXXVIII. auxit, Imperator octavùm appellatus est. triumphos duos egit, ovationem unam, triumphalia ornamenta bis consecutus est. Uxores duas habuit, quas paullo ante retulimus, Agrippinam, ex qua Drusum suscepit, & Juliam Augusti filiam; ex hac nullos liberos habuit. Drusus Livillam sive Liviam duxit Neronis Claudii Drusi, & Antoniæ Minoris filiam Ti. Claudii Augusti, & Germanici Cæsaris sororem, quæ ei Tiberium, & alios peperit. Sed à Sejano adultero persuasa virum veneno sustulit. Tiberium Drusi filium C. Cæsar. Imperat. necari jussit. Germanicus Cæsar Ti. Cæsaris adoptivus filius ex Agrippina Juliæ filia, Augusti verò nepte, ut antea dictum est, novem liberos procreavit. ex quibus tres infantes perieruot: tres mares, Nero, Drusus, & Cajus, quem *Caligulam* dicebant; tres feminæ fuerunt, Agrippina, Livilla, Drusilla, pro *Livilla* alii *Juliam* scribunt, quod ipsum denariis, & assibus C. Cæsaris confirmatur. Agrippinam duxit CN. Domitius Antoniæ Majoris filius Ahenobarbus, quæ ei Neronem peperit Imp. & postea Ti. Claudio Augusto patruo nupsit, Nerone filio adoptato, à quo postea occisa est. Julia M. Vinicio, Drusilla L. Cassio Longino, sive M. Lepido nupsit. Has tres sorores dicitur Caligula vitiasse, Drusillam io divos retulisse, duas alias relegasse. Agrippinam Germanici uxorem, & duos filios Neronem, & Drusum Tiberius Cæsar Imp. variis criminibus excogitatis mori coëgit. Ipsum Germanicum per CN. Pisonem sustulisse creditum est. Piso damnatus pœnas dedit. Cajus successor Tiberii, cujus mortem accelerasse dicitur, ejus crudelitatis heres, quadriennium fere in imperio debacchatus est. Pontifex Max. cos. IV. Imp. II. Trib. potest. IV. & triumphalis occisus est. Uxores habuit ante imperium Juniam Claudillam M. Silani filiam, postea Liviam Orestillam C. Pisonis, Lolliam Paulinam C. Memmii uxores abreptas, & mox dimissas: & Cæsooiam impudicam trium filiarum matrem duxit, ex qua filiam procreavit Juliam Drusillam. Sed hanc cum matre percussores Caligulæ occiderunt. Hic finis Cæsarum fuit. Consules sub Augusto tantum reperio, Julios, ipsum Augustum, & Ti. Cæsarem, de quibus antea diximus, & Cajum, ac Lucium M. Agrippæ filios, nepotes Augusti, quos à patre emptos adoptavit. Ex quibus C. Julius Aug. F. Cæsar cos. designatus fuit, sed non iniit an. DCCXLVII. Consul verò fuit an. DCCLIII. cum L. Æmilio Paullo. L. Julius Aug. F. Cæsar superioris frater cos designatus est an. DCCXLIX. sed non iniit. Tertius post hos Germanicus Cæsar fuit, cujus pater naturalis Nero Claudius Drusus fuit, adoptivus Ti. Julius Cæsar. hic consul fuit an. DCCLXIV. cum C. Fontejo Capitone. triumphum egit Procos. de Cherusceis, Catteis, Angrivariciisque Germaneis. VII. Kal. Jul. an. DCCLXIX. Iterum sub Tiberio patre, ejusdem in tertio consulatu collega fuit anno proximo, sed aut non iniit, aut statim abdicavit. Sub eodem Tiberio Drusus Cæsar filius non adoptivus sed naturalis cos. fuit cum C. Norbano anno DCCLXVII. Iterum cos. post sex annos cum ipso Ti. Augusto IV. & anno proximo Tribuniciam potestatem in decennium accepit: sed post annum mortuus est. Hic etiam *Germanicus* appellatus est, & ovans Procos. de Germaneis rediit an. DCCLXXIIII. Post Caligulam ante Maximinum Imp. hos consules invenio. Primus est C. Julius Atticus Vestinus, qui COS. occisus est anno DCCCXVII. sub Nerone Imp. Ejus collega fuit P. Silius Nerva, quem etiam *Silanum* appellarunt. Sub eodem Imp. C. Julius Rufus cos. fuit biennio post cum C. Fontejo Capitone. Eisdem coss. C. Julius Vindex Proprætore io Galliis primus adversus Neronem cum exercitu se in libertatem vindicavit, Galbamque ut idem faceret, exhortatus est. Sub Vespasiano Imp. CN. Julius Agricola Julii Græcini eruditi viri filius cos. suffectus fuit cum Domitiano Vesp. Aug. F. VI. an. DCCCXXIX. Hujus Agricolæ vitam conscripsit P. Cornelius Tacitus ejus gener. ortum fuisse ait ex Forojuliensi Colonia, patre, quem diximus, Græcino, quem C. Cæsar Caligula, quod noluerit M. Silanum accusare, interfecit. matre Julia Procilla, utroque avo equite procuratore Cæsaris. uxor ejus Domitia Decidiana. allectus est à Vespasiano inter patricios. post consulatum filia collocata in Britanniam missus. ex victoria Britannica ornamenta ei triumphalia à Domitiano Imp. decreta, & statua. successore misso, annos natus sex & quinquaginta Romæ mortuus est. sub eodem Domitiano C. Antius, Julius Quadratus cos. fuit ex Kal. Juliis cum M. Lollio Paulino Valerio Asiatico Saturnino an. DCCCXLV. Sequitur Julius Ferox cos. suffectus cum Acutio Nerva an. DCCCLII. sub Trajano Imp. Quinto deinde anno Ti. Julius Candidus II. & A. Julius Quadratus II. cos. fuerunt. quorum consulatus priores conscripti noo sunt. Quamo-

brem suffectos fuisse credidimus. Biennio post C. Julius Servilius Ursus Servianus cos. fuit ex Kal. Juliis cum Surano II. Iterum an. DCCCLXIII. etiam ex Kal. Juliis cum L. Fabio Justo sub eodem Trajano. Tertiùm cos. fuit sub Hadriano, cujus sororem duxerat, & ab eo XC. annos natus occisus est. Hic etiam appellatur *Ser. Servianus*. ejus collega fuit C. Vibius Juventius Verus. consules fuerunt an. DCCCXXCVI. Sub Trajano C. Julius Africanus bis cos. fuit. Priori consulatu an. DCCCLX. cos. suffectus cum Clodio Crispino ex Kal. Jul. in secundo collega fuit Imp. Trajani in sexto consulatu post quadriennium. Secutus est Ti. Julius Alexander, qui cos. suffectus fuit ex Kal. Jul. an. DCCCLXIX. cum M. Erutio Claro, sub eodem Trajano. Sub Hadriano Q. Julius Balbus cos. fuit cum P. Juventio Celso an. DCCCLXXXI. Et sexto postea anno L. Julius L. F. Atticus Acilianus cum Pompejano Luperco. Sub Pio Imp. C. Julius Severus, & M. Rufinus Sabinianus coss. fuerunt an. DCCCCVII. Sub Marco & L. Vero Impp. C. Julius Macrinus cos. fuit cum L. Cornelio Celso post annos IX. Et sub Imp. Pertinace C. Julius Fructus Clarus cos. fuit cum Q. Sosio Falcone an. DCCCCXLV. Sub Alex. Imp. Julius Lupus cos. fuit cum Maximo an. DCCCCXXCIV. Maximinus Imp. patre Micea matre Ababa altero Gotho, altera Alana in Thracis natus à magnitudine corporis appellatus esse videtur. Cujus filius *C. Julius Verus Maximus* appellatus est. barbaris ferisque moribus pater biennio Imp. fuit P. M. Trib. Pot. III. cos. II. Pater patriæ occisus est cum filio Cæsare. Sub eodem Imp. cos. fuit C. Julius Africanus collega ejusdem Imp. anno DCCCCXXCIIX. & anno proximo cos. suffectus ex Kal. Maji Julius Silanus cum Messio Gallicano. Sub Gordiano C. Julius Arrianus, & Æmilius Papus cos. fuerunt an. DCCCCXCV. Imp. M. Julius Philippus Pont. Max. Trib. Pot. VI. cos. III. cum filio ejusdem nominis Pontifice Trib. Pot. III. cos. II. Procos. occisi sunt. C. Julius Æmilianus Imp. Pont. Max. Trib. Pot. cos. occisus est. Q. Julius Licinius Saloninus Gallienus Cæsar Gallieni Imp. filius cum patre occisus est. Jam verò C. Julius Capitolinus collega fuit in consulatu, secundo L. Domitio. Aureliano Imp. an. CIↃXXVI. FL. Julius Crispus Cæs. Imp. Constantini Maximi notbus filius post triennium Cos. fuit. cum Imp. C. Aurelio Licinio V. & II. cum FL. Valerio Constantino Juniore II. an. MLXXII. sub Constantino Max. & eodem Licinio Impp. FL. Julius Constantius Imp: annis XXV. imperavit. Cos. fuit decies. triumphum egit Cos. VI. de Magnentio, Decentioque tyranneis ex Gallia pridie Kal. Maji an. CIↃCVI. Consulem postea unum tantum invenio Julium Felicem Valentinianum, qui cum Sext. Aurelio Victore Cos. fuit an. CIↃCXX. sub Valentiniano Valente & Gratiano Augustis.

JUNIA.

JUNIA duplex & patricia, & plebeja, utraque nobilis fuit. Sed illa unico viro Consulari præfulsit L. Junio Bruto, qui & primus Consul fuit, & auctor libertatis populi Romani: plebeja in plures stirpes propagata XIII. Consulares viros ante Augusti imperium habuit. Eorum cognomina hæc sunt: Bruti, Scævæ, Bubulci, Peræ, Pulli, Silani, & Penni. Lucius ille Brutus M. Junii, & Tarquiniæ sororis L. Tarquinii cognomento Superbi Regis filius, stultitiæ simulatione, ne à Rege Superbo, ut Marcus frater, & pater occideretur, *Bruti* cognomen accepit. Sed post illud Sex. Tarquinii facinus, qui Lucretiæ Sp. Tricipitini filiæ, L. Tarquinii Collatini uxori vim intulit, sapientiam detexit, & primus Regibus exigendis auctor fuit. quamvis jam tum Tribunus Celerum esset, quo magistratu usus est in abrogando Regibus imperio. Primus Consul fuit; sive Prætor, sic enim à *praeundo* dicebatur; cum eodem L. Collatino, quem tamen abdicare se magistratu coegit, & in exilium abire extra urbem propter odiosum Tarquinii nomen; collega subrogato P. Valerio Publicola, quem tunc *Valesium Poplicolam* dicebant, in prælio occisus est. Aruntem enim Superbi filium ita invasit, ut ambo ictu contrario ceciderint, ut Cicero in *Tuscul.* auctor est. Id prælium fuit pridie Kalendas Martias anno post urbem conditam ducentesimo quadragesimo quarto. Eum mortuum matronæ annum luxere. Uxor ejus fuit Vitellia, sive Gellia, cujus fratres Marcum & Manium, cum duobus filiis suis, Tito, & Tiberio, & fratris filiis, ut quibusdam placet, atque sororis Collatini Lucio, & Marco filiis, & Aquilliis ob conjurationem interfecit. statua ei decreta est, atque statuta in Capitolio ex ære inter regum statuas gladium distringentis habitu, ut Plutarchus affirmat. Idem Possidonium refert asserere ex tribus filiis duos securi interfici jussisse, tertium infantem relictum, à quo familia Brutorum deducta sit. Alios ex Bruti dispensatore ortos fuisse dixisse, eos præsertim qui M. Bruti odio, qui C. Cæsarem cum D. Bruto, & C. Cassio, ac cæteris conjuratis interemit, flagrarent. Hanc vero patriciam L. Bruti familiam Dionysius à quodam Æneæ socio progenitam scribit. Plebejus vetustissimus L. Junius C. F. Paterculus, qui primus Tribunus plebis fuit cum L. Sicinio L. F. Veluto anno XVI. post Reges exactos, hoc est, an. CCLIX. ut ex Asconio in *Corneliana* didicimus. quamvis pro *L. Junio Lavinium* quidam scripsere. hos, *C. Licinium*, *L. Albinum* Livius appellat: Dionysius *L. Junium Brutum*, & *C. Sicinium Bellutum*, & his tres alios additos, *C. & P. Licinium*, & *C. Jusillium Rhinganum*. Brutum illum *Tribunum* appellatum fuisse, non quod sanguine cum L. Junio Consule conjungeretur; sed quod eo nomine ab amicis laudaretur, ab inimicis irrideretur. Post hunc Q. Junius Tribunus Plebis fuit anno CCCXIV. consul primus D. Junius Brutus Scæva cum L. Furio Camillo, iterum an. CCCCXXIIX. fuerat Magister equitum ante quatuordecim annos Q. Publilio Philoni Dictatori rei gerundæ caussa. Alter eodem nomine D. Brutus

Scæva

Scæva consul fuit anno CCCCLXI. cum Q. Fabio Maximo Gurgite. Hunc superioris filium fuisse probabile est. Utrumque *Savam* non *Scævam* quidam appellant, sed plerique omnes *Scævam*, quod placet; cum videam *Scævolam* sivo *Scævulam* cognomen Muciorum ab hoc deductum; sive à sinistra, sive ab omine, aut augurio bono. Sinistra enim auspicia Romanis meliora fuere; utpote quæ sinerent rem fieri, sic enim interpretabantur. Ea Græce *σκαιὰ* dicuntur. Sic Festus ait *Scævam* & in bona, & in mala re vocari. Et Varro lib. VI. *de lingua Latina* pueris refert turpiculam rem suspendi in collo, ne quid obsit bonæ Scævæ caussa, unde *Scævola* appellatus est, *Scævamque* bonum esse omen dicit, quod sinistra bona auspicia existimarentur. Bubulci Bruti duo item consulares fuerunt, quorum alter ter Consul, bis triumphalis, Dictator, censorque semel, ac bis Magister Equitum: alter iterum consul triumphavit, ambo C. *Junii* dicti Cajo patre, Cajoque avo prognati Verrio Flacco auctore sunt. Prior enim consul fuit an. CDXXXVI. cum Q. Aimilio Barbula, iterum quarto demum anno cum L. Papirio cursore quintùm consule. anno proximo Magister Equitum fuit C. Sulpitio Longo Dictatore rei gerundæ caussa. Tertiùm consul cum collega suo Q. Barbula iterum eodem anno designatus est, & de Samnitibus Nonis Sextilibus in consulatu triumphum egit. Barbula de Etrusceis Idibus Sextil. Biennio post iterum Magister Equitum L. Papirio Cursore iterum Dictatore rei gerundæ caussa, quo anno, ut Verrius asserit, Dictator, & Magister Equitum sine consulibus fuerunt. Censor cum M. Valerio Maximo an. CDXLVII. lustrum fecit XXVII. L. Antonium senatu movit, quod virginem repudiasset sine amicorum consilio. Dictator de Æqueis III. Kal. Sextil. an. CDLI. iterum triumphum egit. Ædem salutis, quam consul voverat, censor locaverat, Dictator dedicavit. Eam ædem qui primus ex Fabiis *pictor* appellatus est, pinxit. Hujus filius, ut creditur, Consul fuit an. CDLXII. cum L. Postumio Megello tertium, qui Interrex erat. Iterum Consul de Lucaneis, & Brutticis Non. Jan. an. CDLXXVI. triumphum egit. Ejus collega fuit P. Cornelius Rufinus iterum Consul. Post hos tres consulares Brutos accepimus fuisse, nullo alio cognomine distinctos. Quorum primus M. Junius M. F. L. N. consul fuit cum A. Manlio Vulsone anno post urbem conditam DLXXV. Hujus, ut arbitror, pater Prætor Urbanus fuit tertio decimo antea anno. annoque ei proximo P. Junius Brutus Prætor Tuscos provinciam obtinuit, & postea Proprætore in Vlteriorem Hispaniam profectus est. His temporibus, ut Valerius Max. scribit, Marcus, & Decimus Bruti primi in funere patris gladiatores dederunt anno DXLI. sed Florus lib. XVI. id D. Bruto soli defert bello Punico primo. Alter consularis D. Brutus, quem M. F. Cicero in *Bruto* fuisse scribit, in consulatu collega fuit P. Cornelii Scipionis Nasicæ *Serapionis* cognomento appellati anno urbis DCXV. Post consulatum *Callaicus* appellatus est, & triumphum gessit Proconsule de Lusitaneis, & Callaiceis ex Hispania Vlteriore. De hoc Plutarchus; post Ciceronem refert non ut cæteros mense Februario, sed Decembri parentasse. Eundem Attio familiarem fuisse, & ab eo templa de manubiis ornata versibus Attii decorasse alii conscripserunt. Hujus filius ex Clodia uxore D. Brutus D. F. M. N. à Verrio censetur, collega Mamerci Lepidi Liviani an. DCLXXVI. Non desunt, qui supra scriptus inserunt M. Junium Pennum, quem M. F. M. N. Verrius appellat, & fuisse existiment M. Bruti consularis filium, ac patrem D. Bruti Callaici. Hic consul fuit cum Q. Ailio sive Allio Paito anno urbis DXXCVI. Hujus filius M. Pennus laudatur à Cicerone, utpote qui in tribunatu plebis C. Gracchum exagitarit Quæstorem an DCXXVI. Eumque Ædilicium mortuum fuisse asserit. Ante hos tamen M. Junius Pennus Prætor Vrbanus fuit anno DLII. & post annos XXIX. alter M. Pennus Hispaniam Citeriorem Prætor obtinuit. quem illius filium esse existimo, hunc verò eundem illum consulem. *Pera* cognomine duos Consulares reperio, quorum alter Censorius, & bis triumphalis; alter Dictator, & Censor fuit. Prior D. Junius D. F. D. N. Consul fuit anno CDXXCVII. cum N. Fabio Pictore, & in eodem consulatu bis triumphum egit V. Kal. Octob. de Sassinatibus, & Non. Febr. de Sallentineis, Messapieisque. Censor fuit anno quingentesimo cum L. Postumio Megello, qui Prætor etiam erat, & eo in magistratu mortuo D. Pera abdicavit. Sunt, qui suspicentur hunc Peram D. Scævæ consularis filium fuisse, & alterius Scævæ consularis nepotem. quod à temporum ratione alienum non est. Sed id ut incertum omittamus. Alter Consularis M. Pera D. F. D. N. superioris, ut arbitror, filius, consul fuit cum M. Aimilio Barbula anno DXXIII. & Censor quinquennio post cum C. Claudio AP. F. Centhone, lustrum fecerunt XLII. Dictator vero rei gerundæ caussa post pugnam Cannensem anno DXXXVII. Magistrum Equitum dixit Ti. Sempronium Gracchum Ædilem curulem. Eisdem temporibus *Pulli* cognomine L. Junium C. F. L. N. consulem fuisse invenio cum P. Claudio Pulchro anno urbis DIV. urgente bello Punico primo: sed ambo consules classem amiserunt, & Pulcher damnatus à populo est, Pullus necem sibi conscivit. Eisdem consulibus tertii ludi Sæculares acti Antiate, & Livio auctoribus. In hæc etiam tempora incidit, quod Plinius lib. XXXIV. cap. VI. scribit P. Junio, & Ti. Coruncanio interfectis à Teuca Illyriorum regina tripedaneas statuas positas fuisse. sed Polybius lib. II. eos C. & L. *Coruncanios* appellat, & unum tantùm ex his occisum fuisse an. DXXIII. Ad Silanos consulares ventum est, quos ex Manliis Torquatis originem duxisse indicant Ciceronis verba libro primo *de Finib.* cui Valerius Max. lib. V. cap. VIII. & Florus lib. LIV. subscribunt. Nam T. Manlius A. F. T. N. Torquatus, qui cum CN. Octavio Consul fuit anno

urbis DXXCIIX. cum Decimo Silano filium in adoptionem dedisset, isque Prætor Macedoniam obtinuisset, de provincialium querellis domi audivit. erat autem juris civilis, & Pontificii peritissimus; cumque contra filium pronuntiasset, in conspectum suum venire vetuit, filius eadem nocte laqueo sibi necem intulit. at pater adolescentis funeri non interfuit, & se consulentibus aditum patere jussit. Hac de causa titulum extare scio cujusdam sepulchri Virginis Vestalis Maximæ, cujus apud Tacitum lib. III. mentio fit, ut C. Silani Proconsulis Asiæ sub Tiberii Cæsaris sororis, quæ cum C. Silani filia esset Junia Torquata dicta sit. Ex veteribus Silanis M. Junium Prætorem fuisse cognovimus anno urbis quingentesimo quadragesimo primo. Hunc arbitror à Bojis occisum fuisse post annos XVI.

Primus M. Silanus Consul fuit anno sexcentesimo quadragesimo quarto cum Q. Metello Numidico. Hic malè cum Cimbris pugnavit, & accusatus est à CN. Domitio Tribuno plebis quinquennio post, apud populum duæ tantùm Tribus, Sergia, & Quirina damnarunt. Hujus filius, ut arbitror, D. Silanus M. F. Consul fuit cum L. Licinio Murena anno Urbis quingentesimo nonagesimo primo. Hic primus in Senatu à Cicerone Consule rogatus, cum designatus esset, sententiam in P. Cornelium Suram & Cethegum Catilinæ socios dixit. Hujus uxor Servilia fuit Soror M. Catonis, mater M. Bruti, qui adoptione in Serviliam gentem insertus est. Itaque appellatur in *Philippicis*, & in denariis ejus nomine signatis, *Q. Servilius Q. F. Cæpio Brutus.* Hujus sorores tres fuere *Juniæ* dictæ ex Silano, ut arbitror, patre natæ, quarum una M. Aimilio Lepido Pontifice Maximo, & postea Triumviro reipublicæ constituendæ nupsit, altera C. Cassio percussori Cæsaris, quam *Tertiam*, sive *Tertullam* cognominatam fuisse accepimus, de qua notus est Ciceronis jocus. Nam cum malè audiret Servilia, quod à Dictatore prædia emeret minimo pretio: *nil mirum*, inquit ille, *Tertia deducta est*. De alia Junia sorore nihil accepimus. Tacitus in calce libri tertii, Juniam C. Cassii uxorem obiisse ait sexagesimo quarto post Philippensem pugnam anno. Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatas, Manlios, Quinctios, aliaque ejusdem nobilitatis nomina. Serviliæ, & Catonis mater fuit Livia M. Drusi Tribuni plebis soror. M. Bruti percussoris Cæsaris pater post mortem Syllæ bellis civilibus à Pompejo occisus est, cum Florus *M. Brutum* appellat libro nonagesimo.

Alii duo eodem prænomine, & cognomine fuerunt, M. Brutus pater vir Prætorius, juris civilis peritissimus, qui multis in locis à Cicerone, & à Pomponio in *Digestis* laudatur; & M. Brutus filius accusator dictus, quem L. Crassus multis jocis vexavit. Fuit etiam percussor Cæsaris D. Brutus Marci propinquus. hic ab A. Posthumio Albino adoptatus *A. Postumius Bruti filius Albinus* appellatus est. Consul designatus Mutinæ à M. Antonio obsessus est. Ab eodem postea occisus est, & parum viriliter collum percussori præbuit, ut Valerius objicit. At M. Bruti uxores duæ, Claudia Appii Pulchri filia, & Porcia Catonis avunculi filia, quæ ex M. Calpurnio Bibulo Cæsaris in Consulatu collega filium habuit. Porciæ, Bruti interitus à multis laudantur; quos ego minimè laudo. At eorum igniculos virtutis suspicio. Fuerunt enim in Bruto magna quædam animi ingenii, & eruditionis atque eloquentiæ bona. Reliquit orationes, & de philosophia libros, qui non extant.

Ad Silanos redeo, quorum cognomen à Silo deductum esse censeo, non ut quidam existimant à Sylla, qui eos *Sillanos* conscribunt. *Silus* Sergiorum, & Liciniorum cognomen, cum significat, ut Festus refert, qui naso sursum versus repando sit, & galeæ *Silæ* dicebantur ab eadem similitudine. Hos patricios fuisse, ut Torquatos, à quibus originem ducunt, quærendum Censeo. auget suspicionem, quod collegas habuerint plebejos in Consulatu: alter Metellum Numidicum, alter Murenam.

Sub Augusto tres Consules Silanos invenio. M. Silanum collegam Augusti nono Consulatu, anno septingentesimo vigesimo octavo, quo anno Janus clusus est. Hunc D. F. M. N. quidam appellant, ut cæteris Consularibus conjungant. C. Silanum C. F. qui post octo annos Consul cum C. Furnio fuit, quo anno ludi sæculares quinti acti sunt. C. Silanum Caji filium Marci Nepotem Flaminem Martialem, qui anno septingentesimo sexagesimo secundo Consul fuit cum P. Cornelio Dolabella. Sub Tiberio Cæsare duo Consules Silani fuerunt, M. Junius M. F. qui cum L. Norbano Balbo Cos. fuit anno septingentesimo septuagesimo primo & AP. Silanus, qui nono postea anno Consul fuit cum P. Silio Nerva. Marci Silani filia Junia Claudilla nupsit C. Caligulæ ante adeptum imperium, quæ ex partu mortua est. Socerum idem Imperator ad necem compulit. Marci frater D. Silanus Juliæ neptis Augusti adulter exilium voluntarium suscepit, ut Tacitus libro tertio scribit. Temporibus Ti. Claudii Imperatoris D. Silanus Appii filius consul fuit cum Q. Haterio Antonino anno octingentesimo quinto. Hunc Proconsulem Asiæ, & fratrem Lucium generum Ti. Claudii Imperatoris Agrippina Neronis mater occidi jussit, ne filio præferretur in imperio. Eos Tacitus initio libri decimitertii appellat Divi Augusti abnepotes, Plinius verò libro septimo, capite decimotertio naturalis historiæ, *Marcus Silanus*, inquit, *nepos neptis Augusti, natus quo anno excessit è vita Augustus, Asiam obtinuit post Consulatum, à Nerone veneno sublatus.* Idem Tacitus libro decimo quinto refert Torquatum Silanum mori coactum à Nerone, qui Divum Augustum atavum ferebat. & libro decimo sexto hujus sororem Lepidam C. Cassii uxorem, & amitam L. Silani, quem etiam occidi jussit.

Sub Hadriano Imperatore Junius Silanus Sisenna cum Hibero Consul fuisse dicitur anno DCCCXXCV. In titulo tamen quodam Prænestini monumenti exstat mentio horum

Coss.

Coss. Q. Junii Silani, & L. Septimii Valeriani, in quo titulo mentio fit Ælii Augusti liberti. Sub Commodo duo Silani eodem anno consules fuerunt Cassiodoro anno DCCCCXLI. alterum *Junium*, alterum *Servilium* quidam appellant. Maximini verò temporibus consules suffecti ex Kal. Maji Junius Silanus, & Messius Gallicanus anno DCCCCXXCIX. Sub quibus Maximino abrogatum imperium est, & Gordiani Africani Imperatores appellati sunt. Maximi filio C. Julio Maximo Cæsari Junia Fadilla proneptis Antonini Imp. sponsa conjuncta non est, sed post ejus cædem Toxotio nupsit ejusdem familiæ Senatori, & postea Prætori, cujus poemata legit Julius Capitolinus. Enumerat idem ex Junii Cordi indagatione arras, & munera regia sponsæ data. Sed nos cæteros consulares Junios persequamur,
quorum varia cognomina fuerunt. Primus
I. sub Caligula Sex. Junius celer cum Sex.
Nonio Quinctiliano consul suffectus ex Kal.
II. Julus fuit anno DCCXCII. Alter Q. Rusticus collega Imperatoris Hadriani in tertio
consulatu anno DCCCLXXI. Tertius ejusdem
III. nominis, quem etiam Præfectum Urbis fuisse sub M. Antonino, & L. Vero Ulpianus significat, ejus collega in consulatu Vettius Aquilinus, vel ut in titulo cujusdam monimenti est, Q. Flavius Tertullus Kal. Jul. anno DCCCCXIV. Hunc existimo bis consulem fuisse, eumque esse, quem Julius Capitolinus ait summum philosophum Stoicæ disciplinæ, cujus auditor Marcus Imperator fuit eique mortuo statuas à Senatu postulavit. Anno proximo A. Junius
IV. Pastor Consul fuit cum L. Papirio Æliano, sive cum M. Pontio Læliano. Quin-
V. quennio post T. Junius Montanus cum L.
Vettio Paullo. Altero anno, hoc est, DCCCC-
VI. XXII. sub eodem Marco Imp. L. Junius
Clarus cum M. Aurelio Severo, quem
etiam *Cethegum* quidam vocant. At sub Va-
VII. leriano, & Gallieno Junius Donatus cum
Cornelio Sæculari iterum Consule anno CIↃ-
XII. quo anno Valerianus Imp. à Persis cap-
VIII. tus est. Sub Probo Junius Messala Consul
IX. fuit cum Grato anno CIↃXXXI. Item C. Ju-
nius Tiberianus anno proximo collega Imp.
X. Probi IV. Secundus ejusdem consulatus fuit
cum Cassio Dione anno CIↃXLII. sub Diocletiano, & Maximiniano, quo tempore idem
Tiberianus Præfectus Urbi fuit. Inter hos
XI. duos consulatus M. Junius Maximus, qui
etiam Urbis Præfectus fuit, bis Consul fuit.
XII. Namque anno CIↃXXXV. Consul suffectus
ex Kal. Jul. cum M. Aurelio Maximiano,
qui postea imperium obtinuit, & biennio
post Consul ordinarius fuit cum Vettio
XIII. Aquilino sub Diocletiano Imp. Fuit alter
Junius Maximus cum Imp. Maxentio IV.
Consul suffectus an. CIↃLX. Sub Constanti-
XIIII. no, & Licinio Flavius Junius Rufinus Cos.
fuit quartodecimo anno post superiorem
XV. cum Acilio Severo. Postremò Junius Quartus Palladius collega fuit in Consulatu Septimo Imp. Theodosii Minoris an CIↃLXIX. & eisdem temporibus idem Palladius Præfectus Urbis, & Præfectus Prætorio fuit. Hæc de Consularibus Juniis. Triumphalia ornamenta C. Junius Blæsus tulit anno urbis DCCLXXV. Proconsul Africæ permittente Tiberio Cæsare quod avunculus Ælii Sejani Præfecti Prætorio esset, qui tum plurimum poterat eidemque permissum est, ut Imp. more majorum salutaretur à militibus post victoriam de Tacfarinate & Numidis, ut Tacitus lib. III. & IIII. refert. Hujus fortasse filius fuit à Vitellio Imp. occisus Junius, & Antoniis avis clarus, ut Tacitus lib. XIX. refert, de quo fortasse Suidas in *Apicio*. Tulit etiam similia ornamenta L. Silanus Appii filius, cui Octavia Ti. Claudii Imp. filia destinata fuit, quam Nero Imp. duxit uxorem, cum legatus de Britanneis victoriam obtinuit anno DCCXCVI. Hunc ejusque patrem de medio sustulit. Idem Claudius Imperator, ejusque fratrem Decimum Silanum Asiæ Proconsulem Agrippina post Tiberii mortem, ut supra diximus.

LICINIA.

LICINIA Familia plebeja, sed clara, ac nobilis, in quatuor consulares præcipuas cognominibus distinctas stirpes propagata est: Calvorum, Crassiorum, Lucullorum, & Murenarum. Sed & Vari, & Getæ, & Nervæ, aliique minus clari extitere, de quibus postea dicemus. Primus Tribunus plebis C. Licinius fuit anno CCLIX. ut Livius scribit, C. & P. Licinii cum aliis tribus ut Dionysius, ac post XIII. annos Sp. Licinios. Primus quoque Tribunus militum consulari potestate de plebe P. Licinius Calvus anno CCCLIII. ita cæteri plebeji cedere debent Liciniis, quod primi & plebejos, & patricios magistratus fuerint consecuti. Magister Equitum è plebe primus I.
C. Calvus, consul plebejus secundus fuit C. Licinius Calvus Stolo, quem constat auctorem fuisse, ut alter Consul plebejus esse posset. Namque, ut Livius refert, M. Fabio K. F. M. N. Ambusto, qui Tribunus militum bis, Censor, & Pontifex Maximus fuit, duæ filiæ natæ sunt, quarum alteram duxit Ser. Sulpicius Rufus prætextatus, qui Tribunus militum fuit an. CCCLXII. Minor huic C. Calvo Stoloni nupsit. Hanc ferunt invidia sororis, quæ patricio nupta amplissimis magistratibus domum exornatam cerneret, impetrasse à patre, & à viro, ut in hanc rem maxime incumberent: ut plebeji patricios magistratus consequi possent. Tum Calvus Tribunus plebis leges promulgavit, quarum alteram facilè pertulit, ne quis civis Romanus supra quingenta jugera possideret: alteram de plebejis consulibus, de qua magnæ contentiones ortæ sunt. Sed ita in ea re perstitit Calvus, ut non permiserit comitia ulla haberi, nisi hac lege perlata. Ita idem Calvus cum L. Sextio Laterano refectus quinquies Tribunus plebis fuit, & curulibus magistratibus toto eo quinquennio Roma caruit. quorum primus fuit post urbem conditam annus CCCLXXVII. Consul fuit anno CCCXXCIX. cum C. Sulpicio Petico, iterumque triennio post cum eodem collega. Sed quartò post alterum consulatum anno sua lege Licinia damnatus est, quod ultra quingenta jugera cum filio emancipato, cui donationem in fraudem legis fecerat, possideret: Hunc primum

mum *Stolonem* dictum fuisse Varro ait :
quod nullus stolo in cjus agris reperiretur :
eosque identidem tolli juberet. Sunt autem
stolones arborum stirpes, ac radices, quæ
arantibus obsunt. Verrius hoc ei cogno-
men non adscripsit, qui cum dixit fuisse
C. F. P. N. suspicor cjus avum fuisse eum,
qui primus Tribunus militum è plebe fuit
cum quinque patriciis. Cujus filius P. Cal-
vus quadriennio post patrem eundem magi-
stratum obtinuit. Post quem alter C. Cal-
vus P. F. P. N. anno CCCLXXV. Tribunus e-
tiam Militum fuit, & decimo postea anno
Magister Equitum primus è plebe P. Man-
lio Capitolino Dictatori seditionis sedandæ,
& rei gerundæ caussa, qui M. Furio Camil-
lo Dictatori abdicanti suffectus est ; & eo
anno duo Dictatores, & duo Magistri Equi-
tum sine aliis Curulibus magistratibus fue-
runt. Ita quatuor Calvi duos Consulatus,
Tribunatus Militares tres, ac Magisterium
Equitum obtinuerunt. Celebris longo post-
ea intervallo fuit C. Licinii Calvi optimi
oratoris & poetæ fama, cujus pater C. Li-
cinius Macer vir Prætorius accusatus Cice-
rone Prætore repetundarum, cum damna-
retur, se ipsum interemit. Erat tum Cal-
vus filius annos natus XVII. Macri autem
historia à veteribus celebratur, sed oratio
Calvi in P. Vatinium illustrior fuit. Quæ
cum haberetur, dum multi exclamarent ;
surgens Vatinius, *num*, inquit, *quia hic
disertus est, ego innocens damnandus sum?*
Fuit autem Calvus Atticorum imitator, ver-
bis, & sententiis valde pressus, quod Cice-
ro improbare videtur non sine aliqua mo-
lestia, ne dicam invidia, quod à multis do-
ctis viris id genus orationis Tullianæ præ-
II. ferretur. Crassi feliciores Calvis fuerunt.
Nam septem Consulares viri, octo Consu-
latus, Censuras quatuor, Pontificatus Ma-
ximos duos, triumphum, & ovationem,
& Magisterium Equitum ante Cæsarem Di-
I. ctatorem obtinuerunt. Primus P. Crassus
Dives P. F. P. N. Pontifex Maximus anno
DXLI. in locum L. Cornelii Lentuli co-
optatus est, biennio post Magister equitum
Q. Fulvio Flacco Dictatori comitiorum ha-
bendorum caussa, & eodem anno Censor
cum L. Veturio Philone, qui in eo magi-
stratu mortuus est : quamobrem Crassus ab-
dicavit : ut post urbem captam à Gallis fa-
ctum semper est. Consul cum P. Scipione
Africano majore fuit anno DXLIIX. duobus
& viginti annis post Consulatum vixit. E-
jus funeris caussa visceratio data, & gladia-
tores CXX. & ludi funebres triduo, & post
ludos epulum, ut Livius lib. XXXIX. scri-
II. bit. Alter P. Crassus C. F. P. N. Cos. fuit an-
no primo belli Persici cum C. Cassio Lon-
gino, hoc est, anno DXXCII. Prætor is fue-
rat ante quinquennium, & in Hispaniam
III. provinciam ire recusavit. Tertio postea an-
no C. Crassus eisdem parentibus natus, ut
fratrem germanum esse non dubites ; M.
Verrio teste, cum L. Aimilio Paullo iterum
Consul fuit. qui ante quadriennium Præ-
IV. tor Urbanus fuerat. Tertius P. Crassus,
quem Verrius F. F. P. N. appellat, Patercu-
lus *Mucianum* cognomento, alii *Divitem*,
Pontifex Maximus in locum P. Scipionis
Nasicæ Serapionis anno DCXXI. cooptatus

A est. proximo anno Consul fuit cum L. Va-
lerio Flacco Flamine Martiali. cum quo
postea de provincia contendit, & Flami-
nem vetuit à sacris discedere. Sed ipse in
Asia occisus est ab Aristonico, primus ex-
tra Italiam Pontifex Maximus profectus.
Hunc ferunt P. Muccio Scævola Consulari,
& triumphali viro natum à P. Crasso Divi-
te adoptatum fuisse, fratremque germanum
fuisse P. Scævulæ Pontificis Maximi, &
Consularis viri, qui juris civilis peritissi-
mus fuit. De hoc Sempronius Asellio, *quin-
que maxima consecutus est Mucianus, quod
B esset ditissimus, nobilissimus, eloquentissimus,
jurisconsultissimus, & Pontifex Maximus.*
Ejus duæ filiæ fuerunt, quarum alteram C.
Sulpicius Servii Galbæ oratoris, & Consu-
laris filius, alteram C. Gracchus optimus
orator duxit. Hujus filium videtur Cicero
appellare P. Crassum Vinuliæ filium, &
vivo patre mortuum esse suspicari. Quar- V.
tus P. Crassus M. F. P. N. ex fastis Capi-
tolinis, Consul fuit anno DCLVI. cum CN.
Cornelio Lentulo. Hujus pater M. Cras-
sus, is est, quem semel in vita risisse Lucilius
scripsit, avum fuisse eum existimo. quem
C secundo loco constituimus P. Crassum. Pro-
consule de Lusitanis triumphat IV. an. post
Consulatum pridie Idus Junias. Censor qua-
driennio post triumphum cum L. Julio Cæ-
sare factus est. adversus unguenta exotica,
& sumptus ambo edixere. Iidem à C. Ma-
rio, & L. Cornelio Cinna occisi sunt anno
DCLXVI. quamquam hic sibi manus intulit.
Occisus etiam est P. Crassus filius, &c.
Cæsar frater L. Cæsaris, & alii insignes vi-
ri. Superstes patris fuit M. Crassus, quem VI.
divitem plerique appellant, CN. Pompeji
Magni in duobus consulatibus collega. Eos
D gessit anno DCXXCIII. & DCXCVIII. Ante
consulatum priorem anno proximo Proprae-
tore de Spartaco, & fugitivis ovans lau-
rea, non myrtea corona ut cæteris ex Sena-
tusconsulto urbem ovans ingressus est. Hu-
jus divitiæ, & potentia à multis celebratur,
quæ fere in tyrannidem evasit trium viro-
rum clarissimorum CN. Pompeji, C. Cæ-
saris, & M. Crassi. Censor fuit quinto an-
no post priorem Consulatum cum Q. Lu-
tatio Catulo, sed dissensione inter eos orta
abdicarunt. A Parthis cum P. filio magnæ
spei adulescente occisus est, adversus quos
E cum exercitu profectus Proconsule est. U-
xor ejus Tertulla, M. Luculli consularis vi-
ri, & triumphalis filia, parum pudica C.
Cæsari fuisse traditur. Sunt etiam, qui sus-
picentur Cæciliam Metellam Q. Cretici fi-
liam ejusdem uxorem fuisse, quod in titu-
lo ejusdem monumenti *Crassi* nomen adscri-
ptum sit. Venio nunc ad L. Crassum di- VII.
sertissimum illum oratorem, quem maxi-
mè laudat M. Cicero. Consul is fuit cum
Q. Mucio P. F. Scævula Pontifice Maximo
anno urbis DCLIIX. Hic ne triumpharet,
collega impedimento fuit, ut ex Cicerone,
F & Asconio in *Pisoniana* didici. Censor tri-
ennio post cum CN. Domitio Ahenobarbo,
cum quo sæpe contendit. Anno proximo
L. Philippo consule annos natus fere quin-
quaginta mortuus est, ut Cicero initio li-
bri tertii *de Oratore*, & in *Bruto* significat.
Tribunum plebis fuisse Lucilius refert.
Hujus

Hujus parentes ignoramus. uxor ejus fuit Mucia Q. Scævulæ Auguris, qui Consul fuit anno DCXXXVI. filia, & Læliæ Majoris C. Lælii sapientis filiæ. Filias duas reliquit, ex quarum altera, quam P. Scipio Nasica duxit, nepotem testamento in filium adoptavit, qui *L. Crassus* dictus est; faterque fuit Q. Metelli Scipionis Corneliæ patris, quæ prius uxor P. Crassi M.F. à Parthis occisi fuit, mox Cn. Pompeji Magni. Alteram duxit C. Marius C. Marii septies Consulis filius. Sed & idem Marius pater alteram Muciam ejusdem Q. Scævulæ Auguris filiam uxorem habuit. Antequam ab hac Crassorum gente discedo, commemorare libet, quæ Valerius Max. lib. VI. cap. XI. scriptum reliquit, Crassum quendam cognomine *Divitem* decoxisse, bonaque ejus à creditoribus fuisse divendita, ita non sine risu veteri divitis nomine postea salutatum. Eodem fortasse pertinet, quod Cicero Attico scripsit, *Noster amicus magnus, cujus cognomen una cum Crassi divitis cognomine consenescit.*

LUCULLORUM.

III. Lucullorum tres tantùm consulares fuisse invenio, duos ex his etiam triumphales. Ante hos L. Lucullus, & Q. Fulvius Ædiles curules ludos Romanos anno DLI. ter instaurarunt. Pecuniam ex ærario non sine Luculli infamia scribas, & viatores sumpsisse compertum est. Sexto postea anno C. Lucullus T. Romulejus, & P. Porcius Læca primi Triumviri Epulones facti sunt. & post XII. annos M. Lucullus Prætor inter cives, & peregrinos jus dixit. Est etiam apud Sallustium P. Luculli TR. PL. mentio, qui Jugurthini belli tempore continuare magistratum nitebatur, an. DCXLIII. Primus L. Lucullus consul fuit anno DCII. cum A. Postumio Albino biennio ante bellum Punicum tertium. Sub hoc in Hispania Scipio Africanus minor militavit. Hujus filius Lucius Cæciliam Q. Metelli Numidici sororem L. Metelli Calvi filiam duxit, qui anno nono post Luculli consulatum consul fuit: ex ea Lucium, & Marcum filios reliquit. Sed ambo conjuges infami nota famosi vixerunt. alter furti, seu repetundarum Servilio augure accusante damnatus, Cæcilia parum pudica vulgo credita. His parentibus ortus L. Lucullus præstanti vir ingenio clarissimus, & fortissimus fuit. Litterisque tam Græcis, quàm Latinis in primis eruditus, philosophiæ quoque, ut Cicero, & Plutarchus conscribunt, operam dedit. consul fuit anno DCLXXIX. cum M. Aurelio Cotta. post undecim annos M. Cicerone consule de Regibus Mithridate, & Tigrane triumphum Proconsule egit. Uxores habuit duas, Clodiam AP. Pulchri filiam, & Serviliam M. Catonis sororem, ex qua pupillum reliquit Catonis tutelæ commissum. quamvis ita post triumphum vixit, ut parum gratus Catoni esset, in omni genere luxus, & deliciarum sumptus effundens. Hujus & cœnæ, & piscinæ, & villa ut regii splendoris, & magnificentiæ celebrantur. Lucii Luculli frater patruelis, ni fallor, fuit M. Lucullus M.F. quem adoptatum fuisse constat à M. Terentio Varrone. Ita à quibusdam *M. Licinius Lucullus*, ab aliis *M. Terentius Varro Lucullus* appellatus est. consul is fuit cum C. Cassio Varo anno proximo post L. Luculli fratris consulatum. & biennio post suum consulatum triumphum de Thracibus, & Dardanis egit ex Macedonia. Eum Cicero in *Bruto* videtur juris publici, & privati peritum appellare. Hujus filiam, ut antea diximus, M. Crassus Dives uxorem duxit. quæ de C. Memmii cum uxore ejus adulterio prodita sunt, silamus. Occisum à M. Antonio Triumviro Valerius ait, ejusque amicum summum C. Volumnium. Nunc ad Murenas venio, quos *Murænas* Græci, ut pisces ejusdem nominis appellant. Triumphalis, & Consularis familia fuit. Namque anno DCLXXIII. L. Licinius Murena Proprætore de Rege Mithridate, ex Ponto & Asia triumphum egit. Hujus filii duo fuere, Lucius, & Cajus. Lucius Murena Consul fuit cum Divo Junio Silano anno DCXCI. Hunc Cos. designatum ambitus accusatum à Ser. Sulpicio, & M. Catone defendit M. Cic. Consul. extatque pulcherrima ejus defensio. Vitricus hic fuit L. Pinarii Nattæ, & Pinariæ uxoris P. Clodii AP. F. Pulchri Tribuni plebis, qui eundem Ciceronem aqua, & igni interdicendum sua rogatione curavit. Incerti temporis est, quod D. Murena Valerio teste adversus Libertinos Volsinienses fecit, qui cùm omnem publicam disciplinam corrumperent, à Senatu Romano missus Murena omnes aut in carcere necari, aut veteribus dominis restitui jussit. Atque etiam P. Murena, cujus Cicero in *Bruto* mentionem facit, bello civili Mariano occisus. Ante hos omnes Crassos, Lucullos, Murenas, C. Licinius Varus P. F. P. N. Consul fuit anno DXVII. cum P. Lentulo Caudino. quo tempore ludi sæculares tertii facti sunt. Anno verò DXLIII. P. Licinius Varus, & L. Veturius Ædiles Curules ludos Romanos diem unum instaurarunt. Biennio post Prætor urbanus idem P. Varus fuit. Post centum & viginti annos à C. Vari Consulatu C. Licinius Geta Consul fuit cum Q. Fabio Maximo Eburno, & post Consulatum anno octavo Censor fuit cum Q. Fabio Allobrogico, lustrumque fecerunt LXIII. Cum tamen proximo lustro fuisset post Consulatum Senatu motus à L. Cæcilio Metello Calvo, & Cn. Domitio Ahenobarbo censoribus. Hactenus consulares Licinios enumeravimus ante Cæsarum imperium. Ipsum *Licinii* nomen à Licinio deductum esse arbitror, ut *Julii* ab Julo, *Postumii* à Postumo, *Planci* à Planco, atque alia nomina eadem ratione. *Licini* & *Fabii*, & *Porcii* dicti sunt à Liciis fortasse quibus telæ texuntur. Porcii quoque *Liciniani* dicti Licinia priore uxore Marci Catonis Censoris orti, *Saloniani* verò Salonina posteriore. Nervas Licinios duos Prætores invenio, quorum alter C. Nerva Hispaniam Ulteriorem anno DXXCVI. & proximo anno A. Nerva Prætor aut eandem, aut Citeriorem Hispaniam provinciam obtinuit. M. Cicero in *Bruto* C. Licinium Nervam Tribunum plebis cum L. Calpurnio Bestia conjunxit, utrum-

utrumque non indisertum appellat, sed Nervam civem improbum fuisse, alterum bonis initiis orsum Tribunatum, quod P. Popillum à C. Graccho expulsum sua rogatione restituerit, tristi eventu consulatum gessisse; damnatus enim est Mamilia lege, quod à Jugurtha corruptus pecunia fuerit. *Pollionis* cognomine Livius L. Licinium quendam appellat à Senatu missum cum Sex. Cæsare, & L. Cincio Alimento ad consulem T. Quinctium Crispinum post obitum M. Claudii Marcelli collegæ anno DXLV. L. Damasippi Prætoris crudelitas celebrata est, qui partes Marianas secutus adversæ partis nobilitatem trucidare jussit, in quibus Q. Scævulam Pont. Max. ad ædem Vestæ, C. Carbonem Prætorium, Antistium Ædilicium, cujus uxor Calpurnia Bestiæ filia se ipsam interemit. Acta hæc an. urbis DLXXI. Sacerdotis cognomen C. Licinius Prætor habuit, qui ante C. Verrem Siciliam obtinuit. Apud Florum quoque invenio Sex. Licinium Senatorem à C. Mario VII. cos. de saxo ejici jussum esse. & apud Valerium Liciniam virum suum Claudium asellum necasse, & à propinquis strangulatam, cujus rei Florus quoque lib. XLVIII. mentionem facit. Liciniam quoque Vestalem absolutam postea incestus esse damnatam à L. Cassio, alii tradiderant. Vide Flor. lib. LXIII.

CRASSORUM.

CRASSORUM familia quinque Consulares eodem prænomine sub Cæsaribus habuit, quorum unus cognomento *Mucianus*
I. ter consul fuit. Primus M. Crassus M. F.
M. N. collega Augusti fuit in quarto consulatu anno DCCXXIII. biennio post Proconsule ex Thræcia, & Geteis IV. Nonas
II. Jul. triumphum egit. Alter eodem prænomine Crassus M. F. consul fuit cum CN. Cornelio Lentulo anno DCCXXXIX. sub Augusto. Hunc superioris esse filium suspi-
III. cantur. Tertius post annos XL. consul fuit cum L. Calpurnio Pisone sub Tiberio Cæsare. Hunc etiam proximi filium esse ex-
IV. istimant. Quartus M. Crassus Mucianus ter consul suffectus ex Kal. Jul. fuit, in primo consulatu cum L. Cornelio Sulla anno DCCCIV. sub Ti. Claudio Imp. in secundo collega Domitiani Cæsaris, temporibus Vespasiani anno DCCCXXII. in tertio verò consulatu collega ejusdem Domitiani quinquennio post fuit. quamquam hæc non certis indiciis, sed suspicionibus quibusdam
V. collecta sunt. Quintus M. Crassus Frugi cos. fuit cum C. Lecanio Basso an. DCCCXVI. sub Nerone. Hic ex Calpurniis Frugi in Liciniam familiam adoptione translatus est. Hujus, ut arbitror, filia Licinia Magna L. Pisonis Pontificis uxor fuit. Nam se in titulo cujusdam monumenti Crassi Frugi Pontificis filiam appellat. Eisdem temporibus L. Piso Frugi M. Crassi filium adoptat, qui *L. Piso Frugi Licinianus* dictus est. Hunc postea Ser. Galba Imp. adoptavit. Reliqui Consulares Licinii ante Imp. Valerianum, qui ex eadem familia fuit, sex fuerunt. quorum unus Nerva Silianus, duo Cæcinæ, ex quibus alter etiam *Largus*, unus
A *Sura*, qui ter consul fuit, duo Sacerdotes
appellati sunt. Primus A. Licinius A. F. I.
Nerva Silianus cum Q. Metello Cretico consul ann. DCCLIX. sub Augusto. Hic P. Silii filius ab A. Nerva adoptatus est, ut
Paterculus asserit. C. Cæcina Largus, quem II.
Asconius *Longum* appellat, consul fuit cum Ti. Claudio Imp. iterum cos. an. DCCXCIV.
Hic in magistratu mortuus est. At verò A. III.
Cæcina consul suffectus ex Kal. Sept. an. DCCCXXI. cum C. Fabio Valente. Sed ultimo die bimestris consulatus magistratus ei abrogatus est, quod à Vitellio Imp. ad Ve-
B spasianum defecisset, & in eum diem consul Dialis, ut Cicero lusit, cum de C. Caninii Rebili simili consulatu ornati à C. Cæsare ageret, Rossius Regulus creatus est. Anno proximo C. Cæcina Pætus, & L. Annius Bassus mense Novembri consules fuerunt sub Vespasiano Imp. Sed an hic Cæ-
cina Licinius fuerit, incertum est. Quar- IV.
tus L. Sura ter consul cum C. Sosio Senecione fuit sub Trajano Imp. Primo consulatu suffecti fuerunt ex Kal. Jul. an. DCCCL. Alter consulatus Suræ, tertius Senecioni fuit quadriennio post. & postea quinto ab
C hoc anno tertius consulatus Suræ, quartus Senecioni. Hoc *Sura* cognomen P. Cornelio Lentulo accessit, qui à Cicerone consule ob conjurationem Catilinæ ex S. C. occisus est. Fieri potest, ut adoptione à Cor-
nelius in Licinios venerit. Sacerdotum al- V.
ter cum Tertullo temporibus Pii Antonini
anno DCCCCX. alter collega M. Antonini Ela- VI.
gabali Imp. in secundo consulatu post annos unum & sexaginta. Triumphalia ornamenta hostibus devictis acceperunt. A. Cæcina Severus legatus Ti. Cæsaris Imp. de Germaneis an. DCCLXIIX. M. Licinius Cras-
D sus Frugi legatus Ti. Claudii Imp. bis ante annum DCCXCVI. ex Britannia, & M. Crassus Mucianus legatus Vespasiani Imp. de Sarmateis anno DCCCXXII. Valerianus Imperator, ejusque filii Valerianus minor, & Gallienus Licinii fuerunt, quamvis adoptione ex Valeria familia, ut ipsum *Valeriani* nomen significat, & quod pater Valerius fuerit, ut Trebellius Pollio testatur. Victor cognomen *Colobii* addit Valeriano; alii nomen *Aurelii* & *Valerii*. Sed in nummis eodem tempore signatis *P. Licinium Valerianum* tantum legimus. Censor ante Impe-
E rium fuit sub Decio Imp. anno urbis MIII. sine collega, & lustrum non fecit. quater consul fuit, Tribuniciam potestatem septies accepit, annos LXXVII. natus in prælio victus à Persis captus est. Ex duabus uxoribus duos filios habuit, quorum alter *P. Licinius Gallienus Aug.* alter *P. Licinius Valerianus Cæsar* dictus est. Gallieni uxor fuit Cornelia Salonina Pipa Marcomannorum Regis filia: ex hac duos filios procreavit. quorum alter *P. Licinius Cornelius Saloninus Valerianus Cæsar* appellatus, alterum sunt qui *Q. Julium Licinium Saloninum Gallie-*
F *num Cæsarem* appellent. Gallienus cum patre Imperium adeptus est, posteaque filios *Cæsares* appellavit, consul septies fuit, Tribuniciam potestatem XV. accepit. Triumphum de Persis egit. Valerianum fratrem, & Cæsarem, & consulem iterum, & deinde Augustum fecit. Ambo fratres,
& Q.

& Q. Julius filius Gallieni simul occisi sunt, Cornelius Saloninus ante sex annos occisus fuerat. Post horum cædem quadragesimo anno Galerio Maximiano & Constantino Maximo, & Maxentio Augustis, adjectus est Valerius Licinianus Licinius. Hic inter agricolas natus fortis miles fuit, bonarum litterarum non solum expers, sed etiam hostis, ut spadonum, & palatinorum, quos tineas & mures palatii appellabat. Uxorem duxit Constaotiam Constantini Imp. sororem; filium habuit Valerium Licinianum Licinium Cæsarem. Consulatus quatuor obtinuit, Tribuniciam potestatem XV. coactus est abdicare se imperio à Constantino, & postea occidi jussus; nec multo post Licinianus Cæsar filius, qui semel tantum consul fuit. Post hos nemioem Licinium Imperatorem aut consulem fuisse accepimus.

LIVIA.

LIVIAM familiam, quamvis plebejam olim floruisse admodum, octo consularibus, censuris duabus, triumphis tribus, dictatura ac magisterio Equitum honestatam Suetonius in *Tiberio Cæsare* auctor est. Sed cum ejus verba cum his fastis consularibus, qui hodie circumferuntur, contuli, ante ejusdem Imp. tempora septem consulatus, Magisteria Equitum duo invenio, cætera eodem modo. Quo fit, ut existimem alterum Magistrum Equitum, non Magistrum sed consulem in illis fastis, quos Suetonius secutus est, proditum fuisse. Liviorum cognomina fuerunt Denter, Salinator, Drusus, Libo, Æmilianus, Claudianus. C. Denter incertis suspiciooibus Magister Equitum fingitur C. Claudio Crassino Regillensi dictatori comitiorum habendorum caussâ anno CDV. Hujus nepos M. Denter consul fuit anno CDLI. cum M. Aimilio Paullo. Hic etiam ornatur à quibusdam Magisterio Equitum post annos XVI. Q. Hortensio dictatore seditionis sedandæ caussâ, à quo lex Hortensia de plebiscitis lata est. Sed nos iu incertis hærere nolumus. Ad Salinatores venio, quorum primus M. Livius M. F. M. N. Magister decemvir sacris faciendis fuit cum Manio Aimilio Manii filio ludis secularibus tertiis anno DXVII. ex Verrio Flacco. Idem, aut alius ejusdem nominis patre & avo ortus, simili etiam prænomine appellatis, consul fuit cum L. Aimilio Paullo anno DXXXIV. qui proximus fuit ante secundum bellum Punicum: ambo consules de Illurieis triumphum egerunt. Peculatus accusatus ob invidiam multa ei irrogata est omnium tribuum, una excepta Mæcia, suffragio. Iterum consul post duodecim annos urgente Hannibale creatus cum C. Claudio Nerone, cum quo inimicitias gesserat, eas reip. caussâ deposuit. Maximamque rem ambo gessere victo Asdrubale, & Pœnis, de quibus triumphum iterum Salinator, in cujus Provincia res gesta fuit, egit; Nero ovans Urbem ingressus est. Eodem anno Dictator comitiorum caussâ à collega dictus est. Triennio post Censores ambo fuerunt, qui cum equitum centurias recognoscerent, in quibus adhuc ambo censeri soliti fuerant, in Pollia tribu Salinator à collega equum vendere jussius est, quod olim populi judicio fuisset damnatus. At is omnes tribus una excepta Mæcia ærarias reliquit, quod magna inconstantia in se usæ fuerint, quem & damnaverint, & iterum consulem, atque Censorem fecerint. De collega questus est, quod non sincera fide cum eo in gratiam redierit, & quod falsum in se testimonium dixisset. Ob quas causas eum vendere equum jussit. Ambo Censores cum à CN. Bæbio Tribuno PL. rei agerentur ob nimis aspere actam censuram, Senatus ne causam dicerent, decretum interposuit. *Salinatoris* cognomen in censura invenisse Livius existimat vectigali novo ex salaria negotiatione inducto. Sed aliis antiquum cognomen fuisse videtur. Post hunc C. Salinator M.F. M. N. superioris, ut arbitror, filius, consul fuit cum M. Valerio Messalla anno DLXV. Ante consulatum anno XIV. Prætor Brutios provinciam obtinuit, hujus, ut arbitror, patruus eodem prænomine; at hic idem triennio ante Prætor classem provinciam sortitus est. Drusorum primus Coosularis C. Livius, quem Verrius M. Aimiliani filium, Marci nepotem fuisse affirmat. Consul is fuit cum P. Scipione Africano Aimiliano anno DCVI. *Drusi* cognomen à Drauso hostium duce occiso primum iovenisse Suetonius scribit. eundemque Proprætore ex provincia Gallia aurum retulisse Senonibus Capitolium obsidentibus datum. Hujus aboepotem ob eximiam adversus Gracchos operam patronum Senatus dictum. Hunc ipsum patronum M. Cicero *M. Drusum C. F.* appellat, qui in Tribunatu C. Gracchum collegam iterum fregerit, eumque & C. Drusum fratrem laudat. Fuit autem C. Drusus, ni fallor, juris peritissimus, cujus senis, & cæci domum multi frequentabant, ut Cicero lib. V. *Tuscul.* & Valer. lib. VIII. scripserunt. Nec displicet nobis eorum opinio, qui eundem ipsum esse arbitrantur M. Drusum, qui consul fuit cum L. Calpurnio Pisone Cæsonino anno DCXLI. & superioris Consularis C. Drusi filium. Idem M. Drusus triumphum anno proximo post consulatum Proconsule egit de Scordisceis ex Thræcia. Censor biennio post fuit cum M. Aimilio Scauro. lustro mors Drusi impedimento fuit. Ex Cornelia uxore M. Drusum, qui Tribunus Pl. occisus est anno DCLXII. & Liviam matrem M. Catonis, & duarum Serviliarum, & Q. Servilii Cæpionis procreavit. Serviliarum altera M. Bruti, & trium Juniarum mater, altera L. Luculli Consularis, & triumphalis viri uxor fuit. Hos Drusos ab Æmiliis ortos fuisse *Æmiliani* nomen docet, & pro senatu Tribunos plebis ea de caussâ stetisse credimus. Gratior tamen patris Drusi Tribunatus fuit, ob quem filius prætextatus diligebatur. Parva de re ob annulum forte orta cum Q. Cæpione sororis ejus viro contentio

tio maximas tragoedias in perniciem reipublicæ excitavit. Plurimas leges promulgavit, quas omnes L. Philippo consule auctore eo prætextu, quod adversus auspicia latæ essent, Senatus abrogavit. Dum civitatem Latinis pollicetur, caussa belli socialis extitisse creditur. Hunc existimo aut ejus filium adoptasse aliquem ex Claudia Pulchrorum familia, qui *Livius Drusus Pulcher Claudianus* appellatus sit. Namque Tranquillus refert Tiberium Cæsarem paternum genus à Tiberio Nerone, maternum ab Appio Pulchro ducere, qui ambo Appii Claudii Cæci filii fuerint. Insertumque Liviorum familiæ adoptato in eam materno avo. Mater Tiberii Livia Drusilla filia fuit Livii Drusi, quem nobilissimum & fortissimum virum appellat Paterculus, licet falso *Calidianum*, pro *Claudiano*, cumque victis Bruto, & Cassio se ipsum intercmisse, & Aufidiæ Lingonis filiæ. Hanc cum ex Tiberio Nerone priori viro Tiberium, quem diximus, filium haberet, & prægnans esset, Augustus duxit; quam semper unicè dilexit. Hunc Tiberium adoptavit, & Germanicum Drusi Neronis filium, quem Livia in domo Augusti peperit post tres menses à die nuptiarum, Tiberius idem adoptavit. Hæc Livia post obitum Augusti *Julia Augusta* appellata est ob testamenti conditionem, post obitum verò ob consecrationem *Diva Augusta* dicta. Tertius Drusus consularis fuit temporibus Augusti M. Livius L. F. Drusus Libo, qui cum L. Pisone Cos. fuit ann. DCCXXXVIII. Ex Scribonia familia adoptatum *Libonis* nomen indicat, & Tacitus lib. II. refert mortem Libonis Drusi, cujus proavus Pompejus, amita Scribonia Augusti uxor, consobrini Cæsares essent, an. DCCLXIIX. *Drusi* cognomen Claudio cuidam Suetonius addit, quem refert statua sibi cum diademate ad Appii forum posita Italiam per clientelas occupare tentasse. Antiquissimam Liviorum memoriam reperio apud T. Livium lib. IX. cum de Caudinæ pacis expiatione ageretur anno CCCCXXXIII. Nam L. Livius, Q. Mælius Tribunis plebis impedire deditionem consulum cœperunt. Sed Cicero lib. III. *Officiorum* eosdem Tribunos T. Numitium Q. Æmilium appellat. At cum se P. Decius P. F. Mus Cos. devovit, M. Livius Pontifex verbis sollemnibus præivit anno CDLIIX. & cum litoribus Decii Proprætore Gallos vicit. Ex Liviis Mamercus Aimilius Lepidus ortus est. qui consul fuit anno DCLXXVI. ac postea Censor, & princeps Senatus. Quem à M. Verrio *Lepidum Livianum* appellari didicimus. An autem is D. Drusi filius fuerit, nobis incertum est, quamvis id alio loco retulerimus. Non omittam primum illum Latinum Poëtam L. Livium Andronicum, & T. Livium Patavinum optimum historicum huic familiæ decus adjecisse. Ille primus fabulam dedit anno DXIII. Sed ejus scripta vix digna judicantur à Cicerone, ut iterum legantur: hujus eloquentiam mirantur omnes. Nunc Livias quasdam referam, quæ aut Imperatorum uxores fuerunt, aut celebres. Nero Claudius Drusus Germanicus Liviæ, & Ti. Neronis, ut supra scripsimus, filius ex Antonia Minore M. Antonii filia Germanicum Cæsarem, & Ti. Claudium Drusum, qui postea *Augustus* quoque appellatus est, & Liviam sive Livillam, quæ Druso Tiberii Cæsaris Imp. filio, & Agrippinæ Atticæ filiæ nupsit, eique filium Tiberium peperit. Hæc Livia ab Ælio Sejano corrupta virum veneno sustulit, ut Sejano nuberet: sed pœnas ambo dedere: ut Tacitus, & alii scripserunt. Germanicus Cæsar ex Agrippina Juliæ filia C. Caligulam Imp. & quinque Sorores, quarum una *Livilla* dicta est, procreavit. Inter Caligulæ uxores Livia Orestilla fuit, quam is C. Pisoni nubentem sibi vindicavit. & post paucos dies repudiatam biennio post relegavit. At Tiberii Claudii Imp. sponsa fuit Livia Medullina Camilla, quæ genus ducere à M. Furio Camillo dicebatur; hanc ipso nuptiarum die amisit. Ad hæc Livia Rutilii uxor septimum & nonagesimum annum vixisse memoriæ proditum est. Denique Livia Ocellina Ser. Sulpitii Galbæ Imperat. noverca eundem adoptavit, & L. Livius Ocella usque ad imperii tempus appellatus est.

LUCRETIA.

LUCRETIA patricia familia cum Tarquiniis Regibus propinquitate conjuncta, & ab eis propter injuriam desciscens vindicandæ libertati caussam præbuit, & exactis Regibus intra CXXX. annos septem viri consulatus sex, Tribunatus consulari potestate totidem, Triumphos duos obtinuerunt. Omnes cognomine *Tricipitini*, uno excepto Flavo, sunt appellati. Primus consul SP. Lucretius pater illius castissimæ & infelicissimæ feminæ Lucretiæ L. Tarquinii Collatini uxoris, quæ vim passa à Sex. Tarquinio superbi Regis filio, etsi infamiam timens consensit, ne servum cum ea simul occideret, ut Sextus minabatur; se ipsam in viri, & patris, & aliorum conspectu interemit. Erat tum Præfectus urbis à Rege constitutus idem Sp. Tricipitinus Tribunus Celerum L. Junius Brutus. imperio Regibus abrogato, ab eodem Præfecto comitia centuriata habita sunt, & primi consules, quos tunc *Pratores* appellabant, creati idem L. Brutus, & L. Collatinus Lucretia conjuge orbatus. quorum alter Tarquinia sorore Regis natus erat, Collatinus fratris patruelis, ut multi, aut sobrini ejusdem Regis filius, ut Dionysius affirmat, & altera sorore superbi natus. Sed abdicanti Collatino & Lavinium abeunti P. Valesius Poplicula sufficitur, & L. Bruto in prælio occiso SP. Lucretius magnus natu, & infirmis viribus, qui paullò post moritur; cui M. Horatius Pulvillus successit. Erat is an. CCXLIV. post Urbem conditam M. Verrio Flacco, quem libens sequor, teste. Alter T. Lucretius anno proximo cum eodem P. Valesio iterum consul fuit, & lustrum quintum condiderunt. Tunc enim consulum munus erat, quod postea Censoribus, quos *Magistros morum* dixerunt, proprium fuit. Antea Ser. Tullius Rex quater

ter lustrum condidit, & primus centuriata
ta comitia instituit. Iterum Consul fuit
post quadriennium cum eodem Poplicula
IV. consule. Ambo consules de Sabineis,
& Vejentibus triumphum egerunt. Ter-
III. tius L. Tricipitinus T. F. T. N. consul
fuit cum SP. Vetusio Crasso, anno urbis
CCXCI. Hunc superioris filium fuisse ex-
istimant, ex patris, & avi prænominibus
à Verrio adjectis. Triumphum consul de
Volsceis, & Æqueis egit. Sequitur Ho-
IV. stus Lucretius, sive Hostius, incertum e-
nim vetustas facit, & in hoc ferè singula-
re prænomen, quo ex Valerio Julius Paris
ait vocatos eos, qui peregrè apud hospites,
quos tunc *hostes* dicebant, nascerentur.
Perduelles enim à *duello*, hoc est, bello di-
cti sunt, quos nunc *hostes* dicimus: unde
perduellionis crimen nomen accepit. quam-
vis ea nomina una tantum *L.* littera tunc
& scriberentur, & proferrentur. Hic igi-
tur Lucretius consul fuit cum L. Sergio
Fidenate iterum anno CCCXXIV. Hujus fi-
V. lius P. Lucretius decimo postea anno Tri-
bunus Militum fuit cum Agrippa Menenio
Lanato, SP. Nautio, Rutilo & C. Servi-
lio Axilla, & post unius anni otiosi inter-
vallum iterum cum eodem Agrippa, & L.
Servilio Structo iterum, atque SP. Vetusio
Crasso. Post hunc quater Tribunus Mi-
VI. litum fuit L. Lucretius Tricipitinus ab
anno CCCLXSS. ad septuagesimum secun-
dum, inter primum & secundum Tribu-
natum vacui honoribus anni duo; inter se-
cundum & tertium anni quatuor, inter
duos postremos annus relictus est. Colle-
gas enumerare operosum, & molestum est.
VII. Unus *Flavi* cognomine L. Lucretius con-
sul fuit cum Ser. Sulpicio Camerino anno
urbis CCCLX. Præter hos sine aliquo co-
gnomine P. Lucretium Præfectum Urbis
fuisse invenio anno CCXCIV. & SP. Lucre-
tium Ædilem Plebis creatum Prætorem in
anno DXLIIX. Ariminium, sive Galliam ei
provinciam obtigisse. nec non alterum SP.
Lucretium Prætorem Hispaniam Ulterio-
rem anno DXXCI. provinciam obtinuisse.
Anno proximo C. Lucretius Gallus Prætor
etiam fuit. Paullò antè idem, sive alter
C. Lucretius cum C. Matieno Duumvir
navalis creatus est anno DLXXIS. Sed hic
Gallus Prætor, cui classis provincia etiam
fuit, cum ea in Asia, & Græcia avarè ver-
satus magistratu exacto à populo damnatus
est, multaque ei decies æris dicta. Ante
hæc tempora anno primo belli Punici se-
cundi, hoc est, urbis DXXXV. duo Quæsto-
res Romani à veniente in Ligures Hanni-
bale intercepti sunt C. Fulvius, & L.
Lucretius. Sub Augusto Q. Lucretius Q.
F. Vespillo Cos. fuit cum C. Sentio Satur-
nino anno DCCXXXIV. Fuerat autem is à
Triumviris proscriptus. Primus ex ea fa-
milia hoc cognomine appellatus est is Lu-
cretius Ædilis, qui Tiberii Gracchi occisi
à P. Scipione Nasica corpus in Tiberim
projecit. Vespæ, & *Vespillones* Festo di-
cuntur, qui vesperi eos efferunt, qui fune-
bri pompa duci propter inopiam nequeunt.
Annus Gracchanæ cædis fuit DCXX. A
Cicerone in *Bruto* Q. Lucretius Vespil-
lo inter oratores enumeratur, qui in pri-

A vatis caussis versaretur, & laudatur, ut a-
ctus, & juris peritus. *Ofella* cognomine
Lucretium quendam legi fuisse, occisum
à L. Sulla Felice dictatore, sive à L. Bel-
lieno avunculo L. Catilinæ ex ejus aucto-
ritate, quod ausus esset petere consulatum
contra ejus voluntatem; quod cum popu-
lus Romanus indignè tulisset; advocata
concione omnes se id jussisse certiores fecit:
ut verba à tyranni facto non discreparent.
Hunc Florus & Asconius *Asellam* appel-
lant non sine mendo, ut credimus. Sed
ego eos omnes, quos post Tricipitinos, &
B Flavum primo excepto enumeravi, suspe-
ctos habeo, ut ex patriciis Lucretiis non fue-
rint; & in eam opinionem propensior sum,
ut credam plebejos fuisse. Quamobrem du-
plicem Lucretiam, ut plerasque, facere o-
portet patriciorum & plebejorum familiam.

LUTATIORUM.

LUTATIORUM plebeja familia, sed no-
bilissima fuit, clarissimis viris atque ornatis-
simis illustris. Consulatus quinque, Cen-
suras duas, Triumphos tres, & Principa-
tum Senatus quinque tantum viri consecu-
C ti sunt. Omnes *Catuli* cognomine, uno
excepto Cercone, & ipsi eorumque paren-
tes solo *Caji*, aut *Quincti* prænomine nun-
cupati. Primus C. Lutatius C. F. C. N. Ca- I.
tulus consul cum A. Postumio Albino Fla-
mine Martiali anno urbis conditæ DXI. in-
signem victoriam de Pœnis obtinuit, & fi-
nem bello Punico primo post XXIII. an. im-
posuit. Anno proximo, IIII. Nonas O-
ctob. Proconsule navalem triumphum egit.
Cum Q. Valerio Prætore contendit, Atilio
Calatino sponsionis judice; & facile vicit;
ut quamvis, dum prælium commissum es-
D set, consul in lecto Claudius accubuerit,
Prætorque pugnaverit: tamen eum impe-
rium consulis fuerit, & auspicium; ei-
dem jus triumphandi competiisset. Eodem
anno Q. Cerco frater & consul fuit cum A. II.
Manlio Torquato iterum, & triumphavit
de Falisceis Kal. Mart. Quinquennio post
idem Quinctus Censor fuit cum L. Corne-
lio Lentulo Caudino, & in magistratu mor-
tuus est. *Cerconis* cognomen à cauda di-
ctum credimus, unde *cercalopex*, & *cerco-
pithecus*. Eodem cognomine CN. Lutatius
ad Regem Persen cum aliis legatus profe-
E ctus est an. DXXC. Sequitur C. Catulus, III.
qui cum L. Veturio Philone consul fuit an.
DXXXIIS. Hujus parentes ignoramus, sed
ex superioribus fuisse credimus. Post hos
fuere duo Q. Catuli insignes viri, quos Ci- IV.
cero ita distinguit, ut alterum patrem, alte-
rum filium appellet. Pater collega C. Ma-
rii in quarto consulatu fuit an. DCLI. & am-
bo consules de Cimbreis, aliisque barbareis
gentibus præclarissima victoria potiti, anno
proximo Proconsulibus triumphum egerunt.
Hujus mater Popillia post mortem Q. Ca-
tuli prioris viri L. Julio Cæsari nupsit, ex
F quo liberos duos L. Cæsarem, & C. Cæ-
sarem Strabonem suscepit. Laudata Po-
pillia est à Q. Catulo filio suo post mortem
exemplo singulari. Hic est ille Q. Catulus,
quem Cicero cum C. Cæsare fratre finxit l. II.
de Oratore interfuisse illi sermoni, quo L.
Crassius, & M. Antonius de ratione dicendi

usi sunt. Ejus uxor Domitia CN. Domitii Ahenobarbi filia, CN. Domitii soror, qui Tribunus plebis legem de sacerdotiis tulit. Ex ea Q. Catulum, & Lutatiam procreavit, quam L. Hortensius orator duxit. Sunt qui hanc Servilia matre fuisse credant. Mortem sibi conscivit cubiculo inclusus nuper calce illito, & igne admoto, cum L. Cinna, & C. Marius Cæsares fratres, & alios Senatores occidi jussissent, & à militibus à collega Mario missis quæreretur anno DCLXVI. Post quatuor annos Capitolium conflagravit, quem Q. Catulus filius curavit restituendum, quamobrem *Capitolinus* à Suetonio appellatur. Consul fuit cum M. Aimilio Lepido anno DCLXXV. cum L. Sulla se Dictatura perpetua abdicasset; maximis contentionibus hi duo consules inter se, utpote diversarum factionum homines contenderunt, & Lepidum Catulus ex Italia ejecit. Censuram cum M. Licinio Crasso post XIII. annos gessit, sed discordiæ caussa lustrum non fecerunt. quadriennio post principem Senatus à Censoribus lectum, & eodem anno mortuum esse ferunt. ejus adulescentia delicatior, quam par erat, fuit. Sed cum de mittendo in Asiam adversus Mithridatem duce ageretur, & Manilius Tribunus plebis legem promulgasset, ut CN. Pompejus mitteretur, dissuasit hic idem Q. Catulus, qui cum in concione diceret, non in uno Pompejo omnia esse ponenda, neque cum omnibus periculis objiciendum esse: quem enim haberent, si quid ei accidisset, in quo spem essent habituri, una voce populus exclamavit, *in te. Cepit*, inquit Cicero, *qui tunc Prætor erat, & Maniliæ rogationis suasor, cepit magnum suæ virtutis fructum, atque dignitatis: cum omnes prope una voce in eo ipso vos spem habituros esse dixistis. Etenim talis est vir, ut nulla res tanta sit, ac tam difficilis, quam ille non & consilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere possit.* Uterque Q. Catulus & pater, & filius eruditissimi tum Græcis, tum Latinis litteris fuerunt. pater libros scripsit de rebus gestis & consulatu, ejusque carmina ut mollia, & delicata laudantur. Filius non fuit in oratorum numero, sed elegans quoddam, & eruditum orationis genus sequebatur. Hujus filiam duxit Mummius L. Mummii Achaici, qui Corinthum evertit, nepos; ex qua Mummiam Achaicam suscepit Ser. Sulpicii Galbæ Imperatoris matrem. Itaque Galba statuarum titulis se pronepotem Q. Catuli Capitolini semper adscripsit: & cum generis sui imagines longo ordine in atrio collocaret, paternam originem ad Jovem; maternam ad Pasiphaen Minois uxorem retulit. Tanta erat illis temporibus cæcitas; ut nobilissimum hic se esse putaret, si genus duceret vel ab illo omnium cubilium adultero, vel ab hac suæ pudicitiæ supra sexum, atque fœminæ conditionem prodiga.

MANLIA.

MANLIA gens patricia clarissima fuit, & ab ipsis initiis libertatis ad CN. Pompeji, & C. Cæsaris consulatuum tempora multis præclaris viris effloruit. Initio *Vulsonis*, & *Capitolini* cognomine, postea *Imperiosi*, & *Torquati* multi usi fuerunt, unus atque alter *Atticus*, *Acidinus*, *Fulvianus*, *Longus* appellatus est. Fuerunt etiam Vulsones posteriores à Torquateis, & Imperiosieis distincti. Nos igitur prius de iis agemus, qui ante primum Imperiosium in majoribus magistratibus fuerunt, hos sequentur Imperiosi, illos Torquati, Torquatos Vulsones posteriores, & Acidinus Fulvianus. Novem igitur Manlii fuerunt, primo loco à nobis constituti, qui consulatus tres, Tribunatus consulari potestate duodecim, Dictaturam, Decemviratum legibus scribendis, & ovationes duas obtinuerunt. At Imperiosi tres consulatus duos, Dictaturam, Censuram, & Magisterium Equitum. Torquati autem septem consulatus undecim, Dictaturas quatuor, Censuras duas, Triumphos tres consecuti sunt. Postremò Vulsones posteriores tres consulatus quatuor, triumphos duos. Acidinus novo exemplo consul cum fratre germano fuit, & ante consulatum ovans urbem ingressus est. Tot præmiis secunda virtus Manliorum exornata annos quadrin-
gentos & amplius emicuit. Primus con- I.
sul, vel ut tunc appellabant, Prætor Cn.
Manlius fuit, cujus cognomen ignoramus,
cum M. Fabio Vibulano iterum anno urbis CCLXXIII. post Reges exactos an. XXIX. Fortiter adversus Etruscos pugnans cum Q. Fabio collegæ fratre occisus est. M. Fabius victor, quamvis saucius, & triumphum recusavit, & se consulatu abdicavit.
Sexto abhinc anno A. Manlius Cn. F. P. II.
N. consul fuit cum L. Furio Medullino, & lustrum octavum fecit; non enim Censores adhuc creati erant. Idibus Martiis ovans ingressus est, quod inducias cum Vejentibus fecerit. Anno CCXCIX. missus legatus est ad leges Græcorum conscribendas cum SP. Posthumio Regillensi, & Ser. Sulpicio Camerino: eas cum attulissent, consulibus abdicantibus Decemviri cum aliis collegis creati sunt legibus scribendis anno urbis trecentesimo secundo. His duodecim tabularum lex, fons, & origo totius juris civilis Romanorum debetur. Hujus cognomen *Bassi* vel *Vulsonis* fuisse, ut superioris *Cincinnati*, aut *Cæcinæ* alicubi inveni; sed parum tutum esse existimavi eorum
librorum fidem sequi. Tertius L. Manlius III.
est, quem *Capitolinum* Livius appellat, Tribunus militum fuit anno CCCXXXI.
Hunc sequitur M. Manlius eodem magi- IV.
stratu functus post alterum annum, cujus & parentes, & cognomen ignoramus. Post
hunc M. Verrio debemus A. Manlium A. V.
F. Cn. N. Vulsonem Capitolinum, qui cum aliis quinque Trib. Mil. fuit an. CCCXLIIX. & biennio interjecto iterum. Additurque à quibusdam tertius Tribunatus anno CCCLVI. quod Livio A. Manlius hoc anno Tribunus nuncupetur. Sed eundem esse non significat, cùm is numerum
tertium non addat. Ventum est ad M. Man- VI.
lium Capitolinum, qui bonis initiis, dum altissimum gloriæ gradum consecutus altiora secum cogitat, ex eodem Capitolino saxo, quod servarat, dejectus est. consul is fuit

fuit anno CCCLXI. Cum L. Valerio Poti- A
to, ovans de Æqueis urbem ingressus est.
Biennio post urbe capta à Galleis, in arce
Capitolina, dum anseres obstrepunt, hostes
adesse intelligens, eos dejecit ex cuniculo,
qua aggressi arcem erant. Interrex fuit tri-
ennio post, damnatus est anno CCCLXX.
Post hunc nemo Manlius *Marci* prænomine
est usus. Hujus fratres fuerunt Aulus, &
Titus Manlius, quorum alter fortasse est
is, de quo locuti sumus, A. Vulso Capi-
tolinus. Sex civicas tulisse hunc M. Capi-
tolinum, in quibus unam de duce Servi-
lio, Plinius lib. XVI. auctor est. Sed Livi- B
us spolia hostium cæsorum triginta, dona
imperatorum XL, in quibus insignes duas
murales coronas, civicas octo: inter serva-
tos cives C. Servilium Mag. Eq. nomina-
tum. *Capitolini* nomen non hunc primum
adeptum ostendunt alii, quos retulimus,
quod in Capitolio habitarent, ita appella-
VII. ti: id deinde patriciis prohibitum. Septi-
mus est A. Manlius, quem ter Tribunum
Militum fuisse Livius affirmat anno urbis
CCCLXV. & CCCLXIIX. & CCCLXX. Sunt
qui quartum Tribunatum addant post an-
nos duodecim, quo anno Livius A. Manlii C
VIII. Tribuni mentionem facit. Octavo loco C.
Manlii Tribunatus cum P. Manlii tribuna-
tu conjungitur anno CCCLXXIV. Publius hic
IX *Capitolinus* cognomento Dictator fuit suffe-
ctus M. Furio Camillo abdicanti seditionis
sedandæ, & rei gerundæ caussa an. CCCXXCV.
L. C. Licinium Calvum primum plebejum
Magistrum Equit. dixit. Anno huic pro-
ximo idem P. Manlius sive alter ejusdem
nominis Tribunus Militum fuit, quem Ver-
rius Flaccus A. F. A. N. Capitolinum ap-
pellat, nec addit notam, quam solet secun-
∴I.∴ dis magistratibus. *Imperiosi* cognomen pri- D
mus habuit L. Manlius A. F. quod nimis
severè delectum habuerit Dictator anno ur-
bis CCCXC. Clavi fingendi caussa creatus. Cui
M. Pomponius Tribunus plebis diem di-
xit, quod aliquot sibi dies ad Dictaturam
gerendam addidisset, quodque Titum fili-
um, qui postea *Torquatus* appellatus est,
rus ab hominibus relegasset. Sed filius Pom-
ponium coegit jurare se ab accusatione dis-
II. cessurum. Alter Torquati frater is est, ut
arbitror, quem M. Verrius *Cn. Manlium
L. F. A. N. Capitolinum Imperiosum* appel-
lat. Consul is fuit cum M. Popillio Læna- E
te anno quarto post patris Dictaturam. Ite-
rumque anno interjecto cum C. Marcio Ru-
tilo, ut quidam arbitrantur: neque enim
à veteribus proditum est eundem iterum
creatum. Interrex biennio post fuit. Cen-
sor cum eodem Rutilo primo è plebe fuit
anno CDII. lustrum fecisse dicuntur XXII.
III. Tertius alter Cn. Manlius superioris, ut
creditur, filius, nisi forte idem ipse est, Ma-
gister Equitum fuit à Dictatore L. Furio
Camillo dictus anno CDVIII. *Torquati* cog-
∴II.∴ nomen invenit T. Manlius L. F. A. N.
Imperiosus cum anno CCCXCII. cum Gallo F
pugnat, & ei torquem aureum detrahit,
eoque se induit. Hic ter Dictator, ter con-
sul fuit, & in tertio consulatu triumphavit.
Primam Dictaturam gessit anno urbis qua-
dringentesimo rei gerundæ caussa Magi-
strum Equitum dixit A. Cornelium Cos-
sum. Iterum Dictator quarto deinde anno
comitiorum habendorum caussa eundem
Mag. Equ. dixit. & biennio post consul
fuit cum C. Plautio Vennone. iterumque
consul cum C. Marcio Rutilo tertium an.
CDIX. Tertium consulatum gessit cum P.
Decio Mure quadriennio post; & urgenti-
bus Latinis insignem victoriam obtinuit.
Collega se devovit, & occisus est. Hic
Titum filium, quod ejus injussu pugnavit,
licet victorem, occidi jussit. Quamobrem
odiosum se juventuti Romanæ fecit, nemo-
que ei adulescens nobilis obviam processit
urbem ingredienti, dum triumphum egit
XV. Kal. Junias de Latineis, Campaneis,
Sidicineis, & Aurunceis. Tertia Dictatura
fuit anno DXXXIII. comitiorum, ut credi-
tur, caussa. Alter Torquatus superioris for- II.
tasse nepos in consulatu, quem cum M. Ful-
vio Paitino gessit an. CDLIV. ex quo lapsus,
dum se exercet, mortuus est. Tertius à Ver- III.
rio Flacco *A. Manlius T. F. T. N. Tor-
quatus Atticus* appellatus, Censor fuit anno
DVI. cum A. Atilio Calatino, & lustrum
fecerunt XXXVIII. Consul triennio post cum
C. Sempronio Blæso iterum factus est. ite-
rumque consul cum Q. Lutatio Cercone an.
DXII. cum eodem de Falisceis triumphum
egit. Cerco Kal. Martiis, Atticus IV. No-
nas. Quartus T. Torquatus T. F. T. N. IV.
proximi frater, aut fratris filius, ut suspica-
mur, consul fuit cum C. Atilio Bulbo,
iterum sexennio post illum triumphum, &
de Sardeis VI. Idus Martias hic quoque tri-
umphavit. eodem anno pace ubique parta
templum Jani iterum clusum fuisse veteres
prodiderunt. Sub Numa Rege antea solum
clusum fuerat. Tertiò temporibus Augusti
Cæsaris. Censuram gessit cum Q. Fulvio
Flacco anno DXXII. Sed lustrum non fece-
runt, quod vitio facti fuisse dicerentur. Ita-
que abdicarunt Verrio teste. Septimo postea
anno cum eodem Flacco iterum consule ite-
rum hic ipse Torquatus consul fuit. Di-
ctator quoque anno DXLV. tum comitiorum
habendorum, tum ludorum caussa fuit.
Triennio antea cum Comitiis consularibus
prærogativa centuria eum consulem face-
ret, & aliæ idem facturæ esse viderentur:
oculorum valetudinem excusavit, quæ cum
excusatio recepta non esset; *neque ego vestros*,
inquit, *mores consul ferre potero, neque vos
imperium meum*. Hunc filius, ut opinor, V.
Auli sequitur *T. Manlius A. F. T. N.* à
Verrio dictus, quem Valerius juris civilis,
& Sacrorum Pontificalium peritissimum ap-
pellat. Consul hic fuit cum Cn. Octavio
anno Urbis DXXCIIX. filium D. Junio Sila-
no in adoptionem dedit, in quem auditis
Macedonum legatis sententiam tulit pecuni-
as eum à sociis accepisse, eaque de caussa
& republ. & domo sua indignum esse. Eam
notam filius tam acerbè tulit, ut eadem no-
cte se ipsum laqueo interemerit. Pater fu-
neri noluit interesse, sed consultoribus eo-
dem tempore vacare. Proximo anno A. VI.
Torquatus fratri in consulatu successit, cujus
collega fuit Q. Cassius Longinus. Prætor
triennio antè fuerat, de rebus capitalibus
quæstiones exercuit. Septimus L. Torqua- VII.
tus consul fuit cum L. Aurelio Cotta anno
DCXXCIIX. Hi videntur præmio legis

consules facti, cum accusassent ambitus P.
Sullam, & P. Autronium competitores con-
sules designatos, & obtinuissent: sed maxi-
mum periculum Kal. Jan. & Nonis Febr.
subierunt ab eisdem, quos accusaverant,
inita conjuratione cum L. Catilina, & Cn.
Pisone. Sed detecta conjuratio est, & Cn.
Piso in Hispaniam missus, Catilina consu-
latum cum obtinere non potuisset, Cicero-
ne consule biennio post, iterum conjura-
tionem instituit. Extat Ciceronis oratio *pro
P. Sulla*, ex qua apparet L. Torquatum
L. Torquati consularis viri filium, cujus
mater Asculana fuisse dicitur, Sullam accu-
sasse, ut utriusque conjurationis non exper-
tem. Hic est L. Torquatus filius, quem
ut Epicureum fingit idem Cicero lib. I. *de
Finibus* cum eo longum habuisse sermonem.
Fuit eodem tempore A. Torquatus quæsi-
III. tor in Milonem de ambitu. Nunc ad Man-
I. lios Vulsones posteriores venio. Primus
L. Manlius A. F. P. N. Vulso Longus
consul fuit anno CCCCXCVII. cum Q. Cæ-
dicio, & eo mortuo cum M. Atilio Re-
gulo iterum. bello Punico primo in consu-
latu navalem de Pœnis triumphum egit.
Iterum consul fuit sexto anno à priore. ejus-
que collega C. Atilius Regulus iterum.
II. Alter *Cn. Vulso Cn. F. L. N.* à Verrio di-
ctus, superioris, ut credimus, nepos, con-
sul fuit cum M. Fulvio Nobiliore anno
DLXIV. triumphum egit III. Nonas Mar-
tias biennio post de Gallcis Asiaticeis. Hu-
jus res gestas Hannibal Græcè scripsit. Ter-
III. tius A. Vulso superioris frater, ut existi-
mamus, cum à Verrio Flacco Cn. F. L.
N. ut ille appelletur, consul fuit cum M.
Junio Bruto anno DLXXV. Præter hos P.
Manlius Vulso Prætor Sardiniam obtinuit
anno DXLIII. & anno postea XIII. L. Vul-
so PR. Siciliam eandem provinciam bien-
nio post C. Vulso Prætor sortitus est. Re-
IV. liquum est, ut de Acidino Fulviano aga-
mus. Q. Fulvius Flaccus, qui quater con-
sul, semel Dictator, Censor, Magister e-
quitum, & Triumphalis fuit, filium in
adoptionem dedit L. Manlio L. F. Acidi-
no. Itaque filius, qui antea, ut credimus,
M. Fulvius Flaccus dicebatur, postea *L.
Manlius L. F. L. N. Acidinus Fulvianus*
appellatus est. *ἀκιδνὸς* Græcis *imbecillum* sig-
nificat, ac *tenuem*: inde fortasse *Acidini* cog-
nomen deducitur. nisi potius ab *acido Aci-
dinus* est. Hic cum fratre germano Q. Ful-
vio Q. F. M. N. Flacco, quod numquam
alias ante Cæsarum imperium accidit, con-
sul fuit anno urbis DLXXIV. Triumpharunt
duo fratres germani Metelli eodem die,
duo etiam Censores eodem anno fratres pa-
trueles fuerunt, & ut Paterculus refert,
duo quoque Censores fuerunt Scipiones,
sive Cæpiones fratres germani; quod, ut
alia multa, quo anno acciderit, ignoramus.
Acidinus biennio ante consulatum cum P.
Scipione Nasica, & C. Flaminio Aquilejam
Coloniam Latinam Triumvir deduxit. ex
Hispania Citeriore Proprætore fuisse rever-
sum ovantem constat anno urbis DLXVIII.
Prætor is fuerat ante triennium. Alius quo-
que L. Acidinus Prætor fuit an. DXLIII.
M. Marcello IV. Consule. Idemque, ut ar-
bitror, post undecim annos ex Hispania re-

A versus à senatu, ut ovans ingrederetur,
impetraverat; sed à M. Porcio Læca TR.
PL. prohibitus est. magnum tamen auri &
argenti pondus in ærarium tulit. Præter
hos omnes P. Manlius Cos. fuisse dicitur
cum C. Papirio Carbone anno DCXXXIII.
sed is Mallius, aut Manilius fortasse est,
quæ ambæ consulares familiæ fuerunt;
quamvis à multis tam Græcis, quàm La-
tinis & inter se, & cum hac Manlia confun-
dantur. ut in collega P. Rutilii Rufi. Cos.
an. DCXLIIX. quem *Cn. Mallium* in titulo
veteris monumenti appellatum esse scio, &
B in collega L. Marcii Censorini, qui consul
fuit an. DCIV. quem *Manium Manilium P.
F. P. N.* Verrius appellat. Prætorem quo-
que L. Manlium fuisse scimus anno primo
belli Punici secundi, urbis conditæ DXXXV.
& post undecim annos C. Manlius Prætor
Siciliam obtinuit. Nec dubito, quin apud
Livium lib. XXVIII. Q. Manilius Thurinus
fuerit is, qui Ædilis Plebis cum M. Pom-
ponio Mathone ludos plebejos instauravit
anno DXLVI. & anno proximo Prætor pere-
grinus fuit. quamvis *Q. Manlius* mendosè
legatur. At P. Manlius anno DLVIII. Prætor
C Hispaniam Citeriorem provinciam obtinuit,
adjutorque M. Porcio Catoni consuli datus
est. Idem iterum Prætor eandem provinciam
obtinuit post annos tredecim. Quærendum
quoque est, quisnam L. Manlius fuerit,
qui cum L. Minucio Myrtilo jussu M.
Claudii Prætoris Urbani, quod legatos
Carthaginiensium pulsassent, traditi legatis
sunt, ut Carthaginem ducerentur.

MARCIA.

MARCIA gens duplex, patricio-
D rum, & plebejorum, utraque nobilissima:
illa vetustate, atque origine à duobus Ro-
manorum Regibus orta, atque decorata,
& Coriolano clarissimo viro, atque fortis-
simo illustris; hæc in varias stirpes divisa
multis insignibus viris eluxit. Nam & Ru-
tili, & ex his orti Censorini, & Philip-
pi, & Figuli, ac Reges, & si qui alii aliis
cognominibus distinguuntur, omnes plebeji
fuerunt. At patricii, quos majorum genti-
um dicere possumus, si eorum opinionem
sequamur, qui credunt à L. Junio Bruto
primo Consule adscitos ex equestri ordine,
E primos patricios minorum gentium fuisse
appellatos, ex Sabinis Romam cum Numa
Pompilio Rege migrarunt. *Numa Marcius*
princeps gentis appellatus est, quod Marci
filius esset, ut Numa Rex, quod Pompo-
nis esset, Pompilium gentis nomen inve-
nit. Hunc Numam Marcium Præfectum
Urbis fuisse, & Pontificem Maximum sub
Numa, & Tullo Hostilio invenio. ex uxo-
re Pompilia Numæ Regis filia Ancum Mar-
cium Regem quartum Romanorum susce-
pit. Numæ Regis uxor Tatia Titi Tatii
Regis Sabinorum filia fuit, qui Romæ cum
F Romulo regnavit. Ex ea Pompilia nata
fuerit, nec ne, ignoramus. Sunt, qui af-
firment eundem Regem quatuor præterea
filios procreasse, Pomponem, Pinum, Cal-
pum, & Marcum sive Mamercum, utro-
que enim nomine idem significatur, ut
cùm *Mamers* Mars dicitur. Ab his ortos
fuisse

fuisse Pomponios, Pinarios, Calpurnios,
& Marcios, quos falso *Mamercios* Plutar-
chum appellasse quidam arbitrantur. Ita
duplex origo Marciorum, aut à Numæ
Regis filio, aut ab Anco Rege, & à Nu-
mæ filia, orationibus, & laudationibus
funerum jactabatur. Quibus affirmat Cice-
ro historiam rerum Romanarum effectam
esse mendacem. *Multa enim*, inquit, *scri-
pta sunt meis quæ facta non sunt. falsi trium-
phi, plures Consulatus, genera etiam falsa,
& à plebe, vel ad plebem transitiones, cum
homines humiliores in alienum ejusdem nomi-
nis infunderentur genus. Anci* prænomen
Marcii Regis Sabinum esse Varro signifi-
cat, quidam Græcum esse putant à vitio
brachii nimis adunci. Regnavit annos XXIV.
triumphum bis egit de Vejentibus, & Sa-
bineis, Ostiam Coloniam deduxit. Duos
filios, qui postea L. Tarquinium Priscum
Regem occiderunt, reliquit, quos Servius
Tullius Rex in exilium misit. Tarquinius
annos XXXIIX. regnavit. occisus est anno
urbis conditæ CLXXV. Ab hoc anno ad
CCLX. nulla Marciorum mentio, quod sci-
am, fuit. Tum Cn. Marcius, quem *Cajum*
Plutarchus appellat, à Postumo Cominio
consule laudatus, quia fortem se, dum
Corioli Volscorum oppidum caperetur, o-
stenderat; qui cum ei multa dona optare
concederet, equum, & hospitem tantum
Marcius Coriolanus, sic enim appellatus
postea est, optavit. Anno proximo cum
repulsam in consulatus petitione tulisset, &
de Tribunorum PL. potestate abroganda
in Senatu consilium dedisset, ne damnare-
tur præsens, solum vertit; in patriam mag-
num Volscorum exercitum quadriennio post
duxit; sed Veturiæ matris, & Volumniæ
uxoris, & aliarum matronarum precibus ab
incepto destitit. Matronis multa concessa à
Senatu enumerantur, aram Fortunæ mulie-
bri eodem loco faciendam curarunt, quo
id impetraverant. Coriolani mortem variè
veteres scripserunt. Alii à Volscis prodi-
tionis crimine invisum occisum esse, alii se
ipsum interemisse, ut Themistoclem; ter-
tii senem admodum in exilio esse mortuum.
.II. Plebejorum vetustissimus C. Marcius, qui
Tribunus plebis fuit anno post urbem con-
ditam CCCLXIV. Rutilorum, & Censori-
norum tres Consulares ante Augusti tem-
pora fuerunt, quorum primus quater con-
sul, bis triomphum egit, idemque primus
è plebe Dictator, primusque plebejus Cen-
sor fuit. Alter cum bis Censor fuisset,
quod nemo unquam obtinuit: *Censorini* cog-
nominis caussa fuit. Tertius & consulatum,
& Censuram consecutus est. Primus igitur
I. C. Marcius L. F. C. N. Rutilus in primo
consulatu, quem cum Cn. Manlio Impe-
rioso II. gessit an. CCCXCVI. de Priverna-
tibus triumphavit Kal. Juniis & anno pro-
ximo de Tusceis pridie Nonas Maji Dicta-
tor. Quarto postea anno iterum consul
fuit cum P. Valerio Potito Poblicola. Anno
vertente censor cum Cn. Manlio Imperios-
so, lustrum fecerunt XXII. Tertium con-
sul fuit anno CDIX. cum T. Manlio Tor-
quato II. & cum Q. Servilio Ahala quar-
tum consul, uno anno interjecto honoribus
vacuo. Ex hoc clarissimo principe familiæ

A natus est C. Rutilus, qui cum Q. Fabio II.
Maximo Rulliano iterum an. CDXLIII. con-
sul fuit. Censuram priorem gessit post an-
nos XVI. cum P. Cornelio Arvina. lustrum
fecerunt trigesimum. Iterum Censor post
annos novem & viginti, hoc est, anno
CCCCXXCIIX. cum Cn. Cornelio Blasione
fuit, lustrumque fecerunt XXXV. Tunc
Censorini nomen accepit, quod posteris quo-
que accessit. Populum increpuisse dicitur,
quod bis eidem tantam potestatem detule-
rit: & ne aliquis bis Censor fieret, legis
promulgandæ auctorem fuisse. Tertius L. III.
B Marcius C. F. C. N. Censorinus Manii
Manilii in consulatu collega anno primo
tertii belli Punici, hoc est, anno urbis DCIV.
biennio post Censor fuit cum L. Cornelio
Lentulo Lupo. lustrum fecerunt LVI. Hunc
nepotem, aut pronepotem superioris fuisse
credimus.

PHILIPPI.

PHILIPPI quatuor, Consulatus quin- .III.
que, Censuras duas, Magisterium Equi-
tum, & triumphum obtinuerunt. Primus I.
C Q. Marcius Q. F. Q. N. in consulatu,
quem cum L. Aimilio Barbula gessit, tri-
umphavit de Etrusceis Kal. Aprilis anno
CDLXXII. Magister Equitum fuit an. XIIX.
Cn. Fulvio Maximo Centumalo Dictatore
clavi figendi caussa. Sequitur Q. Philippus II.
L. F. Q. N. Verrio teste, quem proximi
nepotem fuisse suspicamur. Consul fuit cum
SP. Postumio Albino an. DLXVII. ob Bac-
chanalia ex Senatus consulto consules quæ-
stiones exercuerunt in plerasque feminas
non viles; quæ sacrorum prætextu turpiter
vixerant. ante biennium Prætor Siciliam ob-
D tinuit. Iterum consul fuit cum Cn. Servi-
lio Cæpione an. DXXCIV. quinquennio post
Censor cum L. Aimilio Paullo. Lustrum
fecerunt LIII. Hujus filius *Q.* à Livio com-
memoratur. Tertius L. Philippus Q. F. III.
Q. N. cujus mater Clodia soror fuit Appii
Pulchri C. F. Consularis viri, clarissimus
vir fuit, & post L. Crassum, & M. Anto-
nium eloquentissimus: in Tribunatu plebis
legem Agrariam promulgavit, sed eam non
pertulit, in Tribuni Militaris, & consula-
tus petitione repulsam tulit, consul tamen
factus est cum Sex. Julio Cæsare anno pro-
E ximo ante Marsicum, sivè sociale bellum:
hoc est, urbis an. DCLXIII. in eodem consu-
latu M. Drusi TR. PL. conatus fregit,
ejusque leges Livias neminem tenere decer-
nendi senatui auctor, ut consul & Augur
fuit, utpote contra auspicia latas. Censor
cum M. Perperna quinquennio post lu-
strum conditi LXVII. Quartus L. Philip- IV.
pus L. F. hoc est, superioris L. Philippi
filius consul fuit cum Cn. Lentulo Mar-
cellino an. DCXCVII. Hic vitricus fuit C.
Octavii, qui postea adoptione majoris avun-
culi *C. Cæsar Octavianus* appellatus est, &
F postea *Augusti* cognomine imperium tenuit.
Namque Attia Augusti mater post C. Octa-
vii Prætorii viri mortem L. Philippo nup-
sit ex qua L. Philippum procreavit, ut Di-
on scribit. Ovidius verò in calce lib. VI.
Fastorum materteram Cæsaris Augusti Phi-
lippo nupsisse ait, & ex eo natam Marciam,
quæ

quæ tum ab Anco Rege, tum ab eo Philip- A
po, qui templum Herculis Musarum ædificavit, genus duceret. Hunc autem Augusti tempore fuisse, qui id templum construxerit, Suetonius auctor est. Ex alia uxore Philippi Marcia nata est M. Catonis, & Q. Hortensii uxor, quæ vivo Catone ab Hortensio expetita esse dicitur, & mortuo Hortensio ad Catonem rediisse. L. Philippum patrem invenio Gellii vitricum fuisse, & Gelliæ Postumii matris. est autem is Gellius quem Catullus turpissimis verbis proscidit, in quem Cicero in *Sextiniana* inve-
hitur, frater, ut arbitror, L. Gellii Publico- B
C.IV. læ viri Censorii. Figulos duos tantum consulares reperio ambos eodem prænomine. Prior C. Marcius C. F. Q. N. consul cum P. Cornelio Scipione Nasica, qui *corculum* dictus est, anno DXCI. Sed Figulus è Gallia, Nasica è Corsica redierunt, & abdicarunt se consulatu, quod vitio facti esse dicerentur. In eorum locum facti sunt P. Lentulus, & Cn. Domitius Ahenobarbus. Iterum tamen consul sexto postea an. fuit cum L. Lentulo Lupo. cum Delmatis variè pugnavit, victoria tandem potitus est.
C. Figulum Prætorem fuisse invenio anno C
DXXCIV. cum hunc ipsum fuisse arbitror, & Classi præfectum fuisse. Hujus filius C. Figulus jurisconsultus cum in petitione consulatus repulsam tulisset, postridie fertur consulentibus dixisse, *Vos consulere scitis, Consulem facere nescitis*. Alter consularis *C. Figulus C. F.* à Dione appellatur, Figuli jurisconsulti, ut arbitror, filius, aut nepos. Consul fuit cum L. Julio Cæsare anno DCXXCIX. Ante hos T. Marcius Figulus anno DXXIV. nuntiavit Senatui palmam enatam in impluvio suo.

D

R E G E S.

REGES duos etiam Consulares invenio,
V. & alterum triumphalem. Prior Q. Marcius Q. F. Q. N. consul fuit cum M. Catone Liciniano anno DCXXXV. Proconsule anno proximo triumphum egit de Liguribus Stœneis III. Nonas Decembres. Hic in consulatu unicum filium amisit magnæ spei adulescentem; eodem die Senatum habuit. Alter Q. Rex superioris, ut creditur, fratris filius consul fuit an. DCXXCV. majoreque parte anni solus consulatum gessit, propte- E
rea quod cum L. Metellus collega initio anni mortuus fuisset, & eum qui ei suffectus fuerat, antequam iniret, mortuum fuisse audirent, religioni habitum est Regi collegam creare. Ex hac familia Marcia fuit
I. avia paterna C. Cæsaris Dictatoris. Nam cum is funebri oratione Juliam amitam, quæ C. Marii septies consulis uxor fuit, laudaret, ejus paternum genus cum diis immortalibus conjunctum esse dicebat, cum à Venere Julii essent: & maternum ab Regibus ortum; cum ab Anco Marcio Marcii
Reges essent, quo nomine fuisset mater ami- F
tæ. Captasse quoque P. Clodium AP. F. Pulchrum constat Q. Marcii Regis consularis hereditatem, qui Tertiam Clodiam ejus sororem duxerat, ex Ciceronis joco discere quis potest. sed ad consules rever-
VI. tamur. Ante hos omnes, quos diximus

Philippos, Figulos, Reges, Q. Marcius Tremulus fuit, qui bis consul, & triumphalis Marciæ genti maximum ornamentum addidit. Priori consulatu, quem cum P. Cornelio Arvina gessit, triumphum egit de Anagninis, Hernicisque prid. Kal. Quintiles anno CDXLVII. statua ei equestris togata ante ædem Castorum statuta est, quod Samnites bis devicerat, & Anagnia capta populum stipendio liberaverat. Prætorem V.
invenio urbanum fuisse M. Marcium Rullam anno DXLIX. & biennio post legatum Carthaginem missum cum L. Veturio, & L. Scipione. sine cognomine insignis vir L. Marcius fuit Septimii filius eques Romanus, qui morte Publii, & CN. Scipionis, quorum alter Africani, alter Nasicæ pater fuit, perditas res in Hispania collecto exercitu restauravit, & maximos hostium exercitus vicit. Senatum tamen offendit: quod se *Proprætore* appellaverit in litteris, quibus de rebus gestis eum certiorem fecit. A militibus enim novo exemplo fuerat dux electus, & *Proprætore* salutatus. Eidem ferunt concionanti caput ardere visum; clypeumque in Capitolino templo positum esse, quod *Marcium* diceretur, cum imagine Asdru-
balis ab eo victi. M. Marcius Tribunus VII.
Militum secundæ legionis occisus à Gallis anno DLX. M. Marcius Rex sacrorum moritur anno DXLIII. quem arbitror patricium fuisse. Nam Cicero in oratione ad Pontifices Regem Sacrorum, Flamines, Salios, & ex parte dimidia sacerdotes, & Interregem, & eum, à quo is proditur, patricios esse oportere affirmat. L. Marcius cum Q. Fulvio Ædilis Curulis fuit anno DXXCIIX. cum Hecyra Terentii tertio relata est, potuit is esse L. Marcius Censorinus, quem Consulem fuisse diximus post annos XVI. De aqua Marcia varietas inter scriptores est, à quo nomen sumpserit. Plinius, *Marcia*, inquit, *quondam Aufeia, fons ipse Piconia. Primus eam in urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius unus è Regibus: postea Q. Marcius Rex in Pretura rursusque restituit M. Agrippa*. Plutarch. *Marcii*, inquit, *fuere Publius, & Quinctius, qui maximum, pulcherrimumque Romæ aquæ ductum fecere*. Julius Frontinus anno ab urbe condita DCVIII. *Ser. Sulpitio Galba, L. Aurelio Cotta Coss. datum est a Senatu negotium Marco Titio, qui tum Prætor inter cives, & peregrinos jus dicebat, aquæ ductuum reficiendorum, & ut alias aquas duceret. Is hanc aquam à tertio milliario duxit, cui ab auctore* Marciæ *nomen est*. Fenestellam quoque is refert Marco decreta in hæc opera HS. DCCCIV. & Præturam in alterum annum prorogatam. Sed in verbis Frontini mendum esse potest, ut pro *Marcio*, vel pro *Marcio Tito M. Titius* scribatur. nam cur à prænomine *Marco Marcia*, non à *Titio* nomine gentis *Titia* dicta est? quamvis *Appia* & via, & aqua à prænomine Appii Claudii dicitur; sed nonnulli *Claudiam aquam* dixere, & *Appius* prænomen genti Claudiæ ita hæsit ut raro apud alias inveniatur. Augent opinionum varietatem denarii Philippi Monetalis, qui adhuc extant, in quibus Anci Regis imago cernitur ejus prænomine adscripto, & aquæ ductus his literis inscriptus,

AQUA.

AQVA. MARC. & in eo ſtatua equeſtris A
cum his litteris, PHILSPPVS. Non du-
bito, quin is Triumvir Monetalis, qui
denarium ſignavit, voluerit gentis ſuæ mo-
numenta celebrare, & ſe originem ducere
ab Anco Rege ſignificare, & ab eo, qui
aquam duxerit, & cui ſtatua equeſtris
donata ſit, quem fortaſſe antea *Tremulum*
cognomento appellavimus. Laudatur præte-
rea à Plinio Manius Marcius Ædilis plebis,
qui primus frumentum populo in modios
aſſibus donavit. Nec eſt omittendus Mar-
cius vates à veteribus Romanis celebratus,
quiſquis ille fuit. Sub Auguſto Cæſare B
duos Conſulares fuiſſe video ex Cenſorino-
rum familia; quorum alter triumphalis
etiam fuit. Prior L. Marcius L. F. C.
N. Cos. ex Macedonia triumphum egit
Kal. Jan. anno DCCXIV. ejus collega fuit
C. Calviſius C. F. Sabinus. Alter ſuperio-
ris filius C. Cenſorinus L. F. L. N. Con-
ſul fuit anno DCCXLV. Tiberii Cæſaris
temporibus unus Q. Marcius Barea cum
T. Ruſtio Nummio Gallo Cos. ſuffectus
fuit an. DCCXXCISX. Neque poſt hæc tem-
pora alium Conſularem Marcium invenio.
Marciæ Auguſtorum uxores, aut concu- C
binæ hæ à nobis collectæ ſunt. Marcia
Furvilla Titi Veſpaſiani filii uxor ſplendi-
di generis, ut ait Suetonius, ex qua filia
nata eſt Julia, quam Domitianus patruus
adamavit. Marcia item Commodi Imper.
concubina, quam Amazonis habitu dilige-
bat, & *Amazonium* ſe, menſemque Decem-
brem, vel Januarium appellabat. Hanc
dum occidere meditatur, ejus conſilio oc-
ciſus eſt. Marcia quoque L. Septimii Se-
veri uxor prior appellata eſt, cui Impe-
rator factus ſtatuas poſuit. Marciæ Ota-
ciliæ Severæ Auguſtæ uxoris Philippi Im- D
peratoris multa monumenta extant, & pecu-
nia ejus nomine, & imagine ſignata. Fuit
præterea Marcia Fabii Maximi uxor Liviæ
Auguſtæ valde familiaris. & Marcia Veſta-
lis cum Licinia prius abſoluta, poſtea dam-
nata L. Caſſio Quæſitore, cum Sex. Pedu-
ceus Tribunus PL. L. Metellum Pont. Max.
& totum collegium Pontificum criminatus
eſt malè judicaſſe Æmiliam tantum condem-
nando, cæteras abſolvendo, ut Aſconius te-
ſtatur in *Miloniana*.

MINVCIA. E

MINVCIÆ gentis familia duplex
patriciorum, & plebejorum, utraque con-
ſularis. Namque Augurini patricii con-
ſulatus quinque, Decemviratum legibus
ſcribendis, & Pontificatum Maximum ob-
tinuerunt. Rufi plebeji Conſulatus tres,
triumphos duos, & Magiſterium Equitum,
cujus imperium cum Dictatore novo ex-
emplo eſt æquatum. Præter hos Thermo-
rum familia, quam plebejam fuiſſe exiſti-
mo, Conſularis & triumphalis fuit. Primus
I. M. Minucius Augurinus conſul fuit cum A. F
Sempronio Atratino anno urbis CCLVI.
poſt Reges exactos anno XIIS. Iterum
cum eodem collega conſul fuit, vel ut tunc
dicebatur, Prætor an. poſt ſuperiorem ſex-
to. Anno proximo, hoc eſt, anno CCLXI.
II. Conſul fuerat P. Augurinus cum T. Gega-
nio Macerino. Tertius L. Minucius eodem
cognomine cæteris & virtute, & præmiis
præcellens conſul fuit an. CCXCV. cum C.
Nautio Rutilo iterum coactus eſt abdicare
à L. Quinctio Cincinnato Dictatore. De-
cemvir legibus ſcribendis fuit anno CCCIII.
& proximo, quo abdicare cum reliquis
eſt coactus propter Appii Claudii collegæ
libidinem, atque potentiam. Idem tamen
ſive alius ejuſdem nominis præfectus Anno-
næ fuit anno CCCXIII. & proximo, qui-
bus SP. Mælii facinus tyrannidem captan-
tis, quem C. Servilius Ahala interemit,
detexit, & farris pretium trinis nundinis
ad aſſem redegit. ob quas res undecimus
Tribunus plebis creatus eſt, & ei ſtatua,
atque columna ſtipe à populo collata extra
portam Trigeminam ſtatuta eſt non ex Se-
natuſconſulto, ſed tum primum ex po-
puli decreto, ut Plinius auctor eſt. Li-
vius tantùm bove aurato extra portam
Trigeminam donatum aſſerit, falſumque
eſſe imaginis titulum, quo diceretur un-
decimum TR. PL. cooptatum; cùm
patricius fuerit, & patres non ſinerent au-
geri numerum. Extant hodie Augurino-
rum denarii cum columnæ, & Auguris
imagine. Quartus Q. Augurinus Coſ. fuit IV.
anno CCXCVI. cum C. Horatio Pulvillo.
Quintum invenio SP. Augurinum Pon- V.
tificem Maximum fuiſſe anno CCCXXXV.
Poſtremò TI. Minucium reperio Conſu- VI.
lem L. Poſtumii Megelli in conſulatu
collegam anno CDXLIIX. mortuum eſ-
ſe, eique ſuffectum M. Fulvium Curvum
plebejum. Quod facit, ut dubitent qui-
dam, num ipſe Minucius plebejus fuerit.
Sed mihi non mirum eſſe videtur, ut ini-
tio anni duo patricii conſules fuerint, &
poſtea altero mortuo plebejus fuerit ſuffe-
ctus. Venio nunc ad Minucios plebejos,
quorum vetuſtiſſimus eſt M. Minucius Tri-
bunus plebis anno CCCLII. Ruforum verò
primus Marcus ille Minucius, qui Coſ. I.
anno DXXXII. cum P. Scipione Aſina, &
quarto poſtea anno Magiſter equitum fuit
Q. Fabio Maximo Verrucoſſo II. Dictato-
ri, qui cum victorem Hannibalem cun-
ctando coërcuiſſet, eam cunctationem mi-
lites ignaviam, & ſocordiam appellantes
à populo Romano obtinuerunt, ut Minu-
cio cum Dictatore æquaretur imperium.
Sed cum id in perniciem ceſſiſſet, niſi
Minuciani à Fabianis fuiſſent ſummo pe-
riculo liberati, iterum ſe omnes Dictatori
ſubjecerunt, eumque patrem appellarunt.
Alter eſt *Q. Minucius C. F. C. N. Ru-* II.
fus à Verrio dictus. is conſul anno DLVI.
cum C. Cornelio Cethego, triumphum
egit de Liguribus, & Bojis in monte Alba-
no. Prætor Brutios provinciam ante trien-
nium obtinuit. & M. Rufus Prætor pe-
regrinis jus dixit, anno Conſulatus Q.
Rufi. Tertius Q. Rufus, quem aliqui III.
M. appellant, conſul fuit cum SP. Po-
ſtumio Albino anno ſecundo belli Jugurthi-
ni, hoc eſt, urbis DCXLIII. triumphum
egit anno proximo de Scordiſceis, & Tri-
balleis ex Thræcia. Thermum Conſularem
unum inveni Q. Minucium Q. F. L. N. qui
Proprætore anno DCXLIIX. ex Hiſpania Ci-
teriore triumphum egit, conſul fuit biennio

A post cum L. Cornelio Merula. Hic Ædilis
Curulis (cum T. Sempronio Longo anno
DLV. fuerat. & ab his ludi Romani quater
instaurati fuerunt. Præturam biennio post
gessit in Hispania Citeriore, ex qua, ut
diximus, triumphum egit. Occisus est an.
DLXV. à Thracibus. Prætor M. Thermus
fuit, sub quo C. Julius C. F. Cæsar po-
stea Dictator prima stipendia in Asia fecit. &
ab eo in expugnatione Mytilenarum civica
donatus est anno plus minus DCLXXIII.
Præter hos invenio T. Minucium Melli-
culum Prætorem inter cives, & peregri-
B nos mortuum esse anno DLXXIII. C. Mi-
nucium Numatium occisum Cannensi præ-
lio, quem Magistrum equitum fuisse anno
proximo, hoc est, anno urbis DXXXVI.
aliquot dies Livius asserit. Minucia Ve-
stalis viva defossa extra portam Collinam
campo scelerato nomen dedit anno CDXVI.
Lucius Minucius legatus à Q. Fulvio Flac-
co missus ex Hispania Citeriore anno
DLXXIII.

M V C I A.

C MVCIA gens plebeja quidem, &
quæ sero ad consulatum pervenerit, tamen
clarissimos viros habuit, & tum juris ci-
vilis scientia, tum gravitate morum insig-
nes: Consulatus quinque, Pontificatus Ma-
ximos duos, & triumphum obtinuit. Om-
nes eodem cognomine *Scævola* sive *Scævu-
la* usi sunt, eo excepto, qui primus id cog-
nomen invenit, quem *Cordum* à multis, ab
Athenodoro *Opsigonum* appellatum fuisse
accepimus. *Cordi* agni, & *Cordum* fru-
mentum, aut fœnum dictum est, quod
sero nasceretur, aut maturesceret. idem
D *Opsigonus* significat. *Scævola* ia dictus est,
quod dexteram in ignem miserit, cum
Porsenam Regem urbem obsidentem in-
terimere putans, purpuratum ejus sive
scribam occidit: & postea sinistra usus
necessario est. *Scæva* Græca origine sini-
stram significat, & *Scævula* deminutionis
caussa dicitur, ut *sportula*, & *annmula*.
Quod verò O littera pro V posteri in eo
nomine usi sint, mirandum non est, tum
propter earum literarum in multis aliis fa-
cilem permutationem, tum propter usum
ejus vocalis post digamma, quæ rarò ab
E eruditioribus veteribus retinebatur, sed
in O mutabatur. Unde in nummis paullo
post Cædem C. Cæsaris signatis DIVOS.
JVLIVS. sic in veteribus Plauti, &
Terentii & aliorum libris VOLGVS,
VOLT, VOLTIS, VOLTVS, &
cætera eadem ratione. Sed antiquius esse
arbitror *Scævula* usum, ut *Poplicula* & *epi-
stula*, quorum alterum in *Publicolam* muta-
tum est, alterum licet ut origine Græcum,
O littera scribendum esset, non nisi post
Justiniani tempora eam litteram accepit.
Prænomen Cordi variè scriptum video.
F Sunt, qui Cajum Mucium, quo prænomi-
ne Consulares usi non sunt, alii Quinctum,
vel Publium, quibus frequentius gentiles
usos video, prodiderunt. Ab hoc *Mucia
prata* dicta sunt ea, quæ virtutis ergo ei do-
nata cum statua esse dicuntur. Fuit is annus
post Reges exactos alter, post urbem verò

conditam CCXLV. Hunc patricium fuisse non
nemo scripsit, sed cum neque is, nec po-
steri magistratus obtinuerint ante, quàm cum
plebejis communicarentur, id mihi non fit
verisimile. Primus consul P. Mucius Q. I.
F. P. N. Scævula triumphum egit de Li-
guribus anno DLXXIIX. ejus collega fuit
M. Aimilius Lepidus in secundo consulatu.
Hujus pater, ut arbitror, Prætor anno DXXX-
IIX. Sardiniam obtinuit. Publii frater
germanus Q. Scævola consul proximo anno II.
post fratris Consulatum fuit cum SP. Po-
stumio Albino Paullulo. Tres Soles eo
anno visi Prætores ambo fratres eodem an-
no fuerunt anno DLXXIV. Publius PR.
urbanus fuit, & quæstionem de veneficiis
exercuit. Quinctus Siciliam obtinuit. Ter- III.
tius P. Scævola P. F. maximus vir, & ju-
ris peritissimus Tribunus plebis anno DCXII.
adversus L. Tubulum, qui prætor quæ-
stionem de sicariis anno proximo exercue-
rat, & pecunias accepisse dicebatur, ro-
gationem pertulit, qua Cn. Cæpioni Cos.
ea quæstio deferebatur. Sed Tubulus in
exilium profectus est. Prætor fuit quin-
quennio post, & Consul anno DCXX. cum
L. Calpurnio Pisone Frugi. In consula-
tu Ti. Gracchi TR. PL. conatus non
solum non repressit, verùm etiam adjuvis-
se cum fratre germano P. Licinio Crasso
Muciano jurisconsulto, & anno proximo
Pontifice Maximo creato dictus est. Quam-
obrem nobilitas exarsit, & duce P. Scipio-
ne Nasica Tiberius occisus est. Pontifex
Maximus frater in Asia mortuo cooptatus
est anno tertio post Consulatum. Quartus IV.
est Q. Mucius Q. F. quem Augurem Ci-
cero appellat, Consulatum gessit cum L.
Metello Delmatico anno DCXXXVI. Hic ex
Lælia Majore C. Lælii sapientis filia duas
Mucias procreavit, quarum alteram L.
Crassus duxit, alteram C. Marius septies
Consul. Crassus duarum Liciniarum pater
fuit, quæ P. Scipioni Nasicæ, & C. Ma-
rio filio nupserunt. C. Lælius minorem fi-
liam C. Fannio M. F. collocavit: qui cum
major natu esset, quàm Q. Scævola, mo-
lestè admodum tulit sibi illum in Auguratus
collegio prælatum. Horum omnium nomi-
na leguntur in dialogis Ciceronis, qui in-
scribuntur *Cato major* sive *de Senectute*, &
Lælius sive *de Amicitia*, & *de Oratore ad
Q. fratrem*. Hunc etiam Q. Mucium juris
consultum fuisse accepimus. quamvis à
Pomponio omissus sit, cujus historia mi-
nus vera, & plena est. Sequitur Q. Mu- V.
cius P. F. quem *Pontificem*, aut *Pontifi-
cem Maximum*, ut ab Augure distinguant,
appellant. Hic paternam disciplinam exor-
navit, majoresque progressus in ea fecit. cu-
jus hodie extant aliquot capita in *Digestis*
ex libro *definitionum*. Consul fuit anno
DCLIIX. cum L. Licinio Crasso Auguris ge-
nero, cum quo alios magistratus gessit ex-
cepto Tribunatu Plebis, in quo Scævo-
la Crasso successit. Et Scævola Tribuno in
rostris sedente legem Serviliam Q. Cæpio-
nis consulis Crassus suasit anno DCXLVII.
quo anno Cicero natus est. Ambo Consu-
les legem Liciniam, & Muciam pertule-
runt, de civibus regendis, ut in suæ quis-
que civitatis jus redigeretur, neque jus civi-
tatis

tatis Romanæ usurparet; quam Cicero in *Corneliana* perniciosam Reipublicæ fuisse dixit. Ex ea enim alienati sunt animi Italicorum, & belli socialis occasio quinquennio post exorti fuit. Provinciam Asiam novem menses Prætor, ut arbitror, rexit, ea justitiæ, æquitatis, & integritatis, ac diligentiæ fama; ut exemplum provinciarum rectoribus reliquerit, ejusque edicta Asiatica in alias provincias transferrentur; & festos dies singulis annis deinceps ageret Asia, quæ *Mucia* dicerentur, ut tanti viri memoriam quotannis renovarent. Pontifex Maximus fuit anno DCLXIV. triennio post in funere C. Marii septies Consulis, C. Fimbriæ perditissimi civis jussu vulnus accepit, ab eodem paullo post accusatus est. quadriennio post ante Vestæ templum occisus L. Licinii Damasippi Prætoris, qui Marianarum partium erat, auctoritate. Hic non solum jurisconsultus, sed etiam orator habitus est non contemnendus. Hujus soror Mucia Manio Acilio Glabrioni nupsit, ex quo Manium Glabrionem peperit, qui consul fuit an. DCXXCVI. apud quem Prætorem C. Verres accusatus est. Apud Pomponium mentio extat Q. Mucii Volusi, qui Auli Cascellii præceptor fuit, à quo P. Mucius Quincti nepos heres institutus est. Eum Volusum Plinius libro octavo *Volcatium* appellasse videtur, defensumque esse à cane narrat, ne à grassatore occideretur. Sed in utroque libro mendosus locus est. Apud Asconium legi Q. Mucium Orestinum Tribunum plebis fuisse anno DCXXCIX. quem Cicero furti à L. Fuffio Caleno accusatum privato judicio defenderat, sed Catilinæ in petitione Consulatus favebat, & in senatu intercesserat, ne lex ambitus aucta pœna ferretur. De Tertia Mucia Cn. Pompeji ter Consulis tertia uxore, ex qua tres liberos procreavit, quam non sine adulterii suspicione dimissam M. Æmilius Scaurus duxit, Scauri principis senatus filius, ex qua etiam filium suscepit, alio loco diximus fuisse quidem Scævolæ alicujus filiam, sororemque uterinam Q. Metelli Nepotis, & fortasse Q. Metelli Celeris, qui ambo consulares fuerunt. Ob hanc eandem Muciam Pompejo objectum est à C. Curione patre, & filio, cur ejus, quem *Ægisthum* solitus erat appellare, filiam uxorem acceperit, hoc de C. Cæsare dixisse aliquando Pompejum in memoriam redigebant, regnandique cupiditatem utrique exprobrantes, quæ ambos simul cum republica transversos egit.

NAUTIA.

Nautiæ gentis origo à Naute comite Æneæ Trojano fuit, cui Palladium à Diomede traditum fuisse, & posteris Minervæ sacra semper commissa, Varro in libris *de familiis Trojanis* prodidit. Itaque ex his patricia familia Rutilorum, majorum, ut arbitror, gentium septem habuit, qui consulatus quinque & Tribunatus Militares cum consulari potestate quatuor consecuti sunt.
I. Primus SP. Nautius consul fuit cum Sex. Fusio Fuso Medullino an. CCLXV. Hunc Dionysius ut nobilissimum adolescentem, & Minervæ sacerdotem, Palladiique custodem, & mox futurum consulem sexto antea anno laudat. Patrem ejus *Spurium* appellant, qui existimant ejus filium fuisse C. Rutilum bis consulem, quem Verrius Flaccus SP. F. SP. N. appellat. II.
Ejus in priore consulatu, quem gessit an. CCLXXIIX. collega fuit P. Valesius P. F. Poplicola, in posteriore L. Minucius Augurinus anno CCXCV. Anno vicesimo ab hoc consulatu SP. Nautius legatus Populi Romani à Fidenatibus jussu Lartis Volumnii Vejentum Regis cum aliis tribus, C. Fulcinio, & L. Roscio, & Tullo Cluvio, sive Cœlio, aut C. Julio Julo occisus est. Pro *SP. Nautio*, quem Livius, & Plinius produnt, Cicero in *Philippicis*, nisi mendosus liber sit, *SP. Antium* refert. Horum in rostris statuæ ex S.C. positæ sunt. Primus post hos Tribunus Militum fuit SP. Rutilus anno CCCXXIX. III.
Alter Spurius ter eodem magistratu functus est annis XXXIV. XXXVII. & XLIX. supra trecentesimum. Hunc etiam Verrius SP. F. SP. N. appellat. IV.
Quintus C. Rutilus consul fuit cum M. Papirio Mugillano anno CCCXLII. V.
Sextus SP. Nautius SP. F. SP. N. Rutilus, ut Verrius notat, Cos. fuit cum M. Popillio Lænate anno CCCCXXXVII. VI.
Postremus C. Nautius in consulatu, quem gessit an. CDLXVI. Collegam habuit M. Claudium Marcellum. VII.

OCTAVIA.

Octavios Velitris ortos Romam à Tarquinio Prisco translatos, in Senatumque adscitos, à Ser. Tullio patricios factos esse, Suetonius auctor est. Velitris vicum Octavium celebrem fuisse, & aram Octavio consecratam, qui belli cum finitimis dux Marti sacrificans nuntio accepto hostes adesse, sacrum imperfectum reliquit, hostesque vicit, ex quo decreto publico singulis annis exta Marti semicruda reddi, reliquias ad Octavios referri solitas fuisse dicebant. Romæ ad plebem translati consulatus quinque, triumphum unum obtinuerunt. Iterum à C. Cæsare Dictatore patricii facti sunt, ut sororis suæ nepoti, quem postea testamento adoptavit, gratificaretur. Is fuit C. Octavius C. F. C. N. C. PRON. C. ABN. qui postea *C. Julius C. F. Cæsar Octavianus Augustus* appellatus est. Primus populi suffragio magistratum adeptus est C. Octavius Rufus, cui Quæstorio Cnæus, & Cajus filii nati sunt. Cnæus, & qui ab eo orti sunt, summos honores obtinuerunt. Cajus ejusque liberi in equestri ordine permanserunt usque ad C. Octavium Augusti patrem, qui primus Senator fuit, & post Præturam Proconsule Macedoniam provinciam optime rexit. Primus Cn. Octavius Cn. F. Cn. N. ut Verrius ait, cum Proprætore Kal. Decemb. anno DXXCVI. triumphum navalem egisset ex Macedonia, & Rege Perse, biennio post cum T. Manlio Torquato consul fuit. Hic postea missus ad Regem Antiochum, cum Rex responsum dare I.

 differ-

differret, Regem, circulo facto circumscripsit virga, quam gerebat, & statim dare responsum coëgit, quod ipsum ab aliis Cn. Popillio tribuitur: sed huic quidem certè in legatione mortuo statua in rostris ex Senatus consulto posita est. Eidem in palatio domum præclarè ædificatam ad Consulatum suffragium attulisse Cicero scribit. Hunc existimo C. Rufi pronepotem fuisse. Hunc Festus ait porticum Octaviam fecisse theatro Pompeji proximam, quam combustam reficiendam curasse Cæsarem Augustum. eumque fuisse refert Ædilem Curulem, Prætorem, Consulem, Decemvirum sacris faciundis, & Triumphalem. Alter
II. Cn. Octavius superioris, ut creditur, filius consul fuit cum T. Annio Lusco an. DCXXV.
III. Tertius eodem prænomine infelicem consulatum gessit cum L. Cornelio Cinna anno DCLXVI. nam licet seditione cum collega orta, cum ex urbe abrogato ei magistratu ejecerit, & in ejus locum suffectus fuerit L. Cornelius Merula Flamen Dialis: Cinna tamen cum C. Mario exule, magnoque exercitu advocato urbem ingressus est. & Octavium collegam, M. Antonium, L. & C. Cæsares occidi jussit. Merula quoque Dialis Cos. & Q. Catulus, & P. Crassus Marci divitis pater sibi manus intulerunt,
IV. ut crudeliorem mortem effugerent. Quartus Cn. Octavius M. F. Cn. N. proditur à Verrio, qui cum C. Scribonio Curione consul fuit anno DCLXXVII. Hunc magnos cruciatus fortiter pertulisse, cum omnes ejus artus ardere viderentur, Cicero libro secundo *de Finibus* refert. Postremus L. Octavius
V. Cn. F. Cn. N. anno proximo consul fuit cum C. Aurelio Cotta. Apud Livium primus Prætor Cn. Octavius, qui anno proximo Ædilis plebis fuerat, Sardiniam provinciam obtinuit an. DXLVIII. navesque onerarias LXXX. Pœnorum cepit. Sed biennio post cum CC. onerariis, & XXX. longis navibus ex Sicilia in Africam trajiciens adversa tempestate classem amisit. Hunc existimo patrem fuisse ejus, qui primus ex hac familia consul factus est. Redeo nunc ad Augusti majores. Proavus Augusti secundo bello Punico stipendia in Sicilia Tribunus militum fecit Æmilio Papo Imperatore. Avus Velitris locuples consenuit, quidam argentarium fuisse dixerunt. Pater, ut ex titulo ejus statuæ didicimus, Tribunus militum fuit bis, Quæstor Ædilis plebis cum C. Toranio, quem tutorem filio suo reliquit, à quo Triumviro proscriptus est. Judex etiam quæstionum fuit, & Prætor, & Proconsule Imperator appellatus est ex provincia Macedonia Bessis & Thracibus magno prælio fusis. fudit quoque in itinere fugitivos, qui agrum Turinum occuparant. quamobrem fortasse filio cognomen *Turini*, dum puer esset, hæsit. quamvis M. Antonius proavum ejus Restionem ex agro Turino libertinum exprobraret, eaque de causa identidem eum *Turinum* appellaret. *Restionis* cognomen Antiorum familiæ fuit. Apud Dionem, & Xiphilinum *Cepias* non sine mendo scriptum cognomen Augusti est. Pater, dum ad petitionem Consulatus venit, Nolæ mortuus repentino est in eodem cubiculo, in quo postea Augustus filius, quem tum quadrimum reliquit anno DCXCIV. Uxores duas habuit Anchariam, ex qua Octavia major, & Attiam M. Attii Balbi, & Juliæ C. Cæsaris postea Dictatoris sororis filiam, ex qua Octavia minor, & Augustus nati. Balbus paterna stirpe Aricinus ex senatoria familia, quam Vergilius ab Æneæ comitibus ortam significat illis versibus:

Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini,
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Julo.

Maternum Balbi genus Cn. Pompejo magno propinquum fuit. De Octavia minore nihil accepimus. Octaviam majorem C. Marcellus duxit, ex qua tres liberos procreavit, & Marcellum generum Augusti, & filias duas. Mortuo Marcello M. Antonio Triumviro intra decem menses nupsit. & ex eo duas Antonias peperit; major Neronis Augusti avia fuit; minor Tiberii Claudii Augusti mater, C. Cæsaris Caligulæ avia, Neronis Augusti proavia. Octavia porticus theatro Marcelli proxima ab hac Octavia majore sorore Augusti facta est. Laudavit aviam Juliam mortuam Augustus annos natus duodecim, matrem Attiam amisit in primo consulatu viginti annos natus, Octaviam sororem post XXXIV. an. Attia mater L. Marcio Philippo consulari viro nupsit, ex quo liberos suscepit, ut Dion significat. *Octavia* quoque appellata est Tiberii Claudii Augusti, & Messalinæ filia Neronis Augusti uxor, à quo occisa est. Præter hos laudantur à Cicerone in *Bruto* M. Octavius TI. Gracchi in tribunatu plebis collega, qui dum perseveraret in intercessione adversus leges Sempronias, quas Gracchus ferebat, ei abrogatus est Tribunatus an. DCXX. Alter M. Octavius Cn. F. qui tantum auctoritate, dicendoque valuit, ut idem scribit, ut legem Semproniam frumentariam C. Gracchi populi frequentis suffragiis abrogaverit. Cædes C. Gracchi post XII. annos fuit, quàm Tiberii fratris Tribunatus & cædes. Sed eodem an alio anno hic M. Octavius eam legem abrogaverit, nobis incertum est. Tertius M. Octavius M. F. laudatur à Cicerone, ut optimus Senator cum M. Catone patre, & Q. Catulo filio. Sed & L. Octavius Balbus juris consultus Senator tam in *Verrinis*, cujus quæstionis in consilio fuit, quam etiam in *Cluentiana*, in qua tamen P. dicitur, maximis laudibus extollitur. Et in eisdem *Verrinis* M. Octavius Ligus *senator ornatissimus* dicitur *loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, & copiis.* Antiquissimus Octavius Mamilius Tusculanus, qui genus ab Vlyssis filio Tusculi conditore ducere se jactabat, Superbi Regis gener, à quo Mamilia gens Romæ orta. Sed mihi is *Octavius Mamilius* dicendus videtur, ut simile prænomen sit Quincto, & Sexto, & Decimo à numero liberorum. & ut ab illis *Quinctia*, *Sextia*, & *Decia*, ac *Decimia* familiæ deducuntur, sic ab *Octavo* prænomine *Octavia* gens est.

PAPIRIA.

PAPIRIA gens, quam veteres PA-
PISIAM vocabant, & patriciorum & ple-
bejorum fuit. Patricii, quos Cicero mi-
norum gentium fuisse testatur, his cogno-
minibus distinguuntur: Mugillani, Crassi,
Cursores, Masones. Plebeji consulares Car-
bones tantum fuerunt, non consulares alii, ut
Turdi, Pæti, atque alii minus frequentes.
Patricii multi insignes viri, & qui ab ipsis
initiis libertatis ad annum DXXIII. annis
trecentis ferè clarissimi floruerint. Plebeji
Carbones viri Seditiosi, & partium minus
bonarum habiti sunt extremis temporibus
Reipublicæ, quibus jam omnia bellis civi-
libus, & ambitione, ac dominandi cupi-
ditate flagrabant. Antiquissima Papisiorum
memoria est apud Pomponium, qui refert
Sextum Papisium aut Publium, tempori-
bus Superbi Tarquinii Regis leges Regias
collegisse, eumque librum *Jus Papirianum*
à posteris appellatum. Sed & ab aliis, quo
anno Reges exacti sunt, & C. Papisius Pon-
tifex Maximus, & Manius Papisius Rex
sacrorum primus appellatur: & post annos
XX. M. Papisium item Pontificem maximum
Asconius, quem Livius *Q. Fusium Fusum*
appellet. Mugillani tres consulatus, & Tri-
bunatus militares cum consulari potestate
totidem, & Censuram consecuti sunt. Pri-
I. mus L. Papisius anno post Romam condi-
tam CCCIX. cum L. Sempronio Atratino
consul suffectus fuit Tribunis Militum, qui
eo anno primum cum consulari potestate,
creari cœpti, quod vitio creati fore dice-
rentur. Censor anno proximo cum eodem
factus est, quem veteres *Magistrum mo-
rum* dicebant, ut Consulem *Pratorem* prius,
& postea *Judicem*, ac Dictatorem *Magi-
strum populi*. Hi primi Censores quinquen-
nio fuerunt, lustrumque fecerunt undeci-
mum. Id munus à Rege Ser. Tullio qua-
ter administratum, sexies à Consulibus fuit.
Iterum consul fuit cum C. Servilio Ahala
anno CCCXXVI. Cicero unius tantùm con-
sulatus collega Atratino mentionem facit,
eumque gessisse refert anno CCCXII. antea-
que eosdem Censores simul fuisse, & ab
hoc ad L. Papirium Crassum Dictatorem
tredecim Sellam curulem Papisios obtinuis-
se. Hunc eundem invenio Interregem fu-
II. isse anno CCCXXXIII. Alter L. Mugillanus
Tribunus Militum fuit biennio ante eum
annum, qui fortasse idem Interrex fuit.
III. Tertius M. Mugillanus bis Tribunus Mili-
tum fuit annis XXXV. & XXXVII. supra tre-
centesimum, & consul quinquennio post
Tribunatum posteriorem cum C. Nautio
Rutilo. Occisus est urbe à Gallis capta an-
no CCCLXIII. cùm in Sella curuli sedenti
Gallus barbam prius demulcere cœpisset,
isque scipione eburneo Gallum percussis-
set. Hunc Manium Papirium Plutarchus
appellare videtur, licet mendosè *Marcus*
.III. scriptum sit. Crassi novem sunt consecuti
quinque Consulatus, Tribunatus Militares
quatuor, Dictaturas duas, Censuras, &
I. Magisteria equitum totidem. Primus Mar-
cus sive Manius Papisius Cos. fuit cum C.
II. Fusio Pacilo an. CCCXII. Sequitur L. Cras-
sus bis Consul, & Censor, priorem consu-
A latum gessit cum M. Cornelio Maluginensi
quinquennio post superiorem, & post quin-
quennium alterum otiosum posteriorem ges-
sit cum L. Julio Julo. Censor fuit anno
CCCXXXV. lustrumque fecit XIV. ejus collega
incertus est. Hunc superioris filium fuis-
se ex fragmentis Verrii suspicantur. Ter- III.
tius C. Crassus Tribunus Militum fuit cum
consulari potestate anno CCCLXIX. quo & M.
Manlius Capitolinus necatus est & Aristo-
teles philosophus natus, ut Gellius affir-
mat. Quartus biennio post Tribunus etiam IV.
militum fuit SP. Crassus cum L. Papisio
B Crasso. Hos sequitur alius *L. Crassus SP.* V.
F. C. N. à Verrio Flacco dictus, ut Spurii VI.
Crassi filium, Caji Crassi nepotem, de qui-
bus paullò ante diximus, fuisse suspice-
mur. Hic Tribunus militum fuit anno CCC-
XXCIV. Ventum est ad illum L. Papirium
Crassum, qui primus est *Papisius* vocari de- VII.
situs, ut Cicero testatur. Hunc L. F. M.
N. Verrius appellat, illius fortasse L. Cras-
si filius fuit, quem quinto loco retulimus.
Hic & Dictator, & Magister equitum &
Censor & bis Consul fuit. Nam cum Præ-
tor esset an. CDXIII. Dictator rei gerundæ
C caussâ factus Magistrum equitum dixit L.
Papirium Cursorem, de quo paullò post age-
mus. quadriennio post consul fuit cum K.
Duilio iterumque cum L. Plautio Vennone
post sex annos, & Censor anno CDXXXV.
cum C. Mainio, lustrum fecerunt XXV. tunc
Ousentina, & Falerna Tribus auctæ, &
Mæniana ædificia ab Mænio Censore no-
men acceperunt. Is enim primus in foro
ultra columnas tigna projici jussit, ut supe-
riora spectacula ampliora fierent. Magister
equitum fuit suffectus Q. Fabio Rullano,
cui imperium abrogavit L. Papirius Cur-
D sor Dictator, propterea quod pugnam ad-
versus Samnites commiserit contra ejus im-
perium eo absente, quamvis vicerit. Erat
is annus CDXXIIX. & annum proximum i-
dem Dictator, & Magister equitum sine
consulibus egerunt. Eisdem temporibus
M. Crassus Dictator rei gerundæ caussâ VIII.
Magistrum equitum dixit P. Valerium Po-
blicolam anno CDXXI. Postremus L. Papi- IX.
rius, qui à Verrio T. Manlio Dictatori Ma-
gister equitum fuit anno CDXXXIII. comi-
tiorum, ut credimus, caussâ. Hunc ta-
men Crassum fuisse, & L. F. L. N. nobis
E incertum est. Mugillanos, & Crassos Cur- .III.
sores sequuntur. Hi quatuor fuerunt, Di-
ctaturis, & Magisteriis equitum duobus,
consulatibus septem, Tribunatibus milita-
ribus tribus, Censuris duabus, & trium-
phis quinque honorati. Primus L. Papi- I.
sius Censor cum C. Julio Julo, & eo mor-
tuo cum M. Cornelio Maluginensi anno
CCCLXI. lustrum intra XVIII. menses fece-
runt septimum decimum. Sed cum bien-
nio post urbs capta fuisset, religioni fuit
Censori mortuo alterum sufficere, quod à
suffecto lustrum conditum ita infelix tunc
F fuisset, quasi verò id Galli expectassent, ut
ante Alliensem pugnam id lustrum conde-
retur. Sic etiam dies atri fuerunt omnibus
rebus agendis postridie Kalendas, Nonas, &
Idus, quod Alliensis pugna cum Gallis post-
ridie Idus Quinctiles commissa foret. In
tantis tenebris gens illa versabatur. Sed ad

II. L. Crassum redeo. Tribunus Militum bis
idem fuit anno CCCLXVI. & LXIIX. Quin-
III. quennio post SP. Fusius, quem patrem L.
Cursoris quinquies consulis esse suspicantur.
Quod non rejicio. Is enim SP. F. L. N.
teste Verrio fuit. Idem Dictator bis, ter
triumphalis, & Magister equitum fuit, for-
tissimus vir, & veteris disciplinæ severus
observator. quem non dubitat Titus Livius
Alexandro Magno, qui eodem tempore vi-
xit, conferre, excepta singulari illa felici-
tate, & regni fastigio. Sed magnis scripto-
ribus omnia licent, dum patriam præser-
tim exornant. Magistrum equitum fuisse
L. Papirio Crasso Dictatori an. CDXIII. an-
tea diximus; Prætorem fuisse existimo an-
no CDXXI. ejusque lege Acerranis civitatem
esse datam sine suffragio. post annos deinde
sex consul fuit cum C. Pœtelio Libone Viso-
lo iterum; anno deinde proximo Dictator
rei gerundæ caussa duos Magistros equitum
habuit insignes viros Q. Fabium Rullia-
num, & L. Papirium Crassum, cui antea
Dictatori Magister equitum fuerat. In Fa-
bium iratus, quod absente eo, & interdi-
cente prælium commiserat, more majorum
animadvertere voluit, exercitu primum,
deinde Senatu veniam impetrante vix cessit.
Annum sine consulibus alterum in Dictatura
exegit, & tertio Non. Mart. an. CDXXIX. de
Samnitibus triumphum egit. Triennio mox
interjecto biennium iterum, & tertio con-
sul fuit cum Q. Publilio Philone III. & cum
Q. Aulio Cerretano II. collegis. iterumque
de Samnitibus consul tertiùm X. Kal. Sept.
an. CDXXXIV. triumphat. Quadriennio post
cum eodem Philone quartum consulatum
gerit; Collega item quartùm consule; quod
tum primum visum est, neque unquam a-
lias, ut opinor, vigente Republica accidit.
In quinto consulatu collegam habuit C. Ju-
nium Bubulcum Brutum II. inter quintum,
& quartum consulatum annus tantùm inter-
jacet. Mox quadriennio post iterum Di-
ctator eundem C. Bubulcum iterum Magi-
strum equitum habuit, is etiam annus con-
sulibus caruit, & tertiò triumphum egit de
eisdem Samnitibus Idibus Octob. an. CDXLIV.
IV. Hujus filius L. Papirius L. F. SP. N. Cur-
sor Magister equitum fuisse dicitur L. Cor-
nelio Lentulo Dictatori rei gerundæ caussa
an. CDXXXIII. & consul post XXVII. annos
cum SP. Carvilio Maximo de Samnitibus
triumphum egit Idib. Feb. an. CDLX. Hic
ædem Quirini, quam pater voverat, dedi-
cavit, & hostium spoliis exornavit, & in
ea Solarium horologium tunc primum Ro-
mæ visum statuit. Prætor anno proximo
post consulatum fuit, ut Livius testatur. qui
SP. Papirii fratris consulis filii mentionem
facit, dum de ementitis auspiciis in prælio
renuntiatis commemorat: Censor cum Ma-
nio Curio Dentato fuit, ut Frontinus re-
fert, sed quo anno incertum est. sunt qui
putent anno CDLXV. lustrumque fecisse
XXXI. iterum consul cum SP. Carvilio II.
post XVI. iterum triumphum egit de Ta-
rentineis, Lucaneis, Samnitibus, Brutti-
eisque. *Cursoris* cognomen Livius L. Papi-
rium patrem velocitate cursus assecutum te-
statur, sed nos majoribus hæsisse animad-
∴IV∴ vertimus. Masones multos fuisse post L.

A Masonem Ædilicium Cicero auctor est. nos
unum consularem agnoscimus C. Papirium
C. F. L. N. collegam M. Pomponii Mathо-
nis; qui de Corsicis Cos. III. Nonas Martias
anno DXXII. in monte Albano primus suis
sumptibus myrtea corona cinctus trium-
phum egit. Hunc existimo Pontificem mi-
norem mortuum fuisse anno DXL. quo etiam
anno C. Maso L. F. Decemvir sacrorum
mortuus est. Hic post triumphum fonti
delubrum dedicavit, ut Cicero lib. III. *de
natura Deorum* refert. Hujus cognominis
origo mihi incerta est. Sed arbitror *Maso-*
B *nes* quasi *Mansones* dictos à *mandendo*, ut *e-
dones*, *comedones*, *gulones*, *epulones*. fieri e-
tiam potest, ut *a mare* dicantur, quod ma-
lè fortasse dictum prius, ut *asa* pro *ara*, *eso*
pro *ero*, & *Fusii*, *Valesii*, *Papisii* pro *Papi-
rius*, *Valerius*, *Furius*. Inde etiam P. Ver-
gilii cognomen *Maro*, quod alios obtinuis-
se non memini. Maximum ornamentum
accessit huic familiæ, cùm Papiria hujus
C. Masonis filia L. Æmilio Paullo ter tri-
umphali nupsit, quorum filii duo, filiæ
tres fuerunt. filii Corneliæ, & Fabiæ fa-
miliis per adoptionem inserti sunt. Nam-
C que P. Cornelius Scipio Æmilianus, post-
ea Africanus minor, alter est, alter Q. Fa-
bius Maximus Æmilianus. Filias in Æmi-
lia retulimus. Apud Livium invenio L. Ma-
sonem Prætorem urbanum fuisse an. DLXX-
VII. Carbones, quos solos plebejos consu- ∴V∴
lares libertatis Reip. tempore invenimus,
tres tantùm fuerunt. Primus C. Carbo vir I.
maximi ingenii, & eloquentiæ Tribunus
plebis fuit anno DCXXIII. legem promulga-
vit de Tribunis reficiendis, quam dissua-
sit minor Africanus, & C. Lælius, qui ob-
tinuerunt, ne lex reciperetur. Sed Afri-
D canus anno proximo mortuus domi suæ in-
ventus est, non sine suspicione dolo malo
Carbonis interemptum. Legem tabellariam
pertulit de jubendis legibus, ac vetandis. &
Triumvir agris dividendis cum C. Graccho,
& Fulvio Flacco fuit. Consul mox cum
P. Manilio anno DCXXXIII. L. Opimium
interfectorem C. Gracchi consul defendit.
Ita varius, & inconstans fuit, ut modò po-
pularis, modò in partibus optimatium esse
diceretur. Sed à L. Licinio Crasso maximo
oratore tunc annos nato unum & viginti ac-
cusatus est proximo anno post consulatum,
E & cantharidas sumpsisse Cicero refert, ne
damnaretur. Hujus filius C. Carbo in Gal-
liam profectus, ut specularetur, quæ L.
Crassus perperam in provincia ageret, ma-
gno tamen ille animo inimici filio locum
in tribunali assignavit, & nihil, nisi eo in
consilium adhibito decrevit. Alter consu- II.
laris Cn. Carbo fuit collega C. Metelli Ca-
prarii anno DCXL. Is à Cimbreis cum ex-
ercitu fusus, fugatus est. Tertius ter con- III.
sul fuit collega L. Cornelii Cinnæ in tertio,
& quarto consulatu, & C. Marii Caji septies
consulis filii. cum enim morte C. Marii pa-
F tris L. Cinna consul iterum in urbe anno
DCLXVII. tyrannidem exerceret, in proxi-
mum annum se, & Cn. Carbonem consu-
les designavit, cumque anno vertente con-
sules creari oporteret, eosdem consules e-
didit. Sed cùm is quartùm consul ab exer-
citu fuisset occisus, solus Cn. Carbo nullo

sufic-

A ſuffecto collega conſulatum geſſit. Tertium
poſtea conſulatum anno interjecto cum C.
Mario, ut diximus, iniit. Sed adventu
Syllæ hoſtis Italiam deſerere coactus eſt, &
perſequente Cn. Pompejo Lilybœi in Sici-
lia occiſus conſul eſt in ſecreto, turpique
loco, dum ventrem exonerare ſe ſimulat,
ut vitam prorogaret. eodem anno conſulis
fratrem C. Carbonem Prætorium L. Lici-
nius Damaſippus juſſu C. Marii Coſ. inte-
rimi curavit. Hos fratres Cn. filios, C. ne-
potes fuiſſe Verrius auctor eſt. Patrem à
M. Antonio maximo illo oratore accuſatum
B ſutorio atramento abſolutum Cicero in Epi-
ſtola ad L. Papirium Pætum ſcribit. In
eadem tres fratres enumerantur, Cajus,
Cnæus, & Marcus Carbones. ex his Mar-
cum repetundarum redeuntem ex Sicilia à
P. Flacco accuſatum, Cajum à L. Craſſo,
ut antea ſcripſimus: Cnæum exiſtimo non
eum eſſe, quem Cn. Pompejus interfecit,
ſed quem M. Antonius accuſavit, & fortaſ-
ſe is eſt, quem fuſum à Cimbreis conſula-
rem diximus. ut illi duo conſulares C. & Cn.
fuerint C. filii, & ex Cn. alter Cn. ter con-
ſul natus ſit. Alii quoque Carbones enume-
C rantur à Cicerone nobis ignoti, Cn. Carbo,
& frater ejus ſcurra, & Rubriæ filius, qui
tunc vivebat, atque amicus ejus erat. Om-
nes contemnendos eſse judicat, neminem-
que laudari poſse præter eum, quem Da-
maſippus occiderit. In *Verrinis* C. Verrem
Quæſtorem Cn. Carbonis ter conſulis fuiſ-
ſe, cumque Arimini deſeruiſse, & ad Syl-
lam tranſiſse criminatur. Ante hos omnes
C. Carbo Prætor Sardiniam provinciam ob-
tinuit anno DXXCV. cujus filius, aut nepos
fortaſse is eſt, qui primus ex hac familia
conſul à nobis commemoratur. Aliorum
D Papiriorum ex plebe antiqua memoria ex-
tat: ut L. Papirii fœneratoris, cujus cogno-
men vel nullum fuit, vel dedita opera ab
hiſtoricis omiſsum eſt. Is in C. Publilium
nexum à patre ob æs alienum verbera ad-
movit: quamobrem lege cautum eſt, ne
poſtea necterentur anno poſt Romam con-
ditam CDXXVII. & ante ſex & viginti an-
nos, Quinquevirum menſalem M. Papirium
creatum invenio, cumque tres collegæ ple-
beji fuerint, unus Æmilius, qui patricius
eſse potuit, incertum eſt, an is quoque ple-
bejus fuerit. Papiriam tribum ruſticam fu-
E iſſe certum eſt, cauſam nominis ignotam.
Vapula Papiria vetus proverbium cur dice-
retur, à Feſto diſcere poteris. Sub Cæ-
ſaribus tres tantùm conſules invenio Papi-
rios Ælianos. Primus cum M. Eggio Ma-
rullo N. Papirius Coſ. fuit an. DCCCCXXXVI.
Alter Ælianus triennio poſt cum Julio Criſ-
pino, quem Papirium fuiſse incertum eſt.
Hi duo temporibus Commodi Imp. Ter-
tius ſub Alexandro cum Maximo conſul
fuit anno DCCCCLXXVI. Sed hic quoque in-
certus eſt.

PINARIA.

F PINARIÆ gentis originis duplex eſt
fama. alii eos ante urbem conditam hoſpi-
tes Herculis fuiſſe, & ab eo cum Potitiis,
qui in ſacrificiis ſunt prælati Pinariis, ſa-
cerdotes conſtitutos; cùm ad aram, quæ
A poſtea *maxima* dicta eſt, decimam boum,
quos ex Hiſpania attulerat, ſacrificaſſet: a-
lii à Pino Numæ Regis filio ortos. Patri-
cios fuiſſe conſtat cognomento Mamercinos,
Rufos, & Nattas. Ex quibus duo tan-
tum conſules fuerunt, unus Tribunus mi-
litum conſulari poteſtate, unus quoque Ma-
giſter equitum fuit. Primus P. Rufus cum I.
C. Julio Julo conſul fuit anno poſt Romam
conditam CCLXIV. Hunc etiam *Mamerci-
num* quidam appellant. Alter L. Rufus II.
Mamercinus Cos. fuit anno CCXXCI. cum P.
Fuſio Fuſo Medullino. Hunc ſuperioris fi-
B lium fuiſſe credibile eſt. Tertius eiſdem no- III.
minibus Tribunus Militum fuit an. CCCXXI.
cum L. Fuſio Medullino & SP. Poſtumio
Albo Regillenſi. Quartus L. Natta Magi- IV.
ſter equitum fuit L. Manlio Capitolino Im-
perioſo Dictatori clavi figendi cauſſa anno
CCCXC. Poſt XIV. annos L. Pinarium Præ-
torem fuiſſe invenio, cujus cognomen igno-
ramus. & anno DLXXII. M. Pinarius Poſca
Prætor Sardiniam obtinuit, & in ea hoſtes
vicit, & anno DXXXIX. L. Pinarius in Si-
cilia præfectus à M. Marcello Cos. Ennæ
urbi, ne Carthaginenſibus proderetur, op-
C pidanos à militibus trucidari curavit. De-
nique apud Ciceronem L. Pinarius Natta
Pontifex frater uxoris P. Clodii Pulchri au-
ctor fuit adoptionis à P. Fontejo factæ e-
juſdem Pulchri, ut Tribunus plebis crea-
ri poſſit. Eundem privignum fuiſſe ait L.
Licinii Murenæ conſularis.

PLAUTIA.

PLAUTIA gens plebeja quidem fuit,
ſed conſularibus octo, triumphis duobus,
Cenſura, & Magiſterio equitum ante Au-
D guſtum ornata. cognomina hæc habuit:
Proculus, Venno, Venox, Decianus, Hyp-
ſeus, Silvanus. Primus C. Proculus, quem I.
P. F. P. N. appellat M. Verrius, anno ur-
bis CCCXCV. conſul fuit cum C. Fabio Am-
buſto. & Idibus Maji triumphum egit de
Herniceis. biennio poſt Magiſter equitum
fuit C. Marcio Rutilo primo plebejo Dicta-
tori rei gerundæ cauſſa; qui de Tuſceis
tunc egit triumphum. Alter C. Plautius II.
cum T. Manlio Torquato conſul fuit anno
CDVI. quem *Vennonem*, ſive *Venocem* ap-
pellant nonnulli. Sed Flaccus Verrius, &
E Frontinus *Venocis* cognomen poſtea Cenſori
impoſitum eſſe affirmant. Iterum conſul
fuit ſexto poſtea anno cum L. Aimilio Ma-
mercino. Tertius L. Venno L. Papirii III.
Craſſi in ſecundo conſulatu collega fuit an.
CDXXIII. tum domus diruta M. Vitruvii
Vacci Fundani in Palatio, quod cum Fun-
danis & Privernatibus conjuraſſet. id ſolum
poſtea *Vacci prata* dixerunt. Quartus an- IV.
no proximo conſul C. Plautius P. F. P. N.
Decianus Hypſæus cum L. Aimilio Mamer-
cino ſecundo, de quo paulò ante diximus,
quique in hoc honore *Privernas* appellatus
F eſt. Ambo autem conſules Kalend. Mar-
tiis de Privernatibus triumpharunt. *Hypſai*
cognomen Verrius omiſit, ex denariis his
litteris ſignatis nos addidimus. C. YPSÆ.
COS. PRIV. CEPIT. & in aliis C.
HVPSÆ. COS. PREIVE. CAPTVM,
quibus ſignificatur, *Cajus Hypſæus Conſul
Pri-*

Privernum cepit : & *Cajo Hupsæo Consule Privernum captum.* *Deciani* cognomen ostendit hunc adoptione ex Deciis ad Plautios pervenisse: sed cum prænomine à patre distinguatur; hic enim *Cajus*, ille *Publius* dicitur : suspicor *Decians* cognomen fuisse hereditarium, & patrem potius, qui eodem prænomine est cum avo, adoptatum fuisse. Omnes enim adoptivos filios eo tempore adoptantis prænomen, & nomen accepisse novimus. Fuit eisdem temporibus P. Decius Q. F. Mus Collega T. Manlii Torquati in tertio consulatu anno quadringentesimo decimo tertio. is qui primus se
v. devovit pro Republ. Romana. Sequitur C. Plautius C. F. C. N. qui censor cum App. Claudio Cæco fuit anno quadringentesimo quadragesimo primo. & propter venas aquarum ab eo repertas, aqua quidem *Appia* sive *Claudia* dicta est; Plautius autem *Venox*. Hic à collega deceptus est. nam cùm finxisset se velle post decem & octo menses abstinere munere Censuræ, ut cæteros Censores; post abdicationem Plautii variis artibus usus Appius viam Appiam, & aquæductum perfecit. Consul Plautius hic Venox fuerat anno quadringentesimo vigesimo quinto cum P. Cornelio Scapula Scipione. Sunt qui *Venocem* antea cognomento Proculum dictum fuisse contendant, & prænomine *Publium*. nos Verrii Censuram secuti sumus. Ex his apparet tres Plautios tribus continuis annis consulatum obtinuisse nemine alio plebejo interjecto L. Vennonem, C. Decianum, & C. Ve-
VI. nocem. Sextus consularis L. Venno fuit, quem Verrius L. F. L. N. appellat, ejusque collegam M. Fossium C. F. Flaccinatorem anno quadringentesimo trigesimo
VII. quinto. Postremus M. Hypsæus consul fuit cum M. Fulvio Flacco anno sexcentesimo vigesimo octavo longo quidem certè à superioribus intervallo. Medio tempore invenio Lucium. Plautium Hypsæum Prætorem Hispaniam Citeriorem obtinuisse anno quingentesimo sexagesimo quarto. Postea verò anno urbis septingentesimo P. Plautius Hypsæus cum T. Annio Milone Q. Metello Scipione consulatum tanta contentione petiisse traditur : ut in alterum annum comitia consularia fuerint dilata. quoad P. Clodius Pulcher, qui tum etiam Præturam petebat, & Hypsæo favebat, à Milone occisus decimo tertio Kalend. Febr. causam dedit, ut Cn. Pompejus solus ex S. C. ab Interrege v. Kalend. crearetur. ejus Quæstor idem Hypsæus fuerat, eique in petitione favebat, sed damnato Milone Scipionem socerum collegam Kal. Sextil. accepit. Sub Cæsaribus quinque Silvanos Plautios consulares fuisse video, quorum unus bis consul duo triumphalia ornamenta assecuti
I. sunt. Primus M. Plautius M. F. A. N. septemvir Epulonum in consulatu collega fuit Imperatoris Augusti in decimo tertio consulatu anno urbis DCCLI. quo anno Salus generis humani nato Christo domino exorta est. in titulo cujusdam monumenti hujus M. Silvani in Tiburtino agro reperto, quem Lartia Cn. F. uxor, & A. Plautius M. F. Urgulanius posuerunt, adjectum est. Huic Senatus triumphalia ornamenta decrevit ob res in Illyrico bene gestas : id obtinuisse creditur an. DCCLXI. Ejus filium eundem illum A. Plautium fuisse arbitror, cui ovationem Tiberius Claudius Imperator decrevit ex Britannia redeunti anno plus minus DCCXCIIX. Apud Tacitum eisdem temporibus invenio Plautium Silvanum Prætorem anno DCCLXXVI. accusatum apud Ti. Cæsarem à L. Apronio socero, quod uxorem Aproniam præcipitem egisset, atque ita interemisset, eique Urgulaniam aviam pugionem misisse, quæ ob amicitiam Liviæ Augustæ plurimum eo tempore poterat; Plautium frustra ferro tentato venas excidendas præbuisse. Ejus priorem uxorem Numantiam, quod veneficiis ei mentem abstulisset, accusatam absolutam fuisse. Alter consularis II.
Ti. Plautius M. F. M. N. Silvanus Ælianus bis consul fuit. Priori consulatu suffectus ex Kal. Martiis an. DCCXCIX. sub Ti. Claudio Imperatore posteriori ex Kal. Juliis suffectus cum Domitiano Cæsare sub Vespasiano post annum vigesimum nonum: quamvis non satis certa sint utriusque temporis consulatus testimonia. Hunc superioris M. Silvani filium fuisse credimus. extatque titulus etiam in agro Tiburtino alterius monumenti, ex quo apparet hunc in Præfectura urbis iterum consulem à Vespasiano Imperatore factum esse. Sed & Pontificem fuisse, & sodalem Augustalem, & Triumvirum Monetalem, Quæstoremque Ti. Cæsaris, legatum legionis quintæ in Germania, legatum, & comitem Claudii Cæsaris in Britannia, Proconsulem Asiæ, Legatum Proprætore Mœsiæ, & post alia ab eo gesta ita scriptum est. *Hunc legatum in Hispaniam ad Præfecturam urbis remissum Senatus in Præfectura triumphalibus ornamentis honoravit auctore Imp. Cæsare Augusto Vespasiano verbis ex oratione ejus* Q. I. S. S. hoc est, quæ infra scripta sunt. *Mœsiæ ita præfuit, ut non debuerit à me differri honor triumphalium ejus ornamentorum.* Tertius M. Silvanus, III.
qui cum M. Salvio Othone, qui postea imperium tenuit, ex Kalend. Juliis suffectus est anno octingentesimo vigesimo sub Ser. Galba Imp. Quartus M. Silvanus IV.
cum M. Annio Vero Pollione anno octingentesimo tricesimo tertio sub Tito Vespasiani F. consul fuit. Quintus, cujus præ- V.
nomen ignoramus, consul fuit cum Sentio Augurino anno DCCCCIIX. sub Pio Aug. Præter hos invenio P. Plautium Pulchrum Plautiæ Herculanillæ uxoris Ti. Claudii Imp. fuisse Triumphalis viri filium, & ab eodem Claudio Censore inter patricios lectum, eundem Augurem, Triumvirum Monetalem, & Quæstorem Ti. Cæsaris Augusti quinto consulatu. Plautia Drusum, & Claudiam ex Claudio peperit, mox ab eo repudiata multa adversus eam criminato. Filiam ante quintum mensem divortii natam, alique jam cœptam, exponi ante matris januam nudam jussit; cùm à Liberto suo Botere conceptam, diceret. Drusus puer ludens à pyro strangulatus est. Antiquior his Plautius Rufus, qui in iis, qui adversus Augustum conjurarunt, enumeratur. Consula-

sularem quoque sub Tiberio Cæsare invenio Q. Plautium Q. F. Lælianum, qui anno urbis DCCXXCIIX. post Christi mortem anno tertio consul fuit cum Sex. Papinio Q. F. Gallieno. Sub Nerone autem Plautius Lateranus consul suffectus occisus est anno DCCCXVII. Ab eodem Nerone An. Plautius nobilis puer, quod à matre Agrippina diligeretur, & injuria affectus, & occisus est. Denique duos Plautios Quintillos consulares fuisse constat, alterum sub Pio Augusto cum Statio Prisco anno DCCCCXI. alterum sub Marco, & Commodo post annos XVIII. cum eodem Commodo Imp. quem etiam Augurem fuisse affirmant. Ad extremum addam Plautillam Augustam M. Aurelii Antonini Severi filii Augusti uxorem. Plautiani Præfecti Prætorio, & bis ter consulis, qui multum Severi temporibus potuit filiam fuisse. sed à genero socer, & à viro uxor, & frater uxoris Plautus occisi sunt. Afer is fuit sordidis natalibus ut Severus Imperator ejus vel propinquus, vel municeps, & à pueritia carus. *Plautiorum* nomen, ut aliarum quarundam familiarum à cognomine *Planto* ductum est, sic *Planciorum* à *Planco*, *Variorum* à *Varo*, *Juliorum* ab *Julo*. *Plauti* autem sive *Ploti* dicebantur, qui planis supra modum pedibus essent: quamobrem M. Attius Sarsinas Umber, cujus extant comœdiæ, initio *Plotus*, postea *Plautus* appellatus est. Hinc etiam *Plotii* dicti sunt, qui à *Plautiis* non distinguuntur, ut nec à *Claudiis Clodii*: Sic *Paula* Polla, & *aula olla*, & *Plaustrum plostrum*, unde *plostellum* dicitur. Cn. Plotii Planci proscripti à Triumviris Lepido, Antonio, & Octaviano à Paterculo mentio fit, cujus frater L. Munatius Plancus cos. triumphum egit de Galleis cum M. Æmilio Lepido II. anno DCCXI. cumque diceretur uterque consul fratrem proscribendum curasse: celebratum est à militibus carmen non infacetum. *De Germaneis, non de Galleis, duo triumphant consules.* Hunc proscriptum odore unguenti detectum fuisse ferunt, cumque ejus servi torquerentur, ut indicarent dominum, & pernegarent, non passum servorum fidelium cruciatus, & se jugulandum militibus obtulisse. Est etiam celebris duorum Plautiorum erga conjuges amor, M. Plautii, qui cùm à Senatu jussus esset classem sociorum sexaginta navium in Asiam ducere, & Tarentum cum uxore Orestilla venisset, uxore illic defuncta cum eam in rogum impositam osculatur, stricto ferro se ipsum interemit. Et ambo combusti conjuges simul sunt, sepulchrumque amantium id à Tarentinis postea fuit appellatum. Necnon C. Plautii Numidæ, qui morte uxoris audita, pectus gladio transfixit: cumque à domesticis curaretur, ruptis fasciis, & discisso vulnere periit. Laudandus quidem utriusque amor, sed præter modum uterque dolore vexatus est.

POMPEIA.

POMPEIA gens plebeja, ex qua ne-
V. mo ante annum sexcentesimum duodeci-

A mum consulatum fuerat adeptus, postea consulatus sex, triumphos quatuor, Censuram unam consecuta clarissima extitit. Eam CN. Pompejus cognomento *Magnus* præstantissimus vir totius civitatis Romanæ illustriorem reddidit, quem libertatis unicum assertorem ac vindicem respublica habuit adversus C. Cæsaris potentiam nimis excrescentem, è qua superatus cum
ipsa libertate extinctus est. Primus Q. I.
Pompejus, quem quidam *Rufum*, alii *Aufidum*, alii *A. F.* appellant, obscuris parentibus natus, tibicinem patrem ei ex-
B probrabant inimici, consulatum adversus conatum Africani minoris, qui C. Lælio amico suffragabatur, adeptus est cum CN. Servilio Cæpione anno suprascripto. In Hispania victis Thermistinis, sive Termantinis cum eisdem, & Numantinis iniquum fœdus iniit. Censor fuit cum Q. Metello Macedonico anno DCXXII. Lustrum fecerunt ambo tum primum Censores plebeji LIX. Multum dicendo potuit, & inimicitias cum clarissimis viris Cæpionibus & Metellis gessit. ejus orationes ut plenas prudentiæ Cicero laudat. e-
C jus ex filia nepos fuit C. Sicinius, qui Quæstorius mortuus est, & aliquem locum in patronorum numero tenuit. Sunt
qui putent Q. Pompejum Q. F. Ru- II.
fum, qui consul cum L. Cornelio Sulla fuit anno DCLXV. illius consularis, & Censorii filium fuisse. Id nobis incertum est: certum verò ejus filium Q. Rufum duxisse Corneliam L. Sullæ alterius consulis filiam, ex qua Q. Rufum, & Pompejam C. Cæsaris C. F. uxorem suscepit. Sed gener Sullæ eodem anno à C. Mario, & ipse Rufus consul ab exercitu
D CN. Pompeji Strabonis, quem invito Senatu obtinebat, in sacrificio occisus est. Pompejam Cæsar dimisit, cum comperisset P. Clodium Pulchrum domi suæ muliebri veste deprehensum, dum sacra Bonæ deæ in ejus domo fierent. Testis in Clodium productus dixit se nihil scire, & divortium fecisse, quod uxorem Cæsaris suspicionibus non minus, quàm criminibus carere oporteret. De CN. Strabone patre CN. Magni nunc dicendum est. Hunc Verrius Flaccus Sex. F. CN. N. ap-
pellat. Ejus frater Sextus & ut juris pe- III.
E ritissimus, & ut optimus philosophus laudatur Stoicæ disciplinæ & Geometriæ scientiæ deditus. Prænomen patris simile ostendit majorem fuisse Strabone fratre. honoribus videtur prætulisse earum rerum, quas diximus, scientiam. Strabo bello Marsico Prætor à Picentibus victus, mox consul eosdem aliosque vicit VI. Kalend. Jan. anno DCLXIV. de Asculaneis Picentibus triumphum egit. ejus collega fuit L. Portius Cato, qui in prælio occisus est. Multæ transpadanæ Coloniæ ab eo-
F dem deductæ sunt, quibus jus Latii dedit, ut qui in eis magistratus gererent, jus civitatis Romanæ adipiscerentur. Biennio post consulatum bello civili Octaviano, dum utrumque partem fovet, utrisque invisus fulmine ictus interiit. Ex Lucilia uxore Senatoria familia orta, fratre C. Lucilii poëtæ, cujus Satyræ veteribus pla-

cuerunt, nata Cneium Pompejum, & Pompejam uxorem suscepit. C. Memmius Quæstorius vir C. Memmii C. Memmium Tribunum plebis procreavit, qui ex Fausta Sullæ Dictatoris filia tertium, C. Memmium suscepit, cujus in oratione *pro Scauro* ab Asconio fit mentio. CN. Pompejus
IV. annos natus tres & viginti Sullanas partes secutus, exercitu privato consilio ex agro Piceno propter paternas clientelas ei addicto coacto, ad Sullam redeuntem in Italiam venit, à quo magno honore susceptus est. Ei enim soli ex equo descendere, caput aperire, & assurgere solitus, cum omnes Marianos ex Italia profligasset, ut reliquias persequeretur, in Siciliam adversus CN. Carbonem consulem, in Africam adversus CN. Domitium Ahenobarbum, in Galliam Togatam adversus M. Brutum Bruti Cæpionis patrem, & postea in Hispaniam contra Q. Sertorium, & M. Perpernam misit. Hos omnes vicit, & interfici curavit. Triumphum bis eques Romanus egit, nullo prius honore publico suscepto à populo, ex Africa de Hiarba Mauritaniæ Rege an. DCLXXII. & decennio post ex Hispania pridie Kal. Jan. consul designatus in proximum annum cum M. Licinio Crasso. eodem tempore Tribuniciam potestatem à L. Sulla Dictatore deminutam restituit, hoc est, ut concilium habere, & plebem rogare Tribunus plebis posset: Sulla enim intercedendi tantum potestatem reliquerat. Post consulatum in Asiam profectus Mithridatem, & Tigranem Reges domuit, multasque barbaras nationes subegit. de quibus omnibus, & de piratis biduo triumphavit tertio & pridie Kal. Octobres decennio post alterum triumphum, hoc est, anno DCXCII. pridie & die natalis sui. Sexto dein anno iterum consul cum eodem M. Crasso collega fuit. Tertium consulatum sine collega occiso P. Clodio à T. Annio Milone, novo more à Senatu accepit, V. Kal. Martias anno DCCI. sed Kalend. Sextilibus Q. Metellum Scipionem socerum collegam habuit. Hujus filia uxor ejus quinta fuit nomine *Cornelia*, quæ prius P. Crasso M. Crassi collegæ ejus filio nupserat. Duxit adulescens Antistiam P. Antistii viri prætorii filiam, & Calpurniæ L. Bestiæ filiæ. Hanc duxit ut socero gratificaretur, qui de magna re pecuniaria ejus judex erat. peculatus enim, sive de residuis accusatus fuisse dicitur propter patris rapinas eo mortuo, & defensus à Q. Hortensio. Absoluto eo plerique adulescentes *Thalassium* acclamaverunt, ut in nuptiis tunc solebat. Antistiam dimittere coactus est, ut Sullæ privignam ex altero viro gravidam duceret Æmiliam. M. Scauri principis Senatus filiam, & Metellæ uxoris Sullæ Dictatoris. parentes Antistiæ tragœdiæ argumentum fuerunt. namque patrem L. Licinius Damasippus occidi jussit, Calpurnia audita viri cæde, & divortio filiæ se ipsam interemit. neque Æmilia diu læta his nuptiis fuit, sed ex abortu periit. Mucia Tertia Scævolæ, cujus prænomen ignoramus, filia successit, ex qua Magnus liberos procreavit, sed eam ut parum pudicam etiam dimisit; quam duxit M. Scaurus vir prætorius Æmiliæ alterius uxoris frater. Quarta uxor Julia fuit C. Cæsaris tunc consulis filia ex Cornelia Cinnæ quater consulis filia, quam Sevilio Cæpioni collocatam abstulit pater. Hæc dum vixit, vinculum conjunctionis inter Cæsarem, & Pompejum fuit, quo sublato morte Juliæ ex abortu, & mox filiæ formidabilis Cæsar Pompejo effectus est. Is quoque dum timet damnationem, se non solum tutari, sed etiam armis arreptis imperare civibus conatus est. Multa tunc Pompejum fefellerunt, neque enim credidit sufurum Cæsarem cum exercitu in Italiam venire, & majori exercitu putavit se oppressurum ejus conatus. Cum ea mira Cæsaris celeritate fuissent occupata, ex Italia cum magistratibus profusus magnam ex provinciis manum coëgit. Victus tandem est anno DCCIV. in acie Pharsalica, & in Ægyptum fugiens, ut Ptolemei auxiliis bellum repararet, à Satellitibus Regis occisus die proximo post ejus natalem annos natus unde sexaginta in oculis uxoris Corneliæ, & alterius filii. Caput, & annulus in quo sculptus leo gladium tenens, ut Plutarchus ait, sive tria trophea, ut Dion prodit, Cæsari dati sunt. is collacrymans percussores occidi jussit. Filios reliquit CN. & Sex. & Pompejam L. Cornelii Felicis filii Fausti uxorem. Cnæus, ut arbitror, Appii pulchri Consularis & Censorii viri filiam duxit, Sextus Scriboniam L. Libonis filiam, cujus Libonis soror Augusti uxor fuit, & ex ea Julia nata est. Ambo fratres in Hispania adversus Cæsarem acriter pugnarunt, victique sunt non sine magno Cæsaris periculo, qui cum aliis de gloria, cum his de salute ad Mundam contendit. Cnæus captus, occisusque est, Sextus, quem *Magnum*, & *Pium* appellatum fuisse, & *Neptuni filium* constat, superstes Cæsaris fuit. cum Octaviano varie pugnavit, pacemque cum eodem, & M. Antonio Triumviris fecit. Præfectus 1.
Classis, & oræ maritimæ ex S. C. & Imperator iterum dictus diu Siciliam tenuit. Tandem à M. Antonio in Ægypto occisus est, consul designatus in annum DCCXX. Dubitat Paterculus duæ ne, an tres fuerint Pompejorum familiæ: neque enim Pompejus Magnus, & Rufus ex eadem familia fuerunt, & præter hos fuerunt alii *Bithynici* cognomento. Nam Cicero in *Bruto* ita scripsit: *Q. Pompejus A. F. qui Bithynicus dictus est, biennio quam nos fortasse major, summo studio dicendi, multaque doctrina, incredibili labore, atque industria.* De eo ut mortuo loquitur, occisus autem fuerat cum Cn. Pompejo Magno. Ejus filius A. Bithynicus à Sex. Pompejo Cn. F. postea occisus est. Quod vero Plinius scribit, mortuum fuisse repentino A. Pompejum in Capitolio Jovem salutantem; sunt, qui ad patrem Q. Bithynici referant, quod incertum est. Consulares sub Augusto tres invenio sine cognomine. Sextum Pompejum Sex. F. qui cum L. Cornificio L. F. consul fuit anno DCCXIIX. Cn. Pompejum suffectum ex Kalendis Octobribus post quadriennium, & Sextum Pompejum Sex. F. qui cum Sex. Appulejo Sex. F. consul fuit anno DCCLXVI.

DCCLXVI. quo anno Auguſtus mortuus eſt. Poſt Auguſtum ante Hadrianum quinque, quorum unus bis conſul fuit. ex his duo *Silvani* cognomine, unus Conlega bis conſul, unus Longinus Gallus, unus Paullinus fuerunt. Silvanus prior conſul ſuffectus cum M. Cluvio Rufo anno DCCXCVII. ſub Ti. Claudio Imp. Poſterior Vopiſcus Silvanus cum Ti. Verginio Rufo cos. ſuffectus ex Kalend. April. anno DCCCXXI. ſub Vitellio. Medio tempore C. Pompejus Longinus Gallus cum Q. Verannio Coſ. fuit anno DCCCI. ſub Claudio, quo anno Olympias CCVII. Solino teſte actis publicis notata. Octavo deinde anno conſul ſuffectus Pompejus Paullinus cum Ducennio Gemino ex Kalend. Juliis ſub Nerone. Conlega bis conſul fuit, ordinarius ſub Domitiano anno DCCCXLV. cum Cornelio Priſco, ſuffectus quadriennio poſt ſub Nerva. Hunc etiam *Silvanum* appellatum invenio. Incerti temporis conſul fuit CN. Pompejus Ferox Licinianus cum C. Pomponio Rufo, ut ex titulo cujuſdam monumenti Idibus Octobris dedicati conſtat. Antiquior memoria eſt CN. Pomp. Mag. nobiliſſimi adoleſcentis, cui Ti. Claudius Imp. Antoniam filiam collocavit, & poſtea Fauſto Sullæ, priori genero interempto. Item Scribonii Libonis Druſi, cujus proavus Pompejus, amita Scribonia Auguſti uxor, conſobrini Cæſares, quem Tiberius Cæſar, ut ſe interimeret, coëgit Idibus Sept. an. DCCLXIIX. Hunc exiſtimo filia Sexti Pompeji Magni natum fuiſſe.

DECIORUM FAMILIA.

AMPLISSIMA fuit & clariſſima Romæ Deciorum familia, cùm propter res domi militiæque præclarè fortiterque geſtas, tum verò propter ſingularem erga patriam pietatem & amorem. Nam P. Decius parens hujus familiæ, qui (ut Cicero & Valerius teſtantur) primus è Deciis conſul fuit, Codri Athenienſium regis exemplo, devovit ſe, & voluntariam mortem pro patria oppetiit: cujus mors ita glorioſa fuit, ut eandem concupiſceret filius, & ampliſſimis perfunctus honoribus, & quartùm tum conſul. Nepos verò haud ipſe majorum ſuorum virtute indignus, & quidem certè laudem quæ in hac familia floruit, cupidiſſimè eſt perſecutus, diſſimili tamen ratione: neque enim ſe devovit (ut quidam exiſtimant) ſed conſul, in prælio contra Pyrrhum fortiter pugnans cecidit. Præclara ſanè hujus familiæ & immortalis ad laudem & gloriam poſteris fuiſſet memoria, niſi eam, quæ nihil habet perpetuum, nihil firmum, fortuna, è medio quaſi curſu revocaſſet, ut quam ſecundiſſimo vento in altum provexiſſet, eandem antè obrueret, quàm portum conſpicere poſſet. Neque enim quemquam è Deciis poſt hos, aut honores adeptum, aut magiſtratus geſſiſſe, aut virtute aliqua vel mediocri floruiſſe accepimus. Plebejam verò hanc eſſe familiam omnibus, opinor, perſpicuum eſt: & Livius lib. IX. & X. ſatis dilucidè oſtendit: atque etiam probant iſti Juvenalis verſiculi, quos adſcribere libuit:

Plebeja Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: pro totis legionibus attamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latina
Sufficiunt diis infernis, terræque parenti.

Extat inſcriptio vetus P. Decii ejus qui quartùm Cos. fuit, in lib. Epigram. urbis antiquæ: quam, quia ejus de Samnitibus triumphum indicat, de quo non ſatis inter omnes conſtat, ſubjiciendam exiſtimavi:

P. DECIVS. P. DECII. F. PRIMO. COS. DE. SAMNITIBVS. TRIVMPHANS. SPOLIA. EX. HIS. CERERI. CONSECRAVIT. ITERVM. ET. TERTIO. CONSVL

HORATIA GENS.

NOBILIS eſt apud veteres hiſtoricos trigeminorum pugna, clariſſimaque Horatiorum de Curiatiis victoria, quæ libertatem ac imperium Romano populo, Albanis perpetuam ſervitutem peperit. Qui enim ante rerum præclarè geſtarum magnitudine invicti exiſtimabantur, ii virtute & induſtria Horatiorum victi, debilitati depreſſique ſunt. Ab his Horatiis (ne in re notiſſima diutius hæream) Horatiam gentem ortam Dionyſius lib. quinto tradit: neque ſanè dubium eſt quin majorum gentium Patricii Horatii ſint, ut qui cum Romulo primùm in urbem migrarunt. Dividitur hæc gens in Pulvillos, Barbatos, Coclites. Illorum quidem nominum ratio reddi certè nulla poteſt: *Coclitem* veteres appellabant, qui altero oculo careret: unde *Cyclopas* pro *coclitas* antiquos dixiſſe, auctor eſt lib. octavo *Æneid.* Servius, quomodo etiam Varro lib. *de ling. Lat.* V. ſcribit. Hinc illud Plauti eſt in *Curculione*, *de Coclitum proſapia te eſſe arbitror: nam hi ſunt unoculi.*

HORTENSIA GENS.

SEBASTIANUS Corradus, ſcriptorum veterum & antiquitatis bene peritus, quem nos, ut ejus in litterarum ſtudia merita poſcunt, honoris cauſſa nominamus, Hortenſios plebejos fuiſſe exiſtimat, tum quod Q. Hortenſius Dictator legem de plebiſcitis tulerit, tum etiam quod complures Hortenſios Tribunatum pl. geſſiſſe in veterum monumentis reperiat. Ego ut Hortenſios inter Patricios referrem, hac potiſſimum cauſa adductus ſum. Video enim Q. Hortenſium oratorem, cùm in Quintiana oratione, tum verò in Verrinis actionibus nobilem à Cicerone appellari: quod qua ratione verum ſit, niſi Patricium fuiſſe dicamus, conjectura aſſequi certè nullo modo poſſum. Neminem etiam Hortenſiorum, præter Lucium, (quem l. XLIII. Livius prætorem fuiſſe ſcribit) ante hunc curulem geſſiſſe magiſtratum reperio. Quum igitur conditione nobilis non ſit, origine nobilem eſſe neceſſe eſt: cujuſmodi Patricios fuiſſe jam antè dilucidè perſpicueque, opinor, demonſtravimus. Nec verò aut quia Dictator

Hortensius legem de plebescitis tulit, aut quia Tribunipl. Hortensii fuerunt, plebeji existimandi sunt. Ille enim benevolentiam & voluntates plebis hac sua lege captabat, quod Poplicolas, Horatios, quod complures alios factitasse animadvertimus. Hi verò quòd diversæ essent gentis, Tribunipl. creati sunt, ut etiam in Corneliis, Claudiis, Semproniis. Uterer plurimis exemplis, nisi rem perspicuam arbitrarer & apertam. Ipsum quidem certè Hortensium magistratum plebejum adeptum, nulli, quod sciam, veterum tradiderunt. Hoc sanè miror, Ortalum Hortensii oratoris nepotem apud Tacitum in secundo ita loqui, *En stirps & progenies tot Consulum, tot Dictatorum*, quum unus ex Hortensiis fuerit Dictator, unicus etiam Consul. Hoc nimirum est quod in *Bruto* Cicero queritur, *Laudationibus historiam factam esse mendosiorem.* Multa enim scripta sunt in eis quæ facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, & à plebe transitiones, quum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus, quod ex stemmate liquido constabit.

MARIA GENS.

CAIUS Marius municeps Arpinas, humili atque obscuro loco natus, nulla majorum commendatione, amplissimos honores est consequutus. Contigit illi quod haud scio an nemini, ut duabus in Ædilitate acceptis repulsis, septies tamen consul summo populi studio crearetur. vir quem neque propter dignitatem laudare satis quisquam commodè, neque propter crudelitatem abundè vituperare potest. Nemo unquam tanto metu & periculo rempublicam liberavit, nemo majori calamitate eandem affecit. Qui enim gladios Cimbrorum & Teutonum in rempublicam districtos à jugulis civium rejecerat; qui faces jam accensas ad urbis excidium, extinxerat: qui urbem & Italiam ex ore atque faucibus hostium eripuerat, ipse ille libertatis Romanæ vindex, primus in Rempublicam gladium distrinxit, primus sceleratas faces patriæ intulit, vastitate denique Italiam: cædibus, incendio, ruina, urbem replevit. Justas ergo & debitas pœnas Reipublicæ persolvit. Armis Sullanis urbe ejectus, in Minturnensium paludibus latuit: terra marique jactatus, in oris Africæ desertissimis jacuit. Filius non ita multis post annis in cuniculis Præneste trucidatus, memoria simul & nominis & generis interiit. Extat epigramma vetus in libro Urbis antiquæ, quod res ejus gestas indicat, ejusmodi:

C. MARIVS. C. F. COS. VII
PR. TR. PL. Q. AVGVR. TR.
MIL. EXTRA
SORTEM. BELLVM. CVM. IV-
GVRTHA. REGE. NVMID
GESSIT. EVM. CEPIT. ET. TRI-
VMPHALIS. IN. IOVIS. AE-
DEM. IN. SECVNDO
CONSVLATV. ANTE. CVRRVM.
SVVM. DVCI. IVSSIT
III. CONSVL. APSENS. CREA-
TVS. EST. IIII. CONSVL
TEVTONORVM. EXERCITVM.
DELEVIT. V. CONSVL
CIMBROS. FVGAVIT. EX. IEIS
ET. TEVTONEIS. ITERVM
TRIVMPHAVIT. REM. P. TVR-
BATAM. SEDITIONIBVS
TR. PL. ET. PRAETOR. VI.
QVI. ARMATI. CAPITO-
LIVM
OCCVPAVERANT. VI. CONSVL.
VINDICAVIT
POST. LXX. ANNVM. PATRIA.
PER. ARMA. CIVILIA
PVLSVS. ARMIS. RESTITVTVS.
COS. VII. FACTVS. EST
DE. MANVBIIS. CIMBRICIS. ET.
TEVTONICIS. AEDEM
HONORI. ET. VIRTVTI. VIC-
TOR. FECIT. VESTE. TRI-
VMPHALI
CALCEIS. PVNICEIS

C. MARIUS C. F. * N. Bello Numantino Scipione imperatore in Hispania meruit, hostem ex provocatione occidit. Plutarchus, Cicero *pro Cornelio Balbo.* TR. PL. Cotta, Metello coss. legem de suffragus tulit. Plutarchus, Cicero *libro de Legibus* III. In Ædilitate bis repulsam tulit. Cicero *pro Plancio.* Ex prætura Hispaniam sortitus, provinciam Iberorum latrociniis liberavit. Legatus cum Metello Imperatore ad Numidicum bellum profectus, à quo quum Romam missus esset, criminatus est, bellum illum producere, se, si Consulem fecissent, brevi tempore aut vivum aut mortuum Jugurtham in pop. R. potestatem redacturum. Itaque cos. factus est cum L. Cassio AN. DCXLVI. Cassiodorus, Cicero lib. *de Officiis* tertio. In Africam cum exercitu profectus, Jugurtham & Bochum Maurorum regem multis præliis vicit: Jugurtham vivum à Bocho, Sullæ opera, accepit, deque eo triumphavit. Salustius in *Jugurth.* Epitome LXVI. Florus libro III. Eutropius libro IV. Orosius libro V. cap. XIV. cos. iterum absens creatus cum C. Flavio. AN. DCXLIX. Cassiodorus, Asconius in *Cornelianam.* cos. III. cum L. Aurelio. AN. DCL. Cassiodorus, Epitome LXVII. Plinius libro II. capite LIX. cos. IV. cum Q. Catulo. AN. DCLI. Bellum Cimbricum gessit, summa vi oppugnata à Teutonis & Ambronibus castra defendit: duobus deinde prælis circa Aquas Sextias eos delevit, in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Epitome LXIIX. Eutropius libro V. Florus libro III. cap. III. cos. V. cum M. Aquillio. AN. DCLII. Cassiodorus. Cimbros qui per Noricum profligato Q. Catulo Procos. irruperant in Italiam, collatis signis funditus delevit: cæsa traduntur hostium centum quadraginta millia, capta sexaginta. Marius totius civitatis consensu exceptus, pro duobus triumphis qui offerebantur, uno contentus fuit. Epitome LXIIX. Vellejus libro II. cos. VI. cum L. Valerio. AN. DCLIII. Cassiodorus.

dorus. His coss. Saturnius Trib. pl. qui seditionem concitavit, & Glaucia Prætor à Rabirio occisi sunt. Epitome LXIX. Cicero *pro Rabirio* perduellionis reo. L. Sulla, Q. Pompejo coss. civitate à Sulla pulsus, in Minturnensium paludibus latuit, à Minturnensibus captus & dimissus, in, Africam delatus est. Accersitus à Cinna cos. urbem cepit, cam cædibus & rapinis vastavit. Epitome LXXVII. & XXC. Appianus libro primo, Vellejus libro II. Florus libro III. cap. XXI. cos. VII. cum L. Cornelio AN. DCLXVII. Idibus Martiis in magistratu mortuus est. Appianus, Plutarchus in vita & *Sulla*, Cicero lib. *de Nat. deor.* III.

PORCIA GENS.

EA FUIT reipublicæ Romanæ ratio & consuetudo, ut peregrinas nationes societatis fœdere, Italicas verò gentes civitatis jure sibi conjungeret. Nunquam enim à Romanis (ut Cicero *pro Balbo* scribit) intermissa est largitio & communicatio civitatis, quæ res, & ad conciliandos animos hominum, & ad augendam potentiam, maximo in imperio adjumento esse solet. Quorum igitur spectata in rempublicam & cognita fides esset, iis civitatem populus Rom. largiebatur, non tamen eadem ratione omnibus. Nam aliis cum suffragio, aliis verò sine suffragio, civitatis beneficium tribuebat. illi *municipes*, hi *carites* dicebantur. Municipes suo jure & suis legibus vivebant: muneris tantum cum populo Romano honorarii participes erant: à quo munere capessendo *municipes* appellati videntur. *Carites* verò, cives quidem illi erant, & onera civium sustinebant, nullo tamen honore fungebantur, nec suffragii jus habebant. Dicti autem *Carites* sunt à *Cære* oppido, quod primum, pro sacris bello Gallico receptis custoditisque, civitatem sine suffragio accepit. Hinc *tabula Carites* rectè non versa vice, ut Gellius lib. XVI. cap. XIII. de eadem re contrariè scribit, appellatæ, in quas Censores referri jubebant, quos notæ causâ suffragiis privabant. Hanc differentiam usque ad bellum Marsicum durasse, quo universa ferè Italia civitate donata est, licet promiscuè ab auctoribus etiam ii qui suffragii jus non haberent, *municipes* nominarentur, testis est libro secundo Vellejus Paterculus. Itaque verè municipes & cives Romani erant, & suffragia ferebant, atque magistratus petebant. Quare Curii, Coruncanii, Porcii, Pompeji, Marii, Tullii, & reliqui ex municipiis oriundi amplissimos Romæ honores consecuti sunt. Hæc autem, qua de agimus, Porcia gens, Tusculana est, auctore Plutarcho in *Censorino*, & Tacito libro undecimo: quomodo etiam Cicero libro *de Legibus* secundo scribit: *Ego me hercule*, inquit, *& illi, & omnibus municipibus duas esse censeo patrias: unam naturæ, alteram civitatis. ut ille Cato, quum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est: itaque quum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris.* Est autem hic M. Porcius Cato princeps hujus gentis, qui *Priscus* primo, deinde, quia multarum rerum usum haberet, *Cato*, teste Plutarcho, appellatus est. quod cognomen posteri retinuerunt. Idem quoque à censura severè administrata, *Censorius* dictus est: & in summa senectute, quia multa ejus in Senatu, multa in foro, vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acutè ferebantur, *Sapientis* cognomen adeptus est. testis Cicero *de Officiis* tertio, & in *Lælio*. Cujus præclarum in Hispania munumentum tali quam subjiciam inscriptione extare, refert Augustinus Nerrucius:

PALLADI. VICTRICI. SACRVM.

HIC. HOSTIVM. RELIQVIAS.
PROFLIGAVIT. CATO. VBI.
SACELLVM. MIRO. ARTIFICIO. CONDITVM. ET. AEREAM. PALLADIS. EFFIGIEM.
RELIQVIT
PAREANT. ERGO. ET. NOSCANT. OMNES. SENATVS.
ET. POPVLI. ROMANI. IMPERIVM. DEORVM. NVMINE. ET. MILITVM. FORTITVDINE. ET. TVERI. ET.
REGI

CVRII, FABRICII, CORVNCANII.

QVONIAM eorum qui ex municipiis honores essent & magistratus Romæ adepti, proximè meminimus, haud alienum visum est à proposito nostro, si Curios hic, Fabricios & Coruncanios subjiceremus. Nam & municipes hi sunt, & æquales illorum temporum, ita verè plurimis maximisque virtutibus atque omni laude cumulati: ut quamvis neque familiam, neque stirpem constituant, sine tamen justâ reprehensione præteriri posse non videantur. Curios municipes fuisse, Cicero *pro Murena* & *Sulla* demonstrat, municipii mentionem facit nullam. item de Fabriciis. Coruncanios in undecimo apud Tacitum Claudius Imp. Camerino Italiæ municipio oriundos testatur. Cicero verò *pro Plancio*, Tusculanos fuisse satis dilucidè ostendit.

M. CURIUS M. F. M. N. DENTATUS. TR. PL. AN. CDLIV. Cicero in *Bruto*. cos. cum P. Cornelio. AN. CDLXIII. Cassiodorus, Eutropius libro II. Cicero in *Catone*, Plutarchus in *Censorino*, Valerius libro IV. capite III. Plinius libro XV. capite V. Bellum Samniticum gessit: omnem eum tractum, quà Nar ambit, fontesque Velini Adriatico tenus mari, igne ferroque vastavit. Qua victoria tantum agrorum, tantum hominum redactum in potestatem, ut in utro plus esset ne ipse quidem posset existimare qui vicerat. De Samnitibus, Sabinis, Lucanis triumphavit, Florus libro III. cap. XV. Eutropius secundo, Orosius libr. III. cap. XIX. CENS. cum L. Papirio. AN. CDLXIV. cos. II. cum L. Cornelio. AN. CDLXXIIX. Epitome XIV. Valerius lib. VI. cap. III. Cicero *pro Murena*, & in *Catone*. Contra Pyrrhum mis-

ſus, cum eo pugnavit, exercitum ejus occidit, ipſum Tarento fugavit, caſtra cepit, de rege Pyrrho & Samnitibus II. triumphavit. Plutarchus in *Pyrrho*, Eutropius libro I. capite XIIX. cos. III. cum Ser. Cornelio. AN. CDLXXIX. Caſſiodorus.

C. FABRICIVS. C. F. C. N. LVSCINVS. cos. cum Q. Aimilio. AN. CDLXXI. Caſſiodorus, Cicero in *Lælio*. De Etruſcis & Gallis triumphavit. cos. II. cum Q. Aimilio. AN. CDLXXV. Bellum cum Pyrrho geſſit. Ad quem quum Pyrrhi medicus nocte veniſſet, promittens veneno Pyrrhum occiſurum, vinctum cum Pyrrho reduci juſſit. Cum Bruttiis & Lucanis proſperè pugnavit, de iis, Tarentinis & Samnitibus II. triumphavit. Epitome XIII. Eutropius libro II. Florus libro I. capite XIIX. Cicero in *Bruto*, in *Catone*, *Officiorum* tertio, Gellius libr. III. capite IIX. Plutarchus in *Pyrrho*, Virgilius *Æneid.* lib. VI. Meminit Valerius libro IV. cap. III. & IV. ubi mendoſè *Luſcitius* pro *Luſcinius* ſcriptum eſt. Idem libro VI. capite V. CENS. cum Q. Aimilio. AN. CDLXXIIX. Gellius libro XVII. Valerius lib. II. cap. IV.

TI. CORVNCANIVS. TI. F. TI. N. PRIMVS. PONTIFEX. MAX. è plebe creatus. Epitome XIIX. Cicero *pro domo*, *De natura Deorum* primo, *De Legibus* ſecundo. cos. cum P. Valerio. AN. CDLXXIII. Caſſiodorus. De Vulſinienſibus triumphavit. CENS. cum C. Claudio. AN. CDXXCV. DICT. COMIT. HABEND. C. AN. DVII. Meminit Cicero in *Bruto*, *de Oratore* tertio, Pomponius *De origine juris*. Meminit præterea C. & L. Coruncaniorum, qui legati ad Teucam Illyriorum reginam miſſi ſunt, Polybius lib. II. & minorem natu à regina occiſum refert: quos tamen Plinius libro XXXIV. cap. VI. *P. Junium* & *Ti. Coruncanium* nominat, atque ambos à regina interfectos, ſtatuas illis in foro tripedaneas ſtatutas ſcribit: quem ſecutus videtur Florus libro II. cap. V. Præter hos nullum apud veteres Coruncanium reperire licet.

SERGIA GENS.

SERGIA GENS à Sergeſto comite Æneæ. Virgil. *Æneid.* quinto,

Sergeſtuſque, domus tenet à quo Sergia nomen.

Floruit annis plus minus LXXI.

EX HAC gente L. Sergius Catilina fuit, Saluſtio & Aſconio auctoribus. Homo, ut Cicero *pro Cælio* ſcribit, ex contrariis diverſiſque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis cupiditatibuſque conflatus, in quo permulta maximarum, non expreſſa ſigna, ſed adumbrata virtutum erant, quæ multis maximiſque obſcurata & deformata vitiis eluceſcere nullo modo poterant. Accuſatus bis & abſolutus eſt. Ter Conſulatum petiit, bis repulſam tulit. In Senatum ſemel atque iterum conjuravit. qua de re verbum non eram facturus, niſi à pleriſque ita perturbari hæc & confundi anim-
A adverterem, ut dijudicari difficillimè poſſent. Bis accuſatum Cicero *in Piſonem* oſtendit. Semel repetundarum à P. Clodio, cum Proprætor Africam provinciam, ſuperbè, avarè, crudeliter adminiſtraſſet, ſocios ſpoliaſſet & diripuiſſet, abſolutus eſt prævaricante Clodio: teſtis Aſconius, quod idem Saluſtius in *Catil.* tradit. Iterum inter ſicarios à L. Lucullo, Cæſare Figulo Coſſ. quòd Sulla dominante complures peremiſſet. Aſconius *Q.* Cæcilium nominat, M. Volumnium, L. Tantaſium, M. Marium Gratidianum, cujus caput abſciſſum per
B urbem ſua manu tulerat. Idem Q. Fr. de petitione Conſulatus ſcribit, & Dio libro XXXVII. Oroſius tamen cap. tertio libri ſexti, quem Seb. Corradus præſtantiſſimo vir ingenio ſequitur, tertiam accuſationem Catilinæ de inceſtu profert, quod cum Fabia Veſtali virgine commiſiſſe arguebatur. Quod falſum eſſe Plutarchus & Aſconius apertè indicant. Neque enim Catilina ejus criminis eſt accuſatus, ſed Fabia, virgo Veſtalis, cauſam inceſti dixerat, cùm ei Catilina objiceretur. Conſulatum ter petiit Catilina. Primò Tullo, Lepido Coſſ. ratio
C tamen ejus habita non eſt, quòd cum repetundarum reus eſſet, intra legitimos dies profiteri nequiverit, auctore Saluſtio. Secundò, cum Curione, Figulo Cæſare Coſſ. Tertiò, Cicerone, Antonio Coſſ. ac tum quoque Muræna & Silano Coſſ. deſſ. repulſam tulit. Conjuravit in Rempub. cum Cn. Piſone primò, Tullo, Lepido Coſſ. Suetonius in *Cæſare*, Saluſtius, Cicero *pro Sulla*, Dio lib. XXXVI. Deinde Cicerone, Antonio Coſſ. quæ quidem conjuratio, virtute & mirifica Ciceronis vigilantia oppreſſa eſt & extincta. Ipſe Catilina à M. Pe-
D treio Antonii Cos. Legato in agro Piſtorienſi cum exercitu deletus eſt. Epitom. CII. & ſequenti, Appianus primo, Plutarch. in *Cicerone*, Dio lib. XXXVII. Saluſtius in *Catilinario*, Virgilius lib. IIX.

SERVILIA GENS.

TVLLVM Hoſtilium diruta & everſa Alba, cùm multas alias gentes, tum etiam Serviliam Romam tranſtuliſſe, & in Senatum ac Patriciorum ordinem legiſſe, Livius libro primo, & in ſecundo *Antiquitatum* Dionyſius, ſcribunt. Floruit hæc gens
E Romæ, ut quæ maximè. Familias habuit quatuor præcipuas. Nam & Priſci Servilii numerantur ab auctoribus, qui Axillas & Ahalas complectuntur: & Cæpiones, & Vatiæ quoque, & Gemini. Legitur inſcriptio in antiquitatibus Veronenſibus perantiqua, ut mihi quidem videtur, quæ haud ſcio an huc referri debeat. Eſt autem hæc:

C. SERVILIO. CN. F
CAEPIONI. COS
CENS. TRIVM
F PH. PATRIAE
LIB. DECVR
VERONEN
OB. IVDICIA. RESTITVTA
S. M.

SIL-

SILVIA GENS.

SILVIAE gentis tres omnino familias in veterum annalium monumentis reperio. Quarum prima Æneæ est, qui Anchise patre natus, post mortem Latini soceri, Latinorum regnum obtinuit. Hic duos reliquit filios superstites, Ascanium Creusa matre, Ilio adhuc incolumi natum, & Silvium Latini regis ex Lavinia filia nepotem. Æneæ in regno successit Ascanius major natu filius. Ascanio Silvius Fr. excluso Julo Ascanii F. quem Julii gentis suæ auctorem, & familiæ principem nuncupant. Silvio autem Æneas Silvius successit: Æneæ, Latinus Silvius, Laviniæ & Melampodis filius, Silvii primi frater uterinus. Hæc prima Latinorum regum familia est. Altera Albæ Silvii traditur ab antiquis. ex Alba Atis ortus est, Ati Capis, Capi Capetus, Capeto Tiberinus, Tiberino Agrippa, cui Romulus filius, Romulo Aventinus in regni hæreditatem successit. Hinc tertia familia initium sumpsit, ubi ad Procam Silvium Latinorum regnum translatum est, à quo rerum Romanarum auctores historiam suam penè omnes exordiuntur. Proca filios habuit Numitorem & Amulium. Amulius regnum vi occupavit, quo occiso Numitor in regnum est restitutus, avus maternus Romuli & Remi. Hæc ferè tradunt Dionys. Halicarnasseus, Livius, Virgilius, & reliqui quasi minorum gentium historici, Vellejus Paterculus, Messàla Corvinus, Cassiodorus, Orosius, Zonaras. Gentem hanc *Silviam* appellavimus, non tam ex consuetudine aliarum gentium Romanarum, quàm quòd antiquitati aliquid hac in re concedendum arbitraremur. Licet enim incertum Romuli & Remi paternum genus sit, maternum tamen ad Latinorum reges antiqui retulerunt, quos libenter sequuti sumus.

TARQVINIA GENS.

DAMARATVS Corinthius, homo locuples in primis & honestus, armis civilibus in exilium pulsus, Tarquinios Corintho fugit, ibique suarum fortunarum sedem constituit. Causam exilii hanc Livius adfert libro primo. Cicero verò Tusculana disputatione quinta, & in tertio *Antiquitat.* Dionysius, Corintho Damaratum, quòd Cypselum tyrannum ferre non posset, profugisse scribunt: quorum sententiæ Plinius cap. tertio libri xxxv. subscribere videtur. Duxit autem uxorem Tarquiniis nobilem & summo loco natam, ex qua duos suscepit filios, quorum alterum *Aruntem*, *Lucumonem* alterum Etrusco more nominavit. Et Aruns quidem vivo patre mortuus est, quem Damaratus pater paulò pòst, cum ætate & corporis morbo, tum animi doloribus ex morte filii confectus, secutus est. Lucumo verò ex asse hæres à patre, præterito postumo institutus, ubi locum inter suos honestum tenere non posset, Romam cum universa familia & uxore Tanaquili est profectus, commutatoque nomine pro *Lucumone L. Tarquinius* dici voluit: ab Anco deinde rege in Patriciorum ac Senatorum ordinem ascitus, mox rex Romanorum creatus est. Hæc sunt breviter quæ de gentis Tarquiniæ origine veteres tradidere. Magna autem opinionum varietas est & dissensio eorum qui genealogiam Tarquiniorum scripserunt. Fabius enim Pictor Tarquinium Colatinum Egerii F. appellat. Dionys. nepotem esse contendit. Sic Livius Tarquinium Superbum Prisci F. Damarati nepotem fuisse scribit. Dionysius eundem Damarati nepotem esse probat. Libenter autem assentior Halicarnasseo, auctori rerum Romanarum, judicio doctissimorum hominum, cum primis bono & religioso. Utcunque autem se res habeat, apparet certe Pomponii JC. erratum, qui in L. 11. D. *de origine juris*, sic scribit, *Qui fuit illis temporibus quibus Tarquinius Superbus Damarati filius*: cum nepos sit, si Livio, si Dionysio credimus, pronepos. Neque enim quod Zasius Jurisconsultorum illius ætatis facilè princeps, cui suffragari videtur Alciatus, scribit, filii appellatione nepotem contineri, locum hoc in genere ullum habet. Nam ut illud omittam, quòd sæpe ne in Jure quidem civili hoc verum est, quis non videt historiæ scriptionem ab isto subtilitatis genere plane alienam esse, in qua solida & expressa rei effigies desideratur, nec fictis & adumbratis rebus loci quicquam esse potest?

TVLLIA GENS.

TVLLII, qui *Cicerones* dicuntur, municipes Arpinates sunt, orti à Tullo Attio Volscorum rege. Auctorem hujus rei habeo (ut omittam Plutarchum & Eutropium) Silium Italicum, qui libro octavo *Punicorum* sic scribit:

Tullius aratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies, & Tullo sanguis ab alto.

Ipse quoque Cicero stirpem suam antiquissimam libro *de Legibus* secundo prædicat. Sunt tamen qui à *tullis*, id est, aquæ ductibus, *Tullios* deducere malunt. à quibus ut dissentiam, cùm illorum quos dixi facit auctoritas, tum verò quòd in cognominibus, vocabulorum ejusmodi dirivationes locum quidem habere aliquem posse videantur, in nominibus certè gentium non item. Atque haud scio an *Tullum*, quod Volcatiorum cognomen est, quàm *Tullium*, quod gentis est nomen, à *tullis* rectius deducamus, accommodatius sanè ad horum nominum rationem. Vnica vero hujus Tulliæ gentis familia magistratibus & honoribus floruit, ea quæ *Ciceronum* cognomen tulit, à *ciceribus serendis*, ut ait Varro. Illud enim quod de verruca, quam *ciceren* Latini vocant, Plutarchus narrat, eò mihi minus verisimile fit, quod patrem & avum suum Cicero eodem planè usos esse cognomine *de Legibus* tertio, & secundo *de Oratore* satis dilucidè ostendat. Ac ex his quidem primus M. Cicero orator honores est adeptus. Nam de avo sic libro *de Legibus* tertio loquitur: *Et avus noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cujus in matrimonio sororem aviam nostram habebat, ferenti legem tabellariam. Excitabat enim fluctus in simpulo* (ut

dici-

dicitur) *Gravidum, quos post filius ejus Marius in Ægeo excitavit mare ac nostro quidem. Quæ quum res esset ad se delata, Scaurus consul*, Vtinam, *inquit*, M. Cicero, isto animo atque virtute in summa Republica nobiscum versari, quàm in municipali maluisses. Hæc ille.

VALESIA GENS.

SEQVVNTVR nunc Latinarum gentium familiæ, quo nomine & Sabinas, & omnes eas quæ ex Italicis municipiis in urbem migrarunt, comprehendimus. Quæ verò ex his majorum, quæ minorum gentium Patriciæ familiæ sint, in tanta antiquitatis ignoratione constituere nullo modo possumus. Sunt illæ quidem majorum gentium, quas Romulus, quas cæteri reges usque ad Tarquinium Priscum, siquidem Livium sequamur, inter patricios cooptarunt: reliquarum eadem opinor ratio est, incerta & obscura. Prima autem & præcipua Latinarum gentium Valeria est, cùm propter generis antiquitatem, tum etiam propter summam nobilitatem, eximiasque virtutes, quibus hæc gens facilè cæteris antecelluit. Dionysius lib. IV. & V. auctor est, gentem Valeriam ex Sabinis oriundam, cum Tatio rege, quicum Romulus imperii societatem communicarat, in urbem migrasse. Plutarchus Valesium gentis principem appellat, quem etiam auctorem pacis inter Sabinos & Romanos fuisse scribit. Hinc *Valesia* hæc gens primùm, pòst *Valeria* dicta est, ut etiam *Fusia*, *Papisia*, *Auselia*, *Vetusia*: neque enim ante Appii Cæci ætatem, qui primus literam R protulisse dicitur, *Valerii*, *Furii*, *Papirii*, *Aurelii*, *Veturii* dicti sunt. qua de re Livius lib. III. Cicero Epist. IX. ad Papirium Pætum. Varro *de ling. Lat.* VI. Macrobius cap. II. libri tertii *Saturnalium*, & Festus primo: Pomponius quoque JC. *de origine juris*. Meminit etiam cujusdam Valesii libro II. Valerius Maximus, qui Diti patri & Proserpinæ ara sub terra reperta, sacra primus furvis hostiis fecit: cujus exemplum secutus Valerius Poplicola, apud eandem aram publicè nuncupatis votis, cæsisque atris bobus Diti maribus, fœminis Proserpinæ, lectisternioque ac ludis trinoctio factis, aram terra obruit. Atque hæc quidem Valeriæ gentis sacra fuisse gentilicia opinor. Vniversa verò hæc gens in quatuor familias distributa est. In prima, Poplicolas, Maximos, Potitos, Corvinos, Messalas, collocamus. ea ratione, quia ejusdem sunt stirpis. His autem, ut Cicero *de Legibus* secundo, & Plutarchus in *Poplicola* scribunt, virtutis causa, ut in urbe sepelirentur, à Senatu tributum erat & permissum, quod posteri eorum jure tenuerunt. In secunda, Flaccos: in tertia, Falcones: in quarta, Lævinos constituimus.

ANTONIVS AVGVSTINVS
EP. ILERDENSIS
DE IIS QVI PROCONSVLIBVS. ET PROPRAETORIBVS ET PROQVAESTORIBVS DICEBANTVR.

NOTA res est magistratuum nomina fuisse Consulum, Prætorum, & Quæstorum: quorum aliqui intra Urbem, aliqui extra magistratus gerebant: cumque tempus magistratuum annuum esset, post annum desinebat nomen id magistratus habere: quoad inventa est hæc appellatio, ut qui fungerentur munere magistratuum, post illud annuum tempus Proconsulibus, vel Proprætoribus provincias obtinere, aut exercitum, aut imperium, aut potestatem dicerentur. Initium hujus rei cœpit cum Q. Poblilius Philo post consulatum provinciam obtinuit, prorogata ei potestate sive imperio: itaque is primus *Proconsule* sive *Proconsul* appellatus est, anno V. C. CDXXVII. eodem exemplo postea, quotiens post annum aut Consules aut Prætores provincias obtinebant, Proconsulibus aut Proprætoribus eas obtinere dicebantur. Post hæc paulatim factum est, ut ii, qui ex urbe discederent in provincias, cum magistratus tempus jam exactum esset, Proconsulibus Consulares viri, & Proprætoribus Prætorii mitti dicerentur: item illud, ut quædam provinciæ Consulares, quædam Prætoriæ dicerentur: in quas Consulatu aut Prætura functi, aut etiam qui tum fungerentur mittebantur. Sic Cicero in Ciliciam profectus est, sic Cæsar in Gallias, sic alii plerique. Extraordinaria quoque imperia his nominibus ornabantur: ut cum L. Marcio in Hispania ab exercitu potestas data est post occisos P. & CN. Scipiones novo exemplo, quod à Senatu est reprehensum, ut L. Marcius Proprætore res gerere diceretur, sine ulla Senatus aut populi Romani auctoritate: sic etiam adversus M. Antonium cum exercitum Veteranorum coëgisset C. Cæsar Octavianus privato consilio, ei rei Senatus auctoritatem concessit, & auctore M. Cicerone, adulescens, qui nullum tunc gerere magistratum poterat, Proprætore ex auctoritate Senatus exercitum obtinuit. Exstat ea de re Ciceronis oratio, quæ inscribitur *Philippica V.* Eadem ratione extra ordinem P. Scipio in Hispaniam missus est: item CN. Pompejus, cum ex sententia L. Philippi diceretur non Proconsule, sed Proconsulibus fuisse missus. in eandem sententiam afferri potest quod Cicero libro II.

de

de Drumatione scribit, *periisse auspicia magistratuum, cum omnia fere bella gererentur non a magistratibus ipsis, sed à Proconsulibus & à Propraetoribus.* de Pro Quaestoribus nunc dicendum est. Quaestores aut Vrbani, aut Provinciales fuerunt: *Provinciales* appello, quibus necesse erat sequi magistratus, quibus provinciae committebantur: & ut saepe Cicero scribit, more majorum Quaestor Praetori vel Proconsuli filii loco habebatur. Quaestoribus pecunia, quae magistratibus, aut legatis, aut exercitui erat attributa, committebatur. Si in provincia Quaestor ultra annum fuisset, Proquaestore id officium obtinere dicebatur: sed & si mortuo Quaestore, aut de provincia decedente id officium alteri committeretur, puta legato Proconsulis aut Praetoris Prove Praetore, is legatus Proquaestore erat. Legatorum munus totum provinciale fuit: & ex mandata jurisdictione pendebat, non ex jure magistratus: neque enim Legati, ut caeteri magistratus intra Vrbem in comitiis, aut in Senatu eligebantur: sed erant comites eorum qui provincias administrabant, saepe Praetorii viri, & nonnunquam Consulares. His legatis mandabatur jurisdictio, cum in provinciam venerant Proconsules, aut Praetores Prove Praetoribus. Ad hanc rem probandam afferri potest, quod Cicero III. *in Verrem* ait de Verris Quaestura & legatione: & quod ut mortuo Malleolo, Proquaestore fuerit: & quod in epistolis de C. Caelio Caldo Quaestore, quem in provincia reliquit cum Imperio. Ex his apparet, quid sit, quod in plerisque denariis, & titulis monumentorum adscriptum est, *legatum Pro Quaestore sive Quaestorem Pro Praetore eam pecuniam signasse*, aut *eam rem gessisse*: sic enim interpretor. cum enim dicitur, *Quaestorem Pro Praetore illum esse*, significat eum qui Quaesturam obtineret, Pro Praetore magistratu fungi, & Praetoriam provinciam regere. at si adscriptum est aliquem *legatum pro Praetore esse*, significat, eum qui venerit in provinciam Praetoris legatus, decedente Praetore, ejus munere fungi. Quod si dicatur, *legatum pro Quaestore esse*: significatur eum legatum Quaesturam exercere pro aliquo Quaestore, qui aut absens esset, aut mortuus. Est autem frequens hoc in denariis, quia pecunia signabatur saepe in provinciis, ut exercitui stipendia solverentur. Et cum bellis civilibus multa extra ordinem, & novo exemplo fierent: cumque hodie exstet pecunia signata, aut à percussoribus Caesaris, aut ab iis qui sequebantur partes Sexti Pompeji, aut à caeteris Caesarianis aut à Pompejanis: minus mirum est, pecuniam referre eorum nomina, qui non veros magistratus, sed extraordinarios obtinerent. Caesaria verò percussoribus datas fuisse provincias extra ordinem, constat ex Cornelii Nepotis verbis in Attici vita. Ex his facilè intelligimus quid sit, quod in nummis M. Antonii adscriptum sit, M. SILANVS. AVG. Q. PRO. COS. id est, *M. Silanus, Augur, Quaestor Proconsule.* & in denariis Metelli Scipionis, P. CRASSVS. IVNI. LEG. PROPR. id est, *P. Crassus Junior legatus Pro Praetore.* & in nummis Pompeji, MAGN. PRO. COS. CN. PISO. PRO. Q. hoc est, *Magnus Proconsule CN. Piso Pro Quaestore.* & in denariis Augusti: P. CARISIVS. LEG. PRO. PR. MARIVS. C. P. PRO. III. VIR. Est etiam in denariis Caesaris Dictatoris, Q. DESIG. hoc est, *Quaestor Designatus.* Q. VOCONIVS. VITVLVS. vel TI. SEMPRONIVS. GRACCVS. item Q. P. quod interpretor *Quaestor Publicus*: in nummis Antonii, M. BARBAT. Q. P. & M. NERVA. PRO. Q. P. id est, PRO. QVAESTORE. PVBLICO. Quaestores argentum in provinciis signasse constat ex epist. Ciceronis ad Plancum libr. XIII. Fam.

FAMILIAE ROMANAE NOBILIORES,

E FVLVII VRSINI COMMENTARIIS.

A

ABVRIAE gentis, ut opinor, plebejae, unus (quod sciam) Livius facit mentionem lib. XLI. & XLII. nullo tamen adjecto cognomine, sive *Geminus* illud sit, sive *Gemellus*, aut aliud, quod tribus literis *Gem.* in nummis expressum est.

ACCOLEIAE gentis, ut arbitror, plebejae nulla extat mentio nisi in duabus antiquis inscriptionibus: una in qua *Ordo corporat.* descriptus est, *Qui. pecuniam. ad ampliand. templum. contuler.* IMP. *Caesare. T. Aelio. Hadriano. Antonino. Aug. pio. P. P. III. M. Aelio. Aurelio. Caesare.* coss. in quo quidem ordine nominatur *P. Accolejus* quidam *Euhemer.* qui P. Accoleji hujus qui in denario quodam notatus est pronepotis libertus fuisse credi potest. Altera in qua nomina eorum incisa sunt, qui ad ponendam statuam Vespasiano Imp. pecuniam contulerunt. *L. Annio Basso, C. Caecina Paeto* coss. inter eos enim numeratur *L. Accolejus* quidam *Abascantus.* *Accolejus* autem in veteribus monumentis pro *Accolejus* eadem ratione scriptum est, qua *Agricula, Poplicula*, pro *Agricola, Poplicola.*

ACILIAM gentem plebejam fuisse satis constat ex veterum scriptorum auctoritate; apud quos corruptè multis locis *Atilia* pro *Acilia* scriptum reperitur. Opinor autem *Acilios* à Graeco verbo ἀκέσμαι, quemadmodum Aemilii ἀπὸ τῆς αἱμυλίας, ut Plutarchus inquit, gentis nomen traxisse.

AELIAM gentem sive *Aeliam* eandem esse cum *Allia*, ex Capitolinis monumentis apertè satis intelligimus. Fuit autem plebeja, sed antiqua maximisque gestis magistratibus nobilis.

AEMILIAE gentis patritiae *Scauri* tantum, *Pauli, Lepidi*, & *Buca*, in nummis, quos ipsi vidimus, reperiuntur: cum *Mamercini* quoque, *Barbula*, & *Papi* in veteribus & scriptorum & lapidum monumentis inveniantur.

AFRANIAE gentis frequens est mentio apud scriptores: ex eis autem patritiae an plebeja fuerit, colligi non potest. Plebejam tamen fuisse suspicari possumus ex eo quod Q. Caecilius Metellus Celer, qui consulatum anno DCXCIII. gessit, patritius cùm fuerit, ejus collegam L. Afranium plebejum fuisse necesse sit.

ALLIENAE gentis nomen ab *Allia* deductum esse, ut à *Nasidia, Cluvia, Satria, Nasidienam, Cluvienam, Satrienam* creditum est. Inter plebejas vero nu-

ro numeratam fuisse vel ex eo constat, quod *Allienus* is qui legem de terminis tulit, plebejus fuit. Mentio Allienæ gentis extat in veteri inscriptione, cujus exemplum subjecimus:

ALLIENAE. T. F
BERENICAE
C. VETTIVS. POLVS
VXORI
SANCTISSIM. ET
C. VETTIVS. POLVS
MATRI
PIISSIMAE. PATR
COL. FABR. ET. CENT
L. D. D. D

ANNIAE gentis plebejæ ita multi ex antiquis scriptoribus meminerunt, ut eorum indicandis locis supersedendum mihi sit.

ANTESTIAM gentem, eandem esse cum *Antistia* ex veteribus inscriptionibus manifeste intelligere possumus: quarum unius exemplum extat Romæ hujusmodi:

L. ANTESTIVS. CN. F. HOR
SARCVLO. SALIVS. ALBANVS
ANTESTIA. L. L. PLVTIA
FVFIA. P. F. TERTIA. SOROR
L. ANTESTIVS. L. L. QVINCTIO
L. ANTESTIVS. L. L. RVFVS — L. ANTISTIVS. L. ƆL. THAMYRVS
L. ANTISTIVS. L. Ɔ. L. ANTHVS. — L. ANTISTIVS. L. L. EROS. CAPPADOXS

Cæterum *Antistiæ* gentis plebejæ, *Rheginorum* & *Veterum* familiæ fuere, de quibus frequens est mentio. cum apud Latinos, tum apud Græcos rerum Romanarum scriptores. Antistiorum Veterum & consularium & sacerdotum meminit Vellejus Paterculus: cum quo vetus inscriptio convenit, quam Præneste vidimus:

L. ANTISTIVS
C. F. AEM. VETVS
AVGVR
FORTVNAE. PRIMIG
EX. VOTO. SVSCEPTO

ANTIAE gentis mentionem facit Cicero, Livius & alii.

ANTONIAE gentis duæ familiæ fuerunt, patricia una *Merendarum*: altera plebeja, quæ cognomine caruit, ex qua ortus est M. Antonius triumvir, & ejus fratres L. & C. Antonii.

APRONIAE gentis, ut arbitror, plebejæ mentio est apud Valerium Max. lib. VII. cap. VIII. & Pædianum in *Miloniana*, in qua meminit L. Apronii, qui Sex. Clodium accusavit, quòd eo auctore corpus Clodii in curiam illatum fuerat: item Cn. Apronii Cn. F. qui M. Saufejum M. F. accusavit, quem defendit Cicero. Fuit & *Apronius Galus* sub Augusto triumvir A. A. A. F. F. cujus nummus extat.

AQVILIA gens familias habuit & patricias & plebejas, sed cognominibus non semper usas, ut ex veteribus monumentis intelligi potest.

ARRIAM gentem plebejam fuisse suspicari possumus ex iis quæ de Q. Arrio scripta sunt à Cicerone in *Bruto*. Sunt autem hæc. Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarius: is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat multorum obedire tempori, multorumque vel honori vel periculo servire: his enim rebus, infimo loco natus, & honores, & pecuniam & gratiam consecutus, etiam in patronorum, sive doctrina sive ingenio, aliquem

A numerum pervenerat. M. autem *Arrius Secundus* (cujus extat nummus) incertum mihi fuerit ne is, cujus Præturæ meminit Pædianus in argumento *Divinationis* (quem tamen *Quintum* prænominatum fuisse ex Ciceronis lib. IV. *in Verrem* colligo) an is, qui Suriæ præfectus fuit, in quem extat nobile hoc Catulli epigramma:

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & hinsidias, Arrius, insidias.
Credo sic mater, sic liber avunculus ejus,
Sic maternus avus dixerat, atque avia.
Et tum mirificè sperabat se esse locutum,
Cùm quantum poterat dixerat hinsidias.
B *Hoc misso in Suriam requierant omnibus aures;*
Audibant eadem hæc leniter, & leviter.
Nec sibi post illa metuebant talia verba,
Cùm subitò affertur nuntius horribilis.
Ionios fluctus postquam illuc Arrius isset,
Jam non Ionios esse sed Hionios.

Ad hunc fortasse, vel ejus filium, spectat vetus hæc inscriptio:

M. ARRIVS. M. F
M. SEXTIVS. M. F
DVOVIRI. DE. S. VIAM
FACIVND. ET. REFICIVND
COERAV

C Imperatorum quoque temporibus Arriam Secundorum familiam floruisse, ex alia inscriptione intelligimus, quæ extat hujusmodi:

L. ARRIO
PRIMO
L. ARRIVS
SECVNDVS
PROC. AVG
FRATRI. PIISSIM.

ASINIAE gentis, ut puto, plebejæ scriptores multi meminerunt. *Pollio* hujus gentis cognomen.

D ATILIAM gentem patricias habuisse familias & plebejas inter veteres scriptores satis constat. *Serranorum* autem familia fuit plebeja, à serendo id cognominis sortita, ut scribit Plinius lib. XVIII. cap. III. his verbis, *serentem invenerunt, datibnores, Seranum unde cognomen.* eodem respiciens Virgilius dixit in lib. *Æneid.* VI.

—— & te sulco Serane serentem.

In argenteis tamen denariis & in antiqua inscriptione, cujus exemplum infra descripsimus, item in Obsequentis libro *de prodigiis*, *Saranus* scriptum pro *Seranus* reperitur: quòd fortasse ea familia *Serani* cognominis aliam haberet originem, non autem eam, quæ à serendo ducta fuisset. M. Atilii
E Serani triumviri coloniæ deducendæ an. DLXVIII. mentio est apud historicos: itemque C. Atilii, qui consul cum Q. Servilio Cæpione fuit anno DCXLVII, quibus Consulibus natus est Cicero:

SEX. ATILIVS. M. F. SARANVS
PRO. COS. EX. S. C
INTER. ATESTINOS. ET. VEIECETINOS
FINIS. TERMINOSQVE. STATVI
IVSSIT

EX AVRELIA gente plebeja, fuerunt *Cotta* & *Scauri*.

F AXSIAE gentis, ut arbitror, plebejæ facit mentionem M. Varro lib. III. *de re rustica*, cap. II. Cicero quoque lib. I. ad Attic. ep. VII. in qua nominat Axium quendam, qui erat, ut opinor, fœnerator. *Axsius Naso* quidam nominatur in denariis. *Axsius* autem pro *Axius*, ut *Maxsumus* pro *Maxu-*

Maximus, *Alexsandrea* pro *Alexandrea*, antiqua fuit scribendi ratio, cujus veteres Grammatici meminerunt. AXSIAE gentis unicus qui extat denarius videtur signatus à L. Axsio Nasone, quem Tribunum plebis fuisse intelligimus ex fragmento lapidis Tiburtini, quod est apud me ita inscriptum:

.... SPRENAS
.... ASIVS. NASO. TR. PL
.... CILIVS. CORNVTVS
.... TIVS. CATVLVS
.... NIVS. STOLO
.. ATORES. LOCORVM. PVBLICO-RVM
DICANDORVM. EX. S. C. EX. PRIVATO
IN. PVBLICVM. RESTITVERVNT

Ex Tribunatu autem L. hujus Axsii Nasonis satis intelligimus, Axsiam gentem fuisse plebejam.

B

BAEBIAE gentis plebejæ frequens est mentio, cum apud antiquos rerum Romanarum scriptores, tum in veteribus lapidum monumentis, quæ extant hujusmodi:

L. BAEBIO. L. F
GAL. AVITO
PRAEF. FABR. TRIB
MIL. LEG. X. GEM. PROC
IMP. CAESARIS. VESPASIANI
AVG. PROVINCIAE. LVSITANIAE
ADLECTO. INTER. PRAETORIOS
&
L. BAEBIVS. L. F
GAL. IVNCINVS
PRAEF. FABR. PRAEF
COH. IIII. RAETORVM
TRIB. MILIT. LEG. XXII.
DEIOTARIANAE
PRAEF. ALAE. ASTYRVM
PRAEF. VEHICVLORVM
IVRIDICVS. AEGYPTI

Reperitur inter hujus gentis cognomina etiam *Tampilus*. Ac cum in Capitolinis tabulis & vulgatis omnibus libris *Tamphilus* cognomen cum aspirationis nota scriptum reperiatur, in argenteo denario, sine aliqua aspiratione, ut in aliis, *Graccus*, *Pilippus*, & *Triumpus* notatum est.

C.

CAECILIAE gentis plebejæ, sed multis gestis nobilis, sola *Metellorum* familia in antiquis denariis reperitur. Imprimis autem nobiles quatuor illi *Macedonici* filii, *Marcus*, *Cajus*, *Quinctus* & *Lucius* *Marcus* consul fuit cum M. Æmilio Scauro an. DCXVIII. triumphavitque Proconsule ex Sardinia, anno DCXL. *Cajus*, *Caprarius* cognominatus est, Consulque fuit cum Cn. Papirio Carbone, anno DCXL. de quo extat fragmentum veteris inscriptionis:

C. CAECILIVS. Q. F...:
METELLVS. IMP. ...

Quinctus Balearici nomen ex triumpho quem egit, consecutus est, & consul cum T. Quinctio Flaminio fuit anno DCXXX. ac triennio post censor cum Q. Servilio Cæpione lustrum fecit LXI. *Lucius* quum *Diadematus* antea ob frontem vitta vel diademate obligatam diceretur, *Delmaticus* postea ex triumpho cognominatus est, quem egit Procos. de Delmateis anno DCXXXVII. celebratur & *Q. Metellus Creticus*. de quo extat inscriptio:

CAECILIAE
Q. CRETICI. F.
METELLAE. CRASSI

CAECINA gentis nomen est, ut *Perperna*, ejus in duabus inscriptionibus mentio extat: una, in qua Neronis temporibus C. *Cæcina Largus* nominatur: altera in qua Vespasiano imperante C. *Cæcina Pætus* consul cum L. Annio Basso describtus est.

CAESIAE gentis, incertum patriciæne an plebejæ, frequens extat mentio in veteribus cum lapidum tum scriptorum monumentis.

CALIDIAM gentem, ex scriptoribus, qui ejus meminerunt, patritiam fuisse intelligimus.

CALPVRNIAE gentis plebejæ, *Pisonum* tantum familia, & *Bibulorum*, atque *Pisonum Frugi* in antiquis denariis reperitur. Ad *M. Pisonem* M. F. prætorem pertinet quæ Romæ extat in Capitolio inscriptio hujusmodi:

M. CALPVRNIVS. M. F. PISO. FRVGI
PR. EX. S. C
FACIVNDVM. CVRAVIT. EIDEMQVE PROBAVIT
IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F.
NERVA
TRAIANVS. AVGVSTVS. GERMANICVS
DACICVS. PONTIF. MAXIM. TRIB.
POTEST. XII
IMP. VI. COS. V. P. P. OPERIBVS. AMPLIATIS. RESTITVIT

Cæterum gentem Calpurniam à Calpo Numæ Pompilii regis filio duxisse originem scribit Plutarchus in *Numa*: idemque Horatius in *Arte poëtica* Pisones Pompilium sanguinem dixit, & Ovidius *ad Pisonem*:

—— nam quid memorare necesse est
Ut domus à Calpo nomen Calpurnia ducat?

Extat & hujusmodi inscriptio Romæ:

CN. CALPVRNIVS
CN. F. PISO
QVAESTOR. PROPR. EX. S. C
PROVINCIAM. HISPANIAM
CITERIOREM. OPTINVIT

Hic est CN. Piso CN. CN. F. qui cum Catilina & P. Autronio conjuravit anno DCLXXXVIII. & in Hispania Quæstor Propr. occisus est.

CANINIA, sive (ut est in antiquis lapidibus) *Kaninia*, quatuor habuit familias, quarum in antiquis monumentis extat memoria: *Rebilos*, quorum meminit Livius lib. XLII. *Regulos*, qui reperiuntur apud Cæsarem in lib. VII. *de bello Gallico*. *Gallos*, qui habentur in antiquis denariis. *Labeones*, qui in *Arniensi* tribu censebantur, ut ex hac inscriptione intelligimus, cujus exemplum subjecimus:

C. CANINIVS. C. F
ARN. LABEO. PATER
OMNES. HEI. MEI. SVNT. FILIVS. ILLVM. MANV
ILLE. ILLAM. MERITO. MISIT. ET.
VESTEM. DEDIT
QVOAD. VIXSI. VIXSERE. OMNES.
VNA. INTER. MEOS
EVNDEM. MI. AMOREM. PRAESTAT.
PVERILEM. SENEXS
MONVMENTVM. INDICIOST. SAXO.
SAEPTVM. AC. MARMORE
CIRCVM. STIPATVM. MOERVM. MVLTEIS. MILIBVS

CARISIA gens à nullo veterum ſcriptorum, quod ego ſciam, nominatur, præterquàm à Dione, qui lib. LIII. & LIV. facit mentionem T. *Cariſii*, fratris, ut opinor, P. *Cariſii*, quorum utriuſque nomina extant in antiquis denariis.

CASSIA gens in duas fuit diviſa familias, patriciam unam, *Bicellinorum*: alteram plebejam, *Longorum* & *Longinorum*.

CESTIA gens fuit plebeja, ut ex antiqua inſcriptione colligitur, cujus exemplum extat hujuſmodi:

C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO. PR. TR. PL
VII. VIR. EPVLONVM
OPVS. ABSOLVTVM. EX. TESTAMENTO. DIEBVS. CCCXXX
ARBITRATV
PONTI. P. F. CLA. MELAE. HEREDIS. ET. POTHI. L

Cicero in oratione *pro L. Flacco*, & in lib. *Philipp.* III. (licet corruptè in vulgatis codicibus *Caſotius* legatur pro *Ceſtius*) & Appianus lib. IV. *belli civil.* faciunt Ceſtii cujuſdam mentionem. C. autem *Ceſtius*, qui in veteri inſcriptione notatus eſt, poteſt is eſſe, cujus Tacitus meminit lib. V. Quia verò L. F. in ea deſcribitur, credi poteſt filius fuiſſe L. Ceſtii, à quo extat cuſus denarius.

CIPIAE gentis nullus (quod ſciam) veterum ſcriptorum facit mentionem: ego verò opinor eandem eſſe cum Ciſpia, quæ ſine S. litera, antiquo ſcribendi more, in antiquis quoque lapidibus aliquando reperitur:

M. CISPIVS
M. L. EVRYPON
M. CISPIVS. M. M. L
ROMANVS. V. A. XV. PIE
CISPIA. M. M. BVSCA
M. CISPIVS. FELICIO
&
C. CISPIVS. C. F
SCAPT. SEVERVS
FLORENTIA
MILES. COH. III. PR
VIX. ANN. XLIII.
MILITAVIT. ANN. XVII
&
CIPIA. P. F
SECVNDA
FIEREI. IVSSIT
LOCVS. IN. FRONTE
E. P. XX.
IN. AGRVM. P. XXV

CLAUDIA gens familias habuit duas, patritiam unam minorum gentium, ex qua fuerunt *Pulchri*: alteram plebejam, quæ clarior fuit *Marcellorum*.

CLOVIA gens ſive *Cluvia* & *Cluia* (utroque enim modo in antiquis monumentis ſcripta reperitur, quemadmodum *Voltejus* pro *Vultejus* & *Volcanus* pro *Vulcanus*, & *Fluius* pro *Fluvius*) incertum patritiane an plebeja fuerit: quamvis frequens ejus extet mentio, cùm apud ſcriptores, tum in veteribus inſcriptionibus, quarum exempla ſunt hæc:

L. CLVIVS. L. L. AESCHINVS. FECIT. SIBI. ET
VXORI. ET. LIBERIS. ET. LIBERTIS
⊖ CLVIA. L. L. FAVSTA. VIX. ANOS. XXXV
⊖ L. CLVIVS. L. F. LVPERCVS. VIX. ANOS. II
V. L. CLVIVS. L. F. MAXIMVS
V. L. CLVIVS. L. L. MVSAEVS

&
MINERVAE
SACR
C. CLVVIVS. C. F. OVF
PATERNVS
V. S
Item
C. CLVVIVS. M. F
IIII. VIR
IVRI. DIC. II. VIR. NOLAE
IIII. VIR. QVINQVENNAL
DE. SVO. FACIVND. COERAVIT
IDEMQVE. RESTITVIT
IOVI. O. M. SACR

CLOVLIAM gentem ſive *Clœliam* (eadem enim eſt) patritiam fuiſſe intelligere poſſumus ex eo quod ſcribit Livius de Canulejo tribuno plebis, qui cum legem promulgaſſet, ut conſul alter ex plebe crearetur, in quo patriciorum dignitas minuebatur, patres, ne ſe invitis lex perferretur, in eam ſententiam iviſſe, cujus auctor fuiſſe C. Claudius dicitur, ut pro conſulibus crearentur tres Tribuni militum ex patriciis, totidemque ex plebe, iique conſulari poteſtate ornati remp. regerent. quibus rebus decretis, in magno plebejorum & patriciorum petentium ſtudio, tres ex patriciis tantum creatos eſſe, A. Sempronium Atratinum, T. Clœlium Siculum, L. Atilium Longum, anno CCCLX. Scribit autem Dionyſius libro III. Clœliam familiam Alba oriundam, ea diruta à Tullo rege in Senatum allectam fuiſſe, eique ut magiſtratus gerere poſſet, ab eodem rege conceſſum eſſe. *Siculi* cognomen unde traxerit ignoratur. veriſimile tamen eſt, ob aliquod hujus familiæ contra Siculos inſigne factum: ſive quod primum è Sicilia oriunda Albam poſtea commigrarit, id nomen Clœlios ſortitos eſſe.

COCCEIA gens non ſatis conſtat patritiane fuerit an plebeja. ex ea certè Nerva Imp. qui Domitiano ſucceſſit, ortus eſt. Fuit inter alios & M. Nerva conſul ſuffectus cum C. Vibio Rufino anno DCCLXXIIII. de quo mentio extat in antiqua inſcriptione ad radices Capitolii:

C. VIBIVS. C. F. RVFINVS. M. COCCEIVS
M. F. NERVA. COS. EX. S. C

COELIAE gentis plebejæ frequens eſt mentio apud ſcriptores. Ex ea autem fuit *Caldorum* familia, cujus reperiuntur argentei denarii.

CONSIDIAE gentis plebejæ meminit Livius lib. II. Dionyſius lib. IX. Cæſar lib. II. *de bel. civili*, Cicero lib. XII. ep. XXVI. ad Cornificium, & Valerius Max. lib. IIII. c. VIII. ex ea fuerunt C. *Conſidius Pætus*, & C. *Conſidius Nonianus*.

COPONIA gens Tibure orta & in civitatem Romanam adſcita, plebejane an patricia fuerit, incertum.

CORDIAE gentis, (niſi pro *Cadius Rufus* apud Tacitum lib. XII. ut aliquibus placet, ſcribatur *Cordius Rufus*) præter unum Ciceronem haud ſcio an alius veterum ſcriptorum faciat mentionem: is enim lib. IV. *in Verrem*, *L. Cordium* nominat honeſtum hominem, qui teſtimonium in Verrem dixit.

CORNELIA gens in patritias diviſa fuit familias, & plebejas. patriciæ, *Blaſiones*, *Lentuli*, *Scipiones*, *Cinnæ*, *Siſennæ* & *Sullæ* in argenteis denariis, quos ipſi vidimus, reperiuntur. In multis autem denariis, quos ego vidi, *Sula* unico *L.* ſcriptum eſt, ea ſcribendi ratione, quam antiquiſſimam fuiſſe tradit Quinctilianus his verbis in lib. I. *Semivocales non geminare uſitatiſſimi moris diu fuit.* Itaque *Luculus*

pro *Lucullus*, & *Cina* pro *Cinna* in veteribus monumentis notatum reperitur. Sic & *Sisena* pro *Sisenna*.

CORNUFICIÆ gentis plebejæ scriptores multi meminerunt: ex ea fuit Q. *Cornuficius*, *Augur*, *Imp*. Ciceronis in consulatu competitor, & in Auguratu collega, ut ex epistolis XVII. XVIII. XX. XXII. libri ad eum scriptis, intelligimus.

COSCONIA gens, incertum est patriciane an plebeja fuerit: ejus quidem mentio extat in antiqua inscriptione, in qua M. Cosconius Epicurus nominatur:

M. COSCONI. EPICURI. FILII. PIISSIMI
QUI. VIX. AN. XIX. M. IIII. D. XXII
CAETONICUS. ET. PIA. PARENTES.
FECERUNT

COSSUTIA gente, ex equestri familia, orta fuit Cossutia, qua Cæsar dimissâ, Corneliam Cinnæ quartùm Consulis filiam duxit uxorem, ut scribit Suetonius in *Cæsare* cap. I. Extant nummi C. *Cossutii* cujusdam, & *L. Cossutii Sabula* C. F. Præterea M. Cossutii cujusdam mentio est apud Ciceronem lib. III. *in Verrem*: & Q. Cossutii in veteri quodam lapide in Sabinis, cujus ipsi exemplum hujusmodi descripsimus:

DIS. MANIBUS
AEMILIAE. SP. F
VIX. ANN. XV
MENSES. VI. D. II
Q. COSSUTIUS. Q. F

CREPEREIÆ gentis facit mentionem Cicero lib. I. *in Verrem*, ex qua natum scribit M. Crepereium equestri familia. Crepereji cujusdam Galli sub Nerone meminit Tacitus lib. XIIII.

CREPUSIÆ gentis nulla est mentio apud eos scriptores, quos ego quidem legerim. extat autem in nummis. unde suspicari licet gentem plebejam fuisse, ex qua L. Crepusius Ædilis plebis fuerit.

CUPIENNIA gente ortus fuit C. Cupiennius, ad quem extat Ciceronis epistola XX. lib. XVI. ad Atticum: cujus fortasse filius fuit C. Cupiennius Libo Cumanus, Augusti familiaritate clarus, corporis sui diligentissimus. Vide Porphyrionem ad Horatii Satyram II. lib. I.

CURIATIAM gentem plebejam, Alba oriundam, à Tullo rege in civitatem Romanam adscitam fuisse, scribit Dionysius lib. III. Ejus gentis familia fuit Trigeminorum, cujus meminit idem scriptor in eodem lib. ex qua ortus est *C. Curiatius*, cujus extant nummi. Livius lib. I. & in epit. lib. LV. & Valerius Max. lib. III. cap. VII. C. Curiatii cujusdam, qui Tribunus plebis fuit, faciunt mentionem. In vetere quoque lapide, qui extat Nolæ, C. quidam Curiatius Divi Augusti flamen notatus est:

C. CURIATIO. L. F
FLAMINI. DIVI. AUGUSTI
PRIMIPIL. TRIB. MILIT. II
PRAEFECT. CASTROR
PRAEF. FABR
ARBITRATU. HYACINTHI. LIB

CURTIA gens, patritiane an plebeja fuerit, ex veteribus scriptoribus non satis constat. M. Curtii, à quo *Lacus Curtius* in foro Romano dictus est, meminit Dionysius Halicarnasseus lib. II. Livius lib. VII. Valerius Max. lib. V. cap. VI. & Orosius lib. III. cap. V. P. Curtii Salassi facit mentionem Cicero in epistola XVIII. ad Leptam lib. VI.

D.

DIDIA gens (sive *Deidia*, ut in quibusdam monumentis legitur) incertum patriciane an plebeja fuerit: plebejam tamen fuisse suspicari possumus ex eo, quod qui Didiam legem Sumptuariam tulit, Tribunus pleb. fortasse fuit: ejus meminit Macrobius lib. III. *Sat.* Livius libr. CXXVII. facit mentionem Didii Saxæ M. Antonii legati in Suria, qui à Labieno Pompejanarum partium victus est.

DOMITIA gens plebeja, in duas fuit divisa familias, quarum altera *Calvinorum*, altera *Ahenobarborum* cognomine usa fuit. ex hac fuit Cn. Domitius Ahenobarbus is, qui cum L. Licinio Crasso censor fuit anno DCLXI. quique consul fuerat anno DCLVII. cum C. Cassio Longino: cujus consulatus memoria extat Interamnæ in vetere inscriptione:

GENIO. MUNICIPI. ANNO. POST
INTERAMNAM. CONDITAM
DCCIIII. AD. CN. DOMITIUM
AHENOBARBUM. COS

DURMIÆ gentis, itemque M. Durmii, qui sub Augusto triumvir monetæ cudendæ denarios eos signavit, qui hodie extant, mentio nulla apud scriptores, quos ego viderim, reperitur.

E.

EGNATIÆ gentis plebejæ, & C. Egnatii Maxsumi, cujus extant denarii, facit mentionem Cicero lib. III. ad Atticum, epist. XXXIV. In libro autem XIII. ad Memmium ep. XLIII. XLV. & LXXIII. meminit L. Egnatii Rufi: cujus fortasse filius fuit M. Egnatius is, quem in Augustum conspirasse Vellejus, Suetonius, & Dio commemorant. Egnatiæ gentis mentio est in antiqua hac inscriptione:

HONORIS
IMP. CAESARIS. DIVI. F
AUGUSTI. PONT. MAXIM
PATR. PATRIAE. MUNICIP
MAGISTRI. AUGUSTALES
C. EGNATIUS. M. L. GLYCO
C. EGNATIUS. C. L. MUSICUS
C. IULIUS. CAESAR. L. ISOCHRYSUS
Q. FLORONIUS Q. L. PRINCEPS
VIAM. AUGUSTAM. AB. VIA
ANNIA EXTRA. PORTAM. AD
CERERIS. SILICE. STERNENDAM
CURARUNT. PECUNIA. SUA
PRO LUDIS

EGNATULEIÆ gentis, unus, quod sciam, Cicero facit mentionem lib. III. *Philipp.* in quo nominat *L. Egnatulejum* quendam filium fortasse *C. Egnatuleji*, qui victoriatum nummum percussit, quales hodieque cernere est. Extat Cordubæ, quæ fuit Lucani & Senecæ patria in Hispania, fragmentum quoddam inscriptionis antiquæ, in qua fit mentio *C. Egnatuleja* C. F. quæ fortasse Egnatuleji hujus filia fuit. in inscriptione quoque basis statuæ Vespasiano Imp. dedicatæ, nominatur C. quidam *Egnatulejus Laurus*.

EPPIA gens in tribu Cornelia censebatur & Fabia, ut ex antiquis inscriptionibus intelligere possumus, quarum exempla subjecimus:

Q. EPPIUS. Q. F. COR. RVF
⊖ CLODIA. C. L. SILENIO
⊖ EPPIA. L. F. PAVLLA. VOTE
NNIANA. MATER
EPPIA. M. F. POLLA
&
P. EPPIUS. B. F. FAB
RUFUS MIL. COHOR
II. PRAET. T. F. I.
ARBITR

F

FABIAE gentis patriciæ *Labeones* tantùm, *Maximi*, & *Pictores* in denariis, quos nobis videre licuit, reperiuntur.

FABRINIAE gentis mentio est in nummo quodam æreo, nisi sit erratum ab eo qui nummum eum cusit.

FANNIAM gentem plebejam fuisse, vel hoc uno Ciceronis testimonio ex epist. XIII. lib. XVI. ad Att. constat: *In præsentia*, inquit, *mihi velim scribas, quibus censoribus C. Fannius M. F. Tribunus plebis fuerit: videor mihi audisse P. Africano L. Memmio censoribus.*

FARSVLEIAE gentis mentio extat in antiqua inscriptione Sutrina, in qua:

PONTIFICES. A. COLONIA
CONIVNC. IVLIA. SVTRIN
IN. ORD. RELAT....

Inter eos autem numeratur *M. Valerius Ferox* in locum *L. Farsuleji Rufi*: *Q.* autem *Farsulejus* quidam *Vesper* nominatur in basi statuæ Vespasiani Imperatoris, in qua incisa sunt nomina eorum, qui ad eam dedicandam Imperatori statuam, pecuniam contulerunt, L. Annio Basso, C. Cæcina Pæto Coss. Extat & L. Farsuleji Mensoris mentio in antiquis nummis.

FLAMINIAE gentis plebejæ meminit Cicero in *Bruto*, & ad Atticum ep. XIIII. & XV. lib. XIV. & ep. I. & II. lib. XV. Livius lib. IX. & alii. L. autem *Flaminius Chilo* sive *Cilo* (utroque enim modo, cum ejus denariis, tum in veteribus quoque lapidibus, & Scriptorum codicibus, notatum hoc cognomen reperitur: ut Semproniæ gentis cognomen, in aliis cum aspiratione *Gracchus*, in aliis sine aspiratione *Graccus*) IIII vir auro, argento, ære feriundo sub Cæsare Dictatore, ac ejusdem fortasse primus flamen fuit. Nam C. Julio Cæsare dictatori, inter alios honores, quos ei viventi senatus tribuit, Flaminem quoque qui Divi Julii Flamen dictus est, decretum fuisse, tradit Suetonius in *Cæsare*. Hujus flaminis mentio quoque extat in antiquis inscriptionibus, quarum exempla sunt hujusmodi:

M. POBLICIO
M. F. SAB. SEXTIO
CALPVRNIANO
EQVO. PVBLICO
FLAM. DIVI. IVLI
PRAEF. AEDIL. POT
QVAESTOR. AERAR
SACERD. IVVEN. BRIX
DEFENSOR. REIP. BRIX
COLLEGIA
CENTON. ET. FABROR
L. D. D. D

&

L. ACVTIO
L. F
FAB. PRIMO
EQVO. PVB
II. VIR. I. D
AEDIL. Q. ALIM
FLAM. DIVI. IVLI
D. D

FLAVIAE gentis plebejæ frequens est mentio apud veteres scriptores. Extant nummi in quibus *Flaus* literæ notatæ sunt, quibus existimarim cognomen potius *Flavus* (quod *Flavos* & *Flaus* antiqui vocali non geminata scribebant) indicari, quàm *Flavius* nomen. Est autem *Flavos*, sive *Flaus* Largiæ familiæ cognomen apud Dionysium lib. V. Decimiæ apud Livium lib. XXVII. Cæseciæ in epitoma libri CXVI. Sulpiciæ apud Suetonium in *Claudio* cap. XLI. Octaviæ in antiqua quæ Tiburi extat inscriptione, & Lucretiæ in æreo Augusti nomismate. Nominatur & C. *Flavius Hemus* in denariis antiquis, Bruti Legatus Proprætore, cujus meminère Cornelius Nepos in vita Pomponii Attici, & alii.

FONTEIAM gentem plebejam fuisse, vel ex hoc intelligere possumus, quod P. Clodius Ciceronis inimicus, qui ut Tribunus plebis fieret, ad plebem traduci volebat, P. Fontejo plebejo homini adoptandum se dedit. Cognomen multorum hujus gentis fuit Capito.

FVFIA gens plebeja, ex qua *Q. Fufius Kalenus* originem duxit, qui Tribunus plebis fuit anno DCXII. D. Junio Silano, L. Licinio Murena coss. atque idem consul cum P. Vatinio anno DCCVI. In bello autem civili Pompejano Cæsaris partes secutus est. Vide Ciceronis *Philippicam* VIII. & Dionem.

FVLVIAE gentis plebejæ in multas divisæ familias, unius tantum *Cn. Fulvii* in argenteis denariis memoria reperitur. *Foulvius* autem veteres scribebant, ut *Fourius*, & multa hujusmodi Græcam scripturam imitati.

FVNDANIAM quoque gentem plebejam fuisse, cùm ex aliis, tum ex Livio constat in lib. XXV. in quo M. Fundani facit mentionem Ædilis plebeji. In tabula etiam ænea apud Alexandrum Farnesium Cardinalem, in qua plebiscitum pro THERMESIBVS MAIORIBVS PISIDIS perscriptum est, mentio fit C. FVNDANI. C. F. TR. PL. DES. QVI. PLEBEM. PREIMVS. SCIVIT.

FVRIA gens in patricias divisa fuit familias & plebejas, ut ex Livio colligimus, qui lib. IX. L. Furii tribunipl. facit mentionem, & lib. XXXIX. M. Furii Lusci Ædilis, à quo ludi plebeji diem unum instaurati sunt. Nobis patriciæ *Purpureonum*, *Crassipedum*, & *Philonum* denarios videre licuit. Nam *Furius Brocchus*, incertum est, patriciusne fuerit an plebejus. extat hujus argenteus denarius.

G

GALLIA gens inter patriciasne an plebejas numeranda sit, ex iis scriptoribus qui circunferuntur elici non potest. Cicero *in Verrem* libro V. C. Gallium senatorem hominem equestrem appellat: patrem fortasse C. *Gallii*, cujus extat nummus æreus ab eo signatus, cum esset Triumvir sub Augusto. Idem Cicero meminit Q. Gallii Prætoris an. DCLXXXVIII. L. Cotta & L. Torquato coss. quemque anno sequenti de ambitu accusatum, defendit ea oratione quæ non extat. Meminere & alii multi hujus gentis.

GELLIAE gentis duos tantùm denarios nobis videre licuit. Eorum alter visus pertinere ad Gellium Cn. Pompeji legatum in bello maritimo contra piratas, cujus meminit Florus lib. III. Alter sine dubio ad *L. Gellium Poplicolam* spectat, qui eum signavit cùm esset Antonii Quæstor Proprætore: postea cum M. Coccejo Nerva consulatum gessit anno DCCXVII. Vide Dionem lib. XLVII. Hujus pater L. Gellius consul fuit cum Cn. Lentulo Clodiano, anno DCLXXXI. Cicero *in Pisonem* & in oratione *ad Quirites post reditum*.

HEREN.

H.

HERENNIA gens plebeja in *Balborum* familias & *Gallorum* divisa fuit. L. Herennii Balbi meminit Pædianus in *Miloniana:* Galli, Asinius Pollio in ep. XXXII. lib. IX. ad Plancum. C. Herennii Tribuni Pl. qui P. Clodium ad plebem traduxit, facit mentionem Cicero ep. XV. & XVII. lib. I. ad Atticum.

HIRTIA gens incertum patriciane an plebeja fuerit. Ejus extat mentio in antiqua inscriptione, cujus exemplum subjecimus:

A. HIRTIVS. A. F. M. LOLLIVS.
M. F
FVNDAMENTA. FORNICIS. FACIVNDA. COERAVERE
EIDEMQVE. PROBAVERE. ETC.

HORATIAE gentis patriciæ unus tantùm reperitur denarius, ab aliquo ex ea gente in Horatii Coclitis memoriam primum signatus, deinde à Trajano Imp. restitutus. De Horatio Coclite Livius, Dionysius, Valerius Maximus, alii.

HOSIDIA gens ab Appiano quidem & Dione nominatur, non tamen ex eorum verbis elici quicquam potest, unde, plebejane an patritia fuerit, scire possimus. Appianus lib. III. *de bello civili*, & Dio lib. XLVII. facit mentionem Hosidii Getæ, proscripti à Triumviris, & à filio servati. Idem Dio lib. LX. meminit C. Hosidiæ Getæ, qui Claudio jam imperante floruit. Hosidiæ familiæ mentio est in basi marmorea ita inscripta:

C. HOSIDIVS. MAR
CIANVS. CVM. SVIS
PANTHEO
SACRVM

HOSTILIAE gentis, quæ ab Hosto quodam Hostilio Medullino, ut creditur, originem duxit, qui Romulo regnante Romanam civitatem adeptus fuit, crebra est mentio apud scriptores: ejus autem gentis familiæ reperiuntur in monumentis Capitolinis *Tulli Regis*, & *Mancinorum:* apud Livium lib. XXXVII. *Tubulorum* & *Catonum:* apud Varronem & in nummis *Sasernarum*.

I.

ITIAE gentis unus tantum denarius reperitur, atque is quidem à *L. Itio* signatus, ut opinor, ad quem Horatii extat ode XXIX. lib. I. inscripta ad L. Icium. sic enim in vetustissimis codicibus pro *Iccium*, scriptum reperiri, admonuit me vir eruditissimus, idemque humanissimus Carolus Langius. Cicero in lib. III. *Philipp.* nominat M. quendam *Iccium* corruptè (ut opinor) *pro M. Itium.* qui quidem error in Atiæ quoque familiæ nomen irrepsit. *Portum* etiam *Itium* in lib. V. *de bello Gallico* pro *Iccium* ex vetustissimo exemplari apud Cæsarem jampridem reposuimus.

JULIAM gentem familias habuisse patricias & plebejas inter scriptores satis constat. *Patriciæ Cæsares* tantum in denariis qui circumferuntur, habemus. *Bursionum* enim nulla apud scriptores extat mentio, unde patricii an plebeji fuerint, scire possimus. Origo gentis Juliæ ad Venerem refertur. Hujus gentis nummi extant hodieque plurimi, & creberrima mentio est apud veteres scriptores, necnon in aliis innumeris antiquitatis monumentis. Nos unum hic adscribemus. id est fragmentum quoddam Kalendarii quod exstat Præneste, in quo fit mentio de titulo *Parentis* sive *Patris Patriæ*, qui C. Julio Cæsari Octaviano Augusto à senatu est tributus:

NON. N. CONCORDIAE
IN. ARCE. FERIAE. EX
S. C. QVOD. EO. DIE
IMPERATOR. CAESAR
AVGVSTVS. PONTIFEX
MAXIMVS. TRIB. POTEST
XXI. COS. XIII. A. SENATV
POPVLOQVE. ROMANO. PATER
PATRIAE. APPELLATVS

JUNIAE gentis cum multæ à scriptoribus familiæ nominentur, Brutorum tantum & *Silanorum* in denariis reperiuntur. Brutorum autem familiam duplicem fuisse, patriciam unam, ex qua L. Brutus qui reges ejecit, ortus sit. alteram plebejam, multiplicem, cujus princeps L. Brutus primus Tr. Pl. extiterit, scripsit Dionysius lib. V. Ex hac gente fuit D. Junius Silanus in Manliam Tarquatorum familiam adoptatus: cujus mentio apud veteres multis locis. Sed ex antiquis inscriptionibus, quarum exempla infra subjecimus, Manlium aliquem similiter per adoptionem in Juniam familiam insertum aliquando fuisse intelligere possumus:

IVNONI
IVNIAE. C. SILANI. F
TORQVATAE
SACERDOTI. VESTALI
ANNIS. LXIIII
CAELESTI. PATRONAE
ACTIVS. L
&
IVNIAE. C. SILANI. F
TQRQVATAE. VIR. VEST
MAXIMAE
IVVENIO. L

Hujus autem Torquatæ mentio extat apud Tacitum in lib. III.

L.

LABIENAE gentis plebejæ scriptores multi meminerunt. ex ea fuit T. Labienus Tribunus Pl. qui C. Rabirium, à Cæsare subornatus perduellionis accusavit. quod ejus patruus Q. Labienus cum Saturnino occisus fuerat. Cicero *pro Rabirio.* Orosius lib. XV. cap. XVII. & Dio lib. XXXVII.

LICINIAE gentis plebejæ, *Murenæ* tantum, *Crassi*, *Nervæ* & *Stolones* in nummis quos ipsi vidimus reperiuntur. Porrò *Murenæ* cognomen cum à pisce nobilissimo, quem Græci μύραιναν appellant, deductum esse Varro dicat, miror cur non *Muræna* potius servata Græca vocis orthographia scriptum ab antiquis fuerit: cum *Scæna* pro *Scena* quæ Græcis est σκηνή, contra Græcam scribendi rationem notatum in veteribus cùm libris tum lapidibus reperiatur. Varronis verba sunt ex lib. III. *De re rustica* cap. III. *Sic nostra ætas in quam luxuriosa propagavit leporaria, ac piscinas protulit ad mare, & in eas, pelagios greges piscium revocavit, non propter hos appellati Sergius Orata, & Licinius Murena? quis enim propter nobilitatem ignorat piscinas Philippi, Hortensii & Lucullorum.*

LIVINEIAE gentis una tantùm *Regulorum* familia apud scriptores reperitur. nam L. Livinejus Trypho qui nominatur à Cicerone in ep. IX. lib. XIII. libertus fuit L. Reguli, cujus extant nummi.

LIVIAE gentis plebejæ, unius tantùm *Salinatorum* familiæ, in æreo nummo mentio reperitur.

LOL,

LOLLIAM gentem plebejam fuisse constat: ex ea enim ortus est *M. Lollius Palikanus*, quem hominem seditiosum appellat Valerius Maximus libro VIII. cap. I.

LUCILIAE gentis plebejæ, familiæ plures variis distincti cognominibus apud scriptores reperiuntur. *Balbi* nominantur à Cicerone in *Bruto*: *Bassi* in lib. XII. ad Atticum. *Longi* & *Capitones* à Tacito lib. IIII. *Blæsi* lib. XVII. *Ruforum* autem nulla quod sciam mentio extat. nisi fortè M. Lucilius Rufus qui in argenteo quodam denario descriptus est, is fuit quem Plutarchus in *Pompejo* scribit cum Tribunus plebis esset de Pompejo Dictatore creando, multum repugnante Catone ad populum tulisse.

LUCRETIA gens in familias divisa fuit patricias & plebejas. *Triones* autem qui in nummis antiquis expressi reperiuntur, licet ex scriptoribus non constet, plebejos tamen fuisse opinor. *Trio* apud Dionem & Tacitum lib. V. cognomen est Fulcinii consulis anno DCCLXXXIII.

LURIAE gentis Cornelius Tacitus meminit libr. XII. & Dio libr. LVIII. in quo M. Lurium qui III. vir sub Augusto æneos nummos cusit, quales hodieque extant: Sardiniæ præfectum fuisse scribit. M. Lurius Triarius, & M. Lurius Treptus nominantur in antiqua basi marmorea, in qua descripta sunt nomina eorum qui ære conlato statuam Vespasiano Imp. dedicaverunt. L. Annio Basso, C. Cæcina Pæto Coss. In inscriptione etiam basis statuæ collegio Fabrûm Tignariorum Caracallæ Imper. dedicatæ Lurius quidam *Martialis* numeratus inter eos, qui pecuniam ad ponendam eam statuam contulerunt.

LUTATIAE gentis plebejæ unus tantùm extat denarius. io quo *Cerconis* cognomen ei tribuitur. Livius libro XLII. facit mentionem C. Lutatii Cercoois, qui anno DLXXX. L. Postumio Albino, M. Popilio Lænate Coss. legatus Alexandriam ad Ptolemæum renovandæ amicitiæ causa missus est.

M.

MÆCILIAM gentem Albanam, Tullo Hostilio Romæ regnante, Alba diruta civitatem Romanam adeptam fuisse, & in senatorium, patriciumque ordinem allectam scribit Dionysius lib. III. Fuit autem familia ex hac gente alia patricia, alia plebeja. In nummis nominatur M. Mæcilius Tullus quidam.

MAIANIAM gentem, quæ in aliquot nummis antiquis notata est, opinor eandem esse cum ea, quæ in tabulis Capitolinis modò *Mænia*, modò *Mania* nominatur. ejus extat mentio in antiqua inscriptione Cæretana, cujus exemplum est hoc:

D. M. SVRIAE. SACRVM
L. MAIANIVS. HOMER. CVM
MAIANIA. HOMERIDE. FIL
V. S. P. L. D. D. D
CVRANT. L. MAIANIO. ET
IVL. MAXIM. TAVRIN
FRAT

MAMILIAM gentem plebejam à Mamilia Telegoni filia originem & nomen duxisse, omnes ferè scriptores tradunt. Ipse autem Telegonus Ulyssis fuit & Circes filius. qui Tusculum oppidum in Latio condidit, ut scribit Sex. Pompejus, Plutarchus, Acro, & Pomponius Porphyrio Horatii interpretes. Cognomen huic genti *Limetanus* & nummi tribuunt & historici.

MANLIAM gentem duplicem fuisse patriciam unam, alteram plebejam, ex iis quæ scribit Cicero io lib. I. *Philipp.* coojicere possumus: sunt autem hæc. Propter unius M. Manlii scelus decreto gentis Manliæ, neminem patricium vocari *M. Manlium* licet.

MARCIA quoque gens patricias habuit familias, & plebejas. Sed patriciorum nulla in antiquis denariis extat memoria. plebejorum, *Philippos* tantum, & *Libones*, in iis qui circumferuntur numismatibus, notatos animadvertimus: quos ab Anco Marcio rege originem duxisse & alii scriptores testantur & Ovidius lib. VI. *Fastorum* illo versu,

Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco.

Verùm Marciam gentem à duobus Romanorum regibus Numa & Anco originem traxisse omnes fere scriptores tradunt: Numam enim Marcium, qui primus Pontifex Maximus fuit, & sub Tullo Hostilio Urbis præfectus, ex Pompilia Numæ regis filia Ancum Marcium Regem procreasse ferunt, à quo deinceps Marcii genus duxerunt. Hujus gentis & io aliis antiquitatis monumentis extat mentio, tum in duabus antiquis inscriptionibus quæ Romæ extra portam Flumentanam repertæ sunt hujusmodi:

C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS. ET. C. ASI
NIVS. C. F. GALLVS. COS
EX. S. C
FIN. POMER. TERMIN
&
C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS
C. ASINIVS. C. F. GALLVS
COS
EX. S. C. TERMIN

item in hac veteri inscriptione quæ Aquini extat:

C. MARIO. L. F
CENSORINO. COS
AVGVRI. PATRONO. D. D

Inter cognomina familiarum gentis hujus, fuit *Libo*: quanquam id non tantum Marciæ, sed Juliæ quoque familiæ aliarumque cognomen fuit.

MARIAM gentem plebejam fuisse vel ex eo constat, quod C. Marius C. F. qui nullo est usus cognomine, & M. Marius Gratidianus Tribuni Pl. cum essent, alter dè suffragiis, alter de re nummaria leges tulerunt.

MEMMIA gens, ut ex veteribus scriptoribus, & antiquis denariis colligere possumus, inter plebejas numerata fuit: ex ea enim extitit Memmius Ædilis plebejus, qui ludos Cereris *Cerealia* dictos, quibus equorum cursus in circo exhibebantur, primus fecit. itaque Dio lib. XLVII. memoriæ prodidit, ante devictum Brutum evenisse, ut Ædiles plebeji gladiatorum certamina pro equorum cursibus exhibuerint. Extat in quodam veteri denario inscripto hæc *L. C. Memiesi*: qua inscriptione nisi duo fratres C. & CL. Memmii C. filii designentur, C. aliquis *Memiesius* ignotæ gentis homo, in quo alterum cognomen L. abundat, fortasse notatus est.

MESCINIAM gentem plebejam fuisse ex eo constat, quod C. Mescinius quo Tr. Pl. anno DCXCVI. ab exilio revocatus est Cicero, èx ea natus fuit. Cicero in oratione *pro P. Sextio*, & *post reditum in senatu*. L. autem Mescinius Rufus, cujus extant denarii, sub Augusto cudendæ monetæ præfectus fuit. Hic est, qui Ciceroni Procos. in Cilicia Quæstor fuit, cuique è provincia decedenti C. Cælius Caldus successit. Cicero ep. XXVI. lib. XIII.

XIII. & epist. VI. lib. XVI. Ad eundem scriptæ sunt epistolæ XX. & XXI. lib. V. quarum prima Rufo L. Mescinio inscripta est. Is igitur Mescinius cum Augusti postea temporibus cudendæ monetæ præesset, vota quæ S. P. Q. R. Jovi Optimo Maximo pro salute Imp. Cæsaris solvisset, quòd per eum Resp. in ampliori atque tranquilliori statu esset, in nummis notavit.

Mettiam gentem è Lanuvio municipio oriundam fuisse suspicari possumus ex eo, quòd M. Mettii nummi extent in quibus Junonem Sospitam, quæ Lanuvii cum hasta, scutulo, calceolis repandis, & pelle caprina colebatur, signavit. item alii, in quibus ea quæ de Lanuvino serpente à Propertio narrantur, expressit. De Mettio quodam meminit Cicero, in epist. XXVI. lib. XV. & M. Mettii Epaphroditi grammatici Græci, quem puto libertum fuisse M. Mettii, cujus extant denarii, extat mentio in antiqua hac inscriptione:

M. METTIVS
EPAPHRODITVS
GRAMMATICVS. GRAECVS
M. METTIVS. GERMANVS. FEC

Minatiae gentis facit mentionem Valerius Maximus lib. III. cap. IV. in quo nominat Minatium Rufum, qui M. Catonis, ut ipse inquit, in Cypriaca expeditione fidissimus comes fuit. Scio etiam à Vellejo Minatium Magium nominari atavum suum Asculanensem, qui nepos fuit Decii Magii Campanorum, (ut ipsius verbis utar,) principis celeberrimi. sed nihil is cum Minatia hac gente commune habet, quæ in tribu Sabatina censebatur, ut ex inscriptione quam nos Bisenti Etruriæ oppido descripsimus, intelligere possumus:

VIRTVTI. VISENT
SACR
M. MINATI. M. L. SAB. GALLI
II. VIR. I. D. QVINQ
MATERNVS. FRATRIS
SVI. H. C. ET. OB. DEDICA
TIONEM. HONORARIAM
VICANIS. FLVIVM. POPV
LO. CRVSTVLVM. ET
MVLSVM. DEDIT

Minvcia gens patricia primùm, postea plebeja fuit. Reperiuntur nummi ex hac gente familiæ *Augurinorum & Thermorum*.

Mvciam gentem plebejam fuisse inter scriptores constat. Ejus autem familiæ duæ reperiuntur, *Cordorum* scilicet, & eorum qui vocati sunt *Scævolæ*. Cordorum facit mentionem Dionysius lib. IIII. & Quinctilianus lib. I. cap. VII. quos ex casu nascentium cognomen invenisse scribit. eumque qui primus ita cognominatus est, à quibusdam *Cordum*, ab Athenodoro autem *Opsigonum*, quod idem est, appellatum fuisse testantur. *Cordos* enim agnos, *cordum* item frumentum & fenum dicebant antiqui, quod sero nasceretur aut maturesceret.

Mvnatiae gentis *Plancorum* tantùm familia in antiquis denariis reperitur: cum *Rufi* etiam à Cicerone in lib. VI. *in Verrem*, & Val. Maximo, lib. IIII. cap. III. aliique à scriptoribus nominentur. De L. Munatio Planco mentio est præter scriptores in nummis quoque antiquis, & inscriptione, quæ Cajetæ extat hujusmodi:

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON
PLANCVS. COS. ACENS. IMP. ITER.
VII. VIR
EPVL. TRIVMPH. EX. RAETIS. AEDEM. SATVRNI
FECIT. DE. MANIBIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA
BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS;
DEDVXIT
LVGDVNVM. ET. RAVRICAM

De Lugduno colonia à Planco deducta Galliæ Comatæ Prætore, meminerunt Eusebius, & Dio. Saturni autem ædem de manubiis Plancum fecisse, alterius quoque inscriptionis fragmentum, quod Romæ prope ipsam ædem Saturni superioribus annis repertum est, confirmat. Ejus exemplum subjecimus:

L. PLANCVS. L. F. COS....
IMP. ITER. DE. MANIB....
. . . .

Mvssidiae gentis è Sabinis, ut arbitror, oriundæ facit mentionem Cicero ep. I. lib. III. ad Q. Fratrem: in qua pro *Mussidius* librariorum errore scriptum est *Messidius*: quamvis *Messidius* etiam ferri possit, quod id nomen à Messiis deductum sit, ut à Mussiis *Mussidius*. In antiqua basi statuæ Vespasiani Imp. cujus alibi meminimus, *D.* quidam *Mussidius Januarius* notatus est inter eos qui ad eam ponendam Imp. statuam, pecuniam contulerunt.

N.

Naeviam gentem plebejam. fuisse, vel ex hoc intelligere possumus, quod ex ea extitit M. Nævius Trib. Pl. qui P. Scipioni diem dixit, ut scribit Valer. Max. lib. III. cap. VIII. Ejus gentis in nummis reperiuntur familiæ *Balborum* & *Surdinorum*. L. Nævii Balbi facit mentionem Livius lib. XLV. In veteri autem inscriptione, quæ proximis annis in Foro Romano reperta: in Capitolium translata fuit, in cujus altera parte equestris statua Curtii ejus expressa est, à quo *lacus Curtius* dictus fuit, mentio fit *L. Nævio L. F. Surdino Prætoris inter cives & peregrinos*.

Nasidiae gentis incertum patriciæne an plebejæ, scriptores multi meminerunt.

Neriae gentis facit mentionem Horatius in lib. II. *Serm.* Satyra III. illo versu,

Scribe decem a Nerio.

in quem versum ita scribit Porphyrio. Nerium Catienum (ita enim est in vetustissimo libro) juris studiosum fuisse, & ab Horatio ut avarum tangi. Cicero in ep. III. lib. II. ad Q. Fratrem, his verbis: *Sestius ab Judice Cn. Nerio Pupiniâ, de ambitu est postulatus, & eodem die a quodam M. Tullio de vi.* Censebatur autem Neria gens, ut ex hoc loco colligitur, in tribu Pupinia, quæ inter Rusticas numerabatur, ab agro Pupinio, ut scribit Festus nuncupata.

Noniam gentem plebejam fuisse, satis èx scriptoribus constat: ex ea enim ortus est Nonius Balbus Tr. Pl. qui edicto, quod Sosius in Antonii gratiam contra C. Cæsarem fecerat, intercessit, ut scribit Dio lib. L. Reperitur in antiquis denariis *Sex. Nonius Sufenas* qui Prætor ludos Votivos fecerit. Ac fortasse is est, cujus meminit Catullus illo versu ad Varum,

Sufenas iste Varus, quem probè nosti.

Ita enim legendum est, non ut in vulgatis libris, *Sufenus*. Cicero ep. XIV. lib. IV. ad Att. *Nonis Quintilibus*, inquit, *Sufenas & Cato absoluti sunt*. Valerius etiam Maximus lib. VII. cap. VIII. Sufenatis cujusdam meminit. Extat & æreus nummus, in quo *Sex. Nonius Quinctilianus* notatus est, qui fuit consul an. DCCLX. cum M. Furio Camillo. Dio lib. LV.

Norbana quoque gens inter plebejas numerata fuit, ex qua C. Norbanus Trib. Pl. extitit an. DCXLVIII. cujus rogatione Q. Servilio Cæpioni Procos. imperium abrogatum est.

NUMITORIAM gentem plebejam fuisse vel ex uno L. Numitorio constat. qui Trib. Pl. à Livio describitur lib. II. & Dionys. lib. XII. Cicero in lib. II. *de Inventione* meminit Q. Numitorii cujusdam qui *Pullus* cognominatus fuit.

NUMONIAE gentis facit mentionem Vellejus lib. II. in quo *Numonii Vaala* ejus, qui legatus Quinctilii Vari in Germania fuit, mentionem his verbis facit: *At Vala Numonius, legatus Varii, cætera quietus & probus, dirs auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fuga cum alis Rhenum petere ingressus est: quod factum ejus Fortuna ulta est. non enim desertis superfuit, sed desertor occidit.* Sic enim legendum isto Velleji loco. Opinor autem hunc esse Nonium in Valam, ad quem Horatius scripsit epistolam XV. lib. I.

Quæ sit hiems Veliæ, quod cælum Vala Salerni.

Ita enim in vetustissimis libris hæc epistola inscripta circumfertur. Videtur autem Numonia gens *Vaalæ* cognomen accepisse ab aliquo qui vallo defenso id cognomen primus invenerit. Nam & antiquus denarius extat, in quo expressus est (ut videtur) vir quidam pugnans pro vallo. *Vaala* verò antiquè scriptum in eo denario pro *Vala*, ut *Feelix* in Fausti denario, pro *Felix*, & *Vaarus* pro *Varus* in Alatrina hac inscriptione:

L. BETILIENVS. L. F. VAARVS
HAEC. QVAE. INFRA. SCRIPTA
SONT. DE. SENATV. SENTENTIA
FACIENDA. COIRAVIT. SEMITAS
IN. OPIDO. OMNIS. PORTICVM. QVA
IN. ARCEM. EITVR. CAMPVM. VBEI
LVDVNT. HOROLOGIVM. MACELVM
BASILICAM. CALECANDAM. SEEDES
... CVM. BALINEARIVM. LACVM. AD
PORTAM. AQVAM. IN. OPIDVM. ADOV
ARDVOM. PEDES. CCCX CIƆ. FORNICESQ
FECIT. FISTVLAS. SOLEDAS. FECIT
OB. HASCE. RES. CENSOREM. FECERE. BIS
SENATVS. FILIO. STIPENDIA. MERETA
ESE. IOVSIT. POPVLVSQVE. STATVAM
DONAVIT. CENSORINO

O.

OGULNIAE gentis plebejæ facit mentionem Livius lib. X. & Valerius Maximus lib. I. cap. VIII. Extant & signati ab Ogulnio nummi. Eum autem opinor esse, qui Consul in Fastis descriptus est anno CDLXXXIV. cum C. Fabio Butcone, & anno CDXCVII. Dictator cum M. Lætorio Planciano Magistro equitum Latinarum feriarum caussâ. Livius lib. X. Q. & CN. Ogulnios Tribunos pl. nominat, qui anno CDLIII. legem Ogulniam de sacerdotiis tulerunt. Ogulniæ gentis mentio quoque extat in veteri hac inscriptione:

N. OGVLNIO
APOLLONIO
CONIVGI. CARISSIMO
ET. N. OGVLNIO
AMPLIATO. FILIO
PIENTISSIMO
VIX. ANN. VI. MEN. X
DIEB. VI
OGVLNIA. CALE
B. M. FECIT

A In nummis *Oculnius* pro *Ogulnius* scriptum est: unde intelligere possumus, antiquo C, litera pro G, usos esse. Confirmat hoc antiquissima C. Duilii rostratæ columnæ inscriptio, in qua est, *Macistratod, Pucnandod, cessit, Cartacinensis*, pro *Magistratos, pugnandod, gessit, Cartaginensis*.

OPIMIAE, vel ut est in argenteis denariis, *Opeimiæ* gentis plebejæ frequens est mentio apud veteres scriptores.

OPPIAE gentis plebejæ facit mentionem Livius lib. XXXIII. in quo nominat C. Oppium Tr. Pl. qui legem Oppiam de matronarum habitu tulit anno DXL. in lib. autem XXXV. L. Oppii Salinatoris meminit, qui anno DLX. Ædilis plebis fuit. B

P.

PAPIAM gentem, plebejam fuisse, satis inter scriptores constat. Ejus extat mentio in antiqua hac inscriptione Casinati:

M. PAPIVS. M. F. L. MATRIVS. L. F
DVOVIRI. I. D
SIGNVM. CONCORDIAE. EX. S. C. RESTITVENDVM
COERAVERVNT. EIDEMQ. DEDICAVERVNT
C ET. BASIM. GRADVM. ARAM. SVA. PECVNIA
FACIVNDA. COER. EIDEMQ. PROBAVER
AD. IIII. EID. OCT. CN. DOMIT. C. ASINIO. COS

In nummis *L. Papius Celsus* nominatur.

PAPIRIAM gentem duplicem fuisse ex Ciceronis epistola ad Pætum, cujus verba subjecimus, intelligere possumus. *Sed tamen*, inquit, *mi Pate, quî tibi venit in mentem negare Papirium quenquam unquam nisi plebejum fuisse? Fuerunt enim patritii minorum gentium: quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui Consul cum L. Sempronio* D *Atratino fuit anno post Romam conditam* CCCXII. *Sed tum Papirii dicebamini: post hac* XIII. *fuerunt sella curuli ante L. Papirium Crassum, qui primus Papisius est vocari desitus: hunc secutus esse Cursor: deinde L. Maso Ædilicius: inde multi* Masones. *deinde* Carbones *&* Turdi *sequuntur. hi plebeji fuerunt.* Hujus igitur gentis in nummis, quos ipsi vidimus, soli *Carbones* reperiuntur.

PAEDANIAE gentis, cujus cognomen est *Costa*, mentionem facit Livius lib. XXV. & Valerius Maximus lib. III. cap. II. Cornelius Tacitus lib. XIIII. & XVII. Plutarchus etiam in *Cicerone* P. E Costæ cujusdam meminit.

PETILLIAE gentis plebejæ frequens est mentio apud scriptores. Livius lib. VII. facit mentionem C. Petillii Balbi TR. PL. qui primus patribus auctoribus de ambitu ad populum tulit. & lib. XXXVIII. meminit Q. Petillii Spurini Tr. Pl. qui legem Petilliam tulit de peculatu anno DLXVI. M. Æmilio, C. Flaminio Coss. Horatius meminit C. Petillii Capitolini, cujus extant denarii.

PETRONIAM gentem plebejam è Sabinis oriundam fuisse conjicere possumus cùm ex iis qui hodieque supersunt ejus gentis denariis: tum ex ejus *Petronii* cognomine, qui *Sabinus* à Valerio F Max. appellatur lib. I. c. I. Idem lib. IIII. cap. VII. L. Petronium humili loco natum P. Cælii beneficio ad equestrem ordinem & splendida militiæ stipendia pervenisse scribit. C. etiam Petronius Consul anno DCCCXIII. P. hujus Petronii qui Triumvir sub Augusto fuit, filius Sabinus Turpilianus in Fastis descriptus est: & in inscriptione Anconitana

L. Pe-

L. Petronii Sabini mentio extat, cujus exemplum A
subjecimus:

PETRONIAE
SABINAE
FILIAE
L. PETRONII. SABINI
P. P. BIS
PROCVRATOR. AVGG
STATIONIS. HEREDITATVM
ITEM. PROVINCIAE
NARBONENSIS
PATRON. COLONIAE
DECVRIONES

B Trebulæ etiam sive Mutuscæ, quod Sabinorum oppidum fuit, fragmentum repertum est inscriptionis, in qua *T. Petronius Sabinus* nominatur:

T. PETRONIO
T. F. SERG. SABINO
TR. MIL. MAG. IVVENT
. . . .

Pinariam gentem patriciam à Pino Numæ Pompilii filio duxisse originem, scribit Plutarchus in *Numa*: quamvis Livius lib. ii. & Dionysius lib. viii. à Pinariis qui Herculi sacra anniversaria faciebant genus traxisse malunt: quibus assentitur Virgilius lib. viii. illo versu,

C *Et domus Herculei custos Pinaria sacri.*

Hujus autem gentis familiæ cum plures fuerint, duarum tantùm quibus cognomina *Natta* & *Scarpi*, in antiquis denariis extat memoria, quorum & in aliis vetustatis monumentis mentio reperitur. Puto autem *Scarpi* cognomen ductum esse à Græca voce καρπὸς, qua cavum manus sive vola significatur: eoque pertinere quod in nummorum gentis hujus altera parte manus extat signata. multa enim à corporis partibus tracta cognomina in veteribus monumentis reperiuntur: ut *Chilones*, sive *Cilones*, *Capitones*, *Frontones*, *Nasones*, & cætera hujusmodi, quæ symbolis quibusdam in earum gentium monumentis indicari solent. Sed & nomina D ipsa gentium à Græcis vocibus nonnulla, ut *Æmiliæ*, & *Aciliæ* aliarumque ducta fuisse constat. S literam, quæ detrahendi vim habet, Græcæ voci Καρπὸς adjectam opinor, quod qui primus *Scarpi* cognomine usus est, aliqua in ea manus parte quæ καρπὸς dicitur, vel à natura, vel à fortuna labem acceperit. cùm contra, qui nullum in ea detrimentum passi fuerint, Εὔκαρποι (sive *Carpi*) dicti sint. Utriusque cognominis exempla in veteribus inscriptionibus reperiuntur:

L. SILIVS. CARPVS
M. FABIVS. CARPVS
L. CORNELIVS. CARPVS

E *&*

CARPVS. AVG. LIB. PALLANTIANVS

&

IMP. CAES. M. AVR. ANTONINO
AVG. PIO. FELICI. INVICTO. PAR
THIC. MAXIMO. BRITANNICO. MAX
TR. POT. VII. COS. III. P. P. PROCOS
FORTISSIMO. PRINCIPI
MAG. QVIN. COLL. AVRIFICVM
D. D.
CVR. P. VALERIVS. P. F. BENEDI
TVS. ET. C. AVRELIVS. CARPVS
F Q. Q. II. S.

&

D. M
CN. POMPEIO. EVCARPO
CN. POMPEIVS. ZMARAGDVS
PATRONO. OPTIMO
BENEMERENTI
FECIT

Plaetoriam gentem sive *Lætoriam* (utroque enim modo, ut infra ostendam, apud scriptores reperitur) plebejam fuisse satis constat. Fuerunt enim ex ea Tribuni & Ædiles plebis, de quibus meminerunt Varro lib. v. *de lingua Lat.* Livius lib. xxx. Censorinus *de die natali* cap. xix. in quo Plætoriæ legis facit mentionem, quam tulit M. Plætorius Tr. Pl. de jure dicundo. E Sabinis verò originem duxisse, possumus ex his inscriptionibus colligere, quarum exempla subjecimus:

IOVI. CONSERVATORI. ET. IVNONI.
SANCTAE
SACRVM
C. PLAETORIVS. C. F. STEL. PHOEBVS. VI. VIR
AVGVSTAL
SODAL. TRAIANAL. ET. HADRIANAL. IIII. VIR
QVINQVEN
PATR. IVVEN. TREBVL. MVTVESC.
VOT. SOL. LIB
MER

&

L. PLAETORIO. L. F. CLAVDIA. SABINO
SACERD. AESCVLAPI. VIX. ANN.
LXXV
M. PLAETORIVS. NVMISIANVS. SABINVS
F. C

&

M. PLAETORIVS. HERCVLANIVS
SACERDOS. M. D. M. I
FECIT. OLLAR. N. XXXIIII
CVM. SARCOPHAGO. MARM

Quod autem Plætoria familia eadem cum Lætoria fuerit, vel ex eo conjicere possumus, quod M. Plætorius primipili centurio, cui populi suffragiis, ut scribit Valerius Maximus lib. ix. cap. iii. dedicatio ædis Mercurii data est, à Livio lib. ii. *M. Lætorius* appellatur, his verbis: *Populus dedicationem ædis dat M. Lætorio primipili centurioni.* M. autem Plætorius Rustianus, qui Scipionem in Hispania secutus est, in manuscriptis Hirtii codd. de bello Africo, modò *Plætorius*, modò *Lætorius* nominatur. Leges quoque quæ ab hac familia latæ sunt, modò *Plætoriæ* à scriptoribus, modò *Lætoriæ* nominantur.

Planciam gentem plebejam fuisse vel ex eo constat, quòd Cn. Plancius, cujus denarii extant, Trib. Pl. fuit anno dcxcvi. P. Lentulo, Q. Metello coss. ejusque in primis opera M. Cicero ab exilio revocatus est. Cic. lib. ii. ad Q. Fratrem. & lib. i. ad P. Lentulum, & Dio lib. xxxix. Fuit & Macedoniæ quæstor, itemque Ædilis. Vide Ciceronem.

Plautiam gentem plebejam fuisse, inter veteres scriptores satis constat. Nomen verò à *Planto* cognomine duxisse, ut *Planciam* à *Planco*, *Variam* à *Varo*, & *Juliam* à *Julo* in suis familiis annotavit vir doctiss. Antonius Augustinus. Cum autem *Plauti Ploti* etiam dicti sint, (ut M. Attius Sarsinas, qui comœdias scripsit, initio *Plotus*, postea *Plautus* appellatus est) *Plautiam* quoque gentem non modò *Plotiam* (ut Claudiam Clodiam) sed *Plutiam* in veteribus monumentis nominatam esse animadvertimus.

Publiciam gentem sive Publiciam (utroque enim modo in veteribus monumentis reperitur, & ab antiquis *Poblii* antea dicti sunt, qui postea *Publii*: & *Poblicii* qui deinde *Publicii*) plebejam fuisse ex Livii libro xxvii. constat, in quo C.

Poblicii meminit, qui fuit Tr. Pl. anno DXLV. cui à Senatu populoque Ro. ut ipse posterique ejus in urbe sepelirentur, concessum est: ut ex hac inscriptione, quæ sub Capitolio in monumento quadrato ex lapide Tiburtino incisa est, intelligimus:

C. POPLICIO. L. F. BIBVLO. AED. PL. HONORIS
VIRTVTISQVE. CAVSSA. SENATVS
CONSVLTO. POPVLIQ. IVSSV. LOCVS
MONVMENTI. QVO. IPSE. POSTERIQVE
EIVS. INFERRENTVR. PVBLICE. DATVS EST

POMPEIAE gentis plebejæ, tres in antiquis qui supersunt, denariis, familiæ reperiuntur. *Magni* scilicet, *Rufi* & *Fostli*. Cæterùm de hac gente omnis generis monumenta antiqua loquuntur.

POMPONIAM gentem plebejam à Pompone Numæ Pompilii filio duxisse originem, & Plutarchus scribit in *Numa*, & arguunt, qui supersunt hujus gentis denarii. Nominatur autem in illis *Q. Pomponius Molo*: nec non *Q. Pomponius Rufus* qui avus esse potuit Q. Pomponii Rufi, de quo extat mentio in ænea tabula ita inscripta:

IMP. CAESAR. DIVI. VESPASIANI. F
DOMITIANVS. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNIC. POTEST. XII. IMP. XXII. COS. XVI. CENSOR. PERPETVVS P. P
PEDITIBVS. ET. EQVITIBVS. QVI. MILITANT. IN. COHORTE. III. ALPINORVM
ET. IN. VIII. VOLVNTARIORVM CIVIVM. ROMANORVM. QVI. PEREGRINAE
CONDICIONIS. PROBATI. ERANT. ET. SVNT. IN. DELMATIA
SVB. Q. POMPONIO. RVFO. QVI. QVINA. ET. VICENA. STIPENDIA
AVT. PLVRA. MERVERVNT. &c.
in fine tabula est,
DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. EX. TABVLA. AENEA. QVAE. FIXA EST
ROMAE. IN. MVRO. POST. TEMPLVM. DIVI. AVGVSTI. AD. MINERVAM

Ab hoc autem Q. Pomponio, qui in veteri inscriptione nominatur, genus duxisse potest C. Pomponius Rufus, qui Consul describitur cum Cn. Pompejo Feroce in antiquo lapide, qui Romæ extat hujusmodi:

LIBERO. PATRI
SANCTO. SACR
SEX. CAELIVS
PRIMITIVVS. ET
PVBLICIA. ANTVLLA
VOTO. SVSCEPTO
D. D

In lateribus, caper erectus vitem rodit: à tergo incisum est,

DEDICAVERVNT
IDIB. OCTOBR
CN. POMPEIO. FEROCE
LICINIANO. COS
C. POMPONIO. RVFO

Porrò videntur qui hodie supersunt nummi hujus gentis ad duas familias referendi, quarum altera cognomen habuit *Rufus*: altera *Musa*.

PORCIAE gentis plebejæ M. Catonem qui *Censorius* appellatus est, Tusculo municipio oriundum, auctorem extitisse, inter scriptores satis constat: de eo enim ita scribit Cicero in II. *de Legibus*: *Ut ille Cato cùm esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est: itaque cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris.* Catonis extat Hermes, inscriptus *M. Porcius M. F. Cato Censorius.* de quo in libro *Imaginum* abundè scripsimus. Porciæ autem gentis reperiuntur *Licinorum*, *Lecarum*, & *Catonum* familiæ.

POSTVMIA gens patricia Romæ floruit post exactos reges, in plures divisa familias, quarum nobilissima fuit quæ in denariis reperitur *Albinorum*. Illud autem in hac gente memoratu maximè dignum, quod ad interitum usque Reip. nullus in ea plebejus fuerit, sed in patriciorum ordine constanter permanserit.

PROCILIAM gentem è Lanuvio municipio oriundam fuisse videtur posse intelligi, ex iis qui supersunt ejus gentis denariis, in quibus Junonis Sospitæ simulacrum, quæ Lanuvii colebatur, quale describit Cicero in oratione *pro L. Murena* & lib. I. *de Legibus*, est signatum.

Q.

QVINCTIAM gentem, Alba diruta, Romam à Tullo rege translatam fuisse, & inter patricios cooptatam scribit Livius lib. I. & Dionysius lib. I. apud quem pro Κοιλλίας, ut est in vulgatis libris, corrigendum Κοιλίων: Alterius autem Quinctiæ quæ fuit plebeja, facit mentionem Cicero in oratione *pro A. Cluentio*, & Livius lib. XXIIII. inter gentis hujus cognomina fuit *Crispinus*.

R.

RENIAE gentis nulla apud scriptores quos ipse legerim mentio reperitur. C. *Renius* tamen nominatur quidam in veteri nummo. Præterea in antiqua quadam inscriptione, nominatur *M. Rhenius Ti. Cæsaris Servus*, cujus exemplum est hujusmodi:

M. RHENIVS. LIBER. XYSTVS. TI. CAESARIS. SER
GERMANIC. APOLLONIO. VICARIO. SVO. AMICO. XX
C. LVRIVS. IVCVNDVS. ESSEDARIVS. V. A. XXV
FILIA. MATRI
HVIC. MONIMENTO. VSTRINVM. APPLICARI. NON. LICET

ROSCIAM gentem plebejam fuisse vel ex eo constat quod L. Roscius Otho, qui Tr. Pl. legem theatralem tulit, ex ea ortus fuit. E Lanuvio verò municipio venisse, colligere possumus ex antiquis ejus gentis denariis.

RVBRIAE gentis plebejæ facit mentionem Cicero in libro *de claris oratoribus*, Appianus libro I. *bell. civil.* & Plutarchus in *Ti.* & *C. Gracchis.* in quo quidem libro nominat Rubrium Tr. plebis Gracchi in Tribunatu collegam, qui rogationem tulit de colonia Carthaginem à Scipione eversam deducenda. Nominantur & alii ab aliis: ac fuit unius familiæ ex hac gente cognomen *Dorsenus*, sive *Dossenus*: (*dossum* enim antiqui dicebant pro *dorsum*) alterius *Rex*.

RVS-

RUSTIAE gentis mentio est in hac antiqua inscriptione cujus exemplum Tiburi descripsimus:

C. RUSTIUS. C. F. FLAVOS. ITER
L. OCTAVIUS. L. F. VITULUS
IIII. VIR. D. S. S
VIAM. INTEGENDAM
CURAVER

& in tabula Sutrina in qua:

PONTIFICES. A. COLONIA. CONIUNC.
IULIA. SUTRIN. IN. ORD. RELAT.

inter eos enim pontifices descriptus est *L. Rustius L. F.* Plutarchus autem & Appianus mentionem faciunt Rustii, qui sub Crasso contra Parthos militavit, in cujus impedimentis Aristidis *Milesiaca* lascivos libros fuisse repertos scribunt.

RUTILIA gens duplex fuit, patritia scilicet & plebeja. Ejus autem cum plures à scriptoribus familiæ nominentur. *Flacci* tamen qui in veteri denario nominatur, nullam in veteribus vel scriptorum, vel lapidum monumentis invenire mentionem potui. *Rutili Crassi* meminit Livius libro IIII. *Calvi*, lib. XLV. *Rufi* Cicero in oratione *pro Plancio*. *Lupi* Cæsar *de bello civili* lib. I. & Quinctilianus lib. I. cap. II. *Censorini* Valerius Max. lib. IIII. cap. I. *Flacci*, ut dictum est, nullus quod sciam, facit mentionem.

S.

SALVIAM gentem Ferentino oppido atque ex principibus Etruriæ, ut inquit Suetonius in *Othone*, oriundam, plebejam principio fuisse, vel ex eo intelligere possumus, quòd ut tradit Appianus lib. III. *bel. civil.* ex ea natus est Salvius is, qui Tribunus Pl. anno DCCX. Ciceronis sententiæ de M. Antonio hoste judicando intercessit. Q. autem Salvium qui in antiquis denariis nominatur, opinor eum esse qui à Vellejo, Suetonio, & Dione *Salvidienus Rufus* appellatur. propterea quod Consul designatus & Imperator in denario describitur: qui quidem honos ab iisdem scriptoribus uterque ei tributus est. Sed cur *Salvius* pro *Salvidienus* in denariis nominatus sit, ut liberè dicam, fateor me nescire: nec enim placent ea, quæ de ejus adoptione à quibusdam licet antiquitatis bene peritis, allata sunt. quia à Salvia gente *Salvidiam*, & à Salvidia *Salvidienam* gentis item nomen, non autem adoptionis cognomen, quemadmodum à Nasidia, Cluvia, Titia, Clodia, *Nasidienam*, *Cluvienam*, *Titienam*, *Clodienam* dictam esse, cùm ex lapide tum ex scriptorum monumentis constat. Sanè *Salvidienum* gentis nomen fuisse sexcentis confirmare exemplis possumus. De M. Salvio Othone, Othonis Imp. avo, vide Suetonium, & Tacitum.

SANQUINIAE gentis unus, quod sciam, Tacitus facit mentionem lib. V. in quo M. Sanquinii Maximi meminit, qui Consul ex Kal. Martiis suffectus fuit, anno DCCLXXXI.

SATRIENAE gentis in uno tantùm denario nec alibi, quod sciam, in veteribus monumentis mentio extat. Quemadmodum verò ab Allio *Allienus*, à Nasidio *Nasidienus*, & à Salvidio *Salvidienus*: ita à Satrio, *Satrienus* nomen deductum est.

SAUFEIAE gentis & in nummis veteribus mentio est, & apud Ciceronem sæpe.

SCRIBONIAM gentem plebejam fuisse inter veteres scriptores satis constat. Ejus duæ tantùm familiæ *Curionum*, ut arbitror, & *Libonum*, in denariis reperiuntur.

SEMPRONIA gens, patricia primum fuit, postea ad plebem traducta, plebeja facta est. Ejus in nummis quos habemus familiæ tres reperiuntur, *Atratinorum*, qui patricii fuerunt: *Gracchorum* qui plebeji: & *Pitionum* quos plebejos item fuisse opinor.

SENTIA gens, incertum patricia ne an plebeja fuerit. Neque verò rerum Romanarum scriptores aliquem ex hac gente nominant, qui *Lucii* prænomen habuerit: cùm tamen extet descriptus in veteri nummo *L. Sentius C. F.* Vellejus lib. II. meminit C. Sentii Saturnini, qui à Triumviris R. P. C. proscriptus, Augusti postea legatus in Germania fuit, & Consul cum Q. Lucretio Vespillone anno DCCXXXIV. cujus filius credi potest Lucius ille quem diximus.

SEPULLIAE gentis nullus, quod sciam, veterum scriptorum facit mentionem. Ejus autem memoria, quamvis fuerit sub Cæsare Dictatore, & Triumvirorum etiam temporibus non obscura, nulla penè extaret, nisi antiqui aliquot denarii superessent: quibus *P. Sepulli* nomen inscriptum est. Ac licet colligere P. Sepullium Macrum illis omnino quæ diximus temporibus floruisse.

SERGIAE gentis patriciæ, vel unius Virgilii testimonio nobilis, *Silonum* tantum extat in denariis familia, cum plures & quidem claræ, & illustres à scriptoribus nominentur. Virgilii versus est, ex lib. V. *Æneidos*,

Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen.

SERVILIAM gentem (vel ut in nummis notatum extat, *Serveiliam*) Albanam, à Tullo rege, Alba diruta, Romam translatam fuisse, inque patriciorum ordinem allectam, scribit Livius lib. I. & Dionysius lib. II. Ejus autem in antiquis denariis, familiæ reperiuntur patriciæ & plebejæ: in utrasque enim fuisse hanc gentem divisam, satis inter scriptores constat. Inter hujus gentis cognomina fuerunt *Ahala* & *Casca*.

SESTIAM gentem patriciam fuisse, (nam Sextiæ Plebejæ nulla est in denariis mentio) satis ex Livio constat: qui in lib. III. nominat P. Sestium Capitolinum, patriciæ, ut ipse inquit, gentis virum, qui cum T. Menenio Lanato consul fuit anno CCCI. & CCCII. decemvir consulari potestate legum ferendarum caussa.

SICINIAE gentis plebejæ frequens est mentio apud scriptores: extantque ejus gentis hodie nummi.

SILIAM gentem plebejam fuisse constat ex Livii verbis, quæ sunt in lib. IV. *Non alias*, inquit, *ægriùs plebs tulit Tribunicia sibi comitia non commissa: eum dolorem Quæstoriis comitiis simul ostendit, & ulta est: tunc primùm plebejis Quæstoribus creatis, ita ut in quatuor creandis, uni patricio C. Fabio Ambusto relinqueretur locus: tres plebeji Q. Silius, P. Ælius, P. Pupius clarissimarum familiarum juvenibus præferrentur.*

SPURILIAE gentis plebejæ facit mentionem Livius lib. IIII. in quo Spurilium Tribunum plebis nominat, cum inquit, *Plebs Tribunos Pl. absentes Sex. Tempanium, Agellium, & Antistium, & Spurilium fecit: quos & pro centurionibus sibi præfecerant Tempanio auctore Equites.*

STATIAE gentis plebejæ Cicero meminit in ep. II. ad Q. Fratrem lib. I. Livius lib. II. & Dionysius lib. IX. ex ea *Murcus* ortus est, cujus extat denarius, quique à scriptoribus appellatur *L. Statius Murcus.*

STATILIAE gentis aliquot à scriptoribus familiæ nominantur. ex eis autem *Taurorum* novam fuisse ex Velleji verbis intelligere possumus, quæ leguntur in lib. II. *Raro*, inquit, *eminentes viri*

non

non magnis adjutoribus ad gubernandam Fortunam suam usi sunt: ut duo Scipiones duobus Laliis, quos per omnia aquarunt sibi: ut Divus Augustus M. Agrippa, & maximè ab eo Statilio Tauro. quibus novitas familia haud obstitit, quominus ad multiplices consulatus triumphosque, & complura eveherentur sacerdotia.

SVLPICIAM gentem Camerio oppido oriundam fuisse, conjicere possumus ex *Ser. Sulpicii* cognomine, qui primus ex ea gente Romam venisse creditur, & è patriæ nomine *Camerinus* dictus esse. Ita enim Claudia quoque gens è Sabinis profecta, *Sabini* cognomen adepta fuit. Nullus autem in gente Sulpitia antiquior reperitur eo, qui Consul an. CCLIIII. cum M. Tullio Longo fuit, quique ut diximus primus *Camerini* cognomine usus est: quamvis Ser. Galba Imp. ex hac gente natus, ejus originem ad Jovem retulerit, ut Suetonius scribit in lib. VII. cap. II. Gens autem Sulpitia fuit duplex, sive, ut quibusdam placet, triplex, patriciorum scilicet, plebejorum, & equestrium. Patriciorum *Galba* in antiquis denariis: Equestrium *Rufi* reperiuntur. Illud autem in hac gente maximè notandum, Sulpiciam Ruforum familiam duobus simul prænominibus usam fuisse. Itaque in antiquis denariis nominatus *L. Servius Rufus*, & apud Cornelium Nepotem in Attici vita, *M. Servius Sulpitius*. sic apud Livium, *P. Servius Sulpitius*.

T.

TARQVITIAE gentis patriciæ mentio frequens est cum in Fastis Capitolinis, in quibus L. Tarquitius Flaccus L. Quinctio Dictatore Mag. Eq. anno CCXCV. describitur, tum in antiquis inscriptionibus, quarum exempla sunt hæc:

L. TARQVITIO
L. F. POM
ETRUSCO
SULPICIANO
SCRIBAE. QVAESTORI
EX. TESTAMENTO
D. H-S. XX

&

DIS. MANIBUS
L. TARQVITIO. MARCIANO.
FILIO. DULCISSIMO
QVI VIXIT. ANNIS. VIIII. MENS.
VI. DIEBUS. XVIIII. HORIS. XI

&

L. TARQVITIUS. TROPHIMUS. ET
TARQVITIA. EUTYCHIA. PARENTES
FILIO. DULCISSIMO. FECERUNT
CUIUS. CORPUS. CAUSA. PONDERIS
ANTE. ARA. POSITU. EST

Corn. Tacitus lib. XV. facit Tarquitii Crescentis mentionem.

TERENTIA gens inter plebejas ab antiquis scriptoribus numeratur, ex ea enim extitit C. Terentius Tr. Pl. qui anno CCXCI. legem tulit, ut Quinqueviri curarentur, legibus de imperio consulari scribendis, ne ipsi libidinem ac licentiam suam pro lege haberent. Livius lib. III. Dionysius lib. X. Reperiuntur in antiquis denariis gentis hujus familiæ duæ *Lucanorum* & *Varronum*. de quibus fit mentio apud scriptores multis locis.

THORIAM gentem fuisse plebejam inter omnes fere scriptores constat. L. Thorii Balbi meminit Cicero lib. II. *de finibus*.

TITINIA gens familias habuit patricias & plebejas. Patriciæ meminit Livius lib. V. cum inquit: *Non tamen ultra processum est, quam ut unus ex plebe usurpandi juris causa P. Licinius Calvus Tr. militum Consulari potestate crearetur: cæteri patricii creati P. Mavius L. Titinius, P. Melius, S. Furius Medullinus, L. Publilius Vulsus.* Plebejæ idem Livius lib. III. facit mentionem, in quo M. Titinium nominat Trib. Pleb. creatum an. CCCII. quo tempore plebs in Aventinum ob facinus Ap. Claudii Crassini xviri secesserat.

TITIAM gentem plebejam fuisse, vel ex hoc maximè constat, quod multi ex ea Tribuni plebis extiterunt: à quibus latæ sunt leges, quæ de vectigali agrorum, de lusu, de Triumviratu quinquennali, de donis & muneribus, inscriptæ sub Titiæ gentis nomine circumferuntur. Hujus gentis mentio est in antiqua inscriptione hac:

CIVIUM. ROMANORUM
QVI MITYLENIS. NEGOCIANTUR
M. TITIO. L. F. PRO. COS. PRAEF.
CLASSIS. COS. DESIG. PATRONO
HONORIS. CAUSA

TITVRIAM gentem è Sabinis Romam venisse satis constat, cum ex ejus cognomine, tum ex imagine quæ est in ejus gentis denariis impressa T. Tatii Sabini, quem Romæ annos quinque cum Romulo regnasse cum esset ab eo in regni consortium ascitus notum est. Eodem pertinet Sabinarum expressus in denariis raptus, & Tarpeja conjectis scutis à Sabinis necata, Titiriæ autem familiæ mentio fit etiam à Cicerone in oratione *pro M. Fonteio*, & in veteri inscriptione, quæ reperta Romæ in Aventino monte fuit, in quo T. Tatii Sabini sepulchrum fuisse scribit Dionysius Halicarnasseus:

T. TITURIUS. T. F. SABINUS
T. TITURIUS. T. F. PAL. MAMERCUS. TITURIA. SABINA
TITULUM. FECERUNT
H. M. D. M. ABEST.

TREBANIAE gentis nulla reperitur mentio apud eos scriptores quos ipse viderim. veruntamen & in argenteo quodam nummo, & in alio æreo *L. Trebanius* quidam est descriptus. nisi tamen errore ita incisum sit, pro *L. Trebatius*. ut in æreo quodam nummo *Fabrini* pro *Fabrici* errore incisum quidam suspicantur. Trebatiæ quidem gentis meminerunt cum alii, tum Cicero sæpe. Trebaniæ verò, nullus, ut dixi, veterum scriptorum facit mentionem.

TVLLIAM gentem inter patricias numeratam fuisse, satis ex scriptoribus constat. Fuerunt autem plurimæ Tulliæ gentis familiæ cognominibus distinctæ. *Longorum* mentio extat apud Ciceronem in libro *de claris oratoribus*. *Cimbrorum* in lib. II. *Philipp.* & Plutarchum in *Bruto*. *Montanorum* apud eundem Ciceronem lib. X. ad Atticum. *Ruforum* apud Hirtium lib. V. *Annalium*. apud Valerium Max. lib. IX. cap. II. *Senecionum* & *Fabianorum* lib. XV. & XIX. Nobilissima verò, *Ciceronum*. Memoratur & M. Tullius *Decula*, qui consul fuit cum CN. Cornelio Dolabella anno DCLXXII.

V.

VALERIAM gentem è Sabinis orinndam, cum T. Tatio rege Romam venisse tradit Dionysius lib. IV. ejus verò principem Volusum Valerium, vel, ut tum dicebant, *Valesium*, nominat Plutarchus in *Poplicola*. Cum autem multas hæc gens habuerit familias patricias & plebejas, quarum extat mentio apud scriptores, soli in denariis *Acisculi, Flacci, Messalla*,



NOTITIA.
Insignia Virorum Illustrium præfectorum prætorio per Illyricum.

I. Goeree del.



falle, & *Catuli* reperiuntur. Extat & denarius A cujus à *M. Valerio Barbato* M. Antonii Triumviri R. P. C. *Quæstore Provinciali*: ita enim notas illas interpretor, *Q. P.* non autem *Quæstor Publicus*, ut faciunt alii.

VARGUNTEIA gens, incertum patriciane fuerit an plebeja. opinor tamen patriciam fuisse: ejus mentio extat in antiquis inscriptionibus, quarum exempla sunt hæc:

FORTUNÆ. EQ
SACR
M. VARGUNTEIUS
M. F. STEL. APITIUS
7. COHOR. X. PRAET. ET
VARGUNTEIA. HILA
RA. L. SUA. SUA. PECUN
V. S. L. M

&

SILVANO. SANCTO
ET MERCURIO
ET LIBERO. PATRI
SACRUM
M. VARGUNTEIUS. M. F
PAL. AUGURINUS
SUA. PECUNIA. D. D.
III. IDUS. AUGUST.
PETRONIO. TURPILIANO
ET. CAESONIO. PAETO. COS.

VERGILIA gens fuit plebeja, ejus historici faciunt mentionem. *Vergilium* autem, & *Vergilium* antiquos scripsisse, quemadmodum *Virginium* & *Verginium*, testimonio nobis sunt veteres inscriptiones, in quibus *C. Verginius Martianus*: *M. Vergilius Narcissus*, & *C. Verginius Rufus* consul cum C. Memmio Regulo nominantur. Vetus autem in D Claudianum epigramma, cum Calvi carmine consentit:

Et vates cui virga dedit memorabile nomen
Laurea.

est enim in eo epigrammate ita incisum:

Εἰν ἑνὶ Βιργιλίοιο νόον καὶ Μοῦσαν Ὁμήρου
Κλαυδιανὸν Ῥώμη καὶ βασιλῆς ἔθεσαν.

VETTIAM gentem Sabinam fuisse, ex T. Tatii Sabini imagine, quæ in ejus gentis denario im- E pressa est, intelligere facilè possumus. opinor autem cum ipso Tatio tum primùm Romam venisse, cùm à Romulo in regni consortium adscitus fuit: propterea quòd Vettius quidam Interrex à Plutarcho nominatur, quando Numa rex creatus fuit. hujus gentis cognomen *Judex* sæpe apud scriptores depravatum est in *Index*,

VETURIAM gentem patriciam fuisse ex veteribus scriptoribus satis constat. Eam autem regibus adhuc regnantibus Romæ domicilium habuisse, vel ex eo intelligi potest, quòd Veturius Mamurius ancilium opifex, sub Numa rege vixit.

VIBIAE gentis plebejæ, cùm multæ à scripto- F ribus familiæ nominentur in antiquis denariis *Vari* tantùm & *Pansæ* reperiuntur. Hujus autem familiæ memoria extat in antiquo lapide, in quo T. Vibius Barus consul notatus est cum Ap. Annio Bradua, cujus exemplum est hujusmodi:

APPIO. ANNIO BRADUA
TIT. VIBIO. BARO. COS
MAGISTRI. FONTIS. LOLLIANI
M. ULPIUS. FELIX
N. CONFLONIUS. VITALIO &c.

A Vibone autem oppido *Vibia familia* nomen fortasse accepit, ut à Gabinis *Gabinia*, & à Tarquiniis *Tarquinia*: unde Siciliam profecta atque inde in Romanam postea civitatem ascita, in Clustumina tribu censeri cœpit, ut ex inscriptione apparet, cujus exemplum extat hujusmodi:

B

C. VIBIUS. C. F. CLU
PANSA. TR. MIL. BIS
DOMITIÆ. L. F. MAXIMÆ
UXORI. ET. L. DOMITIO. L. F.
OUF
LIBERALI FRATRI. UXORIS.

VINICIAM gentem plebejam fuisse, vel ex uno L. Vinicio constat, qui cum C. Vibio Pansa Trib. Pl. cùm esset, ei S. C. intercessit, quod M. Cælius recitat, in epist. VIII. ad Ciceronem lib. VIII.

C VIPSANIAE gentis, cujus mentio frequens est in veteribus monumentis, familiæ plures nominantur ab iis, qui Vipstanam cum ea confundunt, eandem esse cum Vipsania arbitrati. Ejus autem erroris causam dedit mendosus Taciti codex, in quo malè *Vipsanus* in lib. X. & alibi scriptum est, cum *Vipstanus* scribi debuerit. C. enim Vipstanus Apronianus in veteribus inscriptionibus inter fratres Arvales numeratur eos, qui Neronis Imp. tempore fuerunt. M. autem Vipsanius Agrippa, cujus multi supersunt denarii, familia ortus est equestri, ut indicat Cornelius Nepos in Attici vita.

VOCONIAM gentem plebejam fuisse satis constat, vel ex uno Q. Voconio Saxa, qui Tr. Pl. legem de mulierum hereditatibus tulit, cujus meminit Cicero lib. III. *in Ver.* in oratione *pro Balbo*, & alibi, itemque alii. In antiqua etiam inscriptione Voconiæ gentis extat mentio, cujus exemplum subjecimus:

D. M
C. VALERIVS. C. F. FLAV.
SPECV . . . . SISCIA
MIL. COH. VIII. PR
7. VOCONI. ϕ
MIL. ANN. VIII
VIX. ANN. XXXII. M. II.
H. F. C

In tres autem hæc gens divisa familias apud scriptores reperitur: nam præter *Saxam*, quem supra nominavi Q. Voconius *Naso*, ex ea genus duxit, qui cum Cicerone Prætor designatus est an. DCLXXXVI. Fuit & *Vitulorum* familia, quæ sola in antiquis denariis reperitur. extat ejus mentio & in hac inscriptione:

MARTI. LEUCETIO
PRO. SALUTE. IMP
DOMINI. N. AUG. PII
Q. VOCONIUS. VITU
LUS LEG. XXII. P. R.
P. F. PONENDUM
CURAVIT

Vol-

VOLTEIA gens (ita enim antiqui scribebant pro *Vulteja*, ut *Volcanus* & *voltus* pro *Vulcanus* & *vultus*) incertum patriciane fuerit an plebeja. De ea extat mentio apud Ciceronem lib. v. *in Verr.* in epistola Timarchidis, qui fuit Verris libertus, in qua L. Vultejus quidam nominatur. Vulteji Menæ præconis facit mentionem Horatius in ep. ad Mæcenatem lib. I.

— *& narrat Vultejum nomine Menam*
Præconem tenui censu sine crimine notum.

In veteribus autem denariis nominantur *L. Vultejus* quidam, & *M. Voltejus*; de quibus nihil reperi.



NOTI-

NOTITIA
DIGNITATVM,
VTRIVSQVE IMPERII
ORIENTIS SCILICET
ET OCCIDENTIS
VLTRA ARCADII HONORIIQVE TEMPORA.

ET IN EAM G. PANCIROLI I. V. D.
Celeberrimi, ac in Patavina Academia interpretis
Legum primarii

COMMENTARIVM.

SERENISSIMO

CAROLO EMANVELI,

SABAVDIAE DVCI,

ET

SVBALPINORVM PRINCIPI

AMPLISSIMO.



MAGNA mihi semper admiratione visa sunt digna in re bellica Romanorum ingenia, Serenissime Princeps, quæ miram in instruendis aciebus artem, eligendis ad castrametandum locis, atque disponendis castris prudentiam, explorandisque hostium consiliis industriam, ac denique in omnibus superandis difficultatibus animum, atque incredibilem solertiam ostenderunt, in aptandis testudinibus, ac vineis, erigendis turribus, atque arietibus, aliisque innumeris tormentorum generibus parem diligentiam exhibuerunt, quibus magnam orbis terrarum partem subegerunt. Sed cùm sapientiam intueor, qua tot moribus, & linguis dissonas sub Imperio gentes prudenter rexerunt, & partas opes ac Regna contra imminentes, & futuras procellas munierunt, & gravi judicio cuncta disposuerunt, non minorem hinc laudem mihi videntur promereri. Quemadmodum enim ferventes aquæ semper ebulliunt, nec vase queunt contineri, sic tot populorum æstuantia ingenia difficillimum fuit cohibere: sed quæ in domandis, eadem in continendis quoque in officio gentibus, & clarior etiam virtus enituit, quod & Poëta Romanorum proprium esse his versibus significavit:

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem.

Singulis enim provinciis ad efferos animos frænandos, jura & magistratus cum armatis militibus præfecerunt, in limitibus Imperii, Duces cum validis præsidiis locarunt. Alios exigendis vectigalibus, ac tributis præposuerunt, quibus attenuati populi viribus destituebantur, & fiscus adauctus in dies potentior fiebat. His nixum totum stetit, ac crevit Imperium, quibus confirmandis, atque adeò ampliandis, omnem diligentiam & studium Romani Principes adhibuerunt. Neque hæc vigilanter exercuisse contenti, ad successorum eruditionem, & omnia in officio facilius continenda, cuncta in libro descripta habuerunt, qui prius *Breviarium*, seu *Ratiocinarium Imperii*, mox *Notitia* est appellatus, in quo civiles magistratus, & militares, legiones, auxilia, cohortes, vexillationesque singulæ cum suis symbolis, & insignibus, officiisque positæ comprehendebantur. Pecuniæ etiam publicæ, ac privatæ Principis exactores, ac cæteræ Palatinæ dignitates quæque cum scriniis, ac codicibus annotabantur, in quibus argentum, vestis, supellex, ac reliqua Principis eo ordine ac diligentia descripta conservabantur, ut nihil inde posset deperire. Hæc omnia utriusque Romani Imperii tùm in duo divisi, id est, Orientis & Occidentis continet Notitia, sed ita jejunè posita, ut indicis tantùm vice fungatur. Itaque res vetustæ, altaque caligine conditæ obscuræ relinquuntur, ut legentes incerti & perturbati discedere cogantur, & ut ait Poëta:

Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllæ.

Opus tamen ut res excelsas, & Romani Imperii magnitudinem complectens, ingens cunctis sui desiderium excitat. Id semel Celsitudo tua mihi exhibuit, & ut est rerum antiquarum studiosissima, aliquem ejus interpretem postulabat, ac tandem post multos variosque sermones, mihi ipsius explicandi onus imposuit, quod tanquam omnium difficillimum, humerisque meis impar primò recusavi. Hic enim jam antiquati magistratus, & eorum officia, quorum nullum amplius extat vestigium, & vix nomen retinetur, erant declaranda. Elucidanda dignitatum insignia, militum ordines, & symbola explicanda, quæ

ut alibi nunquam visa, ita eorum sensum exprimere vatis potius esse videbatur, quam Jureconsulti. Vectigalium quoque & tributorum rationes immutatas, & palatina officia penitùs extincta, & incognita, renovare immensi laboris res proponebatur, vetustos Imperii limites, & loca cum præsidiis declarari posse animum despondebam. Itaque qua poteram modestia deprecabar, ut in alium me doctiorem hæc provincia demandaretur. Sed cùm acrius ad hoc onus subeundum urgerer, nec tanti Principis desiderio resistere auderem, omnem difficultatem obtemperandi cupido superavit. Ausus itaque sum, quod nunquam à me fieri posse putabam, & hujus Notitiæ incognita & obscurissima è tenebris in lucem educere sum conatus, in quibus ubi defuero, Celsitudini tuæ parendi necessitas me excusabit, cujus imperio non obsequi cùm mihi fas non esset, malui obtemperando culpæ periculum subire, quàm ea vacando, contumax videri. Vt jussa igitur exequar, imperatumque debitum solvam in Notitiam utriusque Romani Imperii Commentarium ei meum offero: in quo Romanorum Principum magnitudinem, opulentiam, vires, & insignem in cunctis solertem prudentiam spectabit. Hoc munus Amplitudini tuæ exiguum est, sed animi promptitudinem majora, si posset, daturi respiciet. Interea hoc etsi levidense, & crasso filo contextum opus, non aspernabitur. Nam

A te principium, tibi desinet, accipe jussis
Ardua cœpta tuis, atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

Ac nobis Celsitudinem tuam Deus optimus Maximus diu incolumem servet.

Celsit. Tuæ

Deditiss. Ser.

Guidus Pancirolus.

INDEX

INDEX CAPITVM,
QVAE IN HOC VTRIVSQVE
IMPERII NOTITIAE COMMENTARIO
CONTINENTVR.

INDEX DIGNITATVM
OCCIDENTIS.

XXV. *De*

Index Capitum.

PRAE-

PRAEFATIO

IN NOTITIAM DIGNITATVM

VTRIVSQVE ROMANI IMPERII.



MNIVM, quot multis ab hinc seculis in lucem prodierunt operum, speciosissima & pretiosissima est DIGNITATVM VTRIVSQVE ROMANI IMPERII NOTITIA, in qua illius opes, præsidia, magistratus, ornamenta, vires, ac denique tota ejus temporis Principum magnitudo continentur. Ipsa autem luculentam quidem in fronte tantarum rerum cognitionem promittens, ingens apud omnes sui desiderium excitat: sed in recessu recondita & obscura paucis se agnoscendam exhibet. Cùm verò nullus etiam ejus certus auctor appareat, sunt qui non minus de ipsius veritate dubitent, quàm illius scientiæ habendæ animum despondeant. Hic enim ignota ostenduntur insignia, quæ non veræ, sed falsæ imagines, & ad oblectandum ab aliquibus excogitatæ credi possunt: varia præterea militum symbola, velut ex animi impetu inventa nihil significare, aut si quem forte mysticum latentemque sensum occultant, inexplicabilia infructuosaque ænigmata existimantur. Idem de notis quorundam codicum tergo inscriptis suspicantur, quæ ob nimiam obscuritatem Oedipos interpretes desiderant. Multa deinde inusitata magistratuum nomina ad libidinem efficta, aut si qua veritate nituntur, tamquam incognita & inania relinquenda putant. Quis enim, inquiunt, Consulares nullo Consulatu functos pro rectoribus provinciarum, qui plures hic recensentur, apud Jureconsultas, aliosve auctores legit? Quis magistros militum in præsenti, Comites domesticorum & protectorum, legiones Comitatenses & Pseudo-Comitateuses unquam nominari audivit? Inter magistratuum officia, principes, cornicularios, numerarios, ab actis, singularios & alia hujusmodi insueta nomina intellexit? Hæc & similia, quæ in hac Notitia occurrunt, non parum ejus fidei detrahunt, nec paucos ab ejus lectione avertunt. Sed qui Romani Imperii provincias, ac magistratus, miro ordine hic digestos diligentius inspexerit, & cum his, qui in Jure Civili explicantur, studiosè contulerit, hoc opus non suppositum, aut fictum, sed verum legitimumque deprehendet, & pro magno antiquitatis monumento, ac pretioso thesauro conservabit. Nihil enim ferè hic reperitur, cujus Jus nostrum non meminerit, in quo non solùm dignitates hic recitatæ referuntur, tit. C. de off. P. P. Orientis usque ad tit. C. ne rei mili. comi. & alibi. Sed & earum insignia à paucis animadversa ponuntur, l. 5. C. de offic. rect. provin. l. 4. C. de injur. l. 12. C. de dignitatib. §. ult. Novell. 24. §. ult. Nov. 26. §. 1. Novella 27. & aliis in locis. Symbola quoque militum hic repræsenta velut pugnantibus necessaria Vegetius lib. II. c. XVIII. commendat: sed & præsidum officia in Theodosii ac Justiniani Codicibus eodem fermè, quo in Notitia ordine disponuntur, in Rubr. C. de numer. actua. adjutorib. & excepto. & l. ul. C. de apparitorib. Præf. Præt. Rubri. Cod. de cohort. principib. cornicular. l. ult. C. de divers. offic. ut non modò de ejus veritate non sit hæsitandum, sed pro magno juris & antiquitatis lumine sit habenda. Multarum enim legum hinc sensus pendet: multorum etiam auctorum, & historiographorum ignotos locos hic latuisse apparebit. Sed quia opus per se obscurum, alia illustrare nequit, ipsum prius elucidandum fuit: quod cùm res cæca altaque caligine mersas contineat, nullus adhuc facere curavit. Cum verò Serenissimus Sabaudiæ Dux de hoc mecum aliquando contulisset, tandem jussit, ut aliquod in id Commentarium ederem. Ego ingenio & doctrinâ me aliis longè inferiorem agnoscens, tanti oneris provinciam tentare nou audebam. Res enim ardua est, inquit Plinius in præfatione natur. histor. vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem. Tandem Excelsi Principis, cui pro viribus obtemperare cupiebam, mandatis repugnare non ausus, parendum esse censui. Itaque Divino fretus præsidio, profundi hujus Fluminis vadis exploratis, verticosis fluctibus me commisi; difficilemque hunc nodum Gordianum non ense recidendum, sed magna arte & industria explicandum, aliqua ratione solvere sum aggressus: in quo si defecero obtemperandi necessitate excusabor, quâ coactus A. Albini exemplo culpam deprecari, quàm culpâ carere malui. Certè ardens Jurium cupidos juvandi in me laudandum erit desiderium. Nam etiam votum non assecutis, voluisse, abundè pulchrum & magnificum apud graves viros Plinius in d. præfatione existimatur. Hanc igitur adhuc inaccessam & præruptis rupibus asperam

asperam viam primus ingredi ausus, non paucis sentibus recisis, saltem aliis ad sequendum planius iter aperiam. Quare cum in hoc satis laboraverim, ista qualiacunque Commentaria imprimis Legum studiosis non parum profutura spero. Hinc enim Romani Imperii magistratuum, qui nudi à Notitia recitantur, originem & historiam intelligent, Proconsulum, Consularium, Correctorum, Præsidumque differentias cognoscent, Palatinorum & cohortalium ordines, non paucas leges, pluraque in his obscura vocabula, & quandoque integros tractatus, anteà ignotos, explicatos invenient. Multi præterea non solùm Marcellini, sed & Tranquilli, Tacitique & aliorum de Legionibus auxiliariisque militibus, & Palatii dignitatibus, differentium loci illustrabuntur. Deinde plures, ut puto, oblectabit, publicorum veredorum cursum & ordinem inspicere, præsidum salaria, ministros, insignia, pompam ac majestatem cernere, varios militum numeros & nomina, eorum dogmata seu emblemata explicata invenire: jucundum erit aurea, argenteaque Principis vasa, pretiosas vestes, gemmas, ac totam denique regiam supellectilem, eo ordine ac diligentià descripta videre, ut singula statim sciri, & ad manum haberi possent: juvabit legum ferendarum solennitatem, salutandi Principis usum, exigendorum tributorum ritum, aulicorum varietates, ministeria, & multa hujusmodi è tenebris in lucem emissa spectasse: cæteros denique dignitatum titulos, & alia, vetustate recondita, hic explicata intueri. Cæterùm ut plenius cuncta cognoscantur, ac ne quid ad perficiendum hoc opus desit, Magistratus municipales, ac Decurionum ordinem, & munera proprio opusculo comprehensa, adjeci, quod & ipsum Jurium studiosis aliquid profuturum, atque aliis non ingratum fore existimavi. Ut igitur hanc Notitiam è tenebris in lucem aliquam extrahere, & clarius adspiciendam exhibere incipiam, ante omnia ejus originem & auctores, quove tempore, & ordine scripta fuerit, exponam. Deinde titulum seu inscriptionem cum indice interpretatus, ut tota ejus facies uno aspectu videri possit, summam ac totius operis Breviarium subjiciam.

Id opus Imperio necessarium, primum ab Augusto inventum, mox à sequentibus Principibus retentum, & per continuata secula conservatum fuit: sed pro rerum ac temporum varietate in quibusdam est immutatum. Tacitus loquens de Augusto: Ille, inquit, libellum composuit, quo opes publicæ continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, necessitates, ac largitiones: quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus. Idem cum Dione Tranquillus c.XXVIII. affirmat, qui eum librum rationarium ac breviarium totius Imperii appellat, quod Augustum de resignando Imperio cogitantem magistratibus ac Senatoribus domum accitis tradidisse, scribit. Demum in fine complexus est, inquit, breviarium totius Imperii, quantum militum sub signis ubique esset, quantum

A pecuniæ in ærario; & fisco, & vectigalibus residuis. Breviarium autem, quod nunc vulgò dicitur, ait Seneca, lib.V. ep. XXXIX. olim cùm Latinè loqueremur, Summarium vocabatur. Eum codicem sequentes Imperatores retinuerunt, sed prout Imperii tempora atque usus exigebant, sub nomine Notitiæ minuerunt, ampliarunt, & immutarunt. Itaque præsens opus perpetuos cæterosque provinciarum atque alios magistratus, ac militum copias, palatinasque dignitates complectitur, quæ semper in Imperia esse consueverant. His adduntur officia, id est, B apparitorum ordines, quorum aliqui ex memoriæ, epistolarum, & libellorum scriniis prodibant, l. ult. §. ult. C. de div. offi. Vectigalia verò & tributa, fiscique rationes, ac diversis faciendæ largitiones, quæ in Augusti breviario continebantur, in scriniis canonum, & tabulariorum sub Comitibus largitionum & rerum privatarum scribebantur. Quare hæc Notitia alium quàm Augustum & sequentes Principes auctores non habet, in qua Imperii magistratus, aliæque dignitates cum suis insignibus, C & officia conservabantur. Simile opus Constantinus Imp. ex Leone Philosopho genitus Romano filio, & successori reliquit, in quo summam totius Imperii, sociorum omnium fœdera, hostium vires, rationes & consilia explicuit. Id apud se in bibliotheca tanquàm thesaurum servatum fuisse Egnatius scribit in Constantino: quo etsi diligenter perquisitum nunquam potuit inveniri. Alius huic fermè similis compositus est codex, in quo viri ad obeundas dignitates in Notitia comprehensas ad tempus electi scribebantur, ac prout magistratu decede- D bant, in annos successores renovabantur. Hunc Jureconsulti Commentarium Principis appellarunt. Modestinus, in l. abesse 32. ex quib. caus. majo. Abesse, inquit, Reip. causa videntur Proconsules, legatique eorum, & qui Provinciis præsunt, Procuratoresve Principum, qui in Provinciis tenentur, & tribuni militum, & præfecti, & Comites legatorum, qui ad ærarium delati, aut in Commentarium Principis relati sunt. Non solum enim in Commentarium, quod apud sese Principes habebant, E sed & in ærarium magistratuum nomina referri consueverant, ubi rationes, & tabulæ publicæ, Senatusque consulta conservabantur. Cicero in Pisonem: Rationes in ærarium retuli continuò. Fuerat hic locus in æde Saturni, in qua, Regibus exactis, Valerius Publicola ærarium constituit. Auctores Plutarchus, in Publicola & Problemat. & Macrobius, in primo Saturnali. Hæc est provinciarum memoria, quam, in Antoniniana bibliotheca in X. urbis regione conservatam fuisse P. Victor scribit. Postremò hic liber Laterculum est dictus, quod laterculi F formam haberet. Geometræ enim corpus quadrum altius surgens, non tamen ad cubum perveniens πλινθίον, id est, laterculum vocant. Ejus forma in insignibus Primicerii notariorum, à quo tractabatur, infra conspicietur: illius Tertullianus adversus Valentinianos, & Jura sæ-

pius meminerunt, l. 1. §. jubemus. l. 2. §. ult. C. de offic. Præf. Præt. Afric. l. ult. de off. mag. off. aut. de mandat. Princip. seu Novell. 17. §. 1. §. ult. Novell. 25. & in Notitia Novella. 8. *Demum Provinciis in plures divisis, cùm aucti essent magistratus, novæque Palatinæ dignitates inventæ, ac propter hostes undique surgentes, alias veteribus militum copias addi oportuisset, omnes unum laterculum capere non potuit. Itaque præfecturæ ac tribunatus, castrorumque præposituræ limites Imperii tuentes in alium codicem* Laterculum minus *nuncupatum, sunt translatæ, quod in scrinio memoriæ sub Quæstoris dispositione conservabatur*, l. 1. 2. & 3. C. de offic. Quæstor.

Sub finem verò Principatus Theodosii Junioris hanc Notitiam scriptam fuisse censeo: Sub Duce enim Ægypti meminit Alæ Theodosianæ nuper, id est, illo imperante, constitutæ, & limitis Saxonici per Britanniam, quod nomen eo tempore, scilicet an. salutis CCCCXL. *inventum fuit, Saxonibus tum Britannicum littus invadentibus, Pau. Diac. lib.* XIV. *ad fin. Beda in* 1. Eccl. Histor. *cap.* XII. XIV. *& seq. Polyd. Virg.* III. Angli. hist. *& ut antiquiorem hunc librum non putem, id me etiam movet, quòd nullus in eo legitur Illyrici Vicarius: ea enim regio tùm ab Hunnis circa annum humanæ salutis* CCCCXLV. *sub eodem Theodosio, & Valentiniano III. fuerat devastata, ut auctor est Zosimus, Jornandes, D. Prosper, Paulus Diaconus, & alii. Sed & ipsa operis inscriptio hanc Notitiam ultra Arcadii, & Honorii tempora scriptam esse indicat, quod post annum salutis* CCCCXXV. *quo Honorius decessit, fuisse oportet. Nec post annum* CCCCLIII. *quo Auctore Cassiodoro, & Comite Marcellino, Concordia, & Aquileja ab Attila sunt eversæ, scribi potuit; quia Concordiensis fabricæ, & thesaurorum Aquilejæ tunc extantium, monetæque ibi percussæ meminit. Itaque sub finem Imperii Theodosii Junioris eam scriptam fuisse arbitror, & Alciatus (ubi legerit, nescio) id* Breviarium Theodosii Junioris *appellat, lib.* V. Parerg. *cap.* XIII. *Opus sanè aureum, quod dilucidatum magnum Juri nostro lumen, & perspicuam rerum Imperii Rom. cognitionem asseret. Neque enim antea Præfectorum aut Vicariorum, non Magistrorum militum, aut Comitis Orientis, non Proconsulum, vel Consularium, aliorumque jurisdictio, aut officia plenè sciri poterant. Laterculi, ac Magistri officiorum, Comitis Largitionum, aut rerum privatarum, Magistrorum scriniorum, aliorumve plurium ignorabatur auctoritas. Militum etiam copiæ, classes, præsidia, fabricarum loca hinc noscuntur. Denique non pauca oppida, in quibus Principum Romanorum jura condita leguntur, prius incognita, & fortè nunquam audita, hic in suis provinciis collocata reperiuntur, ita ut huic Notitiæ multarum rerum acceptam ferre cogamur notitiam.*

Ante hunc Codicem utraque Roma vetus, & nova in XIV. *regiones divisæ cum vicis, & ædificiis, operibusque insignioribus descriptæ inveniantur. Quæ hujus libri partes non sunt, sed in officio Præfecti urbis conservatas, & inde extractas fuisse arbitror, & pro re insigni huic operi præpositas. Eandem Romæ descriptionem ab hac tamen in multis diversam P. Victor, & Sext. Rufus fecerunt. Post tergum hujus voluminis tormenta quædam bellica & alia ad nummos pertinentia ponuntur, quæ nec ipsa ad rem nostram faciunt, sed ex fabricis Magistri officiorum & scriniis Comitis largitionum, ad quos pertinebant, excerpta, & huc translata fuisse puto. Hæc tamen omnia, ne quid desideretur, propriis annotationibus pro virium tenuitate illustrare conabor. Quibusdam Notitiis etiam* Itinerarium, Antonini *nomine editum, est adjunctum, quod oppidorum distantiam, præsidia, & aliquas mansiones, seu veredorum stationes, & loca legionum notat. Quod opus nunc adauctum, ac penè totum est immutatum. Constantinopolim enim Constantiam, Maximianopolim legiones Jovias, & Herculeas à Diocletiano, & Maximiano inventas, & alia hujusmodi nominat, quæ diu post Antoninum addita fuêre. Id in memoriæ aut alio scrinio olim conservatum, & huic libro additum fuisse arbitror. Neque enim rem tam utilem ac penè necessariam neglectam permansisse est verisimile.*

Sed ut ad Notitiam nostram revertamur; cum multo tempore latuisset, tandem quæ à Mariano Scoto Monacho Fuldensi scripta fuerat, in ultimis Britanniis annis ab hinc XXXVI. *inventa, in lucem prodiit: Sed multis mendis scatens, & aliquot, ut puto, membris trunca, quam ex collatione duorum exemplarium manuscriptorum in quibusdam restitui, neque enim impresso codice multò meliora inveni. Horum alterum illius est exemplar, quod apud Maphæos Romæ se legisse* Pierius *Valerianus scribit, ex eoque aliquot militarium ordinum signa recitat, quæ in nonnullis ab aliis differunt. Fuit is liber anno salutis* MCCCCXXXVI. *ex vetustissimo codice Spirensis bibliothecæ à Petro Donato Patavii Episcopo extractus, cum ipse Basiliensi Synodo nomine Eugenii IV. præsideret, ut in ejus voluminis fine ipse testatur, quod provinciarum, ut credo, magistratibus & pictis imaginibus deceptus parum scitè* Scoti Cosmographiam *appellat. Ex hoc aliud Fulvii Ursini viri doctissimi exemplar est descriptum, quod precibus Jo. Vicentii Pinelli viri nunquam satis laudati ad me transmisit. Alterum apud Illustriss. Fridericum Madrucium, tum Romæ Cæsareum Legatum, fuit, quod mihi pro sua, quâ erga omnes utebatur, singulari humanitate exhibuit. Ex his aliqua emendavimus, plura ut depravata omisimus.*

Sed jam ad hujus operis tituli interpretationem accedamus.

DE QVATVORDECIM REGIONIBVS VRBIS CONSTANTINOPOLITANÆ, EJUSDEMQUE ÆDIFICIIS TAM PUBLICIS, QUAM PRIVATIS;

Cum notis Panciroli.

ROMAM in regiones XII. divisam fuisse ex Plinio & Tacito constat, ubi urbis incendium à Nerone factum recitat.eas breviter Sext. Rufus & P. Victor viri Consulares descripserunt: hic quoque ante Notitiam utriusque Romani Imperii ab ignoto auctore ponuntur, Constantinopolis Romæ veteris simulachrum facta, & nova Roma appellata, ipsa quoque illius exemplo in regiones XIV. est divisa, ut auctor est inter alios Justinianus, *Novell.* 43. quæ eas κλίματα appellat, nonnullaque Romæ monumenta eò translata, & nova plura sunt fabricata, quæ velut Notitiæ utriusque Rom. Imperii affinia non omnino prætereunda esse duxi: Itaque quasdam ad ea clarius explicanda annotationes apposui, etsi nonnulla etiam in ejusdem Notitiæ commentario, prout occurrebant, suis locis sunt declarata. Horum descriptionis auctor id observat, ut ecclesias & digniora præmittat, mox quæ omnibus sunt communia, eodem semper ordine recitat, vicos, domos, balneas, pistrina, gradus, curatorem unum, vernaculum unum, collegiatos, postremò vicomagistros. In XIII. regione per errorem vici omittuntur, & in XIV. Curator, Vernaculus, Collegiati, & Vicom. pariter desiderantur, quos reponemus. Ecclesiæ XIV. in VII. tantùm reg. inveniuntur. At Romæ nullus vicus sua carebat ædicula, & aliqui duas habebant. In quaque igitur regione sigillatim insignia opera attingemus.

REGIO I.

DOMUS *Galla Placidia Augusta.*] fuit filia Theodosii Magni, & soror Arcadii Honoriique. Hæc Roma capta ab Alarico Vandalorum seu Gothorum Rege abducta, Athaulfo Alarici affini & ejus successori nupsit, quo extincto, restituta & Constantio, qui mox imperavit, nupta, Valentinianum & Honoriadem filios suscepit, ut Eutropius, Zonaras, Cedrenus, & alii.

DOMUS *Nobilissima Marina.*] Arcadii filiæ, quæ nobilissimæ titulo insignita innupta mansit, ut auctor est Cedrenus; dignitas nobilissimi in antiqua inscriptione primùm Valeriano Juniori tributa invenitur circa annum salutis CCLX. Mox Severino & Maximino Cæsaribus, l. 1. C. *de feriis*, & deinceps aliis, l. 2. Cod. *de mag. munic.* l. 5. Cod. *de feriis.* donec ad fœminas quoque pervenit. Hæc erat quædam participatio Imperii, nam hoc titulo honestatus purpuream vestem aureo limbo circundatam gerebat, & suprà præfectos sedebat, ut auctor est Zosimus lib. II. qui vult hunc honorem à Constantino excogitatum, sed constat longè antè fuisse.

THERMÆ ARCADIANÆ.] Ab Arcadio extructæ: Procopius Orat. 1. *de ædificiis Justiniani*: *Ex Propontide*, inquit, *ad Orientalem plagam urbem naviganti occurrit publicum balneum, quod Arcadiana dicitur, Constantius urbem aliàs variam exornans. Hic atrium Justinianus exstruxit, quod urbi prætenditur, & leniter alluitur mari, ut qui hic deambulant cum prænavigantibus loqui possint. Hic igitur in confinio maris in prædicto atrio sic habent: est enim atrium aspectu pulchrum, quod leves venti perflant, cujus inferna pavimenta columnarum, & marmorum præcipua venustate integuntur; Tantum enim splendorem effundunt, ut Solis radiis concertare videantur. Multa quoque atrium exornant; partim ænea, partim lapide cælata præbentia spectaculum multa ratione dignum.* Hactenus Procopius. Hæ Thermæ fortè sunt, quæ Xerolophus vocantur, quas ab Arcadio fabricatas fuisse auctor est Cedrenus: *Xerolophus*, inquit, *opus est Arcadii columna Theodosii Tauro posita omnia similis.* Hoc opus in foro Arcadii fuisse Socrates l. VII. c. 1. scribit, loquens enim de Sabatio hæretico, ait: *Faciebant collectas contra Sisinnium suum Episcopum in loco civitatis, qua ξηρόλοφος appellatur, in Arcadii foro.* Hæc ille. Ædificium erat plures cellas continens, unde thermas fuisse conjicio. Nicephorus enim Gregoras lib. VII. cap 1. Athanasium Patriarcham Constant. in cellis Xerolophi recessisse scribit; sonat autem hæc vox, inquit Suidas, siccam inunctionem sine lotione, quod ibi ungerentur non lavarentur: & addit olim fatidicum hunc locum fuisse, in quo è tripode responsa reddebantur, & LVI. temporum Astronomica erat revolutio, ibique XVI. cochleari, & reconditi erant secessus. Ego quoque in vetusto codice Græco XII. cochleas ibi fuisse legi, & Dianæ, Severique, & Marciani columnas, ac minoris Theodosii, & Valentiniani statuas. Ibidem scriptum epigramma Justinianus citat *in §. item lex Cornelia. Instit. de publ. jud.* quod ex Xenophonte fuerat desumptum in quinto ἀναβάσεως. Zonaras quoque Leone Isauro imperante, Arcadii statuam in Xerolophi columna positam terræ motu concidisse scribit. Thermæ verò hic publicæ vel à Principibus ædificatæ appellantur, balnea erant privatorum.

DOMUS CXVIII.] intelligo insignia ædificia, quemadmodum Romæ domus ab insulis distinguuntur. Alioquin Vici XXIX. via singuli quaternas domos habuissent. Nec dignus mediocri civitati hic numerus ædificiorum fuisset. Nobiles ergò domus hic tantum recensentur, cætera ædificia omittuntur,

PORTICUS *perpetua dua.*] longas & perpetuas. Hæ non erant, ut hodie, ædibus conjunctæ, ut pars earum censerentur, sed separatæ ad spaciandum, & animi gratia ædificatæ: unde Strabo lib. V. *Geogr.* ubi Romæ loca describit, Liviæ porticum περίπατον, id est, *deambulationem* appellat, cui & Plinius consentit lib. XIV. c. 1. item Strabo auctor est Cumanos Æolas mutuo pecuniam ad extruendam porticum accepisse, & cum præstita die non restituerent, è creditore prohibitos fuisse, ne sub ea deambularent; cum verò plueret, præ pudore edicto permisisse ut eam subire possent: & cùm præco clamaret, ut porticum subirent, ivisse in proverbium Cumanos nescire ob pluviam porticum subire, nisi à præcone admonerentur. Has Ulpianus intelligit, cùm porticus sine ædibus fuisse scribit, in l. *cætera* 41. §. *hoc Senatusconf. de leg.* 1. Tacitus lib. XV. *Ann.* loquens de Neronis incendio: *Porticus*, inquit, *amœnitati dicata latius procidere.* Talis fuit porticus Athenis, cujus partem à Mycone mercede, partem à Polygnoto gratuitò pictam Plinius memorat, lib. XXXV. c. III. quæ ob id varia est appellata, in qua Zeno docuit, ob id Stoicus nuncupatus, Suidas DI. imaginibus argenteis, & marmoreis hujusmodi porticus exornari consueverant, ut ex testamento apud Marcellum in l. *Seja §. ultim. l. Lucius de aur. arg. leg.* deprehenditur: *Hæredem meum*, inquit, *volo, ut in patria mea faciat porticum publicam in qua poni volo imagines argenteas, item marmoreas.* Hic duas porticus intelligi puto à palatio usque ad Forum Constantini, quæ per longum spacium sunt perpetuæ, nec interrumpuntur, Procopius enim scribit *De ædific. Justinia.* orat. 1. Justiniano imperante palatium, ædem Sophiæ, & utrasque porticus magnas usque ad Forum Constantini arsisse. Idem & Cedrenus, qui easdem ambas porticus Basilisco imperante flagrasse memorat, & hæ semper sunt restitutæ. Quælibet autem Regio Constant. aliquot porticus habebat, quod Romæ erat secus.

GRADUS IV.] tribunal intelligitur ad quod per gradus marmoreos ad accipiendum panem plebi dandum ascendebatur, qui panis *gradilis* à gradibus vocatur. Valentinianus in l. Cod. Theod. *de annona civi. Panis*, inquit, *gradilis in alium gradum translatio inhibetur.* Idem in dict. leg. 11. Cod. Theod. eod. *Universi panem gradilem de*

gradibus adipiscantur: Ex quibus constat gradum eminens tribunal fuisse, unde panis capiebatur. Constantinus enim, ut auctor est Metaphrastes, quotidie octuaginta millia panum in pauperes elargiebatur, Socrates libr. II. cap. XIII. octuaginta millia modiorum frumenti fuisse scribit, quibus vinum, carnem & oleum addidisse Suidas tradit. Erant ergo IV. gradus seu tribunalia in prima regione ad hæc distribuenda erecta.

CVRATOR *unus, qui totius regionis sollicitudinem gerat.*] Hi ab Augusto primum inventi, magistratus à Tranquillo appellantur in *eod.* cap. XXX. *Spacium*, inquit, *urbis in regiones, vicosque divisit, instituitque, ut illas annui magistratus sortitò tuerentur; hos magistri è plebe electi.* Illorum loco curatores XIV. postea Alexander Augustus instituit: Lampridius: *Fecit Romæ*, inquit, *curatores XIV. sed ex Cos. viros, quos audire negocia urbana cum P. V. jussit, ita ut omnes aut magna pars adesset, cùm acta fierent.* Hi videntur lites suæ regionis curasse, & pupillorum, inopumque curam habuisse.

VERNACVLVS *unus, velut servus in omnibus, & internuncius regionis.*] Hunc credo fuisse velut ministrum curatoris, qui nuncia perferebat ad homines suæ regionis pertinentia. Hi sunt, qui à Sext. Rufo & P. Victore in regionibus Romæ *denunciatores* vocantur, quorum bini in qualibet regione erant constituti.

COLLEGIATI XXV. *qui ex diversis corporibus ordinati incendiorum solent casibus subvenire.*]Romæ Præfectus vigilum VII. cohortibus libertinorum hominum imperabat, quos Augustus ad arcenda incendia instituit, singulasque cohortes binis regionibus præposuit, ut Paulus in leg. III. *de offic. præfect. vigil.* Tranquillus, & Dion lib. LV. memorant. Constantinopoli verò DLXIII. Viri ex diversis artificum corporibus extracti, per XIV. urbis regiones, & ipsi nocte ad arcenda incendia excubabant, qui *Collegiati* vocabantur. Hic numerus nec minui nec augeri poterat, & uno moriente, Præfectus urbi alium ex ejus corpore substituebat, Honorius & Theodosius in l. penultim. Cod. *de commerc.* ad Ætium P. V. & non P. P. in l. ultim. Cod. Theod. *de calcis coctor.* ut vulgo legitur, & ita ex Cod. Theodosiano emendandum. *Quingentorum*, inquiunt, *sexaginta trium Collegiatorum numerus maneat, nullique jus addendi, mutandive, vel in defuncti locum substituendi pateat copia, ita ut judicio tuæ sedis sub ipsorum præsentia corporatorum in eorum locum, quos humani subtraxerint casus, ex eodem quo illi fuerant corpore subrogentur.* Hæc illi. Eligebantur autem Collegiati ex XXXV. corporibus artificum, quos Constantinus in epistola ad Maximum recenset in leg. I. Cod. *de excus. artif.* qui ab omnibus muneribus personalibus, præterquam ab arcendo incendio immunes erant, l. I. Cod. *de privil. corpora.* In prima hac regione erant tantùm Collegiati XXV. in aliis alii, qui complebant numerum DLX. ad quem explendum in XIV. regione XXXVII. aut XL. ut legitur apud Zenonem leg. I. C. *de collegiat.* desiderantur. Alibi Collegiati pro decanis defunctos humantibus accipiuntur, in l. IX. C. *de sacr. sanct. eccle.* Aliquando pro municipibus, in l. XLI. C. Th. *de op. publ.*

VICOMAGISTRI *quinque, quibus per noctem tuenda urbis cura mandata est.*]Hi primùm ab Augusto inventi, Tranquillus in *Augusto* cap. XXX. *Spacium*, inquit, *urbis in regiones, vicosque divisit, instituitque, ut illas annui magistratus sortitò tuerentur; hos magistri è plebe cujusque viciniæ electi.* Itaque singuli curatores singulas regiones tuebantur, vicos plures Vicomagistri appellati, quos credendum est aliquot milites habuisse, quibus noctis latrocinia, & alias injurias prohiberent, sicut erant Romæ Vigiles dicti, l. *si maritus*, C. *de adult.* qui id curabant, & custodes urbis quandoque vocantur, l. *sed & miles* §. *qui autem. de excus. tutor.* Romæ pro singulo vico bini, terni, & quaterni statuebantur Vicomagistri. Hic verò quælibet Regio V. tantum habet, ita ut universi sint LX. etsi infrà in Collectione Civitatis LXV. numerantur.

A

REGIO. II.

ECCLESIA *magna.*] ita templum S. Sophiæ, id est, *Dei Sapientia*, à Constantino, vel, ut alii à Constantio conditum appellabatur, quod incendio exustum postmodum Justinianus omnium orbis terrarum splendidissimum fecit, de cujus nobili architectura Periandri liber & alii extant. Evagrius scribit, templi longitudinem fuisse peditum CXC. latitudinem pedum CXV. altitudinem à pavimento ad centrum hemisphærii pedum CLXXX.

ECCLESIA *antiqua.*] fortè aliquam ex illis intelligit, quæ à Constantino conditæ fuerant, & aliquot Procopius recenset *de ædific. Justin.* orat. I.

B

SENATVS.] locus in quo Senatus habebatur, quem, ut auctor est Sozomenus, Constantinus Magnus ædificavit, ubi eandem celebritatem Kalendis Januarii quotannis fieri voluit, quam Romæ Senatus habebat, incendio combustum ob seditionem ortam de ejiciendo D. Jo. Chrysostomo, splendidiorem Justinianus restituit, ait Procopius.

TRIBVNAL *purpureis gradibus extructum.*] id erat ex marmore porphyrite, quæ vox Latinè purpureum sonat, quia purpuram hic lapis imitatur.

THERMA *Zeusippi.*] insignes erant porticu domos, & officinas circundante; illis annui reditus ad accendenda balnei lumina, & sarta tecta habenda assignati erant:

C

Theodosius in l. *quia plurima.* C. *de op. publ.* *Quia*, inquit, *plurima domus cum officinis suis in porticibus Zeusippi esse memorantur, reditus memoratorum locorum pro quantitate, qua placuit, ad præbenda luminaria, & ædificia ac tecta reparanda. Regia urbis lavacro sine aliqua jubemus excusatione conferri.* Hæc ille. Scribit autem ad Severinum P. V. non Prætorio, ut rectè legitur in Codice Theodosiano, l. LII. C. Theo. *de oper. pub.* Hoc balneum palatio Principis vicinum fuisse, & postea Numerorum vocatum Nicephorus lib. IX. cap. IX. *Eccles. Hist.* scribit. Ejusdem Sozomenus, & Socrates meminerunt. Id credo primum à Zeusippo conditum, qui circa Neronis tempora Byzantii Christianos afflixit, Nicephor.

D

libr. VIII. cap. VII. & inter alios Divum Andream Apostolum Argyropolim fugere compulit. Erat tum, ut puto, Macedoniæ, & Thraciæ Præfectus: Hoc balneum postmodum Severus Imperator auxit, & ornavit, unde Severi est appellatum; verùm Cedrenus ab ipso conditum affirmat. Numerorum deinde balneum est nuncupatum, quia milites ibi lavabantur. Zosimus lib. II. in peninsula id fuisse scribit: *Olim quidem*, inquit, *eo loco portum habebat, quo porticus illa desinunt, quas Severus Imperator destruxit, cùm suas adversus Byzantios iras deposuisset, qui hostem ipsius Nigrum in urbem admisissent.* Hæc ille. Suidas auctor est Christodorum poetam statuas & imagines Zeusippi carmine celebrasse; inter quas lau-

E

datur, quæ Hesiodo poetæ posita fuit. Procopius lib. I. *de ædif. Just.* id balneum esse affirmat à Justiniano restauratum, sed Zeusippum dici, quia ibi equorum junctorum cursus exercebatur, quod Græca hæc dictio sonat, ejus meminit D. Gregorius Nazianzenus in *oratione ad Arrianos*, & de se ipso: *Nec novam*, inquit, *illam Hierusalem, hoc est, Zeusippum inviso, imperante Justiniano incendio consumptum est.* Cedrenus: Incendio, inquit, consumptum est balneum Severi, quod Zeusippi nomen gessit, in quo varium inerat spectaculum, artiumque splendor, & marmor, & lapidum, & ex ære imaginum & opera virorum, quæ à multis sæculis fabricata erant, quibus hoc unum deerat, quòd animæ non inerant illorum, quos referebant, inter præcipua, & ingenium su-

F

perantia opera. Stabat & Homerus qualis fuerat cogitabundus, manibus insertis infra pectus, barba sine cultu demissa, capilli capitis æquales, rari ab utraque sincipitis parte, facies præ senio hirsuta, ac curis de universo, nasus ad reliquas partes proportione æquali: oculi palpebris affixi, ita ut cæci formam præ se ferrent, qualem cum fuisse

fuisse fama fert: Suprà tunicam palliolo erat amictus, & ad basim infrà pedes ejus losum quoddam æneum subjectum; Erant porrò æneæ columnæ omnium sapientia, poesi, arte discendi, ac fortitudine clarorum virorum.

AMPHITHEATRVM.] secundum littus maris, per quod ad palatium Principis, & portum Juliani ibatur, in quorum medio fornaces esse consueverant, quæ à Theodosio Juniore tolli sunt jussa, in l. ult. C. Th. *de calcis coctor. Omnes*, inquit, *fornaces per omne spacium, quod inter amphitheatrum & D. Juliam portum & littus maris extendatur, tolli praecipimus, propter salubritatem urbis amplissima, & nostrarum adium vicinitatem, nec ullis his in locis coquendi calcis praberi licentiam.*

REGIO III.

DOMVS *Pulcheria Augusta.*] sororis Theodosii junioris, quæ virgo permansit, etsi mortuo Theodosio fratre, Martiano, quem creavit Imperatorem, nupsit. De hac multa Zonaras, Cedrenus, Zosimus, Nicephorus, & alii. Aliam domum in XI. regione habuit.

PORTVM *novum.*] est fortè ille à Juliano Apostata fabricatus. Alius fuit in VI. regione Neorius vocatus, ubi erat navale.

PORTICVM *semirotundam, qua à similitudine fabrica sigma Graco vocabulo nuncupatur.*] A similitudine Grææ literæ C. Hujus sæpe Zonaras & Cedrenus in *Michaele monacho*, *Basilio Macedonio*, meminerunt.

REGIO IV.

MILIARIVM *aureum.*] De hoc ita Cedrenus scribit: *Suprà miliaris fornicem dua statua Magni Constantini & matris ejus, & in harum medio crux: à tergo earum Trajanus, & juxta hunc Ælius Hadrianus eques, & horologium à Justiniano ibidem collocatum.* Erat hæc columna Romæ in foro ab Augusto posita, à qua omnes viæ Italiæ initium & finem accipiebant, ut Plutarchus, Dion, P. Victor, & alii tradunt; non tamen ab ea milliaria numerari cœpisse Æmilius Macer monet in l. *mille de vet. sig. Mille passus, ait, non à miliario urbis, sed à continentibus adoficiis numerandi sunt.* Sicut ergo Romæ erat miliarium aureum, ita & Constantinopoli, quæ nova Roma appellata, in omnibus veterem imitabatur. Sed ibi non columna, ut Romæ fuisse videtur, sed ædificium, ut ex prædictis Cedreni verbis, & ex Suida deprehenditur, qui sub ejus testitudine Constantini & Helenæ columnas, & crucem, ac simulachrum fortunæ, pluresque alias statuas fuisse scribit, & illud *Milium* non miliarium appellat.

AVGVSTEVM.] erat ingens ærea columna à Justiniano fabricata. Cedrenus: *Absoluta est*, inquit, *anno XVI. Imperii Justiniani area columna magna, qua vocatur Augusteum, eique imposita est Justiniani statua equestris, sinistra manu tenens pomum rotundum, quo indicatur Orbis Imperium penes ipsum esse: dextram autem intendebat, quasi Persas juberet stare, & Romanorum ditionem non invadere: omnes vero area circa columnam regula erant aurata, introitum palatii Constantini Magni tegentes, qui etiamnum areus dicitur, columna vero Augusteum vocatur.* De hac latè & Procopius *De ad. Just.* I. orat. ubi Augusteum non columnam, sed locum, in quo erat columna, vocatum fuisse scribit, quod & macellum appellabatur: *Columna*, inquit, *pracipua magnitudine admiranda, non tamen simplex & uniformis, sed grandibus in circuitu lapidibus composita. Hanc as optimum in tabulis & verticibus circumfusum undique vestit, lapides ipsos suo robore vinciens, & ornatu tegens, colore quidem auro puro obscurius, dignitate vero non multo inferius, par planè & aquiparandum argento. In hujus columna vertice stabat pragrandis equus are conflatus, versus ad auroram admiratione dignus, similis ituro, & antè pulchrè proclinato. Nam inter priores pedes sinistrum levat, tanquam terram pulsaturus, alter pes lapidi, super quem graditurus est, infixus haret. Posteriores vero pedes ita contrahit, ut si stare prohibeatur, in parato sit. Huic equo insidet areum regis simulachrum. Achillem vocant, propter figuram, quam refert, etenim soleas subligatus habet, absque ocreis. Pectus heroico thorace munitum est, & caput galea, splendorem quendam projicit, spectans ad orientem, iter, ut opinor, arrepturus ad Persas. Gerit sinistra manu orbem, quo innuit terram & mare sibi subditum esse: Nihil armorum tenet, neque ensem, neque hastam, sed tantum crucem orbi impositam, per quam regnum & belli victoria illi obvenit. Dextram manum ad orientem extendit, & porrectis digitis jubet, ut Barbari ultrò non progrediantur.* Infrà verò locum hunc *Augustum forum* appellat: *Est forum*, inquit, *ante regiam, columnis circummunitum, Augustum vocant Byzantii: in hoc ad auroram curia seu pratorium exstructum est. Justiniani regis opus, quo Romanorum Senatus convemens initio anni solennem festivitatem peragit.* Idem & Suidas tradit. Phavorinus forum obsoniorum Augusteum fuisse tradit, ita appellatum, inquit Suidas, quòd idibus Octobris singulis annis regionum curatores & Sebastophori in Augusti honorem ibi saltarent, vel quod Constantini & Helenæ ejus matris statuæ eo in foro essent locatæ.

BASILICA quoque omnium insignis ibidem erat ædificata, de qua hæc Cedrenus: *Ortum à mediis chalcopratiis incendium cùm utranque porticum, tum contigua omnia, & Basilicam devoravit, in qua fuit bibliotheca librorum CXX. continens, inter quos libros fuit etiam draconis intestinum, pedes CXX. longum, cui Homeri poëmata Ilias, & Vlyssea aureis literis fuerant inscripta, cum historia rerum ab Heroibus gestarum. Erat Basilica testudo multis columnis suffulta, qualia hodie visuntur templa, ordinibus columnarum sustentata, qua etiam Basilica appellantur, quòd instar basilicarum sint fabricata.* Eam in VII. *Æneid.* Virg. describit:

Templum Augustum ingens tantum sublime columnis,
Urbe fuit summa Laurentis Regia Pici.
Hic sceptra accipere primosque attollere fasces,
Regibus omen erat.

Ibi causæ agitabantur, Legati civitatum audiebantur, publicaque negocia tractabantur. Hæc inaurata marmoribus splendebat. Theodosius Cyro P. V. Constantinopolitanæ, *L. basilicam C. de oper. publ. Basilicam*, inquit, *auratam, & marmoribus decoratam in nullius imaginis, aut pictarum tabularum obumbratione fuscari jubemus*, cum verò Constantinopoli & ejus urbis præfecto scribat, hanc significat. De eadem, credo, intelligit Zonaras in *Leone Magno*, cùm flagrasse maximam domum vocatam scribit, in qua & Senatus, & delecti cives deliberatum convenire solebant, atque ipse Imperator Consularem vestem sumpturus: Opus illustre & splendidissimum, in quo pedaneos judices in cellulis judicasse Justinianus scribit, *in §. sedebant aut. de judic. Novel.* 81. Hanc basilicam à tergo miliarii fuisse Suidas scribit, in ver. *Βασιλική*, & in ea statuam inauratam & alias, inter cætera ibi erat elephas à Severo ob hanc causam factus, quod argentarius quidam illius custodem interfecisset, & cadaver belluæ manducandum objecisset, ob id iratus elephas eum occidit. Ad facti memoriam Severus elephantem cum custode æneum fundi fecit, qui Cos. Juliano Constantinopolim translati in basilica locati fuêre.

NYMPHÆVM.] id erat amplum ædificium, in quo nuptias celebrabant, qui ædes ad hoc idoneas non habebant, ut auctor Zonaras in *Leone Magno*, & Cedrenus. Eò ex fonte, qui erat in foro, aquam derivatam fuisse Suidas scribit, quæ Nymphæum lavacrum vocabatur. Theodosius ad eundem Cyrum, *in l. si quis. C. de aquaduct. Tua*, inquit, *sedes disponet, quantum aqua publicis Thermis, quantum in Nymphais conveniat deputari.*

PORTICVS *Fanionis.*] Suidas Fanionem esse dicit locum, in quem purgamenta projiciebantur. Ea fortè est porticus, quam Zeno Imp. à miliario usque ad Capitolium cum quatuor columnarum ordinibus excurrisse scribit, inter quas tabernulas marmoribus incrustatas propè viam publicam ædificari permittit, *in l. pen. §. praterea, C. de adif. priva.*

LIBVRNA *marmorea.*] navalis victoriæ est monimentum. Eam enim victoriam significari puto, qua Frajutus Mag. militum Arcadii contra Gainam liburnis instructis ad Chersonesum potitus est, ut Zosimus l. v. scribit.

ECCLESIA *seu martyrium S. Menna.*] Ægyptius miles fuit sub Diocletiano passus in Phrygia. Hanc ædem Constantinus ædificavit, quem plures in honorem martyrum ecclesias fabricasse, Eusebius in *ejus vita* scribit lib. III, cap. XLVII.

STADIVM.] hæc erat area quadrata ad pugillatum destinata, ut ait Suidas, quam Græci CC. pedibus metiebantur, quandoque pluribus: undique porticibus, seu peristyliis claudebatur: ubi lucta, jactu, saltu, testibusque Græci certabant. Porticus ad meridiem erat duplex, ne pluviis à septentrione venientibus læderetur: Intus ultrà porticum continebat ephebæum seu exedra, sedibus undique circundantibus, ubi disputabant philosophi, & juvenes erudiebantur. Olim enim in librorum inopia disputando, & arguendo se exercebant, ut auctor est Suidas, in ver. γυμνάσια. A dextra verò, & sinistra Ephebæi stabant balnea, in quibus oleo luctantes ungebantur. Et ideo Cajus Jureconsſ. scribit stadium propriam formam ex consummatione accipere, *l. si is qui quadringenta. ad fin. ff. ad leg. Falcid.* Hoc stadium spectabat mare, Procopius *de Æd. Justin.* I. orat. in fin. *In loco*, inquit, *mari proximo, quod nunc stadium vocatur, certaminibus quibusdam opinor locum olim dedicatum. Ampla Xenodochia Justinianus, & Theodora uxor exstruxerunt.* Hæc ille.

SCALA *Timasii.*] erant hi gradus per collem ac mare descendentes à Timasio facti, vel locus ad commodè descendendum paratus, ita nuncupatur; nam scalam etiam descensum ex navi vocant. Gyllius lib. II. cap. XI. de bosphoro Thracio scalam molis brachium ponticuli vicem præstans interpretatur. Credendum tamen est hic marmoreas scalas fuisse, cùm locus pro insigni nominetur. Ex his aliquod vectigal colligebatur, quod ad aquæductus reparationem impendebatur. Theodosius in l. *ad reparationem. C. de aquaduct. Ad reparationem*, inquit, *aquaductus hujus almæ urbis omnia vectigalia; quæ colligi possunt ex universis scalis hujus inclytæ urbis, ad refectionem ejusdem aquaductus procedunt.* Hæc ille. Naves credo, quæ merces exonerabant, aliquid solvebant. Justinianus quoque recitat codicillos Hierii, in quibus nepoti Hierio suburbium coparium cum omnibus scalis reliquit, *Novell.* CLIX. item Cedrenus auctor est Copronymo imperante sævissimo frigore mare concretum fuisse. Mox tepescente aëre, inter alia frustum glaciei arcis scalas Constantinopolis attrivisse. Fuit Timasius magister peditum magni Theodosii, qui à Valentis temporibus militare cœperat. Ab Eutropio Arcadii cubiculario per calumniam accusatus in Oasim est relegatus. Syagrii P. P. pater, ut Zosimus in v. scribit.

REGIO V.

CISTERNA *Theodosiana.*] locus est infra terram concameratus, non vivam nec perpetuam, sed imbribus conceptam aquam continens, l. I. §. *hoc interdictum, ff. de fonte.* Petrus Gyllius in *Topographia Const.* scribit, se Constantinopoli inventam sub terra cisternam, ignorantibus dominis indicasse. Erat, inquit, *longitudinis pedum* CCCXXXVI. *latitudinis* CLXXXII. *ambitus* CCXXIV. *passuum; concameratio sustinebatur marmoreis columnis* CCCXXXVI. *pedes* XII. *inter se distantibus: singulæ* XL. *dodrantum altitudinem superabant. In longitudinem per* XII. *ordines, in latitudinem per* XXVIII. *erant disposita. Hyeme irruente aquaductu ad media columnarum capitula implebatur cisterna, piscesque innatabant, quos adiens dominus æstate navicula circumvectus tridente transfigebat.*

PRYTANEVM.] Athenis erat arx Prytaneum vocata, in quam Senatores ac sapientes conveniebant, & viri de Republica benemeriti publicè alebantur, Cicero lib. I. *de orat.* Suid. in Πρυτανεῖον. cujus exemplo propè cisternam regiam erat Constantinopoli palatium, in quo vir doctissimus XII. discipulos erudiebat, qui postea Reipublicæ utiles futuri essent. Cedrenus in *Leone Isauro Iconomacho*: *Apud regiam*, inquit, *cisternam palatium erat venerabile, in quo juxta antiquam formam Oecumenicus magister sedebat, XII. habens discipulos eruditione & vita graves. Hi cùm omnem disciendi scientiam celeritate & amplitudine ingenii percepissent; Ecclesiasticam divinarum rerum sapientiam acri studio tractabant. Absque eorum consilio quicquam agi, ipsis quoque Imperatoribus nefas putabatur, quos Leo sustulit*: Id Zonaras clarius exprimit: *Domus*, inquit, *erat in Basilica proximè forum ærarium regia, in quas multi codices & humana ac divina sapientia asservabantur ab antiquis temporibus, & ad habitandum attributa, qui eruditione excelleret, quem Oecumenicum Doctorem appellabant: Is XII. contubernales habebat excellenter eruditos. His publicus victus præstabatur, quos eruditionis avidi adibant. Hos etiam Imperatores ad rerum gerendarum consilia adhibebant; quos cùm Leo in suam sententiam, ut imagines impugnarent, trahere nequivisset, noctu cum libris combussit.* Quemadmodum ergo Athenis viri de Republica benemeriti in Prytaneo alebantur, ita & hic eruditi, & ob id Prytaneum hanc domum vocatam fuisse puto, quæ instar Atheniensis erecta fuit.

THERMÆ *Eudociana.*] ab Eudocia uxore Theodosii Junioris, quæ antequam Christiana fieret, *Athenais* vocabatur, de qua plura Zonaras, Nicephorus, & alii. Alias habebat ædes in X. regione, ubi de ea aliquid dicitur.

STRATEGIVM.] Hæc interpretor castra prætoriana, ubi degebant prætoriani milites. Eo in loco erat forum Theodosianum, & Obeliscus Thebæus quadrus Thebis Ægypti Constantinopolim advectus, qui in quadrum erat formatus.

HORREA *holearia.*] credo legendum olearia sine aspiratione, ubi oleum condebatur.

HORREA *Troadensia.*] è Troadensi advectas merces, vel frumenta continentia, quemadmodum in IX. regione sunt horrea Alexandrina, in quibus frumenta Alexandria advecta conservabantur. Troas verò regio est Phrygiæ ad Helespontum sita, non longè à Constant.

HORREA *Valentiniana.*] à Valente Imperatore facta. Fortè hoc est illud horreum, in quo Suidas in V. *Manaim*, scribit Manaimi statuam fuisse, qui adversus Scythas exercitum duxit, & ibi erat æneus modius, ut secundum justam ejus mensuram frumentum emeretur & venderetur, pretio aurei à Valente in modios XII. præstituto (pro Valentiniano enim lego *Valente*, qui Constantinopoli imperavit) is nautæ manum præcidi jussit, qui ejus legi fraudem fecit, & ob facti memoriam manus æreæ ibi sunt affixæ.

Erant & HORREA, in quæ aurum, argentum, & gemmæ deferebantur. Nam Paulus Jureconsſ. homines in horreis preciosissimam partem fortunarum reposuisse scribit, *l. 3. §. effractura. ff. de offi. præf. vigil.* Lampridius quoque refert horrea Alexandro fabricata fuisse, in quæ privati homines, qui domi loca non habebant, aut custodia carebant, aurum, argentum, gemmas, aut grana convectarent. Domini verò horreorum illata suo periculo custodiebant, *l. cùm plures. §. locator. locati.*

PORTVS *Prosforianus.*] in quo edulia exonerabantur: Προσφάγια enim Græci esculenta vocant.

SCALAM *Chalcedoniensem.*] commodum descensum è regione Chalcedonis, ut eò trajiciatur, nec amplius stadiis V. ab Europa dividitur.

MACELLA *duo.*] Duo loca ampla intelligit, in quibus obsonia vendebantur.

REGIO VI.

COLVMNA *purpurea Constantini.*] Hæc erat in foro Constantini, lapideis tabulis stratò: Zonaras in *Nicephoro Phoca*: *Imperatorem Nicephorum*, inquit, *maledictis usque in forum lapideis tabulis stratum prosequuntur; in quo columna rotunda porphyretica sita est.* De hoc ita Cedrenus in *Theodosio* I: *Constantinus anno sui Imperii*

XXIV. *forum condidit cum duobus amplis rostris; in eoque foro columnam Roma allatam posuit, uno solidoque lapide constantem, qui totus erat purpureus, id est, ex porphyrite constans, atq; eam æreis fasciis unxit inscriptis: In ejus summo statuam sibi collocavit cum hac inscr.* CONSTANTINVS. *Splendebat solis instar. Opus fuit Phidiæ Athenis advectum. Sub basim columnæ* VII. *posuit sportas, ac* XII. *cophinos Christi miraculis insignes, infrascriptosque versus apposuit:*

Tibi Christe mundi domine, Rectorque optime urbem hanc, tibi quæ serviat, modò subdidi & sceptra, Romanamque omnem potentiam. Hac tu malis defende semper ab omnibus.

Idem fermè aliis verbis Zonaras narrat. *Teretem,* inquit, *columnam Porphyreticam Roma, ut ferunt, allatam, in foro lapideis tabulis instrata locavit, unde à Græcis placotan nominatur, supraque æneam statuam arte & magnitudine admirabilem erexit, antiqua enim manu penè vivens expressa erat. Id Apollinis simulachrum fuisse ferunt ex Ilio Phrygia translatum; sed Constantinus suum illi nomen indidit clavis quibusdam capiti insertis, qui corpus Domini salutiferæ cruci affixerant. Ea ad nostram ætatem permansit integra columnæ insistens: sed sub Alexio Comneno vehementis venti impetu dejecta concidit, & multos contrivit:* Statuam illam Nicephorus lib. *Eccles. Hist.* VIII. c. IV. melius exprimit: *Maximam,* inquit, *illam porphyretici marmoris columnam construxit, in qua statuam quoque suam collocavit in polo seu vertice mundi, crucem infixam manu tenentem. Quo ille symbolo indicavit, virtute invicti ejus trophæi & signi terram omnem, mare ipsum à se subactum.* Gyllius scribit illam ex VIII. lapidibus constructam æreis laureatisque zonis commissuras, ut videri non possent, cingentibus. Sed his dissolutis, hodie structura quadam intercisa marmora colligantur; columna est altitudinis pedum LXXXVI. & dodrantis, præter gradus, spiram, & stylobatem. Sita est in foro Constantini.

SENATVS *ejusdem loci.*] erat in foro Constantini ad boream domus Senatus nuncupata, æneis statuis, & marmoribus porphyreticis ornata, in quam Senatus, & præcipui cives deliberandi causa convenire consueverant, & Imperator consularem vestem accipere solebat. Leone magno imperante flagravit, ut Zonaras & Cedrenus memorant.

NEORIVS *portus.*] id est, Navale, ubi naves fabricabantur; à quo porta illi proxima secundum aliquos *Neoris* dicitur: Sed à Cedreno & Zonara infrà in XII. regione aurea vel pulchra vocatur. Alii Imperialem nominarunt, quia arci Principis proxima erat.

SYCENA SCALA.] id est, gradus, quibus ad littus descendebatur, ut in Sycenam proximam insulam trajiceretur, quæ nunc Pera vocatur: *In toto hoc sinu multa naviculàrum millia, pluresque quàm Venetiis cymbæ ad transferendos homines comparata reperiuntur. Perama* vulgò dicuntur, quòd ultrò citroque transferant.

PORTICVS *magna una.*] Hæc usque ad forum Constantini extendebatur, quam ob seditionem Justiniano imperante crematam Procopius lib. I. *de B. Persica* scribit.

REGIO VII.

IN Septima regione in loco, qui Taurus appellatur, erat TEMPLVM S. IRENÆ, id est, Pacis, quam, ut inquiunt Socrates & Cedrenus, Constantinus magnus condiderat, & imperante Justiniano conflagravit, & S. ANASTASIÆ, cujus reliquiæ primo anno imperii Leonis magni Syrmio Constantinopolim allatæ fuêre, & in ejus templo repositæ, quod erat apud rostra Domini. Anastasiæ templum à Catholicis est ædificatum: quia D. Gregorius Nazianzenus ibi S. Trinitatis dogmata suscitavit, templumque Anastasiæ est appellatum: vel quod, inquit, Sozomenus, mulier gravida, quæ ex ejus porticu cadens interiit, precibus populi revixit.

Sed verius est duas Constantinopoli fuisse Ecclesias Anastasias dictas. Alteram Novatianorum ab Arianis dirutam, ab ipsis verò denuo excitatam, ut ait Sozomenus lib. IV. c. XIX. & ob id Anastasiam dictam. Altera fuit à Gregorio Nazianzeno denominata, fuerat hæc domus Nicobuli, in qua Gregorius Constantinopolim veniens hospitio est receptus, atque ibi S. Trinitatis dogmata jam extincta renovavit, unde locum Anastasiam vocavit; Grego. Nazianz. in oratione *ad CL. Episcop.* & in *cantico Anastasia.* Et domus in Ecclesiam versa in magnificam Basilicam excrevit. Sozomenus verò id nomen eum locum habuisse scribit lib. V. c. V. quod mulier gravida ex sublimi porticu, cùm Dei verbum audiret, deorsum delapsa, & mortua, omnium precibus vitam recepit. Martianus nobilis civis & dives amplum & speciosum ibi extruxit templum. Metaphrast. X. Januarii, ob nomen verò D. Anastasiæ reliquiæ ibi fuêre repositæ. Theodosius Lector in *Collectaneis.*

COLVMNA *Theodosii intrinsecus usque ad summitatem gradibus pervia.*] De hac ita Zonaras in *Justiniano: Anno,* inquit, *Imperii ejus* XVII. *magna columna in vestibulo magni templi collocata absoluta est, cui equestrem suam statuam imposuit. Ea loco prius steterat columna Magni Theodosii statuam argenteam sustinens à filio ejus Arcadio factam pondere* VII. *millium &* CCCC. *librarum, quam ille cum columna demolitus, argento direpto, reposuit, quæ adhuc cum ejus imagine visitur.* Cùm stante hac columna hæc Constantinopolis facta sit descriptio, ante Justinianum scriptam esse oportet. De hac columna aliter Cedrenus in *Zenone* loqui videtur, aut de alia intelligit: *In Tauro,* inquit, *columnam posuit Magnus Theodosius, suas contra Scythas continentem pugnas, & de iis statuta trophæa habet intus viam sursum ferentem. In bivio eques positus est ipse Magnus Theodosius, dextram versus urbem intendens, & columnæ inscripta trophæa demonstrans. Hæc quarto Zenonis Imperii anno terræmotu concussa cecidit, quæ statuam Theodosii habebat.* Idem loquens de Anastasio: *Multa,* inquit, *Constantini magni opera conflavit, suamque statuam inde confecit, & in columna Tauri constituit: Namque prius ibi posita fuerat Theodosii Magni, ea terræmotu dejecta & comminuta fuerat.*

EQVITES *magni duo.*] Horum alter fuit Theodosius Magnus, quem prope columnam dextram versus urbem intendisse, & trophæa columnæ inscripta monstrasse Cedrenus scribit.

THERMÆ *Corosianæ.*] à Corosia Valentis Imperatoris filia nominatæ, ut Sozomenus explicat lib. VI. cap. IX. *Martianus,* inquit, *cùm vita, tùm doctrina admirabilis, qui jam olim quidem in regia satellitem egerat, at jam tùm presbyter, secta Novatiana erat, docebatque filias Valentis Imperatoris Anastasiam & Carosam præcepta Grammatica, quorum nominibus sunt balnea Constantinopolis etiamnum appellata.*

REGIO VIII.

HÆc regio tota mediterranea partem Tauri, qui erat vicus Constant. continet; cujus etiam Zonaras in *Nicephoro Botoniata* meminit, & partem fori Constantini; Porticum sinistram Taurum usque, Basilicam Theodosianam, & Capitolium comprehendit: suprà diximus Constantinopolim Romæ simulachrum fuisse; unde illius exemplo regiones XIV. miliarium, Capitolinum, & alia suprà exposita habuit.

REGIO IX.

ECCLESIÆ *duæ Cænopolis & Omonæa.*] Primam à loco urbis ita vocato denominatam puto; fortè illa ecclesia à fonte extra portam auream, qui postea in cœnum & uliginem conversus est, nomen habet. Leo antequàm rerum potiretur eo luto cæci oculis illito, lumen restituit, postea factus Imperator ibi Deiparæ Virgini, quæ illi Imperium prædixerat, templum dedicavit, quod fortè *Cænopolis* à loco urbis cænoso est appellatum, Niceph. lib. *Eccle. Hist.* XV. c. XXV. Procopius in hoc suburbio Fons dicto, Justinianum Deiparæ templum condidisse scribit, verùm non ex novo fecit, sed renovavit. Altera ecclesia à concordia est dicta, cujus fortè antea illud templum fuerat, sicut & Romæ tria fermè Concordiæ templa fuisse legimus, unum à M. Furio Camillo ob seditionem militarem dicatum, alterum à M. Manlio Prætore ob seditionem & ipsam militarem in Gallia,

Tertium in foro Rom. propè Græcostasim à L. Opimio Cos. deletis partib. Grachanis magna populi indignatione conditum, cui inscriptum est, opus vecordiæ pro concordiæ: Aliam Livia Augusta ædem Concordiæ fecit, aut instauravit, D. Aug. *de C. D.* l. III. c. XXV. quorum unum à Constant. splendidius est restitutum, quemadmodum io Basilica Lateranensi vetus indicat inscriptio.

Horrea *Alexandrina*.] Quotannis Alexandria DCCC. myriades artabarum, seu medimnorum Atticorum frumenti Constantinop. mittebantur, pro quibus nomine nauli nautis XC. mill. aureorum imperante Justitiano solvebantur. *Edicto Justin.* XIII. Erat autem antiquitus liberalitate Senatus & ditiorum civium coacta pecunia sexcentorum & undecim librarum auri, quæ apud Præfectum orbi vel annonæ reponebatur, & aliam Princeps addiderat, qua hoc frumentum emebatur, l. 3. C. Theo. *de frum. urb. Constant.* & vectum Constantinopolim in horreis recondebatur, quæ à loco, unde advehebatur, Alexandrina vocabatur.

Domus *Nobilissima Arcadia*.] filiæ Arcadii, ut auctor est Cedrenus, nobilissimæ titulo insignitæ. Habebat & in sequenti regione aliam domum. Tres filias Arcadius ex Eudocia uxore reliquit, Pulcheriam, Marinam, & Arcadiam, quæ cœlibes, virginesque manserunt. Niceph. l. XIII. cap. VIII. & Cedrenus.

Thermæ *Anastasiana*.] dictæ ab Anastasia Valentis Imperatoris filia, sicut Carosianæ ab hujus sorore supra in VI. regione, quorum nominibus, inquit Sozomenus l. VI. c. IX. sunt balnea Constantinopoli etiamnum appellata. Marcellin. verò lib. XXVII. ab Anastasia sorore Constantini has Thermas cognominatas fuisse scribit. De hac ita Paul. Diaco. lib. XIII. *In urbe*, inquit, *Constantinopoli domus est maxima, nomen habens carya, id est, nucis. Est enim in ejus domus vestibulo arbor nucis, in qua (ut sermo est) fuerat appensus martyr Acarius, & defunctus; ob quam rem etiam oratorium illic est ædificatum.* Hæc ille. Procopius ait, Anastasianas balneas à sorore Constantini cognominatas.

Regio X.

Martyrium *S. Acbatii*.] Is Constantinopoli ad nucem excruciatus fuit, quam Nicephorus in medio templo in ejus memoriam condito, Arcadio imperante, extitisse memorat, lib. XIII. c. XXXVIII. cùm ille sub Diocletiano centum annis antè passus esset. Loquens enim de Procopio Tyraono, Templum illud vetustate collapsum Justinianus pulcherrimum restituit, quod collapsum, inquit Procopius *De ædif. Justinia.* I. *orat.* à fundamentis restituit admiratione planè dignum tale ac tantum splendere, ut eam de se opinionem præbeat, quasi totum nivibus perfluat. Martyrium verò ædem appellat, in qua humatus est hic martyr. de quo Martyrol. VI. *Maji*.

Thermas Constantinianas.] Gyllius lib. III. *Topogr. Constant.* legit *Constantinianas*, quarum sæpe apud Sozomenum, Socratem & Suidam fit mentio: Sed verisimile est etiam à Constantino, qui suam urbem tot ornamentis decoravit, thermis honestatam fuisse.

Domus *Augusta Placidia*.] Theodosii Magni filiæ, Zosimus in fi. lib. VI. quæ aliam domum in I. regione habebat: & cum Honorio resídit in Italia.

Domus *Augusta Eudocia*.] Hæc fuit Theodosii Junioris uxor, anteà *Athenais* dicta, & postea Christiana facta, fœmina omnium sui temporis eruditissima. Vitam Christi carmine Homerocentonæ composuit. Demum suspecta adulterii, à viro ejecta, Hierosolyma migravit, & Theodosio defuncto, Constantinopolim rediit, Zonaras, Nicephorus.

Regio XI.

Martyrium *Apostolorum*.] Constantinus hoc ædificaverat, inquiunt Cedrenus & Eusebius: qui de hoc ita scribit *De vita Const.* l. IV. c. LVIII. *Apostolorum templum in urbe sui cognomine ad perpetuam illorum memoriam conservandam ædificare cœpit.*

Illud verò cùm in infinitam extruxisset altitudinem, lapidumque omnis generis, ac crustarum varietate ab ipso solo ad superiorem contignationem collustrasset, summo artificio factis laquearibus tectum intus complexus est, auroque universum contexit. Supra verò pro tegula inductum æs a tecto apere imbrium injurias arcebat. Quod ipsum etiam multo auro fulgebat, ita ut longè contemplantibus per reciprocatos solis radios incredibilis splendor effundi videretur. Interiorem ædis partem undique in ambitum circumductam reticulari opere ex ære & auro affabre facta convestivit. Ac templum quidem hunc in modum permagna Imperatoris & cura & studio exornatum est. Huic autem atrium ingens & subdiale circumdatum, in apertum purumque aerem explicabatur. Hujus per quatuor latera porticus erant disposita, quæ medium atrium cum templo ipso complectebantur. Parietibus accommodabantur regia domus, balnea deambulatoria, alia habitationes plurima ad necessitatem illorum, qui locum custodirent, constructa. Hæc omnia dedicavit Imperator, ut Servatoris nostri Apostolorum memoria apud omnes gentes æternitatem compararet. Subdit cap. LXVI. Constant. ibi in aurea arca sepultum fuisse, quam utrinque sex stipant Apostoli, idem affirmat Socrates. Justinianus id postea, splendidius fecit. Procopius enim *de ædificiis Justiniani* dicta oratione I. ita scribit: *Erat antiqua apud Byzantium ædes, Apostolis consecrata, longitudine temporis jam collabens, & quæ, ut timebatur, amplius stare non poterat. Hanc Justinianus pro dignitate instauravit, ubi Latomi & artifices effossa fundamento invenerunt tres arcas ligneas insculptis literis indicantes trium sanctorum ibi esse corpora, scilicet Andreæ, Lucæ, & Timothei, quæ Justinianus & omnes Christiani maximo cum tremore inspexerunt.* Zonaras vult hoc templum à Theodora Augusta instauratum.

Palatium *Facilianum*.] si legamus *Falcillianum*, derivabitur à Falcilla altera Arcadii filia, aut apud Cedrenum reponendum oomen *Facilla*. Gyllius legit *Placillianum* à Placilla uxore Magni Theodosii, quam Paulus Diaconus appellat Flacillam, sed hæc fuit filia Theodosii Junioris, ut auctor est Marcellinus Comes; cujus, inquit Gyllius, hoc palatium esse potuisset, & Facillianum vocaretur.

Bos æreus.] quem Pergamo allatum fuisse Cedrenus scribit: *Caminus*, inquit, *fuit, in quo ustus est S. Antipas martyr.* Sunt qui hunc bovem esse autumant, qui à Perillo inventus, & à Phalaride Agrigenti tyranno primus illud tormentum experiri coactus est. Zonaras Phocam tyrannum in Bove crematum esse scribit, ubi caminus, inquit, fuisse perhibetur æreus forma bovis Pergamo translatus, qui & loco Constantinopolis nomen dedit.

Cisternam *Modestiacam*.] Modestus fuit primo Comes Orientis, mox Præfectus Prætorio Valentis, *l. quinque C. de cohorta.* & cùm esset Arianus Catholicos afflixit: Demum gravi morbo precibus Divi Basilii est liberatus, ut Gregorius Nazianzenus est auctor in *oratione funebri in Basilium*. Hunc cisternæ, de qua agitur, auctorem fuisse puto.

Regio XII.

Porta *Aurea*.] Græci *ὡραίαν* ab ipsius & proximorum ædificiorum pulchritudine vocant; unde patet falli eos, qui Neoriam à vicino navali appellare maluerunt, ita etiam Cedrenus, Zonaras in *Leone Isauro*, & alii. Niceta in *Alexio Duca*, Marzulfo, *& de gestis post expugnatam urbem*, Nicephorus Gregoras *de ingressu Michaelis Paleologi in urbem*, appellant, eam puto, quam idem Zonaras in *Leone Philosopho* Occidentalem aurei triclinii portam appellat, & inde aurea est dicta. In ea elephanti erant collocati, quos illis ferebant similes fuisse, quibus insidens Theodosius olim urbem ingressus est: Cedrenus. Hos Theodosium parvum eò ex æde Martis Atheniensis deportasse tradunt. Hæc porta mari opposita ad Occidentem, ad mediterranea, ad arcis finem transmittebat. Nicephor. lib. I. cap. XXV. Et mediterranea respiciebat, à qua ad littus maris directa linea mensura erat pedum XIV. M. LXXV. quæ erat urbis longitudo. Erant plus minus tribus millibus passuum.

PORTICVS *Troadenses.*] credo à Troadensibus Constantinopoli morantibus ædificatas; aut illa pars urbis ita vocabatur; quòd merces Troadensium eò importabantur, quemadmodum suprà dictum est de horreis Troad.

COLVMNA *itidem intra se gradibus pervia.*] Hanc supra erat statua Theodosii, quam in aurea porta sitam fuisse, & Leone Isauro imperante concidisse auctor est Zonaras. Hanc columnam Gyllius opinatur Arcadii fuisse, lib. IV. *Topogr. Constant.* cap. VII. & XXI. lapidibus, scapum cum spira & capitulo constituisse narrat; ubi pugnas Theodosii sculptas contineri asserit.

REGIO XIII.

SICÆNA.] Peninsula sinu maris angusti divisa. Hæc hodie Galata seu Pera vocatur peninsula angusto freto ab urbe divisa. Stephanus *de Urbibus*: *Sycæ*, inquit, *est civitas è regione novæ Romæ, nunc Justiniana dicta*, sed intra novos urbis muros seu Sycas Justinianus collocar, *Novell.* 59. *cap.* 5. ut ejus pars esse meruerit. Sicæna à laudatissimorum ficuum proventu Græcis est nuncupata, Dionysius Bysantius, Cedrenus. A Francis (ita Latinos vocant) nunc inhabitata. A Breno Gallorum Duce, quos Græci Galatas vocant, eò profectò Galatam nuncupatam Gyllius opinatur lib. IV. *Topogr. Constant.* c. XI. item Peram, id est, trajectum vel Peræam dictam, quemadmodum Josephus Judæam Transjordanam, & Strabo Transeufratensem appellat: Sicam seu Sycarum trajectum Anastasius vocat in constitutione, qua mortuos gratis sepeliri mandat: *leg.* 18. *magna, Cod. de sacrosanct. eccles.* colle à Septentrione ad Meridiem intersecatur, quem utrinque valles longitudinis unius milliarii claudunt. Ejus muri circuitus est quattuor millium & CCCC. passuum; ibi coparium suburbium statuere Justinianus videtur, *Novell.* 159. *§. volo igitur.* Socrates lib. *Eccl. Hist.* XI. cap. XXX. *Locus*, inquit, *è regione urbis jacet, Sicæque dicitur*, ac regio XIII. est urbis Constantinopolis, quo Novatianorum ecclesia Constantino imperante est translata SOCIETATEM URBIS navigiis frequentibus promeruit, ait descriptio: Multa enim ibi navicularum millia, & longè plures quam sint Venetiis cymbæ, quæ ultro citroque homines transmittunt, esse dicuntur, unde peninsula pars civitatis esse potuit: Montibus magna ex parte circundata, æqualem ad aliud littus planiciem habet, Ecclesiam, Forum, Theatrumque, Honoriana, & alia ceterarum regionum ornamenta continet, ibi Pertinax Jurisconsularis Patriarcha egregium pacis templum extruxit, ac locum nobilibus ædificiis ornatum Constantinus mœnibus munivit, ait Cæsar Baronius in *Ann.* ad an. CCCXIV. in fine.

NAVALIA.] etiam hic naves fabricabantur.

Hic desunt vici duo: qui huic peninsulæ sufficiebant in longum porrectæ, & complent numerum vicorum, qui infrà in epilogo recensentur, omnes CCCXXII. & his ademptis essent CCCXX.

REGIO XIV.

DECIMA quarta regio propriis undique clausa mœnibus, alterius civitatis speciem exhibet, quia, ut puto, ibi habitans Imperator sibi arcem quandam condere voluit, & ipsa montuosa ad mare descendens in planiciem quandam desinit; continet ecclesiam, sed quæ hæc sit, non exprimitur.

PALATIVM.] ita appellatur Principis habitatio, quia Augustus in Palatino monte habitabat, inde ejus domus palatium est vocata, & ita etiam Romuli domus appellabatur. Quare, inquit Dion in *Augusto*, etiamsi alibi degat Imp. locus, ubi habitat, semper palatium nominatur.

LVSORIVM.] fortè idem quod ludus venatorius, in quo cum feris pugnaturi se exercebant, cujus Jura meminerunt, *l. aut damnum* §. *quicunque de pœnis.* Fortè rectius è navibus lusoriis dictis, quæ ibi fabricabantur, hic locus nomen habuit. De quibus Marcellinus lib. XVI. & in Cod. Theod. lib. 7. est titulus 17. *de lusoriis Danubii.*

PONTEM SVBLICIVM, *sive ligneum.*] Suidas scribit apud D. Mamantem pontem fuisse XII. fornicibus con-

A stantem, eò enim multæ confluebant aquæ. Is fortè antè sublicius postea lapideus est factus.

In fine hujus regionis post gradus V. addidimus sequentia, quæ desunt, & ex collatione aliarum regionum sunt restituta. CVRATOREM unum. Vernaculum unum. Collegiatos XXXVII. Vicomagistros V. Collegiati infra in Collectione sunt DLX. quibus hic desunt XXXVII. sed Theodosius Junior tres addidit, & eos LXIII. statuit, *l. pen. de commer. & mercat.*

COLLECTIO CIVITATIS.

HABET *Palatia* V.] Romæ pro his domos MCLXXX.

ECCLESIAS XIV.] Roma ædes CCCCXXIV.

B DOMOS *Divinas Augustarum* VI. *Domos nobilissimas* III.] Divinæ vocantur domus illarum, quibus Augustarum titulus dabatur, & ignem procedentes præmittebant, ut apparet ex Herodiano, & alia Imperatoris habebant insignia. Erant autem hæ domus V. non VI. ut errore librarii est scriptum, scilicet binæ Placidiæ, & Pulcheriæ, & unæ Eudociæ uxoris Theodosii. Aliæ verò domus nobilissimæ erant III. Marinæ unæ, duæ Arcadiæ nobilissimæ nuncupatæ, quia fœminarum erant, quæ nobilissimæ titulum obtinuerant.

THERMAS VIII.] Romæ erant XI. VICTOR scribit XVI.

BASILICAS II.] Romæ X. VICTOR XIX.

C FORA IV.] Romæ XI. VICTOR XVII.

SENATVS II.] Romæ tria erant loca, in quibus Senatus habebatur, ut auctor est P. Victor, unum ponit inter Capitolium & forum, ubi erat ædes Concordiæ. Alterum ad Portam Capenam. Tertium ædem Bellonæ in Circo Flaminio, ubi dabatur Senatus Legatis exterarum nationum, quos in urbem admittere nolebant.

HORREA V.] Romæ CCXCII.

THEATRA II.] Romæ III.

LVSORIA II.] Romæ ludi IV. apud P. VICTOREM VI.

PORTVS IV.] Romæ I.

D CIRCVM I.] Romæ II. penes P. VICTOREM VIII.

CISTERNAS IV.] Romæ non sunt.

NYMPHAEA IV.] Romæ XV.

VICOS CCCXXII.] Romæ CCCCXXIV.

DOMOS IV. *millia* CCCLXXXVIII.] Romæ Insulæ XLVI. millia DCII. Domus MDCCLXXX. Domus erant majores & testudinatæ, à quatuor partibus pluentes. Insulæ fastigiatæ à duobus lateribus pluentes. Unde intelligit hic ædificia magnifica, non alias ædes, quæ numero quatuor millia CCCLXXXVIII. tantæ urbi paucæ fuissent, plures enim mediocres habent civitates.

PORTICVS LII.] Romæ XI.

E BALNEAS privatas CLIII.] Romæ DCCCLVI.

PISTRINA Publica XX. Privata CXX.] Romæ omnia CCLIV.

GRADVS CXVII.] Romæ non inveniuntur.

MACELLOS V.] Romæ Macella II.

CVRATORES XIII.] legendum XIV.

Licet regio ultima suprà per errorem millium haberet curatorem, nec vernaculum, nec collegiatum, nec vicomagistros, constat tamen ex breviario his apposito eos per incuriam omissos. Romæ erant Curatores XXIV.

COLLEGIATOS DLX.] Theodosius *l. pen. C. de commer.* ponit. DLXIII. tres amplius addens. Ex hoc numero apparet regioni XIV. XXXVII. deesse. Hi Romæ

F non erant, sed loco eorum vigiles in VII. cohortes divisi, *L.* 3. *ff. de off. præf. vigil.* Dion. Tranquill.

VICOMAGISTROS LXV.] legendum LX. Quini erant in quaque regione, unde V. desiderantur: Romæ erant DCLXXII.

COLVMNAM *purpuream.*] Romæ non extat, quia inde Constantinop. deducta, ut auctor est Cedrenus. Hanc Petrus Gyllius ex lapidibus quadratis factam in hippodromo esse scribit.

COLVMNAS *intra pervias* II.] Totidem Romæ COLVMNÆ cochlides.

Co-

COLOSSVM II.] Romæ II. per errorem, ut & alia, omissus est in regionibus.

TETRAPYLVM *aureum* I.] Petrus Gyllius in *Topogr. Const.* lib. III. cap. VI. ignotum scriptorem citat, qui vult hunc fuisse aream quadrilaterem undique porticibus circundatam quattuor portus habentem, prius quadrivium nominatum; Latini hoc stadium vocant: sed hoc in Regionibus Urbis non invenitur, nisi sit stadium in IV. regione situm, quod in hoc epilogo omittitur. Tetrapyli in *Leone Magno* meminit Cedrenus. Evagrius lib. II. cap. XXVIII. à Mammiano Senatore, Zenone imperante, extructum refert: *In urbe*, inquit, *duas regales porticus cùm ob eximiam ædificationem valde magnificas, tùm ob lapidum concinnitatem & splendorem in primis ornatas ædificavit. Et exitque Tetrapylon velut intestinum inter illas duas porticus interjectum columnis, & ænea materia pereleganter & exquisitè elaboratas.* Quod ad Tetrapylon à Mammiano ædificatum attinet, ne vestigium quidem illius reliquum vidimus, inquit Gyllius. P. Victor in X. regione Romæ ponit pentapylon.

AVGVSTEVM.] Forum ita dictum Constantinopoli.

CAPITOLIVM.] ut Romæ, ubi VICTOR II. ponit vetus & novum.

MONETA.] Romæ erat, sed non ponitur pro loco insigni.

SCALAS *maritimas* III.] Romæ non erant, sed pro his alia, quæ hic desunt, ut Naumachia, Arcus, Lacus, & similia.

Habet longitudo urbis à porta aurea usque ad littus maris directa linea pedum XIV. millia LXXV. sunt plus minus quatuor milliariis, statuendo quinque pedes in passum.

Latitudo pedum VI. millia CL. id est, unius, & plus minus quartæ partis milliarii. Circumibat circiter decem milliaria cum dimidio. Fertur portas XXIII. habuisse. Laonicus Chalcondylus in *Othomannorum historia*, Constantinop. CXI. stadia complecti scribit, essent plus XIII. milliaribus Italicis; vulgò fertur XVIII. mill. circumire.

Præter prædicta celebratur in Jure Aquæductus Hadriani, qui palatio Principis, & Nymphæis, balneisque urbis deserviebat, quemadmodum Theodosius minor Cyro P. P. aut P. V. scribit, *l. omnes*, C. *de aquæduct.*

THERMÆ ACHILLIS ab eodem citantur, in quas ex memorato aquæductu aquæ per plumbeas fistulas derivabantur, dict. *l. omnes*. Has Thermas propè Strategium fuisse Cedrenus scribit, ab ara Ajaci & Achilli ibi dedicata nuncupatas. Cassiodorus incendium Constantino imperante ortum ad Thermas, quæ vocantur Achillex, pervenisse memorat *Trip.* lib. X. c. XII.

Suburbia Constant. quorum Jura meminerunt.

HEBDOMVM suburbium Constantinopolis fuisse auctor est Procopius lib. I. *de ædificiis Justiniani* in I. orat. *Alterum*, inquit, *templum ædificavit D. Theodora in suburbio, quod Hebdomon*, id est, *Septimum vocatur.* idem Zonaras in *Phoca*. Cedrenus in *Arcadio* & *Justino*, & plures alii. Ibi plura Jura condita fuerunt, in quibus perperam legitur *septies* pro septimi, l. penultim. Cod. *de sacrosanct. eccles.* l. XIX. Cod. *de jur. deliber.* l. XXX. Cod. *de fideicom.* l. XXXIV. Cod. *de donat.* De quo in *Commentariis ad Notitiam.* Ibi ædem D. Jo. Baptistæ Theodosium Magnum ædificasse Zonaras scribit. Gyllius nunc intra urbem esse vult in VI. colle, & à numero suburbiorum Septimum vocatum.

BLACHERNÆ. recitat Justinianus *Novell.* CLIX. §. I. testamento Hierii suburbium in Blachernis Anthemio filio relictum fuisse. Auctor est Zonaras Pulcheriam sororem Theodosii minoris ibi ædem beatæ Virginis ædificasse, quam Justininianus auctore Procopio instauravit. Cedrenus scribit Justinum nepotem Justiniani illi duos arcus addidisse: Anastasius Imperator triclinium magnum ibidem fecit, ut auctor est Suidas, & Tiberius balneum, Zonaras. Blachernarum nomen à quodam eo in loco regnante inditum fuisse ex Dionysio Bysantio Gyllius autumat. Jacebat ad littus maris, ubi etiam Leo Magnus Deiparæ templum extruxit: Nicephor. lib. XV. cap. XXV. *histor. Eccl.*

STVDII Monasterium aliud Constantinopolis suburbium fuit, in quo majorem lectum ad sepeliendos mortuos servatum fuisse Justinianus refert, *Nov.* LIX. c. VI. Hujus originem ita Nicephorus recitat lib. XV. *Eccl. histor.* cap. XXIII. *Studius vir quidam præclarus Roma Constantinopolim pervenit, ubi Divo Præcursori templum erexit, in quod ex domicilio eorum, qui ἀκοίμητοι, id est, insomnes dicuntur, monachos induxit. Horum domicilium Marcellus divinissimus construxerat, in quo perpetuis carminibus hymni Deo canerentur. Sodalitate monachorum eam ob rem inclarescentibus divisa. Propter hoc Cos. factus est Studius, ut hoc fronti Cœnobii inscriptum carmen significat, quod Latinè ita versum est:*

Magnificam postquam construxit Studius ædem,
Consulis accepit mercedis nomine honorem.

Id Leone Magno imperante contigit.

COPARIA aliud erat Constantinopolis suburbium, quod ab Hierio codicillis nepti relictum fuisse Justinianus narrat, *d. Novel.* CLIX. §. I.

SVBVRBIVM in promontorio sinus SOSTHENII, hoc ultra mare in Asia fuerat Arbadurii Magistri militum Theodosii minoris, posteà venit in prædictum Hierium, qui Præf. Præto. Zenonis fuerat, *l. scriniarios* C. *de milit. test.* Nominis Sosthenii causam hanc Nicephorus tradit, lib. *Eccles. Hist.* VII. cap. L. *Memoria*, inquit, *proditum est Argonautas Græcorum, cùm ad eum locum pervenissent prædari eam regionem cœpisse, & ab Amyco, qui ibi tum rerum potiebatur, in fugam versos, ac palantes in quendam nemorosum & incultum locum propter densitatem arborum profugisse, ibique eis latitantibus virtutem cultus advenisse, viri specie, alas veluti aquilæ in humeris habentem, victoriamque adversus Amycum oraculo denunciasse. Illos porrò id sequutos, cum illo conflixisse, victoriam reportasse, & ipsum una cum copiis suis concidisse. Atque ut gratiam visioni ei referrent, fanum eos, & statuam, ea quæ eis apparuerat forma in loco eo excitasse, nomenque regioni Sosthenium indidisse, quòd scilicet robore accepto salvi evasissent.*

BYTHARIVM seu PHILOTHEI suburbium nuncupatum, *Novel.* CLIX. §. I.

SVBVRBIVM in VENETIS *d. Novell.* in quibus idem Hierius prædia possidebat, *d. Novell.* VENETAM PORTAM Procopius lib. I. *de bello Persico*, nominat: *Postquam*, inquit, *ad* VENETAM *portam constitit, quæ dextrorsus imperatorio throno est, in Hypalium ire constituit*, *à suburbio in Venetis dicto vocata videtur*; forte Venetæ factionis homines ibi degebant.

PONTICHTVM in trajectu & RVFINIANVM suburbia, in quibus Bellisarium prædia possedisse Procopius lib. I. *de bello Persico*, memorat, & Sozomenus l. VIII. c. XVI. meminit, & alia suburbia prætermittuntur, quia de his tantum, quorum Jura meminerunt, agere voluimus.

De ædificiis præsentibus Constantinopolis.

TOtam urbem Constantin. hodie deformatam esse Gyllius scribit, in *Topogr. Constantin.* ibi ædibus depressis fabricatis, nihil pristini splendoris retinuit: Exceptis paucis purpuratorum domibus, templis, thermis & Xenodochiis, quæ magnificè extructa visuntur, & sunt sequentia.

Templa marmorea omnia plumbo tecta, & columnis splendentibusque marmoribus exornata ultra CCC.

Thermæ publicæ, quarum L. magnæ & geminæ, alteræ pro viris, alteræ pro mulieribus ultra C.

Xenodochia publica, quorum illustria aquas in media atrii area salientes habent, ex agris suburbanis ductas ultra C.

DE NOTITIÆ INSCRIPTIONE
AC DE IMPERII, EJUSQUE DIGNITATUM DIVISIONE.



A Ibri inscriptio est Notitia dignitatvm omnivm tam Civilivm qvam Militarivm in partibvs Orientis et Occidentis. *Notitia* verbum summariam cognitionem Magistratuum, ac Palatinorum significat: in quo sensu hæc vox à posterioribus legum latoribus accipitur. Constantinus enim Notitiam artificum pro eorum indice ponit, *l. 1. C. de excus. artif.* Theodosius *in l. ult. C. de indictio.* pro brevi scriptura,
B quæ continet quantum quæque provincia ex indicto auro solvere debeat. Leo *in l. fin. §. & est notitia. C. de divers. offic.* pro catalogo officiorum, quæ in scriniis memoriæ epistolarum & libellorum scribenda, & à Principe probanda erant. Justinianus pro albo, vel, ut alibi nuncupatur, matricula scholarium accipit, *in l. ult. C. de offic. mag. offic.* quam aliquando notitia, *l. 1. §. in officiis verò l. 2. §. ad hæc jubemus. C. de off. P. P. Afr.* quandoque catalogum appellat, *§. ult. Nov. 28.* hæc enim ut synonyma profert græcè *γνῶσις*, *post Novel.* 8. alio nomine Brevis vocatur, *l. ult. C. de conve. fisc. debito. l. scriniis. C. de palat. sacr. larg.* & ideo Tranquil-
C lus in *Augusto* c. xxv. in fin. nostram Notitiam *breviarium*, in *Augusto* c. ult. vel *rationarium* in cod. *August.* c. xxviii. Imperii nominat. Dignitatvm verò non magistratuum dixit, quia non tantum jus dicentes, sed & aliis honoribus præditos continet, ut primicerios sacri cubiculi, notariorum, castrensem palatii, & scriniorum magistros, qui jurisdictione carent, & spectabilium dignitate honestantur.

Separantur autem Orientis & Occidentis dignitates, quia hoc tempore duo in bis partibus singuli Principes imperabant. Hæc divisio à Probo & Floriano, Zonaras in *Probo*, mox Maximino, & Constante, Constantino atque Galerio originem habuit, qui primi Romani Imperii provincias sunt partiti: anteà enim etsi M. Antoninus cum fratre Vero, & Severus cum Antonino filio simul imperaverint, nullam tamen orbis divisionem fecerunt. Constantini quoque Magni filii & ipsi Romanum orbem in tres partes diviserunt. Sed brevi rebus in solum Constantium translatis, totum in unum coaluit Imperium. Postea Valentinianus cum fratre Valente Oriente Occidenteque diviso, hunc sibi retinuit, illi socio Imperii facto Orientem concessit, & militum etiam copias cum eo est partitus, ut Marcellinus lib. xvi. scribit. Sed hic cum liberis extinctis, post paucos annos ad solum Theodosium universum rediit Imperium, qui & ipse rursus filiis Arcadio Orientem, & Honorio Occidentem reliquit. Itaque Ægypto, & utraque Libya usque ad Syrtes majores, & Europa usque ad Drilonem fluvium Arcadio traditis, ibi utriusque Imperii fines fecerunt. Reliqua in Occidente cum Africa, Hispaniis, & Britannia Honorius obtinuit: cuncta tamen communi nomine velut unum esset Imperium administrabant. Continuata est hæc divisio usque ad Valentinianum III. & Martianum, sub quibus Barbari Britanniis, Hispaniisque prius occupatis, demum Gallias, ac tandem Italiam cum Illyrico & Africa tenuerunt; Occidentisque extinctum est Imperium, solum Orientis, etsi multis agitatum fluctibus, aliquot seculis incolume permansit. Hujus tanquam eo tempore dignioris & integrioris dignitates Occidentalibus præmittuntur. Itaque totius Imperii Romani typum præmittemus: postea Imperii Orientalis typum specialem subjiciemus, novæ veterisque Romæ situm & descriptionem addemus.

Orientalis Imperii typus.



DESCRIPTIO URBIS CONSTANTINOPOLITANÆ.

Regio I.

REGIO prima continet in se domum Placidiæ Augustæ, Domum nobilissimæ Marinæ, Thermas Archadianas, Vicos sive Angiportus viginti novem, Domos centum decem & octo, Porticus perpetuas duas, Balneas privatas quindecim, Pistrina publica quatuor, Pistrina privata quindecim, Gradus quatuor, Curatorem unum, qui totius regionis sollicitudinem gerat, Vernaculum unum, velut servum in omnibus & internuncium regionis, B Collegiatos viginti quinque, qui è diversis corporibus ordinati, incendiorum solent casibus subvenire, Vicomagistros quinque, quibus per noctem tuendæ urbis cura mandata est.

Regio II.

Regio secunda, ab initio Theatri minoris per æqualitatem sui latenter molli sublevata clivo, mox ad mare præcipitiis abrupta descendit. Continet in se Ecclesiam magnam, Ecclesiam antiquam, Senatus Tribunal purpureis gradibus extructum, Thermas Zeuxippi, Theatrum, Amphitheatrum, Vicos sive Angiportus triginta quatuor, Domos nonaginta C & octo, Porticus magnas quatuor, Balneas privatas tredecim, Pistrina privata quatuor, Gradus quatuor, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos xxxv. Vicomagistros v.

Regio III.

Regio tertia, plana quidem in superiore parte, utpote in ea Circi spatio largius explicato, sed ab ejus extrema parte nimis prono clivo, mare usque descendit, continet in se eundem Circum maximum, Domum Pulcheriæ Augustæ, Portum novum, Porticum semirotundum, quæ ex similitudine fabricæ *Sigma* Græco vocabulo nuncupatur, Tribunal fori D Constantini, Vicos septem, Domos nonaginta quatuor, Porticus magnas quinque, Balneas privatas undecim, Pistrina privata novem, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos xxi. Vicomagistros v.

Regio IIII.

Regio quarta, à Milliario aureo collibus dextra lævaque surgentibus, ad planitiem usque valle ducente perducitur, continet in se idem Milliarium aureum Augusteum Basilicam, Nymphæum, Porticum Fanionis, Liburnam marmoream, naturalis victoriæ monimentum, Ecclesiam sive martyrium sancti Menæ, E Stadium, Scalam, Timasii, Vicos xxxii. Domus trecentas septuaginta quinque, Porticus magnas quatuor, Balneas privatas septem, Pistrina privata quinque, Gradus septem, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos xl. Vicomagistros quinque.

Regio V.

Regionis quintæ non modica pars, in obliquioribus posita locis, planitie excipiente producitur, in qua necessaria civitatis ædificia continentur, continet in se Thermas Honorianas, Cisternam Theodosianam, Prytaneum, Thermas Eudocianas, Stratelgium, F in quo est Forum Theodosianum, & obeliscus Thebæus quadra, Horrea olearia, Nymphæum, Horrea Troadensia, Horrea Valentiniana, Horrea Constantiaca, Portum habet prosforianum, Scalam Chalcedonensem, Vicos viginti tres, Domos centum octoginta quatuor, Porticus magnas vii. A Balneas privatas undecim, Pistrina publica septem, Pistrina privata duo, Gradus novem, Macellos duos, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos quadraginta, Vicomagistros quinque.

Regio VI.

Regio sexta, brevi peracta planitie, reliqua in devexo consistit, à foro namque Constantini, Scalam usque sive trajectum Sycænum, porrigitur spaciis suis, continet in se, Columnam purpuream Constantini, Senatum ejusdem loci, Neorium portum, Scalam Sycænam, Vicos viginti duos, Domos quadringentas octoginta quatuor, Porticum magnam unam, Balneas privatas novem, Pistrinum publicum unum, Pistrina privata decem & septem, Gradus decem & septem, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos quadraginta novem, Vicomagistros quinque.

Regio VII.

Regio septima in comparationem superioris planior, quamvis & ipsa circa lateris sui extremitatem habeatur in mare declivior. Hæc à parte dextera Columnæ Constantini usque ad Forum Theodosii, continuis extensa porticibus, & de latere alhis quoque pari ratione porrectis, usque ad mare velut se ipsam inclinat, & ita deducitur. Habet autem in se Ecclesias tres, hoc est, Irenen, Anastasiam, & Sancti Pauli, Columnam Theodosii, intrinsecus usque ad summitatem gradibus perviam, Equites magnos duos, Partem ejusdem fori, Thermas Carosianas, Vicos octoginta quinque, Domus septingentas undecim, Porticus magnas sex, Balneas privatas xi. Pistrina privata xii. Gradus sexdecim, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos octoginta, Vicomagistros quinque.

Regio VIII.

Regio octava, ex parte Tauri, nulla maris una civitate conterminata, angustior magis quàm lata, spatia sua in longitudinem producta compensat. Continet in se partem Fori Constantini, Porticum sinistram Taurum usque, Basilicam Theodosianam, Capitolium, Vicos xxii. Domos centum octo, Porticus majores quinque, Balneas privatas decem, Pistrina privata quinque, Gradus v. Macellos duos, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos xvii. Vicomagistros quinque.

Regio IX.

Regio nona, prona omnis, & in totum deflexa, extensi maris littoribus terminatur. Continet in se Ecclesias duas, Cœnopolim, & Omonœam, Horrea Alexandrina, Domum nobilissimæ Arcadiæ, Thermas Anastasianas, Horreum Theodosianum, Vicos xvi. Domos centum sexdecim, Porticus majores duas, Balneas privatas xv. Pistrina privata xv. Pistrina publica iiii. Gradus iiii. Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos xxxviii. Vicomagistros vi.

Regio X.

Regio decima, in aliud civitatis latus à nona regione platea velut magna fluvio interveniente dividitur. Et verò tractu planior, nec usquam præter maritima loca inæqualis, longitudini ejus latitudine non cedente. Continet in se Ecclesiam sive Martyrium Sancti Acatii, Thermas Constantinianas, Domum

Domum Augustæ Placidiæ, Domum Augustæ Eudociæ, Domum nobilissimæ Arcadiæ, Nymphæum majus, Vicos viginti, Domus sexcentas xxxvi. Porticus majores sex, Balneas privatas, Pistrina publica duo, Pistrina privata sexdecim, Gradus xii. Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos nonaginta, Vicomagistros quinque.

Regio XI.

Regio undecima, spacio diffusa liberior, nulla parte mari sociata est. Verum ejus extensio, tam plana, quàm etiam collibus inæqualis. Continet in se Martyrium Apostolorum, Palatium Faccilianum, Domum Augustæ Pulcheriæ, Bovem æreum, Cisternam Arcadiacam, Cisternam Modestiacam, Vicos viii. Domos quingentas tres. Porticus majores quatuor, Balneas privatas quatuordecim, Pistrinum publicum unum, Pistrina privata tria, Gradus septem; Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos triginta septem, Vicomagistros quinque.

Regio XII.

Regio duodecima Portam à civitate petentibus in longum plana omnis consistit, sed latere sinistro mollioribus clivis deducta maris confinio terminatur, quàm mœnium sublimior decorat ornatus. Continet in se portam auream, Porticus Troadenses, Forum Theodosianum, Columnam itidem intra se gradibus perviam, Monetam, Portam Theodosianam, Vicos undecim, Domos trecentas sexaginta tres, Porticus majores tres, Balneas privatas quinque, Pistrina privata quinque, Gradus ix. Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos decem & septem, Vicomagistros quinque.

Regio XIII.

Tertia decima regio, Sycæna est, quæ sinu maris angusto divisa, societatem urbis navigiis frequentibus promeretur, tota lateri montis affixa, præter unius plateæ tractum, quam subjacentium eidem monti littorum tantum præstat æqualitas. Continet in se Ecclesiam, Thermas Honorianas, Forum Honorianum, Theatrum, Navalia, Domos quadringentas xxxi. Porticum majorem unam, Balneas privatas quinque, Pistrinum publicum unum, Pistrina privata iiii. Gradus octo, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos xxxiiii. Vicomagistros quinque.

Regio XIIII.

Regio sanè licet in urbis quartadecima numeretur parte, tamen quia spacio interjecto divisum est muro proprio vallatum, alterius quodammodo speciem civitatis ostendit: est verò progressus à porta modicum situ planum, dextero autem latere in clivum surgente usque ad medium ferè plateæ spacium, nimis pronum: unde mare usque mediocris, hæcque civitatis continet partem. Explicatur æqualitas. Continet in se Ecclesiam, Palatium, Nymphæum, Thermas, Theatrum lusorium, Pontem sublicium sive ligneum, Vicos xi. Domos centum sexaginta septem, Porticus majores duas, Balneas privatas v. Pistrinum privatum unum, Gradus quinque.

Collectio civitatis.

Cognita urbe per partes, fas est etiam situm conclusæ jam universitatis aperire, ut magnificentiæ unicum decus non solum videatur opere & manu confectum, sed etiam conspirantibus elementis, naturæ felicitate munitum. Providentia ergo divina tot futurorum hominum domiciliis consulente longo tractu, in promontorii qualitatem spaciosior terra faucibus Pontici maris opposita, sinuosis portuosa lateribus, angustior latitudine, circumflui maris tutela vallatur. Hoc quoque spacium, quod solum apertum maris circulus derelinquit, dublici muro acies turrium extensa custodit: intra quas septa civitas continet in se omnia sigillatim memorata; quæ nunc ad firmioris memoriæ qualitatem summatim collecta referemus. Habet ergo urbs Constantinopolitana, Palatia quinque, Ecclesias quatuordecim, Domos divinas Augustarum vi. Domos nobilissimas iii. Thermas viii. Basilicas duas, Fora quatuor, Senatus ii. Horrea v. Theatra ii. Lusoria ii. Portus iii. Circum i. Cisternas iii. Nymphæa iiii. Vicos trecentos xxii. Domus iiii. millia trecentas octoginta octo. Porticus quinquaginta duas, Balneas privatas centum quinquaginta tres, Pistrina publica xx. Pistrina privata centum xx. Gradus centum decem & septem, Macellos v. Curatores xiii. Vernaculos xiiii. Collegiatos quingentos sexaginta, Vicomagistros sexaginta quinque, Columnam purpuream. Columnas intra se per vias duas, Colossum unum, Tetrapylum aureum unum, Augusteum, Capitolium, Monetam, Scalas maritimas tres. Habet sanè longitudo urbis, à porta aurea usque ad littus maris directa linea, pedum quatuordecim millia septuaginta quinque. Latitudo autem, pedum sex millia, centum quinquaginta.

DE PRAEFECTO VRBIS CONSTANTINOPOLITANAE

vide infrà cap. xxv.

DE PRAEFECTO
ILLYRICI ORIENTALIS.

Præfectus Prætorio Illyrici Orientalis.

Illyrici Orientalis diœceſes duæ, Macedonia & Dacia, quæ erant ſub diſpoſitione illuſtris Præfecti Prætorio per Illyricum.

- Macedoniæ erant Provinciæ ſex.
  - Achaja habebat Proconſulem.
  - Macedonia habebat Conſularem.
  - Theſſalia habebat Præſidem.
  - Creta habebat Conſularem.
  - Epirus vetus habebat Præſidem.
  - Epirus nova & pars Macedoniæ Salutaris habebat Præſidem.
- Daciæ Provinciæ quinque.
  - Dacia mediterranea habebat Conſularem.
  - Dacia ripenſis habebat Præſidem & ducem limitaneum.
  - Mœſia prima & ſecunda, habebat Præſidem.
  - Dardania habebat Præſidem.
  - Prævalitana & pars Macedoniæ habebat Præſidem.

De Præfecto Prætorio per Orientem.

Orientis diœceſes quinque.

- Orientis xv. provinciæ
  - Palæſtina, Phœnice.
  - Syria, Cilicia.
  - Cyprus, Arabia, Iſauria.
  - Palæſtina ſalutaris, Palæſtina ſecunda.
  - Phœnice Libani, Euphratenſis, Syria ſalutaris.
  - Oſrhoena, Meſopotamia, Cilicia ſecunda.
- Ægypti VI.
  - Libya ſuperior, Libya inferior.
  - Thebais, Ægyptus.
  - Arcadia, Auguſtanica.
- Aſianæ X.
  - Pamphylia, Helleſpontus.
  - Lydia, Piſidia.
  - Lycaonia, Phrygia Pacatiana.
  - Phrygia ſalutaris.
  - Lycia, Caria, Inſulæ.
- Ponticæ XI.
  - Galatia, Bithynia, Honorias.
  - Cappadocia prima, Cappadocia ſecunda, Paphlagonia.
  - Pontus, Polemoniacus, Hellenopontus. Armenia prima.
  - Armenia II. Galatia ſalutaris.
- Thraciæ VI.
  - Europa, Thracia.
  - Hæmimontis Rhodope.
  - Mœſia ſecunda, Scythia. Officium viri Illuſtris.

NOTITIA DIGNITATUM
OMNIUM TAM CIVILIUM QUAM MILITARIUM IN PARTIBUS ORIENTIS ET OCCIDENTIS.

PRÆFECTUS Prætorio Orientis.
Præfectus Prætorio Illyrici.
Præfectus urbis Conſtantinopolitanæ.
Magiſtri Equitum, & peditum in præſenti II. Alii III. Equitum, & peditum per Orientem. Equitum, & peditum per Thracias. Equitum, & peditum per Illyricum.
Præpoſitus ſacri cubiculi.
Magiſter Officiorum.
Quæſtor.
Comes Sacrarum largitionum.
Comes rerum privatarum.
Comites domeſticorum duo. Equitum, & Peditum.
Primicerius ſacri cubiculi.
Primicerius Notariorum. Caſtrenſis ſacri Palatii.
Magiſtri Scriniorum, Memoriæ, Epiſtolarum, Libellorum Græcorum.
Proconſules duos, Aſiæ, Achaiæ.
Comes Orienris.
Præfectus Auguſtalis.
Vicarii IIII. Aſianæ Diœceſeos, Ponticæ, Thraciarum, Macedoniæ.
Comes rei militaris II. Ægypti, Iſauriæ.
Duces per Ægyptum II. Libyæ, Thebaidos.
Per Orientem VI. Phœnices, Euphratenſis Syriæ, Palæſtinæ, Oſrhoenæ, Meſopotamiæ, Arabiæ.
Per Ponticam unus, Armeniæ.
Per Thracias II. Mœſiæ ſecundæ, Scythiæ.
Per Illyricum II. Daciæ Ripenſis, Mœſiæ primæ.

Conſulares quindecim.

Per Orientem V. Palæſtinæ, Phœnices, Syriæ, Ciliciæ, Cypri.
Per Aſianam III. Pamphyliæ, Helleſponti, Lydiæ.
Per Ponticam II. Galatiæ, Bithyniæ.
per Thracias II. Europæ, Thraciæ.
Per Illyricum III. Cretæ, Macedoniæ, Daciæ, medirerraneæ. Ægyptus autem Conſularem non habet.



I. Goeree del.

Præsides provinciarum quadraginta.

Per Ægyptum quinque, Libyæ superioris, Libyæ inferioris, Thebaïdos, Ægypti, Arcadiæ.

Per Orientem VIII. Palæstinæ salutaris, Palæstinæ secundæ, Phœnices Libani, Euphratensis, Syriæ salutaris, Osrhoenæ, Mesopotamiæ, Ciliciæ secundæ.

Per Asianam VII. Pisidiæ, Lycaoniæ, Phrygiæ Pacatianæ, Phrygiæ salutaris, Lyciæ, Cariæ, Insularum.

Per Ponticam VIII. Honoriados, Cappadociæ primæ, Cappadociæ secundæ, Helenoponti, Ponti Polemoniaci, Armeniæ primæ, Armeniæ secundæ, Galatiæ salutaris.

Per Thracias IIII. Hæmimontis, Rhodopes, Mœsiæ secundæ, Scythiæ.

Per Illyricum VIII. Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, Daciæ Ripensis, Mœsiæ primæ, Prævalitanæ, Dardaniæ, Macedoniæ salutaris.

Correctores II. Augustanicæ, Paphlagoniæ.

CAP. I.

COMMENTARIVM.

PRÆMITTITVR index Imperii Orientalis dignitatum, quæ cum suis insignibus, & officiis, aliquibus exceptis, infra clarius ostendentur. Orientalis enim & urbis Constantinopolitanæ præfecti, primiceriique ac præpositi sacri cubiculi cum Duce Libyæ prætermittuntur, plurium etiam numerorum militum symbola, & aliquorum insignia desunt. Itaque præter mendas, quæ non paucæ reperiuntur, aliquot folia hic desiderari suspicor. Milites verò palatinosque civilibus magistratibus Notitia commiscens, dignitates confundere videtur. Sed hoc non temere, nec sine ratione: cùm enim quinque dignitatum gradus inveniantur, Illustrium, Spectabilium, Clarissimorum, Perfectissimorum, & Egregiorum, Illustrium ordines præmittit, mox Spectabilium sequuntur, prout sunt digniores, & in Laterculo descripti reperiebantur quo ordine hinc sumpto, Justinianus quosque sub suis titulis digestos, in suo Codice disponit: & eadem fermè serie in quadam constitutione singulos Zeno recitat, *in l. ult. scilicet, C. ubi Senat. vel clariss.* ut illos ex hac Notitia hausisse videatur, quæ Egregios, velut infimos, ac omni ditione carentes omittit. In quocunque verò dignitatis gradu tres classes fiunt, una Magistratuum civilium, alia Militarium, tertia Palatinorum. Inter Illustres civiles præcedunt Præfecti, his Magistri militum succedunt, deinde Palatini, nempè officiorum Magister, Quæstor, Præpositus Cubiculi, Comites largitionum, & rerum privatarum. Vltimum Comites domesticorum equitum & peditum locum tenent, & omnes cum suis insignibus repræsentantur, nec alii præter hos, & Senatores seu patricios hoc titulo gaudebant. Spectabilium similes ordinantur Classes: sed in his primi sunt Palatini, videlicet, Castrensis, Primicerii Cubiculi, & Notariorum, qui Laterculo præerant, & Magistri

A scriniorum. His civiles, id est, provinciarum magistratus sunt proximi, nempe Proconsules, Comes Orientis, Præfectus Augustalis, & Vicarii. Postremi Spectabilium sunt Comites, Ducesque rei militaris in limitibus degentes. Vltimus est ordo Clarissimorum, inter quos præcipui erant tres provinciarum civiles magistratus, id est, Consulares, Correctores & Præsides, quorum singulas provincias, sub Spectabilibus quidem magistratibus civilibus, Notitia repræsentat. Ipsorum verò Rectorum insignia aut officia non ostendit, sed ea in Consulari Palæstinæ, & Præside Thebaidis, velut omnium typis in Oriente demonstrantur. Cæteri, inquit Notitia, Consulares & Præsides ad similitudinem Consularis Palæstinæ & Præsidis Thebaidis officium habent; Perfectissimi verò incuriâ, ut puto, librariorum hìc sunt prætermissi.

B

Idem ordo in Occidente observatur, in quo nec P. P. Galliarum, nec Primicerii præpositive sacri cubiculi insignia apparent. Aliquid tamen ibi cernitur, quod in Oriente omissum fuerat. Correctoris enim Apuleiæ & Calabriæ, item Perfectissimi Præsidis Dalmatiæ, velut aliorum Correctorum, & Perfectissimorum exemplar, officia, & insignia repræsentantur, quæ in Orientis Notitia prætermittuntur, ubi Præsidem Arabiæ Perfectis-

C simum fuisse constat. Constantino enim imperante Theodorus Præses Arabiæ vir Perfectissimus appellatur in *l.* 18. *C. de pœnis.* Idem, arbitror, & de Isauriæ Præside, qui tempore hujus Notitiæ ab earum Ducibus & Comitibus Præsidum vices agentibus regebantur. Et ideo hi in catalogo aliorum Præsidum, qui erant Clarissimi, non reperiuntur. Vbique verò observatur, ut semper digniores in quoquo ordine præmittantur, id est, ut non modò Illustres Spectabilibus, & hi Clarissimis, & rursus hi Perfectissimis præferantur, sed & in quaqua horum Classe præstantiores semper præcedunt. Nam inter Illustres prius Præfecti,

D deinde militum Magistri, mox Palatini nominantur. Idemque in Spectabilibus observatur. Senatores verò Patricii Coss. Prætores, & Ædiles omittuntur, nam Patricii administrationem non habebant: Consules præter inane dignitatis nomen nullam ferè auctoritatem retinebant: Prætores tunc temporis, & Ædiles, nulli in provinciis erant, & in urbe modicum jus habentes, inter eos qui imperio utebantur, recensendi non erant, & ideo hic reticentur.

NOTITIA.

E SVB dispositione virorum Illustrium Præfectorum Prætorio per Orientem Diœceses infra scriptæ.

Oriens, Ægyptus, Asiana, Pontica, Thracia.

Provinciæ Orientis XV.

Palæstina, Phœnice, Syria.

Cilicia, Cyprus, Arabia. Et Dux & Comes rei militaris.

F Isauria, Palaestina salutaris, Palaestina secunda,

Phœnice Libani, Euphratensis, Syria salutaris,

Osrhoena, Mesopotamia, Cilicia secunda.

Ægy-

Ægypti VI.

Libya superior, Libya inferior.
Thebais, Ægyptus.
Arcadia, Augustanica.

Asianæ X.

Pamphylia, Hellespontus,
Lydia, Pisidia.
Lycaonia, Phrygia Pacatiana.
Phrygia salutaris.
Lycia, Caria, Insulæ.

Ponticæ XI.

Galatia, Bithynia, Honorias.
Cappadocia prima, Cappadocia secunda, Paphlagonia.
Pontus Polemoniacus, Hellenopontus, Armenia prima.
Armenia secunda, Galatia salutaris.

Thraciæ. VI.

Europa, Thracia.
Hæmimontis Rhodope.
Mœsia secunda, Scythia. Officium viri Illustris Præfecti Prætorio Orientis.
Princeps.
Cornicularius.
Adjutor.
Commentariensis.
Ab actis.
Numerarii.
Subadjuvæ.
Cura Epistolarum.
Regerendarius.
Exceptores.
Adjutores.
Singularii.
Præfect. P. evectiones annuales non habet, sed ipse emittit.

COMMENTARIVM.

Illvstrivm & spectabilium magistratuum præmisso ordine, quo à Notitia sunt repræsentandi Consulares, Præsidiales, Correctoriæque provinciæ sigillatim recitantur; nec enim plures earum hoc tempore reperiebantur differentiæ. Hic verò duorum Præfectorum Prætorio, Orientis & Illyrici diœceses cum cujusque provinciis & præcipuis officiis explicantur; quæ ut facilius intelligantur, ego non servata Illustrium & Spectabilium serie, sed civilibus magistratibus à militaribus & palatinis distinctis, alio ordine ita utriusque Imperii dignitates summatim colligendas esse putavi.

A Erant in Oriente duo Præfecti Prætorio, alter
Orientis, alter Illyrici, quibus LX. provinciarum
magistratus parebant. Præfecto Orientis suberat
Proconsul Asiæ cum II. Præsidibus, Comes Ori-
entis cum XV. Præfectus Augustalis cum XL. Tres
Vicarii, videlicet Asianæ cum VIII. Ponticæ cum
XI. Thraciæ cum VI. Qui cum Asiæ Proconsule
sunt XLIX. provinciarum rectores. Præfectus ve-
rò Prætorio Illyrici Proconsuli Achajæ imperabat,
& duobus Vicariis Macedoniæ, cum VI. provin-
ciis, & Daciæ cum aliis V. Itaque omnes Orientis
computatores Proconsules erant provinciæ LX. Por-
rò hic est animadvertendum, cum inter XV. Ori-
B entis provincias scribitur Dux et Comes Rei
militaris Isauriæ, legendum esse Præses
et Comes Rei Militaris Isauriæ, quem-
admodum infra in eo Comite, & Præside habe-
tur. Nec facile eundem Ducem & Comitem ap-
pellatum reperiemus, sicut nec Ducis nomen Co-
miti præpositum. Ideò autem hic civilibus magi-
stratibus inseritur, quia cum Isauria Præsidis esset
provincia, à Comite tamen rei militaris regeba-
tur, qui idem officin Præsidis fungebatur. Quo-
nism verò inter Comites recensetur ea ratione su-
prà in Indice, inter XV. provinciarum Præsides
non connumeratur.

C In Occidente quoque erant duo Præfecti Præ-
torio, alter Italiæ, alter Galliarum; Ille provin-
ciis XXIX. cum Proconsule imperabat, scilicet
XV. in Italis. VI. in Africa. VI. in Illyrico. Præ-
fecto Galliarum suberant provinciæ XXIX. nempè
Vicarii III. Hispaniarum cum Præsidibus VII.
Galliarumq; seu provinciarum XVII. & Britan-
niarum cum V. Quæ sunt provinciæ Occidentis
LVIII. & juncta aliis Orientis efficiunt CXVIII.
provincias. Rursus in Oriente V. Magistri equi-
tum peditumque reperiebantur II. Præsentales,
alii III. per Orientem, Thracias, & Illyricum,
cum vexillationibus Equitum XLI. Legionibus pe-
D ditum XLI. & auxiliis item peditum LXXI. Præ-
terea duo Comites domesticorum, alter scholæ pe-
ditum, alter equitum, qui Principem semper co-
mitabantur. In limitibus verò erant Comites rei
militaris duo, & Duces XIII. qui plures equitum
peditumque copias ex his, quæ Magistris militum
parebant, & aliàs secum habebant; in Occidente
tres tantùm magistri reperiebantur, duo in præ-
senti, alter peditum, alter equitum, tertius item
Equitum per Gallias cum vexillationibus Equitum
XLII. & auxiliis LXV. Duo quoque ut in Oriente,
Comites protectorum Equitum & peditum. In li-
mitibus Occidentis, Comites VI. & Duces XII. ex-
E cubabant. In palatiis verò utriusque Imperii Comes
officiorum; largitionum, rerum privatarum;
Quæstor, Præfectus sacri cubiculi, Castrensis:
Primicerius notariorum, & scriniorum magistri
morabantur, de quibus suo loco differetur.

Hæ sunt Notitiæ dignitates utriusque Rom. Imperii, quæ ex majore laterculo prodeuntes, illius magnitudinem ac vires patefaciunt, quæ cum in Illustres, Spectabiles, Clarissimos & Perfectissimos digerantur, horum origo altius repetenda ac plenius est explicanda. Sed, ut initio totius Notitiæ apertior facies appareat, universum ejus argumentum in quosdam ramos seu capita summatim distincta antè præfixi.

DE OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIO PER ILLYRICVM

habebis infrà cap. XXIV.

Præ-

Dignitates Orientalis Imperii Romani.

A

- **Illustres.**
  - Præfectus Prætorio Orientis sub quo Provinciæ XLVIII. pag. 10.
  - Præfectus Prætorio Illyrici sub quo Provinciæ XI. pag. 11.
  - Præfectus urbi Constantinopolis.
  - Magistri militum. V.
    - Præsentales II.
    - Per Orientem.
    - Per Thracias.
    - Per Illyricum.
  - Præpositi sacri cubiculi.
  - Magister officiorum.
  - Quæstor.
  - Comes Largitionum.
  - Comes rerum privatarum.
  - Comes domesticorum equitum.
  - Comes domesticorum peditum.

B

- **Spectabiles.**
  - Primicerius Cubiculi.
  - Castrensis Palatii.
  - Primicerius Notariorum.
  - Magistri Scriniorum IIII.
    - Memoriæ.
    - Epistolarum.
    - Libellorum.
    - Epistolarum Græcarum.
  - Proconsules II.
    - Asiæ.
    - Achajæ.

C

  - Comes Orientis.
  - Præfectus Augustalis.
  - Vicarii V.
    - Asianæ.
    - Ponticæ.
    - Thraciæ.
    - Macedoniæ.
    - Daciæ.
  - Comes rei militaris II.
    - Ægypti.
    - Isauriæ.
  - Duces XIII.
    - Per Ægyptum II.
      - Libyæ.
      - Thebaidis.
    - Per Orientem VI.
      - Phœnices.
      - Euphratensis & Syriæ.

D

      - Palæstinæ
      - Osrhoenæ.
      - Mesopotamiæ.
      - Arabiæ.
    - Per Ponticam I.
      - Armeniæ.
    - Per Thracias II.
      - Mœsiæ secundæ.
      - Scythiæ.
    - Per Illyricum II.
      - Daciæ ripensis.
      - Mœsiæ primæ.

E

- **Clarissimi.**
  - Consulares XV.
    - Per Orientem V.
      - Palæstinæ.
      - Phœnices.
      - Syriæ.
      - Ciliciæ.
      - Cypri.
    - Per Asianam III.
      - Pamphyliæ.
      - Hellesponti.
      - Lydiæ.
    - Per Ponticam II.
      - Galatiæ.
      - Bithyniæ.
    - Per Thracias II.
      - Europæ.
      - Thraciæ.
    - Per Illyricum III.
      - Cretæ.
      - Macedoniæ.
      - Daciæ mediterraneæ.

F

  - Correctores II.
    - Augustamicæ.
    - Paphlagoniæ.
  - Præsides XLII.
    - Per Ægyptum V.
      - Libyæ superioris.
      - Libyæ inferioris.
      - Thebaidos.
      - Ægypti.
      - Arcadiæ.
    - Per Orientem VIII.
      - Palæstinæ salutaris.
      - Palæstinæ secundæ.
      - Phœnices Libani.
      - Euphratensis.
      - Syriæ salutaris.
      - Osrhoenæ.
      - Mesopotamiæ.
      - Ciliciæ secundæ.
    - Per Asianam VII.
      - Pisidiæ.
      - Lycaoniæ.
      - Phrygiæ Pacatianæ.
      - Phrygiæ salutaris.
      - Lyciæ.
      - Cariæ.
      - Insularum.
    - Per Ponticam VIII.
      - Honoriados.
      - Cappadociæ primæ.
      - Cappadociæ secundæ.
      - Hellenoponti.
      - Ponti Polemoniaci.
      - Armeniæ primæ.
      - Armeniæ secundæ.
      - Galatiæ salutaris.
    - Per Thracias IIII.
      - Hæmimontis.
      - Rhodopes.
      - Mœsiæ secundæ.
      - Scythiæ.
    - Per Illyricum VIII.
      - Thessaliæ.
      - Epyri veteris.
      - Epyri novæ.
      - Daciæ ripensis.
      - Mœsiæ primæ.
      - Prævalitanæ.
      - Dardaniæ.
      - Macedoniæ salutaris.
- **Perfectissimi.**
  - Præses Arabiæ.
  - Præses Isauriæ.

CAP. II.

DE ILLVSTRIBVS, SPECTABILIBVS, ET CLARISSIMIS.

QVINQVE dignitatum gradus sibi proximè succedentes sub Principibus Rom. inventi fuere, Illustris, Spectabilis, Clarissimi, Perfectissimi, & Egregii, cujus tanquam infimi Notitia non meminit. Hi tempore Romanæ Reipublicæ in usu non fuere, sed postea ad distinguendas sublimiores personas sunt instituti. Clarissimi

nomen primum Senatoribus est attributum, quod jam imperante Tiberio introductum erat. Siquidem Cajus Cassius Longinus, qui eo tempore vixit, *l. 2. §. pen. de origine juris*, claras personas senatoris uxores, aut filias vocat, *l. curator. 5. de curatorib. furio.* Ælius quoque Marcianus, qui sub Pio floruit, *l. 2. de his qui sunt sui vel alien. jur.* Senatores Clarissimos viros dicit, *l. deferre. 18. in prin. de jure fisci.* Marcus Antoninus Salvium Julianum, *l. Divi. 17. de jure patr.* Severus & Antoninus Proconsules & Præsides, eodem nomine appellant, *l. 3. C. ex quib. caus. infam. irrogat. l. 1. C. si ex fals. instrum.* Illustris verò epitheton, quando inventum sit, non constat: id serius institutum esse videtur, quia neque Plinius Plutarchusve, aut alii illius seculi scriptores, hujus tituli meminerunt. Quin Plin. Junior Consules Clariss. Epist. ult. lib. VII. appellat, quos inter primos illustres fuisse constat: *Vereor*, inquit, *clarissimi Consules, ne mihi Massa silentio suo prævaricationem objecerit.* Vnius verò Vlpiani legis verba, *l. ult. de Senat.* de Illustribus tractantis à compilatoribus addita non ejus esse credi potest. Patricios primum Illust. denominatos fuisse Isidorus sentit, lib. IX. *Orig.* cap. IV. Erat hæc summa in Imperio dignitas, quæ à Patriciis ab Augusto inventis originem habuit. Is jam senex, quindecim Senatores singulis mensibus elegit, quorum consilio in expediendis negotiis utebatur; postea viginti annuos à Senatu accepit, & ab eo obtinuit, ut quicquid cum iis, & Tiberio, & Consulibus nepotibusque & aliis ab eo convocandis statuisset, ratum esset, ac si à toto Senatu decretum fuisset, Dion lib. LV. Hi posteà summi Senatores, & Patricii fuere, qui arbitrio Principis electi, soli sententiam in Senatu dicebant, eos Hadrianus eximios ad hoc munus eligebat, Spartian. in *Hadriano*: *Optimos*, inquit, *quosque de Senatu in contubernium Imperatoriæ majestatis adscivit*; quos secum habitare volunt. Itaque in duas classes Senatus dividi cœpit, Illustrium & Clarissimorum; propriè Senatores erant Patricii, qui præcipuus in Imperio gradus habebatur, Dion. lib. LV. Vnde patriciatus dignitas à Suida, & legibus summa vocatur, *l. 3. & ult. C. de consu. §. filiusfa. Instit. quib. mod. jus patr. pot. sol.* Hi publica negocia tractabant, & de criminibus judicabant. Tacitus, lib. IV. *Annals. Jam primum*, ait, *publica negocia, & privatorum maxima, apud patres tractabantur; dabaturque primoribus disserere.* Idem, *Priores Senatus infimas delationes exercebant. Alexander Imp.* inquit Lampridius, *doctissimos, & sapientissimos Jureconsultos non minus quinquaginta in consilio habuit, quorum sententiis S. C. conficiebantur*: & istud consistorium Principis vocabatur, *l. ult. C. de off. diver. jud.* postea consistoriana dignitas est dicta, *l. quicunque. C. de procur.* & ipsi Senatores Patricii Comites consistoriani, quam dignitatem à Constantino inventam Zosimus autumat, lib. v. & lege cautum, ut supra præfectos prætorio sederent, *d. l. ult. C. de Consulib.* A Principe codicillis creabantur, quod non solum Jura, *d. l. ult.* sed & Tacitus lib. II. significant. Loquens enim de Claudio, ait: *Iisdem diebus in numerum patriciorum adscivit Cæsar vetustissimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverat:* Hæc ille. Quod verò Principi in arduis rebus consulerent, & ei vice parentis essent, patricii sunt nuncupati, *l. ult. C. de cons.* Quorum loco hodie Cardinales Romæ successisse videntur, qui & ipsi Summo Pontifici assistentes, magnis in negociis consulunt. Cæteri verò inferiores Senatores Clarissimi sunt vocati, Vlpianus, *l. fœmina 8. de Senatorib. Clarissimarum*, inquit, *fœminarum nomine, Senatorum filias non haberi, nisi Clarissimos viros sortita sunt: nam diu eam clarissima fœmina erit, quamdiu Senatori nupta est, vel clarissimo.* Senatorem hic non patricium intelligit, sed alios inferiores in senatu clarissimos, *l. 2. C. de his qui ven. ætat. impet. l. ult. C. ubi sen. vel clariss.* Vnde clarissimatus dignitas pro senatoria accipitur. Valentinianus A. in *l. 1. C. de equestri dignit. Equites*, ait, *Romanos, secundum gradum post clarissimatus dignitatem obtinere jubemus.* Sed etsi hi duo tituli, initio Senatum distinxerunt, ejusque proprii fuerunt, in alios postea transierunt, ac demum decem magistratuum, seu dignitatum ordines, quanquam non patricii Illustris titulo, sunt honestati, nempe Consules, Præfecti Prætorio, Vrbi, Magistri militum; & officiorum, Quæstores, Præpositus sacri cubiculi, Comites largitionum, & rerum privatarum, & domesticorum, quos eodem ferè ordine Notitia & Jura *d. l. ult. C. ubi senator. vel Clariss. & l. 1. & 2. C. de Præf. Prat. urb.* recensent, ut ex eodem fonte manare agnoscantur. Hi quanquam non Patricii in Illustrium tamen Senatorum numero censebantur. Vlpianus in *l. ult. de Senatoribus*: *Senatores*, inquit, *accipiendos esse eos, qui à Patriciis, & Consulibus, usque ad omnes Illustres viros descendunt, quia hi soli in Senatu sententiam dicere possunt.* Significat incipiendo à Patriciis, qui sunt summi, & Consulibus, descendoque ad Præfectos, & magistros officiorum omnes esse illustres, & Senatores, quæ verba fortè à compilatoribus addita fuere. Eas autem dignitates patriciis minores fuisse Zeno significat in *l. 3. C. de Consulibus.* qui statuit neminem creari posse patricium, qui prius Consul, Præf. Prætorio vel urbis aut magister militum non fuisset. Illustres his notis significantur V. I. aut INL. vir illustris, aut inlustris, ut veteres scribebant.

Cæteri qui à Senatoribus descendebant, aut ob aliam causam Senatum ingrediebantur, omnes erant Clarissimi. Quemadmodum vero Illustris nomen à Patriciis in alios fuit propagatum, ita & de clarissimi titulo evenit, qui cum proprius minorum Senatorum esset, in provinciarum magistratus, & alios transiit, in primisque Consules, mox Proconsules Clarissimi dici cœperunt, ita enim eos Pius Antoninus *in coll. l. Rom.* & Severus appellant. *in l. 3. C. de his qui no. infam. l. 1. C. si ex fals. instrum.* quod argumentum est tum spectabiles inventos non fuisse, inter quos postea Proconsules primi fuere. In clarissimos quoque recepti sunt Consulares, id est, præsides Consularibus ornamentis decorati, quorum dignitas *Clarissimatus* vocatur, *l. 2. C. de dome. & protector.* Eodem titulo Correctores provinciarum, *l. 1. C. ut omnes tam civil. l. si post. 4. C. de jur. & fact. ignor.* & præsides *d. l. 1. C. ut omnes tam civil. l. præses. 5. C. de pign. l. 5. C. de ordine judicior.* sunt honestati. Denique & Comites ordinis secundi, veluti Primicerii scholarum, *l. 2. C. de privileg. scholar.* quæ erant num. undecim, *l. ult. C. de loc.* Silentiarii, *l. ult. C. de silentia.* & alii. Scribebatur autem vir Clarissimus his notis V. C. cujus rei multa ex legum subscriptione patent exempla, *l. 6. C. de jur. om. jud. l. ult. C. de fisca. usuris.* Idem speciosi vocantur. Vlpianus, *l. speciosas. 100. de verbor. sign. Speciosa*, inquit, *persona accipiantur clarissima, vel quæ ornamentis senatoriis utuntur*: nobiles quoque appellantur *l. ult. §. sin autem testa. C. de cur. fur. l. omnium C. de testam.* tanquam notabiles, & honorum luce conspicui, *l. 3. C. de mercatoribus.* Postremo medius & tertius ordo Spectabilium, senatui est insertus, tresque senatorum ordines Illustrium, Spectabilium, & Clarissimorum facti fuêre. Isidorus l. IX. *Etymolog.* c. IV. *Primo*, inquit,

L. *sena-*

senatorum dicuntur Illustres, secundi Spectabiles, tertii Clarissimi: Nam inferius quartum aliquod genus non est, scil. senatorum, sed extra senatum alii gradus Perfectissimi, & Egregii fuere. Porrò sicut Illustrium, ita & Spectabilium decem aliæ factæ sunt dignitates, ut Primicerius sacri cubiculi, & notariorum, Comes Castrensis, magistri scriniorum, Proconsules, Comes Orientis, Præfectus Augustalis, Vicarii, Comites, Ducesque rei militaris, qui eodem quo à Notitia ordine à Zenone *in d. l. 1. C. ut omnes tam. civ.* recensentur. Notarii quoque tribuni, qui laterculum majus tractabant, à Zenone *l. 2. C. de primicer.* Spectabiles vocantur. Hisque notis Spectabilis significabatur V. S. quod nomen etiam nunc in quibusdam Germaniæ regionibus est in usu; in Italia sordescit, quo vix vilissimi hodie dignantur. Hos Græci αἰδεσίμους appellant *Novella* 23. & seq. Clarissimos vero λαμπροτάτους *Novella* 71. quæ vox Latinè *splendidissimum* sonat. Spectabiles quandoque clarissimi vocantur, quod inde evenire arbitror, quia in Senatum recepti duplici titulo gaudebant. Sic Duces Clarissimi dicuntur *in l. 2. §. ita Clarissimo Duci & seq. C. de off. P. P. Africæ.* qui sunt spectabiles, *l. penult. C. de appellat.* & Silentiarii ab Anastasio Clarissimi appellantur, *l. ult. C. de silentiar.* qui etiam spectabiles erant, *l. omnimodo.* 30. *§. fin. C. de inoff. testamen.* & tribuni notarii laterculum majus tractantes. Nomen spectabilis semel usurpatur à Paulo Jureconsulto, qui Præfectum vigilum ita vocat, *l. 2. C. de primicer. l. neque* 16. *C. de decurion.* Sed ibi gradus qui est supra clarissimum non significatur, quicquid senserit Accursius: neque enim præfectus vigilum erat magistratus, *l. 2. §. deinde Cornelius. de orig. jur.* nec pluris quàm præses ut Spectabilis posset nominari, quod & Placentinus animadvertit: præterea proconsul postea spectabilis, *l. raptores* 54. *C. de episc. & cle.* tum clarissimus, *l. 3. C. de his qui not. infam.* fuit. Itaque constat nondum Spectabilis dignitatem tum inventam fuisse, & illud verbum vel à compilatoribus additum, vel ad honestandum Præfectum vigilum, non denotandum honoris gradum positum.

Illustres, Spectabiles, & Clarissimi hoc privilegio fruebantur, ut per se ipsos lites civiles, aut criminalem injuriarum actionem exercere non possent, sed per procuratores id agere compellebantur. Indignum enim videbatur speciosas personas cum inferioribus causam dicendo ante judices stare, *l. pe. C. de procuratorib.* Posteà spectabilibus & clarissimis concessum est, ut ipsi per se litigare possent, *Authen. ut ab illustrib. & qui supra eos sunt.* Habebant & Illustres, sed non Spectabiles, aut Clarissimi, hoc præcipuum, ut rei criminum facti, à nullo quàm à Principe, vel eo cui Princeps causam delegasset, possent judicari. Quo tempore etsi præsentes, cum judicibus tamen in inferiore auditorii parte sedebant, ne litigantium modo stare cogerentur. A judicibus quoque inconsulto Principe condemnari non poterant, sed tantum absolvi, *l. ult. C. ubi Senatores vel clarif.* nec nisi ex scripto in judicium vocari, vocatique se judicio staturos, aut judicatum soluturos, satisdare non compellebantur, sed satis erat etiam criminaliter accusatos id juramento promisisse, *l. pen. C. de dignitatib.* Cum præsidibus provinciarum honoris gratia in tribunali sedere poterant etiam qui honorarias has dignitates obtinuissent, nisi ipsi litigassent: nam quo tempore illorum causæ agitabantur, ab eo loco abstinebant. Valentinianus A. *in l. ult. C. de off. div. jud. & l. 1. C. de off. civ. jud. Sciant*, inquit, *Principes & cornicularii, & primates officiorum, & judices etiam ternas libras auri à suis facultatibus eruendas, si honoratis viris, quibus etiam consistorium nostrum ingrediendi facultas præbetur; secretarii judicum non patuerit ingressus, aut reverentia non fuerit in salutatione delata, aut sedendi cum judice societas denegata:* Hæc ille. Ex cujus verbis apparet eos etiam reverenter salutatos fuisse; possunt etiam Illustres quas ferunt sententias, per officiales suos recitare: cæteri ex scripto legere tenentur, *l. ult. C. de sent. ex peric. recit.* Aliis præterea perfectissimorum immunitatibus gaudebant, de quibus infra dicetur. Turpibus quoque lucris Illustres abstinere oportebat, nec ultra trientem usurarum capere, *l. eos.* 26. *§. 1. C. de usuris.* nec vilem uxorem ducere, *l. 1. C. de naturalib. liber.* quod ultimum postea est sublatum, *§. ult. in Auth. quib. mo. natu. effic. sui. §. quia vero. in Auth. ut liceat matri & aviæ.* Illustres etiam illustrissimi promiscuè vocabantur, *d. l. fi. C. ubi senat. vel clarif.* aliisque speciosis nominibus honestabantur, ut SVBLIMISSIMI atque EXCELLENTISSIMI, *l. tam dementis.* 28. *C. de episc. aud.* sic nominatus Quæstor Palatii, quem illustrem esse constat, *l. præcipimus* 32. *& l. jubemus* 34. *C. de appel.* Item EXCELSI GLORIOSISSIMIQ. *d. l. raptores*, 54. *C. de episc. & cler. in Nov. 1. seu Auth. de hære. & Falc. Nov.* 2. 4. & multis aliis. ET MAGNIFICI *§. 1. in Auth. ut jusjurandum. d. l. præcipimus*, 32. *l. eo casu* 33. *C. de app. d. l. ult. C. ubi senator. vel clarissimi.* dicebantur, quo nomine & ipsi Principes gaudebant, *l. 1. C. de veteranis. & in proœmio insti. in prin. c. venerabilem*, 34. *§. 1. de ele.* Si quis cum Illustri viro, & præcipuè Præfecto Prætorio, vel urbi loquebatur, vel ad eum etiam Princeps ipse scribebat, his verbis appellabat, VESTRA MAGNIFICENTIA, *l. ult. C. de off. ejus qui vic. alter. geris.* vel ILLVSTRIS MAGNIFICENTIA TVA, *l. 2. C. de offi. mag. milit.* aut CELSITVDO, *l. ul. C. de numo. §. scriptum, in Aut. ut jud. sine quoquo suffragio fiant & in Auth. ut ordin. præfectur. in fi. quæ est Nov.* 70. quo titulo hodiè Principes paulò Regibus inferiores honestantur. item SVBLIMITAS, *l. actuar.* 7. *C. de num.* & MIRANDA SVBLIMITAS, *l. 9. C. T. de cursu pub.* MAGNITVDO, *l. pe. C. de num.* EMINENTIA, *in Auth. ut ab Illustribus.* Græcè ὑπεροχὴ, quod verbum interpres vertit EXCELLENTIA, *in Auth. de trien. & semisse, in fi. & in Auth. & non fiant pign. in fin.* AVCTORITAS TVA scripsit Julianus *in l.* 26. *C. T. de curs. publico.* SINCERITAS TVA erga P. V. Valentinianus *in l.* 22. *C. T. eod. tit.* & erga P. P. Valens *in l.* 35. *C. T. eod. tit.*

Sedes quoque Præfecti Prætorio AMPLISSIMA vocatur, *l. 3. C. de nu.* quandoque MAGNIFICA, *d. l. fi. C. ubi senator. vel clariss. l.* 16. *C. T. de curs. publico.* nonnunquam EXCELSA, *Rubr. C. de nu. Sedis excel.* & EMINENTISSIMA, *l. 2. C. de præpos. sacr. cubic.*

Cum Spectabili loquens, dicebat VESTRA SPECTABILITAS, *l. 2. C. de apoc. publ.* cum clarissimo VESTRA CLARITAS. Ita ad Agerochium clarissimum præsidem Hæmimontis in Thracia Justinianus scribit, *in Auth. ne quis mutuum dans agricolæ, quæ est Novella* 32. Aliquando VESTRA SINCERITAS, *l. univer.* 9. *C. ubi causa fisc.* VESTRA GRAVITAS, ut Valentinianus Honoratum Consularem Byzantii appellat, *l. 1. C. de off. com. rer. privat.* Diocletianus Serapionem, *l. 3. C. de pedan. judicibus.* qui ex hoc deprehenditur præses fuisse, ut voluit Azo, non præfectus prætorio, ut credidit Accursius. Nam & ibi disertè præsidiale judicium nominatur. VESTRA REVERENTIA, & VENERATIO dixit D. Basilius Terentio Comiti scribens: & VESTRA POTESTAS, Opt. *ad Parmen. l. 1.*

Tantum verò his dignitatibus præditos honorandi studium fuit, ut tribus auri libris multarentur, qui eos suo titulo, vel honorifico nomine non appellasset, aut colloquendo vel scribendo reverenter non salutasset, *l. 2. C de offic. div. jud. l. potioris.* 5. *C. de offic. recto. provin.* Valentinianus, *in l. ult. C. de offic. diverf. jud.*

& l. 2. C. de prox. sacr. scrinio. Ternas, inquit, *auri libras pendent, si honoratis viris reverentia non fuerit in salutatione delata.* Sed nec inferiores magistratus majoribus se æquare poterant. Præsidibus enim provinciarum Illustres viros fratres appellare non licebat; multa in eum qui hoc ausus esset imposita, *d. l. 2. C. de off. diver. jud. l. potioris. 5. C. de offic. rect. provinc. C. de perfectissimatus dignitate.*

CAP. III.

DE PERFECTISSIMIS.

TRES præmissi tituli ad Senatorum ordines honestandos inventi fuere, sequentes extra Senatum ad alios exornandos sunt excogitati. *Constantinus enim ut plures extolleret*, inquit Eusebius, lib. IV. cap. IV. *multa honorum genera adinvenit.* Primi ergo post clarissimos instituti sunt equitibus digniores Perfectissimi. Constantinus *l. 1. C. T. de his qui ven. ætat. impetrat. Senatores*, ait, *veniam ætatis impetrantes apud officium P. V. de suis moribus, & honestate perdoceant, perfectissimi apud vicariam præfecturam: equites Romani apud Præfectum vigilum.* Hæc ille. Equites enim secundum post clarissimos locum habebant, *l. 1. C. de equestr. dignit.* eos perfectissimi præcedebant, à quibus proprio titulo distinguuntur. Et licet Macrobius lib. VI. *Saturnal.* M. Valerium Probum, qui diu eques militaverat, virum perfectissimum appellet, is non ab equestri militia, sed à Principe hunc honorem obtinuerat, qui codicillis ab Imperatoribus concedebatur, *l. 1. C. de perfectiss. dignit.* Hic est ille Probus, qui marmorum vetustiorum notas interpretatur, & P. P. Illyrici fuit, *l. 2. C. de defensorib. civitatum.* ad quem Jura extant, & Ausonii epigrammata. Perfectissimi etiam honore decorabantur, qui minimas provincias regebant, ut erat Præses Arabiæ, *l. 18. C. de pœnis.* & Dalmatiæ, quem inter perfectissimos Notitia locat. Idem credo de Præside Isauriæ, qui in Præsidum Clarissimorum catalogo non legitur. Rationales etiam perfectissimi dicebantur, ita Bassianum vocat Symmachus, epist. XL. I. lib. I. Eodem honore ornabantur capita scriniorum, Comitis largitionum, *l. scriniis. 7. C. de palatin. sacr. largit.* & ejus Comites per diœceses. Constantinus enim Tertullianum Comitem largitionum diœceseos Asianæ virum perfectissimum appellat; *l. 3. C. fin. reg. l. 1. C. T. eod.* & Leo, *in l. orphanotrophos. 32. C. de episc. & cler.* magistrum census, qui postea est factus clarissimus, *l. ult. C. de jur. emphyt. l. consulta. 23. C. de testam. l. secundum. 32. C. de donat.* Perfectissimos his verbis appellabant etiam Imperatores GRAVITAS TVA, *l. 1. C. de his qui se defer.*

Quando inventi fuerint perfectissimi non constat, sed vetustior eorum videtur origo. Narrat enim Diocletianus *l. Divo. 11. De quæstionib.* M. Antoninum disposuisse, ne eminentissimorum, & perfectissimorum liberi pœnis plebejorum afficiantur. Nullibi tamen de his in *Pandectis* fit mentio. Quemadmodum verò tres Comitum ordines invenit Constantinus, totidem credendum est ab eo perfectissimorum classes divisas fuisse. Erant enim primi, secundi, & tertii ordinis perfectissimi: quales multi in scriniis largitionum nominantur, *in l. ult. C. de divers. off. d. l. scriniis. 7. C. de palat. sacr. larg.* Hæc dignitas his notis scribebatur V. P. id est, vir perfectissimus, cujus rei exemplum est in inscriptione cujusdam rescripti Constantini, *l. cum reus. 18. C. de pœnis.* quæ est hujusmodi:

CONSTANTINVS. A. THEODORO.
V. P. PRAESIDI. ARABIAE.

Perfectissimorum meminit & Ammianus lib. XXI. cap. XVI. Loquens enim de Constantio ait: *Nec sub eo Dux quisquam cum clarissimatu provectus est, erant enim Perfectissimi*, id est, neminem copiis militum præfecit, qui esset Senator: sed eos tantùm, qui essent Perfectissimi. Hodie eos qui in minoribus oppidis jus dicunt, inter perfectissimos connumerari posse crediderim, cùm nunc, quoad jus dicendum, quælibet civitas sit instar provinciæ, *glo. in l. ult. in verb. 1. una provincia. C. de longi temp. præscript.* Sunt enim ut olim Præsides Arabiæ, & Dalmatiæ. Maximis verò civitatibus, & Metropolitanis præfecti velut locum Proconsulum tenentes, Spectabiles vocari possent: Qui verò mediis jus dicunt, Clarissimi.

Privilegium habeant V. P. ne ipsi, vel eorum liberi, usque ad pronepotes criminis causâ torqueri possent, nec plebejorum pœnis subjici, *d. l. Divo. 11. C. de quæstionib.* quare nec in metallum damnari, nec furcæ affigi, nec vivi exuri consueverant, *l. mortis. 9. §. ista. de pœnis.* nec fustibus cædi, *glo. in d. l. Divo.* Hodie hic titulus penitus in desuetudinem abiit.

CAP. IV.

DE EGREGIIS.

INTER ordinarias dignitates est & Egregiorum, quam, etsi à Notitia omissam, præterire nolui, cùm ejus Jura meminerint. Hoc honore infra perfectissimos fungebantur, qui eum codicillis à Principe obtinuissent, quemadmodum in aliis dignitatibus observabatur. Constantius, *leg. 42. C. Theod. de decurionibus.* scribens ordini Cæsenatium: *Si quis*, inquit, *clarissima meruerit infulas dignitatis, nec indulti muneris gratiam codicillorum allegatione perceperit, impetrata fructum dignitatis amittat.* Hæc ille. Itaque sicut sine codicillis nemo se clarissimum, ita nec egregium, perfectissimumve dicere poterat. Hæc dignitas sordidis aut vilibus non dabatur. Constantinus *l. 1. C. Theod. de murileg.* ad Bithynios: *Monetariis*, ait, *nec dignitas perfectissimatus tribuitur, nec ducena, vel centena, vel egregiatus.*

Egregii in primis erant Scriniarii Principis, qui postea tribuni notarii palatii creabantur. Cassiodorus, lib. 1. *Variar.* ad Senatum urbis loquens de patre Cassiodoro: *Pater*, inquit, *candidati, sub Valentiniano Principe gessit Tribuni & Notarii laudabiliter dignitatem. Honor qui tunc dabatur Egregiis, cum ad Imperiale secretum tales constet eligi, in quibus reprehensionis vitium nequeat inveniri.* Hæc ille. Quarundam etiam provinciarum administratores, egregii dicebantur. Constantinus enim *l. 5. C. Theod. de decurionibus. Eos*, ait, *quibus provincia commissa sunt, quique merito amplissimarum administrationum, honorem perfectissimatus, vel egregiatus adepti sunt, frui oportet dignitate indulta.* Sed & hic titulus hodie ab usu recessit, ut vix infimæ conditionis, & ex ima plebe homines, hoc nomine dignentur. Cùm vero à veteribus Jureconsultis egregiæ personæ nominentur, *l. ad personas. 15. de jurejurand.* speciosas & sublimes, non autem hujus gradus homines significari puto. De egregiis & aliis titulis Lactantius, qui Crispi filii Constantini præceptor fuit, ita scribit, *Divin. Instit.* lib. XV. *Nemo egregius, nisi qui bonus, & innocens fuerit: nemo clarissimus, nisi qui opera misericordia largiter fecerit: nemo perfectissimus, nisi qui*

omnes

omnes gradus virtutis impleverit. Ad hos, & alias honostas personas scribens D. Basilius, *Prudentiam* vestram, *Dilectionem*, *Honestatem*, *Gravitatem*, & similia dixit, cujus observationis tam Græci quàm Latini studiosiores fuerunt.

Egregiarum personarum eadem sunt privilegia, quæ & perfectissimarum; nam in Jure æquiparantur, *dict. l. Divo. 11. C. de quæstionibus.* & ideo sicut illi, neque hi torqueri, nec plebejorum suppliciis puniri possunt. Additur vulgò, ut pro dicendo testimonio, vel præstando juramento, ad judicem non vocentur: sed ipsi in propriis ædibus examinentur, & juramentum præstent, *dict. l. ad personas 15. de jurejurand.* Verum id non de hoc gradu egregiorum, sed de omnibus eminentissimis personis puto intelligi.

Immunitatem etiam præbendi tyrones, & munerum personarum sordidorum egregii habent, *l. 10. C. de pala. sacr. largit.* Inter egregias personas à nostris interpretibus recensentur sacerdotes, *glos. Albers. a Aret. Jas. num. 10. ad dict. l. ad personas. 15. Felin. in cap. si quis. 8. num. 3. & 5. de testib.* advocati fisci, vel Reipublicæ, *Bart. in l. 1. C. de advoc. divers. judic.* auditores sacri palatii Romæ, Doctores, & Equites aurati, *Rota conclus.* 88. *in novis. Jas. in dict. l. ad personas. 15. in princip. numer. 10. Felin. in dict. cap. si quis. 8. numer. 6.* His addo juridicos castrorum, qui egregiis, minimas provincias regentibus, possunt comparari, *l. 5. C. Theod. de decurionibus.* Decuriones egregii non sunt, eorum tamen gaudent privilegiis, *dict. l. Divo. 11. & l. decuriones. 6. C. de quæstionibus.* Hi sunt civitatum curiales, consilii publici causa descripti, in quo Cynus *in dict. l. Divo. 11.* & Salicetus hallucinantur. Decuriones enim Reipub. consulunt, *l. pupillus. 249. §. decuriones. de verborum significat.* & sunt velut Romæ Senatores, & ideo nec torquentur, nec plebejorum pœnis subjiciuntur; quamvis hoc in Æmilia seu Longobardia servari Salicetus *in dict. l. Divo. 11.* neget. Hi velut quædam Rom. Senatus simulacra clari vocabantur, ut innuit Juvenalis *Satyr. III.* inquiens:

——— Clara velamen honoris,
Sufficiunt tunica summis ædilibus alba.

Præter supradictos inventus est & Nobilissimi titulus omnibus antecellens, & paucis attributus, qui quodammodo Imperii participem faciebat, & quasi Cæsarem. Eo honestatus vestem purpuream, aureo limbo circumdatam gestabat, ut in 11. auctor est Zosimus. Herodianus Commodum Imp. nobilissimum appellat, sed titulum dignitatis non puto apud eum significari.

Primus circa annum salutis CCLXIX. Licinius Valerianus in marmore Vindobonæ, mox Carinus & Numerianus ejus filius in aliis vetustis monumentis nobilissimi Cæsares sunt appellati. Deinde Severus, & Maximinus, *l. 1. C. de feriis.* post hos Gratianus & Valentinianus adhuc infantes Nobiles pueri sunt nuncupati, *in l. 2. de magistr. municip. l. 5. C. de feriis.* Justinianus quoque velut Imperii successor à Justino nobilissimus est appellatus, inquit Zonaras, sed & fœminæ hoc titulo honestabantur. Nam Marina Arcadii filia in prima regione Constantinopolis, & Arcadia in decima regione, ubi earum erant ædes nobilissimæ vocantur. Hunc honorem à Constantio excogitatum Zosimus scribit, lege lata, ut ante Præfectos Prætorio sederent. Sed hæc dignitas ab eo aucta non inventa esse potest, quam antea fuisse ostendimus. Verum Notitia quatuor tantum dignitatum tituli, Illustrium, Spectabilium, Clarissimorum, & Perfectissimorum cum insignibus repræsentat, ab illustribusque exordiens, Præfectos Prætorio Orientis, & Illyrici præmittit. Sed, ut clarius eorum origo & historia intelligatur, prius generaliter de Præfectis disseram; mox singillatim de eo, qui Orienti, & alio, qui Illyrico præerat, verba faciam.

CAP. V.

DE PRÆFECTIS PRÆTORIO.

INTER illustres primum locum Præfecti Prætorio à Prætoribus denominati obtinent: olim enim quoscunque militares magistratus prætores vocatos Asconius, Justinianus, *Nov. 25. & 28.* & Festus scribunt. Ab his tentoria exercituum Ducumque prætoria sunt nuncupata, & prætoria cohors, quæ ante eorum tentorium excubabat. Navis quoque, qua præfectus classis vehebatur, prætoria est appellata. Qui igitur principis prætorio, seu tentorio, & militibus prætorianis illud custodientibus præerat, Præf. Præt. est vocatus: illis tanquam stipatoribus Scipio Africanus sesquiplum stipendii, id est, integrum & dimidium ejus, quod alii accipiebant, præstitit. Augustus verò Senatusconsulto duplum dedit ut Dion lib. XXXV. scribit, iisdemque quinque millia dragmarum, cum annis XVI. militassent: id est, fermè CC. aureos donavit, aliis tria millia, seu CXX. aureos, cum annis XX. meruissent. Eorum numerus erat X. millium, quos in X. partes seu cohortes sub totidem Tribunis divisos fuisse Dion scribit, lib. LV. Hæ sunt prætorianæ cohortes X. quas in epilogo regionum urbis P. Victor ponit, singulæ mille continentes milites. Erant hi majoris staturæ quàm cæteri, splendidioribusque armis ac vestibus ornati. Herodianus lib. V. *A Macrino*, inquit, *pugnabant corporis custodes, ac stipatores, quos Prætorianos vocant, fortiter stantes, reliquum omnem exercitum soli sustinebant, videlicet proceri homines, atque ex omni numero electi.* Idem lib. II. loquens de prætorianis Didii Juliani exauctoratis: *Breves*, ait, *illis gladiolos detrahunt, quos auro argentoque ornatos, in usum pompa suspensos habebant: tum zonis, vestituque, ac cæteris militia insignibus per vim ablatis, nudos ad unum exauctoratosque dimiserunt.* His postea successerunt 3500. præstantissimorum Armeniorum, qui in scholas IX. sunt divisi, de quibus infra in magistro officiorum dicetur. In hos Prætorianos Præfectus Prætorio summum habebat Imperium, cujus consilio cuncta Principes gubernabant. Erat enim illi, qui Romulo Tribunus celerum Consuli legatus. Quæstor Prætori, Magister equitum Dictatori, *l. 1. de off. P. P.* Tantum denique Præfecti Prætorio auctoritatem obtinuerunt, ut non modò res belli, & arma administrarent, sed & causas appellatione suspensas judicarent, & cuncta imperii negocia tractarent.

Augustus primus hujus magistratus auctor, duos ex equestri ordine Præfectos Prætorio creavit, ut sibi invicem obstarent, si quid novi alter moliretur, Dion lib. LV. Tiberius verò unum fecit Ælium Sejanum, quem etiam consiliarium, atque omnibus in rebus ministrum habuit. Tantum denique ipsum extulit, ut ob nimiam potentiam suspectum coactus sit occidere. Is Tiberio suasit, ut per urbem dispersos milites unis in castris contineret. Tacitus lib. IV. ab initio: *Vim, inquit, præfecturæ modicam antea intendit, dispersasque per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque & robore, & visu inter se fiducia ipsis, in cæteros metus crearetur. Prætendebat lascivire militem diductum: si quid subitum ingruat, majore auxilio pariter subventuri, & severius acturos, si vallum sta-*

tinatur procul urbis illecebris. Idem Tranquillus tradit in *Tiberio*, c. XXXVI. *Roma*, ait, *castra constituit, quibus pratoriana cohortes, vaga ante id temporis, & per hospitia dispersa, continerentur.* Hæc *castra pratoria* pro prætorianis Plinius lib. III. c. v. appellat, quibus Præfecti initio nullas causas tractabant, sed res bellicas tantùm curabant. *Augustus enim*, inquit Tranquillus in *Augusto*, cap. XXXIII. *appellationes quotannis urbanorum quidem litigatorum Pratori delegabat urbano, at provincialium consularibus viris, quos singulos cujusque provincia negotiis praposuisset.* Idem refert Neronem statuisse, ut appellationes à judicibus ad Senatum fierent. Spartianus quoque imperante Hadriano, moris fuisse scribit, ut cum Princeps causas cognosceret, & Senatores, & Equites Romanos in consilium vocaret, & sententiam ex omnium deliberatione proferret, nulla Præfectorum mentione facta, primus Marcus Antoninus cœpit secum Præfectos habere, quorum auctoritate & periculo jura dictabat, ait Capitolinus in *M. Antonino.* Tandem Commodus, ut ipse delitiis vacaret, Perennio Præfecto omnes curas commisit, ut auctor est Lampridius; itaque demum judicia, & appellationes in Præfecturam sunt translatæ, *l. pracipimus.* 32. *§. hinc. C. de appell.* Alii post Tiberium exemplo Augusti duos Præfectos Prætorio creaverunt, Commodus tres; ut idem Lampridius scribit. Posteriores verò invadentibus fines Romani Imperii Barbaris, certis regionibus Præfectos assignarunt. Sub Decio enim Vectium Aquilinum P. P. Orientis fuisse Metaphrastes, & Martyrologium affirmat. Sub Valeriano Q. Vicarium, & Ragonium Clarum P. P. Illyrici, & Galliarum, Spartianus in *Ballista* nominat. Sed hi certi non erant, nec perpetui, sed pro temporum ac belli necessitate creati.

Constantinus verò immensa Præfectorum potestate divisa ac diminuta pro duobus quatuor constituit, unumque Orienti; alium Illyrico; tertium Italiæ, & Africæ; quartum Galliis, Hispaniisque & Britanniæ præfecit, & civilia tantum negocia tractare jussit, ac militibus quibus antea imperabant, magistros militum præposuit. Zosimus libro II. *Cum essent*, inquit, *duo Prafecti Pratorio, qui hoc officium communiter gerebant: nec palatini tantum ordines eorum cura potestateque gubernabantur, sed etiam ii, quibus urbis erat commissa custodia, & quotquot in omnibus limitibus erant collocati. Hic enim Prafectorum pratorio magistratus, qui post Imperatorem secundus existimabatur, annonas erogabat, & contra militarem disciplinam admissa convenientibus pœnis corrigebat. Constantinus autem hunc magistratum in quatuor Imperia discerpsit. Nam uni Prafecto Pratorio totam Ægyptum cum Libya Pentapoli, & Orientem ad Mesopotamiam usque; & praterea Cilices, Cappadoces, Armenios, oramque maritimam totam, a Pamphylia Trapezuntem usque, & usque ad Castella prope Phasidem sita, tradidit: eidem & Thracia commissa, & Mysia, Æmi ac Rhodopes ac Doberi oppidi finibus circumscripta: praterea Cyprum adjecit, & Cycladas insulas; Lemno & Imbro, & Samothracia exceptis. Alteri, Macedones attribuit, & Thessalos atque Cretenses, ac Graciam, ac circumjacentes insulas, & Epirum utramque; prater has & Illyrios, Dacos, Triballos & Pannonios ad Valeriam usque, & Mysiam superiorem. Tertio, totam Italiam, & Siciliam, & circumjacentes insulas, & Sardiniam, Corsicam, Africam à Syrtibus Cyrenem usque. Quarto, Transalpinos Celtas, & Hispanos cum insula Britannica commisit. Hac ratione diviso Prafectorum imperio, studiosè conatus est aliis quoque modis eorum potestatem imminuere. Nam cum praessent ubique locorum militibus non modo centuriones & tribuni, verum etiam Duces: (sic enim appellabantur, qui quolibet in loco pratorum vicem obtinebant) Magistros militum instituit, altero equitum, peditum altero, & in hos translata potestate militum ordinandorum, & coercendi delinquentes; hac etiam in parte Prafectorum auctoritati detraxit.* Hæc Zosimus. Sed etsi à Constantino militum cura Præfectis esset adempta, magnam tamen semper auctoritatem retinuerunt: edicta enim perpetuò observanda promulgabant, nisi à Principe revocata fuissent, *l. formam.* 2. *C. de offi. P. P. Orient. & Illyrici.* regionum sibi commissarum præsidibus imperabant, *l.* 1. *C. de offic. P. P. Africa.* eos delinquentes puniebant, aut inhabiles removebant, *l.* 3. *& 4. C. de offic. P. P. Orient. & Illyrici.* ipsisque salarium à Fisco debitum solvebant, *l.* 1. *C. de annon. & capitat.* Quare illi magistratus codicillos in præfecti actis insinuabant, pro quibus præfecti officio plerumque aureos XL. *Nov.* 8. *in Notitia.* quandoque minus pendebant, *l.* 1. *§. ult. l.* 2. *in prin. C. de offic. P. P. Africa.* A præsidibus etiam ad præfectos appellabatur, *l. pracipimus* 32. *C. de appell.* Spectabilium verò sententias præfectus prætorio, qui erat in Principis comitatu, & Quæstor palatii cognoscebat, *§. illud, & §. ille. in Aut. de appellat. d. l. pracipimus,* 32. Sed postea in milites aliquod imperium præfectum recepisse Cassiodorus lib. VI. *Variar.* scribit, qui ita de ejus potestate disserit: *Magna quantitate mulctat errantes, fiscum pro sua deliberatione distribuit, evectiones simili potestate largitur, vacantia bona proscribit, delicta provinciarum judicum punit, verbo sententiam dicit*: quam ex scripto, ut alii, recitare non tenetur, *l. pen. & ult. C. de sent. ex peric. recit.* & paulo post, benè est ut leges possit condere, *l.* 2. *C. de offic. P. P. Orient. & Illyrici.* quando ejus reverentia potest negocia sine appellatione finire, *l.* 1. *C. de sent. P. P. & l.* 1. *§. de offic. P. P. Potestate igitur nulla dignitas illi est aqualis: vice sacra ubique judicat, nullus ei miles de foro suo auctoritate prascribit, excepto officiali magistri militum. curiales etiam verberat, qui appellati sunt legibus; minor senatus, & licet alia dignitates habeant titulos prafinitos, ab ista tamen pene geritur, quicquid in nostro Imperio aquabili moderatione tractatur.* Hæc ille: quod verò Cassiodorus scribit magna quantitate Præf. Præt. mulctare, ea est usque ad quinquaginta libras auri. Gratianus *in l.* 4. *C. de modo mul. Illustres*, inquit, *viros Prafectos pratorio, usque ad* L. *librarum auri mulctam cum peccatum gravissimum erit, pervenire finimus.* ea erat summa 3600. aureorum nostrorum ferè 5500. Commeatum quoque militibus suppeditabant, vias eunti in expeditionem exercitui complanabant, & tentoria disponebant. Constantinus Porphyrogeneta *de thematib. Prafecti*, inquit, *pratorio, Principibus expeditionem facientibus commeatum exercitus prompte procurabant, tentoria componebant, & vias purgabant.* Suidas in *verb.* ἐπαρχὸς πραιτ. Præfectis P. summam, & imperium vectigalium fuisse commissum scribit. Pro quibus erigendis forma observabatur, quam Justinianus præscribit *Novel.* 128. significabat Princeps præfectis quanta sibi sequente anno pecunia opus esset, illi facta ejus divisione inter populos, mense Julio vel Augusto apud acta scribebant, quantum quæque provincia, vel civitas, pro indicto à Principe tributo, sequente anno solvere teneretur, quæ adærandæ species, quid in arcam largitionum inferendum, quantum in milites esset insumendum. Hæc descriptio initio cujusque indictionis, id est, mense Septembri ad præsidum provincias mittebatur, *l. ult. C. de can. largi. tit. l. ult. C. de annon. & trib. l.* 1. *C. de milit. veste.* Leo A. *d. l. ult. C. de canon. largi. tit. Delegatio*, inquit, *ab amplissima*

plissima præfectura, in diversas provincias ex more
quotannis emittitur. Hæc delegatio appellabatur,
in l. 1. & 2. C. de indict. l. nulla 7. l. annonas. 15. C.
de erog. milit. annon. l. 1. C. de annon. & capitat. quam
Præsides in singulis civitatibus legendam publicè
proponebant: ipsi verò omne damnum fisci, ob
non servatam hanc formam, si quid minus solutum
fuisset, ex suo sarciebant. Summa autem solven-
dorum tributorum hæc fuit; Tenebantur cujusque
provinciæ homines quotannis tributum, vestem
militarem, & indictum solvere, *l. ult. C. si propter*
pub. pensit. pro tributo quinquagesimam tritici, qua-
dragesimam hordei, & vini, laridique quod col-
legissent vicesimam: fœnum præterea ac paleas
conferebant, *l. modios. 9. de suscep. & arc.* quæ omnia
in horreo publico condebantur, *l. frumenta. 6. cum l.*
seq. eo. tit. l. fortissimi. 6. C. de ero. mil. ann. quorum
præcipua erat Præfect. Prætorio cura, *l. 1. C. de in-*
dic. l. 1. C. de superindic. Nov. 128. Capitolinus enim
in *Gordiano Juniore* scribit, Misitheum Gordiani
P.P. & socerum tam diligentem fuisse, ut in ma-
joribus civitatibus tantum frumenti, aceti, hordei,
laridi, ac palearum esset, quantum toto anno ad
alendum exercitum sufficeret, in minoribus urbi-
bus XXX. aut XL. dierum; in aliquibus duorum
mensium, ubi minimum XV. Hæc jussu Præfecti
in oppida inferebantur: ob id pondera, & men-
suras, id est, modios æneos, vel lapideos, & sex-
tarios in civitatibus publicè propositos habebant,
d. l. modios. 9. & d. Nov. 128. Severus Imp. hæc
ipse curabat, *qui*, ut scribit Spartianus, *moriens*
septem annorum canonem ita ut quotidiana LXXV. mil-
lia modiorum expendi possent, reliquit: Olei verò tan-
tum, ut per quinquennium non solum urbis usibus,
sed & totius Italiæ, quæ oleo egeret, sufficeret. Hæc
ille. Trajanus quoque providerat, ut per VIII. an-
nos canon frumentarius semper Romæ esset. Lam-
pridius in *Heliogabalo*. Aliquæ verò provinciæ o-
leum, aliæ diversas species solvebant, ut Leptitani
in Mauritania oleum, quos Cæsar in lib. VIII. *de*
bello civili, sub fin. scribit, centum triginta mil-
lia pondo olei Romanis pensitasse: Galli, & Hi-
spani equos, Strabo lib. V. Tacitus lib. II. Luca-
ni sues, Brutii boves præstabant, pro quibus post-
ea MCC. aureos pensitarunt. Cassiodorus in lib. II.
ad Vitalianum. Siculi decimam tritici, quæ erat
DCCC. millium modiorum, & si opus fuisset, aliam
decimam solutis à fisco in singulos modios ternis H-
S. & rursus aliam, solutis quaternis H-S. in singulos
modios conferebant. Cicero VIII. *actio. in Verrem.*
Ægyptii quintam omnium fructuum. Orosius lib. I.
cap. VIII. Quare Constantinopolim 800. myriades
medimnorum tritici mittebant. Ut in *edicto* Justi-
niani 13. Quæ omnia P. P. procurabant. Exige-
bant & singulas chlamydes, à provincialibus in XX.
aut XXX. juga seu jugora pro regionis consuetudine
militibus danda, vel pro singulis vestibus aureum,
l. 2. & 3. C. de milit. veste. Indictam præter hæc à
Principe provinciis quotannis auri summam exigi
curabant, *l. 1. C. de indic. l. 1. C. de superindic. l. 3.*
C. de annon. Capitationem quoque, id est, didrach-
mum pro cujusque capite ab Augusto impositum,
D. Hieronymus in XVII. *Matth.* arcæ suæ infere-
bant, *l. 1. cum antea. 10. C. de agric. & censit.* quod
onus postea civibus est remissum, *l. 1. C. de capi.*
civi. cens. eximen. Omnia denique vectigalia, porto-
ria, salinæ, *l. inter publica. 17. in ff. de verb. sign.* an-
nonæ, ac classes ad species transvehendas, sub eo-
rum erant dispositione, *l. 8. l. 10. & seq. C. de vectig.*
l. 1. C. d. classicis. Cassiod. in præf. lib. *var. variar.* sol-
vebant autem negotiatores pro rebus importatis, vel
exportatis octavam mercium, *l. 1. universi. 2. l. ex præ-*

A *statuto. 7. C. de vectig. & commiss.* Iidem veredis
currebant, & aliis currendi facultatem concedebant,
quod nulli majorum judicum præter magistrum of-
ficiorum facere licebat. Gratianus A. *in l. judicib. 9.*
C. de cursu publico. Jus, inquit, *concedendi evectionem,*
id est, facultatem currendi, soli Principi, magistro of-
ficiorum, & P. P. competit. Et ita interpretanda
est Notitia in P. P. Illyrici, dum ait, *uterque P. P.*
evectiones annuales non habet, id est, non impetrat
quotannis à Principe, ut utatur cursu publico,
quemadmodum Vicarii, qui denas aut duodenas eve-
ctiones obtinebant, & Præsides binas, *l. 12. C. de*
cursu publico. Sed ipsi PRÆFECTI, inquit, EMIT-
B TUNT, id est, suo jure currunt; & aliis etiam con-
cedunt currendi facultatem. Legendum est autem
PRÆFECTI non PRÆFECTOS, ut in impresso, quæ
vox nihil significat. In Codice Ursini de P. P. O-
rientis legitur PRÆFECTURA. PRÆFECT. EVECTIO-
NES ANNUALES NON HABET, SED IPSE EMITTIT.
in fine officii P. P. Illyrici habet, PRÆFECTUS
PRAETORIO ILLYRICI, IPSE EMITTIT. Unde con-
stat mendosum esse Codicem impressum.

Creatum Præfectum Prætorio, primum Prin-
ceps paratonio accingebat, (ita enim zona alliga-
tus, magistratus insigne vocabatur.) Trajanus enim,
ut auctor est Dion, suo Præfecto prætorio nudum
C gladium porrexit, dicens, *accipe hunc ensem, quo*
si rectè imperavero, pro me utaris; sin minus, con-
tra me vertas. Olim ex equestri tantum ordine e-
ligebantur, Senatores enim esse non poterant, fortè
ne nimiâ potentiâ extollerentur. Quare Paternum
ab administratione præfecturæ per honorem lati-
clavii à Commodo submotum fuisse, Capitolinus
scribit. Condoluit & Marcus Antoninus quòd Per-
tinacem, qui postea imperavit, Præfectum facere
non posset, quia Senator erat. Sed hoc usque ad
Alexandrum permansit, ipse primus suis Præfectis
prætorio Senatoriam dignitatem addidit, ut claris-
simi dicerentur, & ne non Senator Senatores judi-
D caret. Quare postea Clarissimi, & Illustres sunt ap-
pellati, sic Constantinus, *l. 6. C. T. de anno. & trib.*
Rufinum, Valentinianus, *l. 19. C. Th. de petit.* Cy-
negium P. P. vocant: quod verò legitur P. P. à
Severo clarissimos vocatos fuisse, id à compilatori-
bus additum puto, *in l. 1. C. de sent. pass.* Quadriju-
go curru & aurato vecti Præfecti in publicum pro-
dibant faustis præconum vocibus, & acclamationi-
bus excepti, *l. 1. C. de quæstorib. §. 1. Auth. ut ordi-*
na. Pref. seu Novel. 70. acclamabant verò, ipsos esse
patres Imperii, monebanturque ut se tales præsta-
rent. Cassiodorus in *formula Præfecti. Præt. Pater,*
inquit, *appellatur Imperii, ipsumque hodie resonat vox*
E *præconis instruens judicem, ne se patiatur esse dissi-*
milem. Theodosius quoque & Valentinianus Flo-
rentium Præf. Præt. *parentem* appellant, *tit. 12. 13.*
& 14. in Nov. Florenti, inquiunt, *parens charissi-*
me, & amantissime, illustris & magnifica auctoritas
tua, quæ constituta sunt, edictis publicari præcipiat.
Aliis quoque titulis eos honorabant, ut MAGNITUDO
TUA, CULMEN, AMPLITUDO, *l. Novella Valent. tit.*
I. PRÆCELSA MAGNIFICENTIA, *tit. seq.* & simili-
bus. Scribentes autem ad eos Principes plerum-
que ita incipiebant HAVE HYPATI K. N. B. *l. 7.*
C. de susc. & arcar. l. 2. C. de his quæ ex public. colla.
id est, charissime nobis. in fine verò subjiciebant:
F DIVINITAS TE SERVET PER MULTOS ANNOS PA-
RENS CARISSIME. *Novel. Valent. tit. 1.* CELSITUDI-
NIS quoque titulo honorabantur, *l. ult. C. de nume-*
rar. & SUBLIMITATIS, *l. actuarios, 7. C. eod. tit. l.*
ult. C. de fabricensib. l. 9. C. T. de cursu publico. Græ-
ci ὑπεροχότατο dicunt *Novel. 93. §. 1. seu Auth. de ap-*
pell. Ejus sedes, sublimissima & excelsa vocabatur,

In rub.

In rub. C. de numer. actio. l. 2. C. de cursu publ. quæ à Curiæ fortuna liberabat, inviti enim P. P. patriæ curiales esse non cogebantur, *Novel. 60. seu Authen. ut ad P. præt. Afr.* Amplum his à fisco honorarium persolvebatur, siquidem Justinianus *l. 1. §. hoc etiam C. de offic. præf. præt. Africa.* P. P. Africæ centum libras auri assignavit, æquat ea summa undecim millia nostrorum aureorum.

In foro P. P. olim erant CL. advocati, *l. 8. 13. & 17. C. de advo. diverso. judic.* inter quos LXIV. primates pluribus honestati privilegiis eminebant, *l. post duos. 15. C. eo. l. per hunc 7. C. tit. seq.* ex his duo singulis annis aut biennio fisci patroni eligebantur, *l. binos, 10. l. sancimus, 32. C. eo. tit.* qui LX. auri libras Kalend. Octobris pro salario inter se dividebant, *l. restituenda, 6. & l. seq. C. de advo. diver. jud.* excedit ea summa 6600. nostrorum aureorum. Iisdem, Kalend. Januarii Præfect. præt. strenam tanquàm Comitibus consistoriu solvebant. Anastasius ad Eustachium P. P. *l. 4. C. eod. tit. Jubemus,* ait, *viros clarissimos fisci pro tempore patronos fori tuæ celsitudinis solemni die festivitatis Kalendarum Januariarum ipsius tantummodo anni, per quem tale peragunt officium, inter Spectabiles sacri nostri consistorii Comites, divina nostra serenitatis manu punctos consequi solatia:* Hæc ille. Cum autem dicit *punctos,* intelligit, notis manu nostra scriptis inter Comites consistorii relatos. Vnde Zosimus historiographus exadvocatus fisci Comes nuncupatur.

Qui hodie Præfectis Prætorio comparentur haud facilè invenio. Apud Turcas duo *Beglerbes,* alter Thraciæ, id est, Romaniæ; alter Asiæ, id est, Anatoliæ, præfectis possunt esse similes. Quos autem nos vocamus Præfectos, aut provinciarum urbiumve gubernatores, minores sunt, quàm ut his possint conferri. Nostri Jurium interpretes (quàm aptè ipsi viderint) illis reges æquant, Bartol. in *l. omnes populi, numer. 8. ff. de just. & jur. in l. 1. in princip. ff. quod quisque jur.* Jas. *in l. 1. numer. 8. de offic. ejus, cum aliis.* quos Imperatoribus antiquiores, & nemini subditos, ipsis præfectis longè digniores esse non dubito; & aliàs Bartholi sententia est, *in l. infamem, 7. de publ. judi.* potius in suo regno Imperatoribus, quàm Præfectis comparandos. Cæterum, quia sicut monet Notitia, P. P. auctoritas erat, ut non solum ipsi cursu publico, & veredis uterentur, sed etiam aliis currendi facultatem concederent, *l. judic. 9. C. de cursu publico.* hoc loco de cursu publico non omnibus noto disserendum esse censui.

CAP. VI.

DE CVRSV PVBLICO,

Angariis, & parangariis.

CVRSVM publicum primum à Persis inventum Herodotus lib. VIII. memorat, Xenophon lib. VIII. *Pedia* à Cyro institutum fuisse scribit; is certas stationes in via publica dimensis itineribus statuit, ubi equi & homines collocati unius diei iter celerrime conficiebant. Cum verò ad proximam stationem pervenissent, quæ evenerant, ibi manentibus nunciabant, & illi statim aliis sequentibus, donec celeriter nuncius ad regem perveniret. Id genus currendi *angariam* Persæ vocabant. Horum exemplo Augustus primò juvenes, qui acta in provinciis ad se citò perferrent, modicis intervallis per vias militares disposuit: deinde vehicula, quibus idem semper currens ad se nuncium perferret. Tranquillus cap. XLIX. *Quo,* inquit, *celerius ac sub manum annunciari cognosci que posset, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula, disposuit: commodius id visum est, ut qui a loco eadem perferrent litteras, interrogari quoque, si quid res exigerent, possent:* Hæc ille. Idem cæteri Principes Romani observarunt, ut *in Gal.* cap. VIII. auctor est Plutarchus, singulis enim circiter L. milliariis veredos & rhedas ad currendum certis locis disposuerunt, ut iter diei conficerent: in Italia tamen remanserunt, qui pedibus currebant. Tranquillus in *Vespasiano* cap. VIII. *Classiarios,* ait, *qui ab Hostia & Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes constitui aliquid sibi calcearii nomine, quasi parum esset sine responso abegisse.* Vespasianus *jussit post hac excalceatos cursitare, & ex eo ita cursitant.* Cursum verò equorum ita instituerunt, ut provincialium pecunia equi, cum hominibus ad currendum destinatis alerentur. Quod Severus Imperator postea abolevit, id fisci onus esse jubens: Spartianus in *Severo: Posthac,* inquit, *cum se vellet commendare hominibus, vehicularium munus a privatis ad fiscum traduxit:* facit l. 2. *C. de lucr. advoc.* Stabula tamen, in quibus equi alebantur, provincialium sumptibus reficiebantur, *l. in omnibus, 7. l. comperimus, C. de curs. publ.*

De cursu publico Procopius in *ἀνεκδότοις* mihi à Joan. Vincentio Pinello viro doctissimo exhibitis, ita Latinè versis scribit: *Romani Imperat. qui antea fuerunt modum excogitarunt, quo cuncta sibi quàm celerrime possent nunciari, & ut scirent, quæ ubique inter hostes agerentur, & si qua in civitatibus seditio, vel quod aliud improvisum à Præsidibus, vel aliud quomodocunque oriretur, & ut annua tributa velociter & tuto transmitterentur: Publicum ergo & celerem quendam ubique cursum hoc modo instituerunt. viro expedito ad iter dies stationes constituerunt quandoque octo, quandoque pauciores, non tamen minus quinque, quod plurimum eveniebat, quadraginta vero equi in singula mansione stabulabantur; & ibidem hippocomi ad curandos quot poterant equos erant destinati: succedentibus vero sibi ad stationes probatissimis equis, qui eos agebant, decem fermè dierum iter uno die conficiebant, agentes quo modo significavimus.* Hæc ille. Nec solùm equi, sed & vehicula, ac varia animalia, ad cursum publicum sunt inventa. Primò in usu fuere *rhedæ,* hæc erant vehicula quatuor rotarum, in hoc à Birotis differentes, nec plus mille pondo ferebant, Birotæ ducenta: Hæ à tribus mulis trahebantur: illæ æstate ab octo, hyeme à decem, quod Constantinus constituit, *l. 8. C. Theod. eod. Rheda,* inquit, *mille pondo tantummodo superponi jubemus, birota ducenta, veredo triginta, non enim ampliora onera perpeti videntur. Octo mulæ jungantur ad rhedam videlicet æstivo tempore, hiemali decem, birotis trinas sufficere judicavimus.* Idem Valentinianus confirmavit, *l. 17. l. 28. & 30. C. Th. eo.* qui etiam plures duobus aut tribus in his sedere prohibuit, *in l. 20. C. Th. eod.* Sed etsi multæ in eodem loco rhedæ essent, singulæ tantùm uno die emitti poterant, *l. 35. & 40. C. T. eod.* Hanc opinor esse rhedam currentem, à qua res cadentes dominorum permanere apud Justinianum leguntur, *§. ult. Instit. de rer. divis.* Carpentarii vocabantur qui carpenta seu rhedas agebant, *l. 31. C. Th. eod.* Præter has erant & veredi, velocissimi cursus equi, *l. in omnib. 7. & l. seq. C. eod. à vehenda rheda* dicti, ut ait Festus. Procopius *de bello Persico* lib. II. *Equis,* inquit, *publicis vectus, quos veredos vocant.* Vnde apud Arcadium Jurecons. in Pandectis Florentinis *l. ult. §. pen. de muner. & hon.* legitur, VERHEDO, cum aspiratione. Sed & qui sine rheda currunt, veredi vocantur.

hinc

A hinc veredarii veredis vecti, *l. 50. C. Th. eo.* Qui verò hos curabant hippocomi dicebantur, *l. non patimur.* 13. *C. eod. l. 37. & 50. C. Th. eod.* Veredorum sella cum freno, pondus LX. librarum excedere non poterat, aliàs in frusta concidebatur. Averta quoque hoc pondus excedere non debet, alioquin fisco vindicatur, *l. quoniam.* 12. *C. eod. Avertam* Budæus interpretatur lora per tergum equi excurrentia: sed verius est, peram seu manticam fuisse ad vestes viatorias, aliave necessaria condenda, *l. 12. 48. C. Th. eod.* Ita interpretatur antiquus Horatii commentator, in VI. *Satyr.* Horatii lib. I. *Pera,* inquit, *mantica, averta. hoc modo tunc loquebantur.* Theodosius quoque *avertis* nos
B pro itineris necessitate instrui scribit, *d. l. 48. C. T. eo. Sunt,* ait, *duo palatini prosecutores singularum rhedarum, habentes quinquagenarum librarum avertas & saga, quibus par est pro itineris necessitate muniri.* Hic notandum eo primùm tempore sellarum equestrium à Theodosio Magno mentionem fieri: anteà enim in usu fuisse non reperiuntur.

Viceni circiter veredi, in singulis stationibus fuere, *l. 3. C. T. eo.* quorum non nisi deni singulis diebus emitti poterant, *l. ut agendo.* 8. *C. eod.* ne publica necessitate superveniente equi deessent. Hi quia turmatim incedebant, *agminales* vocabantur,
C *l. 3. tit. 6. C. T. eod.* nec eos fustibus, sed flagellis tantùm verberare licebat, *l. 1. C. eo.* Hos arbitror esse equos, qui *publici* ab Ulpiano *l. 2. de in jus vocando* appellantur: *Vocari,* inquit, *in jus non potest, qui equo publico in causa publica transvehitur:* etsi Budæus aliter interpretetur, & Coras. lib. I. *Miscell.* cap. XI.

Muli quoque & mulæ ad usum cursus publici destinabantur, quæ vulgo carrucis & plaustris adjungebantur, *l. si ex plagis* 32. *§. in clivo. ad l. Aquil.* Nero enim, inquit Tranquillus in *Nerone* capite XXXI. *Nunquam carrucis minus mille iter fecisse traditur, soleis mularum argenteis:* & Sabina Neronis
D uxor, mulas quibus agebatur, aureis funibus subligabat. Harum custodes *muliones* appellabantur, *l. 10. & l. 31. C. T. eod.* Ternis vero veredis aut mulis, unus hippocomus seu mulio assignabatur, *l. 34. C. T. eod.* & eorum morbis medentes, *mulomedici* dicti, qui annonas, id est, cibaria, & vestes ex publico accipiebant, nec aliud nomine mercedis, petere poterant, *d. l. 31. C. Th. eod.*

Boves etiam cursui publico inserviebant, *l. 12. & 53. C. Th. eod.* plaustra sarcinis onusta vehentes, sicut & asini, *l. 38. & 53. C. Th. eod.* Julianus verò Apostata, mulos, boves, & asinos, à vectura publica amovit, solùm equis ad currendum usus,
E ut auctor est Socrates, lib. III. cap. I. ad fin. Sed eos alii Principes ad usum publicum restituerunt.

Quotannis veredorum quarta pars reparabatur, id est, senioribus venditis, totidem juniores substituebantur, *l. omnibus* 7. *C. eod.* & si pecunia deerat, provinciales supplebant, ut Pyrrhus *in l. 1. C. quemadm. civil. mun.* & Antonius Augustinus *in l. 6. §. philosophos, de excus. munerum.* censent, quod etiam aliquot Jura probare videntur, *l. si, C. T. eod. l. maximum* 12. *C. de excus. muner.* Pabula quoque, fœnum, paleæ, & hordeum; à provincialibus pretio accepto ad id exhibebantur, *l. 2. C. de litoris advoc. l. 23. C. Th. eod.*

F Cursus publicus aliquando vehicularis vocatur, nonnunquam ambularis, *l. ult. §. 1. de munerib. & honor.* quandoque clabularis, *l. pen. C. T. eod.* à clabulo, vehiculo, *l. 23. & 26. C. Th. eod. Clavularem* Marcellinus lib. XX. appellat. *Eos,* inquit, *ad Orientem profectus præcepit clavularis cursus facultate permissa.*

Loca animalium cursus publici mutationes dicebantur, *l. si quis,* 15. *l. nemo,* 17. *& seq. C. eod. l. 36. & 60. C. T. eod.* ab equis qui mutabantur. Cassiodorus in VI. *tripart.* cap. XLV. scribit Julianum Sabam cognovisse mortem Juliani apostatæ, licet, plus quam viginti mutationes ab eo loco usque ad illius exercitum esse viderentur. Theodoretus, lib. III. cap. XIX. illud appellat *iter viginti dierum.* itaque veredi, & rhedæ, iter diei unius facere consueverant. Marcellinus, lib. XXI. ipsos veredos *mutationem* vocat. *Præfectus,* inquit, *prætorio Taurus maturè discessit vectus mutatione celeri Cursus publici.* Quandoque ea loca *stationes* vocantur. Arcadius A. *in l. pen. C. T. eod. Per stationes singulas,* inquit, *idoneos mancipes volumus collocari:* Græci Σταθμοὺς appellant. Suidas, diversoria sunt, currentium de civitate ad civitatem. Nonnunquam & *mansiones* dicuntur. Constantinus *in l. 9. C. T. de ann. & tributis. Tabula,* inquit, *ad mutationes mansionesque singulas animalibus cursus publico deputatis, certo & denunciato tempore devehantur.* De his intelligit Arcadius Jurecons. *in l. ult. §. hi quoque de munerib. & honor.* dum dicit, *qui ad mansiones destinantur, muneribus personalibus adstringuntur.* & Valentinianus, *L. nemo,* 8. *C. de ann. & tribut. Nemo,* inquit, *possessorum ad instruendas mansiones, vel conferendas species, longius delegetur.* Idem *l. 2. C. de cond. in publ. horreis.* Anthemio Præsidi *Cum ad aliquam,* ait, *urbem, mansionemve accesseris, protinus horrea te inspicere volumus.* In his enim frumenta & pabula inter milites dividenda servabantur. Lampridius in *Alexandro: Milites,* inquit, *expeditionis tempore sic disposuit, ut mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & septem (ut solent) dierum, nisi in Barbarico.* Ob id modios ad metiendum in mansionibus æneos, vel lapideos, cum sextariis, & ponderibus teneri, ac per singulas etiam civitates collocari Valentinianus jussit, *l. modios* 9. *C. de susceptorib. & arcar.* Ibi etiam hordeum, & lardum pro usu militum reponebatur. Constantinus ad Eubulidem Vicarium Africæ, *l. 2. C. de lucr. advoc. & l. 119. C. T. de decur. Multa,* ait, *à provincialibus indigne postulantur, non modo in civitatibus, sed etiam mansionibus; dum animalibus alimonia sine pretio ministrantur.* A numeris autem prima, secunda, & tertia mansio denominabatur. Tranquillus enim in *Tito* primam mansionem propè Romam, & Marcellinus in fi. lib. XVI. quadragesimam Argentorati fuisse scribunt. Unde fortè quædam hodie castra Tertii, Quarti, Quinti, Sexti, Septimi, Noni, Decimi, Vicesimi, Tricesimi, Quadraginta, Nonaginta, Centum, Quadringenta, Millesimi, & alia hujusmodi nomina in Italia retinent. Itinerarium Antonini Imperatoris nomine editum, itinera, & plurium regionum mansiones, tàm maritimas, quàm terrestres dinumerat, & Plinius lib. XII. cap. XIV. thuriferam regionem per mansiones metitur, quæ plurimum inter se circiter stadiis CL. seu miliariis XX. Italicis distabant. Herodotus quoque in sexto, iter à mari Græco ad Susa Persarum regiam per mansiones CXI. dividit: *Ubique,* inquit, *sunt regii stathmi, id est, mansiones, ac diversoria pulcherrima:* idem vult esse spatium castrametationum. Hoc etiam legitimum tempus visum est prætori diurni itineris faciendi, *l. 1. §. si quis cautio.* In has mansiones Imperatores divertere consueverant. Tranquillus enim in *Tito* cap. IX. Titum ad primam mansionem febri correptum fuisse scribit. Lampridius in *Alexandro: Itinerum,* ait, *dies publice proponebantur, ita ut edictum penderet ante menses duos, in quo scriptum esset:* illa die, illa hora ab urbe sum exiturus, in prima mansione mansurus: *deinde per ordinem mansiones, deinde stativa, deinde ubi annona esset accipienda:*

Hæc ille. Vopiscus Aurelianum Imperatorem apud Zenophorium mansionem, quæ est inter Heracleam, & Byzantium, occisum fuisse scribit. Id etiam D. Ambrosius de obitu Valentiniani Imperatoris clarius explicat. *Ecce*, dicit, *littera de instruendis mansionibus, invectio ornamentorum regalium, aliaque ejusmodi, quæ ingressurum iter Imperatorem significarent:* Hactenus D. Ambrosius. Ex cujus verbis apparet, iter facturum Principem, aulæa, & alia ad instruendas mansiones, ad quas erat diversurus, præmisisse. Præsides quoque provincias obeuntes, cum ad privatos ire non possent, ad mansiones divertebant. Valentinianus *in l. 4. C. Th. de offic. rect. provin. Quisquis*, inquit, *provincia præsidentem propria possessione susceperit, ager, quem diversorium habuerit, prædictus in transitu fisci juribus vindicetur, ita enim judices mansiones instruere, & instaurare nitentur.* Hæc ille, qui indicat præsides instruendarum, & reparandarum mansionum curam habuisse. Multa ex his loca in Italia, & Galliis etiam hodie antiquum nomen retinent: *Mansiones* enim seu *masiones* vocantur. *Bona mansio* quoque olim oppidi nomen fuit, ubi Valentinianus ad Victorem magistrum militum scripsit, *l. 12. C. T. de erogat. milit. annona. l. 3. C. eod. titu.* Cursus publici exercitatio *mancipium*, vel *mancipatus* dicebatur, *l. 3. & l. 15. C. Theod. h. tit.* & mancipes qui stationibus præficiebantur, *l. 24. 26. 36. & pen. C. Theod. eod.* Hi ex Proconsulis aut alterius præsidis officio singuli, singulis cursus publici mansionibus per quinquennium præponebantur, *l. 34. 46. C. Theod. eod.* postea perfectissimatus dignitate honestati abire permittebantur. Interea XXX. tantum diebus, quoque anno, à statione seu mutatione poterant discedere, *l. 36. 22. cap. C. Theod. eod.* Horum cura erat evectiones inspicere, an essent legitimæ, ut alimenta animalibus necessaria subministrarentur; nec permittere, uni rhedæ destinata animalia, alii adjungi, *l. 24. C. Theod. eod.* Præter hos ex Schola agentium in rebus, curiosi vocati, crebro ad inspiciendas evectiones mittebantur, ne quis earum modum excederet, *l. 2. & seq. C. de curiosis.* Erant & alii, qui animalia publica curabant, & currentia comitabantur, *catabulenses* vocati, quorum officium *catabulum* dicebatur. Damasus de Marcello Papa loquens: *Damnatus est*, ait, *in catabulum, cumque diebus multis serviret in catabulo, jussit Maxentius plancas extrahi, ut ibidem animalia catabuli congregata starent, & ipsis Beatus Marcellus deserviret.* Hoc idem sensit Martyrologium XVII. *Kalen. Febr.* narrans Marcellum jubente Maxentio ad servitium animalium, cum custodia publica fuisse deputatum. De his qui hoc onere adstringebantur ita Cassiodorus lib. III. *Var.* epist. X. & lib. IV. epist. XLVII. *Marmora*, inquit, *ad Ravennatem urbem per Catabulenses dirigantur. Isti cum ad mansionem pervenissent, pecuniam Principis, quam ibi inveniebant, revertentes ad suam mansionem portabant, ut ad locum thesauri, vel Comitem largitionum mitteretur.* Hæc in sacculis qui tot centenaria capiebant, condebatur, *l. quoniam. 11. C. eod.* In Codice Theodosiano, *libr. 14. titul. 3.* Catabulenses aliud sunt.

Usus cursus publici à Principe, vel Præfecto Prætorio codicillis impetrabatur, qui, quod duplicata charta scriberentur, *duplomata* vocabantur. Unde Modestinus eum, qui falso duplomate vias commeavit, pro facti qualitate puniri scribit *in l. eos. 27. §. ultim. ad l. Corn. de falsis.* eodem duplomate diebus ac noctibus iter continuari dicit Venulejus, *l. continuus. 137. §. cum ita. de verbor. obligationibus.* Plinius quoque Bithyniæ præses Trajano scripsit, se duplomata nulli commodasse, neque in rem alicujus, præterquam Principis, misisse; se tamen necessitate coactum uxori ad amitam ob mortem avi excurrere volenti, eorum usum dedisse, quia hoc officii gratia in celeritate consistebat. Capitolinus in *Pertinace: A Præside*, inquit, *Syriæ, quod sine duplomatibus cursum usurpaverat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est.* Has indulgentias posteriores Principes, *evectiones* nominarunt, quibus evehendi facultas dabatur, *l. evectiones. 3. C. eod.* Diem certum continebant, intra quem veredis uti licebat, eoque termino elapso irrita erant, ut ad Plinium Trajanus scribit, epist. VI. lib. X. D. Augustinus libr. V. *Confess.* capite penultimo, ad docendam Rhetoricam Mediolanum conductus evectionem publicam à Symmacho P. V. obtinuit. Dioscorus epistol. LV. inter D. Augustini epistolas: *Zenobius*, inquit, *magister memoriæ factus est, & misit mihi evectionem cum annonis.* Qui evectionem obtinebat, eam Præsidi provinciæ, per quam transiturus erat ostendere tenebatur, & ille subnotabat seu subscribebat, *l. 22. C. Theod. eod.* Concessa evectione, una aut duæ angariæ, id est, unus aut alter equus permitti censebatur, *l. 45. C. Theod. eod. & l. ultim. C. eod.* Cùm verò tertius veredus indulgebatur, parhippus, aut paraveredus dicebatur, *l. parhippum, 4. C. eod. & clarius in l. 14. C. Theod. eod.* Comitibus quatuor veredi cum parhippo, Tribunis militum tres concedi consueverant, *l. 49. C. Theod. eod.* Vicariis asini XXX. veredi X. *l. 38. C. Theod. eod.* Sed si præter equos, etiam viaticum Princeps elargiebatur, quod iis fiebat, quos ipse evocabat, hæc *duplomata tractatoria* appellabantur, *l. 1. de tract.* quorum formulam in Marculphi monachi libro inventam Cujacius vir doctissimus recitat, *in l. 1. C. de tracta. & an.* & est sequens:

ILLE PRINCEPS OMNIBUS AGENTIBUS IN ILLO LOCO. NOS GAIUM. I. V. PARTIBUS ILLIS LEGATIONIS CAUSA DIREXIMUS, IDEO IUBEMUS UT LOCIS CONVENIENTIBUS EIDEM A VOBIS EVECTIO SIMUL ET HUMANITAS MINISTRETUR, HOC EST VEREDI SIVE PARAVEREDI TOT, PANES TOT, VINI MOD. TOT, CEREVISIÆ MOD. TOT, LARDI LIB. TOT, CARNIS TOT, PORCI TOT, PORCELLI TOT, VERVECES TOT, AGNI TOT, ANSERES TOT, PHASIANI TOT, PULLI TOT, OVA TOT, OLEI LIBRAS TOT, GARI LIBRAS TOT, MELLIS TOT, ACETI TOT, CUMINI TOT, PIPERIS TOT, COSTI TOT, CARYOPHYLI TOT, SPICI TOT, CINAMOMI TOT, GRANI MASTICIS TOT, DACTYLÆ TOT, PISTACIÆ TOT, AMYGDALÆ TOT, CERÆ LIB. TOT, SALIS TOT, OLERUM, LEGUMINUM CARRA TOT, FACULAE TOT, PABULI EQUORUM CARRA TOT, HÆC OMNIA TAM EUNDO, QUAM REDEUNDO EIDEM MINISTRARI IN LOCIS SOLITIS, ET IMPLERI SINE MORA PROCURATE.

Præsides provinciarum euntes ad aliquam civitatem unam tantum angariam, & duos paraveredos, & totidem officium petere poterant, *Novell. Majoriani tit. 1. de curialib.*

Budæus *in d. l. eos. 27. §. ult. de falsis.* synthema evectionem fuisse putat: locus tamen D. Hierony-mi

A mi in epist. XXXIV. *ad Julianum* aliud innuit: *Jam demisso*, inquit, *synthemate equus publicus sternebatur;* quæ verba stragulam, equis impositam, non duploma significant. Trajano imperante, Præsides provinciarum evectiones dabant: sed Constantinus omnibus magistratibus eas prohibuit, *l. 5. C. Theod. eod.* Unde post ipsum à solo Principe, vel P. P. aut magistro officiorum, & non ab aliis impetrabatur, *l. judicibus, 9. C. eod.* Quibusdam tamen personis dabatur, ut legatis, qui ex diversis gentibus ad Principem mittebantur, *leg. his tantummodo, 16. C. eodem.* Vicariis Julianus Apostata duodenas singulis annis evectiones, & Præsidibus provinciarum binas, annuas verò ob publicas functiones permisit, *l. 12. C. Theod. eod.* Tributa etiam & species ex provinciis exactæ ad aulam Principis, aut exercitum rhedis, & jumentis cursus publici transferebantur, *l. ult. C. de cur. publ. l. 13. 18. 20. & 23. C. Theod. eod.* Agentes quoque in rebus ad negotia publica, & Principis expedienda missi, veredis, sed binis vehebantur, *l. 7. 9. 14. 49. C. Theod. eod.* Hodie cursus publici ratio aliter se habet. Caupones enim suos equos ad currendum cuicunque volenti locant, & privatam rem potius, quàm publicam curant, solam currendi facultatem à Principibus emunt, vel gratuito obtinent.

C Angarias plerique cursum vehicularem esse existimant, quoniam ita cursum publicum Persæ vocabant, & id etiam Areta tradit, *in cap. XVIII. Apoc.* ἵππους δὲ, inquit, καὶ τὰ διὰ τούτων ὀχήματα ἡ παλαιὰ μὲν φωνὴ ἀγγάρους, ἡ δὲ τῶν Ἑλλήνων δημοσίους ἱπποστάθμους, ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων ῥαίδην, ἀφ᾽ οὗ καὶ ῥαιδάριος. hoc est, *Equos autem, & his similibus, quos veteres angarios Græci equos stationarios, Romani verò rhedam appellant, à qua rhedarius derivatur.* Idem tenet Budæus, *ad d. l. eos. 27. §. ult.* Anton. Augustinus *in dict. l. 6. §. philosophos. de excusat. tut.* Pyrrhus, *in dict. l. 1. C. quemadm. civil. mun. indic.* Cælius Rhodiginus, lib. XVIII. cap. VIII. & alii. D Sed hæc Arcadius Jureconſ. ut diversa ponit, *in dict. l. ultimo. §. 1. de muneribus & honoribus: Cursus*, ait, *vehicularis solicitudo, item angariarum præbitio, personale munus est:* & infra, *dict. l. ultim. §. penult. Si immunitas aliquibus concedatur, neque ab annona, neque ab angariis, neque à veredo excusari possunt.* Et titulus de cursu publico, angariis, & parangariis hæc differre demonstrat. Julianus quoque, *in l. 16. Theod. eod.* non idem significare innuit: *Sardinia*, inquit, *cursus publici necessitas, sed non angariarum remittatur:* & Valentinianus, *l. 48. C. Theod. eod. Linea*, ait, *vestes Principis, non rhedis, sed angariis ad Comitatum dirigantur.* Angaria itaque erat transvehendarum E rerum Principis, armorum, vestium militarium, & similium necessitas, ob quas provinciales, boves, plaustra, Nautæ, naves præstare tenebantur, nullusque ab hoc onere, nec Ecclesia excusabatur, *l. Nullus. 21. C. eod. l. jubemus, nullam 10. C. de sacros. eccl. repetita in l. 2. C. de navibus non excusan. l. ultim. C. de fabri. & l. Maximarum. 12. C. de excusat. muner.* Imperabantur enim tot jumenta, & animalia ad trahenda plaustra, quot & ad transvehendas species pro locorum situ, atque itineris qualitate erant necessaria, *dict. l. 16. C. Theod. eod.* In primis ergo rhedis publici cursus per vias militares transferebantur, sed cum hæ satis non erant: F aut extra cursus publici limites eundum erat, privatorum plaustris, & jumentis vehebantur, quæ *angariæ* vocabantur. Hinc naves veteranorum angariari posse Ulpianus *in l. penultim. de veter.* scribit, & in sacris Literis legitur angariatum esse Simonem Cyrenæum, ut Domini crucem tolleret. At Græci *angariam*, quæ per viam

A basilicam, & cursum publicum ducitur, appellant. *Perangariam*, quæ per alias vias, vel tramites vehitur, quæ ex Juliani præcepto ad viam cursus publici temerè agenda non erat, *l. 15. C. Theod. eod.* Ob nominis tamen similitudinem quandocunque cursus publicus *angaria* vocatur, sed propriè aliud est. Qui veredis currebant à recta cursus publici via quingentis passibus divertere non poterant, *l. 25. C. Th. eo.* Plaustris angariarum MD. pondo imponebantur, equo tantum triginta, *l. 28. & 30. C. Th. eod.* Turcæ veredis non utuntur, sed præcones habent citissimo gradu maximos cursus peragentes: hi quemcunque obvium B equitantem habent, descendere jubent, ejusque equum conscendentes quantum possunt impellunt, si alium invenerint, idem agunt, & illi fatigatum equum tradunt, ut Laonicus Chalcocondilla scribit, lib. IX. Hæc de antiquo cursu publico breviter percurrere volui: Nunc ad Præfectum Prætorio Orientis est veniendum.

CAP. VII.

DE PRÆFECTO PRÆTORIO *Orientis.*

C DE Præfectis generaliter dictum est, jam verò de singulis tractandum, & primo de P. P. Orientis, qui numero provinciarum & auctoritate eminens primus appellatur. Marcellinus lib. XVI. *Inter ordinarios judices*, inquit, *Rufinus primus Præfectus prætorio.* Is autem præerat Orienti, quare plurimum in Principis comitatu residebat, *l. raptores, 54. C. de episc. & cle. l. præcipimus 32. C. de appellationib.* Nulla tamen ejus insignia, aut Diœceseon provinciarum effigies repræsentantur, unde aliquod folium deesse censeo: aut Præfecti Illyrici insignia ad utriusque ornamenta ostendenda satis esse Notitia credidit, quemadmodum unius D Consularis Palæstinæ, & Præsidis Thebaidis insignia, & officia demonstrantur, ut aliorum Consularium, & Præsidum sint exemplar. Sed magis est, ut aliqua hic deesse existimem, quia si unus eorum alterius typus esse debuisset, eum Præfectum Prætorio Orientis, tanquam priorem, & digniorem esse oportuit. Nos verò quæ legimus de eo exponemus. Is à Constantino, Auctore Zosimo, inventus, Provinciis Orientis, à me supra memoratis præpositus fuit, & quinque latas Diœceses, id est, quinas plurium simul provinciarum regiones regebat. videlicet, Orientem, Ægyptum, Asiam, Pontum & Thracias, quibus E Præfecti vice totidem majores præerant magistratus, *l. 1. C. ut nemo ad suum patrocin. suscip. rustic. l. nulli, 10. C. de numerar.* Comes enim Orientis Provinciis XV. imperabat, Præfectus Ægypti aliis VI. Vicarius Asianæ VIII. Asiæ Proconsul aliis III. Vicarius Ponticæ XI. Thraciæ VI. quæ omnes erant Provinciæ XLIX. & tot à Notitia sub dispositione hujus Præfecti recensentur: quemadmodum etiam sub P. P. quinque Orientis Diœceses recitat Leo A. ad Nicostratum Præfectum Orientis scribens, *in dict. l. 1. C. ut nemo ad suum patrocin.* & Valens *in l. 2. C. de militari veste.* ad Modestum Zeno, *in dict. l. nulli 10. C. de numerar.* & F alii. Sed hic non leve oritur dubium, nam in primo indice, id est, catalogo, sub hoc Præfecto provinciarum XII. Consulares nominantur. & XXXII. Præsidum, duæ verò Correctorum: nam reliquæ adscribuntur Illyrico. ergo non sunt nisi XLVI. provinciæ. Sed indè error provenit, quod in eo catalogo Asia particularis

ut Proconsularis omittitur: Arabia verò & Isauria etsi infra Asianæ attributæ hic non ut arbitror, per oblivionem, sed quia nec Consulares, nec clarissimorum Præsidum, aut Correctorum, erant provinciæ, sed perfectissimorum, qui hîc reticentur, & ideo in illorum numerum non sunt relatæ. De Arabia enim hoc constat ex inscriptione rescripti Valentiniani A. ad Theodorum V. P. hoc est, virum perfectissimum, Præsidem Arabiæ, *l. cum reis*, 18. *C. de pœnis.* Et idem de Isauria opinor, quod esset exigua, & tum à Barbaris oppressa, ut infra dicetur. Itaque P. P. Orientis XLIX. provinciæ numerantur. Imperabat præterea hic præfect. XI. Classibus Orientis, & Classicorum numerum, ut Valentiniani *l. unic. C. de offic. classic.* verbis utar, ex incensitis, id est, inopibus, atque accrescentibus, seu filiis remigum complebat. Inter eas insignis erat Classis Seleuciæ in flumine Oronte quæ in Comitis Orientis usu erat, *d. l. unica.* alia erat in Ponto Euxino navium quadraginta, ait Hegesippus *de excidio urbis Hierosolymitana*, lib. XII. cap. XIX. Tacitus lib. XVIII. *Classem*, inquit, *è Ponto Byzantium adigi jusserat.* Tertia à Trajano in mari rubro fuit instituta, Sex. Rufius. Quarta erat Alexandrina. Quinta Carpatia per Carpatium mare excurrens, *l. 4. C. de navicular. seu naucler.* Alias VI. in Danubio Notitia recenset & unam Thesaurensium, Leo A. *l. ult. C. de divers. offic.* Sed ibi fortè ita multitudo thesauros custodientium appellatur. Justiniano imperante in ejus Comitatu hic Præfectus degebat, *l. raptores.* 54. *C. de episc. & cler.* Numerus advocatorum fori hujus Præfecti erant centum, qui Clarissimi & Spectabilis titulo gaudebant, immunesque erant ab onere inspiciendi, peræquandi, extruendi operis & ratiocinandi, *Novell. Theod. tit.* 16. PRÆFECTVS PRÆTORIO, inquit Notitia in manuscriptis, EVECTIONES ANNVALES NON HABET, SED IPSE EMITTIT, id est, diplomata currendi non impetrat quotannis à Principe, ut Vicarii, qui denas vel duodenas evectiones singulis annis obtinebant, *l. 12. C. Th. de cursu publico.* & Præsides binas. SED IPSE EMITTIT, id est, suo jure currit, & hoc aliis permittit, ut in P. P. Illyrici explicabitur. Evectiones enim esse diximus, diplomata seu codicillos, quibus cursu publico utendi facultas datur. Constantinus ad Taurum P.P. *l. 3. C. de cursu publ.* Evectiones, scribit, ab omnibus postulentur, & tam judices, quam custodes publici cursus minimè transire patiantur, antequam seriem evectionis aspexerint. Julianus A. *l. 4. C. eod.* Evectionis datæ formam & licentiam non excedat, & alibi *in l. 6. quæst.* 10. *&* 11. *C. eodem. titul.* sæpè in hoc sensu accipitur. Quod igitur subjicit, EMITTIT, subauditur scilicet evectiones, quæ emitti dicuntur, cùm alicui conceduntur. *l. 33. C. Theod. eodem tit.* Valentinianus ad Constantium Præsidem, *Evectionum*, inquit, *emittendarum etiam per cæteras provincias dumtaxat in translationem vestium tua sinceritas habeat facultatem.*

Aliquando P. P. dicitur facere evectiones pro emittere, *l. 56. 57. 61. C. T. eod.*

Notitia impressa officium hujus præfecti, quemadmodum & insignia prætermittit, sed manuscripti illud recitant, ideò hic totum est explicandum, at prius aliquid de ejus assessoribus est dicendum, quorum etsi nulla hic fit mentio, quia extra officium erant, nec à Principe confirmabantur, nec ex laterculis, aut ex scriniis prodibant, primi tamen apud Præfectum censebantur.

CAP. VIII.

DE ASSESSORIBVS.

OMNES provinciarum magistratus unum, aut plures Jureconsultos secum ducebant, *l. 1. de off. Assess.* quorum consilio secundum Jura causas definiebant: Hi *assessores* & *consiliarii* vocabantur, quia judicanti assidebant, & consulebant, *l. penultim. & ultim. eodem titul.* Unde Ulpianus & Paulus in Papiniani P. P. consilio, id est, ejus assessores fuisse dicuntur. Quandoque *Juris studiosi* appellantur, *l. 4. de var. & extraord. cognit.* eorum erat officium causas cognoscere, expostulationes audire, libellos supplices legere, & his respondere, circa edicta & epistolas scribendas, ac decreta interpretanda versari, *l. 1. in fi. & §. 1. in Auth. de judicibus.* Criminales verò causas, audiebant quidem, sed non definiebant, verum Præfectis decidendas remittebant. sententias tamen à Præfecto ferendas dictabant, *l. solent. 6. de off. proconsul.* Denique quæcunque à Præfecto negociis impedito explicari nequibant assessores expediebant, *dict. §. 1. in Authent. de judicib.* his à Præfectis vel Præsidibus olim salarium dabatur. Papinianus, *l. diem funct. 4. de offic. assess. l. 4. de variis, & extraord. cog. Diem functo*, inquit, *legato Cæsaris, salarium Comitibus à legatis præstitutum debetur.* Pescennius verò Niger qui se in Oriente Imperatorem fecerat, & à Severo occisus est, instituit, ne à fisco salarium assessores acciperent. Spartianus in *Pescennio Nigro*: *Addidit consiliariis salaria, ne eos gravarent quibus assidebant: dicens, Judicem nec dare debere, nec accipere.* Id prius pro annonis & capitationibus in speciebus præstabatur. Theodosius verò Junior, & Valentinianus, illud in ære dari jusserunt, *l. 1. C. de annon. & capitat.* Idem observari Justinianus in Novellis, *§. festinabis Authent. de mandat. princip. seu Novell.* 17. præcepit. *Festinabis*, inquit, *assessorem assumere virum optimum, & purum, & his contentum quæ à fisco dantur.* Sed diversa pro assessorum qualitate constituit salaria, *Novell. 25. & sequent.* Assessori enim P. P. Africæ viginti libras auri præstitit, *l. 1. §. hoc etiam, C. de offic. P. P. Africa.* efficerent fermè duo millia, & ducentos nostros aureos. Aliis plus aut minus largitus est, ut infra dicetur. Pescennius Niger voluit præterea, ut assessores quibus in provinciis assedissent, in iisdem postea administrarent & præessent. Quod & Severus, & alii Principes observarunt. Assessores P. P. deposito officio, à nullo magistratu personali munere onerari poterant, *l. nemo minus*, 11. *C. eod.*

CAP. IX.

DE APPARITORIBVS, ET OFFICIO P. P. *Domesticis, & Cancellariis.*

IMPRESSAM Notitiam hujus Præfecti officium non habere diximus: sed in manuscriptis reperitur, ideo hoc loco de eo prius generaliter dissererur: demum singulos ejus gradus pro ingenii mei tenuitate explicabo: in re enim tam obscura, & jam multis annis extincta, non parum laborandum erit, ut luci restituatur. Eadem ferè erant Præsidum & Præfectorum officia, idcirco quæ de his dicentur omnibus erunt communia.

In officio P.P. plures militabant, quorum certus numerus sciri non potest. Statuit Justinianus ut officium P. P. Africæ esset CCCXCVIII. virorum, qui in X. scrinia, & XI. scholas dividebantur, *l. 1. §. item officium. C. de off. P. P. Africa.* Sed aliorum numerus longè amplior

amplior fuisse credendus est., cùm Comes Orientis DC. in officio homines haberet, *l. 1. C. de appa. Com. orie.* hi *officiales* seu *apparitores* dicebantur, & officium *apparitio*, *l. 2. C. de comi. sacr. larg. l. 1. C. de filiis. offic. qui in bell. mori.* & pluribus in locis. Hoc nomen etiam tempore Jureconsultorum fuit: nam & tum præcepta judicum, & sententias exequebantur: Scævola, *in l. ult. §. ult. de pign. act. Missus*, inquit, *ex officio annona centurio, culleos ad annonam sustulit.* Hermogenianus, *l. antepenul. de evictionib. Si jussu*, ait, *judicis res judicata pignus per officium distrahatur post evincatur, ex empto contra eum qui liberatus est, actio datur.* Vlpianus *in l. 1. §. si quis ultro. de quæst. Potes*, inquit, *servum per officium distrahi jubere.* Hæc sunt officia, quæ etiam diebus feriatis admoneri posse à Præside Vlpianus scripsit, *l. 2. de feriis.* ipsi ab officio, officiales, *in l. præsidis*, 34. *de reb. credi.* vel apparitores vocabantur. Idem *l. si pignora.* 50. *de evictionib. Si pignora*, ait, *veneant per apparitores prætoris danda non est in eos actio re evicta.* Iidem *cohortales* dicebantur, *in tit. & rub. C. de cohortalib. princip. cornic.* quia formam cohortis seu legionis, & privilegia habebant, *l. officia.* 4. *C. eod. tit.* Vnde nomina ordinum, & promotionum in militia ad hos sunt translata, ut Asconius monet, *in III. oration. contra Verrem. Accensus*, inquit, *nomen est ordinis, & promotionum in militia, ut nunc dicitur Princeps, vel Commentariensis, aut Cornicularius: hæc enim nomina de legionaria militia sunt.* Hæc ille. Accensus autem propriè scribæ fuisse videtur. Cicero *in v. Act. in Verrem: Non reprehendo*, ait, *quod adscripsit, accensus: cur enim sibi hoc scriba soli assumant?* cohortem apparitores intelligit etiam Horatius, *Satyra* VII. lib. 1.

Persius exponit causam, ridetur ab omni
Conventu, laudat Brutum, laudatque cohortem.

Erat autem Brutus Asiæ prætor, cujus cohortem sive officium Persius laudabat. & Cicero *in* IV. *actione*, refert Verrem cohortem habuisse, in quatum erant præfecti, scribæ, medici, aruspices, præcones. De hac intelligunt Euangelistæ, cùm scribunt, ad necem Domini cohortem congregatam fuisse, *Matth.* XVII. *Marc*, XV. Quandoque etiam *Beneficiarii* appellantur, *l. officiales C. 4. de ep. & cler. quæ est l. beneficiarii*, 7. *C. Theod. de cohortalibus & inde emendanda.* quod nomen & ipsum a militibus legionariis descendit, in quibus beneficiarii vocabantur beneficio Tribuni ad aliquod officium promoti. Vegetius, lib. II. cap. VII. *Sic omnes*, inquit, *consequuti aliquos munus in officio Præfectorum, beneficiarii, vel ordinarii vocantur.* ita emendandus, & intelligendus est Tacitus, libr. XX. loquens de Proconsule Africæ & legato legionis: *Æquatus est*, ait, *inter duos beneficiariorum numerus.* sic legendum, pro *beneficiorum.*

Ita etiam eos Tertullianus appellat, *de persecutione in fuga: Nescio*, inquit, *dolendum, an erubescendum sit, cum in matricibus beneficiariorum, & curiosorum inter tabernarios, & lanios, & fures, balneari os, & aleones, & lenones Christiani quoque vectigales continentur:* eos intelligit, qui pecuniam dabant apparitoribus, ne tanquam Christiani apprehenderentur. In hoc quoque sensu in actis D. Fructuosi *apud Sur.* XXI. *Janua.* accipiuntur: *observantibus*, inquiunt, *ex officio beneficiariis.*

Nonnunquam iidem *scriniarii* nuncupantur, quia chartas ad se quisque spectantes in scriniis scribebant, & custodiebant, *l. scriniarios* 16. *C. de test. milit. l. nulli*, 10. *C. de munerib.* Officiales Præfectorum Prætorio, & aliorum illustrium, & spectabilium magistratuum, codicillis Principis creabantur. Hæ probatoriæ vocabantur, quæ à Principe, ac magistratu, cui inserviebant, subscriptæ in officio relinquebantur: Theodosius A. *l. in his C. de diver. offi. In officiis*, ait, *virorum spectabilium Proconsulis Asiæ, Comitis Orientis, Præfecti Augustalis, Vicariorum nemo admittatur, nisi cum emissa probatoria sacri scrinii consecraverit, l. penultim. & ultim. C. eod. de diver. offic.* Hæc exemplaria seu probatoriæ non ex laterculo majore, quemadmodum magistratuum codicilli, seu ex scrinio Epistolarum prodibant, sicut & officia Vicariorum, *l. ultim. §. item scrinii, C. d. tit. de divers. offic.* Præsidum vero cohortales perpetui erant, *l. præsidis*, 34. *si cert. petat.* & officio obnoxii, *l. antepen. pen. & ultim. C. de cohor.* quos satis erat in matriculis, seu albo officialium describi, *l. 10. C. de cohorta. dict. l. 16. C. de test. milit.* Die Natalis Domini quotannis Prætoriani apparitores mutabantur; ad gradum enim vel Cornicularii, vel Commentariensis, prout erat opus, promovebantur, ut auctor est Cassiodorus, in 11, *formula promotionis officii prætoriani.* Horum munus erat jussa Præfecti implere, litigantes in judicium introducere, acta scribere, recitare, & partibus edere, sententias scribere, atque exequi, & alia necessaria judiciorum peragere, *l. 1. & 2. C. de priu. agen. in reb. l. per Illyricum* 9. *C. de cohor. l. ultim. C. de jur. dom. imper.* Justinianus ad Mennam P. P. *l. ultim. C. ut intr. cert. temp.* loquens de judicum officiis: *Si litis*, inquit, *introductionem, vel examinationem distulerint, pœna viginarum librarum auri ferientur.* & infra clarius patebit. Iidem infirmis mulieribus, & egregiis viris domi juramentum deferebant. Justinianus, *Novell.* 124. *§. 1. & §. sin autem, Authent. ut litigan. jurent. Si aliqui litigantium nequeunt ad judices venire, jubemus dirigi ex officiis ministrantibus aliquos, ut eis præsentibus sacramenta præbeantur.*

Cùm verò in aliquem locum ob publicas, vel privatas necessitates mittebantur, lumine, & brevi, id est, necessaria suppellectili instruebantur. Vlpianus, *in l. illicitas, §. ne tenuis, de offi. præsid. Ne tenuis*, inquit, *vitæ homines sub prætextu adventus officiorum lumine unico, vel brevi suppellectile ad aliorum usum translatis injuriis vexentur, Præses provinciæ providebit.* Præterea in via Præfectum antecedebant, quemadmodum Lictores Consulem: & hodie multis in locis apparitores Magistratus præcedunt. Lampridius in *Alexandro*, loquens de Ducibus militum: *Apparitores*, ait, *nullos esse passus est. Tribunis, & Ducibus nisi militem anteire voluit, jussitque, ut ante Tribunum quatuor milites irent, ante Ducem sex, ante Legatum decem.* Cursus quoque publici curam habebant, tributa, resque fiscales exigebant, *l. 2. C. de cohortal. dict. l. officiales*, 4. *C. de episcopis & cleric.* latrones sibi à stationariis indicatos capiebant: solebant enim hoc tempore in certis urbis, aut territorii locis milites collocare, qui ortos tumultus sedarent, factiosos vincirent, criminaque patrata Præsidi indicarent, *l. 1. de offic. præf. urb.* Id ab Augusto institutum fuit. Tranquillus in *eod.* cap. XXXII. *Grassatores*, ait, *dispositis per opportuna loca stationibus inhibuit.* Eas postmodum Tiberius auxit: idem in *Tiberio* cap. XXXII. *In primis*, inquit, *tuendæ pacis a grassaturis, & latrociniis, seditionumque licentia curam habuit: stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit.* Hi à statione, in qua degebant, *stationarii* dicebantur, *dict. l. 1. §. fin.* Tertullianus in *Apologetico: Latronibus*, ait, *investigandis per universas provincias militaris statio sortitur.* Item Constantius, *l. 1. C. de cur. Curiosi*,

vel stationarii, vel quicunque funguntur hoc munere, crimina judicibus nuncianda meminerint, & sibi necessitatem probationis incumbere, nec citra periculum sui, si insontibus eos calumnias nexuisse constiterit. Cesset ergo prava consuetudo, per quam carceri aliqui immittebantur. Hactenus ille. Tantum enim indicandi, non etiam custodiæ reos tradendi facultatem habebant, in fuga tamen deprehensos in carcerem detrudebant. Paulus *in l. Limenarcha*, 4. *C. de servis fugit. Limenarcha*, inquit, *& stationarii fugitivos deprehensos rectè in custodia retineant.* Hos postea apparitores suscipiebant aut ipsi inventes capiebant, & carceri mancipabant: Martyrolog. XXVII. *Maii.* Dorostorus in Mysia veteranus, & emeritæ militiæ comprehensus ab officialibus Maximo Præsidi offertur, cum tormentis sontes urgendi erant, apparitores cruciabant. Gratianus in l. 80. C. *Theod. de decur. Ordo curialis*, ait, *ab ictibus plumbatarum habeantur immunes scituro judice, si ipse vel ejus officium contra legem aliquid usurpare tentaverit, gravissimo supplicio esse subdendum.* Hæc ille. Denique quicquid illicitum publicè fieri videbant, prohibere tenebantur, veluti ne hæretici ad cœtum piorum, Litaniasve convenirent, *l. 3. C. de hæret.* ne quis alteri etiam impio injuriam inferret, *l. 6. de pagan.* ne idolis sacrificaretur, *l. 7. C. eod. tit.* & alia hujusmodi interdicta vetabant. Illud in primis in cohortalibus observabatur, ut gradum, quem semel obtinuissent, repetere non possent, alioquin deportabantur. Arcadius & Honorius, *in l. 1. C. ad legem Juliam, de ambit. Nullus*, inquiunt, *Principatum, vel numeratum, vel Commentariensis gradum, vel cætera officia repetere audeat.* Officium Græcè τάξις & ipsi officiales ταξεῶται vocantur. Specialiter verò *Præfectiani* in Præf. Præto. officio merentes dicebantur, quibus ab intestato sine successore morientibus Præfecti Prætorio arca succedebant, *l. 3. C. de appar. præf. præt. libro* 12. Magna verò commoda accipiebant: nam à provinciis annonas, id est, cibaria habere consueverant, pro quibus postea pecunia à Principe quandoque DCC. & plurium aureorum est constituta, *l. annonam, C. de erog. mil. anno.* præterea pro ingressu litis ternos, quaternosve aut plures aureos pro locorum consuetudine, aut privilegio personarum à litigantibus exigebant, *l. pen. §. pen. & ultim. ff. de legat. 3. l. omnes. §. executoribus. C. de episcopis & cleric.* pro his citandis, pro actis scribendis, edendis, recitandis, instrumentis exhibendis, ac denique pro singulis actibus totidem aut plures aureos, minusve pro hominum conditione, locorumve usu percipiebant: similiter cum sententias exequebantur, & pignora capiebant, & vendebant, mercedem seu sportulas accipiebant, *l. 1. C. de sport.* ubi verò sine scriptis res agebatur, aureum tantum executor consequebatur, *l. in sacris, C. de proxim. sacr. scrin. l. ult. C. de princ. agen. in reb.*

Huic officio singuli Consulares Orientis pro insinuandis codicillis magistratus XL. solidos solvebant singuli. Præsides & Correctores XXXVI. Comes Orientis, & Proconsul Asiæ LXXX. Comites Phrygiæ Pacatianæ, & Gallatiæ L. *Novel.* 8. *seu Auth. ut jud. sine quoquo suffrag. fiant.* cum igitur XLIX. provinciarum magistratus, præter Comitem Orientis, Præfectum Augustalem, & IV. Vicarios, qui plus solvebant, pro insinuandis magistratus Codicillis præscriptam pecuniam penderent, exigebat id officium hoc nomine plus minus quatuor millibus aureorum. Novella verò octava non nisi XLVIII. Orientis, & Illyrici magistratus has sportulas pendentes recenset, quia tum Imperio diminuto veterem formam non servabant.

Defensores quoque cujusque Metropolis officio Præfecti quaternos aureos, alii minorum civitatum ternos pendebant, qui simul congesti magnam summam colligebant. Nam cum XLIX. provinciæ sub Præfecto Prætorio Orientis, & totidem Metropoles fuerint, ab harum defensoribus quotannis plus minus CC. aureos capiebant. Ab aliarum verò civitatum præfectis aureorum circiter duo millia. Quælibet enim provincia minimum XIII. civitates, sed sæpe plures continebat, *Novell.* 28. *& c. scitote*, 6. *quæst.* 3. annonam præterea à fisco, sicut & alii officiales habebant. Et cum officium P. P. Africæ aureorum 4253. à fisco perciperet, nec minus his Præfecti Orientis officium consecutum fuisse est credendum. Nummi quoque & annuli eorum, qui ultimo supplicio affecti fuerant, quinque aureorum precium excedentes in chartam officialibus emendam impendebantur, *l. divus, ad fin. ff. de bon. damn. Cod. de adsess. domesticis, & cancellariis.*

Cohortales extra ædes Præfecti aut Præsidom habitabant. Alii erant ipsi conviventes domestici appellati, *C. de offic. asse. & domest. l. 3. l. 1. C. ad legem. Jul. repetund.* qui privata judicum negotia obibant, ac rationes tractabant. Ex his quidam erant Cancellarii dicti, qui ad privatos homines Præfecti seu Præsidum nomine Epistolas scribebant, à cancellis, intra quos degebant, nominati, Cassiodorus lib. XI. Joanni Cancellario: *Latere*, inquit, *non potest, quod intra cancellos egeris. Tenes lucidas fores, claustra patentia, fenestratas januas, & quamvis studiosè claudas, necesse est, ut te cunctis aperias, undique conspiceris, qui in illa claritate versaris. Ad nostra monita aures animumque converte: fige menti omnia, quæ jubemus.* Hactenus Cassiodorus. Procopius in 1. *de bello Vandalico*: *Domesticum*, inquit, *Romani arcanorum socium appellant, is hodie Secretarius vocatur.* Hi actibus publicis officialium aut cohortalium se immiscere non poterant, quod si fecissent, à majori judice puniebantur, *l. 3. de assess. & domest. & cancell.* Lictoribus tamen, & officialibus Præfecti mandata significabant. Cassiodorus diversis cancellariis provinciarum lib. XII. *Variar.* prima formula: *Fasces*, inquit, *judicum tibi parent, & dum jussa prætoriana sedis portare crederis, ipsam quodammodo potestatem reverendus assumis.* Hæc ille. Honorius postea prohibuit cancellarios à Præsidibus in provincias duci, sed illos ex officiis eligi præcepit, *l. nullus. C. eodem titul.* qui deposito à judice magistratu, quinquaginta diebus, & ipsi in provincia morari tenebantur, accusationibus responsuri, *l. 3. C. eodem titul.* nec sub alio officium continuare poterant, *l. 5. & 6. C. eod. tit.*

Cohortalium officia cum imperio Romano fermè universa sunt extincta, aliqua tantum eorum permanent vestigia: pauci enim hodie relicti sunt nuncii seu viatores, qui olim Principis ministri, litigantes citabant: neque hi hodie semper à magistratibus, sed à Decurionibus civitatum plerumque eliguntur. Permanserunt & satellites, qui delinquentes capiunt, & in carceres detrudunt. Commentariensis quoque carcerum custos est in usu: sed magnam pristinæ auctoritatis partem amisit. Numerarii cum Singularis, & Cornicularii Adjutoribusque, omnino in desuetudinem abiere. Et alii ab actis, hodie inventis nostris tabulariis, parum frequentantur. Exceptores etiam, qui litigantium acta scribebant, nunc extra magistratuum officia ex collegiis tabulariorum civitatum eliguntur,

&c ipsi

& ipsi inter se hoc munus partiuntur, unde solum executorum litium, & quorundam apparitorum, & Commentariensis vestigia permanent. Nunc singula officii capita sunt explicanda.

CAP. X.

DE PRINCIPE.

IN officio Præfectorum Prætorio hos gradus Notitia recenset, videlicet, Principem, Cornicularium, Adjutorem, Commentariensem, Ab actis, Numerarios quatuor, in his auri unum, operarum alterum, Subadjuvam, Curam Epistolarum, Regendarium, Exceptores, Adjutores, & Singularios, quorum plures sæpè in jure nominantur, *l.* 1. *C. ad l. Jul. de amb. & tit. C. de num. chartular. Adjutor. scrinior. & except. in l.* 1. *& ultim. C. de appar. præfect. prætor. & C. de princip. agen. in reb. lib.* 12. & alibi. Princeps ipse est caput officii, ut ait Suidas, qui omnibus imperat, & quid agendum sit ubique disponit: Hunc Primicerium, in officio Præfectorum esse, Vegetius scribit, lib. II. cap. XXI. Loquens enim de Primipilo primæ cohortis militaris, ait: *In prima coborte ad hanc pervenit palmam, in qua ex omni legione infinita commoda consequitur, sicut Primicerius in officio Præfectorum Pretorio ad honestum, quæstuosumque militiæ pervenit finem.* De hoc autem officii Principe intelligit. Marcellinus quoque, lib. XV. Rufinum apparitionis præfecturæ Prætorianæ Principem appellat. Quandoque Primiscrinius officii vocatur: cùm enim quisque primas cohortalium proprium scrinium haberet, hujus primum dicebatur scrinium, *l.* 1. §. *in scrinio primo, & seq. C. de off. præfect. prator. Africæ.* Gratianus, *l.* 3. *C. de div. offic. Primiscriniis,* inquit, *officii tres libras auri persolvet.* Idem *l.* 1. *C. de sportul.* ad Potitum Vicarium: *Exhibitus, ait, ab eo apparitore, cui primum traditus fuit, observari eum decernimus, primiscrinio, qui jussa temeraverit, quinque librarum auri condemnatione multando:* ita vulgò accipitur, sed adjutorem ibi Primiscrinium dici puto. Aliàs pro numerario primiscrinius accipitur.

Princeps verò hic appellatur exemplo Principis primæ cohortis, qui præerat centum quinquaginta militibus, eum Pædianus Accenso legionis comparat, *in* III. *contra Verrem*: *Accensus est,* inquit, *nomen ordinis, ac promotionis in militia, nunc dicitur Princeps, vel Commentariensis, aut Cornicularius. Hæc enim nomina de legionaria militia sumpta sunt,* Hæc ille. Exemplo ergo Principis legionis, prope omnia, quæ in judiciis ordinanda sunt, ad hunc pertinent. Vegetius lib. II. cap. VIII. *Ab hoc Princeps,* inquit, *in officio nomen habuit, quia & ipse omnia, quæ ab officialibus agenda erant, ordinabat: illi enim sine ipso nihil exequebantur. Nullus in carcerem detrudi, nullus advocatus introduci, ipso inscio potest.* Gratianus *in l.* 1. *C. de princip. agen. in reb. Agentes,* inquit, *in rebus post palmam laboris emeriti Principatus honore muneramus, atque ideo officiales, tam ad necessitates publicas, quàm privatas, non nisi Principe mittantur auctore, nullarum sine ipso cuiquam mandetur exhibitio personarum.* Hæc ille. Ex agentibus in rebus Principes quorundam officiorum creabantur, ut Vicariorum, *l. eos. C. de princip. agen. in reb.* Comitis Orientis, Proconsulis Achajæ, Præfecti Augustalis, & Limitaneorum Ducum. Hic ergo Princeps litigantes ad Præfectum citari jubebat, omniaque judiciorum acta exequebatur, *l.* 1. *& 2. C. eodem tit. de princ. agen. in reb. libr.* 12. Symmachus, lib. I. epist. XXII.

A *Cùm ad ejus ædes,* inquit, *Princeps officii commeasset, & obstinatam hominis contumaciam non posset inflectere, inanem Syngrapham reportavit.* Et paulò post: *Hoc ubi Princeps officii comperit, paucis comitatus excurrit, retinet Felicem celebri urbis loco, nec tamen eripit: Deinde à Principibus utriusque officii perducitur.* Hæc ille. ex quibus constat reos criminis jussu hujus Principis solitos comprehendi. Idem judicia actori dictabat, & libellum reo edendum componebat. Martianus *in l. ultim. de sep. Qui,* inquit, *judicium dictaverint heredi, separationem, quasi hæreditarii possunt impetrare, quia ex necessitate hoc fecerunt, scilicet cùm essent officiales, vel hujus*

B *Principis ministri.* Sed præcipua exigendorum tributorum illi cura incumbebat, ut Cassiodorus in XI. *in delegatoria principis,* refert. Multa verò consequebatur commoda. Nam præter superius dicta omnium sportularum, quæ à litigantibus solvebantur, particeps erat, *l. ultim. C. de re milit. l. ultim. Cod. de princ. agen. in reb.* ipse vero cum litigabat, leviores sportulas solvebat, *dict. l. fin. C. de princip. agent. reb.* Majus etiam stipendium, quàm cæteri officii summates percipiebat. In officio enim P. P. Africæ sex annonas, id est, alimenta pro totidem personis, & quatuor capita, id est, pabula pro totidem equis capiebat: Pro singulis

C verò annonis quinos solidos, pro singulis capitibus quaternos Justinianus *l.* 1. *C. de offic. præfect. prator. Afric.* taxavit. Alii cohortales pauciores annonas, & capita consequebantur. Proprium hic Princeps scrinium habebat, cui plures serviebant, qui singulis diebus ab eo acta, ut rerum gestarum veritas appareret, diligenter scribebant. Hi in officio P. P. Africæ erant numero X. inter quos Primicerius, secundo, tertio, & quartocerius præ cæteris annonarum & capitationum numero, auctoritateque eminebant, *l.* 1. *in Notitia, C. de offic. præfect. pretor. Afric.* Domesticum etiam cancellarium Princeps habebat, cui secretiora scribenda

D committebat, *l.* 4. *C. de princ. agent. in reb.* clarissimusque vocabatur, *l. ultim. C. eodem tit.* & aliis gaudebat honoribus, de quibus in Principe Officiorum Comitis Orientis dicetur. Hic hodie non est in usu, solum quædam ejus, ut diximus, ministrorum vestigia extant. Viatores enim seu Nuncii nunc litigantes citant, sententiasque exequuntur.

CAP. XI.

DE CORNICVLARIO.

E PRINCIPEM sequitur Cornicularius, quem Accursius *in l.* 2. *C. de proxim. sacro. scrinior.* simplicem Prætorium apparitorem esse opinatur, Alciatus Principis ministrum. Sed cum inter primates officii tam Notitia quàm Jura collocant, Valentinianus *in dict. l.* 2. *& in l. fin. C. de offic. divers. judic. Sciant,* inquit, *Principes, Cornicularii, & primates officiorum, ternas libras auri è suis facultatibus eruendas, si honoratis viris secretarii in judicium non patuerit ingressus.* Ego illum fuisse puto, qui jussa, sententias, & decreta Præfecti Prætorio, aut Præsidis scribebat & publicabat. Cassio-

F dorus libr. XI. *Variarum* ad Anatolicum loquens de Corniculario: *Præfuit,* ait, *juribus secretarii Pretoriani:* ita enim legendum est, pro *curribus,* ut vulgò habetur. Secretarium verò pro usu illorum temporum tribunal appellat, in quo sensu & Jura posteriorum Principum accipiunt, *l. ultim. C. ubi senat. vel clariss. l.* 2. *&* 5. *C. de proxim. sacror. scrin. l. ultim. C. de offic. divers. judic.*

Corni-

Cornicularii nomen est antiquum: Tribuni enim plebis illum apud se habebant, quorum acta, plebiscita, jussaque scribebat, & servabat. Valerius namque lib. VI. cap. 1, auctor est, Letorio Tribuno militari à Caninio Tribuno plebis diem dictam, quod Cornicularium suum stupri causa appellasset, diuque hoc nomen permansit. Hunc esse arbitror, qui scriba vocatur. Gn. enim Flavius, qui fastos publicavit, Annii libertini filius à Valerio lib. II. cap. 1. scriba nuncupatur, & Gellius, lib. VI. cap. IX. qui ejus historiam narrat, eum scriptum fecisse, & Ædili Curuli apparuisse, seu ejus apparitorem fuisse scribit: ejus enim jussa & decreta notabat. eundem Pomponius Appii Claudii Decemviri, cùm jus redderet, scribam fuisse narrat, *in l. necessariam. §. postea cum Appius, de origine juris*, illius sententias & decreta scripsisse significans. Scribarum & Quæstorum audaciam M. Cato Quæstor creatus compescuit. Plutarchus in eo: *Magnam*, inquit, *fecit conversionem Ministrorum & Scribarum, qui cum leges & publicas scripturas in manibus haberent, adolescentes, qui eum Magistratum gerebant, ita gubernare soliti erant, ut ipsi planè Magistratus essent:* sed Cato Scribas Ministrorum tenere coëgit, fraudes eorum redarguens: & subdit salarium his persolutum fuisse. Cato quoque major, Salonis Scribæ filiam uxorem duxit. Diocletianus quoque Imperator Scribæ filius fuisse creditus est, inquit Eutropius. Scribæ tamen nomen generalius est quàm Cornicularii. Græci *Grammatea* vocant. Unde Plutarchus Eumenem Cardianum archigrammatea Alexandri Magni appellat. Cornicularius, quandoque Cancellarius est dictus, *in l. 2. §. & est Notitia, C. de offic. P. P. Afric.* quamquam is propriè erat, quem extra cohortem secum in provinciam præses scribendi causa ducebat, qui enim decreta scribebat, ab officio, ut apparitor esset, eligendus erat, *l. nullus 8. C. de assessor.* Cornicularius autem quod pro insigni cornu uteretur, vel fortè ex eo silentium litigantibus indiceret, denominari potuit. Julius Firmicus lib. I. *Mathesil.* cap. VI. eum sententias in delinquentes latas scripsisse innuere videtur. *Erant*, inquit, *Cornicularii aut Commentarienses, quibus damnatorum cura committebatur; seu Claviculari vel carcerum custodes, & quibus publicarum catenarum cura mandatur.* Hæc ille. Intererant & quæstionibus, quæ de reis criminum habebantur, & fortè torquebant, ut ex actis martyrum constat. Cæsar Car. Baron. in *Annal.* CCXC. *Maximus*, inquiunt, *præses dixit, tangite corpus ejus. Anaxius Cornicularius dixit, consenti præsidi.* Hactenus acta. Maternus quoque libr. II. eos sententiis damnatorum exequendis præfuisse scribit. Corniculario præconem paruisse puto, per quem statuta judicum publicabat, & in judiciis necessarius erat: per ipsum enim absentes vocabantur. Marcellus *in l. divus, in princ. de in integrum restit. minor.* si citatus non respondit, confestim autem judicem pro tribunali sedentem adiit, existimari potest, parum exaudita voce præconis defuisse. Justinianus A. *Novella* 112. *seu §. jubemus, in Auth. de litigio. Jubemus*) ait, *ordinarios judices non solum voce præconum, sed & propositis edictis absentem vocare in judicium, quia vox præconis paucis innotescit.* Edictum autem citationem appellat, quia secundùm edictum fiebat: & ita appellant Jureconsulti. Ulpianus *in l. ad peremptorium, cum seq. de judic. Ad peremptorium*, inquit, *edictum hoc ordine pervenitur.* Hac ratione & literæ, quas de adventu suo Proconsul in provinciam per præconem mittit edicta vocantur. Ulpianus, *in l. observare, §. 2. de*

A *offic. proc. Antequam*, ait, *provincia sibi decreta fines Proconsul ingrediatur, edictum debet de adventu suo mittere*: & post pauca: *Rectè & ordine faciet, si edictum decessori suo miserit, significetque qua die fines suos sit ingressurus*: quod per præconem, quemadmodum & alia multa facta fuisse verisimile est. Asconius in III. *orationem in Verrem* in princip. *Apud veteres*, inquit, *& judices, & rei, & accusatores, & defensores ciebantur à præcone*, id est, alta voce enunciabantur. Officium præconis egregiè Apulejus in *Floridis* lib. I. in fi. describit. *Præco*, inquit, *cum Proconsule, & ipse tribunal ascendit, & togatus illic videtur, & quidem perdiu stat,* B *aut ambulat, aut plerumque contentissime clamitat. Enimverò ipse Proconsul moderata voce rarenter, & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit, quippe præconis vox garrula ministerium est Proconsulis.* Hæc Apulejus. Solebat & præco tempore, quo sontes plectebantur, supplicii causam enunciare. Gordianus A. *in l. fustibus. C. ex quibus causis infa. irrog. Fustibus*, inquit, *cæsum, cui per præconem dictum est*, ἐσυκοφάντησας, id est, *calumniatus es*, ut calumniatorem videri notatum. Spartianus quoque auctor est Severum, cùm Africæ Proconsulis legatus esset, quendam Leptitanum olim suum contubernalem, qui se amplexus fuerat, fustibus jussisse C cædi cum hoc Præconis elogio, LEGATUM POP. ROM. HOMO PLEBEIUS TEMERE AMPLECTI NOLI. D. Ambrosius sermone XC. *Jussit*, inquit, *ad lupanar duci sub voce Præconis dicentis Agnem sacrilegam virginem diis blasphemiam inferentem; scortum lupanaribus datum.* Et illud est superdicere, *l. si duo, §. ultim. ff. de jurejur.* Ulpianus, *Si quis*, inquit, *pejeraverit, fustibus eum castigandum, & ita ei superdici.* προπετῶς μὴ ὄμνυε. Hæc de Præcone latiùs disserui, quia ipsum Cornicularii ministrum fuisse puto.

Sed, ut ad Cornicularios revertamur, Magistri militum, aut Comites, vel Duces eis carebant; D quod paucis decretis, aut sententiis inter milites ferendis non essent necessarii. Sed Princeps officii eo munere facili posset fungi. Anno tantum Cornicularius usque ad festum Domini Nativitatis manebat in officio, tum pro strena VII. solidis acceptis exibat. Cassiodorus in XI. *Variar. Illi*, inquit, *qui inculpabiliter Cornicularii est perfunctus officio*, VII. *solidos longæva consuetudo deputavit.* Emeritus etiam Comitis dignitate honestabatur, *l. ultim. C. de numerar. & actuar.* & immunitatem à judicum indictionibus habebat, *l. Cornicularii. C. de apparitor. præfect. prætor.* Hic, ut alii apparitores Præfecti Prætorio, proprium habebat scrini- E um, in quo plures ministrabant, qui judicum sententias, decreta, jussa, & edicta scribebant & conservabant. Apud P. P. Africæ in Cornicularii scrinio erant decem, quibus ex publico annonæ dabantur. Hic ab Imperatore, ut alii hujus officii homines in scrinio epistolarum probandus erat. Symmach. *epistol.* XL. lib. I. *l. ult. C. de divers. offic.*

CAP. XII.

DE ADJUTORE.

F POST Cornicularium erat Adjutor, is vulgò intelligitur, qui alterius vices seu locum implet. Cassiodorus, lib. VI. *Variar. in magisterii dignitat. for. Adjutor*, inquit, *etiam nostras præsentiæ obtutibus, ut vicaria sorte beneficii, eligamus ejus præsidium, qui nobis præstat fidele solatium*: Hæc ille: sic Scævola *l. Sticho, §. item quæro, an ea*

quæ

quæ exacta sunt ff. de statu lib. Adjutores actoris servi appellat, qui ejus vice fungebantur, & illum adjuvabant. Livius in VI. *decadis* III. *Marcus Tullius*, inquit, *Syllanus Proprætor ad res gerendas, adjutor datus.* Cæsar in III. *de bello civili: Huic, quod valetudine minus commoda utebatur, Fulvium Posthumium adjutorem submiseras*: erat velut qui datur coadjutor Episcopo, *can. scribis.* 7. *q.* 1. Id clarius significat Valentinianus *l. ad Commentariensem, C. de custod. reor. Ad Commentariensem*, inquit, *receptarum personarum custodia observatioque pertineat: Si Commentariensis necessitate aliqua procul ab officio egerit, adjutor ejus pari cura invigilabit:* Ibi adjutor aliud quam vices Commentariensis gerentem significare non potest. In hoc sensu accipit & Paternus, *l. fin. ad fin. ff. de jur. immunit. Adjutores*, ait, *Corniculariorum graviorum munerum immunitatem habent.* Adjutorem etiam appellat Paulus actorem, qui tutoris infirmi, vel absentis vices implet, *in l. solet. in fin. de tutel. Est etiam*, inquit, *Adjutor tutelæ, quem solet Prætor permittere tutoribus constituere, qui non possunt sufficere administrationi tutelæ.* Sed etsi negandum non est Cornicularium adjutorem habuisse, hic tamen, ut apud alios magistratus adjutor totius officii intelligitur, cujus capita tantum in Notitia nominantur. Nec statim post Cornicularium adjutor semper ponitur, sed sæpè post Commentariensem & alios locatur. Hunc Gratianus adjutorem officii vocat, *in l. 3. in fin. C. de divers. offi. Adjutores*, inquit, *officiorum libram auri fisci juribus solvent, nisi statuta fuerint custodita*: Theodosio *l. ultim. C. de offic. Præfect. urb.* Primicerius adjutor officii P. V. tanquam in eo præcipuus vocatur, ita enim *in d. l. ultim.* ad Constantinum P. urbi scribit: *Primicerius, adjutor tuæ sedis officii curam personarum suscipiat*, id est, reorum: sic etiam Constantinus personam pro reo accipit *in l. 1. C. de cohortalib. Ne quis*, inquit, *personam licet pro manifesto crimine apud se habeat in custodia.* hic Adjutor delinquentes plerumque capiebat, & carceri damnabat, torquebat, & fortè supplicio afficiebat: Non solum enim officii, sed & Commentariensis plerumque erat adjutor, *d. l. ad Commentariensem.* olim *Optio* est dictus, ab optionibus, qui erant in Legione, Vegetius lib. II. cap. VII. *Optiones*, inquit, *ab optando appellati, quod antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tanquam adoptati eorum, atque vicarii solent universa curare.* Hæc ille. Adjungebantur autem Centurionibus, & ordinariis quibusque optiones in legione, ut eorum vicem subirent. Festus: *Optio*, inquit, *qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus.* Hic adjutor dabatur Centurioni à Tribuno militum, qui ex eo tempore, quem velint, permissum est Centurionibus optare, & nomen ex facto sortitus est. Translatis vero in officia magistratuum nominibus præcipuorum legionis, etiam Commentariensis & officii adjutor, *Optio* est nuncupatus: Vlpianus *in l. divus*, §. 1. *ff. de bonis damnator.* loquens de numinis, & annulis, quos habent damnati ad ultimum supplicium. *Nec speculatores*, inquit, *ultro sibi vendicent, nec optiones ea desiderent, quibus spoliatur, quo momento quis punitus est.* Hanc rationem non in compendium suum debent Præsides vertere, sed nec pati optiones, seu Commentarienses ea pecunia abuti, optiones hic Commentariensium adjutores appellat: sic optiones auxiliares milites quasi exercitus adjutores vocantur *in l. ult. C. de locato. Nov.* 116. *ad medium, in nomocan. tit.* 13. c. 3. Hi à Gratiano *in d. l.* 1. *C. de sportul.* &

A & Theodosio, *in l.* 31. *C. de apparit. P. P.* adjutores Primiscrinii in officiis magistrorum militum nominantur: cùm verò in torquendis reis eorum opera versaretur, non abs re fuerit quædam circa hoc breviter percurrere. Non enim antiquitus, ut nunc, rei olim quæstionis habendæ gratia torquebantur, cùm prohibiti essent cruciatus, quibus articuli, aut membra dissolvuntur, §. *quia verbis*; *Auth. ut nulli jud. seu Novel.* 134. sed unguibus ferarum reorum latera persecabant, aut laminas ferreas, ignitasque carni admovebant, *l.* 2. *C. de emendat. servor. l.* 7. *C. de malefic.* Quandoque nervo, fustibusve, *l. nullam. C. ex quib. caus. infam. irB rog.* aut plumbatis, *l. quilibet* 40. *C. de decurio. l.* 2. *C. de exactio. tributo.* cædebant: sunt autem plumbatæ virgæ pilis plumbeis, aut *Martiobarbulis*, ut appellat Vegetius lib. I. cap. XVII. infixæ. Zosimus, in V. *Hist.* post prin. *Plumbeis*, inquit, *pilis in cervicem verbera dari jubet.* Metaphrastes *in dict. l. Caculea* jussit eum verberari globis plumbeis. Alibi has virgas plumbeas vocat. Fidiculis quoque membra constringebant, *l.* 4. *C. ad leg. Jul. Majest.* ex nervis hæ fiebant, quibus citharæ ad pulsandum instruuntur. Tranquillus in *Tiberio*, cap. LXII. *Veretris*, inquit, *deligatis reos fidicularum, simul urinæque tormento distenderet.* Eculeo etiam rei cruciaC bantur, *l.* 1. *C. de unum.* Id erat lignum in summo acutum, quo nudi insidentes distindebantur: Divus Aug. ad Marcellianum Comitem, *C.* 11. XXIII. *q.* V. *Tantorum*, inquit, *scelerum confessionem, non extento eculeo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti.* Hæc sunt tormenta in Jure nominata. Josephus vero de Machabæis recitat rotas, radios, ungulas, rotabula, catapultas, lebetes, catastas, frixoria, digitaria, pugillaria, manus ferreas, fubulas, succensoria, ollas æneas, & sartagines: sed hæc raro in usu fuisse censeo. Quæ vero supra ex Jure recensuimus, plurimum usitata fuisse puto. *Succensorium* autem JoD sephus appellat quoddam ad flammam excitandam ferrum. Quandoque etiam plumbum liquefactum axillis infundebant, quod ad intestina usque perveniebat, ut in Samona Metaphrastes tradit. Impuberes verò ad eruendam veritatem habena vel ferula cædebantur, *l.* 1. §. *impuberi. ff. de Senatusc. Syllanian.* Eodem modo in Clericos, & Doctores quæstio exercetur, *c.* 1. §. *pen.* 23. *q.* 5. *Abb. in c. in contemplatione. q.* 5. *de reg. jur.*

Inter homines Adjutoris speculatorem fuisse existimo, qui carnificis officio fungebatur, ut ex Divo Matthæo constat, cap. VII. *Misso*, ait, *speculatore, jussit afferri caput ipsius, & ille abiit, & decollavit eum in carcere.* E Divus Chrysostomus ibi: *Speculator*, inquit, *miles est carnifex deputatus ad hoc, ut occidat*: & hic gradus erat in officio. Valentinianus, *in l.* 7. *C. de cohortal. Ordinariorum*, inquit, *judicum apparitores, qui vel speculatorum, vel ordinariorum attigerint gradum, nullo annorum numero laxentur, priusquam primipili pastum compleverint.* Hæc ille: dictus autem videtur *speculator*, quia armis speculatorum utebatur, hi erant milites legionis I. & II. hastis utentes. Tranquillus in *Claudio*: *Neque convivia inire ausus est, nisi & speculatores cum lanceis circum starent.* Et in *Galba*: *Descendentem Galbam speculator impulsa turba lanF cea prope vulneravit*: & Tacitus lib. XVII. loquens de Othone: *Tres & viginti speculatores consalutatum Imperatorem sella festinanter impositum, strictis mucronibus rapiunt.* & in marmore antiquo legitur: SCHOLA SPECVLATORVM LEGIONVM I. & II. ADIVTRICVM PIARVM FIDELIVM.

Hic Adjutor suum habebat scrinium, in quo decem homines apud Præfectum Prætorio Africæ militabant, *l. 1. C. de offic. P. P. Afr. in Notis.* qui delinquentium nomina, statum, exitumque notabant, & in scrinio servabant. Alibi Adjutores pro Quæstoris ministris accipiuntur, *in l. comperimus, C. de prox. sacr. scrin.* quos ille ex diversis scriniis sumebat, *in l. nullo. C. de numer. lib. 12.* Horum exemplo inductum, ut infirmis episcopis coadjutores vocati dentur, *c. 1. cum seq. 7. q. 1.*

CAP. XIII.

DE COMMENTARIENSI.

SEQVITVR in officio Commentariensis, qui carceribus præerat, *l. carcers. C. de custod. reor.* Vlpianus *in l. Divus, §. 1. ff. de bon. damnator.* de pannicularia, & vestibus damnatorum ad mortem loquens: *Hanc*, inquit, *rationem non in compendium suum, debent Præsides vertere, sed nec pati Optiones, sive Commentarienses ea pecunia abuti.* Id clarius explicat Valentinianus, *in l. ad Commentariens. C. de custodia reor. Ad Commentariensem*, inquit, *receptarum personarum custodia observatioque pertineat.* Julius Firmicus lib. III. *Matheseos*, cap. VI. *Erunt*, inquit, *Cornicularii, aut Commentarienses, quibus damnatorum cura committitur.* D. Athanasius in *Apologia ad Constantium* carceres *Commentaria* dicit appellari: *Denuo*, inquit, *allabitur fama, ut me ad custodias Præfectum, quæ Commentaria nominantur, deportarent.* Hi verò, quos Commentariensis carceri includebat, si criminis qualitas vincula exigebat, latioribus catenis, ut cruciatio deesset, vinciebantur. Nec manicis ferreis ossibus inhærentibus constringebantur, *l. 1. C. de custod. reor.* Nervo etiam, id est, vinculo ferreo, ut Festus interpretatur, pedes, & quandoque cervicem impediebant. Sed verius est hunc Nervum bubulum fuisse, siquidem Metaphrastes auctor est Divum Chrysanthum à militibus, nervis madefactis vinctum fuisse, ut illis arescentibus, & ad ossa usque penetrantibus angeretur. Ii usque ad septem foramina habuisse dicuntur, & quem maximè torqueri volebant, usque ad septimum punctum arctabant. Euseb. lib. V. *Histor. Eccl.* cap. 1. *& in vita S. Victis pagati secunda charta presbyteri, & Diaconi Mart.* Carceri inclusis, Commentariensis, si erant inopes, duas, aut tres diurnas libellas pro alimentis dabat, ex annona, quo pauperes alebantur, *l. judices, 9. C. de episcop. audient.* libella verò est argenteus nummus fermè assem æquans, & decima denarii, inquit Varro libro V. *de lingua Latina.* de qua Cicero in III. *in Verrem*, Bud. in lib. 1. & II. *de asse.* Prospicere etiam Commentariensem oportebat, ne in carceribus viri cum fœminis permiscerentur, *l. 3. C. de custo. reor.* Item tricesimo quoque die numerum personarum carceri inclusarum, varietatem delictorum, clausorum ordines, ætatemque vinctorum Præfecto aut judici suggerere tenebatur, ne rei diu in carcere macerarentur, *l. de his, S. C. de custo. reor.* Plures verò ministros sub se habebat *Stratores* nuncupatos, qui carceribus mancipatos custodiebant, illisque necessaria præbebant. Vlpianus, *in l. 10. ex quibus cau. majo. In eadem causa sunt*, inquit, *ut restituantur, qui a militibus, stratoribusque adservantur.*

In actis quoque D. Cypriani legitur, cum à Stratore, & equistratore ex custodiis officii currui impositum, & ad Proconsulem Africæ Galerium Maximum perductum. Hi ex domesticis Proconsulis esse non poterant, ut Vlpianus scribit, *in l. 4. §. 1. de off. procos. Nemo*, inquit, *Proconsulum stratores suos habere potest*, id est, ex suis, seu domesticos, ut ego interpretor; & hoc, ne corrupti pecunia eos dimittendi occasionem quærant, aut aliam ob causam pecuniam extorqueant. His ad comprehendendos delinquentes utebatur; nam & quandoque hoc fuit Commentariensis officium; Justinianus enim *Edicto* XIII. cap. XII. XVII. & XXIII. præcipit Præfecto Augustali, ut Commentariensem ad comprehendendos delinquentes mittat, idem Metaphrastes testatur, XXVI. *Februa. in S. Porphyrio: Cum cognovisset*, inquit, *Proconsul, quæ facta erant in Civitate, mittit Commentariensem cum magno auxilio, & conjicit eos in custodiam, qui gerebant res publicas, & adducit Cæsaream ad P. P. Africa.*

Cùm autem examinandi erant criminum rei, Commentariensis eos ad Tribunal Præfecti, vel Præsidis ducebat, ut ex actis D. Claudii, Asterii, & Neonis martyrum sub Diocletiano Imperatore apparet. Sur. XXIII. *Augusti.* Cæs. Card. Baro. in *Anna.* CCLXXXV. *Lysias*, inquiunt, *Achajæ Proconsul sedens pro tribunali dixit, adducantur examini meo Christiani, qui hujus urbis Ægeæ magistratibus traditi sunt ab officio.* Eulalius Commentariensis dixit: *Juxta præceptum tuum domine, quos hujus Vrbis magistratus comprehendere potuit Christianos, offert tres pueros fratres, & duas feminas atque infantulum: ex his unus astat in conspectu claritatis tuæ*: postea sequitur: *Cum D. Claudius interrogatus, & tortus esset*, Lysias dixit, *deponite, & in carcerem ducite, & alium adhibete.* Eulalius Commentariensis dixit: *Quemadmodum præcepit potestas tua, Asterius adstat frater secundus.* Ex infra: *Perducta est a Commentariensi Domnina*, dixitque Eulalius Commentariensis, *Adstat Domnina*, & paulo post Eulalius Commentariensis ait: *Theonilla adest.* Acta etiam delinquentium, & eorum sponsiones scribebat, in Commentariaque referebat, & ob id *Commentariensis* vocabatur. Id ex epistola Asterii Amaseæ Episcopi, in VII. *Synodo. actio.* IV. liquet; loquens enim de D. Euphemiæ martyrio, ait: *Adsunt & Commentarienses tabulas, & stylos gestantes manibus, quorum alter abducta a cera manu ferro admodum Virginem aspicit, faciem ad illam inclinans, quasi juberet, ut altius loquatur, ne auscultatione impeditus vitiosè scribat, falsave aut dubia.* Hæc ille. Hesychius Græcus Juris interpres: *Commentariensis*, inquit, *est, qui inscriptiones seu titulos criminum recepit*: & ideo Paulus, *in l. fraudem. §. quoties, ff. de jure fisci*: *Quoties*, ait, *apud fiscum agitur, actorum potestatem petendam esse, ut his uti liceat, eaque manu Commentariensis adnotanda esse. Quod si aliter proferantur, is qui ea protulit, causa cadat.* Commentarium verò liber est, in quo res summatim, & quasi per capita describuntur. Cicero in *Bruto*: *Non est oratio, sed quasi rerum & orationis Commentarium.* Paulo plenius Seneca, lib. III. *Declamatio. Nunquam sine Commentario dixit Severus Cassius, nec hoc contentus erat, in quo res nuda ponuntur.* Quintilianus: *Vix displicet mihi quæ scripserimus in summas sive commentaria, & capita referre.* Torquebat & quandoque ipse Commentariensis sontes, ut ex actis D. Guriæ, & Sonnonæ martyrum apud Metaphrastem constat, XV. *Novemb.* & Surium. damnatos quoque puniri curabat, nam astans spiculatori, jubebat, ut judicis sententiam exequeretur, ut superiora acta ostendunt, XXIII. *Augu.* apud Surium. *Lysias*, inquiunt, *introgressus obduxit*

duxit velum, & post exiens ex tabella recitavit sententiam, docens, Claudius, Asterius, Neon, fratres Christiani, Deos blasphemantes, & sacrificare renuentes, ante atrium cruci affigantur, & corpora eorum avibus laceranda relinquantur : & subjicit : *Curent hac Claudius Commentariensis, & Archesilaus speculator.* Is verò erat, qui criminales sententias exequebatur, & condemnatos puniebat, ut aliàs diximus. Adjutorem Commentariensis habebat, qui ejus absentis officium implebat. Valentinianus, *in l. ad Commentariensem. C. de custod. reor. Si Commentariensis*, inquit, *procul ab officio egerit, adjutorem ejus pars jubemus vigilare cura.* Idem scrinium habebat, in quo erant XII. homines, qui singulas ex publico annonas percipiebant. Exceptores peracto tempore officii sui, Commentarienses fiebant, *l. 2. C. Theod. de numer.* Hi hodie ab aula recesserunt, solus permansit minister carcerem custodiens. Acta criminalia recitat Simeon Metaphrastes, *primo April.*

CAP. XIV.

AB ACTIS.

PRÆCIPVVS ac necessarius in Præfecti aliorumque magistratuum officiis erat *Actuarius*, vel *ab actis* dictus, *l. per hanc. §. quorum. C. de advo. diver. jud.* qui non litigantium acta in judicio scribebat, illa enim ab exceptoribus notabantur, *l. in sacris scriniis militantes, C. de prox. sacro. scrinio.* sed diversa contrahentium & aliorum negocia coram judice fidem apud omnes factura chartis mandabat. Necessarius autem fuit antiquitus horum usus, quia etsi tabelliones rerum periti contractus scribebant, *Auth. de tabel. §. 1. seu Nove.* 44. nondum tamen eam auctoritatem, quam nunc habent, obtinuerant, ut testibus non interrogatis, ipsorum instrumentis crederetur, quod ex nostris legum interpretibus aliqui, ut Bal. & Jason rectè senserunt, *in l. prætor, in princ. ff. de eden.* id etiam à Justiniano *in §. si vero nullus. Auth. de instr. caut. & fid. sive Novell.* 73. apertè declaratur, qui testes instrumentis à forensibus conditis subscriptos vult de illorum veritate interrogari, & si mortui sint, scripturam carere fide, & alios qui haberi potuerunt, examinari ; ac comperta veritate, rem actis insinuari, quæ perpetuam fidem faciant. Inventi ergo sunt actuarii, ut eorum scripturis publica, id est, judicis præsentia munitis, *l. 2. C. de custo. reor. l. in hac C. de don. glo. in l. acta, C. de re jud.* firma, indubitataque fides adhiberetur, *l. ult. C. de re jud.* unius enim hominis scripturæ extra judicium factæ fidem adhibere minus tutum videbatur ; Constantinus *in l. 2. C. Theod. de denuncia. Denunciari*, inquit, *apud provinciarum rectores, vel apud eos, quibus conficiendorum actorum jus est, decernimus, ne privata testatio mortuorum, aut in diversis terris absentium, aut eorum, qui nusquam gentium sint, scripta nominibus falsam fidem rebus non gestis affigant.* Hæc ille. Itaque testamenta, contractus, aliique actus, & instrumenta ab actuariis publicè conscripta, etiam mortuo judice ubique plenam, & indubitatam fidem faciebant, *l. testamenta 28. C. de testa. l. in hac in fin. C. de don. l. ult. C. de re jud.* Honorius *l. ult. C. de re judic. Gesta*, inquit, *quæ sunt translata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem, neque enim morte cognitoris perire debet publica fides.* Hinc legimus donationes actis insertas etiamsi amplæ sint, & quingentos aureos excedant, non posse amplius, ut fictas & simulatas argui, cum firmum robur ex publicis gestis acceperint, *l. divinatio, in fi. l. lata l. in hac, in fi. C. de donat.* sic multi de injuria sibi illata, vel dolo apud acta contestabantur, *l. jubemus, C. de defensor. civi. l. honores, §. ult. ff. de decurio. l. 4. C. de numerar.* judicem suspectum recusabant, *l. ult. C. de jud.* se falsa spe pecuniam sibi numeratam confessos querebantur, *l. in contractibus, §. ultim. C. de non num. pec.* ut perpetuum, & inconcussum rei testimonium permaneret. Nautæ etiam Romam frumentum vehentes, se id incorruptum accepisse in actis Præsidum testabantur, ut perpetuum facti monumentum semper appareret, *l. 1. C. de cano. frum. urb. Rom.* Episcopus quoque qui pecuniam ad redimendos captivos relictam exigebat, id in actis manifestabat. Leo A. *in l. nulli, C. de episc. & cler. Cum Episcopus*, inquit, *pecunias fuerit consecutus, statim gestis intervenientibus, earum quantitatem, & tempus, quo suscepit, apud Rectorem provinciæ publicare debebit.* similiter nomina cujusque fori advocatorum, quorum certus erat numerus, in actis scribebantur, *l. per hanc §. quorum, C. de advo. diver. jud.* testamenta revocabantur, *l. sancimus, C. de testam.* leges insinuabantur, *l. 4. in fi. C. sine. reg. l. 23. C. de procur.* & alia plurima ad æternam memoriam conservandam in eis fiebant, quæ passim in Jure occurrunt.

Hæc acta aliquando gesta, *l. 27. 31. pen. C. de don. int. vir. & ux.* quandoque publica monumenta, *l. ult. C. de re jud. l. 31. C. de don. l. census. ff. de probat.* nonnunquam instrumenta forensia, vel simpliciter publica, *l. 10. C. de fid. instrum.* aut publica testificatio, *l. 3. C. de bon. vacan.* vel publicæ chartæ tabulæve appellantur, *l. 3. C. de tab. l. 2. ff. ad l. Jul. majest.* quoniam coram magistratibus, quæ publicæ erant personæ, conficiebantur : unde & acta publicè fieri dicebantur, *l. 2. in fi. ff. de fer. fug. l. 1. C. de his qui per met. jud. non appel. l. scripturas, cum auth. subseq. C. qui pot. in pign. hab.* & ob id qui acta scribebant, *persona publica* nuncupabantur, *l. 32. C. de Epis. & cle. l. ul. C. de dona. cau. mor. §. cum autem. Inst. de adopt.* Hinc *publicare* erat acta scribere. Leo A. *l. 30. in hac. C. de donat. Donator*, inquit, *habeat facultatem donationes rerum suarum ubicunque positarum apud magistratus publicare*, id est, insinuare ; & subdit : *Hæ donationes, quæ fuerint publicatæ, obtineant inconcussam, & perpetuam firmitatem* : idem Nicostrato P. P. *l. 28. nulli, C. de episc. & cler.* scribit Episcopum pecunias pro redimendis capitivis exactas apud rectorem provinciæ publicare, id est, actis inserere teneri. In eodem sensu Arcadius *l. 18. testamenta. C. de testam.* accipit ad Africanum P. V. *Testamenta*, inquit, *ac cætera, quæ apud officium censuale publicari solent, in eodem loco reserventur* : unde in acta relata dicuntur publicata : Alexander A. *in l. 1. C. de testam. Publicati*, inquit, *semel testamenti fides, quamvis ipsa materia interdicit, nihilominus valet* : Leo *in l. 30. in hac. C. de donat.* quoque donationes apud magistratus publicatas inconcussam, & perpetuam firmitatem obtinere scribit, ita in actis insertas appellans : ita etiam *in l. nulli. C. de. episc. & cler.* Hujus scripturæ solennitas vocabatur etiam *insinuatio, l. 32. l. penul. in fin. C. de don. §. perficiuntur, inst. eod.* insinuare enim est in acta referre, Leo A. *d. l. 30. in hac. Donationes*, inquit, *apud magistrum census insinuentur*, id est, actis inserantur, quod & sæpè alibi reperitur, *l. 32. C. de don.* idem dicebatur *intimari.* Leo A. Constantino P. P. *in d. l. 30. Donanti liceat donationem suam apud* quem-

quemcunque voluerit magistratum intimare. Justinianus *in l. 19. illud, C. de sacros. ecc.* & ipse scribit, donationes piis causis factas, licet non fuerint intimatæ, tamen valere. Idem *in l. contractus, C. de fi. instrum. Contractus*, ait, *donationum, quas intimari non est necesse, vires non habeant, nisi in mundum recepti*: & alibi, *in l. consulta, 23. C. de test.* in eodem sensu accipit: Hinc *intimatio* vocatur ipsi insinuatio, *d. l. consulta.* Acta Græcè ὑπομνήματα vocantur, *§. si vero nullus, auth. de inst. cau. Nov. 73.* & actuarius Hypomnimatarius.

Forma verò in scribendis actis hæc observabatur: in primis necessaria erat scriptura, *c. quoniam contra, de prob. l. comparationes, C. de fide instrument.* in qua nomen contrahentis, vel testantis, sive aliud agentis ponendum erat, tempusque actus gesti, denique ipse actus totus, vel contractus ordine describendus, *l. nulli, C. de episc. & cleric. l. donatio. C. de donat.* Hæc omnia coram judice agenda erant, aut saltem legenda: Constantinopoli apud magistum census, *l. testamenta, C. de testam. l. in hac, & l. secundum, C. de donat.* in Provinciis apud earum Præsides, vel magistratus municipales: *dict. l. nullo, C. de episc. & cleric. l. donatio, l. dict. in hac l. ult. C. de adopt. §. sed etsi instit. quibus mod. jus patr. potest. solvit.* cùm enim Præfecti Prætorio, aut Præsides, eorumque actuarii omnibus, quæ in provincia gerebantur, interesse non possent, nec facilè esset longè degentibus eos adire, data est Duumviris, ac civitatum defensoribus actorum conficiendorum potestas, *l. ult. C. de mag. municip. l. 1. C. de offic. jurid. Alex. l. jubemus. C. de defens. civit.* quorum forma tum observata à Venulejo traditur, *in l. curent. ff. de testib. Curent*, inquit, *magistratus cujusque loci testari volentibus, & se ipsos, & alios testes, & signatores præbere, quo facilius negocia explicentur, & probatio rerum salva sit.* Hæc verba innuunt, in actis testes, & signatores tum adhiberi solitos fuisse, quod postea Zeno sustulit, *in l. in donationib. C. de donat.* statuens testes actis non esse necessarios, cum publica monumenta sufficiant: ob magistratuum itaque præsentiam hæc acta quasi in forma judicii scribi dicebantur, *l. 1. § similique modo, 2. C. de Latin. libert. toll.* Non tamen requiritur, ut in loco judicii, vel pro tribunali legantur, sed quocunque in loco id fieri potest: quia hic non est actus contradictorii judicii, qui causæ cognitionem desiderat, ut apud Jurium interpretes est receptum, Jo. Andr. *in addit. ad Spec. de donat. §. porrò, sub num. 4. in fin.* Imol. *in cap. cum contingat, sub num. 93. de jurejur. Clar. in §. donatio. quæst. 15. vers. ulterius.* qui nullum etiam in hoc judicis decretum requiri existimant, Bart. *in l. Modestinus sub num. 3. ff. de donat. Corn. consil. 36. in 3. Clar. in loco suprà cit.* consuetudineque observari asserunt, ut actus insinuandus in scripta redigatur: tum coram judice palàm legatur, demum tota illa scriptura rursus describatur, & aliis actis annectatur, quamquam hoc ultimum nolunt esse necessarium, sed solam primam scripturam sufficere, idque dicunt longo usu servatum, & vulgò receptum esse: Joan. And. *in add. ad Spec. de donat. d. §. porro, sub num. 4.* Guid. Pap. *cons. 23. sub num. 11.* Imol. *in cap. cum contingat. num. 93. de jurejur.* Corn. *cons. 36. in 3.* Anto. Canai *de insinuatio. in 1. part. num. 4. clarus in dict. §. donatio, q. 15. vers. quæro etiam.* Verius tamen esse videtur, authenticam & originalem, ut vocant, contractuum scripturam monumentis esse describendam, *l. 3. C. de divers. rescript.* ubi verò nulla apparet, satis est res gestas in publica gesta retulisse, sed ut hoc clarius pateat, formulam testamenti actis inserti subjiciam, quam ex Marculphi monachi libro *de formulis publicorum privatorumque negociorum* Cujacius in lib. 4. *sent. Pauli. tit. 6.* recitat, & est sequens. *Anno illo, sub die illa, civitate illa, adstante defensore, & omni curia illius civitatis*, TITIVS prosecutor dixit, *Peto optime defensor, vosque laudabiles curiales atque municipes, ut mihi codices publicos patere jubeatis. Quædam enim in manibus habeo, quæ gestorum cupio allegatione roborari.* DEFENSOR & Curiales dixerunt, *Patent tibi codices publici, prosequere quæ optas.* PROSECVTOR dixit, *Cujus vir illustris mihi mandavit, testamentum, ut mos est, gestis municipalibus insinuarem.* DEFENSOR dixit, *Amanuensis mandatum accipiat, & recitet.* POST recitationem mandati, Defensor dixit, *Mandatum quidem recitatum est, sed testamentum, quod præ manibus te habere dicis, etiam nobis præsentibus recitetur, &, ut postulas, gestis publicis firmetur.* POST recitationem testamenti, Defensor, & Curiales dixerunt, *Testamentum quod recitatum est, gestis publicis inseratur.* PROSECVTOR dixit, *Hoc amplius peto, optime defensor, ut mihi gesta publicè edantur.* DEFENSOR & ordo curiæ dixerunt, *Quia testamentum & mandatum ritè condita, & bonorum virorum subscriptionibus firmata cognovimus, æquum est, ut gesta cum a nobis fuerint subscripta, & ab Amanuensi edita, tibi ex more tradantur, eademque in archivis publicis conserventur.* Hæc ille: parique modo acta in donationum insinuatione conficiebantur: cùm verò hæc gesta omnem probationem habeant, atque apud omnes fidem faciant, *testificationes* appellantur, *l. lata, C. de donat.* & ideo qui res aliter atque gestæ sunt, conscripserit, vel falsum recitando scribi fecerit, læsæ majestatis crimen incurrit. Vlpianus *in l. 2. ad legem Jul. majest. Qui sciens*, inquit, *falsum conscripsit, vel recitaverit in tabulis publicis, capite primo læsæ majestatis enumeratur.* Accursius vim publicarum tabularum non percipiens, de notario illud dici putat, qui in instrumento aliquid contra Rempublicam scripserit: quod à vero alienum esse arbitror, majus enim delictum est circa acta publica, quam tabulariorum instrumenta. Cùm verò scribendis actis soli sufficere actuarii non possent, adjutores habebant, *d. l. per hanc §. pen. C. de adv. divers. judic.* quibus merces pro labore solvebatur, exceptis quibusdam piis causis, *d. l. nulli. §. post unius. C. de episc. & cler.* quibus operam gratuitò præstabant: inter has erat testamenta de hæreditatibus, quæ centum aureorum summam non excedebant, *l. consulta. 23. C. de testam.* aut alia leviora negocia, *in d. l. consulta. C. de testam.* Justinianus: *Ne, inquit, in hæreditate, cujus summa centum aureorum pretium non excedit, mercedis quicquam aut sumptuum censum administrantes, aut censualis apparitio super insinuandis elogiis audeat adsequi.*

Magistri Militum, aut Comites Ducesve, quia jurisdictionem in populos non habebant, actuariis carebant: & ideo in eorum officiis non leguntur. Cæterùm inventis nostris tabulariis, quorum instrumentis coram duobus testibus scriptis fides adhibetur, hæc acta frequentari desierunt, & loco actuariorum illi successerunt, quorum instrumenta eandem fidem obtinent, quæ olim actis habebatur. Hi contractus quidem semper scripserunt, qui negociorum periti stationes in foro habebant, & suam postulantibus operam præstabant, sed scripturas ab illis factas viva testium voce confirmari oportebat, ex se enim nihil probabant,

Auth.

Auth. de tabellio. seu Novel. 44. §. 1. *& 2. de inst. caut. & fid. seu Novel.* 73. Actuarii P. P. Africæ scrinium habebant decem hominum, quibus à fisco annonæ præstabantur, *l.* 1. *C. de offic. P. P. Afric. in Not.*

Alibi Actuarius accipitur pro eo, qui excipit, quæ ab alio proferuntur, vel dictantur. Tranquillus in *Cajo Jul. Cæsare*: *Orationes*, inqoit, *aliquot reliquit, inter quas temerè quadam fertur pro Q. Metello, quem non immeritò Augustus extenuabat, magis ab actuariis exceptam, malè subsequentibus verba dictantis, quam ab ipso editam.* Seneca: *Multum*, inquit, *unum vox facit, non quidem qua alienis verbis commendatur, & actuarii vice fungitur.* Erant & alii actuarii, qui nomina militum in pyctatio describebant, quantum cuique annonæ, qoodque præmium esset, ut Vegetius scribit lib. II. cap. XIX. qui ad hunc locum non pertinent.

CAP XV.
DE NUMERARIIS.

PROXIMI Actuariis sunt Numerarii, qui in Præfecti officio quatuor reperiebantur, in Provinciis bini, *tabularii* vocati, *d. l.* 2. *C. de num. lib.* 12. *l.* 1. *C. Theod. eod.* qui cum his easdem rationes tractabant. Eorum unus bonorum, quæ ex delictis vel successionibus, aliisque hujusmodi causis ad fiscum deferebantur, & ad Comitem rerum privatarum spectabant, rationes tractabat. Alius res tributorum nocabat, quæ ad largitiones pertinebant, *l. in provinc. eodem tit. & l. duos. C. de suscepto. & arcar.* Duas enim Princeps arcas habebat, quibus duo Illustres Comites erant Præfecti, scilicet Comes largitionum, & alter rerum privatarum, Romæ antea Præfecti ærarii vocati, *l.* 1. *C. de quæst.* Largitionibus assignata erat ex tributis & vectigalibus certa auri, argentique quantitas, & aliæ species, quæ canones Largitionum dicebantur, *l.* 1. *C. de cano. largit. tit.* Eas rationes in primus Numerarii apud Præsides in provinciis tractabant. Orientis verò Præfecti numerarius ad se transmissas recognoscebat, & ne quid debitæ summæ deesset, prospiciebat, aurique ad thesauros provinciarum delati partem ad arcam Prætorianam spectantem, reliquam ad Comitem Largitionum transmitti curabat. Alter Comes privato Principis patrimonio, id est, prædiis & domibus præerat, & aliqua etiam pauca tributa sibi assignata exigebat, & quicquid ex causis fiscalibus & bonis publicatis percipiebatur, & si qua alio modo ad fiscum cadebant, quorum rationes alteri in provinciis Numerarii conficiebant, scribebantque bonorum genera, & quantitates publicatas, quantum ex prædiis Principis exactum esset, quæ omnia Orientis Præfectus Numerarius diligenter colligebat. Gratianus, *l. in provinc. C. de numer. In provinciis*, inquit, *singulis duo Numerarii, qui & tabularii, collocentur; quo ad unum fiscalis arcæ ratiocinium, ad alterum largitionales pertinere tituli jubeantur.* Numerarii verò sunt appellati, quia numeros supputabant, ut in secundo *de libero arbitrio*, cap. XI. D. Augustinus significat, *Multos*, inquit, *novi Numerarios, aut numeratores, aut si quo alio nomine vocandi erant, qui summas mirabiliter computant:* eorum enim officium erat publicas rationes scribere, *l. numerar. C. Theod. eodem tit. de numerar.* Isidorus verò vult in IX. *Orig.* Numerarios dictos, quia publicum nummum ærario inferunt. Hi duo Præfecti Numerarii quemadmodum & alii provinciarum rationes tantum & scripturas tractabant. Tertius Numerarius auri nuncupatus, *l. duos. C. de suscepto. & arca.* aurum ex provinciis exactum, & ad largitionum arcam destinatum suscipiebat, *l. ultim. C. de numerar.* vel monetam argenteam in aurum permutari curabat: item auri fodinarum rationes tractabat, à singulisque aurilegulis septenos scrupulos auri exigebat, *l. per annos, C. de metallis.* colligit hæc summa plus minus tertiam unciæ auri, siquidem XXIV. scrupuli unciam æquant. Legebatur verò in Asiana, à volentibus aurum ex Pactolo flumine, & in Pontica sub hoc Præfecto, *dict. l. per annos.* Ultimus Numerarius erat operum publicorum, inter quæ Prætoria, domus publicæ, *l.* 3. *C. de oper. pub.* portus, aquæ ductus, mœnia, *l.* 6. *C. eodem tit.* thermæ, *l.* 10. *C. eod.* recensentur, ad quæ extruenda tertia pars redditaum civitatum erat destinata, *dict. l.* 10. si ea non sufficiebat, cives pro modo jugerum ad opus conferebant, *l.* 11. *C. eodem tit.* Hæc opera ædificari, aut instaurari Præf. Prætorio jubebat, *toto tit. C. de oper. pub. & tit. seq. inscript.* quorum impensas & rationes hic Numerarius scribebat, & ita interpretatur Justinianus *Novell.* 128. *seu Auth. de collatio. §. nc cum de urbibus. §. Ad hæc.* scriniarios operum hujus P.P. veluti, inquit, aquæductus. Legendom est autem Numerarius operum, ut appellat hunc scriniarium Anastasius *in l. ult. C. de numer.* non operarum, ut habet Notitia in officio P. P. Illyrici, quia opera est diurnum operantis officium, *in l.* 1. *ff. de oper. liber.* Posset etiam intelligi de operibus, quæ terra effossa fiebant, nam & id opus publicum vocabatur, ad quod delinquentes damnabantur, *l. annonam in fin. ff. de extraordin. crimin. & l. ult. de effractorib. l. in servorum. §.* 1. *de pœnis.* diversimodeque fiebat. Quandoque enim metalla effodiebant, & id opus metalli vocabatur, *l. quidam sunt servi, l. aut damnum. §. inter eos, de pœnis,* & si aliqua sit inter eos, qui in metallum, & opus metalli damnantur differentia. Aliquando saxa ad coquendam calcem cædebantur, quod calcarium opus dicebatur, *d. l. aut damnum, §. in calcariam. l. Cæsar. de publican.* Nonnunquam sulphur extrahebatur, quod erat sulphurarium opus, *d. §. in calcariam, l. si cujus, alias incipit, si usufr. §. inde quæsitum est, ff. de usufr. l. si quis uxori. §. si sulphuraria, de furtis.* Lapides etiam cædebantur, vel creta, aut arena fodiebatur, *d. §. inde quæsitum est.* Erat & opus salinarum, seu salis conficiendi, ad quod mulieres damnari consueverant, *l. mulier de captiv. & postlim. rever. dict. l. aut damnum, §. in ministerium.* Qui marmora in privato alterius solo cædebant, & ipsi decimam fisco solvebant, *l.* 3. *C. de met.* quæ in hujus numerarii rationes referebatur. Opus quoque publicum erat, cùm quis fabricis inservire cogebatur, ut dendrophori, carbonarii, & similes. Valentinianus, *l. ultim. C. de serv. fugit. Qui*, inquit, *publicorum servorum fabricis, aliisve operibus publicis deputati.* Hæc sunt opera, quorum rationes hic Numerarius scribere poterat, *d. l. ultim. C. eod. & meminit Nov.* 128. περὶ τῶν ἔργων. In scrinio operum Præfecti Prætorio Africæ erant homines XX. qui salarium ex publico percipiebant, *l.* 1. *§. in scrinio operum. C. de offic. Præf. Prat. Afric.* Cùm verò magnus esset numerariorum labor, nec possent tanto oneri sufficere, poterant ex aliis scriniis ejusdem officii adjutores accipere, modo ex numero XXX. primorum eos extraherent. In Asiana ex primis L. accipiebant, alibi ex toto corpore, nec nisi quaternis vicibus, in singulis intermisso biennio, adjutores esse poterant, ne longior apud Numerarios mora fraudis occasionem daret, *l. nulli, C. de numerar.* Numerarii peracta militia à functionibus personalibus erant immunes, *l.* 3. *C. de appar. P. P. lib.* 12. & Comitum primi ordinis dignitate honestabantur,

ita Præfecto Prætorio pronunciante, *l. ultim. C. eod.* Neque hi hodie apud nostros magistratus frequentantur.

CAP. XVI.

DE SUBADJUVA.

ETsi Numerariis adjungatur Subadjuva, non tamen illorum, in rationibus pertractandis minister erat, sed Adjutoris officii adjutor, & ob id *Subadjuva* est appellatus, quasi adjutorem adjuvans: in officiis magistrorum militum à Notitia Primiscrinius vocatur & à Gratiano, *in l. 1. C. de sportulis*, & Theodosio *in l. 3. C. de appar. P. P.* in cujus scrinio Subadjuvam Justinianus de officio P. P. Africæ tractans, *l. 1. §. in scrinio primiscrinii, Cod. de offic. P. P. Afric.* statuit, sic io officio Magistri officiorum adjutor de schola Agentium in rebus Subadjuvas duos habebat. In singulis quoque fabricarum scriniis, quaterni Subadjuvæ reperiebantur, adjutoris Magistri officiorum locum obtinentes. Synesius etiam, epist. CXLV. Subadjuvam exponit pro eo, qui adjutori opitulatur. *Harpocration*, inquit, *quidam est, ex Heracliani satellitibus, ordinem habens, ut adjutori opituletur: nam dictio, subadjuva, hoc interpretari creditur.* Hæc ille. Sed in Notitia credo legendum, *subadjuvæ*, in plurali, ut habent codices manuscripti, quia cum adjutor criminosos custodiret, pluribus subadjuvis indigebat, & in Occidente in officio P. P. Italiæ, & Galliarum, & Præfecti Urbi legitur, subadjuvæ, & eodem modo in Ducibus tam Orientis, quàm Occidentis. Adjutores adjutorum vocantur à Suida in verbo σουβαίουβ⊙, quæ dictio est corruptè scripta pro σουβαδιοῦβα. Sic subcurator appellatur curatoris adjutor, *in l. ex facto. ff. de negot. gest.* Post Numerarios adjutoris Subadjuvæ ponuntur, quia illi, ut puto, dignitate præcedebant. In officio P. P. Africæ Subadjuva seu Primiscrinius decem ministros habebat, quibus annonæ à fisco solvebantur, *dict. l. 1. §. in scrinio primiscrinii. C. de offic. Præfect. Prætor. Afric.*

CAP. XVII.

DE CURA EPISTOLARUM.

ALius post hos erat, cui cura epistolarum demandabatur: sæpe enim ob occurrentes necessitates, epistolas Principi, vel aliis scribere Præfecti cogebantur, aut causa evectionum, ubi alicui equis publicis currendi facultatem dabant, vel ubi quis munere officii functus cum honorariis epistolis mittebatur, quæ *testimoniales* vocabantur, *l. 2. C. desertorib. l. ultim. C. de professor. & me. lib. 12.* vel ubi ad annonam, tributave publica spectantia, aut alia ad Rempublicam pertinentia ordinabant. Cassiodorus in XI. *Variar.* epistolas canonicas nominat ad canonem tributorum pertinentes. Qui harum curam habebant, *Epistolares* sunt vocati: Hi introducta ad Præfectum causarum appellatione, gesta coram priore judice accipiebant, & sequentia acta scribebant, *l. ultim. §. in his, C. de temp. appel.* Horum loco successere apud Venetos magistratuum cancellarii, qui quandoque etiam exceptoris officio funguntur.

CAP. XVIII.

DE REGERENDARIO.

REGERENDARIUS quoque in Præfecti officio reperiebatur, quem dubitandum non est à libellis fuisse, ut sæpe Notitia indicat, quem in officio Ducum Orientis *Subscribendarium* appellat. Libellis enim supplicibus Præfecto porrectis subscribebant. *Regerendarius* dicebatur, quòd ea scripta regereret, seu in codicem referret: à *regerere*, quod est loco subtracti aliud reponere. Jabolenus *in l. cum usumfructum in fin. ff. quibus modis ususfruct. amitt. Nec, si summa terra*, inquit, *sublata ex meo fundo, & alia regesta esset, idcirco meum solum esse desinit:* Unde *registrum* vocatur codex, in quem scripta referuntur, *ut registrum D. Gregorii.* Regerendarius etiam à Cassiodoro in XI. *Variar.* appellatur, fortè legendum *Referendarius*, quem Procopius lib. II. *de bello Persico*, cum esse ait, qui supplicantium preces Principi explicat, & ejus responsionibus præest. Ita etiam interpretatur Justinianus *Novella* XI. de *referendariis* tractans.

Idem apud Magistrum militum Orientis *Scriniarius* vocatur, A Theodosio *Libellensis*, *in l. præcipimus. §. ultim. C. de appellat.* ab aliis, *à libellis*: *libellus* verò inde dictus videtur, quia in pagellas, & parvi libri formam complicabatur: Suetonius in *C. Julio Cæsare* cap LVI. *Epistolæ*, inquit, *ejus ad Senatum extant, quas primus videtur ad paginas & formam memorialis libelli convertisse, cum antea Consules, & Duces non nisi transversa charta mitterent scriptas.* Per libellum autem supplicem lites expediebantur, quæ de plano, id est, extra tribunal causæ cognitionem non desiderabant, & ubi adversarius non contendebat. Ulpianus, *in l. nec quicquam. §. 1. C. de offic. procons. Ubi decretum*, inquit, *necessarium est per libellum id Proconsul expedire non poterit, quæcunque enim causæ cognitionem desiderant, per libellum non possunt expediri.* Multa verò per libellum expediebantur, ut excusatio tutoris dati: Modestinus, *in l. scire etiam oportet. §. oportet. de excusat. tutor. Oportet*, inquit, *excusari tutorem, vel ante tribunal, vel apud acta: potest autem, & libellos dare.* Hæc ille. Similis excusatio ex numero liberorum in libello facta est apud Callistratum, *in l. semper. §. 2. de jure immunitat.* Et hæc per assessores plerunque expediebantur. Papinianus: *Quoniam*, inquit, *in l. miles. §. sexaginta, de adulter. de plano quoque libellus dari potest: in his perpendendis studium assessorum versabatur, l. 1. ff. de offic. assessor.* Scrinium libellorum P.P. Africæ sex scribas habebat, quibus ex publico annonæ solvebantur, *l. 1. C. de offic. P. P. Afric.* His carebant Præfectus Augustalis, Vicarii, Correctores, & Præsides, qui per se libellis subscribere tenebantur. Constantinus, *in l. 2. C. de assess. Præsides*, inquit, *non per assessores, sed per se subscribant libellos:* & licet *Præsidis* vocabulo utatur, illud latius intelligitur, & ad alios magistratus extenditur. Consulares tamen Orientis ministros à libellis habebant, ut aliquid ex Consulum imagine haberent, etsi aliud in Occidente observabatur, ubi his non utebantur.

CAP. XIX.

DE EXCEPTORIBUS, ET

eorum adjutoribus.

ERANT & Exceptores in P.P. officio, qui acta judiciorum coram eo in causis appellationum scribebant. Anastasius, *l. in sacris scriniis 12 §. modum insuper sportularum. C. de proxim. sacro. scrin. lib. 12. Jubemus*, inquit, *pro editione actorum exceptoribus dimidiam solidi partem dari.* Loquitur de scriniariis Palatinis, quos vult exceptoribus, qui acta scripserunt, tenues sportulas solvere. Alii pinguiores

guiores dabant: Nam pro actis, vel scribendis, aut edendis, recitandove instrumento sæpe solidum, quandoque plus, aut minus pro hominum conditione, & usu locorum, solvebant, *dict. l. in sacris, l. ult. C. de Castrensianis, l. ult. C. de privil. schola.*

Actorum formam sæpe recitant Jureconsulti, ut Scævola, *in l. penult. de auctor. tut. Inter curatorem minoris*, inquit, *& creditorem acta facta sunt apud procuratorem Cæsaris infra scripta.* Priscus Procurator Cæsaris dixit, *Facias judicata.* Novellus curator dixit, *Abstineo pupillum.* Priscus Procurator Cæsaris dixit, *Responsum habes, scis quid facere debeas.* Aliaque plura hujusmodi in Jure breviter recitata reperiuntur, *in l. 1. ff. de his quæ in testam. delent. in l. 1. C. de veteran. in l. extat. ff. de eo quod metus caus. in l. creditores. ff. ad legem Juliam, de vi privat.* quorum hodie immensa, & verbosa scribuntur volumina. Nec integris dictionibus solum acta judiciorum coarctabantur, sed ut celerius expedirentur, notis scribebantur. Modestinus *in l. inter eos. §. 1. ex quibus caus. major. Eos*, inquit, *qui notis scribunt acta præsidum, Reipubl. causa non abesse certum est.* Metaphrast. XXVI. *Februar. in v. Porphyrio episcopo: Cornelius, ait, Diaconus sciens notis scribere, quibus utuntur in judicio, notabat omnia, quæ dicebantur, & opponebantur.* Cùm verò causa examinabatur, exceptores acta, quæ scripserant, Præfectis aut Præsidibus recitabant, ut ex actis cujusdam judicii relatis à D. Augustino *contra Cresconium* lib. V. cap. XXIX. apparet. *Constantino Maximo Augusto*, ait, *& Constantino juniore nobilissimo Cæsare Consulibus, Idibus Decembris, ex tota Meciacensi inducto, & applicito Victore Grammatico, astante etiam Nundinario Diacono*, Zenophilus Consularis dixit: *Quis vocaris?* Respondit, *Victor*: & paulò post alio loco respondit Nundinarius, *legantur acta*, Zenophilus Consularis dixit, *legantur, & legit N. exceptor ea, quæ Diocletiano imperante acta fuerant, quæ longum nimis esset referre.* Hæc acta exceptores conservabant, & tunc dicebantur in memoriam redigi, ut apparet ex actis recitatis à Surio, XI. *Februar.* & Cæsare Card. Baronio his verbis: *Proconsul parte, ejusque confessionem in memoriam cum cæteris confessionibus rediges, id est, servabis.* Sic P. Victor memoriam provinciarum in Basilica Antoniniana in X. urbis regione fuisse scribit. Alii volunt memoriam locum esse, ubi acta conservabantur: Solebant & Principum edicta exceptores describere. Hi neque apud Præsides erant cohortales, neque illorum conditioni obstricti, nullasque à fisco annonas capiebant. Gratianus *in l. exceptores. C. de numer. Exceptores*, ait, *omnibus provincialibus obsequentes, qui nec cohortalem militiam sustinere videntur, nec à fisco ullam consequuntur annonam, absque metu cæptis dare operam, etiamsi Decuriones sint, minimè prohibeantur, dummodo munera propriæ Civitatis agnoscant, & peracto secundum morem exceptionis officio, ad propriam sibi curiam redeundum esse non nesciant.* Verùm Justiniano imperante, à Principe annonas perceperunt, *l. 1. §. in schola exceptorum. C. de offic. Præfect. Præt. Afric.* Dicti autem sunt *Exceptores* quòd acta excipiant. Zeno *in l. ultim. C. de princ. agen. in reb. lib. 12. Gestorum*, inquit, *excipiendorum causa agentes in rebus duos tantum solidos dabunt.* Aliquando ab actis videntur appellari, *l. per hanc. C. de advoc. diversorum judic.* Exceptores uni parebant Primicerio, ita enim Cassiodorus in XI. *Variarum* appellat, qui adjutores habebat absentis, aut aliàs impediti vices implentes, vel ipsum etiam scribendo adjuvantes, *dict. l. per hanc.* Græcè ἄκτουάριοι dicuntur, *l. Βαστᾶ. C. de tabular. lib. 10.* unde nomen traxisse Boethium Accursius opinatur. Metaphrastes in Mena martyre *S.ta Symmachus*, inquit, *Boethius actorum Præfectus.* Quidquid ex hoc officio filiifamilias acquirebant, Castrense erat peculium, perinde ac si in legione prima adjutrice militassent, *l. ultim. C. de castrens. pecul. milit. lib. 12.* Quod & in omnibus apparitoribus locum habere legum Interpretes opinantur. Schola exceptorum P. P. Africæ erat hominum sexaginta. Hi hodie ex tabulariis Civitatum, non ex Magistratuum officio eliguntur.

CAP. XX.

DE SINGULARIIS, DUCENARIIS, *Centenariis, & Sexagenariis.*

HACTENUS de Scriniariis, qui chartas tractabant, & scribebant, est dictum, nunc de cohortalibus est videndum, qui in Prætoriano officio nominantur *Singularii*, vel *Singulares*, utroque enim modo in Notitia legitur. Hi sunt qui à Justiniano à scriniariis distinguuntur, *l. 1. in fin. C. de offic. Præfect. Præt. Afric.* his verbis. *Hæc statuimus pro officiis, id est, tam Scriniariis amplissimæ præfecturæ, quam cohortalibus.* Cassiodorus lib. XI. *Variar.* illos militares excubias peregisse scribit: unde milites, ac stipatores P. P. aliorumque magistratuum fuisse videntur, & fortè præfectos ambulantes præcedebant, erantque velut milites, & illos fuisse puto, qui *Tribuni Prætoriani partis militaris* à Theodosio appellantur, *l. penult. C. de apparitor. magistr. milit.* & alio nomine *Frumentarii* vocabantur, exemplo enim frumentariorum Principis, mandata Præfecti per provincias nunciabant, & delinquentes inquirebant, inventosque in carcerem ducebant. Eusebius enim lib. VI. cap. XXXIII. epistolam Dionysii Alexandriæ Episcopi recitat, qua ille narrat sub Decio Imperat. à Sabino Præfecto Augustali frumentarium ad se perquirendum missum. D. quoque Cyprianus epist. LXXXIII. scribit à Proconsule Africæ frumentarios missos, qui cum Uticam perducerent. Nomen habuerunt à frumentariis militibus frumenta procurantibus, quorum crebra in antiquis monumentis est mentio: nam quemadmodum illi frumenta perquirebant, ita isti sontes quærebant, eosque ad carcerem comitabantur, quos Macer *prosecutores* vocat, *in l. solent, de custod. reor. Solent*, inquit, *Præsides provinciarum, in quibus delictum est, scribere ad collegas suos, ubi factores agere dicuntur, ut cum prosecutoribus ad se remittantur.* ita etiam Tertullianus appellat, *De virginibus velandis.* Nullus in Oriente, præter Præfectos, Singularios habebat. In Occidente verò omnes provinciarum magistratus spectabiles sive civiles, sive militares, sed non clarissimi. Ordo Singulariorum Præfecti Prætorio Africæ Schola vocabatur, *l. 1. §. in schola singulariorum. C. de offic. P. P. Afric.* qui erant homines L. à Principe annonas percipientes. Horum caput erat Primicerius, Cassiodorus in ultim. *Variar.* eum gradu sequebatur secundo, post tertio, ac quartocerius, *dict. §. in schola singulariorum*, qui duo Ducenarii vocabantur, *l. scrinioo. §. 1. de palat. sacr. larg.* post hos erant & centenarii, deinde sexagenarii, *l. 1. C. de exactor. tributor.* Hi etiam tributa exegisse videntur, quod munus erat Ducenariorum & Centenariorum, *dict. l. 1. C. de exactor. tributo.* Singulares verò fortè ab ala Equitum singularium appellata, sunt dicti. Tacitus *Histor.* lib. IV. *Accessit*, inquit, *Ala Singularium excita olim à Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa.* Hæc ille. Ala secunda Valeria singularia in Occidente sub Duce

Rhe-

Rhetiæ primæ, & secundæ reperitur, quæ Vallatum oppidum tuebatur. Aliqui volunt hos singulis, seu singlis, id est, singulis literis scripsisse, veluti R. P. de quo Gellius, quod mihi non placet, quia non video, quem usum genus hoc scribendi efficere posset, ut hi pars officii P. P. esse debuerint. Fortè dicti sunt *Singulares*, quod à cæteris omnibus Scriniariis essent disjuncti, quemadmodum *Singulares* in *Pandectis* vocantur libri, qui nullam cum præcedentibus habent conjunctionem, *§. 2. in proœm. ff. l. 2. §. post hæc, & seq. C. de vet. jure enucl.* Sic notas in epistolis C. Cæsaris Gellius lib. XVII. cap. IX. *Singulares* nominat, quia dictiones ex illis confici non poterant. Sed cum non tantùm in hac schola, sed & aliis Ducenarii, Centenariique continerentur, de his aliquid est dicendum. Præfectorum aliorumque magistratuum officia, imaginem militaris cohortis, & nomina habuere, cujus exemplo ad gradus promovebantur. Asconius *in III. contra Verrem: Accensus*, inquit, *nomen est ordinis & promotionis in militia, ut nunc dicitur Princeps, vel Commentariensis, aut Cornicularius: hæc enim nomina de legionaria militia sumpta sunt.* Hæc ille. Erant autem in quaque legione X. Cohortes, quarum prima MCV. pedites continebat, CXXXII. loricatos equites. Aliæ DLV. pedites, equites loricatos LXVI. Ut Vegetius in lib. II. *de re militar.* cap. VII. scribit. Hinc cohortes, magistratuum officia dicta esse arbitror, quòd ad exemplum primæ cohortis, quæ in legione militabat, eosdemque habebat Præfectos, essent instituta. Illa à quinque *ordinariis* regebatur. Ita appellabantur qui in prælio primos ordines ducebant. Vegetius, eod. lib. cap. VII. *Ordinarii*, inquit, *dicuntur, qui in prælio præsunt, & primos ordines ducunt.* Et cap. seq. *Primus erat, qui Centurio Primipili vocabatur, is non solum Aquilæ præerat, verum etiam quatuor centurias, hoc est, quadringentos milites gubernabat in prima acie. Hic tanquam caput totius legionis merita consequebatur, & commoda. Secundus erat primus hastatus, qui duas centurias, id est, ducentos homines ducebat in acie secunda, quem nunc Ducenarium vocant. Tertius erat Princeps centuriam & semis, hoc est, centum quinquaginta homines gubernans, ad quem in legione propè omnia, quæ ordinanda sunt, pertinent. Post hunc secundus hastatus centuriam & semis, hoc est, centum quinquaginta homines regebat. Ultimus centum homines. Sic decem centuriæ cohortis primæ à quinque ordinariis regebantur, quibus magnæ utilitates, & magnus honor est à veteribus constitutus, ut cæteri milites ex tota legione, omni labore & devotione contenderent ad tanta præmia pervenire. Erant & Centuriones, qui singulas curabant centurias, qui nunc Centenarii nominantur. Erant Decani, qui decem militibus præpositi, nunc caput contubernii vocantur.* Hæc Vegetius. Horum instar erant Præfectorum aut Præsidum cohortes, in quibus sua capita, alii gradus sequebantur, veluti Ducenarius, mox Centenarius, & Sexagenarius. Constantinus, *l. 1. C. de exactorib. tribut. lib. 10. Ducenarii*, inquit, *& Centenarii sive Sexagenarii non prius debent aliquem ex debitoribus convenire, quàm à Tabulario Civitatis nominatim Breves accipiant debitorum.* Ab eo, qui CC. militibus in prima cohorte præerat, *ducenarius* est appellatus, sic exemplo Centurionis *centenarius*. Hunc Scævola *in l. ult. §. 2. l. de pignor. act.* in officio Præfecti annonæ Centurionem vocat: *Missus*, inquit, *ex officio annonæ Centurio culleos ad annonam sustulit.* Sexagenarius illum imitatur, qui sexaginta milites regebat, & hi in P. P. aut Præsidis cohorte suis cohortalibus imperabant. Ducenarii & Centenarii in omnibus officiis Palatinorum, & aliis reperiebantur, ut & ipsi milites viderentur. A Justiniano *in l. 2. in Notitia C. de offic. P. P. Afric.* secundo, tertio, & quartocerii vocantur. Gratianus quoque *l. cunctis omnibus, C. de palatin. sacr. largit.* Ducenarios esse tertiocerium, & quartocerium in officio largitionum interpretatur, nec plures tribus aut quatuor erant, Centenarii quandoque sex vel octo. Sed plures *d. l. 2. in Notitia C. de offic. P. P. Afric.* in officio Ducum Africæ. Ad primos verò gradus promoti ordinarii nuncupabantur, *l. ordinariorum C. de cohortal. lib.* 12. sicut & in cohorte militari eveniebat. Vegetius lib. II. cap. VIII. *Sic decem*, inquit, *centuriæ cohortes primæ à quinque ordinariis regebantur.* Hi erant, Primipilus, Primus hastatus, Princeps, secundus hastatus, & qui magnus Prior dicebatur, eodem modo primates officiorum ordinarii nuncupabantur, à Valentiniano *l. ordinariorum C. de cohortal. lib.* 12. *Ordinariorum*, ait, *judicum apparitores, qui vel speculatorum, vel ordinariorum gradum attigerint*, id est, officii hominibus præfuerint, nullo annorum numero laxentur, priusquàm primipili pastum digesta ratione compleverint, quia non possunt ante ab officio liberari. *Speculatores* autem videntur dicti, quasi in specula ante alios positi, vel quòd aliorum gesta, tanquàm Præfecti speculentur, nisi malimus legere *spiculatorum*, qui ad mortem damnatos occidentes carnificis officio fungebantur, *l. divus. §. 1. ff. de bonis damnat.* spiculatorque à spiculo, quod gerebat, est dictus. Id fuit hastile pedum quinque & semis, cum ferro triangulo unciarum IX. Quod *pilum* veteres appellabant, ut ait Vegetius lib. II. cap. XV.

CAP. XXI.

DE PRIMIPILO.

INTER cohortales Notitia *Primipilum* nullibi nominat, nec Justinianus in Africæ officiis ordinandis, *in l. 1. C. de off. P. P. Afric.* quia apparitor non erat, sed in provinciis præcipuam annonæ militaris curam habebat. Præsidum apparitores, etiam omnibus officii gradibus completis, à cohortalium necessitate, qua adstringebantur, liberari non poterant, nisi Primipili officium peregissent: Præfectorum verò, aut majorum judicum apparitores hoc onus subire non compellebantur, *l. ordinariorum, l. si cohortalis, l. pen. & ult. C. de cohortal. lib. 12. l. 6. C. Theod. de divers. offic.* Primipilum præfecti Prætorio præceptis & publicis utilitatibus perpetuò obnoxium esse oportebat, *l. quisquis. C. de episc. & cler.* is ab armatæ legionis primipilo nomen habet, qui primæ cohorti, id est, milliariæ præerat, & à *pilo*, id est, hasta, quam manu gerebat, est dictus, id postea spiculum est vocatum, Veg. lib. II. cap. XV. Quemadmodum ergo Primipilus annonam inter milites dividebat, ita hujus erat munus, annonam ad exercitum ferre, & inter milites dividere, Modestinus, *in l. non solum §. qui Primipilum, de excusa. tutor. Qui primipilum*, inquit, *explevit, si cùm tutelam suscepisset unius filii, rursus in militares necessitates assumptus erit, deponet sollicitudinem tutelæ.* Sed clarius id explicat Constantius, *in l. 6. C. Th. de cohortal. Primipilaribus*, inquit, *qui ad pascendos milites ad limitem destinantur, gravia sustinentibus detrimenta credidimus esse consulendum, ita ut species à Primipilaribus præstentur, nec in nummum aureum redigantur, actis apud Rectorem provinciæ conficiendis, per quæ designabitur: quatenus specierum modus in usum alimoniæ militaris à Primipilaribus præbeatur, & quæ ob munera Ducibus mittenda, sportulamve, cujus habet notitiam, officium

officium Præsidiale. Hactenus Constantius. Sportulæ autem, de quibus loquitur, erant argenti libræ quinquaginta, quas ducibus dari nomine doni Julianus Apostata permiserat, *l. secundum. C. Theod. eod. de cohortal.* aut quaternos aureos pro singula libra argenti, *l. pro singulis. C. Theod. eod. de cohortal.* quæ summa colligit aureos cc. Species verò, quæ militibus exhibebantur, erant duobus diebus, bucellatus, tertio panis, alternis vinum, & acetum, uno die laridum, biduo vervecina, sal, & oleum, *l. 1. C. de erogat. milit. annon.* Hæc ex horreis publicis militibus Comitatensibus in speciebus dabantur. Limitaneis in auro, nempe pro octogenis libris laridi, & olei, duodenis modiis salis, singuli aurei, *l. 17. C. Theo. eod. de cohortal.* Hæc annona quandoque *Primipilus*, aliquando *pastus Primipili* vocabatur, *in l. 3. ordinariorum, cum seqq. C. eo. de cohort.* Cùm verò omnium gravissima esset hæc causa, statutum est, ut etiam dotes conjugum primipilorum pro ea in subsidium sint obnoxiæ, *in l. 3. & 4. C. de primipil. l. 4. C. in quib. cau. pign. vel hypo. tacitè contrahatur.* causa enim publica privatæ præfertur. Debitores quoque primipili in diem ob hanc causam ejus deficientibus facultatibus statim solvere compellebantur, *l. 1. C. de condict. ex lege.* Plures annonæ & capitationes Primipilo, & alia commoda tribuebantur, *l. 1. C. de primipil.* Vnde Licinius Rufinus *in l. pater, de adim. legat.* proponit quendam ex commodis Primipili ccc. aureos filiæ reliquisse, quæ erat portio ejus, quod ex primipilaris officii administratione debebatur. Quantum verò id esset, sciri non potest. Primipilaris verò dicitur, primipili officio functus, sic Julius Agrippa patruus major Juliæ Mammeæ Augustæ à Scævola primipilaris nominabatur, *in l. pater §. Julius Agrippa, de leg. 3.* & alii plures, *in l. pediculis, §. quedam, ff. de aur. & arg. leg. l. ul. §. patrimoniorum, ff. de mun. & honor.* Officio Præfecti prætorio Orientis explicito, nunc ad ejus insignia est veniendum: sed prius generaliter de insignibus differendum.

CAP. XXII.

DE INSIGNIBVS DIGNITATVM *& Præfecti Prætorio Orientis.*

PRÆCIPVA Notitiæ intentio est, non solum distinctas dignitates recensere, sed & cujusque insignia graphicè repræsentare, & ideo antequam ad eorum interpretationem accedam, de his quædam generaliter sunt percurrenda. *Insignia sunt propria alicujus ornamenta, quibus ab aliis distinguitur,* quemadmodum definit Accursius in hoc non contemnendus, *in l. 2. in princ. in versi. insignib. ff. de his qui not. infam.* *Consularia*, inquit, *insignia sunt, quibus Consul ab aliis discernitur:* ideò autem inventa sunt, ut his honestatus, cæteris spectabilior videatur. Quare qui aliis excellit ab insignibus insignis dicitur, *l. quicunque. C. de procura.* insignia Græci σύμβολα & σημεῖα dixerunt, *Novel. 24. & seq.* Appianus in *Syriaca* παράσημα, Dioo σχήματα καὶ κοσμήματα. Valerianus A. *in l. 4. C. de injuriis.* ornamenta. Insignia verò magistratuum in primis fuere toga prætexta, id est, purpura circumtexta, & cum securibus fasces prælati, & sella curulis; Cicero in *L. Pisonem*: *Tu in Lectoribus in toga & prætexta Consulatum esse putas? quæ ornamenta in Sex. Clodio te Consule esse voluisti. Hujus tu Clodiani canis insignibus Consulatum declarari putas?* Id & Virgilius in XI. *Æneid.* significavit, dum dicit:

Et sellam regni, trabeamque insignia nostri.

De his intellexit Vlpianus *in l. 1. §. casum. de postulan.* scribens: *Luminibus orbatum à postulando Prætor repellit, quòd insignia magistratus videre, & revereri non possit.* Et alibi *in l. 1. ff. de offi. procons.* *Proconsul*, inquit, *ubique Proconsularia insignia habet.* sed de his Notitia oon agit; verum de illis, quæ depicta in codicillis dignitatis à Primicerio notariorum magistratibus exhibebantur. Justinianus enim *Novel. 24. §. ult.* loquens de Prætore Pisidiæ, ait: *Vt autem cognoscant, quomodo provincias gubernare conveniat, visum est nobis non tantum symbola præbere administrationis in codicillis, sed modum præscribere, quo provincias administrent, scilicet in libro mandatorum.* Symbola administrationis in codicillis magistratus delineata insignia appellat, *Novel. 25.* Idem *in d. Nov. 25.* instituens Lycaoniæ Prætorem: *Nobis*, inquit, *studium fuit, non tantùm administrationis symbola ex codicillis, sed & mandata Principum exhiberi.* Idem de Prætore Thraciæ *§. 2. Novell. 26.* tractans: *Symbola*, ait, *magistratus erunt codicilli à nobis prodeuntes more spectabilium magistratuum.* Et alibi *in Novel. 27. §. 1.* vult novum Comitem Isauriæ civili ac militari potestate præditum doplicis magistratus symbolis uti, ut habeat civilis magistratus appellationem: *Sumat verò*, inquit, *militaris potestatis signa:* quæ ibi appellaverat *symbola*, mox vocat σημεῖα. itaque minus rectè vertit, qui pro symbolis codicillos, & probatorias interpretatur. De his etiam insignibus Justinianus *§. ult. duarum Novel. seqq. & §. antepen. seu c. 9. Novell. 30.* intelligit loquens de Proconsule Cappadociæ: *Dedimus*, inquit, *illi symbola magistratus:* & alibi, *in Novell. 70. §. 1. & Novell. 8. §. 1. seu Auth. ut judic. sine quoquo suffragio fiant. Sancimus, ut judices modicum dent pro symbolis, & chartis, subjecimus etiam descriptionem declarantem, quid dandum sit in sacro nostro laterculo causa codicillorum, vel symbolorum, vel mandatorum:* ex quibus verbis apparet codicillos à symbolis distingui. Idem alibi, *Novell. 70.* *Si dentur*, inquit, *symbola magistratus Præfectis, liberantur à curia: secus si unde præbeantur codicilli honoris tantùm gratia sine administratione.* Nudos appellat codicillos, qui his insignibus carent, & idem ex aliis Novellis constat. Quæ verò in codicillis depingebantur, à Gratiano, *l. judices 12. C. de digni. lib. 12.* codicillorum insignia appellantur: *Judices*, inquit, *qui se furtis, & sceleribus maculasse fuerint convicti, ablatis codicillorum insignibus, & honore exuti, inter pessimos quosque plebejos habeantur.* De his etiam Valentinianus intelligit, *in l. quicunque C. de procur.* *Quicunque*, ait, *Prætoriana vel Vrbana præfecturæ sublime fastigium, vel magisterium militare, vel consistoriana comitiva insignia meruerit dignitatis, si quod ab eo infertur jurgium, vel refertur, procuratoris personam substituat.* Et alter Valentinianus, *in l. 5. C. de offi. rector. provin.* qui insignia dignitatis ad hoc exercet, ut injuriis adficiat eos, qui officia cum potestate moderantur, non declinabit nostræ indignationis aculeos. Tria verò ut plurimum hæc insignia continebant. Nam si erant majores magistratus provinciarum ut Præfecti, Proconsules, & Vicarii, mulierum imagines habebant, quæ provincias ipsis subjectas insinuabant: alii oppidorum. præterea Codices, qui librum mandatorum repræsentabant, & vultus Principum auratæ pilæ præfixos præferebant. Alii signa rerum tenebant quas tractabant, putà magistri officiorum scuta, lanceas, gladios, & thoraces, quæ illum fabricis, in quibus arma fabricabantur, præesse significabant. Magistri largitionum, & rerum pri-

vatarum, aureos, arcas, & similia. Comes castrensis mensas, & abacos, vasis vinariis, & panibus onustos. Primicerius Notariorum & Magistri scriniorum laterculum, codices, & codicillos, quos tractabant, pro insignibus gestabant. In codicibus verò mandatorum, viri illustres in hoc ab aliis differebant, quod ipsi in libri dorso vultus Principum sculptos tenebant, quibus alii carebant. Eorundem codicum terga manuscriptæ Notitiæ in Illustribus argento tecta aureisque fasciis cincta, aut in angulis auro ornata repræsentant; Spectabilium vero tota aurata ostendunt, exceptis Proconsulibus, Comite Orientis, & Augustali, in quibus argentata, ut Illustrium apparent. Alia, præsertim in Ducibus, sunt varia. Clarissimi plurimum auro tecta habent; Comites rei militaris, & Duces, Primicerius Notariorum, Vicarius Ponticæ, & Thebaidis Præses, quasdam notas his inscriptas habent, quæ infra explicabuntur.

Magistris militum, non tantum ipsorum magistratuum insignia tradebantur, sed & legionum, cohortium, & vexillationum equitum symbola, quæ ipsi in clypeis aut vexillis depicta gerebant, nec mutare, aut deserere poterant. A Principe enim inventa ex Laterculo mittebantur. Hæc Vegetius lib. II. c. XVIII. *δείγματα* vocat, quæ diversis imaginibus descripta velut ænigmata mysticum sensum continent. Hæc pro tesseris Honorius usurpat: *Clandestinum*, inquit, *ad collegas digma mittat*, *in l. 6. C. Th. de suariis.* Ab his insignibus Itali militum vexilla hodie *insignia* appellant. Hæc verò in codicillis magistratus depicta illos esse legitimos faciunt, ac verè à Principe prodire, probant, quemadmodum hodie plumbo, aut cera impressa signa chartis auctoritatem tribuunt.

Vultus Principum magistratibus in publicum prodeuntibus præferebantur, quemadmodum sacerdotibus provinciarum, eorum dignitatis ornamenta prælata fuisse Valerianus A. *in l. 4. C. de inju.* scribit, & illos aliis, ut à potentum injuria se tuerentur, præmittebant, *l. capitalium. §. ad statuas. ff. de pœn.* Cassiodorus lib. VI. *Var. in formul. Consularitatis: Vultus etiam*, inquit, *regnantium gestata obsequii pompa præmittit.* Codices etiam mandatorum Magistratibus prælatos fuisse credendum est, certè in adjutoriis judicantium semper adstabant, prout in Palæstinæ & Campaniæ Consularium tribunalibus cernuntur. Martyrologium *prid. Kal. Aug.* hæc insignia *vexilla præsidialia* appellat, quæ cum D. Fabius ante Præsidem gestare noluisset, tanquam Christianus capite punitus fuit: illi fortè religio fuit vultus principum consecratos, qui adorabantur, aut alias idolorum effigies gestare.

Quando inventa fuerint hæc insignia, non constat: nullibi enim eorum, quod sciam, in *Pandectis* fit mentio. Primus Gratianus illorum meminit, *in d. l. judices. 12. C. de decur.* & Vegetius lib. II. c. XVIII. symbolorum, quæ in scutis depicta milites gestabant. Quare prope est, ut sub Valentiniani, & fortè Constantini tempora illa introducta fuisse existimem. Præter hæc fasces cum securibus argento cælatis Præfectis præferebantur, quibus etiam Proconsules, & Prætores ipsis inferiores utebantur, *l. antep. ff. de off. procons.* Sidonius Apollinaris lib. VIII. *ad Vincentium: Confestim*, inquit, *privilegiis geminæ præfecturæ, quam per quinquennium repetitis fascibus rexerat, exauctoratus.* Claudianus quoque lib. II. Præfectos securibus usos fuisse memorat, de quibus in provinciarum magistratibus latius disseretur. Trabeas etiam Præfecti gerebant, Sidonius lib. VIII. *ad Syagrium*, qui Præfectus fuerat: *Elaboratas*, inquit, *curules, & gestatorias trabeas, & fastos recolis purpurissatos.* Ausonius in *Protreptico ad Hesperium filium*

Ut præfecturam duplicem, sellamque curulem,
Ut trabeam, pictamque togam, mea præmia Consul
Induerer:

Erat autem trabea toga auro purpuraque intexta, Ausonius in *Panegyrico ad Gratianum*, à quo Præfectus Illyrici creatus fuerat, in cujus persona ita loquitur: *Ut sellam*, ait, *curulem, cujus sedem frequenter ornabis, ut prætextam meam purpura tua luce fucatam, ut trabeam non magis auro suo, quàm munere tuo splendidam præstes.* Hæc ille. Scipionem quoque eburneum pro sceptro, quemadmodum alii magistratus, Præfecti Prætorio gerebant. Nam Consulares, & Duces apud majores cum sceptris curiam ingrediebantur, ut auctor est Servius, *in XI. Aenei. Et primus sceptris haud læta.* Hæc insignia Tarquinius Priscus à Tuscis sumpsit. Jornandes *de regno. & tempor. successio. Tarquinius*, inquit, XII. *Tusciæ populos frequentibus armis subegit: Indè fasces, trabea, curules, annuli, falera, paludamenta, prætexta: Indeque aureo curru quatuor equis triumphator, toga picta, tunicaque palmata, omnia denique decora, & insignia, quibus Imperii dignitas eminet, sumpta sunt.* Hæc Jornandes. Sed & aureo torque collum circundati, & cingulo purpureo, aureis bullis distincto Præfecti conspicui incedebant, quemadmodum in provinciarum rectoribus dicetur. Verùm hæc insignia, ut vetusta, Notitia prætermittit, sed ea tantum repræsentat, quæ in Codicillis depicta, à Laterculo proveniebant.

Præfecti Prætorio Orientis apud Notitiam nulla apparent insignia; sed dubitandum non est ferè eadem fuisse quæ & Præfecti Illyrici, nempe librum mandatorum, inter quatuor ardentes cereos, super abaco mappa instrato erectum, vultus Principum, & sellam curulem a quatuor albis equis tractam. Ab altera parte quinque mulierum imagines, vasa aureis plena tenentes, quæ totidem Diœceses ejus nomine administratas referebant, scilicet Orientem, Ægyptum, Asianam, Ponticam, & Thraciarum. Ipse in publico quadriga insigni, & aurato vehebatur, fausta præconibus acclamantibus, *Auth. ut ordo Pref. Nov.* 60. Cætera magistratus insignia in ejus auditorio conspiciebantur, & illi prodeunti præmittebantur; egrediens cum insignibus in publicum Præfectus, dicebatur procedere, sicut & Imperator, quando prælato igne cum pompa exibat, nam in actis Antonini legitur, cum ipse salutatus esset, & processisset, oblatus est ei Julianus Licinius. Hinc Licinius, Ruffinus, ad processus, inquit, *in l. 1. C. de sonten. pass. & rest.* viri uxor ei donare potest, id est, ad parandam pompam in procedendo. Hæ magistratuum & Consulum processiones *l. 41. nam & Imperator de dona. inter vir. & ux.* etiam a Justiniano, & Græcis *πρόοδοι* appellantur, *in l. de his. 41. §. fin autem, C. de episc. & cler. & Novel.* 105. *§. 1. seu Auth. de Consulib.* Alia verò ad præfectorum insignia pertinentia in sequente Præfecto cum Notitia ostendentur. De his enim, quæ non apparent, hoc loco diffusius disserere nolui. Nunc igitur ad Præfectum Prætorio Illyrici est veniendum.

NOTITIA.


UB dispositione virorum illustrium Præfectorum Prætorio per Illyricum Diœceses infrascriptæ.
Macedonia, Dacia.

Provincia Macedonia. VI.

Achaja, Macedonia, Creta.
Thessalia, Epyrus vetus, Epyrus nova, & pars Macedoniæ salutaris.

Provinc

Provinciæ Daciæ. V.

Dacia Mediterranea, Dacia Ripensis, Mœsia prima.

Dardania, Prævalitana, & pars Macedoniæ salutaris.

CAP. XXIII.

DE PRÆFECTO PRÆTORIO *Illyrici, & Justiniana prima.*

COMMENTARIUM.

SECUNDUM in Septentrionali regione Præfectum Prætorio Constantinus instituit, Illyrici dictum. Id olim erat, quicquid est à Danubio ad Italiam, usque ad oram Istri, nunc Sclavonia vocatur. Zonaras scribit Illyrici nomen prius aliis locis attributum, post in superiorem continentem supra Macedoniam, & Thracias, intra Hemum & Rhodopen transiisse. Deinde situm fuit Illyricum inter dictos montes citra Hemum atque Istrum, usque ad Pontum Euxinum. Tempore verò Claudii secundi, ut in eo Pollio scribit, Illyricum, Thracias, Mysos, Dalmatas, Pannonios, & Dacos continebat. *Huic Præfecto*, inquit Zosimus lib II. *Constantinus ejus institutor Macedones attribuit, Thessalos, Cretenses, Græciam, & circumjacentes insulas, Epyrum utranque, præter has & Illyrios, Dacos, Triballos, & Pannonios, Valeriam usque & Mysiam superiorem:* Itaque Illyrici factæ sunt octodecim provinciæ, ait Jornandes *de regnor. & temp. successio.* Norici duæ, Pannoniæ duæ, Valeriæ duæ, Savia, Dalmatia, Mœsia superior, Dardania, Daciæ duæ, Macedonia, Thessalia, Achaja, Epyrus, Prævalis, Creta. Sext. verò Rufus universam Illyricum in septemdecim provincias dividit. *Habet*, inquit, *Illyricus* XVII. *provincias, Noricorum duas, Pannoniorum duas, Valeriam, Saviam, Dalmaticam, Mœsias, Daciæ duas. In ditione verò Macedoniæ sunt septem, Macedonia, Thessalia, Achaja, & Epyri duæ, Prævalis, & Creta.* Cæterùm diviso inter posteriores Principes Imperio, duplex factum est Illyricum, Orientale, quod Macedoniam, & Daciam in XI. provincias divisas continebat, & Occidentale, quod Italiæ Præfecto attributum Dalmatiam, duas Pannonias, Noricum Ripense, Saviamque complectebatur. Adrius mons, mediam Illyricum dividit, quemadmodum Apenninus Italiam, qui tamen pro varietate regionum mutat nomina, ut ait Strabo.

Illyricum inter alia pro tributo vinum in usum militum præstabat, & equos quos præstantissimos generabat, quod significat Claudianus in secundo *Panegyrico in laudem Stiliconis:*

Restituit teneras, & opacum vitibus Istrum
Conserit, & patrium vectigal solvere gaudet.

Et *in laudem Serenæ uxoris Stiliconis:*

Illyricis sudant & equestibus alæ.

Solvebant præterea Illyrii, pro singulis triginta jugeribus agri, solidum, ob vestem seu chlamydem militibus debitam, *l. 3. C. de milit. veste. lib. 12. juncta l. 2.*

Sub hoc Præfecto duæ erant diœceses, seu binæ plurium provincialium administrationes, quibus duo præerant Vicarii, Macedoniæ alter, alter Daciæ, ille VI. provincias regebat, Achajam, Macedoniam, Cretam, Thessaliam, Epyrum veterem, Epyrum novam, & partem Macedoniæ salutaris. Sub Vicario Daciæ erant: Dacia mediterranea, Da-

A cia Ripensia, Mœsia prima, Dardania, Prævalitana, & pars Macedoniæ salutaris, quæ inter ipsum, & alium Vicarium divisa erat. Itaque hic Præfectus provincias XI. regebat, & si duas partes Macedoniæ salutaris inter duos Vicarios divisas conjungamus, erunt provinciæ XII. quæ junctæ provinciis Præfecti Orientis, constituent provincias Imperii Orientalis LXI. sed ob numeri æqualitatem, eas LX. posuimus. Cæterum Achaja, etsi Macedoniæ sub Illyrico attribuitur, ejus tamen Proconsulem Notitia, Asiæ Proconsuli conjungit, non ut eam regionem Orienti adscribat, sed ut spectabilium & Proconsulum ordinem continuet. Certum enim est, Achajam B ad Præfectum Illyrici, & non Orientis pertinuisse, sicut nec Creta, quæ non longè ab ea distat. Nec poterat ea Europæ pars ab Asia distans, & à mari Mediterraneo divisa, Orienti applicari.

Daciæ & Macedoniæ Vicarii insignia, aut officia à Notitia non ponuntur, sed tantum provinciæ recitantur, quòd tum à Barbaris essent devastatæ, ut Illyrici Præfectus coactus esset retrocedere. Is habebat anteà sedem Firmi, vel, ut ego lego, *Sirmii.* Verùm cum Attila Gothus, ex Gepidarum gente Numidii filius, Illyricum fœdè incendisset, Pennius tum ejus regionis Præfectus Thessalonicam se recepit, quæ urbs est Mygdoniæ partis Macedoniæ, inter C Ethedoram & Dhabrium fluvios, non longè à mari, vulgò *Selonicche* vocatur. Ea tum caput provinciæ facta fuit, *Novell.* 11. prius *Halis* dicta, inquit Stephanus, & à Cassandro condita: Aliqui volunt à Philippo Amynthæ filio ædificatam: Græca inscriptio indicat Pennium fuisse tum Præfectum Prætorio; sed fortè legendum Aetium, qui fuit P. P. Honorio & Theodosio Juniore imperantibus, *l. pen. C. de commer. & mercat.* Nicephor. *Ecclesf. Hist.* lib. XII. cap. XVII. & alii. quo tempore hæc clades est accepta. Multa itaque Thessalonicensi Ecclesiæ, tanquam omnium ejus regionis Metropoli, indulta fuerunt privilegia & immunitates, *l. id ab* D *unaquaque. C. de anno. & tribut. lib. 10. l. sacrosancto. C. de sacr. san. eccles.* Prædictam Illyrici cladem D. Ambrosius deplorat, lib. II. *de officiis: Nota sunt*, inquit, *hæc nimis Illyrici vastitate & Thraciæ, quanti ubique venales erant toto captivi orbe, quos si revoces, totius provinciæ numerum explere non possint.* Cùm vero Justinianus Sclavis in Illyrico devictis, utranque Daciam & Pannoniam recuperasset, *Novell.* 11. patriam suam Metropolim totius regionis fecit, ac *Justinianam primam* ad alterius, quam propè extruxit, differentiam appellavit, nunc *Acreda* dictam, ac mirificè exornatam auxit, forma quadrangulari, mœnibus extructis, munitissimisE que turribus in angulis cingens, & eam Præfecti Illyrici sedem esse voluit, ut ait Procopius, lib. IV. *de ædif. Justiniani, & d. Novella* 11. Eidem Archiepiscopum dedit primatem Episcoporum Daciæ Mediterraneæ Ripensis, Prævalitanæ, Dardaniæ, Mysiæ superioris, & Pannoniæ; quarum Antistites ab ipso, illum verò à proprio provinciarum concilio ordinari jussit, ac locum Romanæ Sedis apud illos tenere, §. 1. *in Auth. de eccles. tit. quæ est Novella* 131. Multi verò contendunt, quænam esset patria Justiniani, Bartholomæus Brixiensis, *in can. scripsit 7. q. 1. in glo.* 1. eam esse Sclavonicam affirmat, quæ est urbs Dalmatiæ prope Daciam, & Pannoniam secundam, quæ BulgaF ria vocatur, & id audio ex pluribus marmoribus ibi adhuc extantibus deprehendi. Verùm Agathius lib. V. eam Bederinam Illyrici urbem fuisse asserit, Nicephorus autem lib. XVI. cap. XXXVII. & lib. XVII. cap. XXVIII. Acbrido: *Patria quoque sua*, inquit, *Acbrido præcipuum honorem habens Justinianus, Archiepiscopali dignitate eam decoravit, Ecclesiamque ibi*

 liberam

liberam, qua ipsa sibi caput esset, cum plena potestate constituit, & primam Justinianam *vocavit, quemadmodum & in insula Cypro postea* secundam Justinianam, *eandem Archiepiscopalem, parem et cum Achrido honorem tribuens fecit, in conjugis sua Theodora Augusta inde orta favorem. Porro Achrido urbs est in excelso tumulo constructa, prope lacum maximum, qui Lychnedus appellatur; antiquitus autem Bassaritis vocatus est.* Hæc ille. Locus, quem Nicephorus describit, Salonianæ convenit, quàm variis nominibus appellatam fuisse arbitror. Est enim prope Drinum circa Liburniam, & Dalmatiam, ubi postremò P.P. sedes fuit. Eadem Cedrenus in Basilio Romani filio, ubi hanc Bulgariæ regiam vocat. Verùm ipse Justinianus *in d. Novel.* 11. dicit eam esse in Pannonia secunda seu inferiore. Sed fortè ita appellat Dalmatiam. Nicephorus verò Gregora lib. secundo scribit Justiniani patriam fuisse Bulgariam à flumine Bulga, quod totam regionem intersecat, dictam, & provinciæ Bulgariæ caput constitutam. Guilielmus etiam Tyri Archiepiscopus *sacr. belli* lib. XX. cap. IV. testatur eam suo tempore Acredam vocatam, & tum erat annus salutis MCLXVII. Sophotatus quoque Curopalata de officialibus palatii, in patriarchæ designatione Archiepiscopum Justinianæ primæ, id est, Achridos, & totius Bulgariæ vocat, *nam Justiniana secunda*, inquit, *est Cyprus, & tertia Calcedon.* Achridon Regiam Bulgarorum Zonaras in *Basilio Porphyrogenneto* appellat. Verùm Procopius lib. IV. *de ædific. Justin.* & Joannes Langus interpres ad finem lib. XVII. Justinianam primam in Dardania Europea ponit: *Apud Dardanos,* inquit, *Europeos, qui ad Epidamni fines accolunt, regio Tauresia dicta fuit, ubi Justiniani, qui orbem terræ ædificiis exornavit, patria: locum eum brevi muro circumdedit, in quadranguli formam structura redacta, atque in angulo quoque turri excitata τετραπυργίαν, hoc est, quatuor turres habentem effecit, & à se nominari curavit, atque hanc preclarissimam condidit, quam Justinianeam primam vocavit, Nutritia hæc præmia altrici suæ tribuens. Ibi verò & aquæductum, ut civitas lymphis affatim abundaret, fieri fecit. Addidit alia insuper egregia opera, Dei templa, plurima domicilia, Principum virorum magnifica, porticus amplas, Judicum curias pulchras, pontes, plateas, vicos, balnea, rerum venalium fora; urbs ipsa ingens & frequens, & tractus ejus totius metropolis, ut quæ Illyrici universi Archiepiscopum sit sortita, cuique oppida ejus gentis, reliqua omnia pro magnitudine sua debitum exhibuerint honorem. Et auxit illa Imperatori ei gloriam, quæ alumno tanto celebretur, atque ipse ambitione, & liberalitate quadam illi, qui eam ita ædificiis excoluisset, gratiam referre contendit. Erat præterea in Dardania oppidum vetus Ulpianum nomine. Hujus mœnia, quod nulli usui essent, demolitus ad eam, quæ nunc spectatur, pulchritudinem perduxit. Urbem hanc secundam Justinianam appellavit, non longè ab hac urbe aliam, ubi nulla antea fuerat, condidit, quam de avunculi nomine Justinopolim vocavit.* Hactenus Procopius. Hæc de postrema Metropoli Illyrici, & sede ejus Præfecti. Nunc reliqua Præfecti Prætorio Illyrici prosequamur.

NOTITIA.



OFFICIVM virorum Illustrium, Præfectorum PRÆTORIO PER ILLYRICVM.
PRINCEPS.
Cornicularius.
Adjutor.
Commentariensis.
Ab actis.
Numerarii quatuor. In his auri unus, Operarum alter.
Subadjuva, Cura epistolarum.
Regerendarius.
Exceptores.
Adjutores.
Singularii.
UTERQVE Præfectus Prætorio evectiones annuales non habet, sed ipsi præfecti emittunt.

COMMENTARIUM.

OFFICIVM habet P. P. Illyrici, Principem, Cornicularium, Adjutorem, Commentariensem, Ab actis, Numerarios quatuor, Exceptores, Adjutores, Singularios, quorum septem finito officio sunt Comites ordinis primi ex Anastasii rescripto, *in l. ult. C. de Numer. actua. & chartular. lib.* 12. nempe Cornicularius, Chartularius sive Adjutor, Primiscrinius, seu Subadjuva, & quatuor Numerarii, unus scrinii Macedoniæ, alter scrinii Daciæ, tertius scrinii operarum, quartus scrinii auri. Illud verò rescriptum ad P.P. Illyrici missum explicat, quid sentiat Notitia, dum nominat Numerarios quatuor; inter quos auri unum, operarum alterum: Alios verò duos reticet, quos Anastasius aperit esse duorum Numerarios scriniorum Macedoniæ, & Daciæ: & loco *operarum* legit *operum*, & rectius, ita enim Novella 128. *seu auth. de collatoribus.* §. *civitatum, &* §. *ad hoc jubemus.* appellat scriniarios operum Præfecti Prætorio, veluti aquæ ductus, aliorum operum publicorum: Qui verò hi essent in P.P. Orientis exposui, sicut & sequentia etiam verba Notitiæ, quæ sunt, VTERQVE P. P. EVECTIONES ANNVALES NON HABET SED IPSI PRÆFECTI EMITTVNT. quæ significant P. P. quotannis non impetrare à Principe facultatem currendi, ut ipsorum Vicarii, qui duodenas annuas evectiones habent, *l.* 12. *C. Theod. de curs. public.* & præsides qui binas, sed ipsi currunt, & aliis currendi facultatem concedunt. Legendum est enim Præfecti non Præfectos Prætorio, ut antea in impresso habebatur: in manuscripto codice Ursini, post enumeratos officiales legitur PRÆFECTVS PRÆTORIO ILLYRICI IPSE EMITTIT. Ejus insignia sequuntur.

DE INSIGNIBVS PRÆFECTI *Prat. per Illyricum.*

COMMENTARIUM.

HUJVS Præfecti præcipuum insigne fuit *eburnea sella curulis & deaurata, atque in Hemicyclum incurva, quæ quadrirote curru imposita à quatuor equis albis trahebatur: pedes Auriga rubentes ocreas altè indutus, coccineoque pallio supra prassinum sagum, in sinistrum humerum rejecto, flagello equos agebat.* Quemadmodum in mea Notitia impressa spectatur, in manuscriptis *auriga deest*: sed in his *ab anteriori parte summi curras, latum lorum in dextrum equi latus descendit, & fascia pectus cingenti conjungitur. Alia purpurea taniæ dorsa, ac pectora, collaque equorum complectuntur.* In impresso *pro fasciis aureæ phaleræ cernuntur; hæ sunt ovales orbiculi, & auro distincta lora. A pectore aureus nodus densis filis demissis pendet.* Proprium autem hoc insigne Præfectorum fuit, utcur-

A ut curru aurato uterentur. Aliis enim magistratibus intra urbem quidem carrucis uti concedebatur, sed argentatis, *l. ult. C. de honorator. vehic. l. 1. C. de quaestor.* ut Pisidiæ Prætori, qui curru argento cælato vehebatur, *Novell.* 24.

Præfecti *vultus etiam Imperatorum auratos* præmittebant, sub quibus *mulieris cornu copia sinistra gerentis imago sculpta erat.* Ea est Imperii felicitas, quæ hac forma describebatur. Cassiodorus, in VI. *Var. de formula consularis.* *Vultus etiam*, inquit, *regnantium geminata obsequii pompa præmittit, ut non solum summus Judicis, sed & dominorum reverentia cumulatus orneris.* Hæc ille. Spectatur etiam
B *abacus, alba mappa, aureo limbo circumdata instratus, qui librum erectum sustinet, cujus in medio Augusti imago cernitur, cum binis utrinque ardentibus cereis auratis candelabris infixis.* Is est mandatorum liber, quem princeps magistratibus dare consueverat. Ea ab Augusto inventa fuisse Dion lib. LIII. scribit, quæ intermissa Justinianus *in Novel. 17. seu auth. de mandat. princ.* renovavit: & sex capitibus explicata Græcè & Latinè scribi, ac laterculo inseri jussit, inde descriptus Præfectis tradebatur, ut ab ipsis instruerentur, quid sibi in administrando officio agendum esset, *d. authent. de mandat. princip. §. penultim. & l. ultim. C. eo-*
C *dem.* Justinianus, *Novell.* 24. §. 1. & *Novell.* 26. §. 2. *Vt autem sciant*, inquit, *magistratus, quomodo oporteat eos provincias gerere, visum est nobis non solum illis tradere symbola*, id est, insignia magistratus, *in codicillis*, ut vocant, *sed etiam præscribere, quomodo magistratum administrare deberent*: (hæc anteriores legum latores *mandata Principis* appellabant) *ut ipsi ad hæc respicientes rectè suum administrarent magistratum, & undique nostris subditis prosint. Igitur hæc sacra mandata jussimus in sacro nostro Laterculo reponi, ut una cum codicillis, Præsidibus exhiberentur.* Idem in aliis Novellis, *Nov.* 25. §. *ult.* & *Nov.* 26. §. 2. & 27. §. 1.
D repetit. Pars mandatorum ab Vlpiano, *in l. solent. in fi. de off. procons.* & aliis recitatur, sed ferme universa in Novellis à Justiniano explicantur *in Novel. 24. seu auth. de manda. princ. & d. l. ult. C. eod.* Pierius, lib. XLVI. *de igne Augustali*, hanc aram ex ære non abacum fuisse credidit, quo liber hic sustinetur. Pro cereis quatuor lampades suo ære idem Justinianus Vicariis præfectorum & aliis exhibebat, *ut in edicto 8. Just. de Vicar. Pontica Nov. 41. Julian. Nov.* 38. quæ pro ejus insignibus recensentur, & in auditorio tempore, quo causas audiebant, ad augendam Principis & magistratuum majestatem accendebantur. Notitia enim
E in Consulari Palæstinæ & Campaniæ propeeorum tribunal Codicem mandatorum alto tapeto subnixum, sed sine cereis, quibus minores magistratus carebant, repræsentat. Simile est, quod jussit Justinianus, ut ante sedem judicialem sacrosancta deponerentur Euangelia, & ibi ab initio litis in omnibus cognitionibus usque ad terminum & definitionem sententiæ permanerent, *l. rem non novam in fi. princ. C. de judic.* *Duarum* præterea *mulierum effigies* P. P. Illyrici habebat, *quæ vasa aurea plena in manibus, & in capite coronam seu titulum prominentibus pennis gerebant: earum capitibus* inscriptum est, alteri MACEDONIA, alteri DACIA,
F illa *nudis pedibus*, hæc *cum calceis more veterum, lineis pedibus alligatis incedit*, utraque *tunicam*, illa *albam*, hæc *purpuream aureo limbo circumtextam, & infra crura demissam, coccineo breviqque superinjecto palliolo gestat.* Vrsini codex utramque *rubentibus calceis altè indutam, cum talaribus tunicis longisque palliis* repræsentat. Sed quia omnium præcipuum insigne Principum vultus fuerunt, propriùm his caput dicandum esse censuimus.



... XXIV.

DE IMAGINIBVS PRINCIPVM.

AVRATI quoque *Principum vultus aurata pila impositi*, quemadmodum provinciarum magistratibus, ita & P. P. pro insignibus præferebantur: Hi in foro vel alio loco publico ac privatis ædibus alias locabantur, quod ab Augusto initium habuit: hunc enim honorem antea in usu positum in principio sui principatus Tiberius sibi fieri vetuit: Tranquillus in *Tiberio* cap. XXVI. *Prohibuit*, inquit, *etiam statuas, atque imagines, nisi permittente se poni: permisitque ea sola conditione, ne intra simulachra Deorum, sed intra ornamentum ædium ponerentur.* Josephus lib. II. *de bello Judaic.* cap. VIII. scribit, Pilatum, cum in Judæam venisset, circa annum nati Domini XXVII. nocte intempesta opertas Hierosolymam intulisse imagines Cæsaris, quæ res post triduum ingentem inter Judæos excitavit tumultum: etsi Philo *de legatione ad Cajum* illos aureos clypeos nulla imagine insignes fuisse tradit. Principum imagines postea per totum Imperium circumferri solemne fuit, cum quis Augustus creabatur. Zosimus, lib. II. *Maxentius*, inquit, *se jam constabilitum putans habere imperium, mittebat in Africam & Carthaginem, qui ejus imaginem circumferrent:* & lib. IV. Theodosius dat in mandatis Cynegio, *ut imaginem Maximi conspiciendam Alexandrinis exhiberet, publiceque reponeret, & populo indicaret consortem Imperii hunc factum.* Idem scribit Constantini imagines Romæ pro more exhibitas: Herodianus lib. VIII. *Aquileiensium*, ait, *Duces proponunt Maximi & Balbini, ac Gordiani Cæsaris imagines coronis & lauro redimitas, quibus ipsi acclamantes etiam hortabantur exercitum, ut agnoscerent, salutarentque, & lætis exciperent vocibus, quos S. P. Q. R. Imperatores elegisset.* Idem lib. VII. *civitates pleraque imagines Gordiani statuasque posuere.* Similiter Capitolinus Maximini statuas atque imagines depositas fuisse scribit: *Deinde milites*, inquit, *recepti sunt ab oppidanis, ita ut ante imagines Maximi, Balbini, & Gordiani aderarent.* Blondus libr. IX. Decadis I. quoque auctor est, cùm Imperator creatus esset Focas in Oriente, ejus & uxoris Leontiæ imagines in oratorio S. Cæsarei inter alios Augustos

Romæ locatas fuisse, quod signum erat ipsum pro Principe recipi. Imagines Principum à Gratiano A. *sacri vultus* appellantur, *in leg.* 1. *Cod. pub. lætitiæ. Si sacros*, inquit, *vultus inhiantibus populis inferimus, hoc sine immodico pretio nunciari excipique sancimus.* Quælibet legio easdem cum aquila pro insigni habebat, & signo militari præfixas venerabatur. Herodianus in VIII. loquens de Maximino: *De signis militaribus*, inquit, *illius imagines detraxerunt:* & in II. loquens de Didio Juliano creato Imperatore: *Signis*, ait, *sublatis, impositisque illius imaginibus deducere hominem tendunt.* Modestus *de vocabulis rei militaris: Totius*, inquit, *legionis insigne sunt imagines Imperatorum, quas tanquam divina & præsentia signa singuli venerantur.* Vegetius lib. II. cap. VI. *In secunda acie*, inquit, *post aquilam & imagines cohors sexta consistit:* Et capite seq. subjicit: *Imaginarii, vel imaginiferi sunt, qui imagines Imperatoris portant.* Tranquillus *in Tiberio* cap. XLVIII. *Largitus est*, ait, *quædam munera Syriacis legionibus, quod solæ nullam Sejani imaginem inter signa coluissent;* Sejanus enim pro Imperatore haberi voluerat. Idem in *Caligula* cap. XIV. *Artabanus*, ait, *aquilas & signa Romana Cæsarumque imagines adoravit.* E diverso, qui à Principe deficiebant, primum ejus imagines dejiciebant, & comminuebant. Tacitus *Hist.* lib. I. *Primani*, inquit, *quintanique turbidi adeo, ut quidam saxa in Galbæ imagines jecerint.* Et paulo post: *Quarta & duo & vicesima legiones iisdem hibernis tendentes, ipso Kal. Jan. die dirumpunt imagines Galbæ.* Herodianus in VII. *Statuæ*, inquit, *atque imagines Maximini, cæterique honores statim convulsi:* ut verò honestius colerentur, velut idola Diis dicata conceptis verbis consecrabantur, nec eas amplius cuique vendere licebat, qui læsæ majestatis crimen incurrere nolebat, cùm aliàs à statuariis publicè venire possent, Martianus, *in l.* 5. *ad leg. Juliam majest. Non videtur*, inquit, *contra majestatem fieri, ob imagines Cæsaris nondum consecratas, venditas.*

Illas autem imagines his similes fuisse credendum est, quæ à Notitia repræsentantur, & magistratibus præmittebantur, non secus ac hodie Archipræsules & Patriarchæ crucem auream vel argenteam præferunt. Solebant & privati has imagines secum ferre, aut ad eas confugere, ut se ab alicujus potentis vi tuerentur, quod in alicujus invidiam, vel ad aliquem sugillandum fieri prohibetur. Callistratus *in l. capitalium §. ad statuas. ff. de pœnis: Ad statuas*, inquit, *confugere, vel imagines Principum in injuriam alterius prohibitum est: cumque qui imaginem Cæsaris in invidiam alterius prætulisset, in vincula publica conjici.* Nec de aliis imaginibus quam hic à Notitia repræsentatis intelligit, de quibus multa Imperatorum extant rescripta, *toto titul. C. de statuis & imaginibus.* Ex ære inaurato, ut Notitia ostendit, & quandoque auro & argento conflari solebant. D. Ambrosius, lib. VI. cap. IX. in *Examero. Soli*, inquit, *ære sua Principum capita, & ducti vultus de ære adorantur.* Lampridius in *Diadumeno: Fecitque Bassiani simulachra ex auro & argento.* Hæc ille. Quandoque etiam ex cera fingebantur, Nazarius in *Panegyrico Constantini* loquens de ejus imaginibus, à Maxentio tyranno dejectis: *Aboleri*, inquit, *hic vultus non potest, universorum pectoribus infixus est, nec commendatione ceræ, aut pigmentorum fucis renitet.* Prædictæ effigies propria fisci pecunia, non provincialium fundebantur, *l. pen. C. de statuis & imaginib.* Diebus verò festis, & Præside præsente erigebantur: ita tamen, ut adorationis fastus abesset, quam Theodosius A. ad Actium P. P. prohibuit, *in l.* 2. *C. eod. tit. Quando*, inquit, *nostræ*

A *statuæ, vel imagines eriguntur, sive diebus (ut adsolet) festis, sive communibus, adsit judex, sine adorationis ambitioso fastidio.* Lego *fastu.* Hoc autem statuitur, quia Julianus Apostata eas adorari jussit, ut ait Cedrenus, & ethnici adorabant. In Notitia ostenduntur duorum Principum aurati vultus se respicientes usque ad Lumbos formati, quos P. P. aliique civiles provinciarum magistratus præferebant, non militares, ut Magistri militum, Comites, Duces & Palatini judices, qui pro illis capita Principum dorso libri insculpta tantum habebant, columella imagines Principum sustinebat: in imo erat tripus ut solo posset consistere. Sed & porti-

B cibus aut aliis ædificiis publicis atque adeo privatis eædem imagines affigi consueverant. Arcadius A. *in l. si quando C. de oper. publ.* ad Æmilianum P. P. *Si quando*, inquit, *usus exegerit, vel porticus, vel quaslibet ædes ætatis senio, seu fortuitis concussas casibus reparari liceat, etiam inconsulta clementia nostra cum reverentia sui imaginem deponere vel nostram, vel retro Principum, reportatamque post refecta ædificia, loco proprio denuo collocare.* Has imagines transeuntes venerabantur, honoremque exhibebant. D. Gregorius Nazianzenus in prima *in Julianum* oratione: *Parum*, ait, *Imperatores sibi habent adorari, nisi idem quoque in imaginibus, picturisque præstetur, quo cumu-*

C *latior & perfectior ipsis sit veneratio.*

Plinius Minor ad Trajanum scribens: *Cum imagini tuæ*, inquit, *quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent.* Et infra: *Omnes & imaginem tuam Deorum simulacra venerati sunt.* Unde honorem iis exhibitum fuisse constat. Hodie loco imaginum arma Principum sunt. Paleogis imperantibus, magistratus, imaginem Principis in tunica ante pectus, & à tergo auro depictam gestabant, aliquando stantis, quandoque throno aut equo insidentis. Ac tum capitiis, auro, gemmisque ornatis, ac variè pro dignitatum diversitate uti cœperunt, ac sceptrum ligneum no-

D dis aureis, & quandoque nigris, coccineisve exornatum gerere: ut Sophotatus Curopalata in *officiis palatinis* recitat.

Nobiles privati & ipsi quandoque suas, aut aliorum imagines publicè ponebant. Pomponius *in l.* 7. *Quintus de annu. legat. Cum quis*, ait, *jussit in municipio imagines poni, si non honoris municipii gratia id fecisset, sed sua, actio eo nomine nulli competit.* certè majorum imagines muris ædium affixas nobiles habebant. Constantinus ad populum, *in l. lex quæ tutores, §. ne autem & §. ne vero, C. de admin. tutor. Ne verò domum*, inquit, *vendere liceat, in qua pater defecit, minor crevit, in qua majorum ima-*

E *gines aut non videre fixas, aut revulsas videre satis lugubre est.* Marcellus *in l. Seja. §. ultim. de aur. & argen. leg. Hæredem meum volo in patria faciat porticum publicam, in qua poni volo imagines argenteas:* item marmoreas: Plinius epist. VII. lib. IV. *Placuit ei lugere filium: luget ut nemo. Placuit statuas ejus & imagines quàm plurimas facere; hoc omnibus officinis agit. Illum coloribus, illum cera, illum ære, illum argento, auro, ebore, marmore effingit.* Viris illustribus, & bene de Republica meritis in publico imagines poni solebant & domi privatim conservari. Plinius *Natur. Hist.* lib. XXX. cap. II. *Apud majores*, inquit, *hæ erant, quæ spectarentur, non si-*

F *gna externorum artificum, nec æres aut marmorea: expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilicia funera, semperque defuncto aliquo aderat totus familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus ...... Alia in foribus, & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis quæ nec emptori refringere liceret,*

ret, qua etiam dominis mutatis domus ornamenta erant. Has in publico viventibus Caligula poni prohibuit. Tranquillus *in Caligula*, cap. XXXIV. *Vetuit posthac*, inquit, *viventium cuique usquam statuam, aut imaginem, nisi se consulto & auctore, poni.*

Alia præterea P. P. habebat ornamenta, quibus & Proconsules, & Præsides utebantur, excepta purpura, quam non induebant, ut in *Proæresio* Eunapius scribit. Annonas, ut alii magistratus ex publico, sed longè pinguiores, qualem in Claudio Trebellius Pollio olim fuisse scribit, videlicet frumentum, vinum, oleum, laridum, acetum, olera, hordeum, fœnum, ligna, paleas, ceram, aurum, argentum factum, vestes, mulos, equos, & alia, quæ ibi referuntur. Sed pecunia postea pro his dari jussa. Justinianus P. P. Africæ centum libras auri præstitit, *in l. 1. C. de offic. P. P. Africæ*. Nunc ad alium illustrem, id est, Præfectum Vrbi secundum Notitiæ, & Codicis Justiniani ordinem, qui eum P. P. subnectunt, est veniendum.

CAP. XXV.

DE PRÆEECTO VRBIS
Constantinopolitana.

CONSTANTINOPOLIS, antea Byzantium dicta, quòd Pescennio Nigro favisset, à Severo Imp. ut ait Herodianus lib. III. *planè diruta, ac theatro, thermisque, ac omni cultu atque honore detracto, in vici formam redacta fuerat, & Perinthiis adjudicata.* Postea verò imperii sede eò translata, in antiquum splendorem restituta, & nova Roma à Constantino est appellata, *l. 5. C. de operibus publ. l. generaliter, in fi. C. de episc. & cler.* omnibusque Romæ veteris privilegiis est potita, *l. 6. C. de sacrosan. eccle. l. 2. C. de privileg. urb. Constant.* Id constituit secunda Synodus Constantinopolitana, *can.* III. imperante Theodosio Magno, & Chalcedonensis, *can.* XXVIII. confirmavit, quod & Suidas, Eustachiusque memorant. In omnibus igitur Romam æmulata, quemadmodum illa, & ipsa in regiones XIV. est divisa, *§. antep. Novel.* 43. Aureum quoque milliarium pro urbis umbilico habuit Capitolium, pontem sublicium, obeliscum, theatra, Circum maximum, horrea, amphitheatra, pistrina, thermas, columnas intus pervias, duas Basilicas, porticus, & multa alia, quæ Romæ insignia reperiebantur. Itaque & urbi Præfectum exemplo Romæ obtinuit, qui civiles, & criminales causas in urbe, & extra, intra aliquot stadia etiam Senatorum judicaret, *l. 1. in prin. ff. de off. Praf. urb. l. 4. C. Th. de jurid.* ex provinciis etiam ad eum provocabatur, quemadmodum à Præsidibus, & Proconsulibus ad Præfectum urbis Romæ appellari ex Mœcenatis sententia Augustus induxit, ut auctor est Dion lib. LII. & Cassiodorus: Vospicus in *Floriano*: *Omnis provocatio*, inquit, *Præfecti urbis erit: quæ tamen à Proconsulibus & ordinariis judicibus emerserit*: Idem paulò post: *Præfectura urbana appellatio universa decreta est*. Et rursus: *Redierunt ad Præfectum urbis appellationes omnium potestatum & dignitatum.* Verùm pluribus Præfectis prætorio inventis, ad ipsos provinciarum causæ sunt devolutæ, *l. à Proconsulibus. l. addictos, l. præcipimus, C. de appellatio.* eas tantum, quæ Romæ à Prætoribus cognitæ fuerant, urbi Præfectus retinuit, *l. si apud, C. de appellatio.* At Constantinopoli, quo majorem ejus Præfecto auctoritatem adderet Constantius, statuit, ut à duobus Ponticæ Diœceseos rectoribus, id est, Bithyniæ & Paphlagoniæ, & totidem Asianæ, id est, Lydiæ, & Phrygiæ salutaris, & duobus Proconsulibus Asiæ, Hellesponti, & Insularum, & à tribus Thraciarum Diœceseos, Europe, Rhodope, & Hemimonti, quæ sunt novem provinciæ, ad ipsum appellaretur, *l. cum appell. C. de appellat. l. 23. C. Th. eo. l. ul. C. de his qui per met. jud. non appella.* Exemplo etiam Præfecti Romæ idem paucos milites in urbis stationibus ad sedandos tumultus disponebat, *l. 1. §. ult. ff. de off. præfe. urb.* & Dion. Ad eundem disciplina & editio spectaculorum pertinebat, & ideo mulctæ sæpè arcæ theatrali Præf. urbi applicabantur, *l. Novel. 63. in fine.* Ad ipsum & cura carnis, ut justo pretio venderetur, & fori animalium spectabat, *d. l. 1. §. cum carnis.* Imò totius annonæ providentia ipsi, & Præfecto annonæ erat commissa, *d. l. 1.* Liberalium quoque studiorum disciplinam Constantinopoli exerceri curabat, ubi tres Rhetores, decem utriusque linguæ Grammatici, quinque sophistæ, unus philosophus, & duo legum interpretes, quemadmodum Romæ à Præfecto conducti docebant, *l. 1. C. de stud. lib. urb. Romæ. & Constant.* Procurabat etiam, ut mille centum tabernæ ecclesiæ magnæ à Constantino & Anastasio donatæ sarcirentur, *Novel. 59. §. 1.*

Primus Honoratus ex Præfecto Galliarum Constantinopoli Præfectus est, Anno salutis CCCLXII. & penultimo Constantii Imperii, ut D. Hieronymus in *chronicis*, Cassiodorus, Socrates, & Sozomenus tradunt. Is consularis Byzantii est appellatus, quod nomen aliquot annis, usque ad Valentiniani, & Valentis Imperium permansit, *l. 1. C. de offic. comit. rer. priva.* scribit enim Gregorius Presbyter D. Gregorium Nazianzenum, dum ecclesiæ Constantinopolitanæ præesset per calumniam accusatum, ad Consularem urbis perductum, absolutumque fuisse. Itaque constat eum magistratum tum Consularem vocatum, quare inscriptio Rescripti Valentiniani *in d. l. 1.* ad Honoratum rectè habet *Consularem Byzantii*, ut olim legebatur, non *Byzatii*, ut postea est mutatum, quæ urbs Byzacenæ provinciæ erat caput, cujus universæ Consularis, non unius Byzatii urbis, fuisset appellandus.

Vterque Præfectus urbi P. P. dignitate æqualis censebatur, *l. 1. C. de P. P. sive urb. lib. 12.* & illustris erat, *l. ult. C. de apparitorib. præf. urb.* In senatu tamen supra illos sedebat, *l. 1. & 2. C. de P. P. sive urb.* & in urbe omnibus antecellebat, *l. 3. C. de offic. præf. urb.* deposito verò officio ex Præfectis prior magistratu functus præcedebat, *d. l. 1. & 2.* Præerat senatui, in quo etiam primus sententiam dicebat, jura à principe condita ibidem legi curabat, *l. 1. C. de bon. mater.* Sedebat autem Constantinopoli Senatus plerumque eo in loco, qui *septimus* vocabatur. Nicephotus enim lib. XIV. cap. LVIII. scribit Pulcheriam Theodosio fratre defuncto, convocatis ad septimum Senatoribus Martianum Imperarorem creasse. Vnde plura in septimi consistorio jura recitata dicuntur, *ut l. pen. C. de sacrosanct. eccles. l. 19. Cod. de jure delib. l. sancimus. C. de donat. l. 30. C. de fideicom.* Sed vitio librariorum, sæpe scriptum est *septies*, pro *septimo*. Io verò Præfectus urbi Præfecto Prætorio erat inferior, quod *l. 1. C. de sent. Præfect. Præt. l. 17. præfecti, ff. de minor. l. 1. ff. de offic. Præfect. Præt.* ab eo non à prætorianis sententiis appellabatur, *l. Æmilius 38. ff. de minoribus l. ultima C. de his qui per metum judicum non appel.* Insignia eadem quæ Romæ Præfectus habebat, nempe vultus

vultus Principum, librum mandatorum inter quatuor ardentes cereos abaco impositum, quadrijugum currum auratum, quo per urbem vehebatur, præconibus eum imperii patrem acclamantibus, *l. 1. C. de quæstorib. Novel.* 70. Cassiodorus lib. VI. *Variar. in formula præfecturæ urbanæ*, de præf. urbi loquens: *Carpento*, inquit, *veheris per nobilem plebem: publica te vota comitantur: favores gratissimi, consona tecum voce procedunt*: Hæc ille. Non tantum enim præcones, sed & plebs eum faustis manibus excipiebat. Alii quoque majores magistratus, ut Magistri militum, Magister officiorum, & alii Illustres curru intra urbem vehebantur. Gratianus, *l. 1. C. de honora. vehicul. Omnes*, inquit, *honorati, sive civilium seu militarium vehiculis dignitatis suæ, & carrucis intra urbem sacratissimi nominis semper utantur.* Appellat autem *vehicula dignitatis*, quia ob dignitatem ita in publicum prodibant, qui mos hodie ab aula recessit. Cetera hujus magistratus insignia, in Præfecto Romæ explicabuntur. Alexander A. *in l. 1. C. fimancip.* P. V. urbi amicum vocat. Alii Imperatores hac appellatione ad eum scribebant, TVA MAGNITVDO, *l. ad similitudinem. C. de advo. diver. judicio.* SINCERITAS, *l. 2. C. de offic. præf. urb.* ILLVSTRIS AVCTORITAS TVA, *l. 3. C. de spect. & scenic. & lenonib.* SVBLIMITAS, *l. 1. C. de stud. liber. urb. Romæ.* & similia quibus erga Præfectum prætorio utebantur. Ejus etiam sedes AMPLISSIMA vocabatur, quemadmodum & Prætoriana, & ipse GLORIOSISSIMVS, *l. 1. C. de rapto. virgin.* est dictus. Ejus fori advocatorum numerus octuaginta fuisse videtur, ita enim Justinus diffinivit ad Theodorum P. V. scribens *in l. antepe. C. de advoc. diver. jud. l. 13. C. de non num. pecu.* quem alii P. P. fuisse volunt, quorum XV. eminebant, & Primates vocabantur, istorum primus fisci advocatus cum salario publico fiebat, & hi omnes iisdem privilegiis, quibus Fisci patroni gaudebant, *d. l. ad similitudinem.* Clarissimique vocabantur.

Nulla hujus Præfecti extant insignia, cum tamen usque ad tempora Notitiæ, & Justiniani & ultra hic magistratus continuaverit, Theodosius enim minor, & Valentinianus circa annum salut. CCCCXXVII. Theophilo P. V. Constantinop. scribit, *in l. 1. C. de professo. qui in urbe Const.* & Justinianus sæpe eundem Præfectum nominat, *in l. 1. C. in de rap. virg.* forte existimaverunt ea, quæ in Occidente in Præfecto Romæ repræsentantur, pro hoc sufficere. Aut aliquod folium deest. Ejusdem officium omittitur. Idem tamen fuisse arbitror, quod erat Præfecti urb. Romæ, nempe habuisse Principem, Cornicularium, Adjutorem, Commentariensem, & alios. Adjutor primicerii titulo honestabatur, & privilegium habebat, ut captarum personarum delinquentium curam susciperet, biennioque tantum in officio permanebat. Theodosius *in l. ult. C. de offi. præf. urb. Primicerius*, inquit, *adjutor tuæ sedis officii curam insuper personarum suscipiat.* De aliis non potest intelligi, quàm de custodiæ traditis, & erat adjutor totius officii, & Commentariensis, delinquentesque capiebat. Vult autem Thendosius, ut non tantùm sontes capiat Adjutor, sed & eorum curam habeat, ex consuetudine Constantinopolis, cum aliàs hæc cura esset Commentariensis. Præter officium alios sub se hic Præfectus habebat, qui in Præfecto urbi Romæ à Notitia recensiti commodius explicabuntur. Duos tamen Præfectos, videlicet annonæ, & vigilum, non otiosè hic repetemus, quorum usus ab Occidentalibus diversus reperiebatur. Vicarium urbis Constantinopolis, qui Romæ erat, Notitia nullum nominat. Quòd verò Valentinianus, & Valens ad Volusianum V. C. Vicarium scripsisse leguntur, *l. 3. C. Theod. de calcis coctorib.* suspectum est: iis enim Imperantibus Præf. urb. non Vicarius fuit, *l. 28. C. de decurionib.* Aut certè de urbis Romæ Vicario est intelligendum, ubi illud *l. 2. C. Theod. de secund. nup.* rescriptum est conditum, *dict. l. 3. C. Theod. de calcis cocto.* quod cum Taracinenses & Tuscos calcem in urbem vehere jubeat ad Constantinopolim longè ab eis populis distantem non potest referri.

CAP. XXVI.

DE PRÆFECTO ANNONÆ.

PRÆCIPVA cura P. V. erat annonæ, qui cum pluribus negociis occupatus, huic commodè intentus esse non posset, proprius ejus rei gratia creatus est magistratus, Præfectus annonæ vocatus. Is inter alia, quæ in Præfecto Romæ dicentur, panes inter pauperes dividebat. Constantinus enim, diversis hominum generibus eos est elargitus, *l. 8. & 9. C. Theod. de anno. civit.* Primo illis qui domos Constantinopoli habuissent, *l. 12. & 13. C. Theod. eod.* & hi panes Palatini dicebantur, *l. 7. C. T. d. tit.* Suidas verò in verb. *παλατῖνοι*, quemcunque panem ex Principis palatio exeuntem, Palatinum vocatum fuisse autumat. De his interpretandum est Theodosii rescriptum *in l. 1. C. de annon. civil. l. 12.* ad Proculum P. V. *Annonas*, inquit, *publicas, non tam titulis dignitatum, quàm singulorum meritis attributas Constantini liberalitate claruit, ideoque nihil ex his scholarum nomine vendicetur, sed pro cujusque merito concessa serventur.* Merita autem eorum intelligit, qui ædificassent, & ob id *civica annona* appellantur, *l. 1. & seq. C. Th. de anno. civil.* vel publicæ. Hæc enim vocabula confunduntur, *in l. 1. C. eod. tit. & l. 10. C. eo.* Alios panes Constantinus assignavit militibus, qui & ipsi urbem ædificiis exornassent, *l. 2. C. Th. eo tit.* Hi in pane cocto exhibiti domibus assignabantur, *l. 1. C. de cano. frum. urb. Constant. lib. 11. in l. 5. C. Theod. d. titul.* & panes ædificiorum dicebantur, *de anno. civil.* Alios prætereà panes quo anno Consul fuit Constantinus, singulis diebus inter plebem divisit, quibus etiam vinum, carnem, & oleum addidit, ut ait Suidas, in dict. verb. *παλατῖνοι*, & id per multos annos observatum fuit. Octuaginta millia panum, eum quotidie pauperibus elargitum Metaphrastes 6. *Novemb. in Paulo Patriarcha Constantinopolitano*, scribit: Socrates octuaginta millia modiorum frumenti, lib. II. cap. III. Sordidus erat hic panis, duas uncias, & semis pendens. Valentinianns verò buccellas mundas sex unciarum dedit, *l. 5. C. Theod. d. titul.* His alios addidit Theodosius Magnus, *l. penultim. C. Theod. eod.* & alios Martianus, *l. ultim. C. eod. titu.* Tribunalibus autem variis in locis civitatis erectis illos per gradus ascendentes pauperes accipiebant. Cùm enim unus locus ad dividendos inter tantam plebem panes, non sufficeret, centum & decem septem per XIV. Constantinopolis regiones, marmorei gradus sunt constructi, ut in antiqua Constantinopolis descriptione ante Notitiam legitur: unde hic panis *gradilis* appellabatur, quem aliunde quam à gradibus cuique assignatis populus accipere non poterat, *l. 3. & 4. C. Th. eo. ti.* Valentinianus: *Ne quid*, inquit, *super gradili pane fraudis oriatur, jussimus*

omne

omne illud, quod populo penditur, palam in gradibus, non clam a pistoribus ministrari. Erant igitur sui cuique Tribui gradus destinati, quos mutare non licebat, nec alter ad alterius gradum transire poterat, idque officiales Præfecti annonæ prohibebant. Idem Valentin. *l. 2. C. T. eo. ti.* *Panis*, ait, *gradilis in alium gradum translatio inhibetur, & cognoscat officium Præfecti annonæ, severissima sibi imminere supplicia, si alterius translationem per gradus permiserit commutari.* *Civiles* etiam hi panes vocantur, *d. l. §. ult. §. præterea. C. de ju. dot. l. ult. §. & nemo, C. de quadrien. præscr.* quia civibus dabantur, ad palatinorum differentiam, & aliorum, qui quibusdam scholarum hominibus præstabantur, *l. 2. C. de annon. civil.* Hæ *populares* etiam annonæ, & *civica* sunt dictæ, *d. l. 2.* Eandem olim Romæ liberalitatem, sed non tanta largitate Trajanus exercuerat, Plinius in *Panegyrico*, quinque millibus enim puerorum, & puellarum inopum alimenta decreverat, Dion & Capitolinus in *Pertinace*. Eorum numerum Aurelianus auxit, ut ait Vopiscus. Quare in pluribus numismatis Trajani, & Hadriani hi gradus visuntur, per quos populus ascendit panem accepturus. In summo est scriba, & alius cum tessera, qui panes dividit: Hi olim neque alienari, neque in alium transferri poterant, *l. 6. & 7. C. T. eo. ti.* Sed illis à multis alienatis, Theodosius eos contractus confirmavit, & distrahi permisit, *in l. ult. C. de annon. civilib.* Quare postea alienari, & in dotem dari potuerunt, *d. l. ult. §. præterea, C. de jur. do.* Nunc alios sub hoc Præfecto magistratus prosequemur, qui etsi sub Romæ Præfecto erunt explicandi, diversam tamen Constantinopoli formam habebant; & ideo hic de ipsis necessariò est dicendum.

CAP. XXVII.

DE PRÆFECTO VIGILUM.

QUEMADMODUM sub Romæ Præfecto erat Præfectus vigilum, septem cohortibus imperans, quæ incendia in urbe orta arcerent, ita & sub Constantinopoli Præfecto, alter vigilum, quingentis sexaginta tribus collegiatis nuncupatis imperabat. Erant hi ex diversis artificum corporibus delecti, per XIV. urbis regiones, ad arcenda incendia dispositi, in quibus plures, vel pauciores locabantur, prout ampliæ, angustæve regiones erant, ut docet antiqua urbis Constantinopolitanæ descriptio, quæ collegiatos in quaque urbis regione XXV. LXXX. aut XC. pro cujusque latitudine recenset. In ultima regione errore librarii desunt XXXVIII. qui aliarum regionum collegiatis aggregati, numerum DLXIII. constituunt, quot ab Honorio, & Theodosio in Rescripto ad Aëtium, *l. pen. C. de commer. & mercat.* P. V. recensentur. De his in prima Constantinopolis regione ita legitur. Prima regio continet collegiatos XXV. qui è diversis corporibus ordinati incendiorum solent casibus subvenire. Secunda regio continebat collegiatos XXXV. Aliæ plures vel pauciores alios. His ergo imperabat Præfectus vigilum, quorum operâ arcebantur incendia, & in defuncti locum præsentibus corporatis, alium subrogabat, nec his alii addi, nec ipsi mutari poterant. Honorius, & Theodosius, *in d. l. pen.* *Cessante*, inquiunt, *omni ambitione, omni licentia, quingentorum sexaginta trium collegiatorum numerus maneat, nullaque his addendi, mutandi, vel in defunctis locum substituendi pateat copia, ita, ut judicio tua sedis, sub ipsorum præsentia corporatorum in eorum locum, quos humani subtraxerint casus, ex eodem, quo illi fuerant corpore, subrogentur, nulli alii corporatorum præter dictum numerum per patrocinia immunitate concessa.* Ad Aëtium P. P. est illud Rescriptum, sed legendum est P. V. ut habent emendati Codices, nam ipse functus est hoc magistratu Constantinopoli, *l. ult. C. Th. de calcis coctorib.* Deligebantur verò hi collegiati, ex XXXV. corporibus artificum qui à Constantino in Rescripto ad Maximum *in l. 1. C. de excus. artif.* recensentur, eosque ab aliis muneribus personalibus, præterquam ab arcendo incendio immunes facit, *l. 1. C. de privi. corp. & l. 1. C. de colleg. li. 11.* Corporati autem artifices sunt architecti, *l. 1. C. de excu. artif.* medici, pictores, statuarii, marmorarii, lectarii, seu arcarii, id est, qui lectos sive fulcra lectorum, & arcas fabricant, clavicularii, qui claves, quadrigarii, qui currus, vel quadratarii, quos Græco vocabulo τέκτας appellant, vermiculatum opus facientes, structores, id est, ædificatores, sculptores ligni, musarii, deauratores, albini, quos Græci κονιατὰς appellant, id est, parietum dealbatores, argentarii, barbaricarii, qui ex filis auro elaboratis hominum, brutorumve imagines effingunt, ait Donatus, *in XI. Æneid.* Diatretarii, margaritas perforantes, vel calices torno polientes, aut cælantes, *l. si servus. § si calicem, ff. ad leg. Aquil.* ærarii, fusores, signarii, fabri, bracarii, aquæ libratores, figuli, qui Græcè κεραμεῖς, aurifices, vitriarii, plumbarii, specularii, pelliones, fullones, carpentarii, id est, sculptores, dealbatores, cusores, linarii, qui linum curant, tignarii, bractearii, Græcè πεταλουργοί. His omnibus P. V. imperabat, ex eorumque corporibus DLXIII. ad arcenda Constantinopoli incendia eligebat. Symmachus P. V. lib. 1. *Epist.* Valentinianum A. rogat, ne nova equorum collatione ad usum exercitus, plebem Romanam oneret. *Hi sunt*, inquit, *qui fabriles manus Augustis operibus accommodant, per alios fortuita arcentur incendia:* quibus verbis motus Imperator indictum onus remisit, *l. 1. C. Theo. de privi. corporat.* Sed quod ad Præfectum Vigilum pertinet, is magistratus vilioribus dari cœptus, conspirantibus etiam cum eo furibus, paulatim despectus est. Quare Justinianus ejus loco Prætorem plebis creavit, cui etiam in eos, qui nocte mœchando, vel furando, vel alio modo deliquissent, gladii jus dedit, *in Novell.* 13. Imperabat hic Præfectus, & Vicomagistris, quos ab Augusto inventos Tranquillus in *August.* c. XXX. scribit: *Spacium urbis*, inquit, *in regiones, vicosque divisit: instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur, hos magistri è plebe cujusque viciniæ electi.* Hi Constantinopoli numero LXX. instituti per noctem quini XIIII. urbis regiones custodiebant, quemadmodum in descriptione urbis Constantinopolitanæ legitur.

CAP. XXVIII.

DE DECANIS SEU *Lecticariis*.

DECANORUM etiam, seu Lecticariorum, qui lectis *Novel.* 59 *c.* 4. impositos mortuos efferebant, curam Præfectus urbi habebat. Hi à ferendis lectis nomen traxerunt. Alio nomine Decani sunt dicti, fortè quod in decades essent divisi. A Constantino Pio Principe sunt inventi, ut gratuitam exportandis defunctis operam præstarent, eamque ob causam majori Ecclesiæ Constantinopolis DCCCCL. ergasteris donavit, alia CL. Anastasius cum

A quibusdam aliis reditibus addidit, quæ numerum MC. ergasteriorum efficiebant, ex quorum pensionibus sumptus funerum fiebant, *Novel.* 59. §. 1. *Leonis Nov.* 12. Itaque Justinianus mandavit Præfecto urbi, ut præfata ergasteria ab aliquibus usurpata Ecclesiæ memoratæ restitueret, octingentaque ejus defensoribus, trecenta Oeconomis assignaret, qui ex eorum reditibus aureos CCCC. singulis mensibus religiosis darent, videlicet Decanis CLXXXII. asceteriis, id est, Monialibus VIII. quæ psallentes lectum sequebantur, aureos XCI. Acolythis lumina præferentibus aureos XCI. canonicis mulieribus, quæ serviebant Xenodochio, & ipsæ quoque psal-
B lebant, aureos XXXVI. ascendit annua hæc summa ad quatuor millia, & octingentos aureos. Qui verò volebat plures lectos, & speciosiores, pluraque asceteria, pecuniam in Novella Justiniani definitam solvebat: Asceterium autem vult constare ex octo Monialibus, & tribus Acolythis.

Lecticarii verò seu Decani à defensore Ecclesiæ ex DCCC. ergasteriorum pensione alebantur. Horum numerus cum in immensum excrevisset; statutum est à Theodosio Juniore, *l.* 4. *C. de sacrosan. ecc.* ne DCCCCL. excederent, postea ad MC. excreverunt: & Justinianus *Novel.* 43. *in pri. d. Nov.* 59. DCCC. pauciores non esse statuit. Hi fe-
C rebant cadaver, sepulchrum extruebant, & in aliis hujusmodi laborabant, unde κοπιαταὶ, id est, *laborantes* vocantur, *in d. Nov.* 59. *cap.* 2. à Præfecto urbi creabantur. Nullum tamen ipsis certum locum Constantinopoli destinatum fuisse invenio, sed ut facilè inveniri possent, credendum eos in certo loco congregatos mansisse, quemadmodum Romæ: ubi in unis castris degebant in XIIII. urbis regione, quæ *castra Lecticariorum* appellabantur, sed illorum numerus non apparet.

CAP. XXIX.

D DE CVRATORIBVS OPERVM *Constantinopolis.*

QVEMADMODVM Romæ, ita & Constantinopoli credendum est Curatorem operum fuisse, quæ ante Notitiam in Constantinopolis descriptione in XIIII. regiones divisæ incerto auctore recitantur, ut Fora IIII. Theatra II. Circus I. Thermæ VIII. Basilicæ II. Horrea V. Lusoria II. Cisternæ IIII. Nymphæa IIII. Porticus LII. Pistrina publica XX. Gradus CXVII. de quibus suprà: Columna purpurea I. Aliæ intus perviæ II. Colossus I. & plura alia, quæ proprio opusculo
E me interpretaturum spero: eorumque omnium solicitudo apud hunc curatorem fuit. Alios quoque magistratus, qui nume. XV. Præfecto urbi Romæ parebant, sub hoc Constantinop. Præfecto fuisse credendum est, ut magistrum census, qui ibi acta scribi jubebat, *l. testamenta*, *l. consulta. C. de testa. l. in has sacratissima*, *l. secundum C. de dona.* sed & agitatores, ac scenici, omniaque ad ludos spectantia sub hoc Præfecto fuere, *l.* 1. 4. & *sequ. C. Theo. de scenic. l. ul. C. Theod. de expen. lud. l.* 1. & 2. *C. Theo. de equis curul.* Denique lenones, *l.* 1. *C. Theo. de lenon.* & tota civitatis politia ei committebatur, ut in Præf. Romæ di-
F cetur, *l.* 1. *C. The. de usu. Cod. de officio prætoris*, *de prætoribus l.* 12. Verum quoniam aliquod jus in Prætores Constantinopolitanos ejus urbis Præfectus habebat, & eorum Jura meminerunt, de his est videndum.

CAP. XXX.

DE PRAETORIBVS *Constantinopolis.*

ROMÆ Constantino imperante duo tantum Prætores erant, à quibus ad Præfectum urbi appellabatur, *l. si apud. C. de app.* Bysantium vero sede Imperii translata, Constantinus nullum ibi urbi Præfectum, sed tres Prætores dedit, primum à se *Flavium* nuncupatum, quem in ludos, & theatra viginti quinque millia follium, & libras argenti quinquaginta ad oblectandum populum impendere voluit: quæ summa est plus minus nostrorum D. Aureorum. Follis autem secundum Suidam æquat fermè dimidium nostrum quadrantem. Secundum Prætorem etiam à se *Constantinianum* appellavit, quem viginti millia follium, & quadraginta argenti libras insumere jussit, *l.* 5. *C. Theo. de præto.* hic est Prætor Constantinianus, qui alienantibus prædia minoribus decretum interponebat, *l. ul. C. de præd. minor.* Tertium Prætorem vocavit *triumphalem* à victoriis, quas sæpius obtinuerat: & hunc XV. millia follium, & triginta argenti libras erogare præcepit, lib. 5. Nec nisi Senatores, & à Senatoribus eligebantur, *l. ult. C. de offi. præt. l.* 12. *C. Th. de præto.* Postmodùm sub Constantio quinque facti sunt Prætores, quorum primus fuit Constantinianus, qui in honorem magistratus libras argenti mille in aquæductus seu fabricas publicas impendebat. Alter erat Flavialis, qui & ipse in easdem fabricas libras D. erogabat, *l.* 13. *C. Theo. de præto.* Alii ludos edebant. Hæc autem officium Præfecti urbi exequebatur, *d. l.* 13. & 20. Deinde sub Valentiniano ad numerum quatuor redacti sunt Prætores, qui Kal. Januarii magistratum inibant, *l.* 20. *C. Theo. de prætor.* Gratianus alios quatuor addidit. Demum Valentinianus III. & Martianus tres tantùm ex Senatoribus Constantinopoli habitantibus creari mandarunt, *l. ul. C. de offi. præto.* qui causas liberales, & liberorum cognoscebant, ac decreta minoribus prædia alienantibus interponebant, *l.* 1. *C. eo. ti. in prin. ff. de ventre inspiciendo.* minoresque deceptos in integrum restituebant: eos fortè tum intermissos Notitia prætermittit. Imperante Justiniano unus Constantinopoli Prætor plebis nuncupatus fuisse videtur, quem ipse magnificentissimum appellat, & apparitorem habuisse dicit, *l. Novel.* 89. §. 2. *seu auth. de testibus.* His, quæ ad Præfectum urbis Constantinopolis pertinent, explicatis, cum huic ordini illustrium continuato tam Notitia quàm Codex Justiniani magistros militum subnectant, de his est videndum.

CAP. XXXI.

DE MAGISTRIS MILITVM.

PRIMA pars Breviarii Imperii, quod Augusti manu scriptum fuisse Tacitus, Tranquillusque scribunt, continebat, res militum, & quot sub signis ubique essent, quotque classes reperirentur. Hæc postmodum per latercula divisa rursus in Notitia sunt transcripta. cum de his igitur atque eorum Præfectis sit dicendum, illorum origo hic altius est repetenda. Ante inventos magistros militum, Consulares vocati tanquam Imperatoris legati, ad regendum exercitum mittebantur, quibus milites tam pacis, quam belli tempore obtemperabant. Tranq. in *Tiberio* c. XXXII. *Corripuit*, inquit, *Consulares exercitibus*

bus prapositos, quòd non de rebus gestis Senatui scriberent: & in *Domitiano* cap. VI. Oppium Sabinum Consularem à Dacis oppressum scribit. *Consularem* appellatum Vlpianus tradit, *in l. 1. supran. de his qui not. infam.* quia Consularibus insignibus utebatur: *Etiam is, ait, qui exercitui praest, licet Consularibus insignibus utatur, ignominia causa ab Imperatore missus, hac nota laborat.* Vegetius verò, quia ex Consularibus viri exercitibus præfici solebant, *Consulares* appellatos fuisse innuit, lib. II. cap. IX. *Legati* nomen adhuc Alexandro imperante erat in usu, Lampridius, in *eod.* *Apparitores*, inquit, *nullos esse passus est; jussitque ut ante tribunum milites quatuor ambularent; ante Ducem sex; ante Legatum decem*: legatis Magistri militum successerunt. Vegetius lib. II. *de re milit.* cap. IX. *Legati, ait, Imperatoris ex Consularibus ad exercitum mittebantur, quibus legiones & auxilia universa obtemperabant in ordinatione pacis, vel necessitate bellorum, quorum loco nunc illustres viros constat Magistros militum substitutos, à quibus non bine tantum legiones, sed & plures gubernabantur.* Hæc ille. A quo verò Magistri militum inventi fuerint, non constat. Certum est, post Alexandrum à posterioribus Principibus introductos. Metaphrastes Theophilum Magistrum Equitum sub Decio, & Veturium sub Diocletiano nominat Magistrum peditum. Aurelianum quoque, qui mox imperavit, Magistrum militum per Thracias Fl. Claudii fuisse Vopiscus scribit. Et Eusebius Cæsariensis Saturninum unum ex XXX. tyrannis Carino imperante. *Magistri* autem dicti sunt, quibus alicujus negocii cura præcipuè demandatur, *l. quibus. ff. de verb. sign.* Indeque *magisteria* hæc potestas est appellata, *l. 3. C. de appa. mag. mili. l. 3. C. de offi. mag. mil.* Ita etiam Paulus Diaconus vocat. Cæterum cum Præfecti Prætorio ubique ordinandi, & puniendi milites potestatem haberent, Constantinus militari Imperio ipsis adempto, duos magistros militum instituit, alterum equitum, alterum peditum, qui omne jus in milites haberent, ut auctor est Zosimus lib. II. quod in Occidente semper est observatum. Magnus verò Theodosius, ut omnibus ex partibus hostibus occurreret, plures Magistros militum creavit, ut in quarto Zosimus scribit, qui mox ad numerum quinque in Oriente sunt redacti. In Occidente duo permanserunt, alter equitum, peditum alter; qui in Principis comitatu degebant, & tanquam apud eum manentes, *in Præsenti* sunt vocati, *l. pen. C. de apparitor. mag. milit.* His Justinianus in Polemoniaco Ponto, Armeniis, aliisque adjacentibus regionibus, Zetam magistrum militum addidit, *in l. ult. C. de offic. mag. milit.* Horum fermè eadem potestas erat in milites quæ Præfectorum Prætorio remansit in provinciales, *l. pen. C. de off. P. P. Orient. d. l. 1. & 2. C. de offic. mag. milit.* Civiles enim criminalesque illorum causas audiebant, *l. 1. & 2. & tot. titul. Cod. eod.* & terminabant, *l. de militib. Cod. de custod. & exhib. reor.* Ab ipsis tamen provocare licebat, *l. ult. C. de his qui per metum jud. non ap.* Qui verò eorum vice exercitibus imperabant, in caligatos tantum, seu gregarios milites, non tribunos aut Centuriones, jus gladii exercebant. Hanc secundam post Principem dignitatem fuisse D. Hieronymus *in* XXIII. *Ezech.* scribit: Tristatæ, inquit, apud Græcos nomen est, secundi gradus post regiam dignitatem, quos nos Magistratus utriusque militiæ, & Præfectos annonarii tituli vocamus: inter alia Comitibus, & Magistris militum indultum erat privilegium, ut gratis in balneis publicis civitatum lavarentur, *C. l. 1. cap. in rei militaris. cum. vel trib. leva. pref.* Ad Magistrum militum scribens Imperator hoc titulo eum alloquebatur, INSIGNIS AVCTORITAS TVA, *l. 56. C. Th. de cursu pub.* vel PRÆCLARA, vel ILLVSTRIS MAGNIFICENTIA TVA, *Novel. Theo. tit. 14. l. 2. C. de offic. mag. milit.* aut MAGNITVDO TVA, *l. ult. C. de offi. mag. milit. 2. §. 1. C. de offi. Præf. prat. Africa.* vel GLORIA TVA, *d. l. 2. in fi.* vel simili appellatione.

Milites antea à Magistris Ducibusque eligebantur, & probabantur. Postea Zeno hoc sibi reservavit, atque omne militum genus à se probari voluit, *l. pen. C. de re milit.* Magistris successere, qui hodiè *Generales exercitus* vocantur: Magistrorum enim nomen hodie ab usu recessit, & ad publicè docentes est translatum, qui vulgò à Summis Pontificibus, magistri vocantur, *eo tit. de magistris. c. litteris, de constitutionib. c. penult. & ult. de judic.* sicut & Doctores. *c. olim. de ref.* Eodem nomine equitum religiosorum Præfecti appellantur.

Notitia quinque Magistros militum in Oriente recenset, qui mixtim equitibus, peditibusque imperabant, etsi secus esset in Occidente, ut dixi. Horum duo erant in præsenti, unus per Orientem: Quartus per Thracias: Quintus per Illyricum. Sed juxta Notitiæ ordinem, prius de Præsentalibus est differendum. Vt verò Orientis collectæ vires appareant, in fronte prius totius Orientalis militiæ, numeros hoc compendio descriptos repræsentabo.

IN ORIENTE.

Magister Militum Præsentalis I.	*Legiones Palatinæ*	VI.	
	Vexillationes Palatinæ Equitum	V.	
	Vexillationes Comitatenses Equitum	VII.	
	Auxilia Palatina	XVIII.	
Magister Militum in præsenti II.	*Legiones Palatinæ*	VI.	
	Vexillationes Palatinæ Equitum	VI.	
	Vexillationes Comitatenses Equitum	VI.	
	Auxilia Palatina	XVII.	
Magister per Orientem.	*Legiones Comitatenses*	IX.	
	Legiones Pseudo-Comitatenses	X.	*Seleucia hæc sub Comite Orientis.*
	Vexillationes Comitatenses Equitum	X.	
	Classes	VI.	*In ponto Euxino navium XL.*
			In mari rubro.
Magister Militum per Thracias.	*Legiones Comitatenses*	XXI.	*Syriata.*
	Vexillationes Palatinæ Equitum	III.	*Alexandrina.*
			Carpatia.
	Vexillationes Comitatenses Equitum	IV.	

Magister Militum per Illyricum.	*Legiones Comitatenses*	VIII.	
	Legiones Pseudo-Comitatenses	IX.	
	Legio Palatina	I.	*In Scythia* I. *navium* CXXV.
	Auxilia Palatina	VI.	*In Mysia prima* II.
	Classes	VI.	*In Mæsia secunda* I. *navium* C.
			In Dacia II.

Sunt omnes Legiones	LXX.
Vexillationes Equitum	XLI.
Auxilia	XLI.
Classes	XII.

CAP. XXXII.

DE PRIMO MAGISTRO
Militum in præsenti.

EXEMPLO duorum P. P. initio duo Magistri Militum in præsenti creati sunt, ut si unus nova moliretur, alter obstaret. Hi non simul, sed divisis inter se copiis, militibus imperabant, *l. nemo. C. de re milit.* Hanc utramque militiam *in præsenti* Leo A. vocat, *in l. ul. C. de diver. offic. lib.* 12. quia in Comitatu Principis degebant. Sic magistratus qui sunt in Vrbe, Arcadius Jureconsultus, *in præsenti* esse dixit, *in l. ob carmen. de testib.* *Non tantum*, inquit, *privati, sed & magistratus, si sunt in præsenti testimonium dicunt.* Vocabantur & *præsentes*, *in d. l. nemo. C. de re milit.* Arcadius & Honorius: *Nemo*, inquiunt, *miles ex his, qui præsenti divino obsequio nostra clementia deputati sunt, & qui in hac esse urbe, præsente Comitatu sunt concessi, ad aliena obsequia sine nutu principali accedere audeat.* De his intelligere Tacitus potest, cùm ait lib. IV. *Histor. Lupercus, legionarios è præsentibus, Vbios è proximis Trevirorum equites haud longè agentes, raptim transmisit.* Aliquando *præsentes numeri* nuncupantur, *in l. ult. C. eo. tit. l. 4. C. de apparitorib. Mag. Mil.* Hinc Prætorium, in quo hi Magistri Militum controversias, aut delicta cognoscebant, *præsentum* Justinianus vocat, *Novel.* 22. *in fine.* Ex his domestici, qui semper Principem comitabantur, quandoque *Præsentales* nominabantur, *l. restituenda, C. de adv. diver. judi. l. ult. C. de dom. & protect. l. 2. C. de curiosis.* Hos *maximos ordines* appellat Nicephorus lib. XVII. cap. 1. olim *stipatores* seu *Prætoriani* nuncupabantur. Herodianus lib. V. *A Macrino*, inquit, *corporis custodes, ac stipatores, quos Prætorianos vocant, fortiter stantes, reliquum omnem exercitum soli sustinebant: videlicet proceri homines, atque ex omni numero delecti.* His duplum stipendium ejus quod aliis dabatur, à Senatu olim fuit decretum, Dion lib. LIII. Binos enim denarios diurnos accipiebant, cum alii nec unum quidem haberent, ut Tacitus lib. 1. *Ann.* refert. Hos Augustus decem millium constitutos in decem cohortes sub totidem Tribunis divisit, ut lib. LV. Dion refert. quibus postea 3500. electorum Armeniorum successère, qui in scholas IX. sub totidem Præfectis divisi palatium Principis custodiebant, & ob id Magistrum officiorum illi Præfectum judicem habebant, in cæteris Magistris parebant, qui præter hos, plures copias infra scriptas *Præsentales* nuncupatas regebant. Cum verò Magistris Præsentalibus rei bellicæ onus incumberet, ad alios Magistros, & Duces limitaneos, aliquem ex suis apparitoribus mittebant, qui à se missa mandata impleri curarent. Hæc *responsa* vocabantur, *l. ult. C. de re milit.* & qui mittitur, *ad responsum*, vel *responsalis*: sic Prætores Pisidiæ, *Novel.* 24. *c.* 4. Lycaoniæ, *Novel.* 25. § 1. Thraciæ, *Novel.* 26. *c.* 2. Moderator Hellenoponti, *Novel.* 28. *c.* 3. & alii copiarum duces *edicto* 8. *Justi.* § *pen.* inter milites responsalem tenebant, qui à se jussa exequeretur, quæ & *mandata* vocabantur. Procop. in III. *de bello Vandalic.* Zosimus in primo. Hi erant, ut sunt nunc apud Principes Nuncii Summi Pontificis, *Apocrisarii* à Græcis dicti, *c. cavendum*, §. 1. *prima q.* 7. sic D. Gregorius Constantinopoli apud Tiberium Imper. pro Pelagio Responsalis fuit. D. Gregorius lib. XIV. *moral.* cap. XXXI. & lib. III. *dialog.* cap. XXXII. *Tempore*, inquit, *quo pro explendis responsis ad Principem ipse transmissus*; & in *dialogis*, cap. XXXV. dum ait: *Jussione Pontificis mei in Constantinopolitana urbis palatio responsis ecclesiasticis deservirem.* Idem epist. CXCI. *Anatolium, quem ad facienda responsa ecclesiæ in urbem regiam transmisi, charitas vestra visitet, ut labores, quos in causis secularibus patitur, nobiscum requiem inveniant.* Hæc ille. Hi quandoque Vicarii Summi Pontificis sunt appellati. Innocentius enim III. Constantinopoli Vicarium habuit apud Baldouinum, qui Romam nunciabat, quæ ibi agebantur, cap. IV. *de consuet.* Præsentalibus militibus Anastasius *in d. l. ult. C. de re milit.* privilegium indulsit, ut litigantes pro sportulis executoribus solum aureum solverent. Hos, ut supra diximus, per cohortes antea in Vrbe divisos Sejanus Præfectus Prætorio Tiberii seorsum muro inclusit, Dion in lib. LVII. Tranquillus in *Tiber.* Hæc *castra Prætoriana* vocat Plinius *Hist. Natur.* lib. III. cap. V. *Ad extrema*, inquit, *tectorum in castris Prætorianis ab eodem milliario per vicos omnium viarum mensura colligit paulo plus septuaginta millia passuum.*

NOTITIA.

SUB dispositione viri Illustris Magistri Militum Præsentalis Vexillationes.

Palatinæ V.

Equites promoti seniores.
Comites Clibanarii.
Comites Sagittarii juniores.
Comites Taifali.
Equites Arcades.

Vexillationes Comitatenses VII.

Equites Cataphractarii Biturigenses.
Equites Armigeri seniores Gallicani.
Equites quinto Dalmatæ.
Equites nono Dalmatæ.
Equites primi scutarii.
Equites promoti juniores.
Equites primi Clibanarii Parthi.

Legio-

NOTITIA

Insignia viri Illustris Magistri Militum Præsentalis.











Legiones Palatinæ VI.

Lancearii ſeniores.
Joviani juniores.
Herculiani ſeniores.
Fortenſes.
Nervii.
Martiarii juniores.

Auxilia Palatina XVIII.

Batavi ſeniores.
Braccati juniores.
Salii.
Conſtantiniani.
Mattiaci ſeniores.
Sagittarii ſeniores Gallicani.
Sagittarii juniores Gallicani.
Tertii Sagittarii Valentis.
Defenſores.
Retobarii.
Anglevarii.
Hiberi.
Vrſi.
Felices Honoriani juniores.
Victores.
Primi Theodoſiani.
Tertii Theodoſiani.
Felices Theodoſiani Iſauri.

Officium autem ſupra ſcriptæ Magiſteriæ in Præſenti poteſtatis, in numeris militat, & in officio deputatur.

DE INSIGNIBVS VIRI ILLVSTRIS

Magiſtri Militum Præſentalis.

COMMENTARIVM.

INSIGNE hujus magiſtri fuit *liber ſupra abacum, albo tapeto inſtratum, erectus, cujus tegumentum ferrugineum ejuſdem coloris, faſciis in capitibus, & medio cingitur, in umbilico autem tabella, aureos duorum Principum vultus ſculptos tenet.* In manuſcriptis *longus codex, cum argenteo tegumento, & faſciis aureis cinctus, ſuper abaco cæruleo tapeto inſtructo viſitur: in medio Principum imagines includuntur,* quibus Vrſini exemplar caret. Hic Magiſter Vexillationes quinque equitum Palatinas habebat, Comitatenſes VII. Legiones verò Palatinas VI. Auxilia Palatina XVIII. quæ ut planius intelligantur, aliqua de Vexillationibus ſunt præmittenda.

CAP. XXXIII.

DE VEXILLATIONIBVS

Magiſtri Militum in præſenti.

VEXILLA tam peditum, quàm equitum fuere. Veget. lib. II. c. XIII. & ſeq. his enim Romani, & ſignis in legionibus utebantur. Romulus pro ſignis manipulos fœni in ſummitate haſtæ ligatos habuit, posteà pro his Aquilam, Lupum, Minotaurum, & Aprum geſtarunt, Plin. lib. X. cap. XIV. & Iſidorus lib. XIII. cap. III. qui in acie ſimul ordines præibant: Sed Marius in ſecundo Conſulatu, Aquilam univerſæ legioni præfecit, ut Plinius lib. X. cap. IV. & Vegetius lib. II. cap. VI. referunt. Cætera animalia cohortium ſigna fuêre, quibus additus eſt Draco: manus, & pila ab Auguſto inventa, ut orbem Romano Imperio hoc typo ſubeſſe indicaret, Iſidor. lib. XVII. cap. III. *Orig.* Aquila primo argentea, & ſacello incluſa, longæ haſtæ eſt præfixa, Salluſtius in *Catilina.* poſtea aurea facta, Dion lib. XL. fulmen aureum pedibus, tanquam Jovis armiger tulit. Demum facta eſt imperii inſigne; Vexillum verò tam centuriæ peditum, quàm equitum turmæ fuit, ait Vegetius lib. II. cap. IV. Hic tamen vexillatio pro equitum tantùm turma, aut cuneo ſub uno vexillo militante, accipitur. *Vexillum* diminutivum eſt à *velo*, quaſi parvum velum, ut ait Feſtus. Id erat quadratum, auro & purpura contextum, quod longo conto ſuſpenſum, circa Principem ferebatur. Georgius Cedrenus: *Vexillationes*, inquit, *Romani equites appellantur, & vexilla, vela purpura & auro quadrata formæ facta. Hæc longis haſtis ſuſpendentes, circum Principem geſtant, & eum protegunt.* Simile habebat Imperator exercitus, quod *bandum* vocabant. Procopius in II. *de bello Vandalico* poſt princip. *Beliſarius*, inquit, *inſigne, quod Romani bandum vocant, Joanni Armenio commiſit, & ſi fuerit occaſio, jaculari mandavit*; id infra *vexillum* appellat. *Flammula* etiam vocantur, Vegetius lib. II. cap. I. *Equitum*, inquit, *Alæ dicuntur ab eo, quòd ad ſimilitudinem alarum ab utraque parte protegant acies, quæ nunc Vexillationes dicuntur, à velo, quia velis, hoc eſt, flammulis utuntur.* Hæc ille. Flammulæ autem dicuntur, quia erant flammei, id eſt, violacei coloris, ut Feſtus. In his vexillis ſcribebatur quæ turma, *ex qua cohorte, & quota eſſet centuria*, Vegetius lib. II. cap. XIII. Principis etiam nomen, & fortè imago depicta ſpectabatur, ut auctor eſt Dion libro XL. Tacitus *Hiſt.* libro II. *Laceratis*, inquit, *vexillis nomen Vitellii præferentibus.* Tranquillus in *Veſpaſiano* cap. VI. *Cum Veſpaſianum*, ait, *laudibus ferrent: aſſenſere cuncti, nomenque ejus vexillis omnibus ſine mora inſcripſerunt.* Lampridius in *Diadumeno*: *Vexilla fieri Antoniniana juſſit, fecitque Baſſiani ſimulacbra, ex auro atque argento.* Stante verò Republica in vexillis animalia pingebantur, Appianus enim in II. *de bello civili* ſcribit, V. Legionem Cæſaris vexillo elephantem depinxiſſe, quod his animantibus in prælio occiſis, victoriam retuliſſet. Conſtantinus verò ſignum crucis, quod in cœlo viderat, in militaria vexilla tranſtulit, ut ait Eutropius. Inde Eccleſia poſtea venerando crucis ſigno vexillum appendit, duobus ſignis militaribus ſeu ceroferariis cum ardentibus cereis mediam comitantibus. Hæc ſunt ſigna quæ militantem eccleſiam repræſentant. Vexillatio in legione XXXII. equites continebat. Vegetius lib. II. c. XIV. *Quemadmodum*, inquit, *inter pedites centuria vel manipulus appellatur*, ita

ita inter equites turma dicitur. Et habet una turma equites XXXII. *Huic qui praeest, Decurio nominatur. Ut enim Centum & decem pedites sub uno Centurione, sub uno vexillo gubernantur; similiter* XXXII. *equites sub uno Decurione, sub uno vexillo reguntur.* Sed Vegetius de legionariis turmis loquitur. Vexillatio verò extra legionem vix CCC. continuisse potest: Cum enim Magister militum in præsenti XXIV. Legiones regeret, & XII. Vexillationes, proportione peditum pauciores quatuor millibus vix credendum est habuisse; secundum quam rationem, vexillatio circiter CCC. continuisset. certum tamen earum numerum non fuisse puto. Ala propriè erat in legione, quam velut ala tuebatur. Unde in Germania 2. itinerarium VI. VII. VIII. IX. & X. legionum alas fuisse dicit: extra legionem etiam & cohortes sæpè reperiuntur, *l. 2. in princip. ff. de his qui not. infam.* Nam quæ de minore laterculo emittuntur, omnes sunt alæ sine legione, Veget. lib. II. cap. I. *l. pen. C. quando provocare non est necess.* sed tum plures equites continebat, Livius enim lib. XXXIX. alam CCC. equitum fuisse scribit. Et lib. VIII. CLXXX. Zosimus lib. II. Julianum contra Germanos alam DC. equitum duxisse refert. Unde patet eas certum numerum non habuisse.

Alam in turmas divisam fuisse Tacitus *Hist.* lib. II. significat. Universam enim Trevirorum Alam cum Julio Classico præfecto in Coloniarum auxilium missam fuisse scribit. Et paulò post: *Trevirorum*, inquit, *turmæ obtulere se hosti incautè.* Hæc quandoque CCCL. equites continebat. Marcellinus lib. XVIII. cap. VIII. *Duarum*, inquit, *turmarum equites circiter septingenti, ad subsidium Mesopotamiæ recens ex Illyrico missi.* Vexillationem *cuneum* Constantius appellare videtur, *in l. 2. C. de hered. Decur. ne vi. cohor. milita. Vexillationibus*, ait, *seu cuneis insinuare debebis:* Sed ibi pro equitum numeris utrosque promiscuè accipit. Ego tamen Vexillationem in cuneos divisam fuisse puto: Vexillatio enim Stablasianorum sub Magistro militum per Orientem, in cuneos divisa reperitur, quorum duo Duci Scythiæ obtemperabant, & alii Comiti Ægypti. Vegetius alam vexillationem suo tempore appellatam scribit, lib. II. cap. I. coitio in unum *cuneus* nominatus est, quasi *couneus*, inquit Divus Augustinus, lib. II. *de ordine cap.* XVIII.

Equitum porrò alii Cataphracti, alii levis armaturæ dicebantur, Ælianus *de instruen. aciebus* cap. II. Cataphracti erant, qui seipsos, & totos equos loricis, & squammis ferreis contegebant. Levis armaturæ, aut hastati, aut ferentarii, vel scutati vocabantur. *Hastati* seu *contati* sunt dicti, qui adversis hastis cominus pugnabant: qui verò præter lanceas scuta ferebant, *scutati* appellabantur. *Ferentarii*, qui procul jaculis sagittisve hostes feriebant, Varro in VI. *de lingua Latina.* Horum alii *Scythæ*, vel *Sagittarii*, alii *Tarentini*, nonnulli *Jaculatores* nuncupabantur: *Sagittarii* vel *Scythæ* erant, qui sagittis feriebant, hos Italicum vulgus *Arcerios* nominat: *Tarentini* verò qui jaculis procul dimicabant. Qui bis terve jaculati, mox cominus pugnabant, *Jaculatores* dicebantur. Universæ Alæ præerat Tribunus, quandoque *Sevir* dictus. Capitolinus in *M. Antonino: Pius*, inquit, *Marcum Sevirum turmis equitum Romanorum creavit.* Hunc sequebatur senator, mox Ducenarius, dein Centenarius, Biarcha, Circitor, Eques, Tiro, ut ait D. Hieronymus, epist. LXI. *ad Pammachium*, quæ nomina ad gradus officiorum Ducum militarium sunt translata, de quibus infra dicetur.

CAP. XXXIV.

DE VEXILLATIONIBUS *Palatinis.*

INVENTIS à Constantino Magno Comitibus, quorum tres ordines sunt facti, ut Eusebius Cæsariensis memorat lib. IV. *de vit. Constant.* c. I. tres etiam militum ordines sunt instituti, & novis titulis insigniti. Omnes enim, tam equitum, quam peditum numeri aut Palatini, aut Comitatenses, vel Pseudo-Comitatenses vocati, *l. 10 C. Th. de numer.* Sed hoc nomen tantum in legionibus reperitur. *Palatini* sunt dicti, tanquam custodiendi palatii Principis honorem consecuti, & ideo cæteris digniores habiti. *Comitatenses* à comitatu, id est, aula Principis, in qua degunt, sunt appellati, & in prætorianorum, quibus successerunt, numero habiti, ut infra dicetur. Ultimi sunt *Pseudo-Comitatenses*, id est, falsi Comitatenses, quos imitantur. eosdem enim præfectos, ordines, & symbola, ut illi, habebant. Sed non iisdem honoribus aut privilegiis gaudebant. Palatini enim & Comitatenses, majus his stipendium percipiebant. Nam & eorum actuarii sex annonas, id est, sex hominum cibaria, & totidem capita seu equorum pabula, à Principe consequebantur, *in d. l. 10. C. T. de numer.* Pseudo-Comitatensium verò actuarii, quaternas tantum annonas capitationesque capiebant. Comitatensi quoque sine legitimo hærede intestato defuncto, sua vexillatio, non fiscus succedebat, *l. 2. C. de her. decurion.* quod in Pseudo-Comitatensibus non observabatur. Et ne fraus committeretur, nulli ab uno ordine ad alium sine Principis jussu licebat transire, *l. 14. C. de re milit.*

In Notitia Auxilia tantum Palatina reperiuntur. Equitum verò vexillationes tam Palatinæ, quam Comitatenses, legiones, Palatinæ, Comitatenses, & Pseudo-Comitatenses recensentur.

In Oriente vexillationes Palatinæ erant XIV. in Oriente IX. Comitatenses Orientis XXIX. Occidentis XXXII. pluresque utrobique suum nomen conservasse reperiuntur. Quandoque tamen quæ in Oriente vocantur Palatinæ, in Occidente inter Comitatenses sunt commixtæ. Causam verò, quòd eadem copiarum nomina in utroque Imperio inveniantur, hanc esse puto: Cum Valentinianus Valentem fratrem collegam Imperii fecisset, atque illi Orientem concessisset, cum ipso etiam numeros militum divisit, ut auctor est Marcellinus, lib. XXVI. In eaque partitione evenit, ut plura vexillationum corpora, & legionum separata, utrobique pristinum nomen retinuerint: unde equitum Symbola, quæ in Oriente desunt, ab Occidentis sociis sumi possunt. itaque plures ejusdem nominis vexillationes divisæ, in duo imperia cum suis nominibus transiere. Veluti comites, quorum senioribus sub secundo magistro præsentali in Orientem abductis, juniores in Occidente permanserunt. Idem Jovianis legionibus Palatinis evenit, juniores enim Occidentis, seniores Orientis partes tenuerunt. Sic equites armigeri seniores sub primo magistro militum præsentali in Orientem transierunt, armigeris junioribus in Occidente relictis: idem in Herculianis, Braccariis, Ascariis, aliisque legionibus, & auxiliis evenit.

Habebat hic Magister quinque vexillationes Palatinas, & VII. Comitatenses. A palatio, quod tuebantur dictæ sunt *Palatinæ*, palatium autem primum vocata est domus Augusti, à monte Palatino, in quo habitabat, idque nomen postea inditum est cui-

cuicunque loco in quo Princeps habitasset, ut auctor est Dion lib. XIII. Vexillationes autem Palatinæ sub hoc Magistro erant istæ:

EQUITES PROMOTI SENIORES.
COMITES CLIBANARII.
COMITES SAGITTARII IUNIORES.
COMITES TAIFALI.
EQUITES ARCADES.

Hi & legionarii, aut ab honore in eos collato nomen habuere, ut promoti, & comites fœlices: Aut ab armorum genere quo utebantur, ut Clibanarii, Sagittarii, Cataphractarii, Armigeri, Scutarii, Balistarii, Funditores, & similes: Vel à loco unde sunt desumpti, seu quem tuebantur, ut Arcades, Batavi, Armeni, Persæ, Nervii, Isauri, Transtigritani, & alii hujusmodi: Vel ab ordine temporis, quo sunt electi, ut Primi seu Primani, Secundi, Quarti, Undecimani, Tertio Dalmatæ, Quinto, Sexto, & Nono Dalmatæ, Tertiodecimani, Quartodecimani, seniores, juniores, & similes. Aut ab eorum auctore, ut Augustenses, Constantini, Valentinianenses, Theodosiani, Arcadiani, Honoriani, Joviani, Herculiani, Gratianenses & hujusmodi. Vel à virtute, ut Victores, Invicti, Rapaces à rapiendis hostium signis, Martiarii, Vindices. Aut ab officio, ut Defensores, Propugnatores, Præventores, Superventores. Quandoque à moribus, ut petulantes, Legio pia, fidelis.

PROMOTI fortè dicti, quia ad hanc vexillationem non nisi per quosdam alios gradus promoti ascendebant, quod in aliis non semper ita observabatur: ipsi verò inter se sibi gradatim succedebant. Vegetius, lib. II. cap. III. *Legionum*, inquit, *nomen in exercitu manet hodie, sed per negligentiam superiorum temporum, robur infractum est, cum virtutis præmia occuparet ambitio, & per gratiam promoverentur milites, qui promoveri consueverant per laborem.* Et cap. XXI. *Quasi enim in orbem quendam per diversas cohortes, & diversas scholas milites promoventur, ita ut ex prima cohorte ad gradum quempiam promotus, vadat ad decimam cohortem; & rursus ab ea crescentibus stipendiis, cum majore gradu per alias recurrat ad primam. Ideoque Primipili Centuria postquam in orbem omnes cohortes per diversas administraverit scholas, in prima cohorte ad hanc pervenit palmam, in qua ex omni legione infinita commoda consequitur*: inde ad equestrem militiam transibat: Et subjicit: *Ita legionarii equites cohortes suas contubernali affectione venerantur.* Hæc ille. Promotos eos, qui aliquem gradum obtinuerunt vocat Arcadius, *in l. 1. C. ad l. Juliam de ambitu.* Suidas promotum, & procedentem apud Romanos idem esse scribit: sed fortè à Fl. Promoto, P. P. & Magistro equitum Theodosii Magni, eorum auctore, nomen habuere. Is fuit consul Anno salutis CCCXCI.

SENIORES verò hi appellantur, quia prior hæc vexillatio, alia juniore instituta fuit, quæ una est ex VII. Comitatensibus sequentibus. Ad altiorem gradum promotis augebatur stipendium, Lampridius in *Diadumeno*: *Habete*, inquit, *commilitones pro Imperio aureos ternos, pro Antonini nomine aureos quinos, & solitas promotiones, sed geminatas.* De Promotis ita Marcellinus lib. XXXI. cap. XIII. *Inter hos etiam Promotorum tribunus Potentius cecidit, in primævo ætatis flore, bono cuique spectatus meritis Ursicini patris Magistri quondam armorum, suisque commendabilis.* Hi sub Ducibus Palæstinæ, & Mœsiæ primæ, in limitibus earum regionum excubabant. Nulla verò hujus aut sequentium vexillationum Symbola hic apparent: Sed in Occidente apud eos, qui ibi hujus nominis sunt, reperiuntur.

CLIBANARII apud Persas, à Latinis Cataphracti dicuntur. Hi se, & equos undique ferro tegebant, gravisque armaturæ milites erant. Lampridius in *Alexandro*: *Centum & viginti millia equitum fudimus: Cataphractarios, quos illi*, scilicet Persæ, *Clibanarios vocant.* Marcellinus lib. XVI. cap. X. *Sparsique Cataphracti equites, quos Clibanarios dictitant Persæ, thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulachra, non viros: quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti: ut quocunque artum necessitas commovisset, vestitus congrueret, juncturâ cohærenter aptatâ.* Hæc ille. Vegetius, lib. III. cap. XXIV. *Bini*, inquit, *Cataphracti equi jungebantur ad currum, quibus insidentes Clibanarii, id est, sarissas, longissimos contos in elephantos dirigebant. Clibanus* vero Latinis est vas æneum, sub quo flamma ardet. D. Hieronymus, in *oratione Hierem. Clibanus*, ait, *est coquendis panibus æris vasculi deducta rotunditas, quæ sub ardentibus flammis ardet intrinsecus.* Comitis autem titulo tertii, ut credo, ordinis hi honestabantur. Constantinus enim Comites primi, secundi & tertii ordinis ad plures honestandos homines invenisse, ex Eusebio Cæsariensi lib. III. *de vita Constantini* cap. I. diximus.

COMITES SAGITTARII IUNIORES, ita nuncupati, quia post alios seniores sagittarios inventi.

Hi sunt Scythæ, ex genere Ferentariorum, sagittis utentes: Marcellinus lib. XVIII. sub finem: *Aderat*, inquit, *Comitum sagittariorum pars major, equestres videlicet turmæ ita cognominatæ, ubi merent omnes ingenui Barbari, armorum, viriumque firmitudine inter alios eminentes.* Idem lib. XVI. cap. XII. *Pedestres*, inquit, *copiæ lentis incessibus educuntur, earumque lateri equestres conjunctæ sunt turmæ, inter quas cataphracti erant, & sagittarii, formidabile genus armorum.* Hypotoxotæ Græcè appellantur à Cæsare, in III. *de bello Civili*, & alibi. *Nunc sagittarii*, inquit Procopius in I. *de bello Persico*: ab initio *bellum thoracati procedunt, tibialia usque ad genu induti. Ab uno latere pharetra, ab altero ense adcincti sunt, & qui hastam ferant & parvum supra humerum scutum: ut ora cervicemque tueantur. Equitant insuper peritissime, ut vel equo currente obvertere hostem & persequendo possint & fugiendo ferire. Arcum ipsum longe validiorem usque in dextram tendunt aurem.* Hæc ille. Hi sub Ducibus in limitibus excubabant. A Cereali Magistro militum Honorii, hos equites pedites factos fuisse Synesius, epist. CXXX. & CXXXIII. affirmat. Reperiuntur etiam alii sagittarii sub aliis Magistris militum. Et sagittarii Parthi juniores in Occidente.

TAIFALI, Septentrionales populi sub Farnobio Duce Thraciæ populati, cum Frigerido Gothorum Principe conserta manu sunt magna ex parte trucidati: reliqui in hostis potestatem vivi pervenere: captos Valens circa Mutinam, Regiumque, & Parmam, Italica oppida, rura culturos exterminavit; quemadmodum Marcellinus lib. XXXI. cap. IX. scribit. Id fuit circiter anno CCCLXXIX. Et subdit: *Hanc Taifalorum gentem, turpem, obscœnæ vitæ, flagitiis ita accepimus mersam, ut apud eos nefandi concubitus fœdere copulentur maribus puberes ætatis viriditatem in eorum usibus consumpturi: porrò si quis jam adultus aprum exceperit solus, vel interemerit ursum immanem, colluvione liberatur incesti.* Hæc ille. Ex his postea Equites Comites factos Gratianus stipendio aluit, & Comites Taifalos vocavit. Inter Vexillationes Comitatenses in Occidente sunt Taifali juniores: Hodie extare audio

in

in Germania nobilem Taifalorum familiam, quæ etiam quibusdam in castris jurisdictionem exercet.

ARCADES, à loco unde conducti, nomen obtinuerunt: Est autem Arcadia Peloponessi regio, ex qua hi equites sunt electi, & ipsi Comites dicti, ut honestiores apparerent. Est & Arcadia Ægypti provincia, unde hi contrahi potuerunt: sub Duce Scythiæ in oppido Telamonii degebant. Comitatenses Vexillationes sequuntur.

CAP. XXXV.

DE VEXILLATIONIBVS VII.

Comitatensibus.

HÆ Vexillationes à Principis comitatu, ubi degebant, & unde evocabantur, dictæ sunt *Comitatenses*, sicut & alii milites, *l. 2. §. pro limitaneis, C. de off. P. P. Africæ.* Arcadius & Honorius *l. contra. C. de re milit. lib. 12. Comitatenses*, inquiunt, *ac Palatini numeri, ad alios numeros transferri non possunt.* Palatinos vocat, qui palatium custodiunt, Comitatenses qui in comitatu Principis, & urbe degunt. Iidem Principes, *in l. nemo, C. eod. tit. Nemo*, ajunt, *miles ex his, qui præsentes divino obsequio deputati sunt, & qui esse in urbe præsente comitatu concessi sunt, quive de aliis numeris, vel legionibus sunt, sibi vacet, vel aliena obsequia peragere audeat.* Petrus quoque Alexandrinus apud Theodoretum lib. IV. cap. XX. & Nicephorum lib. XI. cap. XXVIII. Magnum Comitem largitionum ex Comitatensibus fuisse dicit, id est, ex Principis comitatu. Comitatus autem est aula Principis, vel ubi ipse est. Æmilius Macer, *in l. milites. §. ignominiosa. ff. de re militar. Qui*, inquit, *ignominia missus est, neque Romæ, neque in sacro comitatu agere potest.* Et *l. 2. C. quib. non obst. long. temp. præscript.* Græcus interpres quem citat Alciatus, *C. de palat. sacra. largit. Palatini*, inquit, *communi nomine dicuntur omnes habitantes in palatio: Alii semper in domo Augusti perseverantes Comitatenses. Comitatum autem locum appellant, in quo vitam ducebat Imperator.* Hæc ille. Sic & *Argentarii* Comitatenses dicti sunt, qui stant in Principis comitatu, *l. scriniis. in fi. C. de palat. sacra. largit.* Vexillationum Comitatensium meminit Constantius, *in l. 2. de hære. decurio. seu l. 1. lib. 5. tit. 4. C. Theodosiani.* sub magistro militum præsentali erant VII. sequentes.

EQVITES CATAPHRACTARII, Biturigenses, qui sunt populi Galliæ, in Aquitania, non longè à Ligeri fluvio, eorum Metropolis nunc *Bourges* appellatur. Quemadmodum hodie conducuntur Helvetii pedites, Albani equites, & qui *Vallones* appellantur, ita & Biturigenses equites alebantur ab Imperatoribus Roman. Cataphractarii vero sunt dicti, id est, totis armis tecti cum equis, ut supra dictum fuit. Quot essent, sciri non potest. Legitur apud Vopiscum in *Aureliano* ei Valerianum dedisse equites Cataphractarios DCCC.

EQVITES ARMIGERI GALLICANI seniores, quos ab armis quibus utebantur, *armigeros* dictos fuisse arbitror, quemadmodum enim gravis armatura dicebatur peditum, qui rotundo Clypeo, Galea, & Sarissa, id est, longa hasta more Macedonum pugnabant, ut auctor est Suidas, in verb. ὅπλιζ. ita hos equites, quod capite & thorace ipsi, sed non equi armati essent, armigeros vocatos fuisse censeo *Gallicani* verò à *gallica*, quod genus est calceamenti, vel à *Galliis* sunt nuncupati, *seniores* dicti, quia ante juniores sunt instituti. Horum aliquot cunei sub Duce Scythiæ, & Mœsiæ secundæ militabant. In Occidente reperiuntur inter Vexillationes Comitatenses equites armigeri seniores. Schola armaturarum juniorum subest Magistro officiorum, & una est ex XI. scholis, quæ ab his differt.

EQVITES QVINTO DALMATÆ, & EQVITES NONO DALMATÆ. Primus ex Dalmatia Marcus Antoninus milites delegit. Capitol. *Dalmatia*, inquit, *atque Dardania milites fecit*; quos natura feroces fuisse ex Sallustii sententia Tertullianus in lib. *de anima* scribit. Hi verò *quinto Dalmatæ* sunt appellati, quia cum ex Dalmatia multoties equitum cunei essent extracti, qui tertio loco, quinto, sexto & nono collecti erant, Tertio, quinto, sexto, & nono Dalmatæ vocabantur: vel potius IX. eorum scholæ fuerunt; quæ à numero nomen habuerunt. Nam qui secundi *scutarii juniores* sub magistro equitum præsentali Occidentis appellantur, apud Comitem Africæ, sub quo merebant, *scutarii secundæ scholæ* vocantur, sub Magistro militum per Orientem merebant tertio Dalmatæ, & sub alio Magistro præsentali sexto Dalmatæ, & equites octavo Dalmatæ sub magistro equitum præsentali Occidentis.

EQVITES PRIMI SCVTATI, ordine præcedunt secundos scutatos, qui alii Magistro militum præsentali parebant, aut quod essent primæ scholæ, ut dixi. *scutati* autem vocantur, quod scutis grandioribus uterentur. Sicut enim scutati nuncupabantur pedites, qui scutis tecti, plumbatis, vel gladiis & missilibus accincti pugnabant, ut lib. II. cap. XIII. Vegetius memorat. Sic equites, qui thorace, ocreis, galea, hastaque armati, Suidas in verb. ὅπλιζ, etiam scuto se muniebant, scutati nominabantur. Scuta autem sunt oblonga, sicut clypei rotundi. Virgilius in VIII. *Æneid.*

—— Scutis protecti corpora longis.

Ovidius in VI. *Fastor.* vers. 392.

Jacta super galeas, scutaque longa sonant.

Hi equites etiam sub magistro militum per Orientem reperiuntur, & in Occdeinte inter Vexillationes Comitatenses. Scutatorum schola sub magistro Officiorum est ab his diversa.

EQVITES PROMOTI JVNIORES, post promotos seniores ad militiam lecti, quos vidimus esse unam ex V. Vexillationibus Palatinis. Reperiuntur equites promoti juniores & in Occidente, cum suis insignibus.

EQVITES PRIMI CLIBANARII PARTHI, è Parthis acciti. *Primi* & ipsi sunt dicti, quia equites secundos Clibanarios Parthos, tempore præcedebant, qui sub alio Magistro militum Præsentali merebant. Hæ sunt Vexillationes V. Palatinæ, & VII. Comitatenses, quarum nulla nec in impressa, nec in manuscripta Notitia apparent insignia, quod fortè equitibus minus essent necessaria, qui facilius conspici, & ad signa post conflictum reverti poterant. Legiones verò & Auxilia quæ sequuntur, illis ut sibi necessariis utebantur, de quibus priusquam dicatur, de legionibus aliquid est disserendum.

CAP. XXXVI.

DE LEGIONIBUS.

LEGIONEM ex sex millibus peditum, & DCCXXVI. equitibus constare Vegetius lib. II. cap. VI. *Gl. in l. 2. in prin. in ver. cohortis. ff. de his qui no. infam.* refert. etsi majorem aliquando numerum, quandoque minorem reciperet. In X. autem cohortes dividebatur, quarum prima *Milliaria* vocabatur, quæ

quæ censu, genere, literis & virtute præstabat. Huic *Aquila*, quod præcipuum erat in exercitu signum, & Romanorum Principum vultus committebantur, pedites mille centum quinque: equites verò loricatos centum & triginta sex continebat. Reliquæ, pedites quingenos LV. & equites loricatos LXVI. habebant. Unde quingenariæ cohortes dicebantur, præter quartam & septimam, quæ DC. pedites continebant, quod & Accursius novit, *in l. 2. in prin. ff. de his qui not. infam.* Ita legionem C. Marius disposuisse dicitur: ante ipsum enim erat quatuor millium, unde *quadrata* vocabatur. Verum Constantinus Porphyrogenneta *de thematibus* legionem vel exercitum circa hæc tempora in præfecturas divisum fuisse scribit, quarum singulæ ex mille, aut D. capitibus constabant. Legio autem dicta est, quod viritim milites & tantum cives Romani, & Classici legerentur, ut Varro, & Nonius scribunt. Capite enim censi à militia immunes erant. Cohors à cohorte villæ est dicta, sicut enim illa ex pluribus tectis conjungitur, sic cohors ex pluribus manipulis copulatur, inquit Varro. Solebant autem Coss. ut plurimum, cum binis legionibus militare, quibus, ubi opus erat, auxiliares copias addebant. A Cajo verò Julio Cæsare legionum numerus & nomina originem traxêre: Is enim functus Consulatu, cum Illyricum & Galliam Cisalpinam, cum tribus legionibus, & Transalpinam cum una in quinquennium obtinuisset, alias addidit. Auctores Dion, Appianus in II. *de bello civili*, & Plutarch. Tranquillus in *Jul. Cæs.* cap. XXIV. *Qua fiducia*, inquit, *ad Legiones, quas à Republica acceperat, alias privato, alias publico sumptu addidit.* Hæc ille. Sex. Rufus Cæsarem cum X. legionibus quaternorum millium Italicorum Gallias, per annos IX. subegisse scribit, & decimo fecisse tributarias: pro temporis verò quo legebantur ordine secundam, tertiam, & quartam legiones appellavit. Nam & Decimanos vocavit, quos post nonam legionem elegit, & cæteris semper chariores habuit: Dion lib. XXXVIII. cap. LV. *Præcipuam verò*, inquit, *Decimanam legionem (ita enim civiles legiones, secundum delectum ordinem nominabantur; unde quæ nunc sunt legiones denominationem habent) fecit, quia benevole erga ipsum Cæsarem se habebant.* Hæc Dion. Decumani non tantum apud Cæsarem, sed & alios Principes semper in præcipuo honore fuere: Vopiscus in *Probo*: *Ut scias*, inquit, *quanti te faciam, Decumanos meos sume, quos Claudius mihi credidit. Isti enim sunt, qui quadam felicitatis prærogativa præsules, nisi futuros Principes habere non norunt.* Hactenus ipse. Sed & alia legionibus cognomina addita fuerunt, ut MARTIA, quam & quartam legionem à Pompeji partibus ad Cæsarem transiisse Dion lib. XLIII. scribit. Hæc autem, quod bellicosa videretur à Marte cognomentum tulit. Appianus lib. IV. *de bello civili* dicit duas legiones *Martias* ob audaciam dictas, quæ Cæsarem sunt sequutæ. Hæ, etsi magna ex parte consumptæ, postea renovatæ, antiquum nomen retinuerunt. Cæsar alii legioni, quam in Gallia Transalpina conflavit, ALAUDAE nomen imposuit, quod galeam instar capitis illius avis erectam haberet, quam etiam olim *Galeritam* appellavere. Hæc enim avis in capite plumam elevatam cristæ, galeæ similem tenet: Galli *Alaudam* nominant: Plinius, lib. XI. cap. XXXVII. *Galerita*, inquit, *appellata quondam, postea Gallico vocabulo etiam Legioni nomen dederat Alauda.* Tranquillus in *Jul. Cæs.* cap. XXIV. *Addidit*, ait, *unam ex Transalpinis conscriptam, vocabulo quoque Gallico, (Alauda enim appellabatur) quam disciplinâ cultuque Romano institutam & ornatam, postea universam Civitate donavit.* Cicero *ad Atticum* lib. XVI. epist. VIII. *Antonius cum legione Alaudarum ad urbem pergit.* Et iterum: *Huc accedunt Alaudæ, cæterique veterani.* Et in *Philippicis act.* I. accusat M. Antonium, quod judicum Decuriam ex legione Alaudarum fecisset. *Antonini* verò nomine emissum *itinerarium*, tres legiones Alaudarum recenset, videlicet, quintam, nonam, & decimam; sed decima Pannonica & Germanica, Pia, Fidelis, Alauda, Prætoria, & Fabiana est nominata. Sunt qui volunt Alaudam legionem vocatam fuisse, quia signum Alaudæ avis gestabat, quod non recipio. Nam Aquilam semper generale signum legionum fuisse Vegetius tradit. Cicero verò *in Antonium*, ab auspicio avis, eam legionem vocatam fertur.

Erat & Gemella legio, ita à Pompejo Mag. nominata, quòd ex duabus facta esset, auctor Cæsar in tertio *de bello civili*, paulò post principium. Aliæ legiones alia habuere nomina, de quibus infra dicetur.

Augustus verò rerum potitus XXIII. civiles legiones, vel ut alii malunt XXV. aluit: quarum nomina Dion lib. LV. ponit: *Et nunc*, inquit, *solæ novendecim ex illis permanent. Earum secunda Augustalis nominata, hybernans in superiore Britannia: tertia tripartita; una enim Gallica dicta in Phœnicia: altera Cyreniaca in Arabia: tertia Augustalis in Numidia. Quarta Scythica in Syria.* V. *Macedonica in Dacia.* VI. *in duas dividitur, quarum altera Victrix appellata est in inferiore Britannia; altera Ferrea in Judæa.* VII. *in Mysia superiore: Huic Claudiana nomen, quæ Claudium Cæsarem a conjuratione Camilli defendit.* VIII. *Augustalis in Germania superiore.* X. *in superiore Pannonia, ea Gemina appellata*, quæ constat ex duobus exercitibus permixtis inter se, & confusis. XI. *Claudiana in Mysia inferiore.* (Habuere enim duæ legiones nomen à Claudio, propterea quod, ut dixi, illi in conjuratione Camilli affuerunt) XII. *Fulminatrix in Cappadocia.* Hæc legio à Vespasiano instituta, postea Christiana facta, *Fulminatrix* imperante M. Antonino est cognominata. Cum enim à Quadis obsessus esset, & siti cum exercitu conficeretur, precibus à Christo pluviam impetravit, & viginti millibus hostium fulmine extinctis, *Fulminatrix* est appellata: ut auctor est Eusebius, Nicephorus, & ipsius Antonini epistola. Inde Christianos Marcus persequi desiit.) XIII. *in Dacia. Gemina* XIV. *in superiori Pannonia.* XV. *Apollonia in Cappadocia. Postrema est vicesima, quæ & Valeriana, Victrixque appellabatur. Hæ restant ex Augusti legionibus, cætera dispersa, aut omnino sublata, aut cum aliis, tum ab Augusto, tum aliis principibus permixta sunt: quæ ob hanc causam dicuntur duplices.* Hæc ille: qui XVI. tantum nominat legiones. *Postea Nero primam Italicam legit: in inferiore Mysia hybernantem: & Galba primam Adjutricem in Pannonia inferiore*, & *septimam in Iberia. Vespasianus secundam adjutricem in Pannonia inferiore; & quartam Flaviam in Syria. Domitianus primam Minerviam in Germania inferiore. Trajanus secundam Ægyptiam Trajanam: & Tricesimam Germanicam Ulpiam. M. Antoninus secundam in Norico, & tertiam in Rhetia, quæ Italica cognominantur. Severus primam, secundam & tertiam Parthicam in Mesopotamia. Hæ sunt legiones præter civicas & stipatrices: quæ erant cohortes Prætorianæ* X. *Millium. Urbanæ* IV. *sex millium, & Vigilum* VII. quæ simul excedebant numerum 20000. militum. *Præter legiones* XXIII. *aut* XXV. *quas Augustus alebat, & auxiliares copias peditum, & equitum, ac navium, quæ precisè dici non possunt: delecti etiam erant equites externi Batavi dicti à Batavia, quæ insula est ad exitum Rheni fluminis*: (nunc Hollandia

dia vocata) *hi sunt equites optimi.* Hæc Dion lib. LV. Primæ legionis adjutricis meminit Theodosius *in l. ult. C. de Castrensi pecu. & l. ult. C. de apparitorib. P. P.* Tacitus quoque de his latè disserit *Ann.* lib. IV.

Præter supradictos Julius Capitolinus in *M. Antonino*, Bucolicos milites io Ægypto nominat: *Ingruente peste*, inquit, *servos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit, quos* Voluntarios *exemplo Volonum appellavit. Armavit etiam gladiatores, quos* Obsequentes *vocavit: Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ milites fecit. Armavit & Diocmitas. emit & Germanorum auxilia contra Germanos.* Erat & XXII. legio in Germania *Primigenia* appellata, cui præfuit Didius Julianus antequam imperaret. Quartanæ etiam, & Primanæ legiooi præfuit Clodius Albinus, ut Spartianus & Capitolinus referuot. Erant quoque Ostensionales milites, qui speciosis vestibus induti olim Imperatorem comitabantur. Lampridius in *Alexandro: Milites*, inquit, *quos* Ostensionales *vocant, non preciosis, sed speciosis clarisque vestibus ornabat: nec multum insignibus, aut apparatum regium auri & sericis deputabat, dicens*, Imperium in virtute esse, non indecore. Osroënorum item sagittariorum meminit Capitolinus in *Maximino*: & Voccuotiorum Pollio io *Posthumio Tyranno*. Degebant & duæ legiones senum millium in Illyrico, Martiobarbuli vocati, quod plumbatis, quos Martiobarbulos appellabant, scienter & ferociter uterentur, auctor Vegetius, lib. I. cap. XVII. Erant & Herculeani seniores, & juniores.

Tertiam legionem Felicem nuncupatam fuisse, in *Probo* Vopiscus tradit. Aliæ erant legiones Solenses, Cornutæ, Prætextatæ, Fortenses, aliisque nomiotbus appellatæ, de quibus infra dicetur. Sed hic satis est, insigniores, vetustioresque indicasse, quæ noo omnes permansere, sed plures ex his esse desiere.

Peditum verò alii gravis armaturæ dicti, Macedonum more Clypeos rotundos, & sarissas, seu longiores lanceas gerebant. Hi erant in legione numero DC. grandiores natu *Triarii* vocati, qui in ultima acie, & tertio ordioe locabantur, & iode *Triarii* dicti, Var. lib. IV. *de lingua Latina*. Alii erant velites juniores numero MC. qui nec thoraces, nec arcus, nec scuta habentes, procul jaculabantur, aut lapides fuodâ vel manu contorquebant. Hi io Legione *Pilani*, extra legionem *Auxilia* dicebantur, aliàs nudi, & inermes, & ob id expediti, in prima acie collocabantur: Infimæque conditionis homines primi cædebantur, ut ait Suidas in verb. ψιλός. *Hos*, inquit, *Auxilia Romani vocant, à sociis & fœderatis gentibus contracta*; de quibus & Vegetius lib. II. c. I. Eos Poëta in VII. *Æneid.* graphicè describit:

——— Non illis omnibus arma,
Nec clypei, currusve sonant: pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit: pars spicula gestat
Bina manu, fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habet capiti: vestigia nuda sinistri
Instituere pedis; crudus tegit altera pero.

Alii erant in legione *Peltati*, & ipsi numero circiter MDCCC. adultiores, Erulos, Batavosque & Mœxicos velites fuisse Ammianus refert, qui pelta, id est, parva levique parma, & contis, id est, sarissis brevioribus pugnabant, prout tradit Ælianus *de instruendis aciebus* in princ. & Suidas in verb. ὁπλῖται. Romani *hastatos* vocabant. Posteriores *lancearios* dixerunt, de quibus infra tractabitur. Alii vocabantur Principes ætate ac robore præstantes, & ipsi numero ferè MDCCC. Horum primus Princeps, sequens secundus Princeps, & deinceps tertius & quartus nominabantur, sicut primus, secundus, & tertius hastatus. Sic centurio primi pili, & centurio primi hastati dicebatur, & in Triariis primum pilum, secundum & tertium appellabant. Ab his principibus capita officiorum Præsidum, qui militum imaginem referebant, Priocipes sunt vocati. Hic non omittendum olim neminem in militem potuisse eligi, cujus statura quinque pedum, & septem unciarum non fuisset, *l. 3. C. de Tironib.* Valentinianus: *In quinque*, inquit, *pedibus & septem unciis, delectus habeatur*: quod ab urbe condita observatum fuisse fertur. Vegetius lib. I. c. V. dixit X. uncias. Hinc colligitur, quid sibi velit Lampridius scribens Alexandrum Imp. militaris staturæ fuisse, intelligit enim eum quinque pedum & unciarum VII. altitudinis fuisse. Ut verò facilius legionum numerus, & nomina cognoscantur ex vetusto marmore, earum catalogum Romæ inventum subjeci, cui aliam ego tabulam apposui, ut quo tempore singulæ, & à quibus inventæ fuerint clarius appareat.

ROMÆ IN AREA CAPITOLII IN MARMOREA COLVMNA Legionum nomina leguntur post Diocletianum.

NOMINA LEGIONUM.

SI. AVGVSTA.	V. MACEDONICA.	XII. PVLMINATRIX.
II. ADIVTRIX.	III. CYRENENSIS.	VII. GEMINA.
IV. SCYTHICA.	I. MINERVIA.	X. GEMINA.
VI. VICTRIX.	SI. STALICA.	XV. APOLLINEA.
IV. FLAVIA.	PRIMANA.	III. ITALICA.
XVI. PLAVIA.	MARTIOBARBVLI.	XIV. GEMINA.
XX. VICTRIX.	VI. CLAVDIA.	III. GALLICANA.
VII. CLAVDIA.	II. TRAIANA.	III. PARTHICA.
VI. FERRATENSIS.	XXX. VLPIA.	I. PARTHICA.
VIII. AVGVSTA.	XIII. GEMINA.	SI. PARTHICA.
I. ITALICA.	III. AVGVSTA.	CLAVDIA, PIA, FELIX, FIDELIS.
X. FRETENSIS.	I. ADIVTRIX.	III. FELIX.
XXII. PRIMIGENIA.		

LEGIONES XXV. A CÆSARE AVGVSTO per Romanum orbem constitutæ.

IN *Hispania legiones* III.
Legio III. *Gallica.*

E *Legio* VI. FERRATA.
Legio X. *Fretensis.*

IN GERMANIA INFERIORE LEGIONES IIII.

Legio prima Julia.
Legio V. *Macedonica.*
Legio XIX.
Legio XX. *Valeria victrix.*

IN GERMANIA SVPERIORE LEGIONES IIII.

Legio II. *Augusta.*
Legio XIII. *Gemina, Pia, Fidelis.*
Legio XIIII. *Gemina, Martia, Victrix.*
Legio XVI.

IN DALMATIA LEGIONES II.

Legio II. *Adjutrix, Pia, Fidelis.*
Legio VII. *Gemina, Pia, Felix.*

IN PANNONIA LEGIONES III.

Legio VIII. *Augusta.*
Legio IX. *Hispaniensis.*
Legio XV. *Apollinaris.*

IN MOESIA LEGIONES II.

Legio VII.
Legio XI. *Claudia postea dicta.*

IN SYRIA LEGIONES IIII.

Legio IV. *Scythica.*
Legio VI. *Victrix.*
Legio X. *Gemina, Pia, Fidelis.*
Legio XII. *Fulminatrix.*

IN ÆGYPTO LEGIONES II.

Legio III. *Cyrenaica.*
Legio XXII. *Primigenia, Pia, Fidelis.*

IN AFRICA LEGIO I.

Legio III. *Augusta.*

MARI SVPERO.

Classis Ravennas.

MARI INFERO.

Classis Misenas.
Classis Actiaca in Gallia Narbonensi apud forum Julii.

ROMÆ.

Cohortes Urbana IV.
Cohortes vigilum VII.
Cohortes pratoria X.

Legiones IV. *addita à Claudio.*
- *Legio Claudia in Mœsia.*
- *Legio* XV...... *in Germania.*
- *Legio* XIX. *Victrix in Germania superiore.* Tacitus.
- *Legio* XXI. *Rapax in Germania superiore.* Tacit.

Legiones III. *addita à Nerone.* Tacit.
- *Legio* I. *Italica in Lugdunensi* Dion.
- *Legio* I. *Classica in Gallia Narbonensi.* Tacit. *Hist.* lib. I. *Nero quoque ex remigibus justos milites fecit*, Tranquil. *in Galba* cap. XII.
- *Legio Hispanica Roma, à Galba exauctorata,* Tacitus lib. I. *Hist.*

Legiones II. *a Galba instituta.*
- *Legio* I. *Adjutrix, Victrix, Pia, Fidelis, Roma*, Tacit. Dion.
- *Legio* VII. *Galbiana in Pannonia.* Tacit. in I. II. III. *Hist.*

Legiones V. *a Fl. Vespasiano addita.*
- *Legio* XII. *Fulminatrix.*
- *Legio* XV. *Apollinaris Cappadocia.* Tranquil. Dion.
- *Legio* II. *in Germania.* Tacit. IV. & V. *Hist.*
- *Legio* IV. *Flavia, Felix, Fidelis, in Syria.*
- *Legio* XVI. *Flavia, Fidelis, in Syria.*

Legio I. *addita a Domitiano.*
- *Legio* I. *Minervia, Pia, Fidelis, in Germania.* Spart. in *Hadriano.*

Legiones II. *a Trajano addita.*
- *Legio* II. *Trajana Fortis in Ægypto.* Dion lib. LV.
- *Legio* XXX. *Ulpia, Victrix, in Germania.* Dion *ibid.* Marcell. XVIII.

Legiones II. *à M. Antonino addita.*
- *Legio* II. *Italica Divit. in Norico.* Dion *ibid.*
- *Legio* III. *Italica in Rhetia.* Dion.

Legiones III. *addita a Severo.*
- *Legio* I. *Parthica in Mesopotamia.* Dion *ibid.* Marcell. XX.
- *Legio* II. *Parthica in Italia.* Dion *ib.*
- *Legio* III. *Parthica in Mesopotamia.* Dion *ibid.*

Legio I. *ab Alexand. addita.*
- *Julia Alexandria, ex Comitatensibus* XXI. *sub Magistro militum per*
- *Thracias* —
  - *Cohortes vigilum* VII.
  - *Pratoriana* XII.
  - *Urbana* XIV.

Legiones V. *addita à Diocletiano, & Maximiano.*
- *Joviani seniores in Occidente ex* XII. *legionibus Palatinis.*
- III. *Diocletiana Thebaeorum ex* XXI. *Comitatensibus sub magistro militum per Thracias in Oriente.*
- *Maximiana Thebaeorum ex* XXI. *Comitatensib. sub magistro militum per Thracias.*
- *Herculiani seniores ex* XII. *Palatinis in Occidente.*
- III. *Herculea ex* XXXII. *Comitatensibus in Occidente.*

Legiones X. *addita à Constantino.*
- *Constantini seniores ex* XXI. *Comitatensibus sub magistro militum per Thracias in Oriente.*
- *Constantini Daphnenses ex* XXI. *Comitatensibus sub magistro militum per Thracias in Oriente.*
- I. *Flavia Gemina ex* XXI. *Comitatensibus sub magistro militum per Thracias in Oriente.*
- II. *Flavia Gemina ex* XXI. *Comitatensibus sub eodem magistro in Oriente.*
- *Flavia Victricis Constantina, id est, Constantiniani ex* XXXII. *Comitatensibus in Occiden.*
- II. *Flavia Constantiniana tertio, ex* XXXII. *Comitatensibus in Occidente.*
- I. *Flavia pacis ex* XXXII. *Comitatensibus in Occidente.*
- II. *Flavia virtutis, ex iisdem in Occidente.*
- III. *Flavia salutis, ex iisdem in Occidente.*
- I. *Flavia Mitis ex iisdem in Occidente.*

Legiones V. *addita à Constante.*
- I. *Flavia Constantia ex* IX. *Comitatensibus sub magistro militum per Orientem.*
- II. *Flavia Thebaeorum ex iisdem sub eodem.*
- *Martiarii Constantes ex* VIII. *Comitatensibus sub magistro militum per Illyricum in Oriente.*
- I. *Flavia Gallicana Constantia ex* XVIII. *pseudo-Comitatensibus in Occidente.*
- *Constantiaci ex iisdem in Occidente.*

Legio I. *addita a Valentiniano.*
- *Valentinianenses ex* XXI. *Comitatensib. sub magistro militum per Thracias in Oriente.*

Legio I. *addita a Valente.*
- II. *Felix Valentis Thebaeorum ex* IX. *Comitatensibus sub magistro militum per Orientem.*

Legio I. *addita à Gratiano.*
- *Gratianensis ex* XXI. *Comitatensibus sub magistro militum per Thracias in Oriente.*

Legiones V. *addita à Theodosio.*

- I. *Flavia Theodosiana ex* IX. *Comitatensibus, sub magistro militum per Orientem.*
- *Balistarii Theodosiani ex* X. *pseudo-Comitatensibus sub eodem magistro.*
- II. *Theodosiani ex* IX. *pseudo-Comitatensibus sub magistro militum per Illyricum in Oriente.*
- *Felices Theodosiani juniores ex iisdem, sub eodem magistro in Oriente.*
- *Balistarii Theodosiani juniores ex iisdem, sub eodem in Oriente.*

Legiones II. *addita ab Honorio.*

- *Lancearii, Gallicani, Honoriani ex* XXXII. *Comitatensibus in Occidente.*
- *Honoriani, Felices, Gallicani ex iisdem in Occidente.*

CAP. XXXVII.

DE PRÆFECTIS LEGIONUM.

LEGIONUM numero, ac nominibus expositis, de earum Præfectis est dicendum, qui plures in Limitaneis Ducibus à Notitia referuntur.

Universæ Legioni olim Tribunus præfuit. Alis equitum Præfectus. Augustus adolescentibus Senatoribus, cum virilem togam inducerent, non modò legionum tribunatus, sed & alarum præfecturas dedit. Tranquillus in *Aug.* cap. XXXVIII. *Liberis*, inquit, *Senatorum, quo celerius Reipublica assuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & Curia interesse permisit. militiamque auspicantibus non tribunatum modo Legionum, sed & præfecturas alarum dedit. Ac ne quis expers castrorum esset, binos plerunque laticlavios præposuit singulis alis.* Hactenus Tranquillus. Hi sunt, qui *tribuni lati clavi* in Jure appellantur, *in l. si Rufinus C. de milit. testam.* & in hoc marmore Tiburi ædi Sancti Pauli affixo C. POPILIO TR. LATICLAVIO LEG. III. CYRENAICÆ. ita vocabantur, quia Tribuni Senatores gerebant latum clavum, id est, tunicam purpuream, quæ erat insigne Senatoriæ dignitatis, *l. 42. nuper. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Tribunos Legionum vocat & Marcellus, *in l. Titius. ff. de milit. testam. Titius*, inquit, *priusquam Tribunus Legionis factus esset testamentum fecit.* Et Ulpianus *in l. 2. in princ. ff. de his qui not. infam. Dimissum*, ait, *accipere debemus tribunum, sive cohortis, sive Legionis.* Papinianus, *in l. præf. ff. de ritu nuptiar. Præfectus*, inquit, *cohortis, vel equitum, aut Tribunus si contra interdictum ejus provinciæ, in qua officium gerebat, duxit uxorem, matrimonium non erit.* Postea is Præfectus est dictus. Notitia enim in Ducibus limitaneis Legionum, & alarum equitum, vel earum partium, & classium præfectos appellat: Tribunos verò cohortium Justinianus & ipse Præfectos legionum vocat, *in l. ult. C. de inoff. testa. d. l. 1. C de off. quæst.* Hi civiles militum causas diffiniebant, & crimina etiam leviter castigabant, flagellisque cædi jubebant. Nam Tribunus D. Paulum flagellari jussit *Act. Apost.* cap. XXII. capitaliter vero non puniebant. Absente tamen Magistro militum, vel generaliter exercitus Præfecto, si Comites primi ordinis erant, in milites animadvertebant. Vegetius lib. II. cap. IX. *Proprius autem*, inquit, *judex* militum *erat Præfectus legionis, habens comitivam primi ordinis dignitatem, qui absente legato, tanquam Vicarius ipsius potestatem maximam retinebat. Tribuni vel Centuriones, cæterique milites ejus præcepta servabant. Vigiliarum seu profectionis tessera ab eo-*

A *dem petebatur. Si miles crimen aliquod admisisset, auctoritate Præfecti Legionis deputabatur à Tribuno ad pœnam. Arma omnium militum, item equi, vestes & annona, ad curam ejus pertinebant. Disciplinæ jus & severitas, exercitio, non solum peditum, sed etiam equitum legionariorum præcepto ejus quotidie curabatur. Ipse autem custos diligens, & sobrius legionem sibi creditam, assiduus operibus, ad omnem devotionem formabat, & industriam, sciens ad Præfecti laudem subjectorum redundare virtutem:* Hæc ille. Quia ergo vices Magistri militum gerebant Tribuni, *Vicarii* appellantur ab Arcadio, *in l. in crim. C. de jurisdict. omn. judic.* Constantino & Constante, *in l. 1. C. de commeatu, lib.*

B *12. & l. ultim. Græca constit. C. de erogat. milit. anno.* Præfecti itaque limitum, quia Comites primi ordinis erant, jus animadvertendi in milites habebant: eo enim titulo supremam in milites potestatem nanciscebantur. Hi sunt qui *Comites rei militaris* appellantur, *in l. 1. C. de comit. rei milit.* vel *Comites militum*, *in l. 1. C. de offic. vicar. l. nemo C. de assessor.* Cæteri verò Tribuni, qui primi ordinis Comites non fuissent, causas quidem civiles militum terminabant, & modicè coercebant, sed in eorum caput jus animadvertendi non habebant. Alia præterea militiæ necessaria curabant, quæ ab Æmilio Macro *in l. offic. §. ultim. de re militar.* referuntur:

C *Officium*, inquit, *Tribunorum est, vel eorum qui exercitui præsunt milites in castris continere, ad exercitationem perducere, claves portarum suscipere, vigilias interdum circuire, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum probare, mensura fraudem coercere, delicta secundum suæ auctoritatis modum castigare, principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere.* Hactenus ille. Quod autem dicit, *principiis interesse*, significat eos qui sunt in legione præcipui. *Principia* enim principales appellantur: Vegetius, lib. II. cap. VII. *Principalium*, inquit, *militum*, & ut proprio verbo utar, *principiorum nomina, ac dignitates secundum*

D *præsentes matriculas indicabo.* Sub quibus fermè viginti quatuor militum gradus comprehendit, nempè Tribunos, Majorem & Minorem ordinarios, qui primos ordines ducunt, Augustales, & Flaviales his adjunctos, Aquiliferos, Imaginiferos, qui imaginem Imperatoris portant, Optiones, Prædictorum adjutores, Signiferos, & alios quos sub Principiis comprehendit. Ita & Principia Anastasius intelligit, *in l. jubemus, 2. C. de erogat. milit. annon.*

Et quia de Signiferis incidit sermo, non abs re fuerit monere, eos torque ornatos solitos fuisse incidere. Marcellinus lib. XX. cap. IV. *Maurus*, in-

E quit, *nomine quidam, postea Comes, Petulantium tunc Hastatus, abstractum sibi torquem, quo ut Draconarius utebatur, capiti Juliani imposuit.* Hi etiam à muneribus militiæ erant immunes. Tribuni auctoritatem dimittendi ad tempus milites habebant, *l. nemo, C. de re milit.* præterquam expeditionis tempore imminente, *l. 1. de commeatu.* tunc enim capitis periculum subibant, si militem abire permisissent. Sed nec nisi triginta militibus commeatum dare poterant, quibus interim stipendium debebatur, *l. jubemus, 2. C. de erog. milit. anno.*

Tribuni majores legionum præfecti vocabantur, ad minorum qui cohorti legionis, id est, pe-

F ditibus D. præerant differentiam, & per gradus promovebantur. Hi à scrinio epistolarum codicillos magistratus accipiebant. Vegetius dict. lib. II. cap. VII. *Tribunus Major*, inquit, *per epistolam sacram Imperatoris judicio destinatur. Minor Tribunus provenit ex labore. Tribunus autem vocatur à Tribu*, tribuendoque jure: *præest enim militibus,*

bus, quos ex Tribu primus Romulus legit. Hæc ille. Itaque Tribuni majoris nomen, in Principis commentario, seu scrinio epistolarum scribebatur, & conservabatur. Vlpianus, *l. abesse. ff. ex quibus causis major. Abesse*, inquit, *Reipublicæ causa intelligimus, & Tribunos militum, & Præfectos, qui ad ærarium, aut in Commentarium Principis delati sunt.* Tribuni verò minores gradum non à Principe, sed ex labore & ordine proximis succedendo acquirebant. Nam ut Vegetius libro II. cap. XXI. scribit: *In orbem quendam per diversas cohortes promoventur milites, ita ut ex prima cohorte, ad gradum quempiam promotus, vadat ad decimam cohortem: & rursus ab ea, crescentibus stipendiis, cum majore gradu per alias recurrit ad primam*: atque hoc modo per labores pervenitur ad hunc Tribunatum. Decem itaque in qualibet legione erant minores Tribuni, quot erant cohortes: *Prima Milliariæ*, inquit Vegetius lib. II. cap. XII. *Tribunus præerat, armorum scientia, virtute corporis, morum honestate præcipuus. Reliquæ cohortes, prout Principi placuisset, à Tribunis vel Præpositis regebantur. Præcipua verò eorum cura erat, ut sibi creditos milites exercerent, & sub oculis suis juberent quotidie meditari. Sed & ipsi armorum arte perfecti, cæteros ad imitationem, proprio cohortarentur exemplo. Tribuni autem sollicitudo per hanc laudatur industriam: cùm miles veste nitidus, armis bene munitus ac fulgens, exercitii usu, ac disciplina eruditus incedit.* Hæc ille. Præerant autem plurimum D. militibus, ex quot cohors constabat, itaque Zosimus libro III. mille quingentos exploratores, tres Tribunos habuisse scribit. Sed Theodosius Magnus, inquit Zosimus libro IV. cap. XXVII. *Præfectos alarum, turmarumque duces & legionum Tribunos ita adauxit; ut duplo plures quam prius essent, post se reliquerit.* Eo verò defuncto præfectura: mille & quandoque D. militum fuere, ut auctor est Constantinus Porphyrogenneta *de themat. Agmen*, inquit, *militum dividebatur in præfecturas, quarum aliæ mille, aliæ D. capitibus constabant:* & de Arcadii tempore loqui videtur. Quantum Tribunis legionum olim solveretur, Valeriani epistola apud Vopiscum in *Probo* declarat: *Miraris*, inquit, *quòd imberbem Tribunum fecerim contra constitutum D. Hadriani; sed non multum miraberis, si Probum cogitas adolescentem verè probum, huic igitur dari jubebis*,

Tunicas russulas II.
Pallia Ganica fibulata II.
Interulas paragaudas II.
Patinam argenteam librarum X. *specillatam.*
Aureos Antonianos C.
Argenteos Aurelianos M.
Æreos Philippeos decem millia.
Carnis bubulæ diurnæ pondo I.
Porcinæ pondo VI.
Caprinæ pondo X.
Gallinaceum per biduum.
Olei per biduum sextarium I.
Vini veteris sextarios diurnos X.
Laridi bubalini, salis, holerum,
Lignorum quantum satis est.
Hospitia præterea eidem ut
Tribunis legionum præberi ei
Jubebis. Hæc ille.

Horum exemplo decem Notarii, qui sub Primicerio Laterculum majus tractabant, Tribuni sunt vocati, *l. pen. C. de metal. lib.* 12. aliis enim sub se scriniariis quemadmodum cohortium præfecti præerant; unde hæc *literata militia* vocatur, quia armatam imitatur, *l. 2. Cod. de primi.* Hæc de legionum Præfectis. Cùm verò infra scriptorum numerorum peditum obscura symbola Notitia repræsentet, ut faciliora appareant, aliqua de his generaliter præmisi, cætera suo loco infra opportunius exponentur.

CAP. XXXVIII.

DE NUMERORUM MILITUM *symbolis, & eorum coloribus.*

LEGIONIBUS cohortibusque peditum, & auxiliis à Principibus Romanis sua quibusque data sunt symbola, ut prælio turbatis aciebus, se invicem agnoscentes, facilius unirentur universaque legio, aut cohors, eodem symbolo, & ab aliis numeris diverso clypeum pingebat. In his primò veteres præclara à se, vel parentibus gesta repræsentarunt, quod Virgilius in nono *Æneid.* significat:

—— Parmaque inglorius alba.

Et in septimo:

—— Clypeoque insigne paternum,
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram.

Hinc descendit familiarum insignia in scutis depingendi usus. Postremò Romani Principes quædam militibus symbola hic repræsentata tradiderunt. Vegetius libro II. cap. XVIII. *Sed ne milites*, inquit, *aliunde in prælii tumultu à suis contubernalibus aberrarent, diversis cohortibus, diversa in scutis signa pingebant, quæ ipsi nominant δείγματα, sicut etiam nunc moris est fieri. Præterea in adverso scuto uniuscujusque militis erat literis nomen adscriptum, addito, & ex qua esset cohorte, & ex qua centuria.* Hæc ille. Claudianus in *bello Gild.*

—— Nomenque probantes
Invicti, clypeoque animosi teste Leones.

In Notitia tota legio clypeum eodem modo pictum habebat. Aliæ quoque extra legiones cohortes, & peditum Auxilia idem observarunt, & forte etiam in vexillis depinxerunt. *Fabricenses*, qui clypeos & scuta fabricabant, hæc pingebant quæ in insignibus Magistri officiorum fabricas referentibus, cum suis symbolis spectabantur. Itaque hæc à Principe, non ex se milites accipiebant, quæ magna conservata diligentia, ex Laterculis emittebantur, *§. ultim. Novell.* 24. 25. *& §. penult. Nov.* 26. & latentem sensum continebant. Id enim apud veteres non modò Ægyptios, sed omnes alios populos & Principes observatum fuisse videmus, ut animali, fructu, vase, aliove signo depicto, occultum aliquid significarent. Sic Byzantii uvæ racemum nummis imprimebant, Ilienses suem, Thebani testudinem, Chii & Africani spicam, his se abundare indicantes. Augustus gubernaculum pilam sustinens, aut capricornum cudebat, cujus beneficio orbis Roman. administrationem sibi creditam esse insinuabat: aliaque hujusmodi sexcenta extant exempla, ex quibus mystica esse symbola, potest intelligi. Notitia verò ea diligenter exprimens, firma ac perpetua Numerorum symbola fuisse significat, quæ nec mutari, nec in alia transferri poterant. Unde temerè aut sine ratione, excogitata dici non possunt, tanquam enim taciti ænigmata instar Ægyptiorum hieroglyphicorum, mysticum sensum occultant, multisque emblemata, confingendi argumentum possunt suggerere. Hæc mihi tenuis ingenii homini interpretari difficile est, pro viribus tamen eorum sensus osten-

ostendere tentabo, aut saltem aliis aptiora dicendi viam aperiam. In primis igitur generaliter quibusdam præmissis velut prima quædam delineamenta ducam, ex quibus plurium, quæ sæpè occurrunt, facies & sensus cognosci poterit, postmodum singula, & Numerorum propria suo loco interpretabor.

Præcipua Principum in his symbolis intentio est, ut Romani Imperii perpetuitatem, ac firmum adversus hostes robur, arctamque Orientalis, atque Occidentalis Imperatorum concordiam, eorumque in Orbem providentiam insinuent, quæ multis formis ac typis repræsentant, veluti cippis seu columellis quæ globum præfixum tenent, sæpè cum circulis & animalibus, hisque interdum dimidiatis, orbem regentibus, sed quia pila omnium symbolorum est frequentissima, ab ea exordiemur: Hæc orbem Romani Imperii significabat, quod ab Augusto inventum fuisse Isidorus lib. XVIII. *Etymolog.* cap. III. scribit: *Ut nationes*, inquit, *sibi in toto Orbe subjectas figura orbis ostenderet*. Globus plerunque, uno aut altero circulo includitur, qui duo unius Orbis Romani connexa Imperia declarant. Idem insinuant sub Magistro militum per Illyricum, Ascarii seniores duos purpureos hemicyclos conjunctos pro insigni gestantes, qui haud dubiè duo dimidia, sed ea conjuncta demonstrant Imperia. Vallo acutisque cuspidibus, Rom. Orbis septus, undique ab hoste tutus esse indicatur: Plerunque cippo, seu columellæ præfixus, firmus, inconcussusque ostenditur. Stipes enim firmum solidumque insinuat. Divisus aut decussatus, inter duos quidem Principes scissum videri Imperium, sed concordibus animis administratum, unum esse denotatur. Idem inter duo gubernacula positus, aut duobus funibus constrictus portendit. Dimidiati serpentes, aut in cippo juncti, globum includentes. Duo dimidiati equi, gemini accipitres feles, aut cornua orbiculum circumdantia, & similia, eundem sensum occultant. Duæ stellæ Orbi imminentes, duorum Principum genios indicant. Huc pertinent & dimidiatæ lunæ, quæ ad complendum orbem tendunt, & hujusmodi multa alia, quæ suo loco explicabuntur. Circoli verò clypeorum, marginem complexi, & ipsi perpetuitatem, unitatemque Imperii denotant. Iidem duplicati, arctam duorum Principum connexitatem, Triplicati arctissimam, ob ternarium numerum, conjunctionem insinuant. Vultus cippis præfixi, eorundem in orbem providentiam, quemadmodum interpretatum invenitur in armariis in medio Notitiæ, inter utrumque Imperium depictis. Animantia verò ferè ubique Principes Romanos repræsentant, sicut & apud Danielem Prophetam. Sed ne præcoce diligentia, quæ suis locis erunt dicenda, prævertere videar, hæc frequentiora adumbrasse, & rudius delineasse sufficiet, ut aliquo prævio lumine sequentia clarius illustrentur. Nunc de coloribus quibus depinguntur aliqua sunt proponenda: nam etsi ad distinguenda inter se symbola abhibiti possunt videri, id tamen non semper nec temerè, sed propriè ad aliquid significandum appositi fuisse apparebunt.

Appelles, aliique insignes pictores, ut auctor est Plinius lib. XXXV. cap. VII. antiquis quatuor tantum coloribus, albo, silaceo, rubro, & nigro, nobilissima quæque opera pinxerunt, posteà inventa purpura, cinnabaro, aliisque coloribus, ars latius evagari cœpit. In hoc opere militum scuta, decem coloribus depicta reperiuntur, qui sunt aureus, argenteus seu albus, luteus, puniceus, viridis, cœruleus, niger, purpureus, rubeus, ferrugineus: In his aurum & argentum, inter metalla potius, quàm colores numerantur.

AUREUS fœlix sæculum, aureumque repræsentat. Virgilius *Ecloga* IV.

— Toto surget gens aurea mundo.

Et in VI. *Æneid.*

— Aurea condet
Secula.

Aurum Soli assimilatur, & gemmis Topatio & Chrysolito. Ex signis Leoni, & Julio mensi respondet, roburque & adolescentiam denotat.

ALBUS seu argenteus, animi candorem puritatemque, vel ut alii, fidem insinuat. Virgilius enim ait, *cana fides*. Ex planetis Lunam, ex signis Cancrum, ex lapillis margaritam, berillumque, ex elementis aquam flegma, infantiamque refert.

LUTEUS lætum sæculum significat: est enim color velut croceus, qui in rosarum medio micat. de quo Plinius. Hic color oculorum aciem lædit ut & croceus: unde peritiores Architecti, inquit Isidorus lib. VI. *Orig.* neque aurea lacunaria ponenda in bibliothecis putant, neque pavimenta alio, quam Carystio marmore, quod auri fulgor hebetet, & Carysti viriditas reficiat oculos.

PUNICEUS honorem indicat, & victoriam, quod & Virgilius in V. *Æneid.* innuit:

Jamque adeò donati omnes, opibusque superbi
Ibant puniceis evincti tempora tæniis. ubi Servius.

VIRIDIS qui ex fulvi nigrique temperie nascitur, Plato in *Timæo*, spem, vel, ut alii volunt, robur & vigorem portendit. Virgilius in VI. *Æneid.*

— Sed cruda Deo, viridisque senectus.

Quod tractum est ab herbis, quæ dum virent, vigent. Planetam Mercurium, signa Geminos, & Virginem refert, ac ver, juventutemque & smaragdum, qui plus cæteris oculorum aciem recreat, & argentum vivum, ex quo hic color producitur.

COERULEUS ex splendido, albo, nigroque creatus, Plato in *Timæo*, justitiæ, & claritatis, famæque est symbolum, planetæ Veneris respondet, & signis cœlestibus Tauro & Libræ, & elemento Aëris, item sanguini, pueritiæ, æstati, & æri, ac sapphiro, qui post smaragdum mirificè aciem oculorum recreat, & clarificat, eumque gerentem castum, fortem, mitemque efficit: & ad obtinendam ab aliquo gratiam efficax est.

NIGER est prudentiæ firmitatisque signum, quod is color in alios amplius non vertatur: planetæ Saturno respondet, signis cœlestibus, Arieti & Aquario, & Geminis, item Adamanti, Agathæ & Chelidoniæ, Elemento terræ, hyemi, melancholiæ, ætatique decrepitæ, & plumbo, ex quo fit color niger.

PURPUREUS ex rubro, albo, nigroque commixtis generatus, Plato in *Timæo*, vim Imperii ob purpuram, quæ Principis est propria, significat: Refert hic color Jovis planetam, Sagittarium, & Pisces, stannum, gemmam, opalum, irim florem, senectutem, & fulgur.

FERRUGINEUS roboris duritiem portendit.

RUBEUS magnanimitatem, & Marti, Arieti, & Scorpio, carbunculo & coralio, igni, autumno, bili, ætati virili, rubentibus rosis, & ferro respondet. In symbolis amoris ardorem plerumque indicat, aliquando sanguinem, ut in Cruce rubea, Christi sanguine tincta.

Gene-

Generaliter obſervandum eſt, animantia quæ ferè omnia Principes referunt, cum ſuis coloribus non repræſentantur, vel purpureo, vel aureo, luteove, vel candido depingi: priora regium Principis habitum indicant, ultimus animi candorem. Ubi alio colore exprimuntur, quod raro evenit, aliud inſinuant. Eodem modo inanimata Imperium referentia, veluti duo funes Orbem conſtringentes, trabes eum munientes, aut peltæ tuentes, purpureo colore tinguntur. idem in aliis ſimilibus plerumque accidit. Clypei, orbes, & circuli, coloribus pro arbitrio variis pinguntur, & fortè ut alii ab aliis differant: quandoque tamen non ſine ratione ponuntur circuli & orbes rubei ſæpe connexi, ob purpureum colorem Principis proprium, utrumque Imperium perpetuò conjungi ſignificant: Virides, illud ſemper vigere: Albi, ſingulari animorum candore gubernari: Nigri, ſtabile ac firmum fore inſinuant. Cæteri colores ſuam ſignificationem retinent.

Hinc armorum, ſeu familiarum inſignium colores, & ex metallis aureus, argenteuſque emanarunt. Neque enim vera inſignia pluribus depinguntur. Hinc etiam prodiit, ut in ſcutis cœruleis, aut albis luteiſve, prout Romani milites habebant, hodie ſerpens, aquila, equus, vel aliud animal ſignumve depingatur, fortè etiam aliqui ex his militibus deſcendunt, qui adhuc iiſdem inſignibus, & nominibus utuntur. Nunc legiones VI. Palatinas Magiſtri militum Præſentalis cum earum inſignibus, pro exigui ingenii mei viribus exponam: deinde XVIII. ejus auxilia item Palatina explicabo.

CAP. XXXIX.

DE VI. LEGIONIBVS PALATINIS *Magiſtri militum præſentalis.*

LANCEARII, ſeniores primi ſub Magiſtro militum Præſentali in *luteo Clypeo*, *luteum item globum*, *luteo circulo incluſum tenent*: quod orbem Romanum uno Imperio contineri ſignificat. Idem ubique color ejuſdem Imperii unitatem denotat. Manuſcripti *duos globos circulo cinctos tenent*, *& coloribus variant. Circulum* X. *purpurei ſtipites circumfixi firmant*, quod tutum eſſe à vi hoſtium Rom. orbem indicat. *Purpureus color in trabibus* ad Imperium, & ejus robur refertur. *Marginem duplex circulus cingit*, *quorum interior* XXIV. *circum*, *denſas teſſerulas ordine diſpoſitas continet*, quæ plumbatas ſeu Martiobarbulos referre poſſunt, quibus hæc legio pugnabat, & de his in Jovianis ſubſequentibus, & Scythis ſub altero Magiſtro in præſenti diſſeram.

In manuſcriptis plumbatæ deſunt: Duorum quoque circulorum connexitas, utriuſque Principis, arctam, æternamque conjunctionem indicat. Simile emblema gerunt Lancearii juniores, & Solenſes Gallicani. *Lancearii* dicti ſunt, quia ſariſſis, id eſt, haſtis more Macedonum longis, iiſque levioribus utebantur: De quibus Marcellinus libro XXXI. cap. XIII. loquens de Valente cum Gothis pugnante: *Ad lancearios*, inquit, *confugit & Mattiarios.* Erant in legione Lancearii circiter MDCCC. quos peltatos, vel haſtatos vocatos fuiſſe diximus, ut ait Suidas. Appianus in II. *de bello civili*: *Numidas*, ait, *equites, ad viginti millia*, *Lancearios quoque multos*, *elephantes ſexaginta alios etiam habebat.* Item Marcellinus lib. XXI. *Iter ſuum*, inquit, *Lanceariis*, *& Mattiariis*, *& catervis expeditorum præcepit.* Alii ſunt Lancearii juniores in Thraciis.

JOVIANI juniores poſt ſeniores qui degebant in Illyrico Occidentali, lecti à Diocletiano, qui ſe Jovem cognominabat, ſunt appellati. Sozomenus enim lib. VI. cap. VI. ſcribit, Jovianos, & Herculianos, duas fuiſſe cohortes, ex primariis militibus conſtitutas, à Jove, & Hercule nominatas, quæ Imperatorem proximè à tergo, præſidii cauſa ſequebantur. Idem & Nicephorus lib. XI. cap. I. *Vetus*, inquit, *conſuetudo erat*, *ut qui Joviane*, *atque Herculiane*, *ita ab Jove*, *& Hercule dictis Legionibus præeſſent*, *Principem à tergo ſequerentur.* Zoſimus & ipſe, lib. III. cap. XXX. de Jovianis & Herculianis hæc ſcribit: *Sunt*, inquit, *à Diocletiano & Maximiano profectæ legionum appellationes*, *habentium cognomina Principum illorum*, *quorum alter Jovis*, *alter Herculis cognomentum uſurpavit.* His ſub Juliano Apoſtata præfuit Valentinianus, qui poſtea imperavit. Vegetius lib. I. cap. XVII. quoque ſcribit, hos cunctis prælatos Martiobarbuloſque vocatos, quòd plumbatis dictis Martiobarbulis telis ſcitè uterentur: *Plumbatarum quoque*, inquit, *exercitatio*, *quos Martiobarbulos vocant*, *eſt tradenda junioribus*: *Nam in Illyrico dudum duæ Legiones fuerunt*, *quæ ſena millia militum habuerunt*, *quæ quod his telis ſcienter uterentur*, *& fortiter*, *Martiobarbuli vocabantur. Per hos longo tempore ſtrenuiſſimè conſtat omnia bella confecta*, *uſque adeò*, *ut Diocletianus & Maximianus*, *cùm ad Imperium perveniſſent*, *pro merito virtutis hos Martiobarbulos*, *Joviarios*, *atque Herculianos cenſuerit appellandos*, *eoſque cunctis legionibus prætuliſſe dicuntur. Quinos autem Martiobarbulos ſcutis inſertos portare conſueverunt*; *quos ſi opportunè milites jacerent*, *prope ſagittariorum ſcutati mutuari videntur officium. Nam hoſtes*, *equoſque conſauciant*, *prinſquam non modò manu ad manum*, *ſed ad ictum miſſilium potuerit perveniri.* Hæc ille: apud quem pro *Joviarios*, legendum *Jovianos*, quod nomen fuit uni legioni ex duabus, quæ in hoc genere pugnæ ſtrenuè ſe geſſerunt.

Horum inſigne erat *Aquila apotheoſis redimiculo ſupra caput impoſito. Ales ipſa nativi coloris*, alii dicunt *aurei*, Alciatus *flavi*, libro V. *parerg.* cap. XIII. In *parma lutea*, *quæ rubro primum circulo claudebatur*: Inde alter *ſapphirei coloris totam marginem complectebatur*, *è pectore autem aquilæ aureus extabat umbilicus*: Hæc Pierius, ex Maffæorum codice, qui parum ab impreſſo differt. Aquila Principem, qui orbem tuetur, denotat, ob id auro exornatur. Duo circuli duplicis Imperii conjunctionem, perpetuitatemque demonſtrant. colorum ſignificationes expoſuimus, quos aliquando pro arbitrio, & ad ſymbola diſtinguenda poſitos fuiſſe non inficior, ſæpe tamen appoſitè adhibiti, aliquid inſinuant. Aurum in umbilico, aureum ejus temporis ſeculum in orbe demonſtrat. Jovianorum ſeniorum legio, & ipſa palatina erat in Occidentis Imperio, cujus Marcellinus meminit.

HERCULIANI juniores à Maximiano vocati, qui ſe Herculem ab ejus cultu nominabat. Sext. Aurelius Victor loquens de Maximiano: *Huic*, inquit, *poſtea cultu numinis Herculei cognomentum acceſſit*, *uti Valerio Jovii. Unde etiam*, *militaribus auxiliis longè in exercitu præſtantibus nomen impoſitum.* Hæc Victor de Cæſaribus. *Herculiani luteam Aquilam*, *luteo item trunco inſidentem geſtabant in parma lutei ſapphirei*, *cujus marginem eodem colore*, *ſed admodum dilutiore*, *circulus ambibat*: ita Pierius in *Hieroglyph.* Truncus firmitatem

tatem Aquilæ, id est, Imperii significat. In aliis Codicibus parma rubet, in aliis intercurrentibus lineis viret. In meo impresso, Aquila luteo baculo pedibus nititur. Joviani, & Herculiani sub magistro peditum in Occidente, eadem gestant Aquilæ insignia. Hi in Illyrico Occidentali prius residebant, quorum sæpe Marcellinus meminit.

FORTENSES, à Fortia oppido Sarmatiæ Asiaticæ denominati, aliàs FRETENSES sunt dicti. Quidam Comagenos Eufratenses esse putant: & primâ dempta syllaba Fratenses, seu Fretenses appellatos. Sed Marcellinus Fortenses vocat libro XVIII. sub fin. *Tricesimani*, inquit, *Decimanique Fortenses*.

Fortensis etiam, est limes Mauritaniæ, ab his fortè denominatus. In *cærules clypei umbone, rubrum globum vinculo luteo cinctum gestabant, qui octo acutos mucrones cæruleos emittit*. In codice impresso, subtus, *plures aquæ glomerantur in orbem. Marginem luteus & viridis circuli cingunt*. Hostes in Romanum orbem duplici, unicoque Imperio munitum irruentes confodiendos esse indicat, idque terra ac mari eventurum. Duo conjuncti circuli, ferè ubique, duplicis Imperii perpetuam connexitatem ostendunt. Alciatus mucrones rotam interpretatur, lib. V. *parerg.* cap. XIII. quod symbolo impressi exemplaris, & aliorum, quæ vidi, non convenit.

NERVII, prope Scythas sunt. Marcellinus lib. XXXI. cap. II. eos ad Tanaim locat. *Inter hos*, inquit, *Nervii Mediterranea incolunt loca, vicini verticibus celsis, quos præruptos, geluque torpentes Aquilones adstringunt*.

Sed hic Galliæ Belgicæ populos Nervios intelligi arbitror, ex quibus delecta est hæc legio. *Depictum* ferè, ut Fortenses, *habent clypeum, exceptis quibusdam coloribus*, qui alterutros distinguunt. Hi enim *parvum luteum umbilicum, rubro latoque circulo inclusum, quem alius luteus cingit, in cærulea parma*, vel, ut apud alios, *viridi gestant. Marginem luteus circulus ambit*. In impresso, sub mucronibus mare videtur. Portendunt duo circuli duo in unum orbem Romanum Imperia, quæ in terras, & mare extenduntur. Luteus color in exteriore circulo, luteo umbilico respondet. Duplex circulus luteus & viridis, qui clypeum ambiunt, duplicis Imperii connexitatis sunt typus.

MARTIARII juniores, vel potius Mattiarii sequuntur, quorum etiam infra inter auxiliares fit mentio. Zosimus lib. III. Mattiarios cohortem sub Juliano Apostata fuisse scribit. Erant ex Mattio oppido, Metropoli Cattorum, ubi hodie est Marpurgum, olim Hassia, paucis literis mutatis, antiquum servans nomen. Tacitus *Annal.* lib. I. *Cattis*, inquit, *improvisus advenit Cæsar* . . . . . *incenso Mattio (id genti caput est) apertè populatus vertit ad Rhenum*. Ita etiam Marcellinus lib. XXXI. cap. XIII. appellat, loquens de Valente: *Ad lancearios*, inquit, *confugit & Mattiarios*. Si legamus *Martiarios*, à Martia legione, de qua supra dixi, derivabuntur. Sed teneo legendum MATTIARII.

In horum *luteo clypeo rubrum pedamentum orbem cæruleum & decussatum, rubroque circulo cinctum sustinet, in cujus summo, duæ dimidiæ, luteæque lunæ cornibus sursum versis, crucem amplectuntur, duo utrinque ad dexteram, & sinistram erecti canes terga orbi vertunt, inversisque capitibus se invicem respiciunt*. Hi referunt duos Principes Imperium orbis tuentes, & se respiciendo mutuum sibi auxilium promittentes. Orbis Cruce divisus, & rubro circulo circumductus, terrarum, marisque imperium insinuat, quod etsi divisum, unum tamen est & unitum, quod globum ambiens circulus rubeus innuit. Dimidiæ Lunæ, & ipsæ symbolum sunt duplicis Imperii, quod etsi dimidium videtur, integrum tamen est permansurum, quemadmodum luna primò visa deficere in orbem completur. Crux superior, id Christi ope futurum pollicetur: Romani verò Imperii stabilitatem columna significat. Aliàs luna cruci juncta, Ecclesiæ Christi sponsæ est typus. Simile emblema gerunt Martii seniores. Sequuntur XVIII. auxilia Palatina.

CAP. XL.

DE XVIII. AUXILIIS PALATINIS.

INTER legiones & auxilia, olim hoc interfuisse Veget. lib. II. cap. II. scribit, quod legiones ex Romanis ipsis scriberentur, Auxilia verò à sociis, & fœderatis gentibus mittebantur, legionibusque tanquam leves armaturæ adjungebantur. Sed rebus in Principem translatis, etiam extraneis ex gentibus Legiones fieri cœperunt, aliquando *adjutrices* nuncupatæ tanquam ex auxiliis completæ. *Quid autem*, inquit Vegetius dicto loco, *inter legiones & auxilia videatur interesse, expediam. Auxiliares conducuntur ad prælium ex diversis locis, ex diversis moribus venientes: nec disciplina inter se, nec notitia, nec affectione consentiunt*. Suidas in verb. ψιλὸς, vult, auxilia esse expeditos milites, qui nudi & inermes in prima acie collocabantur, primique cædebantur. Erat enim gregaria & ignobilis manus. Legiones verò ex decem cohortibus constabant, quæ in centurias divisæ, singulæ sua cum suis centurionibus habebant vexilla. cohortes enim singulæ Dracones, vel aliud animal cum suis Tribunis præferebant. Universa vero legio Aquilam, quæ à Præfecto, vel Comite regebatur. At Auxiliorum una erat multitudo, quæ soli Tribuno parebat, putà mille, vel plures. Alias inter hos differentias Plinius libr. XXXIII. cap. II. tradit: *Sunt adhuc*, inquit, *aliquæ in auro non omittendæ differentiæ. Auxiliares quippe & externos torquibus aureis donavere, at cives non nisi argenteis; præterquam quod armillas civibus dedêre, quas non habent externi. Iidem, quod magis miremur, coronas ex auro dedere civibus*. Cicero cum Ciliciæ præesset, de Auxiliis *ad Atticum* lib. VI. epist. V. ita scribit: *Exercitum infirmum habebam; Auxilia sane bona, sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum. Hæc enim sunt nostra robora*. Probus Imperator, sexdecim millia Tyronum Germanorum, per diversas provincias sparsit, ita ut Numeris vel Limitaneis, sexagenos, aut quinquagenos intersereret, quæ *Auxilia Barbara* esse appellata, Vopiscus refert. Auxilia videntur à Justiniano *l. ult. C. loc. & in Nov.* 116. nominari optiones, à quo jubentur fœderati in privatorum prædiis degentes, ad suas redire optiones, id est, ordines seu auxilia. Ab optionibusque militibus denominata videntur, quos tribuni sibi adjutores & Vicarios eligebant, ut Vegetius lib. II. cap. VII. & Festus tradunt. Horum Præfectus quandoque Tribunus, quandoque Phylarcha appellatur, ut *Novel.* 103. Procopius lib. I. *de bello Persico*: *Nullus autem*, inquit, *Romanorum militum Perfectus, quos Duces vocant, nullusque Saracenis, qui Romanis fœderati sunt, Præpositus, qui Phylarchi vocantur*. Quot milites singula continerent Auxilia non constat: Vopiscus quandoque quinquagenis, aut sexagenis, quos Probus Numeris Limitaneis inserebat, Auxilia constasse scribit. Sub Magistro in præsenti hæc merebant Auxilia.

BATAVI seniores, ex Batavia, quam nunc Hollandiam vocant, acciti, equites Batavos præstantissimos inde sumpsisse Augustum Dion scribit. sed

hos


NOTITIA
Pag. 1444.
Insignia Viri Illustris Magistri Militum in Præsenti.
Daci.
Schythæ.
LEGIONES
PALATINA
VI.
Primani.
Lanceary Seniores
Undecimani.
AVXILIA PALATINA XXVII.



hæ fuere VIII. Cohortes, aut Auxilia legionis XIV. quæ discordia Ducum à legione digressa, contra Vitellianos infœliciter pugnarunt. Posteà missa in Britanniam in itinere Augustæ Taurinorum, ob odium antiquum rixati sunt. Legio in Britanniam est missa, Batavos agmini suo Vitellius junxit, mox in Germaniam ire jussit, Tacit. *Ann.* lib. XVI. Velitaria auxilia Herulos, & Batavos Marcellinus lib. XX. paulò post principium vocat.

In *parma cærulea, globum rubrum gerunt, pedamento ejusdem coloris conjunctum, quem cæruleus limbus densis orbiculis circumdatus complectitur. In umbone luteus globulus, acutam cuspidem* emittit, ut manuscripti clarius ostendunt. *Supra duplex dimidia, & lutea Luna, cornibus sursum versis crucem lutei coloris amplectitur*: Orientis Occidentisque Imperium crucis ope, instar Lunæ in plenum orbem qui dimidius videtur, compleri insinuat: ex medio globi exiens cuspis telum Principis Rom. refert, quo tantam hostibus cladem minatur, ut orbem sanguis sit inundaturus, quos fortè rubeus color, quo tingitur, portendit: Cœruleum limbum orbiculi stipantes, sunt milites undique orbem Rom. adversus Barbaros defendentes: vel fortè plumbatæ, quibus hæc auxilia hostes erant feritura, de his supra in Lancearis, & infra in Scythis sub altero magistro Præsentali dicetur. In Madruciano videtur agger globum sepiens. Ursini codex pro dimidiis Lunis, dimidios orbes luteos habet alterum alteri inclusum. Typus est duplicis, sed conjuncti & in unum coëuntis Imperii. De dimidia luna in præcedenti dictum fuit.

BRACCATI juniores. Notissimum est, olim Galliam Narbonensem Braccatam vocatam, ut auctor est Plinius lib. III. cap. IV. quod braccis uteretur, unde *Braccata* hæc auxilia videntur denominata. Braccas inter militares vestes Lampridius in *Alex.* recenset: *Donavit*, inquit, *& ocreas & braccas & calceamenta, inter militaria vestimenta*. Sed & paulo infra scribit, ipsum Alexandrum fasciis semper usum fuisse, & braccis albis, non coccineis, ut prius solebant. Pomponius Mela Sarmatas totum corpus braccatos esse memorat. Milites Braccati, ut fluxæ fidei & mercede versabiles à Marcellino lib. XV. cap. V. notantur: *Braccati*, inquit, *sollicitantur, atque Cornuti, fluxioris fides, & ubertate mercedis ad momentum omne versabiles.*

Clypeum *cæruleum* gestant, *in quo duplex rubra, & lutea columella, globum luteum in summo, manu tetentum sustinet; utrinque duo purpurei corvi, ad crucem supra globo infixam, & nigris lineis decussatam clamare videntur*, qualem Constantino ostensam fuisse ferunt: *cæruleus circulus clypei marginem circumdat.* Hi duo sunt Principes, qui à Christo pro Romano orbe opem implorant. Crucem autem litera X. intersecans, Christum in ea passum significat: cujus nominis Græcè scripti, prima est litera X. Plerumque autem superiorem ejus crucis partem in literam P. flectebant, ut apertius Χριστὸ exprimerent, ita ut X. P. & ✠ conecterentur. Purpureæ cornices, duos Principes denotant ob purpuram, & sunt concordiæ symbolum. Duo enim ova cornix parit, unde mas, & fœmina excluduntur, quorum alter si moriatur, superstes semper cœlibem vitam agit: quare hæc avis typus est concordiæ in Faustinæ nummis, in quibus huic aliti inscriptum est, CONCORDIA.

Manus autem orbem retinens, firmitatem Imperii Romani portendit. At Pierius lib. LVI. cap. V. loquens de spica, diversum hoc insigne ponit: *Gestamen*, ait, *cæruleo colore, subobscuro depictum fuisse, circulo nigro juxta marginem circumducto, in cujus summa parte stella adpicta est, octo radiis prædita: in medio orbiculus est, cum umbilico, uterque coloris aurei: ab eo orbiculo usque ad circulum, qui juxta marginem est, columella submissa coloris rubri: à lateribus columellæ, spicæ duæ utrinque surgunt singulæ, quas aviculæ totidem, volatu suspensæ impetunt.* Quæ affluentiam annonæ significant. At in manuscripto Ursini, in summo, est *crux purpurea, orbem purpureum in medio continens*, quem tueri videtur: ipsa verò, & orbis propter Christi sanguinem, ob mundum effusum rubent: corvi purpurei, id est, Principes, utrinque ad crucem clamant, quod symbolum mihi maximè placet. In Madruciano, ex globo acuta cuspis, ut in præcedente symbolo exit, & pedamentum eum sustinens, aggere utrinque munitum videtur. Alciatus verò pro globo *glandem* exponit libr. V. *Parerg.* cap. XIII. quod ab omnibus his symbolis longè distat.

SALII sunt Germaniæ populi, ubi nunc est Franconia, à Sala flumine nuncupati, ex quibus hæc Auxilia sunt contracta. Marcellinus lib. XVII. cap. VIII. de Constantio loquens: *Petit*, inquit, *primos omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios appellavit.* Zosimus lib. III. cap. VI. *Saliorum*, ait, *nationem à Francis profectam, & vi Saxonum suis sedibus expulsam, in Bataviam venisse, quæ insula cum prius Romanis in universum pareret, à Saliis est possessa.* Sed inde ejecti, postmodum Romanis sunt adjuncti: Julianus enim Apostata eos legionibus Romanis adscripsit. Alii auxiliares sunt facti. Sunt & Salii Ligurum populi, testante Plinio.

In horum *parma cærulea, orbem luteum circulo rubro circundatum, luteus cippus sustinet, marginem clypei rubeus limbus claudit*, unum esse orbis Romani Imperium denotat. Rubeum enim vinculum, globum cingens, purpuramque referens, imperium insinuat. Idem exterior rubeus circulus portendit. In manuscripto Ursini, duo dimidii equi lutei hinc inde globum sostinent, qui referunt duos dimidiati imperii Principes orbem regentes. Equum verò esse bellicæ virtutis typum notum est. Virgilius in I. *Æneid.*

Monstrarat caput acris equi: sic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per secula gentem.

Et lib. III.

Bello armantur equi.

Hi milites & in Occidente reperiuntur, cum symbolo huic simili.

CONSTANTIANI à Constantio Magni Constantini filio denominati. Marcellinus lib. XXI. cap. XI. *Constantiacos* vocat Legionarios ab eodem inventos: *Duas*, inquit, *Constantiacas legiones, addita una sagittariorum cohorte, quas invenerat apud Sirmium, ut suspecta adhuc fides per speciem necessitatum urgentium misit in Gallias.*

In *parma album globum gestans, supra quem cæruleus globulus fascia rubra clauditur.* Is est regii diadematis typus, Orientemque, & Occidentem uno Rom. cingi imperio portendit. In manuscriptis octoni aut noveni parvi orbiculi à quatuor mundi regionibus in unum glomerati exercitus referunt, à quatuor partibus orbem Romanum adversus Barbaros tuentes, vel potius plumbeæ glandes, quibus hoc auxilium pugnabat, insinuantur.

MATTIACI seniores ex Mattio Metropoli Cattorum veniebant, ubi nunc est Marpurgum Hassiæ, ut supra dixi, de quibus Tacitus, in I. *Annal.* *Cæruleum clypeum gestant, luteà cruce usque ad marginem divisum, quæ cæruleum globum in medio continet, ipse apside lutea, & alia exteriore rubra cingitur. Hinc inde supra utrunque crucis brachium,*

Legiones v. addita à Theodosio.
- 1. *Flavia Theodosiana ex* IX. *Comitatensibus, sub magistro militum per Orientem.*
- *Balistarii Theodosiani ex* X. *pseudo-Comitatensibus sub eodem magistro.*
- II. *Theodosiani ex* IX. *pseudo-Comitatensibus sub magistro militum per Illyricum in Oriente.*
- *Felices Theodosiani juniores ex iisdem, sub eodem magistro in Oriente.*
- *Balistarii Theodosiani juniores ex iisdem, sub eodem in Oriente.*

Legiones II. *addita ab Honorio.*
- *Lancearii, Gallicani, Honoriani ex* XXXII. *Comitatensibus in Occidente.*
- *Honoriani, Felices, Gallicani ex iisdem in Occidente.*

CAP. XXXVII.

DE PRÆFECTIS LEGIONUM.

LEGIONUM numero, ac nominibus expositis, de earum Præfectis est dicendum, qui plures in Limitaneis Ducibus à Notitia referuntur.

Universæ Legioni olim Tribunus præfuit. Alis equitum Præfectus. Augustus adolescentibus Senatoribus, cum virilem togam induerent, non modò legionum tribunatus, sed & alarum præfecturas dedit. Tranquillus in *Aug.* cap. XXXVIII. *Liberis*, inquit, *Senatorum, quo celerius Reipublicæ assuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & Curiæ interesse permisit: militiamque auspicantibus non tribunatum modo Legionum, sed & præfecturas alarum dedit. Ac ne quis expers castrorum esset, binos plerunque laticlavios præposuit singulis alis.* Hactenus Tranquillus. Hi sunt, qui *tribuni lati clavi* in Jure appellantur, *in l. si Rufinus C. de milit. testam.* & in hoc marmore Tiburi ædi Sancti Pauli affixo C. POPILIO TR. LATICLAVIO LEG. III. CYRENAICÆ. ita vocabantur, quia Tribuni Senatores gerebant latum clavum, id est, tunicam purpuream, quæ erat insigne Senatoriæ dignitatis, *l. 42. nuper. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Tribunos Legionum vocat & Marcellus, *in l. Titius. ff. de milit. testam. Titius*, inquit, *priusquam Tribunus Legionis factus esset testamentum fecit.* Et Ulpianus *in l. 2. in princ. ff. de his qui not. infam. Dimissum*, ait, *accipere debemus tribunum, sive cohortis, sive Legionis.* Papinianus, *in l. præf. ff. de ritu nuptiar. Præfectus*, inquit, *cohortis, vel equitum, aut Tribunus si contra interdictum ejus provinciæ, in qua officium gerebat, duxit uxorem, matrimonium non erit.* Postea is Præfectus est dictus. Notitia enim in Ducibus limitaneis Legionum, & alarum equitum, vel earum partium, & classium præfectos appellat: Tribunos verò cohortium Justinianus & ipse Præfectos legionum vocat, *in l. ult. C. de inoff. testa. d. l. 1. C. de off. quæst.* Hi civiles militum causas diffiniebant, & crimina etiam leviter castigabant, flagellisque cædi jubebant. Nam Tribunus D. Paulum flagellari jussit *Act. Apost.* cap. XXII. capitaliter vero non puniebant. Absente tamen Magistro militum, vel generaliter exercitus Præfecto, si Comites primi ordinis erant, in milites animadvertebant. Vegetius lib. II. cap. IX. *Proprius autem*, inquit, *judex militum erat Præfectus legionis, habens comitivam primi ordinis dignitatem, qui absente legato, tanquam Vicarius ipsius potestatem maximam retinebat. Tribuni vel Centuriones, cæterique milites ejus præcepta servabant. Vigiliarum seu profectionis tessera ab eodem petebatur. Si miles crimen aliquod admisisset, auctoritate Præfecti Legionis deputabatur à Tribuno ad pœnam. Arma omnium militum, item equi, vestes & annona, ad curam ejus pertinebant. Disciplinæ jus & severitas, exercitio, non solum peditum, sed etiam equitum legionariorum præcepto ejus quotidie curabatur. Ipse autem custos diligens, & sobrius legionem sibi creditam, assiduis operibus, ad omnem devotionem formabat, & industriam, sciens ad Præfecti laudem subjectorum redundare virtutem:* Hæc ille. Quia ergo vices Magistri militum gerebant Tribuni, *Vicarii* appellantur ab Arcadio, *in l. in crim. C. de jurisdict. omn. judic.* Constantino & Constante, *in l. 1. C. de commeatu, lib. 12. & l. ultim. Græca constit. C. de erogat. milit. anno.* Præfecti itaque limitum, quia Comites primi ordinis erant, jus animadvertendi in milites habebant: eo enim titulo supremam in milites potestatem nanciscebantur. Hi sunt qui *Comites rei militaris* appellantur, *in l. 1. C. de comit. rei milit.* vel *Comites militum, in l. 1. C. de offic. vicar. l. nemo C. de assessor.* Cæteri verò Tribuni, qui primi ordinis Comites non fuissent, causas quidem civiles militum terminabant, & modicè coercebant, sed in eorum caput jus animadvertendi non habebant. Alia præterea militiæ necessaria curabant, quæ ab Æmilio Macro *in l. offic. §. ultim. de re militar.* referuntur: *Officium*, inquit, *Tribunorum est, vel eorum qui exercitui præsunt milites in castris continere, ad exercitationem perducere, claves portarum suscipere, vigilias interdum circuire, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum probare, mensuræ fraudem coërcere, delicta secundum suæ auctoritatis modum castigare, principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere.* Hactenus ille. Quod autem dicit, *principiis interesse*, significat eos qui sunt in legione præcipui. *Principia* enim principales appellantur: Vegetius, lib. II. cap. VII. *Principalium*, inquit, *militum*, & ut proprio verbo utar, *principiorum nomina, ac dignitates secundum præsentes matriculas indicabo.* Sub quibus fermè viginti quatuor militum gradus comprehendit, nempe Tribunos, Majorem & Minorem ordinarios, qui primos ordines ducunt, Augustales, & Flaviales his adjunctos, Aquiliferos, Imaginiferos, qui imaginem Imperatoris portant, Optiones, Prædictorum adjutores, Signiferos, & alios quos sub Principiis comprehendit. Ita & Principia Anastasius intelligit, *in l. jubemus, 2. C. de erogat. milit. annon.*

Et quia de Signiferis incidit sermo, non abs re fuerit monere, eos torque ornatos solitos fuisse incidere. Marcellinus lib. XX. cap. IV. *Maurus*, inquit, *nomine quidam, postea Comes, Petulantium tunc Hastatus, abstractum sibi torquem, quo ut Draconarius utebatur, capiti Juliani imposuit.* Hi etiam à muneribus militiæ erant immunes. Tribuni auctoritatem dimittendi ad tempus milites habebant, *l. nemo, C. de re milit.* præterquam expeditionis tempore imminente, *l. 1. de commeatu.* tunc enim capitis periculum subibant, si militem abire permisissent. Sed nec nisi triginta militibus commeatum dare poterant, quibus interim stipendium debebatur, *l. jubemus, 2. C. de erog. milit. anno.*

Tribuni majores legionum præfecti vocabantur, ad minorum qui cohorti legionis, id est, peditibus D. præerant differentiam, & per gradus promovebantur. Hi à scrinio epistolarum codicillos magistratus accipiebant. Vegetius dict. lib. II. cap. VII. *Tribunus Major*, inquit, *per epistolam sacram Imperatoris judicio destinatur. Minor Tribunus provenit ex labore. Tribunus autem vocatur à Tribu*, tribuendoque jure: *præest enim militibus,*

bus, quos ex Tribu primus Romulus legit. Hæc ille. Itaque Tribuni majoris nomen, in Principis commentario, seu scrinio epistolarum scribebatur, & conservabatur. Vlpianus, *l. abesse. ff. ex quibus causis major.* *Abesse*, inquit, *Republica causa intelligimus, & Tribunos militum, & Præfectos, qui ad ærarium, aut in Commentarium Principis delati sunt.* Tribuni verò minores gradum non à Principe, sed ex labore & ordine proximis succedendo acquirebant. Nam ut Vegetius libro II. cap. XXI. scribit: *In orbem quendam per diversas cohortes promoventur milites, ita ut ex prima cohorte, ad gradum quempiam promotus, vadat ad decimam cohortem: & rursus ab ea, crescentibus stipendiis, cum majore gradu per alias recurrit ad primam:* atque hoc modo per labores pervenitur ad hunc Tribunatum. Decem itaque in qualibet legione erant minores Tribuni, quot erant cohortes: *Prima Milliaria*, inquit Vegetius lib. II. cap. XII. *Tribunus præerat, armorum scientia, virtute corporis, morum honestate præcipuus. Reliquæ cohortes, prout Principi placuisset, à Tribunis vel Præpositis regebantur. Præcipua vero eorum cura erat, ut sibi creditos milites exercerent, & sub oculis suis juberent quotidie meditari. Sed & ipsi armorum arte perfecti, cæteros ad imitationem, proprio cohortarentur exemplo. Tribuni autem sollicitudo per hanc laudatur industriam: cum miles veste nitidus, armis bene munitus ac fulgens, exercitii usu, ac disciplina eruditus incedit.* Hæc ille. Præerant autem plurimum D. militibus, ex quot cohors constabat, itaque Zosimus libro III. mille quingentos exploratores, tres Tribunos habuisse scribit. Sed Theodosius Magnus, inquit Zosimus libro IV. cap. XXVII. *Præfectos alarum, turmarumque duces & legionum Tribunos ita adauxit; ut duplo plures quam prius essent, post se reliquerit.* Eo verò defuncto præfecturæ mille & quandoque D. militum fuere, ut auctor est Constantinus Porphyrogenneta *de themat.* *Agmen*, inquit, *militum dividebatur in præfecturas, quarum alia mille, alia D. capitibus constabant:* & de Arcadii tempore loqui videtur. Quantum Tribunis legionum olim solveretur, Valeriani epistola apud Vopiscum in *Probo* declarat: *Miraris*, inquit, *quod imberbem Tribunum fecerim contra constitutum D. Hadriani; sed non multum miraberis, si Probum cogitas adolescentem verè probum, huic igitur dari jubebis.*

> *Tunicas russulas* II.
> *Pallia Gallica fibulata* II.
> *Interulas paragaudas* II.
> *Patinam argenteam librarum* X. *speculatam.*
> *Aureos Antoninianos* C.
> *Argenteos Aurelianos* M.
> *Æreos Philippeos decem millia.*
> *Carnis bubulæ diurna pondo* I.
> *Porcinæ pondo* VI.
> *Caprinæ pondo* X.
> *Gallinaceum per biduum.*
> *Olei per biduum sextarium* I.
> *Vini veteris sextarios diurnos* ℞.
> *Laridi bubalini, salis, olerum,*
> *Lignorum quantum satis est.*
> *Hospitia præterea eidem ut*
> *Tribunis legionum præbere ei*
> *Jubebis.* Hæc ille.

Horum exemplo decem Notarii, qui sub Primicerio Laterculum majus tractabant, Tribuni sunt vocati, *l. pen. C. de metal. lib.* 12. aliis enim sub se scriniarius quemadmodum cohortium præfecti præerant; unde hæc *literata militia* vocatur, quia armatam imitatur, *l. 2. Cod. de primi.* Hæc de legionum Præfectis. Cum vero infra scriptorum numerorum peditum obscura symbola Notitia repræsentet, ut faciliora appareant, aliqua de his generaliter præmisi, cætera suo loco infra opportunius exponentur.

CAP. XXXVIII.

DE NVMERORVM MILITVM *symbolis, & eorum coloribus.*

LEGIONIBVS cohortibusque peditum, & auxiliis à Principibus Romanis sua quibusque data sunt symbola, ut prælio turbatis aciebus, se invicem agnoscentes, facilius unirentur universaque legio, aut cohors, eodem symbolo, & ab aliis numeris diverso clypeum pingebat. In his primò veteres præclara à se, vel parentibus gesta repræsentarunt, quod Virgilius in nono *Æneid.* significat:

> —— *Parmaque inglorius alba.*

Et in septimo:

> —— *Clypeoque insigne paternum,*
> *Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram.*

Hinc descendit familiarum insignia in scutis depingendi usus. Postremò Romani Principes quædam militibus symbola hic repræsentata tradiderunt. Vegetius libro II. cap. XVIII. *Sed ne milites*, inquit, *aliquando in prælii tumultu à suis contubernalibus aberrarent, diversis cohortibus, diversa in scutis signa pingebant, quæ ipsi nominant* δίγματα, *sicut etiam nunc moris est fieri. Præterea in adverso scuto uniuscujusque militis erat literis nomen adscriptum, addito, & ex qua esset cohorte, & ex qua centuria.* Hæc ille. Claudianus in *bello Gild.*

> —— *Nomenque probantes*
> *Invicti, clypeoque animosi teste Leones.*

In Notitia tota legio clypeum eodem modo pictum habebat. Aliæ quoque extra legiones cohortes, & peditum Auxilia idem observarunt, & forte etiam in vexillis depinxerunt. *Fabricenses*, qui clypeos & scuta fabricabant, hæc pingebant quæ in insignibus Magistri officiorum fabricas referentibus, cum suis symbolis spectabantur. Itaque hæc à Principe, non ex se milites accipiebant, quæ magna conservata diligentia, ex Laterculis emittebantur, *§. ultim. Novell.* 24. 25. *& §. penult. Nov.* 26. & latentem sensum continebant. Id enim apud veteres non modò Ægyptios, sed omnes alios populos & Principes observatum fuisse videmus, ut animali, fructu, vase, aliove signo depicto, occultum aliquid significarent. Sic Byzantii uvæ racemum nummis imprimebant, Ilienses sues, Thebani testudinem, Chii & Africani spicam, his se abundare indicantes. Augustus gubernaculum pilam sustinens, aut capricornum cudebat, cujus beneficio orbis Roman. administrationem sibi creditam esse insinuabat: aliaque hujusmodi sexcenta extant exempla, ex quibus mystica esse symbola, potest intelligi. Notitia verò ea diligenter exprimens, firma ac perpetua Numerorum symbola fuisse significat, quæ nec mutari, nec in alia transferri poterant. Vnde temerè aut sine ratione, excogitata dici non possunt, tanquam enim tacita ænigmata instar Ægyptiorum hieroglyphicorum, mysticum sensum occultant, multisque emblemata, confingendi argumentum possunt suggerere. Hæc mihi tenuis ingenii homini interpretari difficile est, pro viribus tamen eorum sensus osten-

ostendere tentabo, aut saltem aliis aptiora dicendi A viam aperiam. In primis igitur generaliter quibusdam præmissis velut prima quædam delineamenta ducam, ex quibus plurium, quæ sæpè occurrunt, facies & sensus cognosci poterit, postmodum singula, & Numerorum propria suo loco interpretabor.

Præcipua Principum in his symbolis intentio est, ut Romani Imperii perpetuitatem, ac firmum adversus hostes robur, arctamque Orientalis, atque Occidentalis Imperatorum concordiam, eorumque in Orbem providentiam insinuent, quæ multis formis ac typis repræsentant, veluti cippis seu colmellis quæ globum præfixum tenent, sæpè cum circulis & animalibus, hisque interdum B dimidiatis, orbem regentibus, sed quia pila omnium symbolorum est frequentissima, ab ea exordiemur: Hæc orbem Romani Imperii significabat, quod ab Augusto inventum fuisse Isidorus lib. XVIII. *Etymolog.* cap. III. scribit: *Vt nationes*, inquit, *sibi in toto Orbe subjectas figura orbis ostenderet.* Globus plerunque, uno aut altero circulo includitur, qui duo unius Orbis Romani connexa Imperia declarant. Idem insinuant sub Magistro militum per Illyricum, Ascarii seniores duos purpureos hemicyclos conjunctos pro insigni gestantes, qui haud dubiè duo dimidia, sed ea conjuncta demonstrant Imperia. Vallo acutisque cuspidibus, Rom. Orbis septus, undique ab hoste tutus esse indicatur: Plerunque cippo, seu columellæ præfixus, firmus, inconcussusque ostenditur. Stipes enim firmum solidumque insinuat. Divisus aut decussatus, inter duos quidem Principes scissum videri Imperium, sed concordibus animis administratum, unum esse denotatur. Idem inter duo gubernacula positus, aut duobus funibus constrictus portendit. Dimidiati serpentes, aut in cippo juncti, globum includentes. Duo dimidiati equi, gemini accipitres feles, aut cornua orbiculum circumdantia, & similia, eundem sensum occultant. D Duæ stellæ Orbi imminentes, duorum Principum genios indicant. Huc pertinent & dimidiatæ lunæ, quæ ad complendum orbem tendunt, & hujusmodi multa alia, quæ suo loco explicabuntur. Circuli verò clypeorum, marginem complexi, & ipsi perpetuitatem, unitatemque Imperii denotant. Iidem duplicati, arctam duorum Principum connexitatem, Triplicati arctissimam, ob ternarium numerum, conjunctionem insinuant. Vultus cippis præfixi, eorundem in orbem providentiam, quemadmodum interpretatum invenitur in armariis in medio Notitiæ, inter utrumque Imperium depictis. Animantia verò ferè ubique Principes Romanos repræsentant, sicut & apud Danielem Prophetam. Sed ne præcoce diligentia, quæ suis locis erunt dicenda, prævertere videar, hæc frequentiora adumbrasse, & rudius delineasse sufficiet, ut aliquo prævio lumine sequentia clarius illustrentur. Nunc de coloribus quibus depinguntur aliqua sunt proponenda: nam etsi ad distinguenda inter se symbola adhibiti possunt videri, id tamen non semper nec temerè, sed propriè ad aliquid significandum appositi fuisse apparebunt.

Appelles, aliique insignes pictores, ut auctor est Plinius lib. XXXV. cap. VII. antiquis quatuor tantum coloribus, albo, silicco, rubro, & nigro, F nobilissima quæque opera pinxerunt, postea inventa purpura, cinnabaro, aliisque coloribus, ars latius evagari cœpit. In hoc opere militum scuta, decem coloribus depicta reperiuntur, qui sunt aureus, argenteus seu albus, luteus, puniceus, viridis, cœruleus, niger, purpureus, rubeus, ferrugineus: In his aurum & argentum, inter metalla potius, quàm colores numerantur.

AVREVS fœlix sæculum, aureumque repræsentat. Virgilius *Ecloga* IV.

— Toto surget gens aurea mundo.

Et in VI. *Æneid.*

— Aurea condet
Secula.

Aurum Soli assimilatur, & gemmis Topatio & Chrysolito. Ex signis Leoni, & Julio mensi respondet, roburque & adolescentiam denotat.

ALBVS seu argenteus, animi candorem puritatemque, vel ut alii, fidem insinuat. Virgilius enim ait, *cana fides.* Ex planetis Lunam, ex signis Cancrum, ex lapillis margaritam, berillumque, ex elementis aquam flegma, infantiamque refert.

LVTEVS lætum sæculum significat: est enim color velut croceus, qui in rosarum medio micat. de quo Plinius. Hic color oculorum aciem lædit ut & croceus: unde peritiores Architecti, inquit Isidorus lib. VI. *Orig.* neque aurea lacunaria ponenda in bibliothecis putant, neque pavimenta alio, quam Carystio marmore, quod auri fulgor hebetet, & Carysti viriditas reficiat oculos C

PVNICEVS honorem indicat, & victoriam, quod & Virgilius in V. *Æneid.* innuit:

Jamque adeò donati omnes, opibusque superbi
Ibant puniceis evincti tempora tæniis. ubi Servius.

VIRIDIS qui ex fulvi nigrique temperie nascitur, Plato in *Timæo*, spem, vel, ut alii volunt, robur & vigorem portendit. Virgilius in VI. *Æneid.*

— Sed cruda Deo, viridisque senectus.

Quod tractum est ab herbis, quæ dum virent, vigent. Planetam Mercurium, signa Geminos, & Virginem refert, ac ver, juventutemque & smaragdum, qui plus cæteris oculorum aciem recreat, & argentum vivum, ex quo hic color producitur.

COERVLEVS ex splendido, albo, nigroque creatus, Plato in *Timæo*, justitiæ, & claritatis, famæque est symbolum, planetæ Veneris respondet, & signis cœlestibus Tauro & Libræ, & elemento Aëris, item sanguini, pueritiæ, æstati, & æri, ac sapphiro, qui post smaragdum mirificè aciem oculorum recreat, & clarificat, eumque gerentem castum, fortem, mitemque efficit: & ad obtinendam ab aliquo gratiam efficax est.

E NIGER est prudentiæ firmitatisque signum, quod is color in alios amplius non vertatur: planetæ Saturno respondet, signis cœlestibus, Arieti & Aquario, & Geminis, item Adamanti, Agathæ & Chelidoniæ, Elemento terræ, hyemi, melancholiæ, ætatique decrepitæ, & plumbo, ex quo fit color niger.

PVRPVREVS ex rubro, albo, nigroque commixtis generatus, Plato in *Timæo*, vim Imperii ob purpuram, quæ Principis est propria, significat: Refert hic color Jovis planetam, Sagittarium, & Pisces, stannum, gemmam, opalum, irim florem, senectutem, & fulgur.

FERRVGINEVS roboris duritiem portendit.

RVBEVS magnanimitatem, & Marti, Arieti, & Scorpio, carbunculo & coralio, igni, autumno, bili, ætati virili, rubentibus rosis, & ferro respondet. In symbolis amoris ardorem plerumque indicat, aliquando sanguinem, ut in Cruce rubea, Christi sanguine tincta.

Gene-

Generaliter obſervandum eſt, animantia quæ ferè omnia Principes referunt, cum ſuis coloribus non repræſentantur, vel purpureo, vel aureo, luteove, vel candido depingi: priora regium Principis habitum indicant, ultimus animi candorem. Vbi alio colore exprimuntur, quod raró evenit, aliud inſinuant. Eodem modo inanimata Imperium referentia, veluti duo funes Orbem conſtringentes, trabes eum munientes, aut peltæ tuentes, purpureo colore tinguntur. idem in aliis ſimilibus plerumque accidit. Clypei, orbes, & circuli, coloribus pro arbitrio variis pinguntur, & fortè ut alii ab aliis differant: quandoque tamen non ſine ratione ponuntur circuli & orbes rubei ſæpe connexi, ob purpureum colorem Principis proprium, utrumque Imperium perpetuò conjungi ſignificant: Virides, illud ſemper vigere: Albi, ſingulari animorum candore gubernari: Nigri, ſtabile ac firmum fore inſinuant. Cæteri colores ſuam ſignificationem retinent.

Hinc armorum, ſeu familiarum inſignium colores, & ex metallis aureus, argenteuſque emanarunt. Neque enim vera inſignia pluribus depinguntur. Hinc etiam prodiit, ut in ſcutis cœruleis, aut albis luteiſve, prout Romani milites habebant, hodie ſerpens, aquila, equus, vel aliud animal ſignumve depingarur, fortè etiam aliqui ex his militibus deſcendunt, qui adbuc iiſdem inſignibus, & nominibus utuntur. Nunc legiones VI. Palatinas Magiſtri militum Præſentalis cum earum inſignibus, pro exigui ingenii mei viribus exponam: deinde XVIII. ejus auxilia item Palatina explicabo.

CAP. XXXIX.

DE VI. LEGIONIBVS PALATINIS

Magiſtri militum præſentalis.

LANCEARII, ſeniores primi ſub Magiſtro militum Præſentali in *luteo Clypeo*, *luteum item globum, luteo circulo incluſum tenent*: quod orbem Romanum uno Imperio contineri ſignificat. Idem ubique color ejuſdem Imperii unitatem denotat. Manuſcripti *duos globos circulo cinctos tenent, & coloribus variant. Circulum* X. *purpurei ſtipites circumfixi firmant*, quod tutum eſſe à vi hoſtium Rom. orbem indicat. *Purpureus color in trabibus* ad Imperium, & ejus robur refertur. *Marginem duplex circulus cingit, quorum interior* XXIV. *circum, denſas teſſerulas ordine diſpoſitas continet*, quæ plumbatas ſeu Martiobarbulos referre poſſunt, quibus hæc legio pugnabat, & de his in Jovianis ſubſequentibus, & Scythis ſub altero Magiſtro in præſenti diſſeram.

In manuſcriptis plumbatæ deſunt: Duorum quoque circulorum connexitas, utriuſque Principis, arctam, æternamque conjunctionem indicat. Simile emblema gerunt Lancearii juniores, & Solenſes Gallicani. *Lancearii* dicti ſunt, quia ſariſſis, id eſt, haſtis more Macedonum longis, iiſque levioribus utebantur: De quibus Marcellinus libro XXXI. cap. XIII. loquens de Valente cum Gothis pugnante: *Ad lancearios*, inquit, *confugit & Mattiarios.* Erant in legione Lancearii circiter MDCCC. quos peltatos, vel haſtatos vocatos fuiſſe diximus, ut ait Suidas. Appianus in II. *de bello civili*: *Numidas*, ait, *equites, ad viginti millia, Lancearios quoque multos, elephantes ſexaginta alios etiam habebat.* Item Marcellinus lib. XXI. *Iter ſuum*, inquit, *Lancearius, & Mattiarius, & ca-*

A *tervis expeditorum præcepit.* Alii ſunt Lancearii juniores in Thraciis.

JOVIANI juniores poſt ſeniores qui degebant in Illyrico Occidentali, lecti à Diocletiano, qui ſe Jovem cognominabat, ſunt appellati. Sozomenus enim lib. VI. cap. VI. ſcribit, Jovianos, & Herculianos, duas fuiſſe cohortes, ex primariis militibus conſtitutas, à Jove, & Hercule nominatas, quæ Imperatorem proximè à tergo, præſidii cauſa ſequebantur. Idem & Nicephorus lib. XI. cap. I. *Vetus*, inquit, *conſuetudo erat, ut qui Joviana, atque Herculiana, ita ab Jove, & Hercule dictis Legionibus præeſſent, Principem a tergo ſequerentur.* B Zoſimus & ipſe, lib. III. cap. XXX. de Jovianis & Herculianis hæc ſcribit: *Sunt*, inquit, *à Diocletiano & Maximiano profecta legionum appellationes, habentium cognomina Principum illorum, quorum alter Jovis, alter Herculis cognomentum uſurpavit.* His ſub Juliano Apoſtata præfuit Valentinianus, qui poſtea imperavit. Vegetius lib. I. cap. XVII. quoque ſcribit, hos cunctis prælatos Martiobarbuloſque vocatos, quòd plumbatis dictis Martiobarbulis telis ſcitè uterentur: *Plumbatarum quoque*, inquit, *exercitatio, quos Martiobarbulos vocant, eſt tradenda junioribus: Nam in Illyrico dudum duæ Legiones fuerunt, quæ ſena millia militum* C *habuerunt, quæ quod his telis ſcienter uterentur, & fortiter, Martiobarbuli vocabantur. Per hos longo tempore ſtrenuiſſimè conſtat omnia bella confecta, uſque adeò, ut Diocletianus & Maximianus, cùm ad Imperium perveniſſent, pro merito virtutis hos Martiobarbulos, Joviarios, atque Herculianos cenſuerit appellandos, eoſque cunctis legionibus prætuliſſe dicuntur. Quinos autem Martiobarbulos ſcutis inſertos portare conſueverunt; quos ſi opportunè milites jacerent, prope ſagittariorum ſcutati mutuari videntur officium. Nam hoſtes, equoſque conſauciant, priuſquam non modo manu ad manum, ſed ad ictum miſſilium potuerit perveniri.* Hæc ille: apud quem D pro *Joviarios*, legendum *Jovianos*, quod nomen fuit uni legioni ex duabus, quæ in hoc genere pugnæ ſtrenue ſe geſſerunt.

Horum inſigne erat *Aquila apotheoſis redimiculo ſupra caput impoſito. Ales ipſa nativi coloris*, alii dicunt *aurei*, Alciatus *flavi*, libro V. *parerg.* cap. XIII. In *parma lutea, quæ rubro primum circulo claudebatur*: Inde alter *ſapphirei coloris totam marginem complectebatur, è pectore autem aquila aureus extabat umbilicus*: Hæc Pierius, ex Maſſæorum codice, qui parum ab impreſſo differt. Aquila Principem, qui orbem tuetur, denotat, ob id auro exornatur. Duo circuli duplicis Imperii con- E junctionem, perpetuitatemque demonſtrant. colorum ſignificationes expoſuimus, quos aliquando pro arbitrio, & ad ſymbola diſtinguenda poſitos fuiſſe non inficior, ſæpe tamen appoſitè adhibiti, aliquid inſinuant. Aurum in umbilico, aureum ejus temporis ſeculum in orbe demonſtrat. Jovianorum ſeniorum legio, & ipſa palatina erat in Occidentis Imperio, cujus Marcellinus meminit.

HERCVLIANI juniores à Maximiano vocati, qui ſe Herculem ab ejus cultu nominabat. Sext. Aurelius Victor loquens de Maximiano: *Huic*, inquit, *poſtea cultu numinis Herculei cogno-* F *mentum acceſſit, uti Valerio Jovii. Unde etiam, militaribus auxiliis longè in exercitu præſtantibus nomen impoſitum.* Hæc Victor de Cæſaribus. *Herculiani luteam Aquilam, luteo item trunco inſidentem geſtabant in parma lutei ſapphirei, cujus marginem eodem colore, ſed admodum dilutiore, circulus ambibat*: ita Pierius in *Hieroglyph.* Truncus firmita-

tem.

tatem Aquilæ, id est, Imperii significat. In aliis A Codicibus parma rubet, in aliis intercurrentibus lineis viret. In meo impresso, Aquila luteo baculo pedibus nititur. Joviani, & Herculiani sub magistro peditum in Occidente, eadem gestant Aquilæ insignia. Hi in Illyrico Occidentali prius residebant, quorum sæpe Marcellinus meminit.

FORTENSES, à Fortia oppido Sarmatiæ Asiaticæ denominati, aliàs FRETENSES sunt dicti. Quidam Comagenos Eufratenses esse putant: & prima dempta syllaba Fratenses, seu Fretenses appellatos. Sed Marcellinus Fortenses vocat libro XVIII. sub fin. *Tricesimani*, inquit, *Decimanique Fortenses.* B

Fortensis etiam, est limes Mauritaniæ, ab his fortè denominatus. In *cæruleo clypei umbone, rubrum globum vinculo luteo cinctum gestabant, qui octo acutos mucrones cæruleos emittit.* In codice impresso, subtus, *plures aquæ glomerantur in orbem. Marginem luteus & viridis circuli cingunt.* Hostes in Romanum orbem duplici, unicoque Imperio munitum irruentes confodiendos esse indicat, idque terra ac mari eventurum. Duo conjuncti circuli, ferè ubique, duplicis Imperii perpetuam connexitatem ostendunt. Alciatus mucrones rotam interpretatur, lib. V. *parerg.* cap. XIII. quod symbolo impressi exemplaris, & aliorum, quæ vidi, non convenit. C

NERVII, prope Scythas sunt. Marcellinus lib. XXXI. cap. II. eos ad Tanaim locat. *Inter hos*, inquit, *Nervii Mediterranea incolunt loca, vicini verticibus celsis, quos præruptos, geluque torpentes Aquilones adstringunt.*

Sed hic Galliæ Belgicæ populos Nervios intelligi arbitror, ex quibus delecta est hæc legio. *Depictum* ferè, ut Fortenses, *habent clypeum, exceptis quibusdam coloribus*, qui alterutros distinguunt. Hi enim *parvum luteum umbilicum, rubro latoque circulo inclusum, quem alius luteus cingit, in cærulea parma*, vel, ut apud alios, *viridi gestant. Marginem luteus circulus ambit.* In impresso, sub mucro- D nibus mare videtur. Portendunt duo circuli duo in unum orbem Romanum Imperia, quæ in terras, & mare extenduntur. Luteus color in exteriore circulo, luteo umbilico respondet. Duplex circulus luteus & viridis, qui clypeum ambiunt, duplicis Imperii connexitatis sunt typus.

MARTIARII juniores, vel potius Mattiarii sequuntur, quorum etiam infra inter auxiliares fit mentio. Zosimus lib. III. Mattiarios cohortem sub Juliano Apostata fuisse scribit. Erant ex Mattio oppido, Metropoli Cattorum, ubi hodie est Marpurgum, olim Hassia, paucis literis mutatis, antiquum servans nomen. Tacitus *Annal.* lib. I. *Cattis*, E inquit, *improvisus adveniens Cæsar ...... incenso Mattio (id gentis caput est) apertè populatus vertit ad Rhenum.* Ita etiam Marcellinus lib. XXXI. cap. XIII. appellat, loquens de Valente: *Ad lancearios*, inquit, *confugit & Mattiarios.* Si legamus *Martiarios*, à Martia legione, de qua supra dixi, derivabuntur. Sed teneo legendum MATTIARII.

In horum *luteo clypeo rubrum pedamentum orbem cæruleum & decussatum, rubroque circulo cinctum sustinet, in cujus summo, duæ dimidiæ, luteaque lunæ cornibus sursum versis, crucem amplectuntur, duo utrinque ad dexteram, & sinistram erecti canes terga orbi vertunt, inversisque capitibus se invicem respi-* F *ciunt.* Hi referunt duos Principes Imperium orbis tuentes, & se respiciendo mutuum sibi auxilium promittentes. Orbis Cruce divisus, & rubro circulo circumductus, terrarum, marisque imperium insinuat, quod etsi divisum, unum tamen est & unitum, quod globum ambiens circulus rubeus innuit. Dimidiæ Lunæ, & ipsæ symbolum sunt duplicis Imperii, quod etsi dimidium videtur, integrum tamen est permansurum, quemadmodum luna primò visa deficere in orbem completur. Crux superior, id Christi ope futurum pollicetur: Romani verò Imperii stabilitatem columna significat. Aliàs luna cruci juncta, Ecclesiæ Christi sponsæ est typus. Simile emblema gerunt Martii seniores. Sequuntur XVIII. auxilia Palatina.

CAP. XL.

DE XVIII. AVXILIIS PALATINIS.

INTER legiones & auxilia, olim hoc interfuisse Veget. lib. II. cap. II. scribit, quod legiones ex Romanis ipsis scriberentur, Auxilia verò à sociis, & fœderatis gentibus mittebantur, legionibusque tanquam leves armaturæ adjungebantur. Sed rebus in Principem translatis, etiam extraneis ex gentibus Legiones fieri cœperunt, aliquando *adjutrices* nuncupatæ tanquam ex auxiliis completæ. *Quid autem*, inquit Vegetius dicto loco, *inter legiones & auxilia videatur interesse, expediam. Auxiliares conducuntur ad prælium ex diversis locis, ex diversis moribus venientes: nec disciplina inter se, nec notitia, nec affectione consentiunt.* Suidas in verb. ψιλὰς, vult, auxilia esse expeditos milites, qui nudi & inermes in prima acie collocabantur, primique cædebantur. Erat enim gregaria & ignobilis manus. Legiones verò ex decem cohortibus constabant, quæ in centurias divisæ, singulæ sua cum suis centurionibus habebant vexilla. cohortes enim singulæ Dracones, vel aliud animal cum suis Tribunis præferebant. Universa vero legio Aquilam, quæ à Præfecto, vel Comite regebatur. At Auxiliorum una erat multitudo, quæ soli Tribuno parebat, putà mille, vel plures. Alias inter hos differentias Plinius libr. XXXIII. cap. II. tradit: *Sunt adhuc*, inquit, *aliquæ in auro non omittendæ differentiæ. Auxiliares quippe & externos torquibus aureis donavere, at cives non nisi argenteis; præterquam quod armillas civibus dedêre, quas non habent externi. Idem, quod magis miremur, coronas ex auro dedere civibus.* Cicero cum Ciliciæ præesset, de Auxiliis *ad Atticum* lib. VI. epist. V. ita scribit: *Exercitum infirmum habebam; Auxilia sane bona, sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum. Hæc enim sunt nostra robora.* Probus Imperator, sexdecim millia Tyronum Germanorum, per diversas provincias sparsit, ita ut Numeris vel Limitaneis, sexagenos, aut quinquagenos intersereret, quæ *Auxilia Barbara* esse appellata, Vopiscus refert. Auxilia videntur à Justiniano *l. ult. C. loc. & in Nov.* 116. nominari optiones, à quo jubentur fœderati in privatorum prædiis degentes, ad suas redire optiones, id est, ordines seu auxilia. Ab optionibusque militibus denominata videntur, quos tribuni sibi adjutores & Vicarios eligebant, ut Vegetius lib. II. cap. VII. & Festus tradunt. Horum Præfectus quandoque Tribunus, quandoque Phylarcha appellatur, ut *Novel.* 103. Procopius lib. I. *de bello Persico*: *Nullus autem*, inquit, *Romanorum militum Perfectus, quos Duces vocant, nullusque Saracenis, qui Romanis fœderati sunt, Præpositus, qui Phylarchi vocantur.* Quot milites singula continerent Auxilia non constat: Vopiscus quandoque quinquagenis, aut sexagenis, quos Probus Numeris Limitaneis inserebat, Auxilia constasse scribit. Sub Magistro in præsenti hæc merebant Auxilia.

BATAVI seniores, ex Batavia, quam nunc Hollandiam vocant, acciti, equites Batavos præstantissimos inde sumpsisse Augustum Dion scribit: sed

hoc

Insignia Viri Illustris Magistri Militum in Præsenti



hæ fuere VIII. Cohortes, aut Auxilia legionis XIV. quæ discordia Ducum à legione digressa, contra Vitellianos infœliciter pugnarunt. Posteà missa in Britanniam in itinere Augustæ Taurinorum, ob odium antiquum rixati suot. Legio in Britanniam est missa. Batavos agmini suo Vitellius junxit, mox in Germaniam ire jussit, Tacit. *Ann.* lib XVI. Velitaria auxilia Herulos, & Batavos Marcellinus lib XX. paulò post principium vocat.

In *parma cærulea, globum rubrum gerunt, pedamento ejusdem coloris conjunctum, quem cæruleus limbus densis orbiculis circumdatus complectitur. In umbone luteus globulus, acutam cuspidem* emittit, ut manuscripti clarius ostendunt. *Supra duplex dimidia, & lutea Luna, cornibus sursum versis crucem lutei coloris amplectitur*: Orientis Occidentisque Imperium crucis ope, instar Lunæ in plenum orbem qui dimidius videtur, compleri insinuat: ex medio globi exiens cuspis telum Principis Rom. refert, quo tantam hostibus cladem minatur, ut orbem sanguis sit inundaturus, quos forte rubeus color, quo tingitur, portendit: Cœruleum limbum orbiculi stipantes, sunt milites undique orbem Rom. adversus Barbaros defendentes: vel fortè plumbatæ, quibus hæc auxilia hostes erant feritura, de his supra in Lancearns, & infra in Scythis sub altero magistro Præsentali dicetur. In Madruciano videtur agger globum sepiens. Urlioi codex pro dimidiis Lunis, dimidios orbes luteos habet alterum alteri inclusum. Typus est duplicis, sed conjuncti & in unum coëuntis Imperii. De dimidia luna in præcedenti dictum fuit.

BRACCATI juniores. Notissimum est, olim Galliam Narbonensem Braccatam vocatam, ut auctor est Plinius lib. III. cap. IV. quod braccis uteretur, unde *Braccata* hæc auxilia videntur denominata. Braccas inter militares vestes Lampridius in *Alex.* recenset: *Donavit*, inquit, *& ocreas & braccas & calceamenta, inter militaria vestimenta.* Sed & paulo infra scribit, ipsum Alexandrum fasciis semper usum fuisse, & braccis albis, non coccineis, ut prius solebant. Pomponius Mela Sarmatas totum corpus braccatos esse memorat. Milites Braccati, ut fluxæ fidei & mercede versabiles à Marcellino lib. XV. cap. V. notantur: *Braccatis*, inquit, *sollicitantur, atque Cornutis, fluxioris fidei, & ubertate mercedis ad momentum omne versabiles.*

Clypeum *cæruleum* gestant, *in quo duplex rubra, & lutea columella, globum luteum in summo, manu retentum sustinet; utrinque duo purpurei corvo, ad crucem supra globo infixam, & nigris lineis decussatam clamare videntur*, qualem Constantino ostensam fuisse ferunt: *cæruleus circulus clypei marginem circundat.* Hi duo sunt Principes, qui à Christo pro Romano orbe opem implorant. Crucem autem litera X. intersecans, Christum in ea passum significat: cujus nominis Græcè scripti, prima est litera X. Plerunque autem superiorem ejus crucis partem in literam P. flectebant, ut apertius Χριστὸν exprimerent, ita ut X. P. & ☩ innecterentur. Purpureæ cornices, duos Principes denotant ob purpuram, & sunt concordiæ symbolum. Duo enim ova cornix parit, unde mas, & fœmina excluduntur, quorum alter si moriatur, superstes semper cœlibem vitam agit: quare hæc avis typus est concordiæ in Faustinæ nummis, in quibus huic aliti inscriptum est, CONCORDIA.

Manus autem orbem retinens, firmitatem Imperii Romani portendit. At Pierius lib. LVI. cap. V. loquens de spica, diversum hoc insigne ponit: *Gestamen*, ait, *cæruleo colore, subobscuro depictum fuisse, circulo nigro juxta marginem circumducto, in cujus summa parte stella adpicta est, octo radiis prædita: in medio orbiculus est, cum umbilico, utroque coloris aurei: ab eo orbiculo usque ad circulum, qui juxta marginem est, columella submissa coloris rubri: à lateribus columellæ, spicæ duæ utrinque surgunt singulæ, quas aviculæ totidem, volatu suspensæ impetunt.* Quæ affluentiam annonæ significant. At in manuscripto Ursini, in summo est *crux purpurea, orbem purpureum in medio continens*, quem tueri videtur: ipsa verò, & orbis propter Christi sanguinem, ob mundum effusum rubent: corvi purpurei, id est, Principes, utrinque ad crucem clamant, quod symbolum mihi maximè placet. In Madruciano, ex globo acuta cuspis, ut in præcedente symbolo, exit, & pedamentum eum sustinens, aggere utrinque munitum videtur. Alciatus verò pro globo *glandem* exponit libr. V. *Parerg.* cap. XIII. quod ab omnibus his symbolis longè distat.

SALII sunt Germaniæ populi, ubi nunc est Franconia, a Sala flumine nuncupati, ex quibus hæc Auxilia sunt contracta. Marcellinus lib. XVII. cap. VIII. de Constantio loquens: *Petit*, inquit, *primos omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios appellavit.* Zosimus lib. III. cap. VI. *Saliorum*, ait, *nationem à Francis profectam, & vi Saxonum suis sedibus expulsam, in Bataviam venisse, quæ insula cum prius Romanis in universum pareret, a Saliis est possessa.* Sed inde ejecti, postmodum Romanis sunt adjuncti: Julianus enim Apostata eos legionibus Romanis adscripsit. Alii auxiliares sunt facti. Sunt & Salii Ligurum populi, testante Plinio.

In horum *parma cærulea, orbem luteum circulo rubro circundatum, luteus cippus sustinet, marginem clypei rubeus limbus claudit*, unum esse orbis Romani Imperium denotat. Rubeum enim vinculum, globum cingens, purpuramque referens, imperium insinuat. Idem exterior rubeus circulus portendit. In manuscripto Ursini, duo dimidii equi lutei hinc inde globum sustinent, qui referunt duos dimidiati imperii Principes orbem regentes. Equum verò esse bellicæ virtutis typum notum est. Virgilius in I. *Æneid.*

Monstrarat caput acris equi: sic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per secula gentem.

Et lib. III.

Bello armantur equi.

Hi milites & in Occidente reperiuntur, cum symbolo huic simili.

CONSTANTIANI à Constantio Magni Constantini filio denominati. Marcellinus lib. XXI. cap. XI. *Constantiacos* vocat Legionarios ab eodem inventos: *Duas*, inquit, *Constantiacas legiones, addita una sagittariorum cohorte, quas invenerat apud Sirmium, ut suspectæ adhuc fidei per speciem necessitatum urgentium misit in Gallias.*

In *parma album globum gestant, supra quem cæruleus globulus fascia rubra clauditur.* Is est regii diadematis typus, Orientemque, & Occidentem uno Rom. cingi imperio portendit. In manuscriptis octoni aut noveni parvi orbiculi à quatuor mundi regionibus in unum glomerati exercitus referunt, à quatuor partibus orbem Romanum adversus Barbaros tuentes, vel potius plumbeæ glandes, quibus hoc auxilium pugnabat, insinuantur.

MATTIACI seniores ex Mattio Metropoli Cattorum veniebant, ubi nunc est Marpurgum Hassiæ, ut supra dixi, de quibus Tacitus, in I. *Annal.* *Cæruleum clypeum gestant, lutea cruce usque ad marginem divisum, qua cæruleum globum in medio continet, ipse apside lutea, & alia exteriore rubra cingitur. Hinc inde supra utrunque crucis brachium,*

duæ aviculæ nigræ, seu corvi cœlum suspicientes clamare videntur: Aliæ duæ similes infra pascuntur. Symbolum est duorum Principum, qui à Domino ob merita Christi crucifixi pro Orbe Romano opem implorant: & quasi illam iovenerint, infra per ocium pascuntur. Simile est apud Psalmistam, *Ps.* CXLVII. *Dat escam pullis corvorum invocantibus eum.* Per septem enim dies à matre destituti rore pascuntur, donec plumis vestiti & ab ea agniti postmodum aluntur. Corvos autem esse concordiæ typum supra exposui. S. Paulinus epist. XII. scribit olim supra crucem rubentem duas columbas in templis depingi consuevisse, quo symbolo significabatur simplicibus cœlum patere, ut Epigramma cruci inscriptum aperit:

Ardua florifera crux cingitur orbe corona
Et domini fuso tincta cruore rubet.
Quaque superfignum resident cæleste columbæ,
Simplicibus produnt signa patere Dei.

Qui hic pinguntur nigri sunt corvi, non columbæ. In Occidente hi milites simplicem crucem gestant.

SAGITTARII Juniores Gallicani. Sagittariorum tres hic ordines referuntur. Primi sunt sagittarii juniores Gallicani, cassidibus, cataphractis, gladiis, sagittis, arcubusque armati, de quibus Vegetius lib. II. c. XV. Ex Galliis lecti *Gallicani* sunt dicti, idem sunt quod *Gallici*, Ulpianus *l. si quis in fundi.* §. *ultim. ff. de leg.* I. *Institutus*, ait, *in rebus Gallicanis in Gallicis heres erit.* In Illyrico quandoque Gallicani resederunt. Marcellinus lib. XXIX. sub fin. *Ad tutelam*, inquit, *Illyrici Gallicani militis validum accesserat robur.*

In *clypeo cæruleo rubrum globum circulo albo contentum habent, quem utrinque aquilæ regunt, supra duo Imperatores visuntur: Marginem duo circuli, interior luteus, & exterior rubeus, cingunt.* Hæc Romanum orbem à duobus Principibus concorditer defendi monent. Aquila Imperii symbolum est, circuli cum coloribus supra sunt expositi. In manuscripto Ursini tabella est sine Principibus, à quibus leges orbi dari portenditur.

SAGITTARII quoque seniores Gallicani *eodem ferè modo pictum scutum* gerunt. Io hoc *differunt, quod hi globulum luteum albo, & rubro circulis inclusum gestant*, quod orbem Romanum duplici imperio regi denotat. Utrinque *duæ aquilæ* eundem à duobus Principibus gubernari demonstrant. supra *tabella rubro limbo cincta in medio album nigris notis interpunctum continens*, Lex est utrique orbi à duobus Principibus concorditer data. Madrucianus duos Principes includit. In Ursini exemplari alba est parma, aquilis carens. Duplex circulus margini circumductus, duplicis conjuncti Imperii est symbolum. In Occidente sub Magistro peditum, Gallicani tres orbes distinctos gestant, quorum medius aliis est major, quod idem argumentum insinuat.

TERTII SAGITTARII Valentis, ab eo inventi, & ipsi in *parma cærulea luteum orbem duplici vinculo rubro & luteo cinctum tenent: supra suspensus est albus dimidius orbis albus, rubro circulo clausus*, significat orbem, qui ob divisum Imperium dimidius videtur, unum esse, duplici Imperio compressum.

DEFENSORES ad oppida defendenda præcipui, ita defensores mœnium Marcellinus appellat, lib. XX. cap. VII. *Quibus*, inquit, *adire propius ausis, defensores murorum properarunt.* Et cap. XI. *Defensores nisi vigilassent, in audaciam ruere præcipitem.* & sæpè alibi. Constantinus verò Porphyrogenneta *de thematibus*, dicit defensores eos esse, qui currentes post hostes sequuntur, ipsi non currunt, sed ordine simul progredientes, eos, qui hostes sequebantur, excipiunt, & defendunt, si fortè in fugam vertantur, & inde nomen habuerunt. Hi *duos angues luteos, in caducei speciem complicatos, capitibus ad osculum coeuntibus, in parma cærulea gestabant, quam ruber ambitus latè circuibat; Juxta marginem in medio est globus rubeus, columella lutea præfixus, unde & ipsi angues exire videntur.* ita Pierius lib. XV. c. XXVIII. *Hierog.* describit. Id duorum orbis Principum concordiam significat, pro serpente enim poni Imperium, idem Pierius refert, & vetus numisma duos habens similes serpentes caudis complicatis, est typus, unius duorum coss. potestatis unicique Imperii, inscriptum est ΔΥΝΑΡΧ. ΕΧ ΥΠΑΤ. Β. id est, δυναρχία ἐξ ὑπάτοις. δυοῖ, id est, *duplex potestas ex duobus Consulibus*, quasi hoc duplicatum Imperium sit fortius.

RETORARII, in *cæruleo clypeo rubrum globum luteo vinculo constrictum ferunt. Marginem duo circuli, luteus, & exterior rubeus cingunt.* Orbem Romanum unico & utriusque principis conjuncto imperio contineri denotant RUTUBARIOS legendum censeo à Rutuba fluvio Ligurum prope Albium, ut auctor est Plinius, lib. III. c. V.

ANGLEVARII Defensorum symbolo simile insigne gerebant, nempe *rubrum caduceum, in cujus baculi summitate, alba pila erat, unde angues prorumpebant, & ad osculum juxta parmæ medium deflectebantur. Parma erat sapphirei coloris, & dilutioris, quam purpureus ambitus circuibat*, ut Pierius describit. Erant Anglevarii Germaniæ populi prope Rhenum, non longè à Batavia, quos Tacitus *Ann.* lib. II. *Angrivarios* nominat: *Metantis*, inquit, *castra Cæsari Angrivariorum defectio à tergo nunciatur: missus ilico Stertinius cum equite & armatura levi, igne & cædibus perfidiam ultus est.* Degebant ultra Albim confines Cheruscis. Idem eodem libro: *Latus unum Angrivarii lato aggere extulerant, quo a Cheruscis dirimerentur:* & postea: *Mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat.* Et in libro *de moribus Germanorum*: *Juxta Tencteros*, inquit, *Bructeri olim occurrebant: nunc Chamavos, & Angrivarios immigrasse traditur, pulsis Bructeris, ac penitus excisis.*

HIBERI, Armeniæ populi, nunc Georgiani vocantur; *Leonem luteum in parma item lucta, dextram altè tollentem, cauda in caput sublata gestant, quem rubeus circulus ambit.* Id fortitudinis est insigne, Principem hostes feriturum innuit. In manuscriptis leo duplicem luteum orbiculum dorso infixum habet, quale Thraces sub sequenti Magistro Præsentali, & invicti, robur Principum, duos orbes, id est, Orientem Occidentemque sustinere vel tueri indicat, Claudianus:

— Nomenque probantes
Invicti clypeoque animosi teste leones.

Sunt etiam Iberi Hispaniæ populi, de quibus possit intelligi.

URSI ab Ursa Picenorum oppido vocati, hoc habebant insigne: *In parma latea rubrum pedamentum pilam luteam sustinet, unde duo dimidiati canes lutei aversi, & latrantes committuntur, supra est luteum caput fœminæ.* Hi sunt duo Principes, qui concordi prudentia per muliebre caput demonstrata, orbem Romanum regunt, Barbarisque cum impetentibus allatrant. In armariis inter utramque Notitiam positis, muliebre caput, pro providentia depingitur. Idem planè insigne in cœrulea parma gestant TERVINGI sub sequente Magi-

Magistro militum, in quibus Pierius lib. XIIII. cap. XI. pro canibus lepores nominat.

FELICES HONORIANI juniores, ab Honorio vocati. Felicia titulo aliqua auxilia & legiones sunt honestatæ, ut tertia quæ Felix nuncupata, in Norico Ripensi degebat, prout in *Itinerario Antonini* nomine edito legitur. Vopiscus in *Probo*: *Recipe*, inquit, *in fidem tuam legionem tertiam felicem*. Claudianus in *bello Gildonico*:

Nervius insequitur, meritusque vocabula felix.

Ita appellata est ab Augusto hæc legio. Sed hi ab Honorio denominati, ab illa sunt diversi. Auctor est Orosius li. VII. c. XL. Æneas Sylv. in *opu. Delonds* l. I. quosdam barbaros ab Honorio in fœdus receptos & in militiam allectos *Honoriacos* fuisse vocatos, credo legendum, *Honorianos*.

In horum *rubro scuto*, *vir alatus*, *duas dimidias lunas lutei coloris*, *utrasque manu supra caput sustinet*: Victoria est Rom. Imperium extollens, quod etsi propter duos Principes dimidiatum videtur, ob eorum concordiam in unum plerumque coalescit Imperium, cujus typus est Dimidia luna quæ in orbem completur. In manuscriptis, pro viro, est mulier alata.

VICTORES, à Victoria, ut credo, oppido in Britannia appellati. Alia est in Hispania, alia in Mauritania Cæsariensi. Victrices quæ erant in Britannia legiones vocabantur, videlicet VI. XIII. XXIII. Dion in lib. LV. etiam Victricem in Britannia legionem nominat. At hæ non sunt legiones, sed auxilia, de quibus Marcellinus, lib. XXVI. cap. VII. agmina duo præcedebant, quibus nomina fuere Jovii atque Victores, & lib. XXVII. cap. VIII. Hos lib. XV. *Niceterios* Græcè appellat.

In *alba parma*, *orbem luteum*, *duplici vinculo*, *item luteo*, *circundatum gestant*, *quem vallum in summo prominentibus orbiculis interlunatum sepit*, *suprà rubra crux* velut sanguine Christi tincta *eminet*, cujus ope, Orbem Romanum undique tutum esse significatur: prominentes enim orbiculi munitiones, orbem tuentes referunt. In Madruciano, vallum undique acutas cuspides emittit. Feriendi hostis argumentum. Globus est mundus Rom. duplici conjunctoque Imperio rectus, qui ope Crucis sanguine Christi aspersæ, munitur. Madrucianus, duos implicitos globos cœruleo circulo, & alio majore luteo junctos habet, quod idem argumentum est, Orientem & Occidentem duplici, sed uno Imperio contineri.

PRIMI THEODOSIANI, hi & sequentes à Theodosio eorum auctore, nomen habuere: quemadmodum & Felices Theodosiani ab eodem inventi, qui sub alio Magistro militum Præsentali merebant.

In *parma lutea*, *orbem luteum*, *duobus vinculis luteo & rubro constrictum ferunt*, *quem currens & latrans canis*, *dorso sustinet*, *superne rubens Aquila alas expandit*. Hi duo sunt Principes orbem Roma. tenentes, quorum alter orbem sustinens hostibus allatrat: Aquila, Romani Imperii symbolum, alterum refert, qui orbem tueri videtur. In manuscriptis pro aquila est alata victoria, & bos pro cane, robur Imperii portendens.

FELICES THEODOSIANI ISAVRI, ex Isauria lecti. Horum in *parma cœrulea insigne* fuit *Taurus*, *ad cœrulei collis radices incedens*, *cui altus lutei coloris mons imminet*: *In ejus summo nigra aquila alas expandit*. Hoc symbolum Isauros milites, radices Tauri montis, per Taurum animal significati, incolere indicat. Collis autem ab alto monte, qui Taurus est, distinguitur. Aquila typus est Romani Imperii orbem protegentis.

Pierius verò lib. XL. cap. VII. ita hoc emblema describit: *Luteus taurus*, *ad viridantis monticuli radices pectus*; *in summo verò collis vertice dimidiatus insidet Æthiops*, *dextra manu lorum*, *læva pileum prætendebat*. *passis hinc & inde manibus*, *indicabat in sua manu esse*, *captivos facere*, *& libertatem indulgere*. Hæc Pierius. Ego illum non Æthiopem sed unum ex Principibus esse puto, qui ob dimidium Imperium, & ipse dimidius apparet, dextra flagellum ostendit, quo se Barbaros verberaturum minatur. Læva pileum tenet, populos se liberaturum ab eorum tyrannide promittens.

ISAVRI ad montis Tauri radices, Ciliciæ finitimi, latrocinari consueverant, ut ait Leo, *in l. ult. C. ad leg. Juliam de vi publ.* qui de militibus loqui potest, etsi Accursius & alii, latrones esse arbitrentur. Nam Isauros latrocinius infames fuisse Strabo lib. XII. scribit: Vnde etiam diebus Paschæ supplicio affici possunt, *l. penultim. C. de fer.* Zosimus libr. IV. cap. XX. *Isauros*, ait, *alii Pisidas*, *alii Solymos*, *alii Cilices montanos vocant*, *qui oppida Lycia Pamphyliaque*, *uno duce sibi constituto vastabant*. Probus Imper. Isauris latronibus domitis, juniores militiæ adscripsit, qui postea inter auxilia Palatina à Theodosio sunt relati, indeque felices Theodosiani Isauri appellati: Vopiscus in *Probo*.

TERTII THEODOSIANI, in *rubro clypeo duos dimidios*, *luteosque globos*, *duplici alboque cippo præfixos gestant*, *qui alium cœruleum luteo circulo vinctum sustinent*. *Marginem luteus ambit circulus*: id, ut sæpe, terræ marisque in Oriente & Occidente, duplex denotat Imperium, quod etsi dimidium videtur, ex typo dimidiorum globorum, unum tamen manet. Cæterum, Pierius, lib. XL. loquens de *pileo*, aliud ipsis symbolum tradit: *In parma*, inquit, *est margo hyacinthini coloris circulo aliquantulum lato circumductus*, *sub quo alter contiguus angustioris spacii*, *unde facies media rubra*: *Ab ima ejus parte albus erigebatur cippus in angustum supernè desinens*, *qui lunæ speciem cornibus sursum versis sustentabat*. *In medio parmæ insidebat luna albus identidem circulus*, *cujus centrum latè fusum*, *nigri coloris erat*; *supra circulum hunc album ostentabatur*, *à medio sursum Æthiops eodem modo quo superior manibus exporrectis*, *eadem dextra loro*, *sinistra pileo munitus*. Sed in impressio, hæc imago non visitur, nec in manuscripto Vrsini. Madrucianus, nigram victoriam alatam ostendit.

Hi sunt milites, qui sub primo Magistro Præsentali merebant, in quibus eadem symbola quinquies repetuntur. Aquila enim apud Jovianos & Herculianos utrosque juniores reperitur. Globus cuspidibus munitus penes Nervios & Fortenses. Lutei globi rubeis circulis inclusi penes Constantinianos & alios. Sagittarii seniores & juniores, idem & ipsi fere symbolum gestant. Octo præterea apud hunc Magistrum symbola sub alio Præsentali repetuntur. Lancearii enim seniores sub hoc, & juniores sub sequente eodem insigni utuntur, & Britones seniores sub magistro per Illyricum. Mattiaci seniores sub hoc & Constantiniani sub sequente. Martiarii juniores sub hoc & seniores sub sequente. Hiberi sub hoc & Thraces sub sequenti eodem symbolo ornantur. Idem in Vrsis, Tervingis, Anglevariis, Defensoribus, & Vindicibus, Primis, & Secundis Theodosianis spectatur, quorum illi sub hoc, hi sub sequenti idem insigne habent. Sed & Tertia Decimani, & Divitenses Gallicani sub Magistro militum per Thracias, Primorum, Secundorumque Theodosianorum symbola se-

runt. Victores sub hoc, & Felices Arcadiani juniores sub sequenti idem insigne gerunt, quod & Martiarii, Constantes, & Arecotti per Illyricum sumpserunt. Nunc de hujus Magistri Præsentalis officio est dicendum.

NOTITIA.



HABET autem dignitates infra scriptas.
Principem, Numerarios duos.
Commentariensem, Primiscrinios, qui numerarii fiunt.
Scriniarios, Exceptores, & cæteros apparitores Magistri militum in Præsenti quindecim.

CAP. XLI.

DE OFFICIO MAGISTRI *militum in præsenti.*

COMMENTARIVM.

OFFICIVM habet hic Magister Principem, Numerarios duos, Commentariensem, Primiscrinios, qui Numerarii fiunt. Hi in officio Magistri per Orientem, & Magistrorum peditum, equitumque Occidentis, & Comitum ac Ducum tam Orientis quàm Occidentis adjutores vocantur. Habet & scriniarios, id est, epistolarum & libellorum scriptores & custodes, *l. in scriniis & l. sequent. C. de prox. sacr. scrin. lib.* 12. qui subadjuvæ in officiis Comitum & Ducum Occidentis appellantur. In eodem officio erant & Exceptores, qui acta militum litigantium scribebant & officiales cæteri quindecim. In Officio Ducum Africæ Justinianus homines XI. statuit, *l. 2. in Notitia, C. de off. P. P. Afr.* qui nullum gradum tenentes, erant simplices apparitores, fortè antebulones Magistrorum, de quibus supra diximus.

PRINCEPS eo officio fungitur, quo alius ejusdem nominis apud Præfectos Prætorio, causas enim militum coram magistro motas instruit, & exequitur. Numerarii notabant in libro, qui singulis diebus excubassent, nocte vigilias egissent, vel alia munia obiissent, ut sciri posset, qui in muneribus debebant succedere: Vegetius libro II. cap. XIX. *In quibusdam*, inquit, *militibus notarum peritia, calculandi computandique usus exigitur. Totius enim legionis ratio, sive obsequiorum, sive militarium munerum, sive pecuniæ, quotidie adscribitur actis, majore propè diligentia, quàm res annonaria vel civilis libris annotatur. Quotidianas enim in pace vigilias, item excubiterum, sive angarias de omnibus centuriis & contuberniis, quæ vicissim milites faciunt, ut ne quis injustè prægravetur, aut alicui præstetur immunitas. Nomina eorum, qui vices suas fecerunt, brevibus inseruntur. Quando quis commeatum accepit, vel quot dierum, annotatur in brevibus: tunc enim difficile commeatus dabatur, nisi justissimis causis approbatis.* Hæc ille. Stipendia etiam militibus soluta notabant, quemadmodum Præfectorum numerarii, vectigalium, & tributorum rationes, *Rationarii* à Marcellino lib. XV. cap. V. appellantur ob prædictas rationes quas scribebant: *Interrogato*, inquit, *Remigio etiam tum Rationario apparitionis armorum Magistri.* Et lib. XIX. cap. IX.

A *Numerarii*, ait, *apparitionis magistri equitum.* Eorum officium idem plenius lib. XVIII. cap. V. describit: *Antoninus quidam*, inquit, *Ratiocinarius apparitor ...... circa ratiocinia versabatur, qui vel quarum virium milites, ubi agant, vel procinctûs tempore quos tueantur describens, itidem armorum, & commeatuum copia, aliaque usus bello futura, an abunde suppetant, indefessa sciscitatione percontans.* Hæc ille. Numerarios Comitum rei militaris *actuarios* Gratianus *in l. 3. in fi. C. de diver. off.* vocat. *Numerarii*, inquit, *Comitum illustrium virorum, sive actuarii libram auri fisci viribus solvant, nisi statuta fuerint custodita.*

B Eos numeri seu ordinis militaris ratiocinia tractare, & illi annonam erogare Valentinianus ad Probum P. P. scribit *in l. actuarii. C. de eroga. mil. an. Actuarii*, ait, *nisi expleto triginta dierum spacio pyntasia authentica confestim tradiderint, species, quas ex fiscalibus conditis dissimulaverunt excludere, vel numero militum, cujus ratiocinia pertractant, supersederint erogare, de propriis facultatibus vel militibus ipsis, vel fiscalibus horreis adigantur inferre.* In publicis enim civitatum horreis species annonariæ, *l. 1. 2. & pe. C. de navic. seu naucl. pub. species, transpor.* militibus exhibendæ conservabantur, *l. null. C. de off. rector. provin. l. fortissimi.* C *C. de erog. milit. anno.* Duobus diebus bucellatus, ut suprà diximus, tertio panis. Alternis diebus vinum, & acetum, uno laridum, duobus caro vervecina militibus dabatur, *l. 1. C. eod. tit.* Bucellatus autem erat, quem vulgò *biscoctum* appellant. Marcellinus lib. XVII. cap. VIII. *Firmato*, inquit, *consilio viginti dierum frumentum, ex eo quod erat in sedibus consumendum ad usus diuturnitatem excoctum, buccellatum, ut vulgo appellant, humeris militum imposuit.* Hæc ille. Horum Numerarii seu Actuarii rationes scribebant, & capitum, id est, pabulorum quæ pro alimentis equorum exhibebantur, *d. l. fortissimi.* sed quia annonam, & D stipendia, quæ tempore Romanæ Reipublicæ militibus dabantur, & à Numerariis annotabantur, egregiè Polybius explicat, ejus verba Latinè subjeci lib. VI. *de castrametatione Rom. Obsonium*, inquit, *pedites duos obolos accipiunt singulis diebus. Ductores ordinum duplum. Equites drachmam. Triticum datur peditibus Attici medimni, ex tribus dua fermè partes. Equitibus hordei septem medimni singulis mensibus; Tritici duo. sociis pediti æqua portio, Equiti tritici medimnus & tertia pars. Hordei medimni quinque, daturque id sociis muneri. Romanis tam frumenti quam vestis, armorumque, si quis hujusmodi rerum indiguerit, horum omnium quæstor cer-* E *tum ordinatum precium eorum obsoniis subtrahit.* Hæc ille.

Medimnus autem Atticus, inquit Suidas, pendet libras CVIII. obolus fermè VIII. nostros quadrantes. Actuariis duplex annona, & una capitatio dabatur, *l. 3. C. T. de numer. lib. 8. tit. 1.* erat autem annona quantum homini ad victum sufficit, capitatio pabulum pro uno equo: Ammianus enim scribit lib. XXII. cap. IV. tonsorem Constantii Imper. vicenas diurnas annonas, & totidem jumentorum pabula habuisse, *quæ vulgo*, inquit, *capita dicuntur.* Præter hos erant & Actuarii civitatum, qui eandem annonam ad milites transfe- F rendam ab horreis publicis accipiebant, *l. actuarios. C. de numer.* & hæc quoad Numerarios Magistri Militum Præsentalis: nunc Commentariensi, de quo supra dictum est, prætermisso, ad alios, id est, Primiscrinios veniendum.

PRIMISCRINIOS supradictis addit Notitia, qui numerarii fiunt: Hos adjutores & subadjuvas Com-

Commentariensis & officii esse puto, qui delinquentes carceri mancipatos observabant, ut supra in adjutore P. P. Orientis diximus, qui enim hic & in aliorum magistrorum officiis primiscrinii dicuntur, in magistri militum per Orientem officio Adjutores vocantur, & ita etiam in Jure nominari videntur, *in l. 3. C. de appa. P. P.* Adjutoris quoque subadjuvas Justinianus officium Præf. Præto. explicans, Primiscrinios appellat, *in l. 2. §. in scrinio primiscrinii. Cod. de offic. Præfector. Prætorio Afr. In scrinio*, inquit, *Primiscrinius, quod est subadjuva, hominibus x. annona xiv. capitationes xii.* ita etiam intelligi censeo rescriptum Gratiani ad Potitum Vicarium, *in l. ult. Cod. de sportul.* quod jubet reum ab eo apparitore usque ad finem negocii observari, cui primum exhibitus fuit, quod si secus factum fuerit, Primiscrinius in quinque libris auri mulctabitur: ita adjutorem appellat, cujus onus erat carceri traditos custodire, itaque *l. ultim. Cod. de off. Præfect. urb. l. 4. Cod. de custod. reo.* Gratiani rescriptum de criminosis custodiendis, non autem ut vulgò, de civiliter litigantibus intelligo, propriè enim delinquentes exhibentur, *l. 1. C. de cust. reo. l. 1. C. de exhib. reis.* & custodiæ traditi observantur, *l. 4. C. de custo. reor.* Primiscrinios verò dictos puto, quia præcipuo officii scrinio præerant. Quandoque tamen Primiscrinius officii princeps nuncupatur, *l. 3. C. de appa. P. P. ad fi. l. 3. C. de diver. offic.* sed hic ab eo distinguuntur, ut nequeant commisceri. Aliquando & Numerarii Primiscrinii vocantur apud Notitiam in officio Præf. urbis, in Occidente, ac Comitem rerum privatarum, penes quem præter primicerios officiorum, alii omnes Primiscrinii appellantur, quia erant numerarii varias rationes privatas scribentes, HI PRIMISCRINII NUMERARII FIUNT, inquit Notitia, quoniam numerum delinquentium, varietatem delictorum, clausorum ordines, ætatem, sexum, & nomina condemnatorum, & absolutorum scribebant: quod etsi onus esset Commentariensis, *l. pen. vel ult. C. de cust. reor.* etiam adjutori incumbebat, quod præsertim Notitiæ tempore observari potuit. Non ergo intelligo primiscrinios numerarios factos fuisse, quia si aderant numerarii, ipsi frustra eum locum tenuissent, sed interpretor eos in delinquentium & criminum rationibus, & aliis hujusmodi annotandis numerarii officio functos fuisse.

SCRINIARII sequuntur, qui *Regerendarii* in officiis magistrorum peditum, & equitum Occidentis, ac Ducum vocantur. Eos Notitia in officio Ducis Arabiæ *Libellenses* interpretatur, quos in aliis Ducibus *subscribendarios* appellat. Hic ergo scriniarii pro libellensibus atque etiam epistolaribus accipiuntur, ut quandoque in hoc sensu Jura usurpant, *l. 3. C. de appa. Præf. præt. ad fi.* in officio quoque Proconsulis Asiæ eos Notitia pro epistolaribus sumit & à libellensibus separat. Alibi Scriniarios generaliter omnes magistrorum militum apparitores Anastasius Imperator appellat, quos etsi militum matriculis inscriptos militari jure testari posse negat, *l. scriniarios. C. de milit. testa.*

Cæteros verò apparitores xv. hujus magistri militum singularios esse existimo, quos omnes magistri militum habebant: Scribis vero, Ab actis, quemadmodum Comites, & Duces, rei militaris carent, quia apud eos instrumenta aut probationes rerum actarum robur non accipiebant, sed ab illis, qui populis jus dicebant: Magistri militum apparitores erant veri milites, nullis officiorum conditionibus obnoxii, *l. 1. & 2. C. de appar. mag. milit.* Quibusdam etiam privilegiis, qui intra statutum numerum erant, potiebantur, *l. 1. & ultim. C. eod. titu.* Inter alia expleris militiæ stipendiis Tribuni prætoriani fiebant, & ab omnium judicum indictionibus erant immunes, *in l. penultim. C. de appar. mag. milit.* Principis quoque hujus officii munere functus Tribunus vigilum militaris *in dict. l. penultim.* creabatur. Ejus Primates nomina ex militia equestri mutuabantur, quæ D. Hieronymus in epist. LXI. *ad Pammachium*, ordine recenset: *Finge* inquit, *aliquem Tribunitiæ potestatis suo vitio regradatum, per singula militiæ equestris officia, ad tyronis vocabulum devolutum: Nunquid ex Tribuno statim fit tyro? Non, sed ante Primicerius, deinde Senator, Ducenarius, Biarchus, Circitor, Eques, postea tyro.* Hæc D. Hieronymus. His etiam nominibus vocantur à Justiniano, *in l. 2. in Notitia. C. de off. P. P. Afri.* qui Primicerium pro Principe seu officii capite ponit; Is erat ut Tribunus in ala equitum. item pro senatoribus Numerarios, pro Commentariensi Ducenarium, pro Primiscriniis Centenarios, pro Scriniariis Biarchas, pro Exceptoribus Circitores nominat. Reliquos XI. vel XV. tanquam gradu carentes omittit: Erant enim simplices equites: Hi gradus in omnibus scholis reperiebantur, ut apud Constantinum, *in l. 1. C. de offic. mag. offic.* & Theodosium, *l. 3. C. eod. titu. & l. 1. C. de privileg. scholar.* legitur. Senatores erant qui cæteris auctoritate præstabant, & agenda consulebant. Ducenarii & Centenarii dicti sunt, qui CC. ac C. equitibus in ala seu Cuneo imperabant, quemadmodum & in legione Biarchus annonam custodiebat: Eratque ut signifer in legione, apud quem donativi militum pars servabatur. Circitor circumibat vigilias. Eques gradum non habebat, tantum tyronem præcedebat, & ideo raro nominatur. Plus autem erant Senatores, & qui Ducenariorum, Centenariorumque Biarchorum, & Circitorum nomine in officio honestabantur, quandoque III. v. aut VIII. ut apud Justinianum *in dict. l. 2. in Notitia. C. de offi. P. P. Africa* legitur. Hujus officii Primates codicillis à Scriniario libellorum conscriptis, ac à Principe, & demum Magistro ipso subscriptis, probari oportebat, *l. ultim. C. de divers. offi. libr. 12.* Omnium enim Magistrorum, Ducum & Comitum militarium officia à Principe pendebant, & codicillis creabantur, quæ *probatoria* vocabantur, & in scrinio libellorum cum eorum nominibus & stipendiis conservabantur, *dict. l. ultim. & §. 1. Novell. 25.* CCC. apparitores, qui magistri militum præcepta & sententias exequebantur, coram eo tantum conveniri poterant. Cæteri apud P. P. vel P. V. vel Præsidem cogebantur respondere, *l. ultim. titu. 14. Novell. Theod.* Nunc ad alium Magistrum militum in præsenti est transeundum.

NOTITIA.

SUB dispositione viri illustris Magistri Militum Præsentalis.

Vexillationes.

Palatinæ sex.

Comites seniores.
Equites Braccati juniores.
Equites Batavi juniores.
Comites Sagittarii Armeni.
Equites Persæ Clibanarii.
Equites Theodosiani seniores.

CAP. XLIV.

DE VI. VEXILLATIONIBUS *Comitatensibus.*

SEx aliæ Vexillationes Comitatenses appellatæ eidem magistro parebant, videlicet:

EQVITES CATAPHRACTARII, quorum occc. Aureliano Valerianum dedisse apud Vopiscum legimus.

EQVITES CATAPHRACTARII AMBIANENSES, ex Galliæ populis in Belgis prope Morinos lecti, in Occidente non sunt.

EQVITES SEXTO DALMATÆ.

Octavo Dalmatæ in Occidente reperiuntur inter Vexillationes Comitatenses.

SECVNDI SCVTARII, juniores in Occidente inveniuntur. Hos à scutariis differre arbitror, qui in scholis Magistro officiorum parebant, & quos Valentinianus regebat, cùm Imperator est creatus, ut Marcellinus lib. XXVI. refert.

EQVITES SCVTARII sunt inter Comitatenses Occidentis. Scutariorum prima & secunda schola Magistro officiorum parebat. Hi forte erant ex prima schola, quæ infra sub Magistro militum per Orientem inveniuntur.

EQVITES secundi Clibanarii Parthi, de quorum nominibus supra dixi, in Occidente non reperiuntur. Horum symbola neque in impresso, neque in manuscriptis codicibus apparent, sed multa ex his quæ sunt in Occidente, apud ejusdem nominis numeros accipi possunt. Nunc ad pedites & Legiones, Auxiliaque est veniendum.

CAP. XLV.

DE VI. LEGIONIBVS PALATINIS, *sub alio Magistro militum in præsenti.*

SVB eodem Magistro erant sex aliæ Legiones Palatinæ appellatæ, videlicet:

MARTIARII seniores. Hi habebant ferè *idem insigne*, quod Martiarii juniores, sub præcedente Magistro Præsentali: In hoc tantum *differebant*, quod in horum *clypeo orbis oblique decussatus duobus conjunctis circulis cingitur*, qui duplici, junctoque Imperio regi insinuatur: colores etiam in aliquo variant, & nulla hic crux apparet: Duplexque luteus circulus clypei marginem ambit; eadem utrorumque est significatio.

DACI, ex Dacia adducti, *in rubeo clypeo rubrum globum luteo circulo inclusum tenent, quem densæ, viridesque cuspides undique protegunt. Luteus prassinusque limbi marginem ambiunt.* Id perpetuam duplicisque conjuncti Imperii munitionem contra hostes & cladem per mucrones indicat, quorum sanguis per rubrum significatus, campos inundat. Simile gestant Regii sub hoc Magistro; Nervii & Fortenses, sub alio Magistro militum Præsentali, nisi quod horum parma rubet, & densiores cuspides apparent.

SCYTHÆ ex Scythis, nunc Tartaria dicta, profecti erant sagittarii, Ælian *de instr. acieb. In parma cærulea rubrum globum luteo circulo cinctum ferunt, quos XIV. acuti rhombi circunstant*, qui acuta ferri acie, hostes Rom. Orbis, uno, seu conjuncto Imperio recti jugulandos minantur: ego has plumbatas, seu martiobarbulos fuisse existimo, quibus hæc legio pugnabat; de hoc genere telorum late Vegetius disserit lib. I. cap. VII. Innumeræ apud Esculum propè Truentem fluvium hujusmodi plumbatæ hac forma oblongè reperiuntur, & quandoque literis incisæ, quas apud me habeo. Extrema duplex circulus luteus & viridis circumdant. In manuscripto Ursini duplex cuspidata corona: altera cœrulea, altera alba duos orbes tuetur.

PRIMANI, ex prima legione contracti, de quibus ita Marcellinus lib. XVI. cap. XII. loquens de Constantio: *Iter sibi aperiendo ad usque Primanorum legionem pervenit locatam in medio;* Festus ait, *Primanum* esse primæ legionis Tribunum, qui ejus tributum describit. Quinque legiones primæ sunt appellatæ, Italica, Minervia, Adjutrix, & Parthica, ac prima Classica à Claudio inventa. Ex qua harum hi sint contracti, non constat.

In eorum *luteo clypeo rubens orbis, duobus contortis, rubentibusque funibus arctè constringitur, qui latius extensus album exteriorem majoremque globum, partim cæruleum, partim luteum complectitur.* Orientalis Occidentalisque Imperii arctam conjunctionem, & unitatem indicat, non secus ac si crasso arctoque fune colligata essent. Ex *Ecclesiast.* cap. IV. id sumptum videtur: *Funis*, inquit, *triplici nexu contextus, haudquaquam facile perfringitur:* Primus globus orbem Rom. duplici connexoque Imperio, non secus ac pluribus filis funis connectitur, regi insinuat. Alius major orbis, coloribus distinctus & ipse portendit orbem Rom. etsi divisum, uno arctoque Imperio conjungi. Rubeus color in funibus purpuram referens, Imperii est proprius. Duobus quoque circulis, luteo & rubro clypeus cinctus; duo orbis divisa imperia in unum coire significat.

UNDECIMANI ex undecima legione conflati, *idem tenent insigne.* XI. legio, Claudia, Pia, Felix est cognominata, quia à Claudio, Camillo contra eum conspirante, non defecit. Hæc & veterana legio, pro Othone adversus Vitellium stetit. Tacitus lib. II. *Hist.*

LANCEARII juniores ferè idem symbolum quod seniores sub alio Magistro Militum Præsentali gestabant. Nempe *in medio alba parma, globulum luteum, rubro luteoque circulis cinctum præferebant, quem XIII. stipites seu trabes rubea undique firmabant:* Rom. orbem duplici conjunctoque Imperio administratum, adversus vim hostium munitum esse indicant. Aquæ subtus inundant, quæ eandem in maris Imperio conjunctionem esse ostendunt. Marginem cingunt circuli luteus & cœruleus, qui & ipsi, duplicis Imperii perpetuitatis sunt symbolum.

CAP. XLVI.

DE XVIII. AUXILIIS PALATINIS *alterius Magistri militum Præsentalis.*

PRÆTER sex Legiones Palatinas XVIII. Auxilia hic Magister militum regebat, quæ erant:

REGII Hyperboreorum Sarmatarum, auctore Ptolemæo, sunt populi Græcè *Basilici* dicti. *Rubro in clypeo, album orbem, cæruleo alboque circulis inclusum gestabant: Hos rubens corona, densis cuspidibus armata, undas supernatans munit;* quemadmodum in Dacis est dictum. In Codice Ursini cuspides, & medius circulus sunt cœrulei.

CORNVTI, ex oppido Illyrici Cornuto contracti. In fabricis enim Illyrici Notitia Cornutensem scutariam nominat, à loco Cornuti dictam. Horum insigne ita Pierius lib. XV. cap. XXXI. describit: *Cornutorum gestamen erat parma lutea, sed*

nigro

nigro circulo aliquantulum interius circumducto, in cujus medio, angues rubri duo, non è baculo, sed velut è cippo quodam identidem rubro emissi, ad osculum incurvabantur: in cippi medio ancile parvum erat colore perpictum luteo, duabus in medio lineis nigris, a dextra ad lævam in parallelum dissecantibus, in superiore ejus parte T. centurionis signum notatum erat; ita Pierius. Ancile cum lineis, & T. in impresso non apparent. In manuscripto Ursini, quod Pierius ancile esse putat, est typus penè hujusmodi, quo orbis Romani divisionem, sed unum permansisse Imperium, indicari puto, ut ubique ferè significatur. In Madruciano est albus globus à duobus Principibus rectus. Literam verò T. Centurionis notam esse non arbitror, potius enim Tribunum denotaret, quem Præfectum Cornuti habebant. Marcellinus lib. XVI. cap. XI. *Velites*, inquit, *cum Bainobaude Cornutorum Tribuno misit:* Illud itaque sanctissimæ Crucis signum esse censeo, sub cujus præsidio tutum Romanum vivebat Imperium, ut in Martiariis junioribus, & Batavis senioribus est visum. Per angues ad osculum inflexos summa duorum Principum concordia denotatur. Nigra linea quandam quidem divisionem, sed firmitatem Rom. Imperii significat. *Colores enim alii, ex uno in alium transeunt, obscurioris que corporis admixtione densiores fiunt: sed ubi ad nigrorem perventum est, ibi color consistit:* ut Pierius lib. XXII. cap. I. monet. Alciatus pro anguibus duo cornua ponit, lib. V. cap. XIII. *Parerg.* Cornutorum sæpe Marcellinus meminit in lib. XVI *quos fluxioris fidei, & ubertate mercedis ad momentum omne versabiles fuisse* scribit. Idem lib. XVI. cap. XII. *Cornuti*, ait, *& Braccati diuturno præliorum usu firmati excipiunt eos*, id est, elephantes. In Occidente seniores, & juniores Cornuti, inter Auxilia Palatina merent.

TUBANTES ex Germania collecti. Cornelius Tacitus lib. I. *Annal. Excivit*, inquit, *ea sedes Bructeros, Tubantes, Usipetes.* Et lib. XIII. *Chamavorum quondam ea arva, mox Tubantum, & post Usipiorum fuere.* Et postea: *Sola Ansibariorum gens retro ad Usipios, & Tubantes concessit.* Hi etiam in Occidente militabant. In *rubra parma globum luteum cippo cæruleo præfixum gestabant*, ad stabilitatem Rom. Imperii denotandam. *In summo verò parmæ erat cærulea tabella*, quæ lex à Principe, orbi, velut ejus domino data altè spectatur. In manuscriptis pro tabella est dimidius orbis cœruleus supra luteum, qui alii junctus, plenum orbem Romanum efficit, qui dimidiatus à duobus Principibus regitur.

CONSTANTINIANI à Magno Constantino dicti, *eadem* habent *insignia*, quæ & Mattiaci seniores, sub alio Magistro Præsentali, *coloribus tantum differunt.* Hi enim *orbem album, duobus rubro luteoque vinculis constrictum* tenent, forte ut alterutri distinguerentur. In manuscriptis, globus duabus nigris lineis est decussatus. In Codice Ursini, corvi sunt lutei; in Madruciano albi; in meo utrobique nigri apparent.

MATTIACI juniores in umbone *cærulei clypei album globum, duobus circulis, rubro, & albo clausum præferunt, supra sunt duorum Principum imagines, à duobus angelis, seu geniis altè sublatæ:* Typi sunt victoriæ eos extollentis, siquidem alæ gloriam, victoriamque altè volantem significant. Pierius lib. XXI. In Ursini codice id deest, sed globulum quinque circuli, niger, albus, cœruleus, rubeus, & luteus, circumplectuntur, Romanum orbem quinquies conjunctum, munitumque portendit. codex impressus habet, *Martiarii*, sed alii *Mattiaci*, de quibus supra.

SAGITTARII seniores Orientales dicti, ad eorum, qui sunt in Occidente, differentiam: *sagittarios ex Oriente* Herodianus in VIII. in prin. appellat. Horum insigne ita describit Pierius lib. IV. c. XVII. *Equi duo dimidiati coloris lutei in cæruleo clypeo, quem ruber circulus ambibat, aversi prosilientes à centro, quod luteum, in medio rubra pelta, pro umbilico appositum erat, ita ut ab ipsa pelta trames coloris ejusdem ad rubrum usque ambitum protenderetur, ejus ordinis erat insigne, qui Sagittarii seniores Orientales appellabantur.* Hæc ille. Duo dimidii equi, duo sunt Principes dimidium in orbe Romano Imperium tenentes. Hi velut contra diversos hostes, alter ab Oriente, alter ab Occidente impetum faciunt; Victoriam verò aversi equi significant, ut Pierius censet, eod. lib. Pelta autem orbem inclusum à Principibus defendi indicat. In impresso à duplici columna rubea, duplex pelta tegitur, quod à duobus Principibus orbem Romanum firmo robore defendi insinuat; Marginem fascia rubens cingit.

SAGITTARII juniores Orientales post supradictos lecti, & in Oriente degentes. In *parma alba globum*, ut Mattiaci juniores, *luteum, albo luteoque circulis cinctum tenent. Superne duo viri*, id est, Principes *in tabella* sunt depicti, *qui se respicientes dextra typum concordiæ elevant*, velut mutuum sibi auxilium pollicentes. *Extrema albus & rubens circuli ambiunt.* Referunt duos animis vinctos Principes orbem duplici conjunctoque Imperio regentes. In Ursini codice tabella sine Principibus in parma rubea visitur. Eam albam habet Madrucianus. De Auxiliis Sagittariorum, Capitolinus in *Maximino* ita scribit: *Orientalia secum trahebat auxilia, quia nulli magis contra Germanos, quam expediti Sagittarii valent.* Reperiuntur Armeni inter sagittarios militasse, qui & ipsi sunt Orientales, & Iturei, quorum non magnus erat numerus. Vopiscus in *Aureliano: In tua potestate erit militiæ magisterium: habes sagittarios. Ityreos trecentos, Armenios sexcentos.* De his supra dictum fuit.

SAGITTARII Dominici, credo legendum *Domanici*, à Domano oppido Armeniæ, vel Arabiæ Felicis. Utrobique enim hujus nominis Civitas reperitur.

In *clypeo cæruleo luteum orbem, rubro circulo inclusum gestant: supernè duo genii mulieris caput sustinent*, quod Principum providentiam referre suprà dixi, ab eorum geniis rectam. Manuscripti coloribus variant.

VINDICES à C. Julio Vindice fortè dicti, qui in Galliis Prætor primus à Nerone defecit: *Gallus fuit*, inquit Dion, *ex regia stirpe, & patre Senatore descendens, Vir magnis viribus corporis, ac multa præditus providentia, peritus rei militaris, & ad omne præclarum facinus audax.* Hæc ille. Pars ejus militum *Vindices* appellati, diu id nomen retinuisse videntur. Puto tamen à *vindicando* hos dictos, sicut *Defensores* à *defendendo*. Et idem fere utrique gestant insigne, quod ita Pierius lib. XV. c. XXXIII. describit: *Iis proximi erant, & ordine, & præfectura vocati Vindices, qui cæruleas, Mori instar, colubres in caducei morem flexas pro insigni habebant; in parma tota lutea, ubi angues pedamento committebantur applicati, coalitique. Aureus erat umbilicus.* Ad concordiam Principum orbis Romani, & unitatem firmitatemque pertinet hoc insigne, simile est Defensorum alterius Magistri militum Præsentalis: sed horum clypeus limbo caret. In Madruciano supra anguium capita lorum nodo est constrictum: Quod arctam utriusque Principis conjunctionem insinuat: elegans est ænigma, figuraque nodi est hujusmodi.

BUCCE-

BVCCINOBANTES sunt Alemani juxta Moguntiacum: Ammianus lib. XXIX. cap. IV. loquens de Valentiniano: *In Macriani*, inquit, *locum Buccinobantibus, qua contra Moguntiacum gens est Alemanna, Regem Fraomarium ordinavit.* Horum *parma rubra, globum luteum duobus circulis cæruleo & luteo circundatum præfert*: Orbem Romanum duplici junctoque Imperio rectum portendit. Duplex item circulus, albus & rutulus marginem cingunt, qui idem significant.

FALCONARII à Falconara fluvio Siciliæ appellati: *Horum*, inquit Pierius lib. XV. *gestamen erat, in parma tota purpurea, angues duo cærulei colore tamen dilutiore, bina utrinque aures acuta longeque surrecta. Hi non baculo, sed lato cuidam pedamento committebantur, (liceat ita columellam appellare, qua sustinebat angues,) unde mox in superiorem caducei partem curvabantur: fulcrum illud lato satis spacio binas hinc inde plicas acutis angulis porrigebat. Medium hujus spacii umbilicus aureus occupabat: Qui id præferebant, milites Falconarii nuncupabantur.* Hactenus Pierius. Hoc signum concordiam duorum imperantium denotat, quæ per angues repræsentatur: Aureus umbilicus typus est orbis aurei sæculi à Principum conjunctione producti. Meus codex cœruleam parmam ostendit, & inter medias utriusque anguis squammas luteus orbis, luteo circulo cinctus clauditur. Idem ferè gestamen erat Cornutorum sub hoc Magistro.

THRACES in *clypeo cæruleo, luteum leonem, elato sinistro pede, & cauda erecta*, Principis hostes feriturí argumentum habebant, velut Iberi sub præcedente Magistro. Fortitudinem etiam hoc animal refert. In manuscriptis utrobique Leo in dorso globum luteum gerit, orbis est, quem suis viribus Romanus Princeps sustinet.

TERVINGI, vel, ut legit Pierius, *Teriungi*, forte Turingi, aut Trugi, ab his Germaniæ populis collecti, quorum insigne idem Pierius lib. XIII. ita describit: *Observes alicubi duos dimidios lepores, coloris lutei in puniceа parma, cujus medium rubra occupat columella, supra quam pila lutea, faciem insignem humanam coloris identidem lutei sustinet.* Lepus significat vigilantiam, siquidem hoc animal est vigilantissimum, quod oculos inter dormiendum apertos tenet. Unde in proverbium abiit, *Leporinus somnus.* Hi ergo duo Orientis, & Occidentis vigilantes Principes referunt. Caput verò humanum, eorum prudentiam cum vigilantia conjunctam. In simili Ursorum symbolo, canes pro leporibus sunt depicti.

FELICES THEODOSIANI, in *cærulea parma duplicem luteum globum rubro pedamento præfixum habent, quos Sol radiis illustrat*; Orientis Occidentisque velut gemini orbis, unum Imperium repræsentatur, quem Imperatorum circunfusa virtus illustrat, per Solem significata, ut Pierius libr. XLIV. explicat. Sed melius ad Divini numinis auxilium refertur. Io Ursini Codice Luna Soli conjuncta orbem respicit; Principis providentiam Divino numini afflatam insinuans. Luna pro Ecclesia solet poni, Sol pro Christo eam illustrante.

FELICES Arcadiani juniores, post alios Arcadianos ab Arcadio inventi, in *clypeo purpureo album globum cæruleo & luteo circulis cinctum gestant. Hos vallum cæruleum rostris in summo prominentibus interlunatum undique munit*: Id Roman. orbem duplici Imperio rectum, ab omni parte ita munitum esse innuit, ut cladem hostibus minetur. Simile est symbolum Victorum sub præcedenti Magistro, & Martiariorum Constantum, atque Attecotorum sub Magistro militum per Illyricum.

SECVNDI THEODOSIANI post primos à Theodosio instituti eo insigni honestantur, quod Pierius lib. IV. ita describit: *Luteus equus erat in imo parma ferrugineа coloratioris, cujus umbilicus albus rubro continebatur circulo, quem alter coloris lutei circumibat.* Hactenus ille. Hoc animal Principis ferocitatem ostendit, qui supra dorsum orbem duplici junctoque Imperio unitum sustinet. In aliis codicibus, non equus, sed felis videtur depictus, in parma Primorum Theodosianorum, qui simili symbolo utuntur, est canis. Primos autem & alios secundos Theodosianos, Isauros, sub alio Magistro militum præsens Notitia recensuit.

QVARTI THEODOSIANI quarto loco ab illo Principe instituti, *cæruleum clypeum nigris lineis decussatum gestant*, quo typo Imperium, etsi ex facie divisum, unitum tamen intelligi volunt. Possunt & quarti Theodosiani pro quarta eorum schola accipi, ut supra de tertio & quarto Dalmatis est dictum.

PSEVDO-COMITATENSES auxiliares sagittarii prædictis adjunguntur, quos per errorem his additos fuisse existimo, essent enim XVIII. auxilia, quæ Notitia XVII. tantum proposuit. Deinde hi in manuscriptis non leguntur, nec ulla eorum apparent insignia, quare videntur expungendi. In manuscriptis verò duplicatum insigne Quartorum Theodosianorum reperitur, quod & Felicibus Arcadianis Junioribus adscribitur, qui & ipsi hic per errorem bis scribuntur. Forte Felices Theodosiani seniores, & Felices Honoriani seniores, qui sub sequente Magistro per Orientem inter ultimos X. Vexillationum Comitatensium, cum suis symbolis recensentur, hic sunt reponendi, ibi enim ultra numerum illorum equitum abundant, nec equites esse possunt, quorum nulla in Oriente apparent insignia, quæ ibi ipsis solis attribuuntur. Quare loco Pseudo-Comitatensium si prædicti hic ponantur, XIX. hujus Magistri erunt Auxilia. Pseudo-Comitatenses autem illos appellatos fuisse censeo, qui non veri sunt Comitatenses, sed ipsos tamen imitantur, de quibus suo loco dicetur. Hæc de Magistris Militum in præsenti; Nunc ad alios per provincias Magistros est veniendum, id est, ad alium, qui Orientem tuebatur.

CAP. XLVII.

DE MAGISTRO MILITVM *per Orientem.*

AD COMPRIMENDOS hostium impetus; & subditorum tumultus, in tribus Orientalis Imperii tractibus totidem cum pluribus copiis Magistri militum locati erant, quos nunc *generales exercitus* vocant. Unus per Orientem, alius per Illyricum, tertius per Thracias, sed Limitaneis Ducibus, aut Comitibus castrorum, etsi eorum copiis utebantur, non imperabant. Leo, & Zeno ad Joannem Magistrum officiorum, *l. viros, C. de diver. offic. lib. 12. Duces*, inquiunt; *eorum apparitores, nec non limitaneos castrorumque præpositos tantummodo ex sublimis judicis tui sententia conveniri, nec aliis subjacere judicibus præcipimus*: Noster autem Magister per Orientem in quatuor ejus diœcesibus dispositas copias habebat, nempe Oriente, Asiana, Pontica & Ægypto: Nam etsi Præfectus Prætorio Orientis, etiam Thraciis præesset: hæ propter ingruentem hostium multitudinem proprium magistrum obtinuerunt, & pro duobus Orientalis Imperii præfectis, tres in Orientis provinciis præfati magistri sunt instituti. inter alios Magistrum

Hhhhh mili-

militum per Orientem, tanquam cæteris digniorem Notitia præmittit. Huic alium postea Justinianus addidit. Victo enim, per Belisarium Ducem, Rege Persarum, ac pace cum illo inita, in utraque Armenia, & Ponto Polemoniaco Zetam Magistrum militum cum legionibus & auxiliis constituit, *l. ultim. C. de offi. magist. milit.* quem Armeniam magnam interiorem nuncupatam, ultra Euphratem inter Taurum & Antitaurum tueri jussit, videlicet Anzatenos, Astianeos, Amitenos, Pontum Polemooiacum, Zophavenos, seu Sophenos, Balabitenos, ut traditur *in Novell.* 31. In reformatione quatuor Præsidum Armeniæ, quæ erant loca prope limites, in quibus Magister excubabat.

NOTITIA.



SUB dispositione viri illustris Magistri Militum per Orientem.

Vexillationes Comitatenses X.

Comites cataphractarii.
Bucellarii juniores.
Equites armigeri seniores Orientales.
Equites tertio Dalmatæ.
Equites primi scutarii Orientales.
Equites secundi Stablesiani.
Equites tertii Stablesiani.
Equites promoti Clibanarii.
Equites quarti Clibanarii Parthi.
Equites primi sagittarii.
Cuneus equitum secundorum Clibanariorum Palmyrenorum.
Felices Arcadiani seniores.
Felices Honoriani seniores.

Legiones Comitatenses IX.

Quinta Macedonica.
Martenses seniores.
Septima Gemina.
Decima Gemina.
Balistarii seniores.
Prima Flavia Constantia.
Secunda Flavia Constantia Thebæorum.
Secunda Felix Valentis Thebæorum.
Prima Flavia Theodosiana.

Pseudo-Comitatenses X.

Prima Armeniaca.
Secunda Armeniaca.
Fortenses auxiliarii.
Funditores.
Prima Italica.
Quarta Italica.
Sexta Parthica.
Prima Isauria sagittaria.
Balistarii Theodosiaci.
Transtigritani.
Officium autem Magisteriæ per Orientem potestatis cardinale habetur.
Habet autem dignitates infra scriptas.
Principem.
Numerarios duos.

A Commentariensem.
Adjutorem.
Scriniarios.
Mensores.
Exceptores, & cæteros apparitores. Postea sequitur:
Magistri militum per Orientem XXV.

DE INSIGNIBUS MAGISTRI *militum per Orientem.*

B

COMMENTARIUM.

MAGISTER militum per Orientem insignia habet, ut secundus Magister Præsentalis, & ferè idem officium, quod & ipsum *Cardinale*, id est, præcipuum vocatur, videlicet, Principem, Numerarios duos, Commentariensem, Adjutorem, Scriniarios, Mensores, Exceptores, & cæteros apparitores xxv. *Mensores*, seu Metatores, inquit Vegetius lib. II. cap. VII. *in castris ad podismum dimetiuntur loca, in quibus tentoria milites figunt, vel hospitia in civitatibus præstant:* venientem enim exercitum præcedebant, & in urbibus, oppidis, ac villis domos notabant, in quibus quique C milites hospitarentur: Vulgus Italicum *Foterios* appellat. Valentinianus *in l. 1. C. de metat. lib. 12.* *Si quis*, inquit, *metatorum nostrorum manum, qua deputatas singulis domos notant, & postibus hospitaturi nomen adscribunt, delere non dubitaverit, ad instar falsi reus tenetur.* Hactenus ille. Tertia verò ædium pars militibus dabatur, duas sibi dominus retinebat. Sed illustribus personis, veluti ipsi Magistro dimidia assignabatur. Arcadius & Honorius *in l. 2. C. eod. tit.* *In tres*, inquiunt, *domus divisa partes, primam eligendi dominus habeat facultatem, secundam hospes, qua voluerit, exequatur, tertia domino relinquenda.* Ergasteria ab hoc onere erant D immunia, *d. l. 2. 3. & 4. C. eod. tit.* Nihil verò ipsis præter solum hospitium quicquam aliud præstabatur, *l. devotum. C. eod. tit.* Vegetius lib. II. c. VII. tamen à mensoribus metatores separat: *Sunt*, ait, *metatores, qui præcedentes locum eligunt castris.* Hi sub aliis militum Magistris neque in Oriente, neque in Occidente reperiuntur. Habebat Magister militum per Orientem & alios apparitores xxv. Alii verò xv. fortè stipatores, aut ad diversa munera obeunda paratos: In Notitia legitur *exceptores & alios apparitores, Magistri militum* xxv. sed hæc verba præcedentibus sunt conjungenda hoc modo: & alios Apparitores Magistri militum xxv. Princi- E patus munere in hoc officio functi, Tribuni militum fiebant. Numerarii & ipsi inter Tribunos Prætorianos, seu Principis stipatores recipiebantur, *l. pen. C. de apparit. magist. milit.* Nullusque eorum ad personalia munera à magistratu adstringi poterat. Omnes codicillis à scriniariis libellorum scriptis, & ab ipso Principe, & Magistro subscriptis probari oportebat, *l. ultim. C. de divers. offic. lib. 12.* sub hoc Magistro militum erant Vexillationes Comitatenses x. Legiones Comitatenses IX. Pseudo-Comitatenses x.

CAP. XLVIII.

F

DE VEXILLATIONIBUS *Comitatensibus x. sub Magistro militum per Orientem.*

VEXILLATIONES Comitatenses sub Magistro militum per Orientem hæ recensentur.

COMI-

NOTITIA.
INSIGNIA VIRI
ILLVSTRIS
MAGISTRI
MILITVM
PER ORIENTVM









COMITE catphractarii. Hi equites forte erant tertii ordinis, Comites & perfectissimi.

BVCCELLARII juniores, id est, post seniores creati: *Erant*, ait Suidas, *Gallograeci sive Galatae Buccellarii*, inquit, *Gallograeci nominantur, & eorum regio Gallogracia, unde hi equites erant contracti.* Leo & Anthemius *in l.ult. C. de re publ.* præcipiunt, ne quis Buccellarios in suis alat prædiis, neque Isauros, vel ad perterrefaciendos alios, vel ne à militia quemquam avocent. Quid simile constituit Justinianus de militibus *in Novell.* 116. ne quis eos in suis teneat prædiis vel ædibus, ex quo à munere militiæ avocentur. Etymologia Buccellarii data ab Accursio *in d. l. ult.* est ridicula. Cedrenus in *Romano Argyro* Buccellarium regionem sæpè nominat. *Prusianus*, inquit, *pro monacho traditur, ejusque mater ex Mantina monasterio, quod est in Buccellario, in Thracesiam transfertur.* Idem in *Michaele Paphlagone*: *Hiatus*, ait, *in Buccellariis terraemotum subsecutus est, & quinque integra absorpsit oppidula.* Et in *Constantino Copronymo*, Manem Præfectum in Buccellarium missum ab eo fuisse scribit. Constantinus Porphyrogenneta *de Thematib.* inter Isauriam & Cappadociam Buccellarium locat. Describens enim Anatoliam: *Habet*, inquit, *a sinistra partes quasdam Buccellarii, & initium Cappadociæ: Ad dextram autem Isauriam.* Unde vero locus Buccellarium sit vocatus, idem infra aperit *Themat.* VI. *Thema*, inquit, *Buccellariorum non a loco aliquo appellationem accepit, neque à gente aliqua, quæ ita vocaretur, sed quod militum assecla essent, & commeatum ejus veherent: Buccellarius enim Latina lingua vocatur is, qui res panarias custodiam gerit, ut milites expediti, & ab omni onere liberi ad bellum essent. Buccellus enim vocatur cibarium, circularem figuram præ se ferens, cellarius autem custos panis: proprio vero & Graecanico nomine hi Maryandeni vocantur, cognominati etiam Galatæ.* Hæc ille.

EQVITES ARMIGERI, seniores Orientales, ad differentiam Armigerorum seniorum Comitatensium, qui sunt in Occidente: Quemadmodum Ferentarii armaturæ pedites vocantur, ut ait Vegetius lib. II. cap. XV. ita hi à gravibus armis *armigeri* sunt dicti: sub Comite Ægypti & Duce Scythiæ in limitibus excubabant, ut infrà dicetur.

EQVITES TERTIO DALMATÆ, Justiniano imperante in Phœnicia Libani degebant, quos ipse ejus provinciæ Moderatori committit, §. 1. & 2. *edicto* 8. Dalmatæ etiam sunt in Occidente, de his supra.

EQVITES PRIMI SCVTARII Orientales sub Comite Ægypti, & Duce Mœsiæ primæ militabant, fortè erat una ex XI. scholis sub Magistro officiorum, & schola prima

EQVITES SECVNDI STABLESIANI: horum pars Pelusium incolebat, sub Comite rei militaris per Ægyptum, & Duci Mœsia parebant.

EQVITES TERTII STABLESIANI, Stablesiani Africani, & Italicani in Occidente sub Magistro equitum reperiuntur, qui horum pars esse possent.

EQVITES PROMOTI CLIBANARII.

EQVITES QVARTI CLIBANARII PARTHI.

EQVITES PRIMI SAGITTARII, hi sunt etiam in Occidente.

CVNEVS EQVITVM SECVNDORVM CLIBANARIORVM PALMYRENORVM: Non longè ab Euphrate distat Palmyra, vastasque circum habet solitudines, ut ait Plinius lib. V. cap. XXV. *Nat. Hist.* sed ipsa nobilis situ, & divitiis sui soli, & aquis amœnis. Fatalis urbs Romanis, ultra eam enim nunquam Imperium proferre potuerunt, Hebraicè *ran Tamar* dicta, *Ezech.* cap. ult. v. 28. & à Salomone rege condita, colonia Romanorum fuit, *l.* 1. *ff. de censi.* Ab Hadriano instaurata, & ob id *Hadrianopolis* vocata, ait Stephanus *de Urbibus*. Hic Cuneus extra numerum est Vexillationum Comitatensium, quæ sunt X. & cum hoc essent XI. Sed neque sequentes duo numeri.

FELICES ARCADIANI, ET HONORIANI, cum his possunt commisceri, quia non X. verum XIII. essent Vexillationes. Deinde habent symbola, quæ in equitum Vexillationibus in Oriente nulla apparent. Unde credo eos præcedentis Magistri auxiliis adscribendos, quorum numeros & digmata turbata fuisse vidimus. Eorum tamen insignia hic interpretabimur, ne à vestigiis hujus Notitiæ discedamus. Ergo,

FELICES ARCADIANI Seniores in *albo clypeo, globum luteum habent, cippo cæruleo præfixum, quem latus cæruleus circulus claudit, à rubro fune circumflexo arctè constrictus. Extrema rubens circulus ambit*; funis color Principis purpuræ respondens, Orientis, Occidentisque Imperia, arctè perpetuoque connexa esse significat. Manuscripti coloribus variant: De hoc symbolo in Undecimanorum & Primanorum insigni sub præcedenti Magistro Præsentali est dictum. Hi ab Arcadio sunt instituti. Cedrenus in *eod.* de eo loquens: *Proprium*, inquit, *numerum Constantinopoli instituit, quos Arcadianos appellavit.*

FELICES HONORIANI Seniores in *albo scuto gestabant luteam tabulam quadratam, lateribus introrsum curvatis, quam supra & infra in medio singuli lutei globi comprimunt: Hos columella inferiori globo suffixa sustinet: Extrema limbus luteus cingit:* Orbi Roman. in duos diviso per tabellam leges à Principibus dari significatur: Equites Felices Honoriani sub Duce Thebaidis militabant. Sed hos, ut dixi, equites non esse puto, qui in Occidente reperiuntur. Hactenus de Vexillationibus Magistri militum per Orientem, atque earum equitibus. Nunc ad ejus pedites est veniendum.

CAP. XLIX.

DE IX. LEGIONIBVS

Comitatensibus per Orientem.

HABEBAT idem Magister per Orientem IX. legiones Comitatenses per Orientis regiones dispositas, & ex Principis Comitatu accitas. Harum prima erat

QVINTA MACEDONICA, quam Notitia etiam sub Comite rei militaris per Ægyptum in Memphi locat, ejus pars sub Duce Daciæ illius limites tuebatur. Hæc enim instituta imperante Augusto degebat in Dacis, Dion lib. LV. In *parma alba, album globum luteo circulo inclusum gestabat: Hunc rubra circundat moles, octo acutas cuspides emittens*, quæ munitionis typum præ se fert, scilicet Romanum orbem undique tutum & cladem hostibus minantem. *Marginem rubens circulus cingit*: Sanguinis effusionem rubeus color insinuat, aut Principum splendorem. Simile gestamen erat Felicium Arcadianorum juniorum sub præcedenti Magistro Præsentali.

MARTENSES JVNIORES, à Martenis dicti, quos prope Babyloniam in Arabia Felici Ptolemæus locat. Alii à Martia legione derivant, qui Martii, non Martenses nuncuparentur. Horum Marcellinus lib. XXVI. cap. VI. meminit: *Petronius*, inquit, *ex Præposito Martensium militum promotus, repentino saltu Patricius.* In prima Armenia degebant. Ex his

fuit D. Mercurius Martyr, ut ait Metaphrastes xxv. *Novemb. in eod. Habent in clypeo partim cæruleo, partim albo, luteum orbem inflexis lignis luteis utrinque firmatum.* Hæc sunt duo unum orbem regentia Imperia, aut duo mundi gubernacula: Diversitas colorum, orbis divisionem ostendit.

SEPTIMA GEMINA. Hanc in Galliis C. Cæsar habuit, cujus sæpè meminit, & *Gemina* dicta, quod ex duabus exhaustis, una legio esset conflata. Alia fuit Septima Claudia, Pia, Fidelis cognominata, quia Claudium à Camilli insidiis servavit. Tacit. lib. II. *Hist.* Dioo lib. LV.

In scuti luteo umbone album orbem latum, duobus circulis, rubro & cæruleo, cinctum gestant, unde octo virentes rami quernı emanant: qui beneficio duorum conjunctorum Principum Orbis utriusque cives servatos esse denotant. Octonarius numerus apud Notitiam frequens, fortè octo orbis partes, unde octo venti Cardinales spirant, insinuat. Notum verò est apud Plinium & alios, Quernam coronam his dari solitam, qui cives servassent. Duo circuli duos portendunt connexos Principatus, uni orbi imperantes. Madrucianus Codex, pro ramis radices habet: ita hæc conjuncta Imperia radices egisse significans, ut nequeant convelli. Hujus legionis sæpè in vetustis monumentis fit mentio. Itinerarium nominat Septimam Gallicam Geminam, quæ in Belgis degebat.

DECIMA GEMINA, Pia, Fidelis dicta, ab Augusto est inventa. Aliam habuit C. Cæsar Decimam præ cæteris dilectam, cujus supra memini.

Gerunt & hi in parma cærulea, luteum orbem, duobus latis circulis, albo & luteo circumdatum, quod duorum Principum in orbem Romanum connexitatem, unumque esse Imperium significat. In manuscriptis octo ramosa cervi cornua, nigri coloris ab exteriore circulo exeunt, hujus enim animantis cornibus singulis annis ramus adjicitur, quibus post sex annos decidentibus, alia reviviscunt, id fit per multos annos, unde diuturnæ vivacitatis sunt symbola. Idem Imperio Romano eventurum insinuatur, quod etsi in aliqua parte reciditur, reviviscet, diuque vivet: Elegans ingeniosumque est symbolum. Suffitus etiam Cervini cornu serpentes abigit: sic fugandos Rom. Imperii hostes, potest innuere.

BALISTARII SENIORES, ex balistæ tormento tela longè jaculabantur: Balistam ita Marcellinus describit lib. XXIII. cap. IV. *Ferrum*, inquit, *inter axiculos duos firmum compaginatur & vastum, in modum regulæ majoris extentum: cujus ex volumine teretı, quod in medio ars polita componit, quadratus eminet stylus extentiùs, recto canalis angusti meatu cavatus, & hac multiplici chorda nervorum tortilium illigatus: eique cochleæ duæ ligneæ conjunguntur aptissime, quarum prope unam assistit artifex contemplabilis, & subtiliter apponit in temonis cavamine sagittam ligneam, spiculo majore conglutinatam. Hocque facto hinc inde validi juvenes versant agiliter rotabilem flexum; cum ad extremitatem nervorum acumen venerit summum, percita interno pulsu a balista ex oculis avolat, interdum nimio ardore scintillans: & evenit sæpius, ut antequam telum cernatur, dolor lethale vulnus agnoscat.* Hæc ille. Machinam quadriroti curru vehebant duo equi, undique armis contecti, qualis visitur in fine libri Notitiæ. Vegetius in IV. cap. XXII. *Balista*, inquit, *funibus, nervis, chordisque tenditur: quæ quantò prolixiora brachiola habuerit, hoc est, quantò major fuerit, tantò spicula longiùs emittit: quæ si juxta artem mechanicam temperetur, & ab exercitatis militibus, qui mensuram ejus ante collegerint, dirigatur, penetrat quodcunque percusserit.* Postea loquens de *Onagro*, subjicit: *His duobus generibus nulla tormentorum species vehementior invenitur.* Describit & *manubalistas*, & *scorpiones*, & *arcubalistas*. Hic de Balistariis intelligitur, qui prædictam machinam tractabant.

In parma alba aureum orbem, cæruleo circulo cinctum gestant, supra quem sex tesserulæ rubentes umbilicum circumstant. Marginem clypei circulus, item rubens ambit: Orbem Romanum unico cinctum Imperio, undique munitum esse insinuat: quod sex tesserulæ pro munitionibus umbilico adjacentes possunt portendere. Thaanni sub Magistro militum per Thracias sex globulos supra Lunam habent, idem indicantes. Sed possent his plumbatæ significari, quibus hæc legio pugnabat, quemadmodum Scythæ sub proxime præcedente Magistro, ubi de his disserui.

PRIMA FLAVIA CONSTANTIA, à Constantio, Constantini filio, est cognominata: plures autem legiones *Flaviæ* sunt appellatæ, fortè à Constantino, qui hoc prænomen sumpsit, à quo sequentes Principes, & Justinianus se *Flavios* dixerunt. De hac legione ita Marcellinus lib. XXIX. cap. V. *Constantianorum*, inquit, *peditum partem Tigavias venire jusserat cum Tribunis:* & hanc ante primam legionem vocaverat. Et lib. XX. cap. VI. *Tuebantur hanc civitatem legiones duæ, prima Flavia, primaque Parthica. Globum luteum albo cæruleo contentum ferunt*, ad duplicis Imperii conjunctionem denotandam. *Marginem rubens circulus ambit:* Puniceam parmam Madrucianus ostendit.

SECVNDA FLAVIA CONSTANTIA THEBÆORVM, à Constantio post primam instituta, à quo ad defendendum Bezabden prope Tigrim primo posita fuit. Ammianus lib. XX. cap. VII. de ea urbe loquens: *Ad cujus*, inquit, *tutelam tres legiones sunt deputatæ: Secunda Flavia, Secunda Armeniaca, & Parthica item secunda.* Hæc ille. Postea hoc loco amisso, Cussam, quod oppidum Thebaidis est in limitibus Imperii sub Comite Thebaidis defendit, & ob id *Thebæorum* est nominata: Hæc successit secundæ Thebæorum Christianæ, quod apud Treviros à Rictiovario Maximiani Præfecto martyrio est coronata. *Idem fermè symbolum*, quod præcedens gestat, *exceptis coloribus ad alterutros dignoscendos positis.* Duas has legiones *Constantiacas* Marcellinus lib. XXI. cap. XI. vocat: *Duas*, inquit, *legiones Constantiacas misit in Gallias.*

SECVNDA FELIX VALENTIS THEBÆORVM, à Valente post primam introducta, quæ Hermunthi in Thebaide degebat, sub Comite illius limitis, ut infra videbitur. Hæc alii successit, quæ & ipsa propter Christum, in subalpinis Italiæ apud Albingaunos à Maximiano est trucidata: quod sacramentum ritu Gentilium sibi præstare noluisset. Ego in villa Cbrysolæ Sallutiorum D. Gottifredi hujus legionis ordinarii corpus, ejusque purpureum Baltheum auro intextum vidi. Totius legionis Præfectus D. Mauritius fuisse dicitur. Alii Primicerium vocant, signifer Exuperius, Candidus senator, ordinarius D. Secundus. Mittebantur in Gallias ab Imperatoribus, ut Amandum & Ælianum Rocandasque opprimerent, qui servilibus armis confisi, ibi tumultum exciverant. Scribit Gulielmus Baldesanus se in Thebæorum historiis legisse ipsorum insigne vellus aureum fuisse, quod pro suo symbolo Carolus Burgundiæ Dux, erga eos martyres affectus, accepit. *Hæc legio in clypeo albo rubram crucem gestabat, in cujus medio pelta item rubea, aureum orbiculum includit: In imo ab utraque parte crucis duo dimidii tauri recumbunt.* Elegans & pium insigne, cru-

crucem sanguine Christi rubentem orbem Romanum pro pila positum tueri innuit: siquidem pelta hostium ictus repellit, & duo Principes, quorum typus sunt Tauri, sub hac cruce tuti requiescunt. Clypei marginem rubeus circulus cingens, perpetuum ab ejusdem sanguine præsidium promittit. Est autem pelta scutum brevissimum instar Lunæ dimidiæ, qualem ostendit Pierius lib. XLII. cap. XXXVI. Et ego in eodem vetusto monumento Venetiis vidi, quod ipse citat. Vergilius in I. *Æneid.*

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens. & ibi Servius.

PRIMA FLAVIA THEODOSIANA, *idem habet insigne* cum superiori, *nisi quod in ima parte non tauri, sed duo dimidiati canes aversi, & à posterioribus partibus crucis juncti, cum impetu latrantes ferri videntur.* Hi duo sunt Principes dimidium quisque Imperium tenentes, qui præsidio crucis tuti, hostes impetunt. Pierius lib. V. cap. XVI. *Hieroglyphicorum*, id aliter explicat, sed quam recte alii viderint. *Absque fascia*, inquit, *canis copula tamen religatus non incongruum est sacramento addicti militis Hieroglyphicum: copula scilicet obedientiæ sacramentum præ se fert. Canis verò ipse militis officium, quod præcipuum est, intentum esse Ducis imperio, sive iter arripiendum, sive pugna ineunda sit, sive ubi receptui canitur, cæptum ad signa redire, quæ quidem obsequia à canibus observari quotidie videmus. Fidelitatem etiam & in hostes impetum significat. Crux verò Christianam pietatem, & pelta pugnandi officium denotat.* Ita Pierius. Hæc de novem legionibus Comitatensibus Magistri militum per Orientem. Nunc ad reliquas est transeundum.

CAP. L.

DE LEGIONIBVS X. PSEVDO-
Comitatensibus Magistri militum per Orientem.

PSEVDO-COMITATENSES legiones ad Comitatensium exemplum sunt institutæ. Præfectos enim symbolaque ut illæ habent, & in omnibus earum imaginem referunt: cùm tamen in Comitatu Principis nunquam steterint, minus etiam stipendium quàm Comitatenses accepisse videntur. Nam horum actuarii senas annonas & totidem capita accipiebant: illorum quaternas, *l.* 10. *C. Theo. de Numer.* id erat tertium genus militum sub posterioribus Principibus. Legiones autem Pseudo-Comitatenses sunt, quæ sequuntur.

PRIMA ARMENIACA, ante secundam ejusdem nominis legionem ex Armenia extracta. In alba parma cœruleam peltam gestabat, cujus incisura erat rectangularis, quale hujus & sequentis legionis insigne Pierius lib. XLII. c. XXXVII. describit. *In pelta medio est aureus umbilicus*, qui aureo seculo tuum orbem Rom. ab hostibus defendi insinuat. In meo Codice *luteam habet parmam*: In Ursiniano *supra pilam rubram in imo clypei positam duæ clavæ rubræ suspensæ cernuntur*, quæ duorum Principum robore, Rom. orbem ab hoste defensum iri pollicentur: color rubeus Principum proprius est: Rubra etiam fascia clypeus cingitur.

SECVNDA ARMENIACA, *idem insigne*, coloribus tantum à præcedente differens, habebat, scilicet *in cærulea parma purpuream peltam*. Hæc legio erat Constantio imperante, in quo Marcellinus scribens lib. XX. cap. VII. *Ad cujus*, inquit, *oppidi tutelam duæ legiones sunt deputatæ, Secunda Flavia, Secundaque Armeniaca.*

FORTENSES AVXILIARES, dicti, quia ex fœderatis populis sunt contracti: Pro insigni habent, ut alii Fortenses sub primo Magistro militum in præsenti, *Orbem luteum viridi & luteo circulo clausum, qui octo cæruleos acutosque mucrones emittunt, hostes confodiendos minantes. Luteus circulus globo concolor, marginem clypei cingit.* Hoc symbolum in aliis Fortensibus latius est explicatum.

FVNDITORES, fundâ saxa emittebant. Vegetius lib. II. cap. XV. *Erant Funditores, qui ad fundas, vel fustibulos lapides jaciebant, & tertium locum in acie tenebant.* Hæc ille. *Exceptis coloribus & circulorum numero, simile superiori symbolum gestant: Nempe in alba parma globum aureum, luteo circulo inclusum, à quo octo cuspides rubræ exeunt. Marginem albus, & alter exterior rubeus circulus ambit.* In manuscripto Ursini, densarum cuspidum est corona, ut habent Regii sub præcedente Magistro militum.

PRIMA ITALICA, ex Italica Hispaniæ oppido collecta, de qua ita Tacitus *Hist.* lib. II. *Una & vicesima Rapax, & prima Italica, incessere cum Vexillariis trium Britannicarum legionum, & electis auxiliis.* Loquitur autem de bello inter Vitellium, & Othonem. Et lib. III. *Inde Cremonam pergunt, ut legionibus Prima Italica, & unetvicesima Rapaci jungerentur.* Hanc Ptolemæus imperante Trajano in Mœsia inferiore, ubi nunc est Bulgaria ad Durostorum æstiva habuisse memorat Notitia, & ipsa sub Duce Mœsiæ secundæ Novis fuisse scribit: Sæpè in vetustis monumentis ejus fit mentio.

In curuleo clypeo, luteam pilam, cippo ejusdem coloris præfixam gestat, quæ unius orbis Romani Imperii firmitatem portendit.

QVARTA ITALICA & ipsa simile præcedenti insigne tenet: *In lutea parma cæruleum cippum*, vel, ut in Ursini Codice, *rubrum, qui in summo, ejusdem coloris circulum, luteam pilam claudentem sustinet.* Cœruleus circulus, vel, ut in Madruciano, duplex marginem ambit: In eodem Codice, duplex etiam pedamentum apparet, quod duas pilas regit. Erat & Cohors Italica dicta, degens in Syria, in qua Cornelius Centurio, primus ex Gentilibus Christianus factus fuit. D. Lucas *Actor.* X. *Vir*, inquit, *quidam erat, in Cæsarea nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica.*

SEXTA PARTHICA, ex Parthis contracta in parma lutea geminos orbes luteos, cippo item luteo præfixos gestat, inter quos duo angues lutei, vel, ut in Madruciano, albi, caudis in medio connexi, supra ad osculum coire videntur instar caducei. Marginem purpureus circulus cingit. Duorum in Oriente & Occidente Imperatorum conspirantium concordiam ostendit, quod caudæ colligatæ portendunt. Id verò Pierius lib. XV. cap. XXIX. ita describit. *Integer*, inquit, *caduceus, hoc est, totis expressis anguibus, iisque una cum baculo luteis, in parma cærulea, cujus Marginem purpureus circulus ambibat; insigne erat legionis ejus, quæ Sexta Parthica vocabatur.* Quid verò significet, non exprimit.

PRIMA ISAVRA SAGITTARIA, à sagittis, quibus feriebat hostem, cognominata, *luteam pilam ejusdem coloris cippo præfixam, in cærulea parma*, quemadmodum Prima Italica, præfert. *Clypei margo fascia rubra cingitur.* De aliis militibus Isauris supra disserui, in auxiliis primi Magistri militum Præsentalis.

BALISTARII THEODOSIACI, à Theodosio inventi, *Rubrum astrum, sex radios emittens, supra*

supra album orbem rubeo circulo inclusum, in albo clypeo habere videntur, sed sunt acutæ cuspides cladem hostibus minantes. *Marginem circulus rubens complectitur.* Ursinianus codex illis caret. Madrucianus supra orbem tesserulas, ut Balistarii seniores sub hoc Magistro, ostendit.

TRANSTIGRITANI ultra Tigrim degentes, de quibus Marcellinus lib. XIX. cap. IX. *Protectores*, inquit, *post terga vinctis manibus*, à Persis *ducebantur: Transtigritanis ad unum omnibus contruncatis. Idem insigne, quod Quarta legio Italica, gestant.* Hi sunt milites Magistri militum per Orientem, in quibus VI. symbola duplicantur, videlicet,

B PRIMÆ CONSTANTIÆ, & SECUNDÆ FLAVIÆ CONSTANTIÆ THEBÆORUM.

PRIMÆ & SECUNDÆ ARMENIACÆ.

PRIMÆ FLAVIÆ THEODOSIANÆ, & SECUNDÆ FLAVIÆ VALENTIS THEBÆORUM.

PRIMÆ ITALICÆ, & SECUNDÆ ISAURÆ SAGITTARIÆ.

QUARTÆ ITALICÆ, & TRANSTIGRITANÆ.

FORTENSIUM AUXILIARIUM & FUNDITORUM.

MARTENSES quoque seniores symbolum habent simile insigni Primæ Maximianæ Thebæorum sub sequente Magistro per Thracias, de quo nunc est dicendum. C

NOTITIA.



SUB dispositione viri illustris Magistri Militum per Thracias vexillationes.

Palatinæ III.

Comites Arcadiaci.
Comites Honoriaci.
Equites Theodosiani juniores.

Vexillationes Comitatenses IV.

Equites cataphractarii Albigenses.
Equites sagittarii seniores.
Equites sagittarii juniores.
Equites primi Theodosiani.

Legiones Comitatenses XXI.

Solenses seniores.
Menapii.
Prima Maximiniana Thebæorum.
Tertia Diocletiana Thebæorum.
Tertiadecimani.
Quartadecimani.
Prima Flavia gemina.
Secunda Flavia gemina.
Constantini seniores.
Divitenses Gallicani.
Lancearii Stobenses.
Constantini Dafnenses.
Balistarii Dafnenses.
Balistarii juniores.
Pannoniciani juniores.
Thaanni.
Solenses Gallicani.

A Julia Alexandria.
Augustenses.
Valentinianenses.
Gratianenses.
Officiorum autem Magisteriæ per Thracias potestatis, in numeris militum, & in officio deputatur.
Habet autem dignitates infra scriptas.
Principem.
Numerarios duos.
Commentariensem.
B Primiserinios, qui Numerarii fiunt.
Scriniarios.
Exceptores, & cæteros apparitores Magistri Militum per Thracias quindecim.

CAP. LI.

DE MAGISTRO MILITUM
per Thracias.

COMMENTARIUM.

C MAGISTER militum per Thracias *eadem insignia*, quæ Magister militum per Orientem, præfert, *excepto capite mulieris, quod libro super abacum erecto insculptum habet, a cujus dextro latere scriptum est*, DEA VEXILLATA, quod à Principibus paganis, ut credo, institutum, apud Christianos permansisse miror: nisi forte in D. Virginis illud caput est versum, quæ antesignana in Dei Ecclesia vexillum gerit. In manuscriptis *liber albus, & aureis fasciis cinctus*, ut in aliis magistria militum, principis caput includit. Hujus officium constat ex numeris militum, quemadmodum in aliis Magistris est dictum, videlicet Principe, Numerariis duobus, Commentariensi, Primiscriniis, D qui Numerarii fiunt, Scriniariis, Exceptoribus, & cæteris apparitoribus Magistri militum XV. quorum præcipua cura erat, ut CCXXV. navium classes Mysiaca, & Scythica per Danubium navigantes repararentur, *l. 1. C. Theo. de lusoriis Danubii.* Hic Magister tres Vexillationes Palatinas, & quatuor Comitatenses, Legiones item Comitatenses XXI. regebat.

CAP. LII.

DE III. VEXILLATIONIBUS
E *Palatinis sub Magistro militum per Thracias.*

PALATINOS milites prætorianos fuisse diximus, qui Principem & ejus palatium tuebantur, quorum pars in provincias missa Palatini nomen aut stipendium non amittebat, privilegiumque retinebat, ne sub alio quàm Magistro Præsentali conveniretur, qui ob id apud alios Magistros, vel Duces, Legatos habebat, Responsales vocatos, ut suo nomine illorum causas judicarent: quales hodie sunt Nuncii Summi Pontificis, *l. ult. C. de re milit. lib.* 12. Tres verò hic Magister palatinas F vexillationes ducebat; Quarum Prima erat Comitum Arcadiacorum ab Arcadio institutorum. Secunda Comitum Honoriacorum, qui ab Honorio ejus fratre in Occidente imperante, in fœdus accepti nomen ab ipso habuere. Paulus Orosius lib. VII. cap. XL. *Constantinus*, inquit, *Constantem filium cum Barbaris quibusdam, qui quondam in fœdus re-*

NOTITIA
INSIGNIA VIRI
ILLVSTRIS MAGISTRI
MILITVM
PER
THRACIAS.

Legiones Comitatenses XXI.



dus receptis atque in militiam allecti Honoriaci vocabantur, in Hispanias misit: & subdit, *eos prodita Pyrenes custodia Barbaros in Hispanias immisisse, quas postea tenuerunt.* Tertia vexillatio erat equitum Theodosiacorum juniorum, qui à Theodosio Juniore Arcadii filio instituti fuere.

CAP. LIII.

DE IV. VEXILLATIONIBUS *Comitatensibus sub Magistro militum per Thracias.*

QUatuor aliæ vexillationes eidem Magistro parebant, Comitatenses dictæ, videlicet,

EQUITES cataphractarii Albigenses, ex Albinga sumpti, quod est Liguriæ oppidum.

EQUITES sagittarii seniores.

EQUITES sagittarii juniores, qui Duci Arabiæ inserviebant.

EQUITES primi Theodosiani, de quibus supra dictum fuit: De equitibus sagittariis ita Synesius, epist. CXXXII. scribit: adsunt milites ordinis Balagritarum; hi priusquam Cerealis magistratum obtineret, erant equites sagittarii. Hoc autem magistro constituto, divenditis equis facti sunt solum sagittarii: mihi sufficiunt etiam sine equis.

Sed hi erant in Occidente. Horum nullum apparet insigne. itaque ad Legiones est transeundum.

CAP. LIV.

DE LEGIONIBUS COMITATENSIBUS XII. *sub Magistro militum per Thracias.*

PRima sub Magistro militum per Thracias erat Legio SOLENSIUM seniorum, à Sole Ciliciæ oppido nomen habens. *In rubro horum clypeo cæruleus globus, totum octo cuspides clypeum occupantes emittit, in quatuor æquales partes decussatas, nigris lineis mucrones intersecantibus.* Decussatio æqualem quatuor orbis partium divisionem inter Principes significat. Mucrones hostes feriendos esse minantur. Madrucianus globum tantum habet decussatum. In Ursini Codice nulla est decussatio. Erant & Solenses equites sub Duce Mœsiæ secundæ.

MENAPII populi sunt Germaniæ, nunc Geldrenses dicti. *Canem luteum in alba parma, sub pelta rubra habebant:* Is est Princeps hostibus minitans, Pelta Imperii defensionem portendit. In Pierii verò Codice, canis, pedibus sursum versis, jacet: quemadmodum ipse lib. IX. *Hieroglyphicorum*, & rursus XLII. describit. Portendit Principem Rom. velut ludentem, tutum ab impetu hostium jacere. Manuscripti concordant impresso, nisi quod Madrucianus puniceum clypeum ostendit.

PRIMA MAXIMIANA THEBÆORUM, à Maximiano ejus auctore cognominata in Thebaidis munitione Filis dicta, ad Nilum sub Duce Thebaidis excubabat, ut infra videbitur, ob id Thebæorum est appellata. Gestant *insigne simile Martensium seniorum* sub magistro militum per Orientem, nempe *in alba parma luteum orbem, duobus circulis item luteis cinctum.* In Ursini Codice, alter est rubeus. His utrinque duo cœrulea gubernacula junguntur, quæ duorum Principum in orbem conjunctis animis regimen insinuant. Gubernaculis cœruleus mari concolor convenit. Marginem tres circuli, duo lutei, & exterior rubeus cingunt, qui ter, id est, arctissimè conjunctos Principes esse portendunt.

TERTIA DIOCLETIANA THEBÆORUM, à Diocletiano tertio loco lecta, Thebis sub Duce Thebaidis merebat, cujus pars inde in Thracias est deducta. *In horum albo clypeo, sex orbes purpurei, globulum luteum, circulo luteo inclusum, circumstant, inter hos eminent sex oblonga, & lutea cuspides.* Hæ plumbatis seu Martiobarbulis similes videntur esse, quibus hæc legio pugnabat, de quibus in Scythis sub altero Magistro militum in præsenti disserui: *superne in tabella duo viri, manibus in altum elatis se respiciunt:* Sunt Romani Principes fœdere juncti. *Extrema duo ambiunt circuli, interiore luteus, alter rubeus, qui idem indicant.* In Madruciano pro cuspidibus, clavæ visuntur.

TERTIADECIMANI, Vetus codex legit, Quartadecimani, à XIII. legione in Dacia olim degente dicti. Dion lib. XV. Hanc, & sequentem Tacitus *Hist.* lib. II. *Veteranas* appellat. *Veterana*, inquit, *Undecima, ac Decimatertia, & præcipui fama Quartadecimani rebellione Britanniæ compressa.* Hæc ille. In sex præsidia erat dispertita, una sub Comite Ægypti merebat, aliæ quinque per totidem Daciæ præsidia erant dispertitæ. *Suetonius Lenis pater* Tranquilli *legionis* XIII. *Tribunus Augusti laticlavius fuit.* Tranquil. in *Othone* cap. X.

In alba parma, canem luteum latrantem gerunt, qui dorso sustinere videtur globum aureum duobus rubro, & luteo circulis cinctum. Canem inversum Pierius lib. V. describit. Is est Princeps orbem Rom. sustinens, & hostibus allatrans, sed inversus devictis hostibus ocium agens, ludit velut ab illis tutus. Similem clypeum habent primi, & secundi Theodosiani. Alciatus pro cane leporem interpretatur, lib. V. *Parerg.* cap. XIII. qui vigilantiæ est typus.

QUARTADECIMANI, in vetusto Codice legitur, Quartodecimani à XIV. legione cognominati, quæ in Pannonia superiore olim degebat, ut ait Dion lib. LV. postea rebellione Britanniæ compressa magnam gloriam est adepta, ut dixi.

Gestabant in alba parma, Aquilam cœrulei coloris aliquantum diluti, orbi item cœruleo, sed densioris lutei insidentem, intra quem alius circulus ruber erat, in cujus medio aureus extabat umbilicus, ita Pierius lib. *Hieroglyphicorum* XIX. explicat. Impressus, unum orbem aureum, rubro circulo inclusum tenet, ut meus habet codex. Marginem albus circulus cingit. Romanum orbem unico imperio contineri insinuat. Aquila cœrulei coloris, est Romani imperii symbolum, color rubeus & ipse imperium, aureus, aureum seculum portendit. De Quartodecimanis ita Tacitus *Annal.* lib. VII. *Quartadecimani paululum dubitaverant, pecunia & missio, quamvis non flagitantibus, oblata est.* Idem lib. XIV. & *Hist.* II. *Præcipua Quartadecimanorum ferocia, qui se victos abnuebant, quippe Bebriacensi acie Vexillariis tantum pulsis, vires legionis non affuisse, deinde conclamatum repente Decimamquartam legionem verso itinere ad prælium venire.*

PRIMA FLAVIA GEMINA, à Flavio, ut credo, Constantino cognominata, & *Gemina*, quod ex duabus legionibus esset conflata. *Flaviales* à Vespasiano dictos Vegetius lib. II. cap. VII. scribit. *Rubram crucem, rubeum item limbum, albi clypei extrema pertingentem gerebat, atque utrinque aureum globum, duobus luteis circulis arctioribus cinctum.* A cruce sanguine Domini rubente utrumque orbem Rom. duobus imperiis munitum protegi significat: rubeus circulus clypeum ambit.

SECVNDA FLAVIA GEMINA ejuſdem cognominis. *In parma lutea aureum umbilicum, duobus circulis, viridi luteoque cinctum habet, quem ſeptem virides aggeres firmant*: orbem Rom. duobus rectum Imperiis, ab hoſtibus munitum, demonſtrat. Manuſcripti tredecim poount aggeres.

CONSTANTINI SENIORES, ab eodem Conſtantino ante Juniores lecti. *Idem fere inſigne, quod Quartadecimani, tenent: Scilicet aureum globum duobus circulis rubro & luteo circundatum. Illorum orbis, uno circulo continetur.*

DIVITENSES GALLICANI, à Deveto mediterraneo Siciliæ oppido nuncupati, Gallicaoi verò dicti, quod in Gallia primo excubaverint, ſicut infra Dalmatæ Divitenſes appellantur, quia primum in Dalmatiam ſunt miſſi. Horum Marcellinus lib. XXVI. cap. VI. meminit: *Divitenſes*, inquit, *Tungricanoſque juniores ad procinctum urgentem per Thracias inter alios celerare diſpoſitos ſolicitavit*: & infra: *Cum Divitenſibus acceleravit.* Et lib. XXVII. cap. I. *Severianus*, ait, *apud Cabilona Divitenſibus præſidebat & Tungricanis.*

In imo parma alba, cœruleum taurum geſtant, qui aureum orbem, rubro circulo clauſum, tergo ſuſtinet, cui inſidet rubens accipiter, colore tamen dilutiore: ut Pierius lib. XXI. deſcribit. Orbem Romanum robore victoris Principis, regi ſignificat; Accipiter enim victoriæ eſt typus: ſed io impreſſo pro Accipitre Aquila, & pro Tauro Canis, depictus videtur. Verum omnes manuſcripti Taurum oſtendunt. Hoc ſymbolum eſt ſimile præcedenti.

LANCEARII STOBENSES, à Stobio Macedoniæ oppido appellati, *Aureum globum, in medio clypei rubri habent.* Id quoque unum eſſe in orbe Rom. Imperium aureo ſeculo denotat. *Lancearii* à lancea qua utuotur ſunt nominati, eſt genus haſtilis Hiſpanici.

CONSTANTINI DAPHNENSES, Daphne eſt Græciæ oppidum: Et Syriæ civitas Laurens nominata. Sed hos à Daphne, quam Marcellinus lib. XXVII. cap. V. muoitiooem Thraciæ, propè Danubium, eſſe dicit, vocatos eſſe credendum eſt. Idem Marcellinus ibidem loquens de Valente: *Quaſito*, inquit, *in unum exercitu, prope Daphnem nomine munimentum eſt caſtra metatus: ponteque contabulato, ſupra navium foros, flumen transgreſſus eſt Iſtrum.* Ex luco Daphnes hæc legio nominari potuit, ibi enim Conſtantinus ſtatuam matris Helenæ locavit, & locum *Auguſteum* nuncupavit, ut auctor eſt Suidas in verb. *Auguſtus*, ſed ex numiſmate Conſtantina Daphne locus ille videtur appellatus. In ejus enim nummi averſa parte ſedet victoria alata, dextra lauri, ſiniſtra palmæ ramum tenens. Ante erectum eſt trophæum cum hac inſcriptione, CONSTANTINA DAPHNE. Hoc numiſma D. Cæſar Card. Baronius in III. *Annal.* repræſentat.

In lutea parma globum aureum, duobus circulis cœruleo luteoque cinctum gerunt, quem à quatuor partibus, terna cœrulea flagella circumſtant. Flagellandos hoſtes indicat; qui Romanum orbem, duobus junctis Imperiis, muoitum impetierint. In aureis nummis Juſtiniani, & ipſe flagellum manu tenens, Barbaris minatur. *Marginem duo circuli, alter cœruleus, alter luteus cingunt*, perpetuam duorum Principum connexitatem indicantes.

BALISTARII DAPHNENSES, *in parma rubra habent aureum globum, duobus circulis, cœruleo, & luteo cinctum, qui octo acutas cuſpides emittunt*, quemadmodum Fortenſes auxiliarii ſub Magiſtro militum per Orientem. *Margo duplici limbo circumdatur, luteo & viridi*: ob perpetuam duorum Principum conjonctionem.

BALISTARII IVNIORES, *in cœrulea parma globum aureum, duplici corona, denſis cuſpidibus armata, munitum geſtant: Cuſpides alia alba, alia rubra apparent.* In manuſcriptis, pro cuſpidibus octo rhumbi cœrulei globum circumdant: Quod orbem Rom. adverſus hoſtes mucronibus feriendos undique armatum eſſe inſinuat. *Marginem duo circuli, cœruleus, & luteus cingunt.*

PANNONICIANI IVNIORES, ex Pannonia, poſt Seniores cootracti. Pannonios Herodotus vocat in VII. & VIII. Pannonicam legionem Marcellinus lib. XXIX. cap. VI. *Obviam*, inquit, *legiones motæ ſunt duæ, Pannonica & Muſiaca, validæ præliis manus.* Fortè à pileis ex pelle, quos Pannooicos vocabant, ſunt denominati. Vegetius lib. I. cap. XX. *Vſque ad præſentem*, inquit, *prope ætatem conſuetudo permanſit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus uterentur: quod propterea ſervabatur, ne gravis eſſet galea in prælio homini, qui geſtabat aliquid ſemper in capite.* Quod & Virgilius in VII. *Æneid.* expreſſit:

—— Fulvoſque lupi de pelle galeros
Tegmen habet capiti.

Hi hoc pileo inſignes inde nomen habere potuerunt.

In parma alba geſtant orbem aureum nigris & curvis lineis in partes, & dimidios orbes ſectum, parvumque umbilicum in medio tenentem. Hos viride vinculum ambit: ſupra eſt duplex, dimidiaque & cœrulea luna, cornibus ſurſum verſis. Orbis eſt Romanus, qui viſus ſciſſus unus manet, & plenus. Duplex quoque dimidia luna, duplex dimidiatum Imperium portendit, quod in unum inſtar lunæ completur. In manuſcriptis, in lunam aliquot cœruleæ roris guttæ defluere videntur, quæ cœleſtem gratiam in Orbem Rom. promittunt. Sed fortè ſunt ſaxa aut plombatæ, quibus legio pugnabat.

THAANNI ſunt Hiſpaniæ populi, unde hæc legio nomen ſumpſit: in antiquo Codice legitur, *Tyanni*: populi ſunt in Oriente, quos primum ſe Romano imperio ſubjeciſſe Juſtinianus ſcribit C. *in Novell. I. in prin.* Horum inſigne eſt, *in albo clypeo aureus orbis circulo rubro clauſus, ſupra quem dimidia luna, cornibus ſurſum verſis, ſex globulos purpureos complectitur, quorum quinque medium circumſtant*, qui fortè ſaxa fundis in hoſtem jacta referunt.

BALISTARII SENIORES ſub Magiſtro militum per Orientem ſeptem globulos vel teſſerulas ſupra orbem habent: idem ſignificantes Baliſtarii Theodoſiaci ſub eodem acutos mucrones: ſed hos martiobarbulos ſeu plumbatas fuiſſe dici poteſt, quibus hæc legio pugnabat, quemadmodum Scythæ ſub altero Magiſtro militum Præſentali, apud quem de his diſſerui.

SOLENSES GALLICANI, è Sole Ciliciæ urbe oriundi in Galliis morari ſoliti. *Orbem rubrum limbo cœruleo circundatum gerunt, quos octo quadrilateras, & in obtuſum angulum faſtigiata, rubraque munitiones circumſtant.* Orbem duobus unitiſque imperiis undique munitum eſſe inſinuant. Marginem viridis circulus circumplectitur. Simile huic eſt inſigne Lancearionum ſub primo Magiſtro militum Præſentali.

JVLIA ALEXANDRIA, fortè à C. Julio Cæſare ex Alexandrinis conflata, aut ab Alexandro Imperatore inſtituta. *In clypeo luteo orbem aureum faſcia lutea cinctum tenet. Marginem duo circuli*

com-

NOTITIA
INSIGNIA VIRI ILLVSTRIS MAGISTRI MILITVM
PER
ILLYRICVM.

Legiones Palatinæ I.



Auxilia Palatina VI.



Legiones Comitatenses VIII.





cæruleus & rubeus ambiunt. Vno Rom. orbem imperio cingi innuit. Fascia enim diadema insigne regium refert. In manuscriptis sex lutei trunci, seu stipites, orbem undique firmant, quemadmodum habet Septima Gemina legio, sub Magistro militum per Orientem.

AVGVSTENSES *idem insigne coloribus tantum differens praferunt, scilicet in rubra parma umbone cæruleum orbem luteo circulo circundatum. Marginem duo circuli, cæruleus viridisque ambiunt:* Augustenses ab Augusto, eorum auctore sunt appellati, quemadmodum Augustales. Vegetius, lib. II. cap. VII. scribit dictos, *qui ab Augusto ordinariis sunt additi.*

VALENTINIANENSES, à Valentiniano Principe, vel, ut ait Picrius lib. XIII. cap. XII. *Valentinianenses à Valente sunt nominati.* Eorum insignia ita ipse ibidem describit: *Lutea erat parma, viridi circulo circumscripta, in cujus medio columella punicea ab uno margine ad centrum usque porrigebatur. Inde duæ lunulæ coloris ejusdem sese in adversum incurvabant, inferiori parte columellam amplexæ, superiori aliquantulum dissidentes. A medio verò columnæ, lepores duo dimidii, colore ipsi puniceo, sed densiore, in diversa prosiliebant.* Hæc ille. Duorum Principum dimidiatum Imperium tenentium, & vigilantium est typus. Lepus enim vigilantissimum animal etiam apertis oculis dormire dicitur. Duplex dimidia luna, duo dimidiata Imperia in orbem complenda demonstrat. Puniceus verò color honorem denotat, est enim rosidus. extrema duo connexi circuli cœruleus & viridis circundant.

GRATIANENSES, à Gratiano, vel Gratiana Mœsiæ primæ oppido cognominati, *idem planè insigne* sumpserunt, quod Solenses Gallicani, *nisi quod hic septem tantum munitiones alternatim rubra viridesque luteum orbem circumstant.* Hæ in Madruciano duplices sunt.

Quinque symbola sub hoc Magistro repetuntur, eadem enim hi fermè gestant.

CONSTANTINI SENIORES, & QVARTADECIMANI.

AVGVSTENSES, & IVLIA ALEXANDRIA.

SOLENSES GALLICANI, & GRATIANENSES.

SAGITTARII QVA, lecti sub Magistro militum per Illyricum.

THAANNI, & PANNONICIANI IVNIORES.

TERTIADECIMANI, & DIVITENSES GALLICANI.

Nunc ad Magistrum militum per Illyricum transeamus.

NOTITIA.



VB dispositione Viri illustris Magistri Militum per Illyricum Vexillationes Comitatenses II.

Equites sagittarii seniores.

Equites Germaniciani seniores.

Legio Palatina I.

Britones seniores.

Auxilia Palatina VI.

Ascarii seniores.
Ascarii juniores.
Petulantes juniores.
Sagittarii lecti.
Invicti juniores.
Atecotti.

Legiones Comitatenses VIII.

Martiarii Constantes.
Martii.
Dianenses.
Germaniciani seniores.
Secundani.
Lancearii Augustenses.
Minervii.
Lancearii juniores.

Item Pseudo-Comitatenses IX.

Timacenses Auxiliarii.
Felices Theodosiani juniores.
Bugaracenses.
Scupenses.
Vlpianenses.
Metenses.
Secundi Theodosiani.
Balistarii Theodosiani juniores.
Scampenses.

Officium autem Magisteriæ per Illyricum potestatis, in numeris militat, & in officio deputatur. Habet autem dignitates infrascriptas.

Principem.
Numerarios duos.
Commentariensem.
Primiscrinios, qui Numerarii fiunt.
Scriniarios.
Exceptores, & cæteros apparitores Magistri militum per Illyricum.

CAP. LV.

DE INSIGNIBVS MAGISTRI MILITVM *per Illyricum.*

COMMENTARIUM.

MAGISTER militum per Illyricum *eadem* habebat *insignia* idemque officium, quod Magister militum per Thracias, *nisi quod hic vultum Principis, libro insculptum habet*, non Deæ Vexillatæ, ut ille. Ejus officium codicillis à Libellensibus scriptis, & à Principe Magistroque officiorum subscriptis probandum erat, *l. ult C. de div. off. lib.* 12. Duas Vexillationes Comitatenses regebat, unam legionem palatinam: Auxilia item sex palatina. Legiones Comitatenses octo, & Pseudo-Comitatenses novem.

CAP. LVI.

DE II. VEXILLATIONIBVS

Comitatensibus, Magistri militum per Illyricum, & Legione Palatina.

DVARVM Vexillationum Comitatensium sub hoc Magistro, altera erat EQVITVM sagittariorum seniorum, qui etiam in Occidente reperiuntur; altera EQVITVM Germanicianorum seniorum, ex Germanicia Syriæ oppido contracti. in Occidente Germaniciani juniores sunt una ex legionibus XXXII. Comitatensibus Occidentis: seniores sub hoc Magistro una ex VIII. legionibus Comitatensibus. Alii erant Germanici ex Germania delecti, vel qui limites Germaniæ tuebantur. Legionum enim Germanicarum, ad Germaniæ limites excubantium, meminit Tacitus *Annal.* lib. I. *Legionum*, inquit, *Germanicarum motu audito, trepida civitas incusare Tiberium.* Et lib. II. *Hist.* tradit, Germanicum exercitum Vitellio affuisse: Hæ à Germanico ex Antonia nepte Octaviæ, sororis Augusti, nato, & adoptato à Tiberio rectæ fuerant. Vellejus Paterculus: *Exercitus*, inquit, *qui in Germania militabat, præsentis Germanici Imperio regebatur.* Alii fuêre Equites Germanici ad Germanici defuncti memoriam instituti *Juniores* nuncupati. Tacitus *Ann.* lib. II. sub finem: *Equester ordo*, ait, *cuneum Germanici appellavit, qui Juniorum dicebatur, instituitque ut turmæ Idibus Juliis imaginem ejus sequerentur.*

Legionem verò Palatinam unam hic Magister habebat, ex Prætorianis in Illyricum accitam, qui erant BRITONES SENIORES, ex Britannia delecti. *In parma rubra, album globum, lutea fascia cinctum gestabant, quem densæ trabes cærulea fulciebant.* Hoc symbolo orbem Romanum uno Imperio contineri, atque undique adversus hostes munitum esse, insinuatur. Trabes enim munitionem significant, sicut in aliis similibus est dictum. Fascia regii diadematis est typus.

CAP. LVII.

DE VI. AVXILIIS PALATINIS.

SEx Auxiliorum Palatinorum primi erant,

ASCARII SENIORES, fortè legendum *Ascurii* ab Ascura, Armeniæ majoris oppido, vel *Ascensi* ab Ascenis, Hispaniæ Tarraconensis civitate, nunc *Cervera* dicta.

Hi, in parma dimidia alba, & reliqua ferruginea, duos purpureos hemicyclos, in medio conjunctos gestant. Duo dimidii circuli, si conjungantur, orbem complent. Sic & duo dimidia orbis Rom. Imperia conjuncta unum plenum efficiunt: Arguta symboli inventio. Purpureus color Imperii proprius est. Extrema clypei, duo circuli, luteus, rubeusque ambiunt. In Madruciano, duo sunt gubernacula, orbiculnm album in medio arctius claudentia. Hi & sequentes, inter Auxilia Palatina Occidentis reperiuntur.

ASCARII IVNIORES, *in luteo clypeo, quem latus limbus rubeus circumscribit, orbem aureum ferunt: unde octo luteæ cuspides acutæ exeunt.* In Madruciano, globus nigris lineis in septem partes dividitur, quæ fortè septem terræ habitatæ climata referunt, eaque Imperio Rom. subesse.

PETVLANTES IVNIORES, fortè à loco, ut Tubantes, dicti: sed Pierius l. v. c. ult. à petulantia

A vocatos affirmat: *In rubra*, inquit, *parma, orbem coloris lutei preferebant, canis item luteus, superne pedibus, quoad fieri potuit, exporrectis.* Idque petulantiæ militum esse symbolum putat. Ego Principem, pro suo orbe hostes impetentem, indicari arbitror. Petulantes seniores in Occidente permanserunt, divisis inter Valentinianum, & Valentem auxiliis, Marcel. lib. XXVI. Sed illi diversa ab his gestant insignia. Hos auxiliares fuisse, idem lib. XX. cap. IV. affirmat: *Decentium*, inquit, *Tribunum & Notarium misit, auxiliares exinde abstracturum, Herulos, & Batavos, cumque Petulantibus Celtas.*

B SAGITTARII LECTI, in sagittis emittendis præcipui, & ob hanc artem ita cognominati. *Idem insigne habebant, quod Gratianenses*, sub Magistro militum per Thracias.

INVICTI IVNIORES, *idem ferè symbolum tenent quod Augustenses, & legio Julia Alexandrina* sub eodem Magistro militum per Thracias. Hi etiam in Occidente, sed cum diverso insigni militabant.

ATECOTTI, ab ejus nominis oppido vocati, Germaniæ populi. *Attacottos* Marcellinus appellat lib. XXVI. cap. IV. *Picti*, inquit, *Saxones, & Scoti, & Attacotti, Britannos ærumnis vexavere*
C *continuis.* Et lib. XXVII. cap. VIII. *Attacotti bellicosa hominum natio.* Aliqui Atecottos, id est, severos dictos putant. *In cæruleo scuto, vallum rubrum habent, circum prominentibus rostris cæruleum orbem undique sepientibus, quæ eum ab hostibus tutum reddunt, & illis cladem minantur.* Quid simile habent sub Magistro militum Præsentali, Felices Arcadiani juniores. Honoriani Atecotti juniores etiam inter Auxilia Palatina Occidentis reperiuntur.

CAP. LVIII.

D

DE VIII. LEGIONIBVS

Comitatensibus Magistri militum per Illyricum.

PRÆTER Auxilia prædicta, idem Magister octo legiones Comitatenses gubernabat, quorum nomina, & insignia hæc sunt. Primi erant,

MARTIARII CONSTANTES, à Constante, Constantini Magni filio vocati, idem ferè insigne habent, quod ATECOTTI, nisi quod *in punicea parma luteum breviusque vallum undecim a-*
E *cutis mucronibus horridum gestant, & in umbone luteum orbem, luteo item circulo inclusum.* Simile præferunt Felices Arcadiani juniores, sub Magistro militum Præsentali, Manuscripti coloribus variant.

MARTII, fortè loco duarum Martiarum legionum suffecti, quas periisse, & ob audaciam Martias vocatas fuisse, Appianus lib. IV. *de bello Civili*, scribit. *In parma rubra aureum orbem, octo albos mucrones emittentem gestant. Marginem tres circuli, viridis, luteus, & rubeus cingunt:* qui Rom. Principes ter, id est, arctissimè conjunctos esse significant. Sanguinolentam verò cladem ru-
F beus clypeus, per cuspides hostibus minatur. Quarta legio Martia nuncupata ad Octavianum defecit. Dion lib. XLV.

BIANENSES, ita omnes manuscripti: impressus codex habet *Dianenses*: sed legendum esset *Dinenses*, à Dina oppido, quod in Alpibus maritimis Itinerarium ponit. Bianenses verò à Biana Hispa-

Hispaniæ oppido nuncupantur. *In cærulea parma, albi serpentis effigiem præferunt, qua humanum caput superne arrectum, & in aversum respicit: ipse est unicolor, & spiris duabus circum umbilicum aureum datis, caudam aliquantulum infernè propendentem submittit*: quemadmodum Pierius lib. XV. cap. XXII. describit. *Marginem rubeus circulus ambit.* Symbolum, Dei aut Principis sapientia orbem Rom. regi denotat. Hominis enim caput divinitatem, aut Principis prudentiam portendit: Sapientiam serpens; *Sed mihi hic* non serpens, sed *lorum videtur, ab humano capite ortum, quod duos orbes circumplectitur, eosque ter circumcinctos in summo, & imo arctè constringit*: Orientem Occidentemque arctè conjunctos, à Divina providentia gubernari indicat. In manuscriptis, duo orbes clarius, quàm in impresso apparent.

GERMANICIANI SENIORES, à Germanicia Syriæ urbe denominati, *In parma lutea, orbem rubrum gestabant, cum rubro circulo marginem ambiente.* Quod orbem Roman. unico Imperio arguit contineri. Germaniciani Juniores, inter legiones Comitatenses Occidentis permanserunt. & supra sub hoc Magistro Equites Germaniciani Seniores.

SECVNDANI, Plinio Galliæ Narbonensis populi, *idem planè insigne habent, nisi quod horum in clypeo cæruleo albus est orbis.* Originem, ut puto, habent à secundæ legionis militibus; sicut sextani, & septimani, qui oppidis, in quæ coloni deducti sunt, nomen dederunt. Plinius lib. III. cap. IV. *In medio*, inquit, *Colonia Arelate Sextanorum, Bliterа Septimanorum, Aransio Secundanorum.* Livius lib. IV. *de bello Maced. Dum repetunt enixe signum priores Secundani se porta ejecère*: Et paulò post: *Secundani terga hostium cædunt, ceteri castra diripiunt.*

LANCEARII AVGVSTENSES: *In parma cærulea, luteo cippo impositum orbem luteum tenent, cui rubrum humanum caput insidet*: Dei providentia, aut Principis à Deo inspirata, orbem prudenter regi indicant. in armariis enim post Orientis Notitiam humanum caput, pro Divina providentia exponitur, quam etiam de sua quandoque Principes intelligunt. Ab Augusto *Augustales* nominatos fuisse Vegetius lib. II. c. VII. memorat: eodemque modo dicti sunt *Augustenses*.

MINERVII, à Minervio provinciæ oppido dicti. Minerviam legionem apud Bononiam, propè Caletes Ptolemæus collocat. Spartianus, Hadrianum Primæ legioni Minerviæ in expeditione Dacica, à Trajano Præfectum fuisse scribit. *Idem gestant insigne, quod Secundani, & Germaniciani seniores, nisi quod hi, in parma viridi rubro circulo circumscripta aureum orbem tenent.*

LANCEARII IVNIORES & ipsi *idem habent symbolum, sed horum parma est alba, & orbis rubeus.* Madrucianus codex his cœruleum clypeum tribuit, & Minerviis luteum. Sub hoc magistro, ter symbola duplicantur: Eadem enim fermè sunt MARTIARIORVM CONSTANTIVM, & ATECOTTORVM.

SECVNDANORVM, & GERMANICIANORVM SENIORVM.

LANCEARIORVM IVNIORVM, & MINERVIORVM.

Omnium verò Magistrorum militum, simul sunt centum quatuor symbola. Nunc ad Legiones Pseudo-Comitatenses est veniendum, quorum nullum insigne invenitur, nisi codex sit diminutus, & sunt sequentes.

CAP. LIX.

DE IX. LEGIONIBVS PSEVDO-*Comitatensibus Magistri militum per Illyricum.*

TIMACENSES AVXILIARII, ex Timaco Mœsiæ superioris oppido delecti, qui, cum ex fœderatis Principis essent, Auxiliarii sunt vocati: Sed legionis Romanæ formam habuerunt.

FELICES THEODOSIANI IVNIORES, sub eodem merebant, posterius à Theodosio inventi, Felicesque cognominati.

BVRGARACENSES, à Burgo Aracæ, quæ Ptolomæo est urbs Syriæ, dicti.

SCVPENSES à Scope Marmaricæ Libyæ oppido.

VLPIANENSES, ab Vlpiano Mœsiæ superioris oppido vocati, id ab Vlpio Trajano est conditum & nominatum.

METENSES, Metis oppidum est Galliæ Belgicæ, olim Divodunum dictum, unde Metenses populi, & Metensis legio, videtur deducta. Sed verius puto, Mediomarices, postea Metenses appellatos, hic intelligi.

SECVNDI THEODOSIANI, inter Auxilia Palatina, sub altero Magistro militum Præsentali recensentur, haud dubiè à Theodosio delecti, post alios qui primi vocantur. Hæc verò secunda legio fuit, cui Theodosii nomen inditum.

BALISTARII THEODOSIANI IVNIORES, ab eodem Theodosio instituti, post alios, qui seniores dicebantur, & sub Magistro militum per Orientem inter IX. legiones Comitatenses militabant, reponuntur. Alii sub eodem, inter IX. Pseudo-Comitatenses legiones erant Balistarii Theodosiaci.

SCAMPENSES, à Scampes Macedoniæ oppido denominati, nunc *Vdagradum* vocant. Hi sont milites, qui sub Magistris militum Imperii Orientis merebant, quorum summa est colligenda.

CAP. LX.

EPILOGVS COPIARVM ORIENTIS.

MILITARANT sub Magistro militum Orientis legiones Palatinæ XIII. Comitatenses XXXVIII. Pseudo-Comitatenses XIX. quæ simul junctæ efficiunt legiones LXX. quarum singulis si viros tribuerimus quot Præfecturas eo tempore constitisse Constantinus Porphyrogenneta *de thematibus* scribit, septuaginta millia efficient. His accedebant Auxilia Palatina XLI. quæ arbitror quatuor millia excessisse; tribuendo singulis Auxiliis centum, etsi aliquando fuerint L. aut LX. ut Vopiscus in *Probo* scribit. Præter hos ex minore Laterculo emittebantur cohortes LIX. quæ ex prædictis non erant, nec alicui Magistrorum parebant, quæ si habuissent D. pedites, ut singulæ continebant cohortes, effecissent viginti novem millia, & D. pedites. omnes simul juncti essent centum tria millia peditum, & D. pedites Imperii Orientalis CMMM.

EQVITVM verò erant Vexillationes XLIII. Alæ minoris Laterculi LXVI. quæ vix pauciores quindecim millibus esse poterant, sed plures fuisse existimo. Vexillationem enim cc. alam minus c. equitibus continuisse non puto, sed aliàs vexillatio D. equites capiebat: unde Imperii jam tum inclinantis magnitudinem cognoscere licet. Accedebant & vires Imperii Occidentis non mino-

res. Navigabant præter hæc multæ classes, quarum VI. tantum in Illyrico Notitia nominat. Sed alia Seleucia dicta in Orunte fluvio fuisse legitur, *l. 1. C. de class.* Ex alia navium XL. in Ponto Euxino, Ægesippus *de excid. urb. Hierosolym.* lib. II. cap. IX. Nonam in mari rubro à Trajano institutam Sex. Rufus scribit. Reperiebantur & aliæ duæ in mari Mediterraneo, una Alexandrina nuncupata ad Ægyptum pertinens. Altera Carpatia vocata, mare Carpatium protegens, quæ advehendis speciebus fiscalibus & frumento addicta erat, *l. 4 C. de nau. & naucler. lib.* 11. Itaque classes numero XI. in Oriente fuisse leguntur, etsi Notitia VI. tantum meminerit. Nunc de Præposito sacri Cubiculi, & Principis ministris est dicendum, qui ut clarius appareant, hic summatim colligentur.

ILLVSTRES PRAEPOSITI SACRI CVBICVLI.

Curabant personam Principis & cubiculum.	*Primicerius sacri cubiculi, sub quo*	*Decani plures.*	
Principi in mensa & palatio serviebant.	*Comes castrensis, sub quo*	*Primicerius mensorum.*	
		Primicerius cellariorum.	
		Primicerius pædagogiorum.	
		Primicerius lampadariorum.	*Forma 1.*
			Forma 2.
			Forma 3.
Præposito sacri cubiculi parebant	*Comes Sacræ vestis.*		
Scribebant arcana Principis.	*Chartularii cubiculi III.*		
Palatium custodiebant.	*Decuriones III. Silentiariorum.*		
	Comes Domorum per Cappadociam.		

NOTITIA.

Sub dispositione Viri Illustris sacri Cubiculi Comes domus divinæ per Cappadociam.

CAP. LXI.

DE PRAEPOSITO SACRI *Cubiculi.*

IN tertia classe Illustrium sunt Palatini, quorum primus censetur Præpositus sacri Cubiculi. Impressa Notitia in indice, cum post Magistros militum locat, postea in repræsentandis Illustrium insignibus ejus non meminit. In manuscriptis verò legitur, SVB DISPOSITIONE VIRI ILLVSTRIS PRÆPOSITI SACRI CVBICVLI DOMVS DIVINÆ PER CAPPADOCIAM. Hic deest dictio, COMES, ante verba *Domus Divinæ per Cappadociam*, aliàs nullus eorum esset sensus, cum non recenseretur qui sub hujus Præfecti dispositione esset. Deinde ineptè appellaretur *Præpositus sacri Cubiculi domus divinæ per Cappadociam*: Nam si erat Præpositus sacri Cubiculi, non erat ejus officium ad domum divinam per Cappadociam referendum aut restringendum, unde addendum est verbum, *Comes*, domus divinæ per Cappadociam, qui erat sub hujus Comitis dispositione, & celebratur in Jure, *l. 3. C. de palat. sacr. larg. Novell.* 30. §. 1. cum enim multa essent in Cappadocia Principis prædia, his proprius Comes datus fuit. Hic verò solus sub Præpositi dispositione nominatur, & non alii Principis ministri, quia de eo magis quàm de cæteris dubitabatur, vel quod etsi quoad obsequia illi Præposito parebant, sub magistri tamen officiorum ditione erant, *l. 3. & ult. C. de præpos. sacr. cub.* quod fortè in Comite domus per Cappadociam secus observabatur. Alii domorum Comites rerum privatarum Comiti parebant, *l. 5. C. ad l. Juliam repetund.* Hic Præpositus quartus inter illustrium dignitates sequentes illustres præcedebat, *l. ultim. C. de præpo. sacr. cubic.* quibus etiam in Zenonis constitutione præponitur, *l. ultim. C. ubi senato. vel clariss.* Nulli tamen insignia, aut officium ejus apparent, quibus fortè carebat.

Cubicularii erant, qui personam Principis curabant, & ipsi inserviebant, *l. penultim. C. de præpo. sacr. cub. l. legatis, in prin. de leg.* 3. ac Ministeriani appellabantur, *l. ultim. C. de castren. minist.* Inter hos erant Decani, qui fortè numero X. *Decanos enim*, inquit D. Augustinus lib. 1. *de moribus ecclesiæ Catholicæ*, cap. XXXI. *vocant, eo quod sint denis præpositi.* quos *ministros thori* Marcellinus appellat, lib. XIV. Hi Principem vestibus induebant, & cubicula, & lectos parabant, quorum Præfectus Primicerius dicebatur, *l. 1. & 2. C. de can.* iidem portas cubiculorum Principis custodiebant. Metaphrastes XXVI. *Februar. in v. Porphyr. Amantius*, inquit, *præpositus per duos decanos vocavit Episcopos, qui magnam pecuniæ partem, quam ab Eudoxia pro victu acceperant, inter decanos, qui præerant portis, distribuerunt.* Decanus is fortè est, qui olim *Decurio* vocabatur. Tranquillus enim in *Domitiano* cap. XVII. scribit Domitianum à Saturio Decurione cubiculariorum trucidatum. Erant & Castrensiani, qui mensam Principis parabant: Pædagogia, Cellarii, Mensores, Lampadarii, & Sacras vestes tractantes, quibus Comes castrensis præerat, *l. 1. C. Theod. qui à præbit. Tyro. l. 1. C. de præp. sacr. cubic. l. ultim. C. de diversf. offic.* sub hoc Præposito censebatur & Comes domorum Principis, *dict. l. 2.* & tres Chartularii spectabiles viri, qui instrumenta contractuum Principis, & alia scribebant. Præcipuè verò ad Magistratum ab eo promotos chirographo notabant, & ad Primicerium Notariorum transmittebant, ut illis codicillos cum symbolis, & insignibus obtentæ dignitatis, libroque mandatorum traderet, *l. ultim. C. de offic. mag. offici. §. ultim. Novell. 24. §. ultim. Novel.* 25. Hanc ob causam singuli magistratus novem aureos inter hos tres cubicularios dividendos solvebant, *Novell. 24. in fin. cum tribus Novell. seq.* Comes verò Orientis, & Asiæ Proconsul, singuli

singuli his LXIII. solidos pendebant, *Authen. ut jud. sine quoque suffr. fiant. Authent. in Notitia seu Novell.* 8. Summa pecuniæ, quam ab Orientis Magistratibus accipiebant, ad aureos DXLIX. Justiniano imperante, ascendebat: Cum nondum Italiam, nec Illyricum recepisset, nec Africam ordinasset. Præcipuè verò, ut exprimit Notitia, Præpositus imperabat Comiti divinæ domus per Cappadociam, ad quem reditus fundorum Tamiacorum in Cappadocia spectabant. Hi erant pascua, arva, campi vitibus consiti, domus & nemora, *cap.* 7. *Novell.* 30. ad quorum proventus procurandos, & exigendos, ex schola Palatina quosdam Canonicarios nuncupatos dirigebat, qui exactam pecuniam Constantinopolim in Principis domum impendendam ferebant, *cap.* 7. *dict. Novell.* & ideo *Tamiaca prædia*, id est, ad familiæ alimenta destinata vocabantur, *l.* 1. *&* 2. *C. de præd. Tam. lib.* 11. His & colonis prædiorum præerat *Comes domorum per Cappadociam* dictus, tantæ dignitatis, ut apud multos pluris Præside fieret, *d. Novell.* 30. *§.* 1. Officium etiam tanquam Magistratus habebat, cujus Princeps erat, unus Mittendariorum ex officio Comitis largitionum. Gratianus A. *l.* 3. *C. de pala. sacr. larg. De Palatino*, inquit, *officio ad gerendum Principatum Comites domorum per Cappadociam emittantur, quales, Comes etiam domorum, si inhonestum aliquid gesserit, vereatur.* Præpositus cubiculi cum hoc Comite, inquilinis, colonis, servisque jus dicebat, *l. ult. C. ubi cau. fisc.* videtur etiam Silentiariis imperasse, cum Jura ad ipsos spectantia ad Præfectum cubiculi dirigantur, *l. pen. & ult. C. de silen.* & verisimile est illos sub ejus cura fuisse, qui prospicere debebat, ne strepitus in palatio audiretur. Eodem modo Augusta suos Cubicularios, & Præpositum illis imperantem habebat, *l.* 3. *& ult. C. de præpo. sac. cubi.* Sed Magister officiorum, tàm Principis, quàm Augustæ, aulicorum supremus judex erat, *d. l.* 3. *& ult. C. eod. tit.* Pluribus verò Præpositus cubiculi gaudebat privilegiis. In primis Præfectis & Magistris militum æquabatur, *l.* 1. *C. eod. tit.* Immunis præterea erat à solvendo tyronum vel equorum precio, quo provinciæ onerabantur: vicenos & tricenos solidos pro equo solventes, *dict. leg.* 1. *Cod. Theodos. qui à præbit. Tyron.* Deinde neque ipsi, neque Cubicularii angariis, aut præstandorum veredorum, recipiendorumve hospitum onere arctabantur, *l.* 2. *C. eod. tit.* Ab omnibus denique sordidis præstationibus ipsi & eorum uxores erant immunes, *l.* 15. *&* 18. *C. Theod. de extraord. & sordid. mune.* scilicet à pistrinis, aut excoquendo pane calceve, exhibendis operis à paraveredorum præstatione, impensa ad publicas ædes, pontes, viasve reparandas facienda, & similibus, *d. l.* 15. *&* 18. Olim Præpositus sacri cubiculi Illustris non erat: sed cum Macrobius cubiculi Honorii Principis Præfectus doctrina ac prudentia excelleret, in ejus gratiam omnes Præpositi sacri cubiculi, Magistris militum æquari Illustres sunt declarati, *l.* 1. *C. de præpos. sacr. cubic.* Nescio, an is Macrobius sit, qui *Scipionis somnium* interpretatus, *Saturnalia* celebravit, & *illustris* cognominatur. Hos Præpositos *Paracœmomenos* posteriores Græci vocaverunt, & *canicleon* cubiculum, auctore Volaterrano. Augustæ cubiculi Præpositus, & ipse illustris iisdem cum præposito cubiculi Principis privilegiis gaudebat, *l. ult. C. de præpo sacr. cubic.* Temporibus Palæologorum capitium Phrygiatum Præpositus cubiculi gestabat, pallium purpureum, tunicam ex cocco & auro Phrygiatam in anteriori parte cum imagine Imperatoris stantis, in posteriore verò throno insidentis: sceptrum quoque ligneum, cujus primus nodus erat aureus, alii auro, argentoque convoluti, quemadmodum Sophotatus Curopalata in *officiis Palatinis* describit: sed quoniam hunc Præpositum Silentiariis præfuisse diximus, & eorum in Jure fit mentio, *in l. omnimodo. ad fin. C. de inof. test. tit. C. de silentiariis & decurionibus eorum.* de his est videndum.

CAP. LXII.

DE SCHOLA SILENTIARIORVM.

ERANT Silentiarii non à secretis Principis, ut Accursius credidit, *in l. omnimod. ad fi. ver. silentiarius C. de inoffi. test. & in Rubr. C. de silentia.* sed qui curam habebant, ne quis in Principis palatio strepitus excitaretur, & ut silentium servaretur. Procopius in libro *de bello Persico: Romani*, inquit, *ad ea quæ quietis sunt in palatio, ministrum silentiarium vocant.* Hi plures erant, sed XXX. ordinarii, & digniores in tres decurias divisi, quorum singulis decem unus Decurio præerat, *l.* 3. *in fin. C. de silentiar. lib.* 12. Hunc Palatii Decurionem Marcellinus lib. XX. cap. IV. vocat: *Aliquis*, inquit, *palatii Decurio, qui ordo est dignitatis, signa Petulantium ingressus & Celtarum.* Ita etiam Honorius A. appellat, *in l.* 1. *C. de silentiar. Decuriones*, ait, *palatii nostri, post emensum fideliter obsequium, electionem habeant, sive ex Magistris officiorum, velut agentes dignitatem consequi maluerint, sive inter viros illustres Comites domesticorum.* Omnes verò Magistrum officiorum tam in civilibus, quàm criminalibus causis, judicem habebant, *l. ne ad diversa. C. de silent.* Sed ubi annis XIII. inculpatas excubias peregissent, à præstandis equis, & tyronibus, oncreque excoquendæ calcis ad fabricas, & recipiendorum in ædibus hospitum erant immunes, *l.* 2. *&* 3. *C. eodem titul.* Præterea quod acquirebant filiifamilias Silentiarii, ex Principis stipendio, Anastasii constitutione in Castrense peculium referebatur, *l. ultim. C. eodem.* Ex quo apparet, illos verè milites non fuisse, quia de hoc dubitandum non erat, neque lege cavendum. Præterea si parentes hanc Palatinam-militiam pro filio emissent, pretium ipsia in legitimam non computabatur, *dict. l. ultim. & l. omnimodo. §. ultim. C. de inoffic. testam.* Unde vendi potuisse hujusmodi officium deprehenditur. A tutela etiam & cura erant immunes, aliisque eorum liberi privilegiis honestabantur, *dict. l. ultim.* Hi prius fuere clarissimi, *dict. l. ult. C. eodem.* postea spectabiles sunt facti, *dict. l. omnimod. §. ultim.* Deposito verò post annos XIII. officio, erant Illustres. Inter eos enim, qui Magistri, vel Comitis domesticorum, officio functi erant, connumerabantur, *l.* 1. *C. eod. titul.* Hæc de Silentiariis, qui etsi à Magistro officiorum judicabantur, cùm tamen sub Præpositi sacri cubiculi obsequio eos fuisse constet, *l. penult. & ultim. C. eod.* de ipsis hoc loco disserui.

CAP. LXIII.

DE MAGISTRO OFFICIORVM

Orientis, & ejus insignibus.

PRÆPOSITVM sacri cubiculi sequitur Magister officiorum, quem Ducem ordinum Palatinorum Zosimus in secundo, & Procopius in 1. *de bello Persico*, appellant. Non tantum enim Palatinis, & Principis ministris, ac scholis palatii arma tractantibus imperabat, sed & fabricis, & limitaneis Ducibus, vel Comitibus, *l. penultim. C. de offi. Mag. off.*

A à quibus, ad Magiſtrum officiorum, & Quæſtorem appellabatur, *l. penultim. C. de app.* Hanc *Magiſteriam* dignitatem vocant Jura, *§. 1. in proœm. ff. §. 1. in prima conſtit. C. l. 2. §. hoc etiam, C. de offic. P. P. Afric.* & Caſſiodorus lib. VI. cujus præcipuum munus fuiſſe dicit, ut Principi Senatores offerret. *Ad ipſum*, inquit, *palatii pertinet diſciplina; ipſe inſolentiam ſcholarum, mores procelloſos moderationis ſuæ terminis diſſerenat. Tum multi ordines ſine confuſione aliqua componuntur:* Et paulo poſt: *Per eum Senator veniens, noſtris præſentatur obtutibus, admonet trepidum, componit loquentem: ſua quin etiam ſolet verba inſerere, ut nos decenter omnia debeamus*
B *audire. Aſpectus regis haud irritus, promiſſor collocutionis noſtræ, glorioſus donator aulici conſiſtorii, quaſi quidam Lucifer. Nam ſicut ille venturum diem promittit, ſic iſte deſiderantibus vultum ſerenitatis noſtræ attribuit, cauſarum præterea maximum pondus in ejus audacia finibus, optima ſecuritate reponimus. ...... Veredorum quin etiam opportunam velocitatem, quorum ſtatus ſemper in curſu eſt, diligentia ſua diſtrictione cuſtodit, ut ſollicitudines noſtras, quas*

A *conſilio juvat, beneficio celeritatis expediat. ...... Per eum nobis legatorum, quamvis feſtinantium, prænunciatur adventus: per eum nominis noſtri deſtinatur evectio; & iſti principaliter creditur, quod tam neceſſarium eſſe ſentitur. His etiam laboribus æſtimatis, poteſtatem maximam huic decrevit Antiquitas; ut nemo judicum per provincias faſcem aſſumeret, niſi hoc & ipſe fieri decreviſſet. .... Perequatores etiam victualium rerum in hac urbe regia, propria voluntate conſtituit, & tam neceſſariæ rei judicem facit.* Hæc ille.


Officiorum autem Magiſter dicebatur, quod officiis, id eſt, Miniſteriis, ſeu Principi miniſtran-
B tibus præerat; nomen enim officii, etſi multa ſignificat, hic pro miniſterio accipitur, ut apud Marcianum, *l. legatis. §. ſi ex eff. ff. de leg. 3. Si ex officio*, inquit, *quis ad artificium tranſierit, officium artificio mutatur.* Et in eodem ſenſu ſæpè apud alios ſumitur, *in l. ſervos. ff. de manum. teſt. l. ſi non ſortem. § libertus ff. de condi. indeb. cum ſimilib.* Adaucus martyr Diocletiani Imper. Magiſter officiorum, & Quæſtor fuit, Euſebius lib. VIII. c. XXIII.

NOTITIA.

INSIGNIA VIRI

ILLUSTRIS MAGISTRI

OFFICIORUM.



COMMENTARIVM.

MAGISTER officiorum Orientis inſignia hæc habebat: *Abacum tapeto in medio ſurrecto inſtratum, quo nititur erectus liber, argento tectus, aureis virgulis in rhumbum ornatus, in medio vero duorum principum vultus aureos continet, infraſcriptum eſt*, FABRICÆ, quæ ſub hujus cura erant, & in quibus *varia armorum genera* hic depicta ſiebant.

C In primis ſpectantur, cum ſuis ſymbolis ſeptem clypei. Sex in manuſcriptis. Hos Pierius lib. XV. *Hieroglyphicor.* vult fuiſſe proprius Præfectorum fabricarum: Ego ſcutorum militum exemplaria fuiſſe puto, quæ etſi non in omnibus, certe in pluribus illis conveniunt. Itaque fabricas ſcutarias nuncupatas referunt, in quibus ſcuta militibus tradenda fabricabantur.

In ho-

In horum uno *cœruleo est dimidiatus serpens luteus, aureus umbilicus, margo rubens, intra quem à lava parte est onyx parvus cum Æthiopis sigillo, ut Pierius depingit*: Sed in Codice impresso imago est togati Principis orbem tuentis: *In umbone aureus orbis decussatur*, anguis dimidia parte est truncus, qualem in alio fabricæ clypeo idem Pierius describit, quod symbolum in Marcomannis, Honorianis, & Ceratis sub Magistro equitum Præsentali Occidentis sum interpretatus. In Oriente enim non reperitur.

Alius *clypeus rubeus in medio aureum orbem luteas, acutasque cuspides emittentem*, & cladem hostibus minantem habet. *Marginem cœruleus limbus cingit*, prout gerunt Ascarii juniores, sub Magistro militum per Illyricum, in quibus hoc insigne exposui.

Tertius & *ipse rubeus aureum globum in umbone tenet, septem parvis cuspidibus armatum, & aliis septem orbiculis circundatum, quos major luteus orbis sustinet, octo longis luteisque trabibus circummunitus.* Simile symbolum in Oriente sub Magistro militum Thraciæ Flavia Gemina, in Occidente Lancearii ferunt: exceptis orbiculis. Unum significat esse & magnum orbis Rom. Imperium, atque undique munitum, etsi ob divisionem minus videatur, ut aliàs dictum. In manuscriptis, est geminus orbis luteus, senis & duplicibus trabibus munitus.

Est & alia *parma rubra, continens globum luteum acutos mucrones emittentem, qui marginem pertingunt, medio, aureus umbilicus includitur, unde alia, sed breviores luteaque cuspides exeunt. Nigra linea totam clypei faciem inumbrant.* Parvus umbilicus, Imperium, etsi ob divisionem comminutum, adversus hostes armatum esse ostendit, & utrumque ejus orbem unitum. In majusque auctum, majorem illis cladem allaturum. Id verò tectum & latens esse, ex adumbratione significatur, nisi per eas mare malumus significari. Simile insigne est Balistariis junioribus, sub Magistro militum per Thracias. In manuscriptis hic clypeus deest.

Aliam *parmam cœruleam, nigræ lineæ ad medium occupant, ubi orbis aureus splendet*, qualem Lancearii juniores, Minervii, & alii sub Magistro militum per Illyricum gestant. Etiam id terras mareque uni Imperio Rom. subesse insinuat. Rubeus circulus marginem ambit.

In alterius *parma cœrulea umbone, luteus orbis & nigris lineis decussatim divisus, duplici luteoque vinculo cingitur: Dimidium verò clypeum, nigra linea percurrunt*, quæ maris sunt typus. *Duplex circulus rubeus marginem ambit.* Simile insigne ferunt Quarti Sagittarii, sub Magistro equitum Præsentali Occidentis. Divisum orbem Rom. uno contineri Imperio insinuat.

In ultima parma viridis umbone, globus luteus, in medio quadram tabellam & ipsam luteam sustinet. Illum octo lutei orbiculi, in medio clavis confixi, & luteo circulo cuncti circundant. Nigra linea tertiam ferè clypei partem occupant, quem rubens limbus circumplectitur. Idem est argumentum, quod superioris symboli. Tabula legem orbi à Principe datam refert. Orbiculi clavis confixi, orbem Romanum firmiter & undique munitum esse denotant. Manuscriptis pro hoc symbolo est orbis luteus, duobus circulis item luteis cinctus, & rostris circum armatus, qualis est clypeus Comitis domesticorum peditum. Ursini codex argenteum globum albo circulo cinctum, & undique rostris munitum repræsentat: Madrucianus, in cœruleæ parmæ umbone, album umbilicum, cœruleo luteoque circulo inclusum refert alba tabella supra eminet. In aliis quoque symbolis in paucis quibusdam manuscripti variant.

A *clypeorum* lateribus *bina* utrinque stant *spicula*, quæ indicant in fabricis lanceas & arma fuisse fabricata; propè *tres cuspides* visuntur, *quibus signa militaria infigebantur. Quatuor* aut quinque *galea cum cristis, dua lorica, & totidem thoraces, duo enses, & totidem spata, ocreæ, secures bipennes, plumbata* seu plumbeæ pilæ: Manuscripti addunt arcum, & duas pharetras. Hæc fabricas armorum *loricatas, spatarias, arcuariasque* nuncupatas referunt. Et licet nulla hoc nomine appelletur in Oriente, dubitandum non est hujusmodi arma ibi fabricata fuisse; præsertim illis in locis, quibus nullum armorum genus inscribitur. Sed in Occidente suæ armorum species singulis fabricis applicantur. Nulli verò licebat hæc arma facere, *l. ult. §. magnus. ff. de public.* nisi fabris, qui in certis Imperii locis jussu Principis ea fabricabant, & *Fabricenses* appellabantur, *l. 1. C. de Fabricen. lib. 12. & in §. 1. in Auth. de armis.* quibus salarium ex publico dabatur, neque ipsis hæc aliis vendere licebat. In tractu Orientis quinque tantum fabricæ, id est, armorum officinæ erant, tres in Ponto, una in Asia, duæ in Thraciis, quatuor in Illyrico. Hæc insignia in hujus magistri auditorio spectabantur, & fortè eo procedente præferebantur, cum præconum acclamationibus, qui eum Imperii patrem prædicabant. Gratianus *in l. 1. Cod. de Quæsto. & magi. offic. Qui*, inquit, *ex officiali magisterio attonito splendore viguerunt, acclamatione excipiantur solita, nec prætereantur ut incogniti: officiale* autem *magisterium* vocat Magistrum officiorum. Illustris est hic Magister, *l. 3. C. de curs. pub. l. eos. C. de prin. age. in reb. lib. 12.* & Magnificus, *in l. 4. C. de ag. in reb. l. 12.* & quandoque Comes vocatur, *l. judicib. eod. tit. C. l. pen. & ult. C. de castrensib. & ministeria. lib. 12. & d. l. 3.* Magister palatii à Cassiodoro, quo nomine etiam appellatur Tribonianus, *in §. ad istum. C. de Justin. C. confir.* Præerat scholis, Mensoribus, Lampadariis, quatuor scriniis, officio admissionum, & fabricis, quæ ordine explicabuntur, & in tabula summatim repræsentabuntur. Cubiculariis etiam aliisque ministris Principis, jus dicebat. Sed & Duces, ac Comites limitanei, eorumque officia, & castrorum præpositi illius suberant ditioni, *l. viros. C. de diver. offic.* & ob id pedaneum judicem ipsorum causas cognoscentem habebat, *§. 1. Novel. 82. seu Auth. de jud.* Omnes summatim post Notitiæ contextum repræsentabo.

NOTITIA.

SUB DISPOSITIONE VIRI ILLUSTRIS *Magistri officiorum.*

SCHOLA scutariorum prima.
Schola scutariorum secunda.
Schola gentilium seniorum.
Schola scutariorum sagittariorum.
Schola scutariorum Clibanariorum.
Schola armaturarum juniorum.
Schola gentilium juniorum.
Schola agentum in rebus, & deputati ejusdem scholæ.
Mensores, & Lampadarii.
Scrinium Memoriæ.
Scrinium Epistolarum.
Scrinium Libellorum.
Scrinium Dispositionum.
Officium Admissionum.

Fabri-

Fabricæ infra scriptæ Orientis V. A

Scutaria & armorum Damasci.
Scutaria & armorum Antiochiæ.
Clibanaria Antiochiæ.
Scutaria & armamentaria Ædessæ.
Hastaria Irenopolitana Ciliciæ.

Ponticæ III.

Clibanaria Cæsareæ Cappadociæ.
Scutaria & armorum Nicomediæ.
Clibanaria Nicomediæ. B

Asiana I.

Scutaria & armorum Sardis Lydiæ.

Thraciarum II.

Scutaria & armorum Hadrianopoli, Hæmimontis.
Scutaria & armorum Martianopoli.

Illyrici IIII.

Thessalonicensis.
Naissatensis.
Ratiarensis. C
Scutaria Horreomargensis.
Officium autem suprascripti Viri Illustris Magistri officiorum de schola Agentium in rebus est ita:
Adjutor.
Subadjuva adjutores duo.
Fabricarum tres.
Barbariorum tres.
Orientis unus.
Asianæ unus.
Ponticæ unus.
Thraciarum, & Illyrici unus.
Curiosus cursus publici præsentalis unus.
Curiosi per omnes provincias.
Interpretes diversarum gentium.
Magister officiorum ipse emittit.

NOS IN HAC TABELLA OSTENDIMVS QVIBVS PRÆEST MAGISTER OFFICIORVM.

Magister officiorum præest.

- *Scholis VIII.*
  - *Scutariorum I.*
  - *Scutariorum II.*
  - *Gentilium seniorum.*
  - *Scutariorum Sagittariorum.*
  - *Scutariorum Clibanariorum.*
  - *Armaturarum juniorum.*
  - *Gentilium juniorum.*
  - *Agentium in rebus, & deputatorum schola.*
- *Mensoribus.*
- *Lampadariis.*
- *Scriniis IIII.*
  - *Memoriæ, in quo viri LXII. ex quibus*
    - *Antiquarii VII.*
      - *Græci IIII.*
      - *Latini III.*
    - *Adjutores Quæstoris XII.*
  - *Epistolarum viri XXXIV.*
  - *Libellorum, viri XXXIV.*
  - *Dispositionum.*
- *Officio admissionum.*

- *Fabricis XV.*
  - *Orientis V.*
    - *Scutaria & armorum Damasci.*
    - *Scutaria & armorum Antiochiæ.*
    - *Clibanaria Antiochiæ.*
    - *Scutaria & armamentaria Ædessæ.*
    - *Hastaria Irenopolitana Ciliciæ.*
  - *Pontica III.*
    - *Clibanaria Cæsareæ Cappadociæ.*
    - *Scutaria & armorum Nicomediæ.*
    - *Clibanaria Nicomediæ.*
  - *Asiana I.*
    - *Scutaria & armorum Sardis Lydiæ.*
  - *Thraciarum II.*
    - *Scutaria & armorum Hadrianopoli Hæmimonti.*
    - *Scutaria & armorum Martianopoli.*
  - *Illyrici IIII.*
    - *Thessalonicensis.*
    - *Naissatensis.*
    - *Ratiarensis.*
    - *Scutaria Horreomargensis.*
- *Limitaneis.*
  - *Comitibus II.*
  - *Ducibus XIII.*

CAP. LXIV.

DE SCHOLIS, QVIBVS PRÆERAT *Magister officiorum.*

IN primis scholis octo Magistrum officiorum imperasse Notitia scribit: Quatuor Scutariorum, duabus Gentilium, uni Armaturarum, & alii A-
D gentium in rebus, quæ *scholæ Palatinæ* à Marcellino lib. XIV. cap. VII. appellantur, qui tuebantur palatium: *Solis*, inquit, *Scholis* Constantius *jussit* Gallum *esse contentum Palatinis & Protectorum, cum Scutariis & Gentilibus:* Et paulò infra: *Advocatos Palatinarum primos Scholarum allocutus est.* Scholam, non locum ubi virtuti datur opera, neque ipsam virtutis exercitationem, sed tempus opportunum, quo virtuti vacatur, significare Suidas memorat: in quo sensu lib. I. *Tusculan. Quæst.* Cicero accepisse videtur: *Dierum*, inquit, *quinque scholas, ut Græci appellant, in totidem libros contuli.* Sed hic schola pro ordine militantium accipitur. Vegetius
E lib. II. cap. XXI. pro centuria sumere videtur: *Per diversas*, ait, *cohortes, & diversas scholas milites promoventur.* Et subdit: *Primipili Centurio, postquam in orbem omnes cohortes per diversas administraverit scholas, in prima cohorte ad hanc pervenit palmam.* Hæ non legiones, non cohortes, non vexillationes erant, sed corpora militum, vulgus Italicum *societates* appellat. *Scholas* in plurali tantum Festus ponit. Præter has octo, tres aliæ scholæ fuerunt Silentiariorum, & equitum, peditumque domesticorum. Itaque undecim, in toto Orientis Imperio, scholæ reperiuntur, & ita à Justiniano *in l. ult. C. loc.* numerantur. Duæ inermes Agentium
F in rebus, & Silentiariorum, & novem armatæ militiæ: qui erant milites Armeni, omnium præstantissimi numero 3500. computatis duabus domesticorum scholis. His duo millia militum addidit Justinianus, qui *supranumerarii* sunt vocati. Suidas in verbo ὑπεράριθμος. & in verb. σχολάριοι. *Erant*, inquit, 3500. *ex præstantissimis Armenus in scholas divisi*,

divisi, & Principis palatium custodiebant, & ideo huic Magistro parebant, ac uberius cateris militibus salarium percipiebant. Hæc è Procopii ἀνεκδότοις mutuatus videtur, ubi idem fermè scribit: *Alii* inquit, *milites non pauciores tribus millibus quingentis ad custodiam Palatii sunt constituti, quos scholares vocant, quibus longè majus stipendium, quam ceteris, dari consuevit, initio ex præstantissimis Armeniis delecti hunc honorem promeruerunt. Postquam verò Zeno Imperium adeptus est, inter eos etiam molles & imbelles sunt recepti: donec progressu temporis etiam servilis conditionis homines hunc honorem emerunt. Verum Justinianus Princeps factus, plures magna pecunia ab eis recepta ad hunc honorem promovit. Et cum numerum complesset, alia duo millia addidit, quos supranumerarios vocavit, nullamque pecuniam illis dedit.* Scholis novem tantum Magister Officiorum imperabat. Domesticorum enim equitum peditumque scholæ à suis Comitibus Magistrorum militum vices agentibus judicabantur, *l. 1. C. de venatione feræ. lib. 11. in inscriptione.* Notitia verò VIII. tantum scholas, ut dictum est, sub Magistro Officiorum ponit, Silentiariorum omittens, quos Primicerio cubiculi paruisse tradidimus. Hi tamen postea à Magistro Officiorum sunt judicati. Zeno *in l. 4. C. de silentiar. Jubemus*, inquit, *qui quemlibet devotissimorum Silentiariorum scholæ civiliter vel criminaliter pulsare maluerint, ex judicio tantummodo Magistri officiorum conveniri.* Nullus verò has scholas ingredi poterat, qui à Principe probatus non esset, & ideo ipsorum nomina in scriniis majoris laterculi à Notariis tribunis scribebantur, ac singulo quadrimestri multis quotidie decedentibus vel abeuntibus, eorum album, vel matriculæ renovabantur, *l. ult. C. de offic. Mag. offic.* In primis Scholaribus omnibus interdicebatur, ne cujusquam prædia conducerent, ne ab armorum exercitatione avocarentur, *d. l. ult. C. loca.* Aliæ sub P. P. erant scholæ, *l. 2. de offic. P. P. Africa.* quibuscum hæ undecim nihil commune habent. Cuique scholæ suus præerat Comes, vir spectabilis, *l. 1. C. de priv. scholar. l. 3. C. de off. Mag. Off.* Ita enim scholarum capita Theodosius & Honorius AA. vocant, *d. l. 3. C. de off. Mag. Offic. l. 1. C. de com. & tribun. scholar.* Comitem sequebatur Primicerius, qui idem Tribunus vocabatur, & ipse spectabilis, *l. 2. C. de domest. & protect. seu l. ult. C. Theo.* Post hunc decem primi sequentes erant Clarissimi, *d. l. 2.* Quorum primus Secundocerius est dictus, postea hi ad Primicerii gradum promovebantur, *d. l. 2.* Decem isti primi scholarum ad exemplum Decurionum Civitatum sunt inventi, qui & ipsi decem primos habebant, *l. 1. in pr. l. 3. §. Decaprotos. l. ult. §. munera. ff. de mun. & honor.* post hos erant Ducenarii, deinde Centenarii, mox Biarchæ, postea Circitores, exinde Equites, ultimi Tyrones, qui erant plures, quemadmodum in schola Agentium in rebus, *l. 3. C. de Agent. in reb.* Hos deponendi corrigendive facultatem, eorum Comes non habebat: sed hoc ad Magistrum Officiorum spectabat, *l. 3. C. de offic. Mag. Offic.* Ducenarii CC. militibus præesse consueverant, Centenarii C. Veget. lib. II. c. VIII. Biarcha verò erat commeatui Præfectus, nam *Bios* victum significat: similis erat Præfecto contubernii X. militum, Vegetius dicto loco. Circitor, publicus urbis custos, aliàs Circitores sunt, qui res venales per urbem circumferunt, *l. quicunque. §. sed & eos. ff. de Instit.* Apud milites pro eo, qui vigilias circuit, accipitur. Eques verò plus erat, quàm simplex miles. Pedes dicebatur, qui nullum adhuc gradum habebat. Primoribus ampliora cæteris stipendia dabantur, ut ait Suidas. Nam prout gradu excellebant, plus habebant: Nemini verò licebat scholarem fieri, aut ad eorum gradum promoveri sine Principis consensu, & ob id codicillis à Notariis Laterculensibus scriptis, & à Principe subscriptis, creabantur: & eorum nomina in Laterculo majore conservabantur. Cum verò tria millia & quingenti Armeni in IX. scholas dividerentur, inter hos Agentes in rebus, & Silentiarii inermes, non connumerabantur: singula schola, si æqualem facimus divisionem, plus minus CCCC. milites continebat. Sub Magistro Officiorum sequentes scholæ à Notitia recensentur.

SCHOLA SCUTARIORUM PRIMA. Hi & sequentes Principem comitari consueverant. Zosimus lib. III. cap. XXIX. *Recedentibus*, inquit, *duobus ordinibus, qui Principem stipare solebant, ac Scutarii dicuntur:* scutis enim potissimum utentes, totum etiam corpus armis tegebant, non tamen equos, ut Clibanarii, ita armis tectos pedites, *Scutatos* vocatos fuisse, auctor est Vegetius lib. I. cap. XX. Hi à Constantino instituti videntur, quibus, & scholæ Clibanariorum panes quosdam assignavit, *l. 9. C. T. de annon. civilib.* Hujus scholæ meminit Marcellinus lib. XXVI. cap. I. *Obscuris*, inquit, *paucorum susurris nomen perstringebatur Equitii, schola prima Scutariorum etiam tum Tribuni.* Idem lib. XX. cap. IV. *De Scutariis autem*, ait, *& Gentilibus excepto quemque promptissimum.* Et alibi. Primi Scutarii sub Magistro militum Præsentali primo, & Magistro per Orientem, merebant inter Vexillationes Comitatenses: sed an sint ex his subsisto. Armis utebantur, qualia in Officiorum Magistri insignibus ostenduntur: Hi & sequentes etiam in Occidente reperiuntur.

SCUTARIORUM SCHOLA II. dicta ad primæ differentiam, cujus idem Marcellinus lib. XXV. ad finem meminit: *Quibus*, inquit, *compertis, Valentiniano, qui cum his redierat, regenda Scutariorum secunda schola committitur:* Is est Valentinianus qui mox imperavit. Secundi Scutarii, equo sub Magistro Præsentali, inter Vexillationes Comitatenses militabant.

SCHOLA GENTILIUM Seniorum. Hi erant idololatræ ex Barbaris Rom. Imperio minimè subditis, variisque gentibus collecti, ut ait Zonaras in *Madrucian.* Modestinus quoque *in l. Athleta. §. 1. de excus. tut.* appellat Gentilium sacerdotia Idololatrarum: Procopius lib. V. *de bello Persico.* Romanis fœderatos gentiles Phylarchos fuisse dicit. De his ita Marcellinus lib. XXVII. cap. X. *Promptè præter ante alios duo juvenes lecti in principiis adeundi discriminis, Salvius & Lupicinus, Scutarius unus, alter è schola Gentilium.* Et lib. XV. cap. V. *Malarichus Gentilium rector.* Et alibi. Hi in Occidente quoque militabant.

SCUTARIORUM SAGITTARIORUM. Hi armis undique tecti sagittis utebantur in prælio. Ejusdem nominis cuneus sub Duce Mœsiæ secundæ merebat, & alius sub duce Daciæ, nisi fuerint sequentis scholæ.

SCUTARIORUM CLIBANARIORUM, id est, Cataphractorum, ipsi, & equi, toti erant armis contecti, quemadmodum supra exposui; & hi à Constantino inventi fuisse videntur, quibus certos panes, quemadmodum & aliis Scutariis, est elargitus, *d. l. 9. C. Th. de anno. civilib.* Eorum arma in Magistri Officiorum insignibus spectantur.

ARMATURARUM JUNIORUM schola est dicta, quia non loricis, sed solidis armis supra ostensis, quas *armaturas* vocabant, utebantur, ut ait Ælianus in libello *de instruendis aciebus*; qui pedestrem ordinem in tres partes dividit, *Armaturam, Velites* & *Peltatos.* Gravissimis armis more Macedonum munitos, *gravem armaturam* vocat, qui etiam *armati* nominabantur, quod & de equitibus est di-

cendum : nam scutum grandius, & hastam longiorem gestant. Cuneus Secundorum Armigerorum erat sub Duce Mœsiæ secundæ. Armaturarum seniorum schola in Occidente merebat. Harum & Marcellinus lib. XIV. XV. & XXVII. meminit. *Mellobaudes*, inquit lib. XIV. cap. XI. *Armaturarum Tribunus.* Ordinem Scholarium juniorum à Gordiano Juniore restitutum, & *juniorum* ab eo vocatum Cedrenus scribit.

GENTILIUM JUNIORUM ad differentiam seniorum nuncupatorum. In Occidente sex tantùm scholæ nominantur.

CAP. LXV.

DE SCHOLA AGENTIUM *in rebus.*

OCTAVA Magistro Officiorum parebat schola Agentium in rebus, quam velut præcipuam, & officio à cæteris divisam proprio capite tractandam esse censui. Hi erant Principis nuncii in provincias, & alia loca ob diversa negocia missi. D. Hieronymus *in 1. c. Abdiæ*: *Quos*, inquit, *nunc Agentes in rebus, vel Veredarios appellant, veteres Frumentarios nominabant.* Sextus Aurelius Victor *de Cæsaribus in Diocletiano*: *Nec minore*, inquit, *studio pacis officia vincta legibus æquissimis, ac remoto pestilenti Frumentariorum genere, quorum nunc Agentes rerum simillimi sunt; qui cum ad explorandum annunciandumque, qui fortè in provinciis motus existerent, instituti viderentur, compositis nefariè criminationibus, injecto passim metu præcipuè remotissimo cuique, cuncta fœdè diripiebant.* Hactenus Victor. Frumentariorum nomen antiquitus institutum, usque ad Constantinum permansit. Ante Hadrianum enim, & postea sub multis Principibus, *Frumentarii* appellabantur. Spartianus loquens de Hadriano, in *eod.* *Erat*, inquit, *curiosus non solùm domus suæ, sed etiam amicorum, ita ut per Frumentarios occulta omnia exploraret.* Lampridius in *Commodo*: Præfecti Prætorio, ait, *Anterum eductum è palatio sacrorum causa, & redeuntem in hortos suos, per Frumentarios occiderunt.* Item Capitolinus ita de Macrino in *eod.* *Cum quidam milites ancillæ hospitis pudorem depravasse suspecti essent, atque per quendam frumentarium ille didicisset, adduci eos jussit, & pœna affecit.* Idem in *Maximo & Balbino*: *Scriptum est præterea ad omnes provincias missis frumentariis, jussumque, ut quicunque Maximinum juvisset, in hostium numero duceretur.* Item Trebellius Pollio in *Claudio*: *Cum nunciatum esset Gallieno per frumentarios Claudium irasci, quod ille mollius viveret, nihil eum gravius accepit.* Frumentarii fortè à militibus frumentariis legionum sunt dicti, quorum crebra in antiquis monumentis fit mentio: sicut enim illi frumenta perquirebant, ita isti investigabant, quæ in provinciis fierent, & Principi nunciabant, ejusque mandata ad quoscunque perferebant. Postea *Agentes in rebus* sunt vocati, qui jussa Imperatoris exequebantur. Constantinus enim ad Agentes in rebus ita scribit, *in l. 1. C. de offic. Magistr. Off.* *Ad curas agendas & cursum illi exeant, quos ordo militiæ vocat & laborum*: curas enim vel res agendas pro negociis Principis ponit. idem Constantinus *in l. 7. C. Th. de curs. pub.* *Agentes*, inquit, *in rebus ad movendum militem mitti consueverunt.* Arcadius & Honorius *in l. 2. C. de execut. & exactor.* *Quicunque*, ajunt, *è palatio nostro ad provincias commeaverit, Compulsor, Exactor, Admonitor, Portitorve præcepti, Agens in rebus hoc tantùm potestatis arripiat, quantum est mandatum.* Ut plurimum ergo erant Veredarii, qui litteras & mandata Principis celeriter ferebant, qualem fuisse Zenonem Anachoretam Theodoretus Theophiles *in relig. histor.* scribit: *Cum primum*, ait, *Imperator Valens fuisset de medio sublatus, militare deposuit cingulum. Erat autem adscriptus in numerum eorum, qui litteras Imperatoris ferebant celeriter.* Honorius A. *in l. 15. Co. Th. eod.* *Agentes*, inquit, *in rebus, quibus injuncti negocii tempus emensum est, ad comitatum reversi probant causas necessariæ tarditatis.* Varia enim iis à Principe negocia committebantur, quæ intra præfinitum tempus exequi tenebantur. Et quoniam semper in itinere versabantur, eos sæva pericula adire, & vitæ renunciare Theodosius scribit, *l. principes. C. de princip. agen. in reb.* ex his aliqui ad mansiones mittebantur, ut inspicerent, ne quis sine duplomate, aut supra modum evectionis curreret. Constantius *in l. 2. C. de curiosis.* *Agentes in rebus in cursu agendis, & evectionibus publici cursus inspiciendis, providebunt, ne quis citra evectiones auctoritatem moveat cursum, vel amplius postulet, quam concessit evectio.* Hæc ille. Ad hoc munus singuli in singulas provincias mittebantur, ut Arcadius & Honorius *in l. ultim. C. de curios.* sanxerunt: *Agentes*, inquiunt, *in rebus singulos in singulas provincias, mittendos esse censemus, quibus inspiciendarum evectionum tantum debeat cura mandari.* Nec verò ex omni numero mittebantur, sed qui gradum in schola meruissent, *l. 1. C. de offic. Mag. Officio.* Hi *curiosi* dicebantur, *in l. 1. & sequ. C. de curios. & station.* Primicerius Senatorque, qui aliis in scholis esse consueverant, in hac non reperiuntur, sed tantum Ducenarii, qui plus XLVIII. esse non poterant, & Centenarii qui numerum CC. non excedebant: Biarchæ CCL. Circitores CCC. Equites CCCCL. qui simul juncti gradu fungentes MCCXLVIII. numerum implebant, *l. 3. C. de agentib. in reb.* Alii præter hos privati nunciis per diversa loca perferendis vacabant. Instar primæ cohortis Milliariæ dictæ erant ordinati. Quemadmodum enim illa Primipilum CCCC. militibus præfectum habebat, & primum hastatum, qui CC. regebat, & Ducenarius vocabatur, Principem, Secundum hastatum, qui singuli CL. militibus præerant, & Ultimum, qui centum viris imperabat. Veget. lib. II. cap. VIII. Sic iidem ferè gradus in schola Agentium in rebus inveniebantur.

In hanc enim scholam recepti, primo Equites, mox Circitores, Biarchæ, Centenarii, Ducenariique gradatim fiebant, donec ad Principis gradum ascenderent, id est, primi officiorum magistratuum crearentur, *l. 1. C. de offic. Mag. Offic.* Cum enim à laboribus itinerum quiescebant, tum Ducenarii, & Centenarii facti, in provincias mittebantur, ut magistratuum officiis præessent, & tunc *Principes* vocabantur, quo munere functi, Proconsulis, aut Vicarii dignitatem assequebantur, *l. 3. l. 105. & l. seq. C. de princ. agent. in reb.* Invenio autem in Orientis provincias XIIII. Principes officiorum ex schola Agentium in rebus exiisse. In Occidentis VI. In Scriniis etiam memoriæ epistolarum, & libellorum, Adjutorum officio fungebantur, *l. agentes in rebus C. eod.* In Fabricarum quoque scrinio quatuor ex his, qui Principes fuissent, pro Subadjuvis serviebant, *d. l. agent. l. ex eo. C. de agentib. in reb.* Stipendium à Principe percipiebant, & ideo sine scriptura probatoria ab eo subscripta eligi non poterant, quæ in scrinio memoriæ, ubi illi Subadjuvæ erant, reponebatur, *l. 3. in fi. C. eo. & l. ult. C. de div. off. §. & est notitia, l. ult.*

ad

ad med. C. de inoff. test. Aliæ verò ſcholæ à Primicerio Notariorum tractabantur: Hanc ſcholam eſſe opinor, quæ *Palatina* vocatur, & lites coram Principe agitatas exequebatur, *l. properandum. §. ſin autem utraque parte. C. de judi.* officia palatina à D. Ambroſio appellantur *epiſtol.* XXXIII. *ad Marcel. ſoror. Palatina*, inquit, *omnia officia, hoc eſt, memoriales, agentes in rebus temperant a proceſſu.* Privilegium habebant hujus ſcholæ Centenarii, Ducenarii, & Adjuvæ, ne ſub alio Romæ aut Conſtantinopoli quàm Magiſtro officiorum convenirentur; alibi verò jure communi utebantur, *l. ex eo. C. eo. de jud.* & ideò *magiſtriani divinorum officiorum* à Metaphraſte appellantur, XXII. *Octob.* Idem eorum matribus, uxoribus, liberis, ſerviſque privilegium tribuitur, *l. ultim. C. eod. h. noſtro tit.* Hos Gotthi *Sajones* appellabant, ut ex pluribus Caſſiodori locis deprehenditur.

In ſchola Agentium in rebus erant quidam *Deputati* dicti, quos eos fuiſſe opinor, qui ipſis Agentibus velut miniſtri inſerviebant, & eos currentes comitabantur; quemadmodum apud Valentinianum legimus *in leg. ultim. Cod. de ſer. fugi.* ſervos publicos armorum fabricæ deputatos fuiſſe, qui carbones accendendo, aut ligna ferendo, vel hujuſmodi alia agendo, armis fabricandis inſerviebant, ut Dendrophorii, & ſimiles, quorum etiam Novella 85. meminit, *ſeu Authen. de armis. §. 1.* Sic deputati ſacræ veſtis erant, qui eas manibus componebant & aptabant, *l. ſcriniis. §. deputati. C. de palatin. ſacr. largitio.* Reliqua Agentium in rebus ex officio hujus Magiſtri ſunt petenda, quod totum ex his conſtabat. Hæ ſunt octo ſcholæ, quibus Magiſter Officiorum imperabat. Nunc ad alios palatii miniſtros illis ſubjectos eſt tranſeundum.

CAP. LXVI.

DE MENSORIBVS, LAMPADARIIS, *Admiſſionalibus, & Invitatoribus.*

MENSORIBVS etiam Magiſter Officiorum imperabat, qui Principem in aliquam civitatem iturum præibant, & domos, in quibus quiſque hoſpitaturus eſſet, ſigno denotabant, ut ad Theodotum Magiſtrum officiorum Valentinianus A. ſcribit, *in l. 1. & 2. C. de metatis.* apud quem vulgò legitur *Metatores:* Sed in Codice Theodoſiano eſt *Menſores:* & ita appellat Vegetius lib. II. cap. VII. *Menſores*, inquit, *ſunt, qui in caſtris ad podiſmum dimetiuntur loca, in quibus milites tentoria figunt, vel hoſpitia in civitatibus præſtant. Metatores* verò appellat, *qui præcedentes locum eligunt caſtris.* Plerunque tamen promiſcue Metatores & Menſores vocantur, qui ante exercitum vias complanabant. D. Ambroſius in *Examero* lib. v. cap. x. *Metatores*, inquit, *itinera diſponunt.* Id clarius *in Pſalm.* CXVIII *ſerm.* v. his verbis explicat: *Miles, qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipſe diſponit ſibi, nec pro ſuo arbitrio viam carpit, nec voluptaria captat compendia, ne recedat à ſignis, ſed itinerarium ab Imperatore accipit, & cuſtodit illud, præſcripto incedit ordine, cum armis ſuis ambulat, rectaque via conficit iter; ut inveniat commeantium parata ſibi ſubſidia. Si alio ambulaverit itinere annonam non accipit, manſionem paratam non invenit, quia Imperator iis jubet hæc præparari omnia: qui ſequuntur, nec dextra nec ſiniſtra à præſcripto itinere declinant, meritoque non deficit qui Imperatorem ſequitur ſuum. Moderatè enim ambulat, quia Imperator non quod ſibi utile, ſed quod omnibus poſſibile, conſiderat: ideò & ſtativas ordinat, triduo ambulat exercitus, quarto requieſcit die. Eligurtur civitates, in quibus triduum, quatriduum, & plures interponantur dies, ſi aquis abundant commerciis frequentantur, & ita ſine labore conficitur iter, donec ad eam urbem perveniatur, quæ quaſi regalis eligitur, in qua feſſis exercitibus requies miniſtretur.* Hactenus D. Ambroſius. His concinit quod Lampridius in *Alexandro* ſcribit: *Itinerum*, ait, *dies publicè proponebantur, ita ut edictum penderet ante menſes duos, in quo ſcriptum eſſet:* Illa die, illa hora ab urbe ſum exiturus, & in prima manſione manſurus: *Deinde per ordinem manſiones, deinde ſtativa, deinde ubi annona eſſet accipienda.* Idem fermè tradit Conſtantinus Porphyrogenneta *de Thematibus*: *Menſores*, inquit, *ſunt, qui Foſſatum metiuntur & conſtituunt. Foſſatum* autem caſtra appellat: in quo ſenſu hoc vocabulum ab Honorio *in l. 1. C. T. de terris limit.* & Zoſimo lib. III. uſurpatur. Sed à Leone A. *in l. ult. C. de diver. off.* menſores inter eos ponuntur, qui in Principis palatio alio officio fungebantur, & fortè aulicis annonam, & equis pabula metiebantur. Hi quoque à Principe in ſcrinio libellorum probabantur, *in l. ult. ad fi. C. de diverſ. offic.* Eorum Primicerius, id eſt, primus, cum biennio in eo gradu permanſiſſet, ultimi Agentium in rebus locum conſequebatur, id eſt, ejus ſcholæ tyro fiebat, ut Honorius *in l. unica, C. de menſor.* ad Æmilianum Magiſtrum officiorum ſcribit. Alii erant menſores apud Magiſtros militum, qui & ipſi domos ſignabant, in quibus milites erant hoſpitaturi, qui ad hunc locum non pertinent.

LAMPADARIIS quoque Magiſter Officiorum præerat non ſolùm his, qui lampadum palatii curam habebant, ut accenderentur & niterent, ſed & aliis, quos ad uſus ſcrinii deputatos fuiſſe Leo *in d. l. ult. ad fi.* ſcribit. Ea erant ſcrinia memoriæ, libellorum, epiſtolarum & admiſſionum, quorum ſcribis in multam noctem vigilantibus, & ſcribentibus cum lampadibus opus eſſet, his accendendis & curandis Lampadarii præficiebantur, qui in ſcrinio libellorum, & ipſi à Principe erant probandi, *d. l. ult.* Auctor eſt in Commodo & Pertinace Herodianus Principi ignem prælatum fuiſſe; de cujus miniſtris vereor hic non intelligi, cum Leo A. de his notitiæ aulicis loquens eos menſores, & lampadarios ſuæ diſpoſitioni reſervet qui ſcriniis inſerviunt. Habebant lampadarii primicerium, qui triennio tantum ea dignitate fungebatur, ut & ſequentes illum gradum poſſent adipiſci, *Novel. Th. tit.* 34. Alii erant lampadarii in officio Præfectorum Prætorio, de quibus Julianus Patritius *in epitom. Novell.* 38. Legimus & lampades Vicario Ponticæ & aliis prælatas fuiſſe in edictis Juſtiniani, *in edicto* 8. *Novell.* 41. *Julian. d. Novell.* 38. de quibus infra dicetur. Sed etſi quatuor prædicta ſcrinia ſub Magiſtri Officiorum diſpoſitione fuerint: quoniam eorum Magiſtri inter Spectabiles à Notitia recenſentur, de his & ipſorum inſignibus ſuo loco dicendum ſervabo.

Parebant & Magiſtro Officiorum ADMISSIONALES vocati, *l. 2. C. de priv. eor. qui in ſacr. palat. milit. & in l. ult. C. de diver. off.* Horum munus erat, volentes adire Principem intromittere, unde ab admittendo *Admiſſionales* ſunt nuncupati; cui muneri hunc Magiſtrum præfuiſſe ex Caſſiodoro ſuprà diximus. Lampridius in *Alexandro*: *Cum amicis tam familiariter vixit, ut communis eſſet ei ſæpè conſeſſus, iret & ad convivia eorum: aliquos autem haberet quotidianos, etiam non vocatos: ſalutaretur verò quaſi unus de Senatoribus, patente velo,*

admissionalibus remotis, aut solis iis, qui ministri ad fores erant. Horum primus, Magister vocabatur. Vopiscus in *Aureliano: Arrogationem*, inquit, *inserendam credidi ex libris Acholii, qui Magister admissionum Valeriani Principis fuit.* Marcellinus libr. XV. cap. V. *Per admissionum Magistrum, (qui mos est honoratior) accito eodem, ingresso consistorium offertur purpura.* Hunc sequebatur *Proximus* vocatus. Idem Marcellinus lib. XXII. cap. VII. *Manumittendis*, ait, *ex more inductis per Admissionum Proximum, Julianus lege agi dixerat.* Hæc ille. Horum corpus *officiorum* vocatur, quia officium habebant Principem allocuturos intromittendi. Imperante Cajo Caligula in usu erat admissionalis, qui legatos ad Principem introducebat. Philo *de legatione ad Cajum*: *Misso*, inquit, *ad nos Cajo, qui legationibus admittendis præerat, pollicitus est se cogniturum causam nostram per otium.* Hæc ille. Is etiam acta Principis seu annales scripsisse videtur, Vopiscus enim in *Aureliano* narrat Acholium Magistrum Admissionum Valeriani plures libros illius actorum fecisse. In Occidente præter Admissionales inter palatii officia recensentur Cancellarii, qui hic omittuntur.

Erant & INVITATORES sub eodem Magistro officiorum, qui diversos ad cœnam Principis invitabant, aut alios vocabant, ut ad eum venirent, *d. l. ult. C. de divers. offi.* Hos *vocatores* appellat Tranquillus in *Caligula* cap. XXXIX. *Compererat*, inquit, *provincialem locupletem ducenta sestertia numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur, nec tulerat moleste tam magno æstimari honorem cœnæ suæ.* Idem Seneca *de tranquillitate vitæ. Caligula*, inquit, *gravius est, quod ille provincialis tanti fecerit secum cœnare, ut ob id magnam pecuniam erogaverit vocatoribus, a quibus fuerat invitatus.* Ita etiam nominat Martialis: *Jam dices mihi vapulet vocator.* Et Catullus in *hendecasyllabo*: *Quærunt in triviis vocatiores.* Plinius lib. XXXV. cap. X. *Ptolemæo regnante*, inquit, *Apelles Alexandriam vi tempestatis expulsus, subornato fraude æmulorum Plano regio invitatus ad Regis cœnam venit: indignantique Ptolemæo, & vocatores suos ostendenti, ut diceret, à quo eorum invitatus esset, arrepto carbone extincto è foculo, imaginem in pariete delineavit, agnoscente vultum Plani Rege ex inchoato protinus.* Hæc ille. Ex quibus constat non modò Reges, sed & Principes Romanos invitatores, seu vocatores habuisse, qui convivas ad Principis mensam invitarent: Tunc enim amicos frequenter ad se vocare consueverant, ut ex Tranquillo & aliis liquet. De his intelligit Corippus lib. III. dum ait: *Jussique regentis acciti proceres omnes.*

Invitatores sicut præcedentes probandi erant à Principe, codicillis in scrinio libellorum conscriptis. Horum Notitia non meminit: Sed quia cum Admissionalibus à Leone A. recensentur, & huic Magistro paruisse creduntur, eos hic locandos censui.

CAP. LXVII.

DE V. FABRICIS IN DIOECESI *Comitis Orientis, & Fabricensibus.*

QUINDECIM in Orientali Imperio fabricæ erant institutæ, id est, loca in quibus arma fabricabantur, videlicet quinque in Oriente, tres in Ponto, una in Asia, duæ in Thraciis, & quatuor in Illyrico, omnes in oppidis locatæ, quæ non longè à limitibus Imperii militibusve essent. Neque verò omnia armorum genera in singulis fabricis, paucis exceptis fiebant, sed certa in diversis. Fabricæ Græcè ὁπλοποιΐα dicebantur, *Novell. 85. seu Auth. de armis. §. 1.* & *Fabricenses* arma ipsa fabricantes, *l. 1. & toto tit. C. de Fabricensib. lib. 11.* Quæ fabricata & perfecta in publicum armamentarium deferebant, *d. l. 1.* Nulli autem ea vendere aut emere, sicut nec alibi facere licebat, *§. 1. Authen. de armis, l. cotem. ff. de publica.* Creabantur Fabricenses idonei viri, & probati, qui curiales non fuissent, nec ulli oneri civitatis obnoxii. Quare prius testibus de hac re examinatis, & actis apud Præsidem provinciæ, vel civitatis defensorem conscriptis, qui à curia liberi apparebant, in Fabricensium collegium cooptabantur, & ex publico salarium accipiebant, *l. 4. C. de Fabricens. lib. 11.* Formulam de armorum factoribus creandis Cassiodorus lib. VII. recitat: semel verò Fabricenses facti donec Primicerii honore functi fuissent, nec ipsi, nec eorum liberi, fabricam armorum deserere poterant, sed inviti, cui semel erant adscripti, fabricæ obnoxii permanebant: Et ideo, ut ubique dignosci possent, nota seu stigma eorum brachiis, quemadmodum & Tyronibus imprimebatur, *l. 3. l. juro, l. ultim. C. eodem titu. de Fabricensibus.* Arcadius A. *Stigmata*, inquit, *hoc est, nota publica, fabricensium brachiis ad imitationem tyronum infligantur, ut hoc saltem modo possint latitantes agnosci.* Hæc ille. Ob fabricanda verò arma compellebantur provinciales carbones conferre, exceptis palatinis, qui à sordido hoc munere erant immunes, *l. maximarum, C. de excu. mun.*. Habebant singulæ fabricæ suum collegium, in quo exemplo scriniorum quinque primi eminebant, *d. §. 1. in Auth. de armis.* qui ampliora sequentibus stipendia consequebantur. Horum primus *Primicerius fabricæ* vocabatur, *l. 2. C. de Fabricensibus*, gradatimque proximi in locum decedentium succedebant. Tribunum fabricarum primicerium Marcellinus, lib. XV. cap. V. appellat: *Ad Tribunum*, inquit, *miserat Fabricæ Cremonensis.* Primicerii facti post biennium à fabricandi laboribus immunes tanquam protectores, ad salutandum Principem seu exosculandum sacram purpuram admittebantur, *dict. l. 2.* Valentinianus A. *Primicerium*, inquit, *fabricæ post biennium non solum vacatione, verum etiam honore donari præcipimus: ita ut inter protectores, ejusdem fabricæ, per biennium, adoraturus æternitatem nostram suo quisque tempore dirigatur.* Intelligit autem, ut Primicerius cum protectoribus corporis Principis, ad eum salutandum admittatur, non fabricæ protectores. Mendosum enim est, & ex Codice Theodosiano delenda sunt illa verba, EIUSDEM FABRICÆ. Immunes etiam ab hospitibus recipiendis erant Fabricenses, *l. Fabricensium Cod. de metat.* judicemque solum Magistrum officiorum habebant, *l. pen. C. de Fabricens.* Ejus enim cura arma fabricabantur, & ad diversa loca transferebantur, *l. ultim. C. eod. titu.* prout opportunum videbatur, aliquo ex Fabricensibus decoquente aut fugiente pro eo cæteri tenebantur, & ideo bona sine legitimo hærede defuncti ad corpus Fabricensium pertinebant, *Novell. Theod. 13.*

Fabricæ verò Orientis sub Magistro officiorum erant, Prima DAMASCI SCUTARIA armorum dicta, quis in ea scuta & arma protegendi corporis gratia, ut thoraces, ocreæ, cassides & similia fabricabantur. Scutaria clypeos Justinianus vocat, *in d. Novell. 85. §. penult.* Horum forma in Magistri officiorum insignibus spectatur. Damascum totius Orientis oculum appellabant. Nummus Volusiani Coloniam nominat hac inscriptione ΚΟΛ. ΔΑΜΑΣ.

ΔΑΜΑΣ. ΜΗΤΡΟ. ΙΕΡΑ. ΚΟΑ. Item in alio Nummo, ΚΟΑ. ΔΑΜΑΣΚΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΙΕΡΑ. ΚΟΑ.

Alia scutorum & armorum fabrica erat Antiochiæ, quæ est urbs omnium clarissima ad flumen Orontem, Syriæ Comagenæ metropolis, ubi sæpè Orientales Principes degebant, ut constat ex pluribus Juribus ibi scriptis, *l. 7. C. de num. l. 4. C. de met. l. 22. l. 24. C. de decurionib. l. 2. C. de pal. sac. larg. & aliis.* Epidaphne Plinio, רבלה, *Reblata* in Sacris Literis vocatur. Antiochenos maximam fœlicissimamque urbem inhabitantes totum fermè annum ludos, & festa concelebrare Herodotus scribit lib. II. *de hac civitate* loquens, Strabo lib. XVI. Marcellinus lib. XIV. Gul. Tyri Episcop. *de bello sacro* lib. IV. cap. IX.

Tertia Clibanaria item Antiochiæ, in qua arma pro tegendis cataphractis parabantur, *Clibanaria* voce Persica dicta. Hujus fabricæ Jura meminerunt, *l. Fabricensium. C. de metatis.* Hæc credo erat Barbaricaria, in qua singuli Barbaricarii senas cassides, & buculas per dies triginta fabricabant, & octonas argento decorabant, *l. 1. C. T. de Fabricens.* quales in VII. *Æneid.* Poëta descripsit:

—— Alii thoraces ahenos,
Aut leveis ocreas lento ducunt argento.

Quarta erat Fabrica scutaria & armamentaria Ædessæ, in qua item scuta fiebant, & arma fabricata reponebantur. Ædessa verò urbs erat, metropolis Osroënæ in Mesopotamia, in læva ad Euphratem, *l. quicunque per Osroënam. C. de cohortal.* ubi Abgarus Rex imperavit, qui ad Dominum epistolam scripsisse dicitur, eumque D. Thadæus cum populo ad Christianam pietatem perduxit, auctor Nicephor. lib. 11. cap. VII. ordini civitatis Ædessenæ Constantius scribit, *l. 20. C. de decu.* aliquot alia Jura ibi sunt condita, *l. 2. C. de erog. milit. anno.* Imperante Justino à Scirto flumine, qui eam interfluebat, est submersa, ut auctor est Zonaras; qui, aqua ad suum alveum reversa, in fluvii ripa lapidem inventum fuisse scribit, cui notis hieroglyphicis insculptum erat:

FLVVIVS MALE SALTABIT CIVIBVS.

Græci enim σκιρτᾶν *saltare* dicunt. Callirhoën à fonte cognominatam Plinius libr. v. cap. XXIV. scribit. Legendum est autem *Edissa*, pro Ædessa. Hanc Hebræi ארך *Arach* vocant, Strabo lib. XVI. urbem sacram, quòd inter aquarum impetus sita, immobilis maneat.

Vltima erat Hastaria Irenopolitana. Hæc Ciliciæ urbs est ad Cydnum flumen posita, & interpretatur *civitas pacis*: hîc hastæ fiebant.

CAP. LXVIII.

DE III. FABRICIS PONTICÆ.

IN Pontica erant fabricæ tres, Clibanaria Cæsareæ Cappadociæ. Hæc urbs Mozaca appellatur, quam, ut ait Eusebius Cæsariensis, pulso Archelao, Tiberius *Cæsaream* vocavit. Illi præsul præfuit Basilius Magnus, & Eusebius Cæsariensis.

Altera Scutaria & armorum Nicomediæ: Hæc urbs dicta est à Nicomede Bithyniæ rege, quam in sinu Astaceno condidit, multique in ea fuere nomine Nicomedes. *Comedia* vulgo dicitur: Turcæ *Nichor* appellant. Hîc aliquot scripta sunt Jura, *ut l. 8. C. de decurionib. l. 4. C. de postulan. l. 6. C. de diversf. offi. l. ultim. C. ex quibus cauf. infa. irrog. l. 9. C. de legit. hered.* Ibi Diocletianum Imperium deposuisse ait Eutropius. Olim *Astacus* est dicta, Pausania, Marcellino, Cedreno, & Pollione auctoribus: *Olbiam* vocatam Stephanus tradit.

Tertia Clibanaria Nicomediæ. Duæ in hac urbe erant fabricæ: altera in qua scuta & arma ad protegenda corpora, altera ubi Clibanaria fabricabantur.

CAP. LXIX.

DE FABRICA ASIANA.

VNA tantùm in Asia erat fabrica, Scutaria & armorum Sardis Lydiæ, ubi olim Crœsi, & aliorum Regum fuit regia. Hinc ortus est Chrysanthus philosophus, qui, ut auctor est Suidas, omnia se divino monitu facere profitebatur, & accersitus à Didio Juliano, ad eum accedere recusavit, quasi Deo nolente, nec multo post ille trucidatus est: In hujus honorem Sardis singulo quadriennio fiebat certamen, *Chrysanthianum* vocatum, *l. pen. ff. de an. leg.*

CAP. LXX.

DE II. FABRICIS THRACIARVM.

IN Thraciis duæ fuere fabricæ, Scutaria & armorum Hadrianopoli Hæmimonti: Ea urbs *Vscudama* olim vocabatur, ut ait Marcellinus, vel *Oresta* ut Lampridius, *Orestiam* vocat Zonaras, quam cum tota regione Lucullus subegit, eam à se postea *Hadrianopolim* Hadianus appellavit. Deciorum Principum patria fuit, quibus extinctis à Scythis est capta. Hîc scripta fuere Jura, *l. 1. C. de suis & legit.* Altera fabrica Scutaria & armorum fuit Marcianopoli: quam in Marciæ sororis honorem Trajanus cognominavit, ut auctor est Marcellinus lib. XXVII. cap. IV. Ejus originis historiam Jornandes *de reb. Gothicis* latius explicat: *Martionopolim*, inquit, *urbem famosam & Metropolim Trajanus Imperator hanc ob causam ædificavit, ut fertur, eo quod Martiæ sororis suæ puella, dum lavat in flumine illo, quod nimiæ limpiditatis saporisque in media urbe oritur*, Potami *cognomento*, *exindeque vellet aquam haurire, casu vas aureum quod ferebatur, in profundum cecidit, metalli pondere gravatum, & longe post emersit, quod certè non erat usitatum, sed vacuum sorberi, aut certè semel voratum undis respuentibus renatare. His Trajanus sub admiratione compertis, fontique numinis quiddam inesse credens, conditam civitatem Germanæ suæ nomine Martionopolim nominavit.* Hanc urbem ad Pontum Euxinum inter Odyssum, & Anchialum Itinerarium ponit. Zosimus lib. IV. cap. X. *urbium maximam Thraciæ* appellat. Multa ibi prælia Claudium secundum Imperatorem commisisse auctor est Pollio. De hac plura Suidas in voce σκυθαί. Valentem toto fermè anno Martionopoli moratum fuisse, Jura ab eo ibi condita indicant, *l. 1. C. de Vestibus holoser. l. 6. C. de fid. & jur. hast. fisc. l. 4. C. de murile. l. 4. C. de erog. milit. anno. l. 1. C. de milit. veste, & aliis.*

CAP. LXXI.

DE IV. FABRICIS ILLYRICI.

QVATVOR in Illyrico fabricæ exercebantur: Vna Thessalonicæ urbis Macedoniæ, in Amphasitide, ait Ptolemæus. Hæc *Halis* prius dicta, Stephanus à Cassandro Rege conditam scribit, quam Philippus Amynthæ filius, *Thessalonicam* appel-

appellavit, quia eo in loco Thessalos vicit: Sed Strabo ait ab ejus uxore ita nuncupatam. Julius verò Tarreus, qui de ea librum composuit, à Thessalooica illius filia appellatam affirmat. *Emathiam* Zonaras vocat. Nunc *Salonich* dicitur. Nobilis est Pauli epistola. Ibi Resp. Romana quæstorium habuit, & pecuniam vectigalium tributorumque aggregabat. Cicero *pro Cn. Plancio*, loquens de eo: *Thessalonicam me*, inquit, *in Quæstoriumque perduxit*. Duodecim millia ejus civium Theodosius Imper. occidit, quod populari tumultu suos magistratus, & milites oppressissent. Vnde à D. Ambrosio Mediolani templum ingredi prohibitus est, Rufin. lib. XI. cap. XVIII. *Histor. Eccl. c. cum apud* 11. *q.* 3. Hic erat armorum fabrica, ubi etiam plura reperiuntur scripta Jura, *ut l.* 1. *C. de petit. bon. subl. l.* 2. *C. de cap. & dist. fisci debit. l.* 32. *C. de decurionib. l.* 2. *C. de omni agro deser.*

Alia est fabrica NAISSATENSIS, in Naissate oppido. Naisso scripta est à Constantio ordini Ducurionum Ædessenorum epistola, *l.* 20. *C. de decurionibus.* quod oppidum idem cum hoc esse puto.

Tertia RATIARENSIS, fabrica erat in Ratiaria oppido. *Rhetiarum* legit Ptolemæus, quam in Mysia superiore locat: Sed in Jure *l.* 8. *C. commun. de success. l.* 21. *C. de pignorib.* appellatur *Retiaria*, ubi quandoque Diocletianus jus condidit. Ratiaria, legio XIV. GG. id est, Gemina, hic ab Itinerario collocatur.

Quarta erat Scutaria Horreomargensis. Margum est oppidum Mœsiæ primæ, prout in ejus Duce videbitur. Horreomargum verò noviter ædificatum arbitror.

Alia, Valentiniano & Valente imperantibus, fabrica Constantinopoli fuit, *l.* 1. *C. Theo. de fabricen.* cujus Notitia non meminit, quòd fortè hoc tempore esse desiisset. Numerus armorum sciri non potest: Appianus in *procemio* primi libri *Libyca historia* tempore Hadriaoi, sub quo vixit, scribit Rom. Imperium curruum ad prælia instructorum duo millia habuisse, & armorum in supplementum trecenta millia. Alii ad reges Ægypti hoc referunt.

Reperiebantur apud singulas fabricas quidam, *Deputati* dicti, qui erant servi, aut ad illud opus publicum damnati, vel mercede conducti, ut Dendrophori, aut Carbonarii, *l. ult. C. de ser. fugit.* Valentinianus: *Si qui*, inquit, *publicorum servorum fabrites, seu aliis operibus publicis Deputati, domibus se alienis & privatarum ancillarum consortiis adjunxerint, conditioni pristina, laborique restituantur.* At Leo Imper. in libello quem *de bellico apparatu* inscripsit, eos scribas fuisse, velle videtur, cui concinit, quod Basilidi magistro officiorum Justinianus mandat: *Vt aliquot ex chartulariis in scrinio Fabricensium constitutis deputet, qui privatos arma facientes inquirant, & ea in armamentarium deferant, aliosque ad fabricanda arma idoneos quærant, qui inter Fabricenses referantur:* de his Deputatis fortè intelligitur. Nunc ad hujus Magistri officium est veniendum.

CAP. LXXII.

DE OFFICIO MAGISTRI *officiorum.*

AD obeunda Imperii negocia pluribus ministris & præsertim Cursoribus Magister officiorum egebat: Ideo ejus officium ex Agentibus in rebus ipsi subjectis constabat, *l.* 1. *C. de offi. Mag. offic.* Quare Jura, *C. de agentibus in reb.* quæ de illis agunt, plurimum ad Magistros officiorum sunt conscripta. Primus ergo hujus officii ex Agentibus in rebus erat Adjutor, qui ejus vice in gerendis negociis fungebatur, *d. l.* 1. *C. de offi. mag. offic.* Cassiodorus lib. VI. *Adjutor etiam Magistri nostris præsentatur obtutibus, ut Vicaria sorte beneficii eligamus ejus præsidium, qui nobis præstat fidele solatium:* Hæc ille. Is à Magistro principi oblatus, ejus verbo sine scriptura creabatur. Constantinus ad Agentes in rebus *in d. l.* 1. *Adjutor præterea*, inquit, *in quo totius schola status, & securitas Magistri constituta est, idoneus probitate morum, & bonis artibus præditus, nostris per Magistrum obtutibus offeratur, ut nostro ordinetur arbitrio:* Ita enim legendum, & dictio *adjutor*, sequentibus est conjungenda. Hic præerat etiam judiciis, quæ coram Magistro officiorum agitabantur, *l. in sacris* 3. *C. de prox. sacro. scrin.* & quandoque Spectabilis, *d. l. in sacris*, quandoque Clarissimus tanquam Senator vocatur, *in l. ultim. in fi. C. de castrensian. & minister.* Depositoque officio, Vicaria dignitate gaudebat, *l. eos. C. de princ. agen. in reb.* Duos quoque habebat ex iisdem Agentibus in rebus Subadjuvas, seu coadjutores, ut significat Notitia, quæ est mendosa: apud quam legendum est *subadjuva adjutoris duo*, sic enim infra in eodem Occidentis officio scriptum est *subadjuva adjutoris* Id etiam Leo Imp. significat, *in l. ex eo. & seq. C. de agent. in reb.* Patritio Magistro officiorum scribens, sub quo, & non alio, subadjuvas vult conveniri. Ex eadem schola, tres agentes fabricarum rationes scribebant, totidem Barbariorum, lego *Barbaricorum*, id est, eorum qui cassides, bucculasque, auro & argento, expressis hominum brutorumque imaginibus, exornabant. Alii quinque singuli in sua diœcesi, Orientis, Asianæ, Ponticæ, Thraciarum & Illyrici fabricas curabant.

Eorum erat officium scribere numerum armorum, quot hastæ, scuta, cassides, & id genus alia, singulis diebus ad usum militum fabricarentur, quot armariis infcrrentur, impensas in eis factas, & ferri fabricis illati quantitatem, & similia, *l.* 1. *& ult. C. de fabricens.* Hæc erant tempore Notitiæ. Leo verò Imper. numerum Subadjuvarum adauxit, *in l. agentes. in reb. C. de ag. in rebus.* jussitque ut qui ex Agentibus in rebus, in provinciarum officiis Principes fuissent, eorum quaterni subadjuvæ singula fabricarum scrinia, quæ erant XV. per annum tractarent, & totidem Barbaricorum: Vnde sexaginta quotannis subadjuvæ scriniorum fiebant, præter eos, qui Barbaricos curabant. Ex iisdem Agentibus alii subadjuvæ scriniis utriusque laterculi inserviebant, & omnes salarium ex publico percipiebant, *dict. l agentes.* Vnus etiam Curiosus cursus publici, Præsentalis dictus ex ipsis Agentibus constituebatur, qui prospiciebat, ne quis sine jussu Principis, equis publicis curreret, neve evectionibus, ultra statutum tempus, vel modum uteretur, *l.* 2. *C. de cur.* Hic degebat Constantinopoli, & ideo *Præsentalis* vocatur: Sed & aliis in provinciis singuli Curiosi eodem officio fungebantur. Arcadius *in l. ultim. C. eodem de curios.* ad Marcellum Magistrum officiorum: *Agentes*, inquit, *in rebus, singulos in singulas provincias mittendos esse censemus, quibus inspiciendarum evectionum tantum debet cura mandari.* Erant in hoc officio & Barbarii dicti, qui in scrinio scholarium nomina scripta servabant, *Novel. Theod. tit.* 27. *ad Florentium Mag. offic.*

Alii

Alii ex Agentibus in rebus variarum linguarum periti, diversarum gentium postulata interpretabantur, & omnium idiomatum legatis respondebant. Interpretum dignitas, etsi magna fuit, ipsis tamen cum Imperatore epulari non licebat. Procopius lib. II. *de bello Persico: Justinianus Braducionem interpretem mensa adhibuit, quod nunquam prius consuetum. Non enim interpretem, quamquam nullo magistratu inferiorem, simul cum Imperatore epulare fas esse omnes norunt:* Hæc ille. qui etsi loquitur de interpretibus legatorum, qui ad Principem mittebantur: minus tamen alii hoc honore dignabantur. Magister ipse emittit, inquit Notitia, scilicet evectiones & veredos, datque facultatem cui voluerit, cum equis publicis currendi, quod præter P. P. nullus alius facit. Gratianus *in l. judicibus. C. de cursu publ. Judicibus*, inquit, *faciendæ evectionis copiam denegamus, cum tantùm nostro muneri, & tuæ sedi, id est, P. P. nec non viro illustri Magistro officiorum sit reservatum; cùm neque Præfecto urbi, nec Magistris militum, nec Ducibus, nec Vicariis, nec cuiquam alii, præter memoratas duas potestates a nobis hoc concessum sit.* Hactenus Gratianus. Idem Cassiodorus lib. VI. in *formula magisteriæ dignitatis.* Sunt autem evectiones codicilli, quibus facultas equis publicis currendi conceditur, *l. evectiones. l. judicibus. C. de curs. publ.* Hæc de Magistro officiorum. Nunc ad proximum Illustrem, id est, Quæstorem est veniendum.

CAP. LXXIII.

DE QVÆSTORE, ET EIVS *Insignibus.*

PRÆTER Quæstores à Regibus & populo Romano creatos, alii inventi sunt tempore Cæsarum, Candidati Principis vocati, qui illius epistolas, decreta, constitutionesque in Senatu recitabant, quæ dignitas primordium erat honorum & sententiæ in Senatu dicendæ, *l. 1. ad fin. ff. de offic. Quæstor.* Ex his enim Prætores provincias recturi creabantur. Lampridius in *Alexandro: Quæstores candidatos ex sua pecunia jussit munera populo dare, sed ut post Quæsturam Præturas acciperent, & inde provincias regerent. Candidati* verò à candida veste qua induebantur, sunt appellati; quemadmodum Regum Babyloniæ, & Ægypti familiares à purpurea veste, quam gerebant, *purpurati* sunt vocati. Tertullianus in lib. *de Idololatria: Qui*, inquit, *familiaritate Regum utebantur, purpurati Regum vocabantur, sicut apud nos a toga candida candidati:* Hæc ille. Mox Tribuni, candidati sunt dicti, qui à secretis Principum, Egregiorum titulo honestabantur, Cassiodorus enim refert lib. 1. *Variar.* in IV. *episto* suum patrem Tribunum candidatum, & Notarium Valentiniano Augusto à secretis stetisse. Hi Quæstores primum ab Augusto introducti, ut Senatus decreta custodirent, qui prius Tribunis plebis & Ædilibus committebantur, quemadmodum Dion lib. LIV. sub finem refert: mox epistolas Principis & acta in Senatu recitarunt, *l. 1. ff. de offic. quæstor.* demùm sub posterioribus Principibus plurimum creverunt, cum eorum vice judicare cœperunt: Augustus enim *Appellationes urbanorum litigatorum Prætori delegabat Vrbano: at Provincialium Consularibus viris, quos singulos cujusque provinciæ negotiis præposuisset*, Tranquillus in *Augusto* cap. XXXIII. Nero ad Senatum detulit, sequentes Imperatores ad Præfectum Prætorio. Demum causæ omnes ad Principem devolutæ Quæstori cum Præfecto Prætorio sunt commissæ, *l. præcipimus. C. de appell.* quandoque soli Quæstori demandatæ. Itaque Quæstores candidati ad maximam dignitatem provecti, illustresque facti, omnia Principis nomine peragebant, *Quæstores sacri palatii* appellati, quod nomen sub Constantini Imperio ipsis inditum fuit, Zosimus lib. V. cap. XXXII. *Secundum hos*, inquit, *est Salvius, cujus officium erat dictare, quæ Principi viderentur: Quæstorem à Constantini temporibus appellant:* Hæc ille. Denique cum eorum nutu Princeps omnia faceret, non multo minorem P. P. auctoritatem habuerunt. Principis enim assessores creati ejus vice judicabant. Procopius lib. 1. *de bello Persico: Tribonianus*, inquit, *Pamphylius Imperatoris Paredrus*, id est, assessor, *quem magistratum Romani Quæstorem:* Latini *Jureconsultum* vocant. Idem eodem libro: *Proculus*, ait, *tunc Imper. Parèdrus erat, magistratum Quæstoris appellati gerens.* Vnde nemo quam Jurisperitus ea dignitate fungi poterat. Leges enim à Principe promulgandas, & edicta componebat, *in Authen. de manda. Prin. §. 1. & edicto* 13. *Justiniani* §. 1. Mandata Præsidibus danda formabat, quæ majori laterculo inseri præcipiebat, *d. §. 1. in Authent. de mand. Princ. seu l. ultim. C. eod. titu. Græcè & Latinè edita.* Rescripta etiam, quibus causæ à Principe delegabantur, ipse dictabat, *l. penultim. C. de divers. rescript.* quæ non nisi ab eo subscripta, robur habere poterant: Nam in Novella lege Valentiniani, *de homicid. casu fact. & l. ultim. titu. sequ.* à Quæstore dictata in fine legitur, *Subscripsi*, scilicet Quæstor. Id etiam in rescriptis observari Justinianus præcipit, *in Novell.* 114 *seu Authent. ut divi. jus, subscriptionem habeant gloriosiss. Quæsto. & in Authent. gloriosissimo. C. de divers. rescript. Debet*, inquit, *subscriptio Quæstoris continere nomen judicis, litigantium, & rescriptum ferentis.* Metaphrastes XXVI. *Febr. in v. Prophyrio, Quæstor*, ait, *accepta carta divinum rescriptum dictavit & subscripsit.* Hodie quoque magni Cancellarii Galliarum, & Sabaudiæ, ac Neapoli, Regiæ Cancellariæ Regentes, proprio nomine scripto, addunt, *Vidi*, vel, *Legi.* Imperator verò prius ipse hoc modo subscribebat, AA. manu divina, *ut in dict. Novell. Valentiniani, de homici. casu fac. & id erat punctare. l. 4. C. de advoc. divers. jud.* Aliquando apponunt literam S. quæ significat subscripta, *ut in l. 21. & pluribus sequent. C. de transact. l. 20. C. ex quibus caus. infam. irrog.* Cæterum Leges & edicta ita firmata, & subscripta ad Comitem dispositionum describenda mittebantur, ut in ejus scrinio conservarentur, mox edicto Præfecti Prætorio in aliquo foro publicabantur, aliàs neminem ligabant, *Authent. ut facta nova constitutiones, seu Novella* 66. Abb. *in cap.* 2. & Felin. *ibi. numer. 7. extra de constitut.* & ideò in plurium Codicis Justiniani, & Theodosiani subscriptionibus legitur *P. P.* id est, *publicata.* In Novella verò Valentiniani, *titu. 4. l. 2.* scribitur: *Data VIII. Kalen. Januaris Romæ. Accepta VI. Kal. Januaris Romæ à Principe alibi degente, l. 1. C. de P. P. sive urb. l. 1. C. de curios. l. 4. C. de privil. eorum qui in sac. palat. mili. l. 1. C. de apparit. Mag. mili. l. 2. C. de cohortalib. l. 1. C. de lucr. advoca. l. 16. C. de quæstionib. Publicata V. Kal. Januaris, in foro Trajani, subscripsi*, scilicet Quæstor. Idem etiam apparet in præcedentibus, & sequentibus, & plerisque Valentiniani, aliorumque Juribus, *ut in l. 1. C. de vestib. holob. l. 7. C. de professorib. & med. l. 20. C. de appell. l. 1. C. de his qui pat. vel fili. occid.* Aliquando legitur *emissa*, scilicet in publicum, *l. 9. C. de quæstionib.* Publicari

etiam

etiam leges dicebantur, cum apud acta legebantur. Quemadmodum instrumenta actis inserta publicabantur, & ideò in Jure non semel invenitur in legum subscriptionibus, *Lecta apud acta*, *l. 4. C. fin. regun. l. 23. C. de procuratoribus. l. 2. C. T. de naufrag.* Quandoque recitabantur in Senatu per Primicerium Notariorum, *l. oblatione, C. Theod. lib.* 8. *tit.* 8. & tunc addebatur, *Recitata in Senatu apud P. V. ut in l. 22. C. Theod. de cursu publ. l. 1. C. de bonis mater. l. 1. C. eod. titu.* Constantinopoli plurimum legebantur in loco, qui *Septimus* nuncupabatur, ubi Senatus haberi consueverat, idque ex pluribus Justiniani Juribus constat, *l. pen. C. de sacros. eccles. l. 19. C. de jure delib. l. 30. C. de fideic. l. 34. C. de dona.* & ideo Jura, in quibus reperitur, *Recitata septies*, sunt emendanda, & reponendum *Septimo*, *ut l. 30. C. de jur. dot. l. pen. C. de reb. cred. l. ult. C. de legitim. tu. l. 3. C. de bon. lib. l. ustb. C. de agri. & censi.* quo in loco solitum fuisse cogi Senatum auctor est Nicephorus, lib. XIV. cap. X. & XVIII. qui scribit Senatum ad Septimum vocatum, & Martianum à Pulcheria ibi Imperatorem declaratum. Hic locus alio nomine *Secundianus* vocatur in quadam præfatione seu epistola D. Gregorii *Epist.* lib. XI. cap. I. XXIV. inquit, *Novembris temporibus D. & beatissimi Papa Gregorii coronatus est Phocas, & Leontia Augusta Septimo Palatio, quod dicitur Secundianus, & occisus est Mauritius Imper. cum omnibus filiis masculis.* Erat id suburbium Constantinopolis, ut Procopius lib. I. *de adificiis Justinia.* memorat. *Alterum*, ait, *templum D. Theodora adificavit in suburbio, quod Hebdomon, id est, Septimum appellatur.* Zonaras etiam Phocam prope Constantinopolim in Septimo insulis Imperii ornatum fuisse scribit. Cedrenus quoque cum de ejiciendo D. Chrysostomo ageretur, Epiphanium Cypri Episcopum in Septimum venisse, & ibi Synodum factam, memorat. Idem est auctor imperante Justino, jejunum populum supplicandi causa per septem dies ad Septimum exivisse, ob Antiochiam terræ motu absorptam. Prope Septimum Samuelis Prophetæ ossa ab Arcadio Augusto translata & condita fuisse D. Hieronymus *adversus Vigilantium*, Martyrologium XX. *August.* Niceph. lib. XIV. cap. X. & alii, testantur. Ibidem, id est, septimo ab urbe lapide Theodosius Magnus in basilica magnificè extructa D. Joan. Baptistæ caput condidit, ut D. Prosper in *Chronicis*, Nicephorus lib. XII. c. XLIX. & alii, tradunt. Ibidem vestes Principis conservatæ fuisse videntur: orto enim incendio Septimi in Vestiario coronam Justiniani Imper. amissam fuisse, Cedrenus tradit: quæ post menses VIII. cum parvo unione, & omnibus gemmis inventa fuit.

Romæ verò aliquando in Pantheo Jura publicabantur, seu recitabantur, *l. 2. C. T. de pistorib.* aut in foro Trajani, *Novella Valentiniani tit. 4. l. 2.* in atrio Minervæ, *tit. 5. de collat. leg. Romana. & Moysi.* aut in Aproniani foro, *l. 3. C. de navic. seu nancler.* quod ab Aproniano P. V. conditum fuit: suum forum Trajanus an. CVI. dedicavit, cum ingentem columnam cochlidem altam pedes CXXVIII. semis, gradus CLXXXV. intus habentem, & fenestras XLV. erexit, Dion in *Trajano:* quam Constantinus Romam profectus, teste Marcellino, lib XVI. cap. X. est admiratus. Aliquando invenitur scriptum, *Lex antelata edicto Albini P. P.* id est, coram omnibus posita. Quandoque, *Prolata litteris, sub die* XII. *Kal. Mar. Roma, Aut accepta,* IV. *Kal. April. l. 22. C. Theo. de cursu publ. l. 1. C. de magistr. conve. l. 1. C. de test. milit. l. 2. C. de necess. ser. her. inst. l. 1. C. si quis omiss. cau.* Venabri Consulatu Valentiniani & Valentis AA. vel, *Missa sub die* VIII. *Kal. Februaris Roma, l. 1. C. Theod. de tract. & stativis.* Sed hic credo legendum *Roma*, & intelligi inde missam Constantinopolim, quia nulla lex, nisi utroque Principe consentiente, condebatur. Extat præclarum exemplum legis conditæ à Gratiano Thessalonicæ XV. Kal. Julii. Item rursus publicatæ Constantinopoli XIII. Kal. Januarii, *in l. 3. C. de litigiosis*, & alterius à Constantino duobus in locis latæ, *in l. 20. & in majorib. C. de appellat.* In Codice verò Justiniani hæc, ut hodie superflua, vulgo à librariis omittuntur, in quo tantum legitur *D.* & *PP.* id est, data & publicata, *in tit. de summa Trin. l. 3. & seq. C. quem. & quando judex. & alii*, vel subscripta. Hæc autem verba, *Dat. IV. Kal. Mar. Roma*, vel *PP.* & similia, in margine ad latus scribebantur, *Novel. Valent. tit. 7. de indulg. reliquor.* ut ex Valentiniani Novella deprehenditur. Multi verò adhibebantur Jureconsulti, cum lex condebatur. Imperator Alexander, inquit Lampridius, *nullam Constitutionem sacravit sine XX. Jurisperitis, & doctissimis ac sapientibus viris, iisdemque disertissimis non minus L. ut non minus in consilio essent sententia, quam S. C. conficerent, & id quidem, ita ut iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quid quisque dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum, cogitandumque priusquàm dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus.* Leges vel ære incidebantur, aut in cerussatis linteis vel mappis scribebantur. Venulejus *in l. 8. qui tabulam. ad leg. Jul. pec.* *Qui tabulam*, inquit, *aream legis refixerit, vel quid inde immutaverit, lege Julia peculatus tenetur.* Hinc Poëta dixit in VI. *Æneid.*

—— fixit pretio leges atque refixit.

quia, inquit Servius, incisæ in æreis tabulis affigebantur parietibus. Vnde Plinius lib. XXXIV. cap. IX. *Vsus æris*, ait, *ad perpetuitatem monumentorum jam pridem translatus est, in quibus publica constitutiones inciduntur.* Orationes etiam Principum in senatu habitas ære incisas fuisse in *Panegyrico* Plinius scribit. Quod verò leges etiam in linteis aut mappis describerentur, probat Constantinus, *in l. 1. C. Theod. de alim. qua inop. par.* *Æreis*, inquit, *tabulis, vel cerussatis, aut linteis mappis scripta proponatur lex.* Idem *l. 2. C. Theo. quemadmod. civil. mun. ind.* *Vt perpetua observatione firmetur, legem hanc incisam aneis tabulis jussimus publicari.* Hic non omittam legem quandoque in Jure *partem* appellari. Leo A. *in l. hac parte. C. de proxim. sacr. scrin.* *Hac parte*, inquit, *pracipimus esse memoriales in scrinio memoria* LXII. Constantinus *in l. nemo, de malefic.* *Nemo ad hanc partem*, id est, legem, *moliatur.* Edicta quoque à Principe proponenda Quæstor dictabat. Vocabantur edicta, quæ non ære incisa, sed Prætorum exemplo in albo scribebantur. Erat hic murus gypso dealbatus, ut ait Suidas in voce [illegible] vel ut Theophilus *in §. pœnales. Instit. de actio.* tabella dealbata. In universas verò civitates edictum mittebatur, ac diebus XXX. legendum proponebatur, quemadmodum in Claudii Cæsaris edicto observatum fuisse Josephus lib. XIX. *Antiq.* cap. V. scribit: *Hoc meum edictum*, inquit, *civitatibus per magistratus publicari volo, non minus* XXX. *diebus ita proponendum, ut ab omnibus humi stantibus possit perlegi.* Hæc ille. Denique omnium rerum publicarum, populorumque Imperii Rom. curam Quæstor habebat, *edicto* 13. in prin. *Hunc*, inquit Cassiodorus lib. VI. *Variar.* *Princeps cogitationum & curarum suarum participem faciebat, & ejusdem lingua vox erat.*

erat. Deliberanteque Imperatore de aliqua re ipse suam animo sententiam depromebat, & quod Principi placuisset, palam enunciabat. Deinde in persona Principis loquens, ait: *Si quid dubitamus, a Quæstore requirimus, qui est thesaurus famæ publicæ, armarium legum, paratus semper ad subitum.* Ex postea: *Adesse in eo debet scientia juris, cautela sermonis, ut nemo debeat reprehendere, quod Principem constiterit censuisse:* Hæc ille. Præerat etiam Laterculo minori, in quo Tribunatus, & Præfecturæ castrorum limitumque continebantur, *l.* 1. *&* 2. *Cod. de officio Quæstor.* Causas appellationum à spectabilibus Judicibus ad Principem devolutas ipse unà cum Præfecto Prætorio, qui erat in Comitatu, judicabat, *l. præcipimus. §.* 1. *C. de appellat.*

NOTITIA.

INSIGNIA VIRI

ILLUSTRIS QUÆSTORIS.



COMMENTARIUM.

QVÆSTORIS insignia erant, *Abacus tapeto ad terram demisso, & surrecto instratus, quo erectus liber nititur, auro tectus, & imaginem Principis in medio quadri intersecantibus lineis inclusam habens:* infra ad lævam *chartarum convolutarum fasciculus* visitur, quæ sunt edicta, & leges nomine Principis Quæstoris consilio conditæ. Ad dextram stat *armarium instar turris in summo fastigiatum, ad quod per quatuor gradus ascenditur:* illi inscriptum est, LEGES SALVTARES. *In eo* enim, *leges, edicta*, & *sanctiones* à Principe promulgatæ *conservabantur.* Hæc in auditorio ipso, causas cognoscente, astabant, fortè illi in publicum exeunti, quemadmodum Asiarchis, pro insignibus depicta præferebantur, *l.* 5. *C. de injur.* Tum etiam à præcone clamabatur eum esse Imperii patrem, quemadmodum de P. P. & aliis dictum est. Gratianus *in l.* 1. *C. de Quæstor. Qui ex Quæstore*, inquit, *honore attrito splendore viguerunt; acclamatione excipiantur solita, nec prætereantur ut incogniti.* Hæc ille. Magnificus appellabatur & Illustris, *l. pen. C. de proxim. sacr. scrin. l. ult. C. eod. l.* 2. *C. de offic. Quæsto.* ac Gloriosissimus, *Aut. ut divi. jussio. subscript. ha. gloriosiss. quæsto. Nov.* 114. Hoc titulo cum Princeps, & alii honorabant, SVBLIMITAS TVA, *l.* 1. *C. de offic. Quæstor.* & aliis nominibus, quibus Illustres & P. P. appellabantur.

NOTITIA.

SVB dispositione viri illustris Quæstoris. Leges Dictandæ Preces. Officium non habet, sed adjutores de scriniis quos voluerit.

COMMENTARIVM.

OFFICIVM Quæstor non habebat, sed duodecim Notarios adjutores de scrinio memoriæ, septem de epistolarum, & totidem de scrinio libellorum accipiebat. Itaque omnes erant numero XXVI. quorum operâ ad scribenda rescripta, acta, & leges utebatur, *l. comperimus. C. de prox. sacr. scrin.* Judicante quoque Principe, vel ejus vice Quæstore cognoscente, iidem judicii necessaria exequebantur, *Novell.* 25. *quæ Græcè non reperitur, sed ejus extat argumentum.* Hæc militia seu officium volente Quæstore, precio centum aureorum reliquis adjutoribus soluto vendi poterat, vel in extraneos hæredes transferri, qui & ipsi centum aureos pro introitu collegis solvere tenebantur. Hic est militiæ introitus, de quo Scævola loquitur *in l. pen. §. ult. ff. de leg.* 3. *Alumno*, inquit, *præcepit militiam his verbis: Sempronio militiam illam cum introitu comparari volo: quæsitum est, si Sempronius eam militiam sibi comparaverit, an precium ejus, sed & id, quod pro introitu erogari solet, ab hæredibus consequi possit: respondi posse: idem testator militiam his verbis legavit, Seio liberto meo militiam do, lego illam, quam militiam & testator habuit: quæsitum est, an onera omnia, & introitus militiæ ab hærede sint danda, respondi danda.* Hæc ille. In liberos verò, si habiles ad militiam fuissent eam adjutores sine onere immunem transmittebant, quibus alius in militia succedens eosdem centum solidos pendebat, *Novel.* 35. Idem ferè in aliis Notariis observabatur. Hæ sunt militiæ, quæ apud Jureconsultos leguntur vendi, & pro ipsis salaria præstari, *l. creditor. §. inter venditorem. ff. de act. empt. l. ultim. C. de pign.* vel testamento cum commodis relinqui, *l.* 3. *§. si quid. ff. de min. l. Lucius Titius* 23. *ff. de leg.* 2. *l. mortuo bove. §.* 1. *eod. tit. l. fideicommissa. §. si servo, de leg.* 3. *l. libertis quos. §. ab hæredibus, de alimentis & cib. leg.* Demum Justinianus præcipuis tantùm adjutorum, & casu necessario, ut infirmitatis, hanc militiam vendi permisit, *in l. ultim. C. de prox. sacr. scrin.* Adjutores ex prædictis scriniis accepti, etsi Quæstori inserviebant, sub Magistri tamen officiorum ditione permanebant, *l. hac lege. C. de prox. sacror. scrin.* Viri devoti hi nuncupabantur, *l. comperimus, in princ. C. dict. tit.* & his notis scribebantur *V. D.* ut apparet ex subscriptione Theodori adjutoris Quæstoris, quam Cujacius vir doctissimus se invenisse dicit, quæ est sequens, FLAVIVS THEODORVS V. D. (*vir devotus*) MEMORIALIS SACRI SCRINII EPISTOLARVM, ET ADIVTORVM (*Magnifici*) QVÆSTORIS SACRI PALATII, SCRIPSI MANV MEA IN VRBE ROMA CONSTANTINOPOLITANA III. KAL. IVNII. MAVORTIO. V. C. COS. IVSTINO ET IVSTINIANO IMPP. Hic, ut credo, est Theodorus, qui postea Pandectas concinnavit, & P. P. fuit, *l. antep. C. de advoc. div. judic. Nov.* 112. *& seq.*

Postremò novum, & ab hoc diversum Quæstorem Justinianus instituit, *Novell.* 80. *seu Authent. de Quæstoribus.* Cùm enim plurimi Constantinopolim confluerent, propriasque civitates, præsertim agricolæ desererent, Quæstorem, ab inquirendo appellatum, creavit, qui peregrinorum adventus causam inquireret, & si quos litigantes invenisset, eorum causas citò expediri curaret, eosque domum remitteret. Vniversitatum verò lites, duo tantùm, aut tres, cæteris in patriam dimissis procurarent, alios, qui negotium ibi non haberent, excedere compelleret: servi dominis remitterentur, cives inertes, aut pistoribus, aut hortulanis, vel artificibus operarentur, vel urbe expellerentur. De executoribus etiam litium, qui immoderatas sportulas accepissent, hic Quæstor cognoscebat, & ob id officium, & apparitores assessoresque habebat. Ipsi pro annonis fiscus annuas auri libras x. id est, plus mille centum ex nostris aureis solvebat. Assessori verò solidos, seu aureos centum. Apparitoribus cxxx. Ipse nihil nomine codicillorum pendebat. Id anno Imperii Justiniani XII. constitutum fuit. Hunc magistratum olim introductum, sed intermissum ipse renovavit.

CAP. LXXIV.

DE ILLVSTRI COMITE
Sacrarum Largitionum Orientis, & ejus Insignibus.

HÆC alia est pars, quam ab Augusto in Rationario Imperii scriptam fuisse, Tacitus lib. 1. *Annal.* Tranquillusque in *August.* c. XXVIII. sunt auctores. præter numeros enim militum, & provincias, tributa, vectigaliaque, & necessitates, id est, necessarias impensas, etiam largitiones eodem libello est complexus, quæ à posterioribus Principibus Comiti largitionum commissæ, & ab ejus scriniariis exceptæ, Notitiæ, ordine dignitatum servato, insertæ fuerunt.

Reditus Imperii sciri nequeunt: Ante Pompejum census Romanæ Reipub. fuit quinquagies decies centenum millium, interpretor aureorum: Pompejus verò, ut auctor est Plutarchus, eum auxit, ut esset octuagies decies centenum millium, scilicet aureorum. De his enim intelligendum puto, non sestertiis, quia hæc modica summa fuisset, & plerumque Græci de pecunia loquentes, si aliud non addebant, aureos intelligebant, quos numismata appellabant. Romani de Sexterciis parvis sentiebant. Collegisset summam reditus pop. Rom. post Pompejum, ut vulgus Italicum vocat, LXXXV. *milliones* auri. *His*, inquit Eutropius, *C. Julius Cæsar ex Galliis quadringenties centena millia sextertiûm addidit:* quæ summa quadringenta aureorum millia efficeret, ponendo centum sextertios pro aureo, ut vult Budæus. Onuphrius verò Panvinius in *Imp. Roman. de ejus vect.* computat, reditus Imperii Rom. ante bellum Mithridaticum sex millionum auri fuisse. Pompejum IV. aliis adjectis fecisse, ut essent x. milliones & cc. millia aureorum. Adjunctis postea Galliis & Ægypto aucta sunt vectigalia ad xv. milliones, in quo eum decipi puto. Plutarchus enim in *M. Antonino* paulò post princ. xxv. myriadas drachmarum Romanis decies sestertiûm appellari dicit. unde quinque millia myriadum, quas Romani ante bellum Mithridaticum capiebant, duos milliones non excessissent: & ita hanc summam in *Nerone* Xiphilinus interpretatur, quæ modica tanto Imperio fuisset. Dion quoque xxv. drachmas pro c. sestertiis seu aureo ubique ponit. Quare Plutarchum de aureis non drachmis intellexisse verisimilius est. Ægyptus, Britannia, Mesopotamia, Dacia, aliæque provinciæ postea Rom. Imperio adjectæ censum auxerunt: sed aureorum numerus sciri nequit: certè centum milliones videtur excessisse, cum ex sola Ægypto quindecim nostros milliones Romani perciperent, Strabo l. XVII. Budæus ipse in III. & IV. *de asse*, vult Plutarchum loqui de drachmis, qui esset exiguus tanto Imperio reditus: certè Vespasianus Cæsar *professus est*, ut refert Tranquil. in *Vespas.* cap. XVI. *quadringenties millies opus esse, ut Respublic. stare posset:* colligit hæc summa

XL.

XL. auri, ut vocant, milliones, qui quotannis in Imperium impendebantur, faciunt ex nostris aureis LX. milliones, ponendo mille sestertios pro aureo, ut Paulus & Justinianus computant *in l. Mævia. in princ. sol. matr. §. sed nostram Instit. de succes. lib.* secundum Budæum ascenderent ad quadringenta millia aureorum: pro *quadringenties*, *quadragies* legendum. Hos reditus Comites largitionum tractabant, qui cum antiquis Quæstoribus successerint, de his est dicendum, eorumque origo altius repetenda.

Junius Gracchus, qui quòd C. Graccho valde familiaris esset, ab eo *Gracchani* cognomentum habuit, Plin. lib. XXXIII. c. II. Romulum & Numam binos Quæstores habuisse scripsit, ut auctor est Ulpianus *in l. 1. ff. de officio Quæstor. Sed sicut*, inquit, *hoc incertum est, ita constat eos Tullum Hostilium habuisse*: Plutarchus vero in *Valerio Publicola*, vult ipsum populo permisisse, ut duos Quæstores crearet, ac primos Publium Veturium, & M. Minutium factos, qui pecuniam ad bellum necessariam, cives pro modo facultatum conferre compellerent: & tum coacta fuisse centum viginti millia scilicet æris, quæ in ædem Saturni, ubi ærarium erat, delata; & à Quæstoribus custodita fuêre. His enim pecuniæ publicæ administratio est concessa, ne per eam nimis Consulum potestas augeretur, ut Zonaras scribit. Pomponius vero Jureconsultus ait *in l. 2. §. deinde cum ærarium, de orig. jur.* eos auncto ærario inventos fuisse, & ab inquirenda & conservanda pecunia *Quæstores* appellatos. Hi primò à Consulibus, deinde à populo electi fuere. Tacitus *Annal.* lib. XI. *Quæstores*, inquit, *Regibus etiam tum imperantibus, instituti sunt: quod lex Curiata ostendit, à L. Bruto repetita. Mansitque Consulum potestas eligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. Creatique primum Valerius Potus, Æmilius Mamercus sexagesimo tertio anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Deinque gliscentibus negotiis, duo additi, qui Romæ curarent. Max duplicatus numerus stipendiariâ jam Italiâ, & accedentibus provinciarum vectigalibus. Pòst lege Sylla XX. creati, supplendo Senatui, cui judicia tradiderat.* Hæc ille.

Julius quoque Cæsar numerum Quæstorum auxit, ait Tranquillus. Ex his duo tantùm manebant in urbe *Urbani Quæstores* appellati, qui pecunias publicas expensas & acceptas in tabulas referebant. Cæteri in provincias missi, *provinciales* dicti, vectigalium publicorum, & redituum populi Rom. manubiarumque belli tempore curam habebant, & scribam sorte datum, cui ex publico salarium præstabatur, & vectigalium tributorumque rationes scribebat, secum ducebat. Plinius lib. IV. epist. ad Arianum: *Ignatius*, inquit, *Marcellinus, cum in provinciam Quæstor exiisset, scribamque qui sorte obtigerat, ante legitimum salarii tempus amisisset, quod acceperat scriba daturus, intellexit & statuit subsidere apud se non oportere...... Cæcilius Strabo ærario censuit inferendum, & obtinuit.* Hæc ille.

Senatus verò decernebat quæ provinciæ essent Quæstoriæ, sed eorum usus non permansit; nam loco ipsorum Præfecti ærarii sunt creati, qui Romæ tributa, & res fisci curarent. Mox Quæstores introducti, deinde rursus à Nerone Præfecti restituti; Tacitus *Ann.* lib. XIII. *Nero*, inquit, *curam tabularum publicarum à Quæstoribus ad Præfectos transtulit, variè habita, ac sæpè immutata ejus rei forma: Nam Augustus permisit Senatui deligere Præfectos: dein ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero Prætorum: neque id diu man-*

A *sit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tum Claudius rursum Quæstores imposuit, iisque, ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores permisit: sed deerat robur ætatis eum primum magistratum capescentibus. Igitur Nero præfecturâ perfunctos, & experientiâ probatos delegit.* Hæc ille. & hoc diu permansit. Trajanus enim, ut auctor est Paulus, de his edixit, qui causas ad ærarium detulissent, *in l. edicto, in prin. de jur. fisci.* & Plinius Junior epist. XII. lib. IV. Præfectos ærarii salarium scribæ ante legitimum tempus defuncti populo vendicasse scribit. Gellius eos Quæstoribus subrogatos fuisse, se vivente, memorat lib. B XIII. cap. XXIII. *Manubiæ*, inquit, *sunt, non præda, sed pecunia per Quæstores pop. Roman. ex præda vendita contracta.* Quod per Quæstores dixi intelligi, nunc oportet Præfectum ærarii significari. Nam cura ærarii à Quæstoribus ad Præfectum translata est. Sub Hadriano & Antoninis Gellius vixit. Papinianus quoque auctor est *in l. cum quidam, de his quibus ut indign.* Marcum Antoninum causas fiscales ad Præfectos ærarii misisse, & Ulpianus *in l. 4. §. planè, de fideic. liber.* bona ad fiscum spectantia præfectis ærario denuncianda, de quibus etiam cognoscunt & judicant, *l. Senatus, l. Arrianus Severus, in princ. de jur. fisc.* idem tradit *in l. 8. cum C his, §. 11. transactiones, de transact.* de alimentis à fisco præstandis apud procuratorem Cæsaris scilicet in provinciis, & Præfectos ærarii posse transigi, scilicet Romæ, ubi hi Præfecti causas fiscales tractabant. Perseverasse autem hos Præfectos etiam Aureliano imperante, ejus ad Senatum epistolæ verba sequentia apud Vopiscum in *Aureliano* indicant: *Si quid est sumptuum, datis ad Præfectum ærarii litteris decerni jussi. Est præterea vestræ auctoritatis arca publica, quam magis refertam esse reperio, quam cupio.* Hæc ille, qui de Præfectis Romæ degentibus loquitur. *Singulas verò in provincias*, inquit Dion lib. XIII. *Augustus Quæstorum loca procura-* D *tores ex libertinis vel equitibus lectos misit, qui reditus publicos, id est, tributa, & res fiscales exigerent, hisque ex publico salarium, & mandata dedit.* Hi in marmoribus vulgò *procuratores Augustales* vocabantur, causasque etiam fiscales decidebant, *l. 1. 2. & 5. C. ubi cau. fis.* & quandoque provincias, quæ admodum magnæ non fuissent, administrabant. Antoninus A. *in l. 3. C. dict. tit. Procurator meus*, ait, *qui vice Præsidis provinciæ non fungitur, exigere pœnam de sorte accusationis non potest.* Hujusmodi in Judæa Pilatus fuit, cui vice Præsidis procurator præfuit. Constantino verò imperante, rerum fiscalium mutata est forma. Duo E enim ab eo inventi magistratus fuêre, qui universam Principis pecuniam tractarent, alter Comes *largitionum*, alter *rerum privatarum* dictus. Ille etsi à muneribus nomen habebat, universam tamen pecuniam publicam administrabat. Verum quod ad munera attinet, hæc ampla & frequenter Principes Rom. dare cogebantur, quæ sub nomine *largitionum* Augustus in Rationario Imperii est complexus, & idem huic Comiti inditum nomen. Tacitus *Annal.* lib. I. *Libellum*, inquit, *composuit, in quo opes publicæ continebantur, quot classes, regna, provinciæ, tributa, ac vectigalia, necessitates, ac largitiones, quæ cuncta sua manu perscripserat* F *Augustus*: per *necessitates*, necessarias impensas intelligit, largitiones voluntarias, & dona, à quibus hic Comes est appellatus, ita ut in illis etiam necessariæ impensæ, & stipendia contineantur. Olim aliquid donaturi Principes Quæstoris candidati ministerio, vel alterius aulici utebantur, qui acceptam ex arca Principis pecuniam elargiebantur, donec ab

Alexandro inventi sunt Ærarii, qui hoc munere fungerentur. Lampridius in *Alexandro: Ærarios verò*, inquit, *instituit, qui de arca fisci ederent munera, eademque parciora. Habuit in animo, ut munera per totum annum dispergeret, ut per* XXX. *dies munus populo daretur.* Hæc ille. Hæc munera præcipuè ob lætitiam publicam fiebant, & *Congiaria* vocabantur, fortè quòd in congiis donanda pecunia in forum deferretur. Id genus liberalitatis Augustus ut sibi populum conciliaret, frequenter exercuit: Tranquillus in *eod.* cap. XLI. *Congiaria*, inquit, *populo frequenter dedit, sed diversæ ferè summæ; modò quadringenos, modò trecenos; nonnunquam ducenos, quinquagenosque nummos, ac ne minores quidem pueros præteriit, quamvis non nisi ab undecimo ætatis anno accipere consuessent.* Idem & Tiberius, aliique observarunt. Tranquillus io *Tiberio* cap. XX. *Prandium*, inquit, *dehinc populo mille mensis, & congiarium trecenos nummos viritim dedit.* Tacitus *Ann.* lib. III. *Tiberius nomine Germanici, trecenos populo sextertios viritim divisit.* De Caligula Tranquillus cap. XVII. *Congiarium*, ait, *populo bis dedit, trecenos sextertios. Toties abundantissimum epulum Senatui.* De Nerone Tacitus lib. I. *Congiarium quadragenis nummis viritim dat.* Spartianus in *Adriano*: *Congiarium duplex præsens populo dedit, ternis jam per singulos aureis se absente divisit.* Herodianus de Severo lib. III. cap. XXXII. Magno congiario populum Roman. victoriæ nomine prosecutus est, ac munus militibus largitus. Liberalitatis ergo nomine Comes largitionum à Constantino inventus, in primis munera præstabat: inter quæ erat auri libra Alitarchæ ex sacris largitionibus donata, ne cupressos ex Luco Daphnes, ut consueverat, excinderet, *l. 1. C. de cupr. ex luco Daphn. non excid.* pro munere erant & decem auri libræ, quæ ex canone Phoeniciæ quotannis Primicerio Notariorum à Justiniano pendebantur, *Edicto 4. Justinian.* §. 1. Alia quoque plurima Principes per hunc Comitem elargiebantur. Cassiodorus lib. VI. *Donis*, inquit, *præsidere regalibus Comitivam sacrarum largitionum, indicia rerum verba testantur. Decorum fuit alterius honorem dicere, dum nos constat dona conferre ...... Supplicum fortunas per te erigimus. Kal. Januarii, affatim dona largimur, & lætitia publica, militia tua est.* Hæc ille.

Inter alia munera Comitibus Consistorii, & aliis, quotannis Kal. Januarii strenam Princeps elargiebatur, *l. 4. C. de advoc. diver. jud.* sed & festo Paschatis potesteriores Principes Senatui, & Ducibus militum donare solebant. Cedrenus in *Michaele Stratiotico*: *Tempus*, inquit, *appetiit Imperatoriæ largitatis, quam exercere in Senatum Imperatores quotannis festo Paschatis consueverant, ingressi sunt ad eum omnes exercituum Duces.* Hactenus Cedrenus. Stipendia quoque militibus & aliis hic Comes solvebat: quæ & ipsa sub munerum nomine continentur. Vopiscus in *Probo*: *Quæ fœlicitas*, ait, *emicuisset, si sub illo Principe milites non fuissent: stipendia de largitionibus nulla erogarentur: Thesauros æternos haberet Respublica.* Marcellinus lib. XXVI. cap. VIII. *Venustus*, inquit, *Largitionum Apparitor sub Valente, multò ante Nicomediam missus, ut aurum susceptum stipendii nomine militibus per Orientem diffusis, viritim distribueret.* Hæc ille. Itaque hic Comes largitionum, & remunerationum est dictus, *l. Palatinos, C. de palat. sacr. larg. l. 2. C. de commeat.* quandoque thesaurorum curator, *l. 2. C. de palat. sacr. larg.* aut Præfectus, vel Imperialium pecuniarum Quæstor, ut Nicephorus libr. X. c. XXIX. *Histor. Ecclesf.* & Theodoretus l. III. cap. XI. Felicem appellant. D. Hieronymus *in* XXIII. *Ezech.*

A Præfectum annonarii tituli vocat, credo legendum, *canonicarii*. totius enim publicæ pecuniæ ex tributis & vectigalibus exigendæ & conservandæ illi cura erat demandata; pro vectigalibus secundùm jussa Principum varia facta est exactio: imperante Heliogabalo decima precii mercium solvebatur, quam Alexánder ad tricesimam redegit, ut paulò plus tribus pro centum penderentur. Lampridius in *Alexandro*: *Vectigalia*, inquit, *publica in id contraxit, ut qui X. aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem auri præstarent, hoc est, tricesimam partem. Tuncque primum semisses aureorum formati sunt: tunc etiam cum ad tertiam partem auri*
B *vectigal decidisset, tremisses, dicente Alexandro etiam quartarios futuros, quod minus non posset.* Hæc ille. Formavit autem semisses Alexander, & tremisses, quia in auro tantùm pendebatur vectigal, & cum tricesima solveretur, pendebantur tres pro centum, & tertia aurei, ob id tremisses fuerunt necessarii, sic & semisses, cùm pro mercibus quibusdam precii L. aureorum pendendum esset vectigal, paulò plus uno cum dimidio solvendum erat, & ideo semissibus aureis opus erat, qui dimidiam aurei valebant. Sed posteriores Principes octavam precii mercium pendi voluerunt, id est, paulo plus duodecim pro centum, *l. ex præstatione 7.*
C *& seq. C. de vectig. l. ult. C. de eunuchis, l. 7. C. de loc.* unde octavarii vectigalium publicani vocabantur, *l. a legatis 8. C. de vectig.* Pro tributo populi solvebant quantum Princeps vel P. P. indixisset, *l. ult. C. de can. larg. l. ult. C. de suscept. & arcar.* & quinquagesimam tritici, vini, hordei, laridique quadragesimam, ut aliàs est dictum: sed hæc in horreis pro militum necessitate & pauperum condebantur: pecunia verò vectigalium, & pro tributis indicta ad Comitem Largitionum spectabat: Solvebant & Hebræi didrachma pro singulo capite, quod loco ejus subrogatum est, quod templo pendere consueverant, ut auctor est Josephus lib. VII. *de bello*
D *Jud.* c. XXVI. io fin. id Theodosius ad arcam hujus Comitis referri jussit, *l. Judæorum. C. de Judæis*, quemadmodum & rusticorum capitatio vocata deferebatur, *l. 1. C. de capit. civ. cens. exim.* ut verò suo muneri posset satisfacere, ex suo officio notarios palatinos qui *Mittendarii* vocabantur, *l. 3. l. 7. l. 8. C. de palat. sacr. larg.* io singulas provincias hic Comes destinabat, qui Præsides ad exigenda maturè tributa & fiscalem pecuniam repræsentandam compellerent, debitumque ad largitionum arcam canonem mitterent, *l. 1. C. de offic. com. sac. largit.* ita enim appellabatur pecuniæ quantitas ex tributis Principi debita, *l. ult. C. de exacto. tribut.* & exa-
E ctor canonicarius, qui canonem debitum largitionibus procurabat. Vous verò vel duo in singulis provinciis procuratores, seu exactores canonis Largitionalis à Præsidibus ex eorum officiis nominabantur, qui tributa largitionibus inferenda exigerent. Eligebantur & Tractatores, id est, Rationarii, qui illorum rationes scriberent, & hi singulo quadrimestri ratiocinia ad Comitem largitionum cum pecunia transmittere tenebantur, *dict. l. 1. C. de offic. comit. sacr. largit. & l. 3. C. de can. sacr. largit.* Solebat verò Præfectus Prætorio quotannis pecuniam, qua Principi opus erat, ejus jussu populis indicere, & ob id literas, quæ delegatoriæ vocaban-
F tur, io Provincias mittere, quibus continebatur, quantum ratione canonis largitionalis, & quantum sibi solvendum esset, *l. ult. C. eod. tit.* sub nomine Comitis largitionum & charta fiebat: Ejus enim nomen in summa folii parte prominente scribebatur, quæ *Protocolum* vocabatur, id est, primum illius membrum. Cassiodorus *proceres chartarum* vocat,

cat, in quo etiam annus, quo facta erat charta, & quædam alia notabantur, *§. illud, in Authent. de tabellion. seu Novel.* 44. & id ipse aliàs obscurius in *formula Comitis largitionum* lib. VI. significat, dum ait: *Per te damus honores, per quem & nostra pecunia conferimus largitates: parum est autem, quod provinciarum judices tua subjaceant dignitati: Ipsis quoque proceribus chartarum confirmas officium, dum perfectum non creditur, nisi fuerit à te solemnitate completum:* id interpretor, quia in chartis nomen hujus Comitis in protocolo habentibus codicilli magistratibus dabantur. Is est Illustris, *l. viros. C.*

A *de palatin. sacr. larg.* & D. Hieronymus *in* XXIII. *Ezechiel.* hanc secundam dignitatem post regiam fuisse scribit, aliorumque Illustrium appellationibus honorabatur. Invento hoc Comite, Procuratores Cæsaris in provincias mitti desierunt, quorum hodie in Codice Justiniano nullus tractatus invenitur. Assessorem hic Comes habuisse videtur: nam Divus Augustinus in *Confessionibus* scribit lib. VI. cap. X. Alypium Thagastensem suum municipalem Com. Largitionum assessorem fuisse.

NOTITIA.

INSIGNIA VIRI ILLUSTRIS COMITIS LARGITIONVM.



COMMENTARIVM.

INSIGNIA hujus Comitis hæc sunt. *Viridi corio tectus liber, rubro tapeto, alteque supra abacum surrecto impositus. In tergo libri est aureum Principis caput, in medio aureis intercurrentibus lineis inclusum.* In manuscriptis Codex argento tegitur, in cornibus auro tantùm ornatus: infra scriptum est, LARGITIONES, subtus *variarum rerum opera*, eorumque rationes ostenduntur, quæ in quinque scriniis sub hoc Comite scribebantur, plures jacent *sculpta ex auro calataque species: Aurum signatum:* Aliud in massis servatæ in arcis à thesaurensibus pecuniæ, & texta ex serico byssoque & auro opera. Quæ enim *ovali forma fusa* visuntur *auri, argen-*

B *tique massa*, quandoque singulæ, binæ, ternæ, quaternæve, & interdum simul plures in acervos congestæ, hæ aureæ massæ *scrinium* repræsentant. Item *vasa aureis plena*, & in medio *quatuor sacculi* in summo ligati, tanquam numis referti, auream, argenteamque monetam ab hoc Comite percussam aut servatam insinuant. In Vrsini Codice quædam sacculis inscriptæ notæ numerum aureorum indicare videntur, ut B. quæ Græcè duo millia, T. decem millia significat. Ego verò hic
C centenaria significari puto. Ad Comitem enim largitionum pecunia sacculis condita mittebatur, qui tot centenaria capiebant. Erat hæc quantitas auri, inquit Suidas. Nicephorus libr. XV. cap. XXVII. & Cedrenus in *Michaele Calefato*, & alibi, Centenarium auri pondus fuisse scribunt. Hippocomi-

que cùm equos currentes reducebant, revertentes hæc auri publici centenaria in sacculis condita reportabant. Theodosius *in l. 12. C. de curs. publ. Auri*, inquit, *centenaria necesse est ab Hippocomis in solitis sacculis reportari*: quæ hic repræsentari existimo. Prope *lutea & quadrata, claustrisque obserata arca* ad dextram conspicitur, quæ thesaurensium arcas auro plenas, vel scrinia officii insinuat. Ad sinistram *cista radios sursum erectos continet*. Hæc *textrina & gynæcii instrumenta* indicat, vel *metaxæ serica*, quorum Procuratores Comiti parebant. Hæc juxta quædam *aureorum monilium* effigiem habentia jacent, cum parvis in summo, & imo catenis, quibus suspeodi possunt: Horum unum cordis formam habet: Ad abaci sinistram *sex* velut *olea aurea folia* visuntur, quæ Augustæ ornamenta referunt, quorum proprium erat scrinium sculptorum & aurificum, *l. 7. C. de palat. sacr. larg.* Aurei quoque & in manuscriptis argenteæ monetæ spectantur, quæ pecuniam hujus Comitis auctoritate percussam, & universum Principis thesaurum significant, ex proventibus publicis congestum, qui in hujus Comitis manu erat. In thesauris Hadriani Imperatoris Appianus in procemio Libycæ historiæ Ægyptiorum talentorum septuaginta quatuor millia fuisse scribit: valet autem talentum Ægyptium pondo LXXX. itaque statuendo L. aureos ejus temporis pro libra, colligeret hæc summa fermè XXX. ut vocant, milliones. Ex spoliis Daciæ, Mesopotamiæ, Armeniæque hujus quantitatis partem à Trajano contractam fuisse existimo. Hæc insignia Comite causas cognoscente astitisse puto, & fortè illi in publicum prodeunti prælata, quemadmodum sacerdotibus gentium ejus dignitatis ornamenta præmissa fuisse Valerianus A. scribit, *in l. 4. C. de injur.* Tùm etiam à præcone; Imperii pater esse acclamabatur. Gratianus *l. 1. C. de Quæstor. Qui*, inquit, *ex comitiva utriusque ærarii attonito splendore viguerunt, acclamatione excipiantur solita, nec prætereantur, ut incogniti.* Intellige autem Comitem largitionum, & privatarum, quos sub nomine utriusque ærarii comprehendit. Hic Comes sub Paleologis Imperatoribus, *Logotheta generalis* est vocatus: Gerebatque capitium albo, purpuraque & margaritis distinctum, & pallium blatteum, seu purpureum, sine aliis ornamentis. Tunicam auro, purpuraque & albo phrygiatam habentem ante, & à tergo Imperatoris imaginem arridentem. Sceptro judiciali non utebatur, ut Sophotatus Curopalata refert. Simili habitu Magistri militum, & alii majores Magistratus tùm utebantur. Nunc de his, qui Comiti largitionum parebant, est dicendum.

NOTITIA.

SUB DISPOSITIONE VIRI

Illustris Comitis sacrarum Largitionum.



OMITES Largitionum per omnes Diœceses.
Comites commerciorum per Orientem, & Ægyptum. Per Mœsiam, Scythiam, & Pontum. Per Illyricum.
Præfecti thesaurorum.
Comes metallorum per Illyricum.
Comes & Rationalis summarum Ægypti.
Magistri lineæ vestis. Magistri privatæ.
Procuratores Gynæciorum.
Procuratores Baphiorum.
Procuratores Monetarum.
Præpositi Bastagarum.
Procuratores Linificiorum.
Officium autem suprascripti viri Illustris Comitis sacrarum largitionum habet.
Primicerium totius officii.
Primicerium scrinii Canonum.
Primicerium scrinii Tabulariorum.
Primicerium scrinii Numerariorum.
Primicerium scrinii Aureæ massæ.
Primicerium scrinii Auri ad responsum.
Primicerium scrinii Vestiarii sacri.
Primicerium scrinii Argenti.
Primicerium scrinii Annularensis.
Primicerium scrinii A pecuniis, & cæteros Scriniarios suprascriptorum scriniorum.
Secundocerium officii, qui Primicerius est Exceptorum.
Tertiocerium officii, qui tractat Bastagas. Quarto loco libellos tractat, & cæteros Palatinos officii suprascripti Comitis Largitionum, quoties usus exegerit.

QVI PARERENT COMITI LARGITIONUM IN TABULAM HANC ETIAM REDEGIMUS.

Comiti largitionum parebant.

- *Comites XII.*
  - *Largitionum VI. per VI. Diœceses.*
    - *Orientis.*
    - *Ægypti.*
    - *Asiana.*
    - *Pontica.*
    - *Thraciarum.*
    - *Illyrici.*
  - *Commerciorum IV. per IV. regiones.*
    - *Orientem & Ægyptum.*
    - *Mœsiam.*
    - *Scythiam & Pontum.*
    - *Illyricum.*
  - *Comes metallorum I. per* — *Illyricum.*
  - *Comes & Rationalis summarum Ægypti.*
- *Præfecti thesaurorum ferè in singulis provinciis I.*
- *Magistri plures.*
  - *Lineæ vestis.*
  - *Privatæ.*
- *Procuratores plures.*
  - *Gynæciorum.*
  - *Baphiorum.*
- *Præpositi Bastagarum plures.*
  - *Monetarum.*
  - *Linificiorum.*

CAP. LXXV.

DE HIS, QVI ERANT SVB *dispositione Comitis sacrarum Largitionum.*

COMMENTARIVM.

PLVRES in provinciis Comitis sacrarum largitionum mandata exequebantur *Palatini* vocati, *l. 1. C. de offic. com. sacr. largit. l.* 3. *C. de divers. off. Rubr. C. de palat. sacr. largit.* In primis singuli Comites in sex Orientis Diœcesibus, Oriente, Ægypto, Asiana, Pontica, Thraciis, & Macedonia, illustris Comitis nomine, Magistris, Ducibus militibusque atque aliis, stipendia, donave solvebant, *l.* 3. *C. de milit. veste.* & vectigalium exactionem procurabant, qui & ipsi COMITES LARGITIONVM, sed tertii ordinis vocabantur: erant enim perfectissimi. Nam Constantinus Tertullianum virum perfectissimum Comitem Diœceseos Asianæ appellat, *in l.* 3. *C. fin. regund.* qui erat inferior Comes largitionum. Secundi verò ordinis Comites erant clarissimi, *l.* 2. *C. de privileg. schol.* Hos Comites largitionum cùm per omnes Diœceses dispositos fuisse Notitia scribat, sex fuisse significat. Nam etsi suprà à quatuor Vicariis, id est, Præfectorum nomine totidem Diœceses rectas nominat, Orientis tamen & Ægypti quandoque tractus vocati *in l.* 1. *C. ut omnes tam civil. quam mil. judic.* pro Orientalis Imperii Diœcesibus à Leone, & aliis ponuntur *in l.* 1. *C. ut nemo ad suum patrocinium.* Sub Valente Saliam Thesaurorum Comitem per Thracias fuisse Marcellinus lib. XXIX. cap. I. scribit. His Comitibus liber mandatorum tradebatur, quemadmodum & olim procuratoribus, qui in provincias mittebantur, Augustum dedisse Dion lib. LIII. scribit. In libri dorso, ut ex codicibus post Notitiam Orientalem in armariis dispositis apparet, inscriptum erat, F. L. V. A. L. CO. S. T. R. L. IVSSI. D. quas notas ita interpretor. *Fœlix liber vindicandus à Laterculo continens sacros titulos rerum largitionum jussione divina.* Hi enim in provinciis ad largitiones pertinentia procurabant: Valentinianum verò, qui tum in Occidente, non in Oriente imperabat per notam V. non intelligi arbitror. Tres tantùm Vicarii Comites largitionum in Occidente fuisse reperiuntur.

COMITES COMMERCIORVM IIII. fuere, scilicet per Orientem & Ægyptum unus, per Mœsiam alius, per Scythiam & Pontum tertius, per Illyricum quartus. Hi sunt negociatores, quorum Constantinus meminit *in l. negociatores. C. de excus. muner.* cujus verba vicissim hinc lucem accipiunt, in provinciis necessaria ad parandas Principis vestes emebant, veluti sericum, lanam, linum, purpuram, pelles, & similia, ob quorum remunerationem ab omni onere erant immunes. *Negociatores*, inquit, *vestiarios, linteones, purpurarios, & parthicarios, qui devotioni nostræ deserviunt, visum est ab omni onere immunes esse. Parthicarios* autem appellat, qui pelles Parthicas mercabantur, ut Cujacius rectè exponit. De iisdem Negociatoribus intelligit Valentinianus ad Julianum Comitem Orientis *in l.* 1. *C. de episc. aud. quæ est pars l.* 1. *C. de mercat. & commer.* quos ad domum Principis pertinere scribit. Nec tantùm prædicta ad parandas vestes procurabant, sed qui in Oriente erant, præcipuè margaritas, gemmas, & sericum pro Principis & Augustæ usu conquirebant, & lanam, quam in Metaxalotam ad Gynæcia Principis mittebant, *l. lotas. C. de murileg.* Gratianus *in l.* 2. *C. quæ res vend.*

A *non poss. Toriabando Duci Mesopotamiæ*, inquit, *comparandi serici à Barbaris facultatem omnibus, præter Comitem commerciorum jubemus auferri.* Nec de alio quàm hoc Comite commerciorum per Orientem intelligit, & explicat, quid mercaretur: sericum Aureliano imperante, cum auro compensabatur, & ut credo, tempore Notitiæ. Vopisc. in *Aureliano: Cùm ab eo*, inquit, *uxor peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, ille respondit.* Absit, ut auro fila pensentur: *libra enim auri tunc serici libra fuit.* Hæc ille: ex Ægypto verò unguenta conquirebant. Nam, ut Plinius lib. XIII. c. III. scribit, *Terrarum omnium Ægyptus accommodatissima est unguentis.*
B Argentum quoque Ægyptium, quod magno in pretio ad vasa cælanda habebatur, & alia hujusmodi, hunc Comitem mercatum fuisse credendum est, & ad Comitatum misisse: sic adamantes, Thracias gemmas, & similia ex Scythia, Ponto, & Illyrico alii duo Comites transmittebant. Ne cui etiam purpura venderetur, aut lana, sericumve fucaretur, observabant, *l.* 1. *&* 2. *C. quæ res vend. non poss.* Præterea operam dabant, ut à negociatoribus justa vectigalia solverentur, *l. omnium, l. ex præstatione, cum duab. seq. C. de vectig. & commiss.* & ob id in limitibus, & locis, ubi solvendum erat vectigal, stationarios tenebant, *l. universi. C. eod. tit.*
C Largitiones enim & stipendia ex vectigalibus solvebantur, *l. pen. C. eod. tit. de vectig. commiss.* Iidemque providebant, ne aurum, aut vetitæ merces, ut ferrum, cotes ad id subigendum, arma, sales, frumentum, vinum, oleum, aliudve liquamen ad Barbaros deferretur, *l. cotem, in princ. ff. de publ. & vectig. l.* 2. *& ult. C. de commerc. & mercatorib. l.* 1. *&* 2. *C. quæ res expor. non deb.* Neminem denique Barbarorum in Romano Imperio, aut Rom. subditos in illorum solo nundinari permittebant, *d. l.* 2. *& ult. C. de commerc. & mercat.* Itaque omnibus negociatoribus Comes largitionum imperasse videtur, quorum opera peregrinas merces in Romanum solum afferri curabat.
D Cassiodorus *de Comite largitionum*, lib. VI. *Negociatores*, inquit, *huic largitionum potestati manifestum est esse subjectos: nam quicquid in vestibus, quicquid in ære, quicquid in argento, quicquid in gemmis ambitio humana potest habere pretiosum, tuis ordinationibus obsecundat, & ad judicium tuum confluunt, qui de extremis mundi partibus advenere.* Hæc ille.

His Comitibus salarium ex publico pro annonis, & capitatione exhibebatur, *l. unic. C. de anno. & capitat.* In Occidente unus tantùm erat Comes commerciorum per Illyricum.

E PRÆFECTI quoque thesaurorum eidem Comiti parebant, qui ex singulis provinciis exactam pecuniam separatim conservabant, donec ad largitionum Comitem mitteretur; neque cum aliarum regionum tributis eam commiscebant; quod & Tiberius Cæsar observari voluit, qui defuncto sine liberis Philippo Trachonitidis Tetrarcha, eam regionem Syriæ adjecit: sed quæcunque tributa in ea Tetrarchia collecta intra illius terminos servari jussit, ut auctor est Josephus lib. XVIII. cap. IX. *Antiq.* Unde tot factæ sunt fisci stationes, in quot provinciis separatim tributa exigebantur, & vectigalia. Hæc erant loca in quibus pecuniæ fiscalis
F rationes tractabantur. Antoninus A. *in l.* 1. *C. de compensationib. Compensationi*, inquit, *in causa fiscali, ita demum locum esse, si eadem statio quid debeat quæ petit.* Item Alexander A. *in l.* 1. *C. ne fiscus quam rem vendidit evincat: Cujus*, ait, *rei precium cum bona fide esset addicta, semel fiscus acceperit, non solum emptorem ab eadem statione, sed nec ab alia quæ-*

quæstionem pati debere æquum est. Idem Bassæ, *in l. 2. C. de solutionibus: Liberantur*, inquit, *fidejussores, quoties siscus tam debitori, quam creditori, licet diversis stationibus, succedit:* ubi malè à novis impressoribus scriptum est, *rationibus*, pro *stationibus*. Hæc statio olim *Quæstorium* à Quæstoribus appellabatur. Cic *pro Cn. Plancio*, se Thessalonicam in Quæstorium, dum exularet, ab eo perductum fuisse memorat. Itaque hi Præfecti exactam ex vectigalibus, & tributis pecuniam ad unum ex insignioribus provinciarum oppidis mittebant, ubi tam diu conservabatur, donec ad Comitatum Principis transmitteretur. Gratianus *in l. 1. C. de cano. largit. tit. Omnem*, inquit, *pecuniam auri, vel argenti, & reliquarum specierum, quæ sacris largitionibus ex more penduntur, statim, ut exactio fuerit celebrata, ad thesauros uniuscujusque provinciæ, vel ad proximos referri, sub obsignatione tabularii, cæterorumque, quos sollicitos esse debere præcedentia jussa decreverunt, & thesaurorum præpositis consignari præcipimus, ut exinde ad sacrum Comitatum integer omnium titulorum numerus dirigatur.* Hæc ille. Tabularius autem, cujus meminit, erat Numerarius, qui sub Præside rationes vectigalium ad largitiones pertinentium scribebat, *l. 2. C. de numerar.* In exigendis verò tributis hæc forma observabatur. In singulis civitatibus ex ordine Decurionum unus eligebatur, *susceptor* vocatus, qui indictum cuique aurum susciperet, *l. 4. C. de suscepto. & arcar.* & ille Thesaurorum Præfecto statim mittere tenebatur. Gratianus A. *in l. div. C. eo. tit. Diu*, inquit, *minimè penes ipsos susceptores maneat facta collatio; sed statim quodcunque à provincialibus fuerit exsolutum sacris thesauris inferatur.* Hæc ille. Hæc largitionum pecunia rhedis cursus publici ad Comitatum mittebatur D. auri libris, mille verò argenti rhedæ impositis, *l. 48. si aurum. C. Theo. de cursu publ.* quam duo Palatini cum tribus servis sequebantur, neque hi cum avertis, seu peris, vel manticis onus plus quingentarum librarum habere poterant, *d. l. 48.* Qui exactam ad locum thesaurorum pecuniam comitabantur, *prosecutores auri publici* vocabantur, quod non nisi jussione Com. largitionum *prosecutoria* dicta facere poterant, *l. 1. C. de auri publ. prosecu.* Ne verò confusio nasceretur, tabularius civitatis, omnium, qui tributum vel canonem solvere debebant, nomina scribebat, & Ducenariis, Sexagenariisque Apparitoribus exigenda tradebat, *l. 1. C. de exact. tribus.* illi exacta Susceptori dabant, *l. apparitores. Cod. dict. titul.* Is solventi, ut tutus esset, apocham faciebat, in qua nomen solventis, summa, causa solutionis, dies, Consul, & mensis continebatur, *l. 1. Cod. de apoc. publ.* & statim ad locum thesauri exactam pecuniam mittebat. Vectigalia verò pro mercibus advectis stationarii milites opportunis locis dispositi exigebant, eodem modo apocham scribebant, exactamque pecuniam ad Præsidem mittebant, inde ad Thesaurensem dirigebâtur. Constantinus Junio Rufo Consulari Æmiliæ, *in leg. universi. C. de vectigalib. Provinciales*, inquit, *pro rebus, quas ad usum proprium, vel exercendi ruris gratia revehunt, nullum vectigal à stationariis exigant. Quæ verò negociationis gratia portantur, solitæ præstationi subjugamus, capitali pœna proposita stationariis & urbanis militibus, quorum avaritia id tentari firmatur.* Hi milites antiquitus non modò per Italiam, sed & per provincias ad arcenda latrocinia erant dispositi. Tranquillus in *Tiberio* c. XXXVII. *Tuendæ*, inquit, *pacis à grassaturis, ac latrociniis, seditionumque licentia curam habuit: stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit.* Hæc ille. Idem & Jureconsf. *l. 1. & 4. ff. de ser. fugit.* Græci

A *Irenarchas* vocant, *l. 6. ff. de custo. reor. l. ult. §. 1. ff. de mun. & hono.* & à singularum civitatum Decurionibus ad suæ urbis territoria custodienda eligebantur. Honorius *in leg. 1. Cod. de Irenarchis: Irenarchæ*, inquit, *qui ad provinciarum tutelam per singula territoria faciunt stare concordiam, à Decurionibus judicio Præsidum nominentur.* Præfectus Prætorio & ipse in provinciis suos thesaurorum Præfectos habebat, *l. duos. Cod. de suscep. præp. & arcar.* qui pecuniam à se impendendam susciperent, & ad suam arcam transmitterent. Eodem modo in Occidente XII. in diversis provinciis thesaurorum Præfecti recensentur, *Præpositi* appellati,
B prout etiam vocantur in Jure, *in leg. 1. Cod. de susccp. præpo. & arcar.* qui verò prætatam pecuniam *thesaurum* dictam custodiebant, *Thesaurenses* sunt appellati, *l. 14. Cod. Theod. de diver. offic.* Leo A. *Arcarios* vocat, *l. penultim. Cod. de can. largit. tit.* Vulgus Italicum *Thesaurarios*. Earum Præfecti quandoque *Comites* appellantur. Gratianus August. ad Titianum Comitem S. Largitionum *in leg. 2. Cod. de palat. sacr. largition. Nullus*, inquit, *Thesaurensis, vel Officialis Comitis thesaurorum semel deprehensus eversor, militiam repetat:* cui consonat & Marcellinus lib. XXIX. cap. 1. *Salia*, ait, *thesaurorum paulo ante per Thracias Comes.* Cum verò
C pecuniam Principis hi Præfecti tractarent, eam attingere non poterant, nisi prius de Principis indemnitate satisdedissent. Theodosius A. *in l. privatæ. Cod. de murileg. Thesaurorum*, inquit, *Præpositi non ante ad rem sacri ærarii procurandam permittantur accedere, quam satisdationibus dignis eorum administratio roboretur.* In scrinio epistolarum, litteris à Principe subscriptis tam ipsi quàm cæteri Thesaurenses probandi erant. Idem Theodosius ad Archatium Comitem S. Largit. *in l. ult. C. Th. de diver. offic. Comitum*, inquit, *thesaurorum diœceseos provectiones, & ipsos Thesaurenses, vetus observatio dexteræ principali reservavit.* Quibus ver-
D bis suscriptionem dextera Principis faciendam intelligit. Nec aliud Leo A. sensit *in l. ult. §. pen. C. de divers. offic.* cum Thesaurensium classis meminit, quem & ipse à Principe in scrinio epistolarum comprobari præcipit: classem autem fortè non navium, ut vulgo putant, sed Thesaurensium multitudinem appellat.

COMES METALLORUM, per Illyricum eidem largitionum Comiti suberat, *Cod. de metallariis & metallis, & procuratorib. metallorum.* qui ex auro in metallis invento portionem Principi debitam exigebat, in fluminibus enim vel fodinis aurum legentes, singuli octo, vel septenos auri scru-
E pulos pro locorum consuetudine largitionibus inferebant, quemadmodum Valentinianus A. ad Cresconium Comitem metallorum scribens definivit *in l. 2. & l. per annos. C. de metall.* Est autem scrupulus vicesima quarta pars unciæ, vulgo *caratum* appellant, seu tertia pars drachmæ, id est, duo oboli. Hoc verò aurum non obryzum aurileguli pendebant, sed in balluca, quæ est arena aurea, & ejus qualitatis, ut non coquatur. Græcè χρύσαμμος dicta, *dict. l. 1. C. de metalla.* & Pollux. Sunt autem aurileguli, non qui terram effodiunt, sed qui aurum inventum manu legunt, quod cuique facere concedebatur, modò tertiam, ut dixi, drach-
F mæ partem largitionibus quotannis inferret: aliqui enim aurum inveniunt in massâ, aliqui arenam, quæ *balluca* vocatur. Plinius lib. XXXIII. cap. IV. *Aurum arrugia quæsitum non coquitur, sed statim suum est. Inveniuntur ita massæ: nec non in puteis, etiam denas excedentes libras, palacras in Hispania, alii palacranas. Idem quod minutum est, balucem vocant.*

Hæc

Hæc ille. Est autem arrugia, quasi auri rugia, id est, scalptura, ubi aurum scalpitur, non effoditur. Habebat & sua in provinciis metalla Princeps, ex quibus aurum & argentum Comes colligebat: Ulpianus *in l. sacrilegii. §. ult. ad l. Jul. peculat.* *Si quis,* inquit, *ex metallis Cæsarianis aurum, argentumve furatus fuerit, exilio vel metallo, prout dignitas est personæ, punitur.* Creabatur hic Comes per Illyricum, ubi magna metallorum copia effodiebatur. Anno enim ab urbe condita DXCVII. M. Æmilio, & C. Popilio Coss. metalla in Macedonia instituta fuisse Cassiodorus scribit, & Livius in v. *decad.* v. metalli Macedonici ingens vectigal fuisse refert: auctor est Plinius loco cit. in superficie terræ in Dalmatia aurum abundasse: *Invenitur*, ait, *aliquando in summa tellure rara felicitate: ut nuper in Dalmatia Principatu Neronis singulis diebus etiam quinquagenas libras fundens.* Hæc ille. Sub eo climate est Dacia mediterranea, Macedonia, Mœsia, seu Dardania, *l. procuratores. C. de metallar.* quibus in locis ex civitatum curialibus, metallorum procuratores creabantur, qui effodiendis metallis præerant, quibus hic Comes imperabat. Cùm verò multi in Illyricum, & Macedoniam ad quærendum aurum venissent, Valentinianus edicto eos abire jussit, *l. 7. C. Theod. de metallar.* Hic Comes & alia metalla procurasse videtur, cùm generaliter *metallorum Comes* vocetur, etsi in Occidente hic *Comes auri* appelletur. Celebrantur in Oriente Docimenum, & Troadense metalla in Phrygia, & Proconense in Propontide, *l. 9. & 11. C. Theod. de indulg. debitor.* Hunc Comitem Valentinianus hac voce compellat, *l. 1. de metallar.* LAUDABILITAS TUA.

COMES ITEM RATIONALIS SUMMARUM ÆGYPTI, eidem Comiti largitionum obtemperabat. Is mittebatur in Ægyptum, ut bona caduca, vel alio modo ad fiscum devoluta inquireret, ἴδιος λόγος, id est, *privata ratio* appellatus, quemadmodum Strabo refert lib. XVII. Nullam ab initio jurisdictionem habuit, sed postea dignitate auctus, & *Comes*, ac *Rationalis summarum* dictus, ampliorem administrationem obtinuit, cùm enim sericum, byssus, margaritæ, gemmæ, ac diversi generis aromata ex India, Arabiaque in Ægyptum quotannis veherentur, quæ millies centena millia sextertiûm absumebant, ut ait Plinius lib. XII. cap. XVIII. ob idque maxima ibi essent vectigalia secundùm Strabonem centies quinquagies centena millium nostrorum aureorum proventum Romanis Ægyptus dabat. Itaque proprium ibi Rationalem poni oportuit, quem Comitis titulo honestatum, *summarum Ægypti* vocarunt: ita pecuniæ quantitatem appellabant, *l. scire debemus. ff. de verbor. oblig. l. in fraudem. §. fiscalib. ff. de jure fisc.* Constantinus *l. 7. C. ubi caus. fiscal.* summæ rei Rationalem *Bulephorum* vocat: quandoque absolutè Rationalis dicitur, *l. 2. C. de mod. mulct. l. 2. C. de mancip. & colon. l. universi. C. de fun. rei privat. l. placuit. C. de collat. fun. patrim.* aut procurator. Lampridius in *Alexandro*: *Ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est, Rationales, ordinare, nomina eorum proponebat.* Capitolinus in *Clodio Albino*: *Ad Procuratores meos litteras misi, quas ipse signatas accipies signo Amazonia: & cum opus fuerit Rationalibus dabis*: ubi *Rationales* vocantur procuratores. Hi splendidis vestibus induebantur. Marcellinus lib. XXII. cap. IV. *Evenerat his diebus,* inquit, *ut ad demendum Imperatoris capillum tonsor venire præceptus, introiret quidam ambitiose vestitus: quo viso Julianus obstupuit*, Ego, *inquit*, non Rationalem jussi, sed tonsorem acciri. In Occidente XI. Rationales diversarum provinciarum erant instituti: In Oriente hic solus nominatur, cùm tamen eos multos esse oportuerit. Unde aliqua deesse existimo: aut Comites largitionum, qui erant in provinciis, eorum fungebantur officio. Tacitus enim Lucillum Capitonem sub Tiberio Asiæ procuratorem fuisse scribit, Catum Decianum Britanniæ *Annal.* lib. XIV. sub Claudio Cappadociæ Julium Pelignum, & Julium Colonum Ponti lib. XII. sub Nerone Mauritaniæ Lucceium Albinum, *Hist.* lib. II. Dalmatiæ Cornelium Fuscum eod. libro. Pollio in *Claudio*, Zosimionem imperante Valeriano Syriæ procuratorem nominat, *l. privata. C. de murileg.* *Alexander Imperator*, inquit Lampridius, *Rationales citò mutabat, ita ut nemo nisi annum compleret: eosque nisi bono essent, oderat, malum necessarium vocans.*

MAGISTRI præterea LINEÆ aliàs Linteæ vestis sub eodem Comite erant, qui Linteariis seu linifariis, *l. si quis ex corpore. C. d. tit. de murileg.* lintea, mappas, mantilia, indusia, & hujusmodi vestes lineas facientibus præerant. Hi opifices conditionales erant, id est, conficiendis, & texendis lineis, seu vestibus lineis, ipsi & eorum liberi perpetuò manebant obnoxii. Linteæ vestis Magistri à Theodosio A. vocantur, quos jubet cavere *in d. l. privata. C. de murilegul.* rem sacri ærarii salvam fore. Vestes autem appellantur quæcunque induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, accubandive causâ parata sunt, inquit Ulpianus *in d. l. vestis. §. 1. de aur. & arg. leg.* Quia verò hæc ex pecunia vectigalium comparabantur, sub dispositione Comitis largitionum erant. Horum magna fuit administratio, cùm non modò lineas vestes ad induendum, sed & lintea, mantilia, papiliones, pro aula & mansionibus, & similibus pararent: Linteorum artifices à Valentiniano *linteones*, *l. 8. C. Theod. de murileg.* à Theodosio *lintearii* appellantur *in dict. l. si quis ex corpore. Cod. eod.* Lineas vel amictoria antea rhedis cursus publici ad Comitatum vehebant, postea statutum est ut angariis, vel navibus dirigerentur: solæ delicatæ vestes, & linteamen amictorium ad usum Principis sub mille librarum pondere rhedis mittebantur, *l. 48. §. si aurum. C. Theod. de cursu public.* Magistri lineas vestes fieri procurabant, & factas custodiebant, quarum numerus in scrinio sacri vestiarii scribebatur sub ejus Primicerio, Procuratores etiam Gynæciorum texendis vestibus studebant.

In Occidente pro Magistris lineæ vestis scribitur Comes vestiarii, qui has vestes lineas procurabat, aut conservabat, & inter Cubicularios ab Honorio Augusto connumeratur, *l. 1. C. Theod. qui a præb. tyron.* *Vestiarium autem*, inquit Suidas, *locus est, in quo vestes reponuntur.*

PRIVATÆ MAGISTRI, à Notitia appellati sub eodem Comite prædictis annectebantur, qui alias species ad Principis vestes conficiendas, præterquam lineas curabant. Lanam enim & sericum, ad tapeta, vestes, aulæa, lectos, stragulas, & papiliones, pecti, & ad opus perduci, universamque vestem confici studebant. Hos *procuratores* Constantinus A. appellat *in l. 2. C. de murileg.* *Procuratores*, inquit, *rei privatæ, per quos privata nostra substantia tenuatur, & species gynæcii confecta corrumpuntur, suffragiis abstineant, id est, precio hoc officium non emant.* Quia verò & ipsi res Principis tractabant, priusquam hoc munus exercerent, satisdare tenebantur, sicut & præcedentes. Theodosius ad Comitem sacr. largit. *d. l. privata. C. de murileg. & gynæciariis, & procuratoribus gynæcii*: *Privata*, ait, *vel lintea vestis Magistri non ante ad rem sacri ærarii procurandam permittantur accedere, quam satisdato-*

dationibus dignis eorum administratio roboretur. Nunc ad Procuratores est veniendum.

PROCVRATORES GYNÆCIORVM ejusdem juris erant, qui textoribus vestium Principis præerant. Valentinianus A. *in. l.* 1. *C. de vest. holober. Auratas*, inquit, *ac sericas paragandas auro intextas viriles, privatis usibus contexere, conficereque prohibemus, & a Gynæciariis tantum nostris fieri præcipimus.* A Theodosio *procuratores textrinorum* vocantur *in l. pen. C. de murileg.* Gynæcium Constantinus *in d. l.* 2. *C. de murileg* & Notitia appellant *conclave*, id est, locum interiorem ædium, in quo mulieres degere solent, & opera textoria, & muliebria exercere, ut apud Procopium lib. III. *de bello Vandalico*, & Vitruvium lib. VI. cap. X. legitur. Id & *textrinum* vocabatur, *l.* 6. *C. de murileg.* Unde *Gynæciarii* dicti, qui hæc muliebria opera conficiunt, *l.* 2. *&* 3. *l. si quis ex corpore. C. de murileg. l. unusquisque princ. C. ad leg. Jul. repetund. l.* 1. *C. de vestib. holober. l. ult. C. de re milit.* id est, aulæa, stragulas, tapeta, vestesque auro depingentes texebant: inter has erant holoberæ, id est, totæ holosericæ, seu totæ ex serico constantes, *beros* enim sericum Balsamon in XII. *canone concilii Gangrensis* interpretatur. Erant & auratæ, id est, auri subtegmine intextæ. Virgil. in III. *Æneid.*

Fert picturatas auri subtegmine vestes.

Et *paraganda* seu sericeæ auro intextæ, fortè à *parando gaudio* dictæ, *l.* 1. *&* 4. *C. de vestib. holober.* quæ ad privatorum usum fieri non poterant, *dict. l.* 1. *C. de vestib. holober.* Primus hujusmodi vestes Aurelianus induit, ut auctor est Eutropius. Hi à Gratiano *in l.* 7. *C. de palat. sacr. larg. aurifices specierum* vocantur: (species enim pro vestibus sæpe in Jure accipiuntur.) Alii vestes tyronibus dandas texebant, *l. ult. C. de milit. veste.* Militibus verò solidus pro chlamyde à provinciis conferebatur, *l. pen. C. d. tit.* Aliqui ex his aurificibus servi erant, *l. qui textrini. C. de murileg.* Sed liberi nec ipsi, nec eorum posteri à servitute texendi eximi poterant, *l.* 1. *& l. si quis ex corpore. C. de murileg.* Ex fundis Tamiacis, qui à Comite domorum in Cappadocia administrabantur, impensæ in gynæcia factæ fuisse videntur, cùm ab eo quandoque concussionem paterentur, *l.* 5. *C. ad leg. Jul. repetun.* Textrinorum procuratores pecuniam Principis ad emendam & texendam materiam tractabant, & ideo antequam eis hoc officium committeretur, ut alii, satisdare tenebantur, *d. l. privata. C. de murileg. C. de vestibus holob. extinctione sacri muricis.* Pro Gynæciis, *Cynegia*, duabus transpositis literis, in Occidente mendosè scribitur, ubi erant in diversis provinciis gynæcia numero quindecim, quæ hic non distinguuntur.

PROCVRATORES BAPHIORVM eidem Comiti parebant. Est autem Baphium officina, in qua lana, aut sericum murice tinguntur, *l.* 2. *& l. privata. C. de murileg.* Lampridius in *Alexandro: Purpura*, inquit, *clarissima non ad usum suum, sed ad matronarum, si quæ aut possent aut vellent, certè ad vendendum gravissimus exactor fuit: ita ut* Alexandrina purpura *hodieque dicatur, quæ vulgo* Probiana *dicitur, idcirco quod Aurelius Probus baphiis præpositus, id genus muricis reperisset.* Hæc ille. Plura erant in Oriente Baphia, quibus singuli præerant procuratores, *d. l.* 2. *C. de murileg.* sed celebriora fuere in Phœnicia, ad quæ certis temporibus quintum de scrinio tabulariorum, sextum de scrinio canonum, & septimum de scrinio exceptorum Theodosius mitti jubet, ut nundinas purpuræ prohibeant, *l. ultim. Cod. de vestibus holober.* Ab alio enim quàm Principe emi non poterat: Hic procurator Tyri degebat. Eusebius enim Cæsariensis lib. VII. *Eccles. Histor.* cap. ult. scribit Dorothæum Eunuchum, qui postea Antiochiæ presbyter fuit, purpuræ apud Tyrum tingendæ præfuisse. Is à Juliano Apostata martyrio est coronatus, *Martyrol. V. Junii*, Anastasius Bibliotheca. in *Chronic.* Horum procuratorum præcipuum erat officium curare, ut recte sericum aut lana tingeretur, mox scite in fila redacta texeretur, *l. lotas. C. de murileg. l. temperent. C. de vestib. holober.* neque enim ex folliculis aquâ calidâ immersis serici fila eo tempore in rhumbum evolvebantur, sed depecti folliculi in metaxam redigebantur, mox nebantur: & ideo metaxam à nemate sericeo Martianus *in l. ult. §. species, de public.* distinguit. Id & poeta significat *Georg.* lib. II.

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Baphiarii seu tinctores, & ipsi conditionales, non poterant ab ea arte, aut eorum liberi discedere, *l. murilegulis, l. si quis. C. de muril.* Procuratores Baphiorum quemadmodum & superiores satisdare tenebantur se fideliter officio functuros, *d. l privata. C. de murileg.* In Occidente novem diversorum Baphiorum in IX. provinciis procuratores numerantur, qui hic non distinguuntur.

PROCVRATORES etiam MONETARVM ejusdem Comitis auctoritate, pecuniam cudi curabant. Cassiodorus in *formula Comit. largit.* lib. VI. *Ut figura*, inquit, *vultus nostri metallis usualibus imprimatur, monetamque facis de nostris temporibus futura secula commonere.* Hæc ille. Sex tantùm in locis moneta cudebatur in Occidente, ubi quot in urbibus pecunia percutiebatur, totidem monetarum procuratores creabantur. Hic verò, ubi vel quot essent monetariæ officinæ, non apparet. Marcellinus lib. XXVIII. cap. 1. & ipse hos *procuratores* appellat: *Pari sorte*, inquit, *procurator monetæ extinctus est:* Sed lib. XXII. cap. XI. *monetæ Præpositum* vocat. Theodosius *l.* 1. *Cod. de anno. & capita.* magistratum æris, cui annuum stipendium in ære solvi pro annonis & capitatione jubet. Solidos autem cudebant, quorum sex faciebant unciam auri, & 72. libram, *l. quoties. C. de suscept. & arcar.* Sed hic non ab re fuerit aliquam aurei argentique numismatis percutiendi rationem aperuisse. Et ut ab auro incipiamus, constat ejus libram in uncias XII. divisam fuisse, & aureos pondo sextæ partis unciæ auri Valentiniano imperante percussos. Itaque sex solidi seu aurei unciam auri faciebant, & LXXII. libram, *l. quoties. C. de suscept. & arca.* & ob id aureus quandoque *sextula* vocatur à Græcis numisma dicta: Constantinus verò septem solidos quaternorum scrupulorum unciæ pondo esse jussit, *d. l.* 1. *C. Theod. de ponde. & auri illatio.* Inventum postea est numisma duorum, quatuor, sex, & decem aureorum, & Heliogabalus bilibres centum aureos pendentes numos percussit, quos Alexander conflavit. Lampridius in *Alexandro: Formas binarias, ternarias, quaternarias, & denarias etiam, atque amplius usque ad bilibres, & centenarias, quas Heliogabalus invenerat, resolvi præcepit, neque in usu cujusquam versari: atque ex eo his materiæ nomen inditum est.* Ita etiam appellant Constantinus, *l.* 1. *de ponderato. & auri illat.* & Valentinianus, *l. ult. C. Th. eod. tit.* Addit Lampridius Alexandrum semisses, & tremisses invenisse, id est, dimidium aurei, & trientem propter eos, qui pro vectigali eas aurei partes solvere cogebantur. Hi postea semper percussi & in usu fuere. Arcadius *l.* 3. *C. de milit. veste. Fortissimis*, inquit, *militibus non binos tremisses pro singulis chlamydibus, sed solidos aureos præstari præcipimus.* Ejusdem tremissis & Anastasius meminit *in l. jubemus* 2. *C. de erogat. milit. an.*

Libra quoque argenti est pondus minæ continens drachmas centum, denarios LXXXIV. Plin. lib. XXI. c. ult. quæ & ipsa in uncias XII. dividitur, uncia in duos

duos ſtateres, ſeu duas ſemiuncias, ſtater in duos ſiclos, ut ſiclus ſit quarta unciæ, qui duas drachmas continet, itaque drachma eſt octava unciæ, nam octo drachmæ faciunt unciam. Epiphan. *de ponder. & menſ.* D. Hier. *in c.* IV. *Ezechiel.* Joſeph. lib. III. *Antiq.* cap. IX. Quare ſinguli aurei duas argenti uncias æquabant, & ſex aurei ſeu uncia aurei libram argenti, quod & Plato in *Hipparcho* in fine tradit: & id Valentiniano imperante obſervabatur, *l. quoties. C. de ſuſceptor.* Arcadius verò aurum coarctavit, voluitque quinque ſolidos argenti libram æquare, *l.* 1. *C. de argenti pretio.* ſi Codex non eſt mendoſus, & pro *quinque* non eſt legendum *ſex*, plerumque enim in notis numerorum error committitur: Uncia verò argenti reſpondet X. libris æris, & XX. libræ æris aureo, *l.* 1. *C. de collat. æris.* Hæc ratio olim in officinis monetariis obſervabatur, quæ & hodie eſt in uſu. Quot verò formæ monetæ cuderentur, nimis longum eſſet referre, cum pro temporum varietate diverſas formas acceperint. Antiquitus *nota aſſis ærei fuit ab una parte Janus geminus, ab altera roſtrum navis*, Plin. lib. XXXIII. cap. III. Denarius argenteus ab uno latere caput mulieris armatæ habebat, cum hac nota X. quæ ſignificabat illum eſſe denarium, qui olim decem aſſes valebat, etſi poſtea auctus eſt ad XVI. Ab adverſa parte plurimum biga, aut quadriga erat impreſſa. Sextertius, parvus numus his literis imprimebatur IIS. quæ denotabant eum aſſibus duobus cum dimidio permutari. Victoriatus habebat victoriam impreſſam mulierem alatam manibus coronam tollentem cum litera V. quæ ſignificabat quinque aſſibus cum olim æſtimatum fuiſſe. Hæ florente Republica Romana monetæ percutiebantur. ſub Imperatoribus, eorum vultus ab una parte imprimebatur, *l.* 1. *C. Th. de ponde. & aur. illat. l.* 1. *& ult. C. de vet. numiſm. poteſt.* Conſtantinus in averſa parte crucem percuſſit, *Triper.* lib. I. c. IX. quæ illi ab Angelo demonſtrata victoriam contra Maxentium dedit. eadem in aureis nummis Valentiniani, qui ſunt apud me, cernitur querna corona redimita, cui pila eſt infixa. Id civicam coronam ſanctiſſimæ cruci convenire ſignificat, quæ non unum civem, ſed totum orbem ſervavit. idem ſignum percuſſit Arcadius cum literis α, & ω, quæ principium omnium, & finem eſſe illum, qui crucifixus eſt, portendit. Poſt Notitiam, ubi de numiſmatis agitur, quædam notæ impreſſæ apparent, quæ ibi declarabuntur. Hic pauca attigiſſe ſit ſatis. Monetas cudentes & ipſi erant huic arti cum uxoribus & liberis obnoxii, *d. l.* 1. *l. edicimus, l. ult. C. de murileg.* Nec illis quiſquam ſine probatoria, id eſt, Principis comprobatione poterat aggregari, *l. ult. Græca. C. eod. tit.* Auctor eſt Suidas, Aureliano imperante à monetariis monetas adulterantibus Fœliciſſimum monetarum procuratorem occiſum, & grave bellum motum, quod vix extingui potuit. Idem Aurel. Victor, Vopiſcus in *Aureliano.* & Eutropius. Ad fabricandam monetam provinciales carbones conferre cogebantur, *l. maxim. C. de exc. mune.*

PROCURATOR VICESIMÆ hæreditatum olim in omnibus provinciis fuit, unde magnus fiſco reditus proveniebat, & pluribus in marmoribus legitur, procurator XX. H. id eſt, *procurator viceſimæ hæreditatis*, & in hac T. CLAUDIO. T. F. GERMANO CURATORI TRIUMPHI FELICISSIMI GERMANICI SECUNDI IMP. CÆS. FL. DOMITIANI AUGUSTI EXORNATO SACERDOTI SPLENDIDISSIMO PONT. MINOR. PROC. XX. HÆR. UMBRIÆ, TUSCIÆ, PICENI, BURT. CALABR. ET APULIÆ Hem. M. F. CL. PRISCO SACERDOTI TITIALI. PR. INTER CIVES ET PEREGRINOS TR. PL. QUÆSTORI PROC. AUG. XX. HÆRED. & in alio marmore Firmii in Piceno, & ſæpè alibi. Aliquando hi *procuratores hæreditatum* vocabantur, ad quos Antoninus Caracalla ſcribit *in l.* 1. *C. de uſur. rei judic.* ut harum hæreditatum uſuras debitas exigant. ſolebant verò viceſimæ reditus plurimum locari publicanis, Plin. lib. VII. epiſt. XIV. *A publicanis partem viceſimam emiſti.* Hoc vectigal Auguſtus ad alendas XXV. legiones inſtituit, tanquam hoc faciendum inveniſſet in commentariis C. Julii Cæſaris, quo quiſque hæres, qui defuncto valde propinquus non fuiſſet, & hæreditas nimis tenuis non eſſet, viceſimam ſolvere cogebatur, ut auctor eſt Dion lib. LV. & id lege Papia introduxit. Tantique hic proventus eſt habitus, ut duos libros ad legem viceſimam hæreditatis Æmilius Macer compoſuerit, quemadmodum ex diverſis Pandectarum locis in ejus legum inſcriptionibus apparet, *in l.* 13. *nulli, de tranſ. in l.* 37. *funeris, de relig. l.* 68. *computationi, ad leg. Falc. l.* 154. *mille paſſus, de verbor. ſignificat.* Antea etiam primus A. Ofilius in hanc legem ſcripſerat, ut Pomponius refert *in l.* 2. *§. ex his auditorib. de orig. jur.* Nerva & Trajanus in quibuſdam hoc onus arctarunt, quod in Panegyrico Plinius commendat, & alias de ea leges Marcus Antoninus tulit, ut auctor eſt Capitolinus. Demum Gratianus hanc viceſimam penitus ſuſtulit, quemadmodum Auſonius in *Gratiarum actione* ad eum refert. Quare Juſtinianus eam ante ſublatam fuiſſe tradit *in l. ultim. in princ. C. de edict. Div. Adr. tol.* Alcia. lib. *diſpunct.* III. c. VI. itaque nulla hujus procuratoris hic mentio habetur, cum tamen hæc ſcire ad aliquarum legum Notitiam conducat, prætermittenda non eſſe duxi.

PRÆPOSITI BASTAGARUM eidem Comiti parebant, *C. de murilegulis & baſtagariis.* Baſtaga eſt onus transferendi res publicas aut Principis, *l.* 3. *C. de cohortalib.* à quo nemo tempore expeditionis, nec domus Imperialis, nec eccleſia excuſari poterat, *l.* 2. *C. de quib. mun. vel præſtatio. nem. lib. ſe excuſare, l. antepen. C. de curſu publ.* Pro modo verò jugerum, quæ habebat quiſque onerabatur, *l.* 1. *C. quib. mune. vel præſtat. nem. ſe lic. excu.* Onus publicum vocatur, *l.* 1. *C. ne quid oneri pub. impo.* quod Phavorinus βάρ☉ interpretatur. Unde Baſtagarii erant, qui equis aut mulis res publicas ad præſcripta cujuſque provinciæ loca deducebant, *l.* 4. *l. æternam, C. de murilegul.* nec id munus niſi elapſo tempore ſibi definito deſerere poterant, *d. l. æternam.* Erant & milites qui eas præſidii cauſa comitabantur. Nam in Occidente legio III. Italica, ſub Duce Rhetiæ tranſvectioni ſpecierum erat deputata, ut in eo Notitia refert, quæ baſtagam, *tranſvectionem ſpecierum* appellat. In primis verò navicularii frumentum quotannis Alexandriam, & Conſtantinopolim deferre tenebantur, *l.* 4. *C. de navic.* quod erat DCCC. myriadum artabarum, ſeu medimnorum Atticorum; ita interpretor edictum 13. 14. *cap.* 8. Juſtiniani. Hæc tranſvectio *pia embola* vocabatur, *l. jubemus nullam, C. de ſacroſanct. eccleſ. quæ eadem eſt l. ult. Græca. C. de navic.* Deferebant & veſtes Principis, ſericum, purpuram, byſſum, margaritas, lapillos, gemmas, & alias ſpecies Indicas, vel Arabicas, *ut l. ult. §. ſpecies, ff. de publ.* arma, annonam, & cætera militibus neceſſaria, *l. ult. §. tyronum ff. de muner. & honor.* quæ baſtagæ Præpoſitus ad loca præſcripta deferri curabat. Aliqui privilegio ab hac functione erant immunes, prout Syriæ cohortales, *dict. l. de cohorta. C. de murilegulis, & gynæciariis lib.* 11. Dicta eſt autem *baſtaga*, à βαςάζω, quod eſt *porto*. Alii *baſtagma* rectius dici putant: Neceſſitas tranſvehendi angaria dicebatur, de qua ſupra in curſu publico eſt dictum. Baſtagas indicebat Tertiocerius officii Comitis Largitionum, & ſin-

singulæ singulos habebant Præpositos. In Occidente A
quatuor recensentur singulis annis bastagæ, quæ in Orientem tendebant. Aliæ quatuor, quæ in Occidentem: etsi ibi codex est mendosus.

Vltimi sub eodem recensentur PROCVRATORES LINIFICIORVM, lympharii, *l. si quis*, *C. de murileg.* vel linifices vocati, & differunt à Magistris lineæ vestis, qui linum ipsum pecti, mundari, excolique & in vestes converti faciebant. Hi rude linum procurabant, & potius linteæ non lineæ vestis Magistri sunt appellandi, ut vocat Theodosius, *in dict. l. privata.* Qui hanc artem exercebant ab ea, neque ipsi, neque uxores, neque libe- B
ri poterant eximi: conditionales enim erant, *d. l. si quis.*

Quot essent hi Procuratores non exprimitur. In Occidente duo erant, unus Viennæ in Galliis, alius Ravennæ in Italia. Erant igitur Comites VI. Largitionum per Diœceses: Alii V. iisdem in provinciis ob diversas merces emendas & metalla. Plures thesaurorum præfecti. Rationalis unus Ægypti. Plures lineæ vestis, & privatæ Procuratores. Magistri plures & Procuratores, qui operibus faciendis instabant, & plures diversis Bastagis Præpositi, qui omnes Comiti Largitionum parebant. Nunc ejus officium, quod ex Scriniariis constabat, est explicandum. Hi prædictorum rationes, & acta C
scribebant.

OFFICIVM SCRINIORVM XI. COMITIS LARGITIONVM.

Primicerius totius officii.

- *Secundocerius officii, & Primicerius Exceptorum perfectissimus ordinis secundi, sub quo,*
  - *Ducenarii secundi.*
    - *Tertiocerius officii bastagas tradit.*
    - *Quartocerius officii libellos tractat.* D
  - *Centenarius, Primicerius instrumentorum perfect. ordin. secundi.*
  - *Epistolares perfectiss.* II.
  - *Forma prima perfectiss.* XXXVI.
  - *Forma secunda perfect.* IV.
  - *Forma tertia perfect.* III.
- *Primicerius Numerariorum perfectiss. ordin. tertii, sub quo,*
  - *Ducenarius perfect. ordin. tertii.* I. E
  - *Centenarii perfectiss.* II.
  - *Epistolares perfectiss.* II.
  - *Forma prima perfectiss.* III.
  - *Forma secunda perfectiss.* I.
  - *Forma tertia perfectiss.* II.
- *Primicerius Tabulariorum perfect. ord. tertii, idem Centenarius Exceptor.*
  - *Ducenarius perfectiss.* I.
  - *Centenarius perfectiss.* I.
  - *Epistolares perfectiss.* I.
  - *Forma prima perfectiss.* III.
  - *Forma secunda perfect.* V.
- *Primicerius canonum perfect. ord. tertii.*
  - *Ducenarius perfectiss.* I. F
  - *Centenarius perfectiss.* I.
  - *Epistolares perfectiss.* II.
  - *Forma prima perfectiss.* IV.
  - *Forma secunda perfectiss.* IV.
- *Ducenarius Mittendariorum perfectiss. ordin. tertii.*
  - *Centenarii perfectiss.* II.
  - *Epistolares perfectiss.* VIII.
  - *Forma prima perfectiss.* VI.
  - *Forma secunda perfect.* XXXIII.
- *Primicerius perfect. ordin. tertii.*
  - *Aurea massa, in qua,*
    - *Secundocerius perfectiss.* I.
    - *Ducenarii perfectiss.* II.
    - *Centenarii perfectiss.* VI.
    - *Epistolares perfectiss.* IV.
  - *Præfecti aurificum specierum.*
    - *Præfectus perfectiss.* I.
    - *Ducenarii perfectiss.* IV.
    - *Centenarii perfectiss.* VI.
    - *Epistolares perfectiss.* VIII.
    - *Forma prima perfectiss.* XVII.
    - *Forma secunda perfectiss.* IV.
  - *Aurificum solidorum.*
    - *Duccnarius perfectiss.* I.
    - *Centenarii perfectiss.* VIII.
    - *Epistolares perfectiss.* VI.
    - *Forma prima perfectiss.* IX.
    - *Forma secunda perfectiss.* XXX.
  - *Sculptorum, & aliorum aurificum perfectiss.*
    - *Centenarius perfectiss.* I.
    - *Epistolares perfectiss.* V.
    - *Forma prima perfectiss.* VI.
    - *Forma secunda perfect.* XXIII.
- *Primicerius scrinii auri ad responsum perfectis. ord. primi.*
  - *Secundo & Tertiocerii perfectiss. ord. secundi,* II.
  - *Ducenarius perfectiss.* I.
  - *Centenarii perfectiss.* II.
  - *Epistolares perfectiss.* III.
  - *Forma prima perfectiss.* IV.
  - *Forma secunda perfect.* II.
  - *Forma tertia perfectiss.* I.
- *Primicerius scrinii a Miliarensibus perfectissimus.*
  - *Ducenarius perfectiss.* I.
  - *Forma prima perfectiss.* I.
  - *Forma secunda perfect.* II.
  - *Forma tertia perfectiss.* III.
- *Primicerius scrinii perfectiss. ordinis tertii.*
  - *Vestis*
    - *Secundocerius ordinis secundi* I.
    - *Ducenarii perfectiss.* II.
    - *Centenarius perfectiss.* I.
    - *Epistolares perfectiss.* II.
    - *Forma prima perfectiss.* VII.
    - *Forma secunda perfect.* X.
    - *Forma tertia perfect.* IV.

Officia-

Primicerius totius officii.

- *Officialium sacrarum vestium.*
  - *Ducenarii perfectiss.* III.
  - *Centenarii perfectiss.* III.
  - *Epistolaris perfectiss.* I.
  - *Forma prima perfect.* XII.
  - *Forma secunda perfect.* X.
  - *Forma tertia perfect.* VIII.
- *Deputatorum sacræ vestis.*
  - *Perfectiss. ord. secundi* II.
  - *Ducenarii perfectiss.* II.
  - *Centenarii perfectiss.* II.
  - *Epistolares perfectiss.* II.
  - *Forma prima perfectiss.* II.
- *Primicerius scrinii ab argento perfectiss. ord. secundi.*
  - *Epistolaris perfectiss.* I.
  - *Forma prima perfectiss.* VI.
  - *Forma secunda perfect.* III.
  - *Forma tertia perfectiss.* I.
- *Primicerius scrinii perfectiss. ordin. secundi.*
  - *A pecuniis.*
    - *Forma prima perfectiss.* I.
    - *Forma secunda perfect.* II.
    - *Forma tertia perfect.* V.
  - *Argentariorum Comitatensium.*
    - *Ducenarius perfectiss.* I.
    - *Centenarii perfectiss.* II.
    - *Epistolares perfectiss.* III.
    - *Forma prima perfectiss.* VIII.
    - *Forma secunda perfect.* XXV.
  - *Barbaricariorum.*
    - *Centenarius* I.
    - *Epistolares* V.
    - *Forma prima perfectiss.* VIII.
    - *Forma secunda perfectiss.* I.

CAP. LXXVI.

DE OFFICIO COMITIS

Sacrarum Largitionum Orientis.

DECEM scrinia Comes Largitionum in officio habebat, quorum scribæ, *militia literata* vocabatur, *l. proximos, C. de prox. sacr. scr.* Nihil enim aliud erant scrinia, quam plutei in quibus libri condebantur, *l. omnium. C. de test. l. 2. & 3. C. de proxi. sacr. scrin.* inquit Suidas in verb. *σκρινιάριος*. & Scriniarii sunt Chartularii, chartas tractantes. Vniverso officio Primicerius præerat, E hunc sequebantur alii tres, ejusdem officii præcipui, Secundocerius, idemque scrinii exceptorum Primicerius, & Tertiocerius qui bastagas, & Quartocerius qui libellos tractabat, *l. 7. de pala. sac. largi.* Singula quoque x. scrinia suos Primicerios habebant. Primus erat scrinii canonum, qui F chartas ad illud scrinium pertinentes curabat. Alii erant Tabulariorum, Numerariorum, Auræ Massæ, Auri ad responsum, Vestiarii sacri, Scrinii argenti, Amiralensis, quem Gratianus *in dict. l. 7.* ad Trifolium Comitem Largitionum, hujus officii scriniorum primates recensens omittit,

A & pro eo Miliarensium ponit. Erat & scrinium pecuniarum, & exceptorum, cujus Primicerius, ut dixi, erat officii Secundocerius, Primicerius totius officii: & tres x. scriniorum primi Tribunorum prætorianorum militum dignitate honestabantur, ut Principem salutare & sacram ejus purpuram adorare possent, *l. pen. & ultim. C. de palat. sac. larg.* ita statuit Theodosius, *dict. l. penult.* apud quem mendosè legitur, *tres Primicerii* scriniorum, pro, *tres primi.* Emendanda quoque est Notitia, dum addit: *Habet quarto loco libellos tractat, & cæteros palatinos officii suprascripti, Comes Largitionum, quoties usus exegerit:* quæ verba nihil significant: B Legendum est itaque: *Habet Quartocerium officii, qui libellos tractat, & cæteros palatinos officii suprascripti (Comitis sacrarum Largitionum, quoties usus exegerit.* Sæpè etenim preces porrigebantur ob stipendia, vel munificentiam Principis executioni mandandam, quibus intervenire Comitem oportebat. Aliud scrinium, huic officio, Gratianus A. addidit, *in d. l. 7.* Mittendariorum, quibus pro Primicerio præficit Ducenarium, sed fortè apud eum hujus officii scrinia sunt diminuta, Aurificum quoque, Sculptorum, & aliorum opificum, Officialium sacrarum vestium, argentariorum, & Barbaricariorum scrinia in eodem officio, cum suis Præfe- C ctis reperiebantur. Hi *Palatini* vocantur, quia in Principis palatio degebant, *C. de palat. sac. lar. l. 1. & ferè toto tit.* Unde & hoc officium *Palatinum* Honorius appellat, *in l. 2. C. de canon. largit. tit. & l. 3. C. de palat. sacr largit.* à sordidisque muneribus & tyronum præstatione immunes plus minus cccc. hujus officii viros facit, ac perfectissimi dignitate honestat, *in d. l. 7.* de singulis ergo hujus officii scriniis est dicendum, ac primum de Scrinio Canonum, ut ordinem Notitiæ sequar, etsi Gratianus A. alium servet, *in d. l. 7.*

D

CAP. LXXVII.

DE SCRINIO CANONVM.

CANONEM regulam dici notissimum est, inde effectum, ut certa pensio alicui prædio imposita *Canon* vocetur, *l. 1. C. de præd. Tamiac.* quemadmodum id quod ab emphyteuta domino solvitur, *l. ult. §. sin autem, C. de jure emphyteutico. & in Authent. qui rem. C. de sacros. Eccles.* Et *Canonicum* dicitur, quod solitum est fieri. qua ratione & *Canonica illatio* tributum vocatur, quæ quotannis pendi consuevit, *l. placet, C. de sacrosanct. Eccles.* sic & Canon Largitionum est auri quantitas, quæ earum E arcæ singulis annis ex provinciis inferri solet, quam postea ad varios usus Princeps destinabat. Quælibet verò provincia suum Canonem, id est, indictam à Principe pecuniam pendebat: sic Justinianus, *in edict. 4. §. 1.* ex Canone Phœniciæ x. libras auri singulis annis Primicerio Notariorum solvi jubet. Exactæ enim ex vectigalibus, & tributis pecuniæ, Præfectus Prætorio partem ipse in provinciis retinebat, ut magistratibus eorumque officialibus & aliis salaria penderet, *Novell. 128. §. 1.* Arcæ quoque Largitionum, certam auri quantitatem inferri curabat, quæ *canon* vocabatur, quia ex more à provinciis exigi, & ad Largitionum arcam mitti con- F sueverat, Leo A. *in l. ult. C. de Can. largit. tit. Si delegatio,* inquit, *quæ ab amplissima præfectura in diversas provincias ex more quotannis emittitur, minus contineat omnes Largitionales titulos, nihilominus competentem exactionem procurari præcipimus.* Hæc ille. Vocat *delegationem* scripturam P. P. quæ etsi minus contineat, quàm Largitionalibus titulis de-

 beatu,

beatur, nihilominus consuetam quantitatem vult solvi: Largitionibus enim destinata, uniformis fuisse videtur; quæ verò io provinciis à P.P. impendebantur, vix certa esse poterant. Justinianus A. *in Novell.* 128. *Sancimus*, ait, *dispositiones functionum in auditorio cujusque Diœceseos Præfectorum actis intervenientibus manifestari, & quid ex his in arcam inferri, & quid in unaquaque provincia expendi oportet.* Hæc ille. Forma autem hæc observabatur. Præsides provinciarum singulo quadrimestri, exactam ex subditis sibi civitatibus pecuniam, Largitionibus destinatam, in tutum provinciæ oppidum, ad hoc electum, ad Thesaurensium Præfectum mittebant, ac Numerarii seu tabularii, & alii exactores obsignatis litteris, missam quantitatem notabant: Inde à Præfectis thesaurorum ad Comitem Largitionum mittebatur, & Principi tradebatur. Gratianus A. *in l.* 1. *C. de canone largit. tit.* *Omnem*, inquit, *summam auri, vel argenti, & reliquarum specierum, quæ sacris Largitionibus ex more penduntur, statim ut exactio fuerit celebrata, ad thesauros uniuscujusque provinciæ referri, sub obligatione tabularii, & Thesaurensium Præpositis consignari præcipimus, ut exinde ad sacrum Comitatum integer omnium titulorum numerus dirigatur:* Hæc ille. Tabularius verò, cujus meminit, est Numerarius, qui tributorum ac vectigalium ad Largitiones spectantium rationes scribebat, *l.* 2. *C. de num.* Hujus scrioii homines *canonicarii* vocabantur, qui in codicibus pensiones ex provinciis Largitionibus debitas notabant, an integrè essent solutæ, quæ ex indictionibus, superindictis, vectigalibus, tributis, ac militari veste debebantur. Hi sunt, qui *tituli* appellantur. Canonem quoque vestium, ad Largitiones spectasse Valentinianus indicat *in l.* 1. *C. de milit. veste.* *Omnem*, inquit, *Canonem vestium ex Kalendis Septembris usque ad Kalendas Apriles nostris Largitionibus tradi præcipimus.* Conferebatur autem pro singulis xxx. jugeribus, aut xx. pro locorum consuetudine, singula vestis, *l.* 2. *C. de milit. veste.* aut pro singula veste, aureus militibus solvendus, *l.* 3. *C. eodem. tit.* Ex sex enim partibus vestium, quæ à Gynæciariis texebantur, quinque dignioribus militibus in auro dabantur, id est, singulis singuli aurei. Sexta pars in specie, id est, ipsæ vestes gregariis, seu tyronibus tradebantur, *l. ult. C. eod. tit.* quorum curam Comitem Largitionum habuisse, Jura ad eum scripta indicant, *d. l.* 3. *C. de milit. veste.*

Ex Mittendariorum verò scrinio, unus in singulas provincias mittebatur, qui vestes & alia debita, Largitionibus solvi compelleret, *l. ult. C. de exactorib. tribut.*

Hujus scrinii Primicerius erat perfectissimus tertii ordinis: Ducenarius item unus, ejusque dignitatem habebat, qui cc. militibus præfuisset. Centenarius item unus, qui Centurioni honore æquabatur. Epistolares duo, formæ primæ seu primi gradus quatuor, formæ secundæ item quatuor, quibus omnibus annonæ ex publico dabantur, *dict. l.* 7. *C. de palat. sacr. larg.* Credo hos post Centenarios fuisse loco Biarchorum, Circitorum, & eorum qui equites in aliis officiis vocabantur. Sextus hujus scrinii ad baphia Phœnicis oundinas purpuræ prohibiorus mittebatur, *l. ult. C. de vestib. holoser.* Epistolares verò erant, qui ob exigendum Canonem, jussu Comitis, in diversas provincias, ad Præsides, Præfectos, Vicariosque scribebant.

CAP. LXXVIII.

DE SCRINIO TABVLARIORVM.

SECVNDVM ejusdem officii scrinium erat Tabulariorum, id est, eorum, qui instrumenta seu cautiones, receptæ solutæve pecuniæ scribebant. Tabularius enim is dicitur, *l.* 3. *C. de tabul.* & Tabularium locus, in quo tabulæ conservantur, *l. si mihi.* 92. *ff. de legat.* 3. In scrinio exceptorum Centenarius dictus hujus scrioii erat Primicerius, *l. scrinius.* §. 3. *C. de palat. sacr. largit.* quod tabulariorum seu instrumentorum appellabatur. Aliàs tabularii sunt, qui rationes scribunt. Ulpianus *in l. ult. in fi. ff. si mensor. falsum mod. dixerit.* *Ego*, ioquit, *adversus tabularium puto actiones dandas, qui in computatione fefellit:* Et *in l.* 1. §. *Iudi. ff. de var. & extraord. cognitionib.* calculatoribus, sive tabulariis, jus dicere Præses debebat. Tabularios vero hujus officii, eos fuisse puto, qui solutæ pecuniæ instrumenta scribebant, apochasque accipientium in scrinio servabant, quod idem erat scrinium securitatum apud Comitem rerum privatarum: Porro, multi scrinio tabulariorum inserviebant, quibus præerat Primicerius ordinis tertii perfectissimus, post quem Centenarius similiter perfectissimi titulo gaudebat. Item Epistolaris unus, nempe ex illorum numero, qui epistolas ob causas prædictas scribebant. Formæ item primæ viri tres, & secundæ viri quinque ejusdem ordinis erant perfectissimi, *l.* 7. *C. de palat. sacr. larg.* & prout digniores erant, plures annonas habebant.

CAP. LXXIX.

DE SCRINIO NVMERARIORVM.

NUMERARIOS eos esse diximus, qui rationes numerando supputant. D. Augustinus lib. 11. *de lib. arbit.* *Multos*, inquit, *novi Numerarios, aut numeratores, vel, si quo alio nomine vocandi sunt, qui bene, & mirabiliter computant.* Bini in singulis provinciis Numerarii esse consueverunt, tabularii dicti, *l. duos. C. de susceptorib. & arcar. l.* 2. *&* 4. *C. de Numerariis.* quorum alter largitionum ratiocinia, alter ad arcam fiscalem pertinentia tractabat, *dict. l.* 4. *& d. l. duos.* Alii fuere apud Comitem largitionum Numerarii, qui pecuniæ vectigalium, & tributorum ex provinciis missæ, & impensæ, rationes scribebant. Multa enim hic Comes, Principis jussu elargiebatur, plura in emendis speciebus, ut serico, purpura, bysso, gemmis, lana, lino, & similibus impendebat, aliis stipendia aut mercedes solvebat, & alias hujusmodi impensas faciebat: ut ergo sciretur, an reliquator, an creditor permaneret, Numerarii acceptorum, expensorumque rationes tractabant. Hi, & præcedentes cum Primicerii munus explevissent, à præbendis, tyronibus, & equis immunes erant, *l. palatin. C. de palat. sacr. larg.*

Io hoc scrinio, primus est perfectissimus tertii ordinis, & ex Ducenariis unus, ex Centenariis duo: Epistolares item duo, & pauci alii, qui epistolas ob prædictas causas scribebant, aut etiam præferebant. Salvianus lib. v. *de providentia:* *Veniunt*, inquit, *plerunque novi nuncii, & novi epistolarii à summis potestatibus missi:* Hi annonas à Principe pro dignitatis gradu habebant, *d. l.* 7. *Cod. de palat. sacr. larg.*

CAP. LXXX.

DE SCRINIO AVREÆ MASSÆ.

PRÆTER memorata ſcrinia, erat & aliud Aureæ maſſæ, in quo ſcribebatur, quantum auri eſſet in maſſam conflatum. Eſt autem in maſſa aurum, quod neque factum, aut cælatum, neque ſignatum eſt. Vlpianus *in l. quæsitum, §. ult. de auro & argent. leg.* *Argentum factum*, inquit, *recte quis ita definierit, quod neque in maſſa, neque in lamina, neque in ſignato, neque in ſupellectile, neque in mundo, neque in ornamentis inſit. Eſt enim aurum infectum.* Idem Vlpianus *in l. cum avia. §. infecti. ff. eod. tit.* *Infecti*, ait, *argenti appellatio rudem materiam continet:* id eſt, non factam, qualis in Comitis largitionum inſignibus repræſentatur. In maſſam autem aurum conflabant, ut minus diſſipari poſſet, & inde aurei cuderentur, vaſa aurea, torques, monilia, & ſimilia, ad uſum Auguſtæ & Principis fierent. In hoc ergo ſcrinio ſcribebatur, quantum auri in maſſam eſſet converſum, quantum inde ad ſpecies aureas fabricandas, & cudendos aureos exemptum. Itaque Gratianus hujus officii ſcrinia recenſens, *in d. l. 7. C. de palat. ſacr. larg.* quatuor hominum ordines in hoc ſcrinio ſtatuit. Primum illorum, qui auri in maſſam redacti rationes ſcribebant, quorum Primicerius maſſæ erat perfectiſſimus tertii ordinis. Ejuſdem dignitatis erat & Secundocerius. Ex Ducenariis verò duo, id eſt, Tertiocerius, & Quartocerius. Ex Centenariis ſex. Ex Epiſtolaribus quatuor, qui ob prædictas cauſas epiſtolas ad Præſides ſcribebant, quantum auri in provinciis in maſſam redactum, quantum in ballucis à metallariis penſum eſſet, & ad largitiones miſſum, *l. 1. C. de met.*

Secundus hujus ſcrinii ordo erat Aurificum ſpecierum, qui ex maſſa aurum in fila deducebant, vel alio modo elaborabant, ad veſtes Principi, & Auguſtæ texendas, murenulaſve, aut reticula conficienda, & ſimilia, quorum rationes in hoc ſcrinio notabantur, in quo nullus ex his erat Primicerius, ſicut nec in duobus ſequentibus ordinibus: omnes enim ſuberant Primicerio ſcrinii maſſæ, ex quorum antiquioribus unus tertii ordinis erat perfectiſſimus & Ducenarii quatuor, Centenarii ſex, Epiſtolares octo, formæ primæ ſeptendecim, formæ ſecundæ quatuor.

Tertius hujus ſcrinii ordo à Gratiano ſtatuitur ſolidorum aurificum, qui ex maſſa aureos ſolidos, ſignatos ſcribebant, quot aurei, & cujus formæ quotidie percuterentur. Hi quoque cum Primicerio carerent, ex eorum Ducenariis primus erat tertii ordinis perfectiſſimus, Centenarii octo, Epiſtolares ſex, formæ primæ novem, formæ ſecundæ triginta.

Quartus ordo hujus ſcrinii erat ſculptorum, & cæterorum aurificum, id eſt, eorum qui vaſa aurea ex ſolido auro cælabant, torques, annulos, armillas, clavos & ſimilia fabricabant, in quibus ars ſculpendi verſabatur, quorum rationes in hoc ſcrinio ſcribebantur, videlicet ſingulorum numerorum forma & pondus. Hinc oſtenditur uſus auri in maſſam verſi. Hi quoque Primicerio carebant: ſed primus ex eorum Centenariis erat perfectiſſimus ordinis tertii. Epiſtolares quinque, formæ I. ſex, formæ II. doccm & octo, *l. ſcriniis, Cod. de palat. ſacr. larg.*

CAP. LXXXI.

DE SCRINIO AVRI *ad reſponſum.*

RESPONSA tempore poſteriorum Principum tam eorum, quam Præfectorum mandata dicebantur. Procopius lib. 1. *de bello Vandalico.* *Beliſarius*, inquit, *quendam ex his, qui equo celeriter invecti regia perferunt reſponſa, quoſque veredarios appellant, cepit.* Qui cum locum Latinè interpretatus eſt, vertit *literas*: ſed Græcè ſcriptum eſt *ἀποκρίσεις* id eſt, *reſponſa.* Zoſimus lib. 1. *Erat*, inquit, *quidam in aula nomine Eros ab Imperatore ad efferenda foras reſponſa deſtinatus.* Hinc *ad reſponſum* vocabantur, qui ad milites deſtinabantur, ut Magiſtrorum juſſa exequerentur, *l. ultim. Cod. de re milit. Novel. 24. cap. 4. Novell. 25. cap. 1. Novell. 26. c. 1. 2 Novel. 28. cap. 3.* Hic quoque *aurum ad reſponſum* dicitur, quod deſtinatum eſt ad perferenda in provincias per veredos mandata Principis. Poteſt etiam hic aurum intelligi, quod ad reſponſum pro annonis dabatur, id eſt, reſponſalibus, qui à Præfectis militum ad exercitus mittebantur, ut eorum injurias audirent, & Magiſtrorum juſſa exequerentur, *d. l. ult.* erant enim velut eorum vicarii. Sic Juſtinianus *in edict. 8. §. 1.* Vicarium Ponticæ prius abolitum ita reſtituit, ut militibus præeſſet, & eos tanquam vices magiſtrorum gerens, etiam ipſis inconſultis puniret, & apud illos locum magiſtrorum ad reſponſum teneret, per quos milites compeſcerentur, & in officio continerentur. Eodem modo Gregorius narrat ſe ad reſponſum ſerviviſſe Conſtantinopoli pro Pontifice Romano, & ipſe factus Summus Pontifex Reſponſales Conſtantinopoli apud Imperatorem habuit. Græci *Apocriſarios* vocant, vulgo *nuncii* dicuntur. In hoc ergo ſcrinio rationes auri, quod dabatur his Reſponſalibus pro annonis ſcribebantur. Exemplar Maſſeorum habet *Primicerium auros ad reſponſum*, ſubaudiendum eſſet, *maſſæ.* Hujus ſcrinii Primicerius, Secundocerius, & Tertiocerius erant perfectiſſimi ordinis primi. Item Ducenarius unus, Centenarii duo, Epiſtolares tres. Formæ primæ quatuor, ſecundæ duo, tertiæ formæ unus, qui omnes annonis à Principe datis fruebantur, *d. l. in ſcriniis. C. de palat. ſacr. largit.*

CAP. LXXXII.

DE SCRINIO VESTIARII SACRI.

IN hoc ſcrinio tres ordines ſcribarum Gratianus ſtatuit, *in dict. l. 7. C. de palat. ſacr. larg.* Primum eorum, qui veſtium curam habebant, quod generaliter de omnibus veſtibus poteſt intelligi, etiam de his quæ pro militibus aulicis, & aliis parabantur. Inter alia enim, quæ pluribus Princeps elargiebatur, erat veſtis, quam militibus dabat.

Harum veſtium rationes proprium ſcrinium habebat, quot ſcilicet veſtes eſſent à ſubditis collatæ, quot ad Comitis manus perveniſſent, quot militibus traditæ, vel ſolidi pro ipſis erogati; & quot in ſpecie ipſa militibus Gregariis exhibitæ eſſent, & quantum veſtium in Principis uſum paratum, quid pro ipſis impenſum. Hujus ſcrinii Primicerius perfectiſſimus ordinis ſecundi appellabatur, ſimiliter Secundocerius: ita enim credo emendandam legem Gratiani *in d. l. ſcriniis. C. de pal.*

pal. ſacr. largit. quæ velle videbatur, Primicerium eſſe perfectiſſimum ordinis tertii, & Secundocerium ſecundi, quod eſſet abſurdum. Ducenarius ſimiliter unus erat ordinis tertii perfectiſſimus, & Centenarius unus, Epiſtolares duo. Formæ primæ Scriniarii ſeptem. Formæ ſecundæ Scriniarii decem. Formæ tertiæ quatuor. Hujus ordinis Notitia non meminit, quem ſub canonum ſcrinio contineri puto.

Alter ordo in hoc ſcrinio à Gratiano ſtatuitur, officialium ſacrarum veſtium, id eſt, eorum qui ſacras veſtes Principis, & Auguſtæ tractabant, eas videlicet, quæ quotidie veſtiario inferebantur, quot togæ, pallia, tunicæ, & aliæ hujuſmodi, cujus materiæ, an holoſericæ, ſubſericæ, auratæ, vel paragaudæ, vel purpureæ, janthinæ, coccineæ, hiſginæ, melineæ, coracinæve eſſent, *l. ſi cui lana. §. quæſitum. ff. de leg.* 3.

Veſtes, quibus Princeps induebatur, graphicè Corippus Africanus deſcribit ſequenti carmine, loquens de inauguratione Juſtini Minoris:

Egreditur, tunicaque prius induitur artus
Aurata ſe veſte tegens.
Purpurea pura reſonans fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis.
Parthica campano dederant quæ tergora fuco,
Sanguineis prælata roſis, laudata rubore,
Lectaque pro ſacris tactu molliſſima plantis,
Auguſtis ſolis hoc cultu competit uti.
Nobilibus gemmis, & cocto lucidus auro
Baltheus effulgens, lumbos præcinxit heriles,
Subſtrictoque ſinu veſtis divina pependit.
Poplite fuſa tenus, pretioſo candida limbo,
Cæſareos humeros ardenti murice texit
Circumfuſa chlamys, rutilo quæ ornata metallo
Principis exerta vincebat lumina dextra,
Aurea juncturas morſu perſtrinxit adunco
Fibula, & à ſummis gemma nituere catenis.

Hæ veſtes, Auguſto imperante, ab uno ex ſervis aut libertis tractabantur, quemadmodum & argentum, ut monet hæc inſcriptio:

OSSA VIBIÆ SVCCESSÆ LIVIÆ AVG. SER. AB ARCENTO POTORIO ITEM A VESTE L. VIRIVS ARG. SER. PAMPHILVS SCRIBA LIB. ET A BIBLIOTHECA LATINA APOLLINIS CONIVGI FIDELISSIMÆ ET PIISSIMÆ. B. D. S. M.

id eſt, bene de ſe meritæ. Vibia ſerva Liviæ præfecta erat argento potorio & veſti. vir ſervus & ipſe ſcriba erat librorum. Tempore verò poſteriorum Principum veſtes Comiti ſacri veſtiarii (ita in Occidente appellatur) ſunt commiſſæ. In ſcrinio verò earum numerus, qualitas, & ſpecies notabantur, & quæ conſumerentur, aut donarentur.

Ex officio diſcedens Comes veſtiarii vel ſacræ veſtis *d. l. unica. C. T. qui à præb. tyron.* ſucceſſori, vel hominibus ſcrinii veſtes earumque numerum eodem modo aſſignare tenebatur. & eas ſcriniarii iterum in codicem referre.

Hujus tantum ordinis Notitia meminit, non ſuperioris, quem ſub canonum ſcrinio ſupra poſui.

Ex his Ducenarii tres ſunt perfectiſſimi ordinis ſecundi, & tres Centenarii, Epiſtolares duo. Formæ primæ duodecim, formæ ſecundæ decem, formæ tertiæ, octo.

Tertius ordo in hoc ſcrinio à Gratiano ponitur, ſacræ veſtis deputatorum, quos Scriniariorum miniſtros fuiſſe puto, excipientes quæ ab illis dictabantur aut in chartas relata deſcribebant, & codicibus inſerebant. Leo enim A. in libello *de bellico apparatu*: *Qui*, inquit, *apud veteres deputati dicebantur, nunc ſcribæ appellantur.* Horum Primicerius & Secundocerius erant perfectiſſimi ordinis ſecundi, & duo Ducenarii, totidem Centenarii, & Epiſtolares. Formæ verò primæ numero tres: his omnibus annonæ à Principe exhibebantur. In Septimo, quod Conſtantinopolis ſuburbium erat, veſtes Principis reponi ſolitas eſſe Cedrenus ſentit, cum orto incendio in Septimo Veſtiarios coronam Juſtiniani Imperatoris amiſiſſe ſcribit, quæ poſt menſes octo, cum parva margarita, & omnibus gemmis inventa fuit. Alia ibidem precioſa & digna cuſtodiri conſervabantur: Conſtantinus enim Porphyrogenneta *de Thematibus* ſcribit, in ſacro Arcadii Imperatoris veſtiario argenti à minſuria ſculpta aſſervata fuiſſe, quæ vero hæc eſſent, non ſatis conſtat. Fortè codex eſt corruptus.

CAP. LXXXIII.

DE SCRINIO AB ARGENTO.

ARGENTI nomine omne aurum tam factum, quàm infectum, vel in maſſa continetur, ſed ſignatum, ſeu pecunia numerata non comprehenditur. Vlpianus *in l. cum aurum & in l. Quintus & in prin. de au. & arg. legat.* *Cum argentum*, inquit, *legatum eſt, quicquid argenti relictum ſit legato continetur, ſive factum, ſive infectum, pecuniam autem ſignatam placet eo legato contineri.* hic verò omnia vaſa argentea, quæ in Principis uſu erant, ſignificari puto, quæ Comitis largitionum ſtudio comparata, ſub ejus cura erant, proprioque in ſcrinio ſingula vaſa potoria, eſcaria, coquinaria, & alia ſcribebantur, quæ ad uſum Principis quotidie fiebant, vel alienabantur, aut collidebantur. Quæ verò in Principis miniſterio erant Caſtrenſi aſſignabantur, & ille officio decedens, hujus ſcrinii Primicerio, quæ acceperat, ſingula repræſentabat: Mirumque erat cernere, quo ordine auri, veſtium, ſupellectilis, argenti, & pecuniæ in diverſis ſcriniis diſtinctæ, rationes tenerentur, ut in promptu omnium numerus poſſet inveniri.

Alexander Imperator, inquit Lampridius, *ducentarum librarum argenti pondus in miniſterio nunquam exceſſit:* alii verò Principes longè pretioſiorem habuere ſupellectilem. Nam Heliogabalus *onus ventris auro excepit: in myrrhinis, & onychinis minxit:* ut idem Lampridius in *eodem*.

Hujus ſcrinii Primicerius erat perfectiſſimus ſecundi ordinis, Epiſtolaris item unus, qui in provinciis vaſa cælari, & ad aulam perferri curabant, formæ primæ ſex, formæ ſecundæ tres, formæ tertiæ unus.

CAP. LXXXIV.

DE SCRINIO ANNVLARENSI *vel Miliarenſi.*

MAGNAM annulorum copiam Principem habuiſſe oportebat, cui proprium dicatum erat annulorum ſcrinium, in quo eorum numerus, ſpecies & qualitates ſcriberentur: ſed mendoſum eſſe codicem opinor, & pro *ſcrinio annularenſi*, reponendum *miliarenſi*, quemadmodum legitur in officio Comitis largitionum Occidentis. Gratianus quoque A. *in d. l. ſcrinii, C. de palat. ſacr. larg.* ad

Tri-

Trifolium Com. Larg. scribens, inter hujus Comitis officia quæ ordine recenset, scrinium miliarensium seu miliaresiorum ponit, nullam annulorum mentionem faciens. *Erat autem miliaresium*, inquit Suidas, *moneta argentea valens decimam partem aurei*. Cedrenus verò in *Leone Conone*, seu *Iconomacho*, miliaresium duo ceracia sive folles XXIV. valuisse innuit, quæ esset summa unius oboli, seu duorum solidorum Italiæ: Hunc argenteum, & minutum nummum fuisse Novella Justiniani 105. *§. pen.* testatur. Metaphrastes *in D. Jona.* scribit, reliquias seu ossa D. Barachisii, D. miliaresiis Daricis, & tribus vestibus sericis redempta fuisse. Vnde & Persicus nummus esse videtur & à Dario *Daricus* dictus. Ejus Æthius, Epiphanius *de mensuris atque ponderib.* & alii meminerunt, qui à militia miliaresium dictum putant, quasi militare donativum. Cum verò frequentissimus hujus monetæ usus esset, plurima in officinis monetariis cudebatur, & ob id proprium ejus scrinium fuit institutum, in quo notabatur hujus percussæ pecuniæ quantitas, quæ præcipuè militibus solvebatur. Cedrenus: *Miliaresia*, inquit, *a militia sunt dicta. Scipio enim imminente Annibale ob auri penuriam miliaresia fabricavit, & militibus solvit.* Hæc ille, cujus auctoritati etsi non semper defero, quæ tamen de his scribit omittere nolui. Cum igitur id genus pecuniæ inprimis militibus daretur, præcipuam ejus signandæ curam Comes Largitionum habuit, cujus rei gratia monetæ procuratores in diversis provinciis tenuit. Massæorum codex legit *Primicerium scrinii antiliatensis*, quem mendosum esse non dubito, cum nullum sensum hæc dictio posset habere. Hujus scrinii Primicerius erat ordinis primi perfectissimus. Ducenarius item unus, formæ primæ unus, formæ secundæ duo, formæ tertiæ unus, *d. l. scrinius, 7. C. de palat. sacr. larg.* sequitur scrinium aliarum pecuniarum.

CAP. LXXXV.

DE SCRINIO A PECVNIIS.

DIVERSIS in locis hic Comes aliam pecuniam percuti curabat, cujus gratia plures monetarum procuratores instituebat, & proprium à pecuniis scrinium habebat, in quo pecuniarum diversis in officinis monetariis percussarum, rationes scribebantur, quantum auri, & argenti singulis locis illatum, & quantum signatum fuisset. Quot in locis in Oriente pecunia cuderetur non apparet: in Occidente tantum Romæ, & quinque aliis in locis percutiebatur. Gratianus *d. l. scrinius*, in Notitia, ubi hujus officii scrinia recenset, ei Comitatenses, Argentarios & Barbaricarios aggregat: Intelligi possunt argentarii qui pecuniam permutabant, aut Vascularii qui vasa argentea in Comitatu, id est, aula Principis fabricabant: Hi enim ita in Jure appellantur. Jabolenus *in l. pen. de aur. & arg. legat.* *Vascularius*, inquit, *aut faber argentarius uxori legavit*: Scævola *in l. ult. de oblig. & actionib.* *Procurator Seii misit subscriptionem ad argentarium Vascularium.* Quemadmodum enim in scrinio aureæ massæ erant aurifices, sic in hoc argentarii vasa argentea fabricantes reperiebantur.

Barbaricarii verò sunt, qui argentea vasa auro exornant, inquit Donatus, *in XI. Æneid.* & illi barbarica ornamenta addunt, hanc interpretationem confirmat Notitia in Occidente tres Argentariorum seu Barbaricariorum in Galliis præfectos statuens, quos quasi pro iisdem ponit. Vnde hos Vascularios, non Nummularios fuisse crediderim. Ex argentariorum Ducenariis unus erat perfectissimus ordinis secundi. Ex Centenariis duo, Epistolares tres, formæ primæ octo, formæ secundæ XXV. Ex Barbaricariis Centenarii duo, Epistolares quinque, formæ primæ octo, formæ secundæ unus, *d. l. scrinius*. In hoc scrinio Primicerius ordinis secundi perfectissimi titulo honestabatur, post quem formæ primæ unus, formæ secundæ duo, formæ tertiæ quinque, omnes à Principe annonas percipiebant, *d. l. scrinius. §. scrinii à pecun.*

CAP. LXXXVI.

DE SCRINIO EXCEPTORVM.

HVIUS scrinii Primicerius, totius officii erat Secundocerius, inquit Notitia. Exceptores acta causarum scribebant, quas Comes judicabat, *l. in sacr. C. de prox. sacr. scrin.* Primicerium Ducenarii duo sequebantur, quorum primus hujus scrinii Tertiocerius; secundus erat Quartocerius, nullus enim in eo Secundocerius reperiebatur, ne suo Primicerio, qui totius officii Secundocerius erat, æquari videretur. Tertium locum habebant Centenarii, quorum primus Primicerius instrumentorum dicebatur; cum enim hoc scrinium litigantium acta exciperet, erant in eo qui transactiones & conventiones inter eos factas instrumentis demandabant, & contractus cum Comite, largitionum causa, initos scribebant.

Erant & Epistolares, qui epistolas ad hoc scrinium pertinentes in provincias ad Magistratus dirigebant, ut dicta testium mitterent, vel acta, aut instrumenta si quæ desiderabantur.

Ex prædictis Primicerius, Tertio & Quartocerius, item Primicerius instrumentorum, duo Epistolares erant perfectissimi ordinis secundi. Formæ primæ viri XXXVI. formæ secundæ quatuor, formæ tertiæ tres, *d. l. scrinius.* Septimus ex hoc scrinio mittebatur ad baphia Phœniciæ, provisurus ne purpura in nundinis venderetur, & ad privatos transferretur, *l. ult. C. de vestib. holob.*

CAP. LXXXVII.

DE SCRINIO MITTENDARIORVM

Tertiocerio, & Quartocerio largitionum.

ALIVD hujus officii scrinium Mittendariorum, hic à Notitia, & in Occidente omissum, Gratianus A. in sua Notitia recenset, *in d. l. scrin. 7.* Ex Palatinorum numero, alii in palatio res largitionum curabant, inquit Glossarium, multi in provincias mittebantur, ut integra tributa, & quæ reliqua erant ex vectigalibus exigerent: Honorius A. *in l. 2. C. de can. larg. tit.* *Neque sacrarum*, inquit, *vel privatarum largitionum palatina officia, ex quacunque causa fiscalis debiti, cum ad provinciam mittuntur, possessores per se audeant convenire, sive id ex præterito reliquum trahatur, seu præsentis temporis tributa solvi conveniat: sed rectores provinciarum frequenter adeundo commoneant, eorumque officiis incumbant.* Hæc ille. Cum verò plures ob hanc causam mitterentur, statuit Anastasius unum tantum in singulas provincias mittendum, *l. ultim. Græca. C. de exactori. trib.* *Ne exactorum*, inquit, *multitudo, cùm fisci rationibus, tum collatoribus damnum afferat, unus tantum in singulas provincias ex competenti scrinio canonicarius mittatur, qui eorum, quæ proprio scrinio debentur exactionem*

nem urgeat. Hæc ille. Nullus in hoc ſcrinio à Gratiano Primicerius nominatur, *in d. l. ſcrin. 7.* Sed ex Ducenariis provectior erat pro Primicerio. Cingulum ut milites gerebant, ternique quotannis Ducenarii dimittebantur, & Centenarii, quot dimitti expedire videbatur. Gratianus A. *in l. placuit. C. eod. tit. de palat. ſacr. larg. Placuit,* inquit, *justa & omnibus Mittendariis Palatinis profutura ſuggeſtio, ut ex iiſdem ſingulis annis Ducenarii terni, & Centenarii habito proviſionis intuitu, cingulo liberentur.* De Mittendariis aliter ſcribit Græcus Interpres, quem citat Alciatus *in tit. de palat. ſacr. largition. Palatini,* inquit, *communi nomine dicuntur omnes habitantes in palatio. Alii quidem in domo ſemper Auguſti perſeverantes, qui Comitatenſes dicuntur. Comitatum autem appellant locum, in quo vitam ducebat Imperator: Qui verò in provincias mittebantur, dicuntur Mittendarii a mittendo nuncia.* Hæc ille. Ex prædictis Ducenariis unus erat perfectiſſimus, ut credo tertii ordinis, licet vitio ſcriptoris in lege Gratiani hoc non exprimatur, *in d. l. ſcriniis 7.* ſed in proximè præcedentibus, ita erat ſtatutum. Eundem gradum habebant Centenarii duo, Epiſtolares octo, qui per Mittendarios epiſtolas pro tributis exigendis ſcribebant. Primæ formæ VII. Formæ ſecundæ XXXIII. Hoc ſcrinium fortè cum Canonum ſcrinio Notitiæ tempore continebatur, quæ hujus officii tantum ſcrinia X. recenſet. Gratianus verò XI.

Præter ſupra memoratos, Tertiocerius totius officii Baſtagas tractabat, id eſt, eas ad futura itinera indicebat, res tranſvehendas & tranſvectas, earumque ſpecies, quantitatem & qualitatem, ut frumenti Conſtantinopolim devehendi, & publicas ſpecies tranſvehendas in actis ſcribebat. In diverſis enim Orientis regionibus erant corpora ſeu collegia nautarum, *l. 1. §. 1. ff. quod cujus univ. no. l. penultim. §. 2. 3. & ultim. ff. de jur. immun.* quorum quique per vices onera publica ferre cogebantur, *l. 1. 2. & 4. C. de naucler.* qui navem duorum millium modiorum capacem habuiſſent, propter quod incommodum à muneribus civilibus immunes erant, & à tributis liberi, *l. penult. §. negociatores, & ſeq. & ultim. ff. de jur. immun.* & quandoque mercedulam philici nomine accipiebant, *l. 4. C. de navi.* In mediterraneis quoque jumenta & plauſtra habentes eidem oneri erant obnoxii, *l. nemo, & ſeq. C. de curſ. publ.* quæ *angaria* vocabatur, de qua ſupra dixi. Hæ erant Baſtagæ, quas Tertiocerius hujus officii indicebat, earumque rationes notabat. Euntes autem Baſtagas, ut tutiores eſſent, pars alicujus legionis ſolebat comitari, quemadmodum in Occidente in Duce Rhetiæ dicetur. Baſtagas tranſlationes Honorius appellat, *in l. placeo, C. de ſacroſ. Eccle. l. 1. C. de quib. munerib. vel præſtatio.* Theodoſius minor publicarum ſpecierum tranſvectionem, & fœlicem embolam, *in l. jubemus, 1. C. eod. titu. de ſacroſanct. Eccleſ.* ita vulgo hoc vocabulum interpretantur, ſed fortè expeditionem ad bellum ſignificat, prout idem Theodoſius videtur interpretari, *in l. neminem, quæ eſt l. ſeq. C. eod. tit.*

Quartocerius verò officii, libellos tractabat, qui Comiti Largitionum porrigebantur, puta illorum, qui ſalaria, vel donata à Principe petebant, reſponſa quoque notabat, & cum oblatis Principi precibus in ſcrinio ſervabat. Itaque puto emendandam Notitiam, quæ habet *Quarto loco,* puto legendum, *Quartocerius libellos tractat ſupraſcripti officii Comitis largitionum, quoties uſus exegerit.* Omnes tamen codices, ut credo, depravati legunt, *Comes largitionum,* quæ verba cum ſequentibus codex Maſſæorum ſcripta tenet literis rubris: ſed ineptus hujus lectionis eſt ſenſus. In Occidente tota deeſt hæc clauſula, ubi nulla fit mentio Quartocerii.

CAP. LXXXVIII.

DE ILLVSTRI COMITE RERVM *privatarum divinæ domus in Oriente, & ejus inſignibus.*

PRIMVM Procurator rerum privatarum Cæſaris à Severo eſt inventus. Plurimis enim amicorum Albini, & Peſcennii Nigri, qui Imperium ſibi vendicaverant, proſcriptis, mirum in modum ditatus, eorum bonis Procuratores præfecit. Spartianus in *Severo*: *Interfectis,* inquit, *innumeris Albini partium viris, inter quos multi Principes civitatis, multæque illuſtres fœminæ fuerunt, omnium bona publicata ſunt, ærariumque auxerunt. Tum Hiſpanorum, & Gallorum proceres multi occiſi ſunt...... Tuncque primum privatarum rerum procuratio conſtituta eſt:* Hæc ille. Prius tamen Alexandriæ rationalis fuerat, ubi plures privatas rationes Princeps habebat, & auctor eſt Tacitus Julium Agricolam, qui Neronis tempore vixit, utrumque ſuum procuratores Cæſarum habuiſſe: ſed hi viceſimas hæreditatum ac bona caduca exigebant. Severus verò patrimonii procuratorem invenit, qui poſtea hæc omnia adminiſtravit. Is diverſis titulis eſt appellatus: primò *Cæſaris procurator, l. 1. ff. de offic. procur. Cæſ.* aut *curator, l. ult. eo. tit.* vel *Rationalis, l. ad fiſcum. l. cum aliquid. l. nullum, C. ubi cau. fiſcales, & in Rubr. ff. de off. procur. Cæſ. vel rationalis.* aliquando *procurator privatæ rationis, l. procurat. C. de eden.* quæ nomina etiam imperante Alexandro in uſu erant, *l. 1. C. ne fiſcus rem quam vend. & l. 2. C. de mod. multar. quæ à judic.* Sunt etiam qui eum *diſpenſatorem* à Severo appellari putent, ita enim ipſe Ruffinum vocat, *in l. 1. C. ſi adverſ. fiſcum.* Sed præfectum domus ab eo ſignificari exiſtimo, quem vulgo *majorem* domus dicunt. *Magiſter* quoque *rei privatæ* à Diocletiano nominatur, *in l. pen. C. ubi cau. ſtatus agi deb. Cauſa,* inquit, *libertinitatis, & ſervitutis in provinciis inter fiſcum, & privatos exorta, ad Rationalem vel Magiſtrum rei privatæ remittantur.* Græci *Logiſtam* appellaverunt, Latini *Rationalem ſummæ rei, l. dominicis C. ubi cau. fiſcal.* aut *domus procuratorem, dict. l. cum aliquid. C. eo. tit.* Arcadius A. *Comitem rei dominicæ* vocat, *in l. ult. C. de fund. & ſaltib. rei domin.* Nicephorus, Imperatoris domus Præfectum, & Comitem rerum privatarum, lib. X. c. XXIX. *Præterea,* inquit, *Felix, Imperialium theſaurorum curator, & Elpidius, Imperialium pecuniarum Quæſtores, publicarum alter, privatarum alter.* Is poſtea *Comes* etiam *ærarii privati* nuncupatus, *l. ult. C. de loc. prædio. civil. vel fiſc. l. 3. C. de bon. vacant. l. ultim. C. de petit. bonor. ſublat. l. 1. C. de quæſtoribus Novell. 7.* eſt illuſtris, *l. ſi quis C. ubi cauſ. fiſca. dict. l. ultim. C. de loca. præd. civil. & dict. l. ultim. C. de petit. bonor. ſublat.* univerſumque patrimonium Principis, præſertim agros in Aſia, Pontica, Cappodocia, Meſopotamia, Oſrhoëna, & per totum tractum Orientis, alibique exiſtentes curabat, *l. his quibus. l. omnes. l. penultim. C. de fund. patrimon. & toto illo tit. & ſequent. uſque ad finem lib. Novell. 20. & 30.* ſaltus etiam, emphyteuticaque prædia, colonos, greges, armenta, & hujuſmodi alia privati patrimonii

monii Principis administrabat, cujus rei gratia provinciarum Præsidibus imperabat, *l. ultim. C. de colla. fund. patrimon.* omnes denique privatas rationes in provinciis disponebat, *l. placuit, C. eod. tit.* Hoc munus solebat equestris ordinis viris demandari: Tacitus in *vita Agricolæ*, cap. IV. *Gneus*, inquit, *Julius Agricola vetere, & illustri Forojuliensium colonia ortus, utrunque avum procuratorem Cæsarum habuit, quæ Equestris nobilitas est.* Sed & liberti Principum hoc officio functi fuisse inveniuntur. Olim privatarum Procuratores antè hunc Comitem, inter servos tantum, colonosque, & adscriptitios prædiorum Principis, deque bonis ejus emphyteuticis, aut ad fiscum delatis, *l. ultim. ff. de offic. procur. Cæs. dict. l. si quis & l. ultim. C. ubi cau. fisc.* ac viris sui officii jus dicebant, *l. nullum, l. dominici. C. eodem.* quorum sententias Claudius Imperator eandem vim habere voluit, ac si ipse statuisset, idque Senatusconsulto caveri plenius quàm antea, & uberius jussit, ut Tacitus in XII. *Annal.* scribit. Tiberius verò suum Procuratorem in Asia deportavit, quia milites se comitari jubebat, & Præsidis auctoritatem sibi usurpabat. Neque enim nunc Procuratori Cæsaris aliud licebat, inquit Dion, lib. LVII. quàm Principis reditus exigere, in cæteris erat, tanquam privatus. Postquam verò dignitate Comitis hi Procuratores sunt adaucti, etiam causas incestus & sepulchrorum cognoverunt. Cassiodorus lib. VI. *Comitiva*, inquit, *privatarum, sicut nominis ipsius sentitur insonare vocabulum, per Rationales quondam Principum privatam fertur gubernasse substantiam: & quia judicis fastigium exercere non poterat inter homines, extremis conditionibus inclinatos, alios quoque titulos provida deliberatione suscepit, ne dignitas Latialis causam tantum videretur habere cum famulis: sed actibus urbanis tunc se feliciùs occupavit, postquam agrestium causas decenter amisit...... Utitur nunc dignitas liberorum causis, & legitimus Præsul veraciter habetur, quando de ingenuorum fortunis disceptare posse sentitur. Primum tibi contra nefarias libidines, & humani generis improbos appetitus, quasi parenti publico, decreta custodia est: ne quis probrosa commixtione pollueretur, dum vicino sanguini reverentiam non haberet....... Contra hos eligeris unicus, & continens inquisitor: ut dum talia probra persequeris, consequaris præconia castitatis. Defunctorum quin etiam sacram quietem æquabilia jura tua conscientiæ commiserunt: ne quis vestita marmoribus sepulchra nudaret: ne quis columnarum decorem irreligiosa temeritate præsumeret; ne quis cineres alienos, aut longinquitate temporis, aut voraci flamma absumptos, scelerata perscrutatione detegeret...... vide quæ tibi commissa sunt, castitas viventium, & securitas mortuorum. Habes quoque per provincias de perpetuo jure tributorum non minimam quantitatem. Canonicarios dirigis, Possessores admones, & cum aliis judicibus non modica jura partiris, caduca bona non sinis esse vacantia...... Proximos defunctorum nobis legaliter anteponis: quia in hoc casu Principis persona post omnes est...... Depositiva quoque pecunia, quæ longa vetustate competentes dominos amiserunt, inquisitione tua nostris applicantur ærariis.* Hæc ille. Causas incestus ad hunc Comitem pertinere innuit & Valentinianus *in l. qui contra. C. de incest. nupt.* ad Andromachum Comitem privatarum scribens, ubi de puniendis incestuosis agit. Sed & pœnam à corruptis pecunia judicibus exigebat, nempè triplum ejus quod acceperant in causis pecuniariis, in criminalibus verò

A omnia bona, quæ ob hoc crimen publicabantur, §. 2. *Novell.* 124. *seu Authent. de jud.* Quadruplum quoque aufert cohortalibus, qui immoderatas à litigantibus sportulas extorquent, *§. antep. di. Novel.* 124. Flumina item publica, quæ navigantur, sub ejus cura censeri possent, quia in Principis patrimonio à nostris interpretibus ponuntur, Ang. *in l. fluminum in princ. vers. in tex. publ. de damno inf.* Jacob. de S. Georgio *de feudis in versi. fluminibus in prin.* Cepolla, *titul. de fluminibus num. 4. ver. dicamus* 1. *& nu.* 5. Artificibus etiam Principi operantibus stipendia solvebat, ut in IV. *Variar.* de Aproniano
B Comite rerum privatarum Cassiodorus scribit. Denique familiæ Principis & Augustæ alimenta, eorumque equis pabula subministrabat. Cum verò bonis in diversis regionibus sitis sufficere non posset, plures in provinciis instituebat Rationales & Procuratores rei dominicæ vel privatæ dictos, *l. procurator, C. de edendo.* qui reditus prædiorum, & alia ad suam arcam pertinentia exigerent, ac publicata bona alienarent, aut conservarent: ipsorumque Procuratorum periculo susceptores creabantur, quibus hæc bona aut pecunia committebatur. Honorius A. *in l. super creandis. C. de jur. fisc.* ad Patricium Comitem re-
C rum privatarum: *Super creandis*, inquit, *susceptoribus periculo procuratorum rei dominicæ, dispositionem tuæ sublimitatis firmam esse præcipimus, ut quæ statuta sunt in pabulis vel sumptu familiæ ministrando, intemerata permaneant Rationalibus.* Hæc ille. Quod Comes largitionum tractabat, propriè *ærarium* dicebatur, Comitis verò privatarum arca *fiscus* vocabatur. Plinius in *Panegyrico* ad Trajanum: *Fortasse non eadem severitate fiscum, qua ærarium cohibes? imo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis. Dicitur actori atque etiam procuratori tuo in jus veni.* Hæc ille. Ulpianus *in l. 2. §. hoc interdictum, ne*
D *quid in loco public. Res fiscales*, inquit, *quasi propria & privata Principis sunt.* Itaque privatæ rationis causæ sunt, quæ fiscales & juris fisci appellantur, *c. ubi causa fiscales. de jur. fis. & ff. de advocat. fisc. si advers. fiscum.* quæ à nostris cum tributis & vectigalibus confunduntur, *l. Bar. in Rub. C. de jur. fisci. ubi Alexand. & l. ultim. C. de quadrien. præscript.* Alexander quoque Imperator privatam rationem fiscum vocat, *in l. procurat. C. de eden.* & Dion est auctor, M. Antonium omnibus remisisse, quod fisco ærariove publico debebant, & cum adversus Scythas iturus esset, cum pecuniam ex ærario à Senatu pe-
E tiisse, *non quod*, inquit, *ea non esset in Principis potestate, sed quod diceret illam, cæteraque omnia esse Senatus populique Romani.* Hactenus Dion. Gratianus etiam *in l. 4. C. de nume.* duos in provinciis Tabularios, alterum fisci, alterum largitionum constituit. Quandoque tamen ærarium pro fisco accipitur, *in l. ultim. & penultim. C. de quadr. præscript.* & magistratus, de quo agimus, Comes ærarii privati nuncupatur, *in l. ultim. C. de loca. prædio. civ. & in l. 1. C. de Quæstor.* sicut & fiscus quandoque pro arca largitionum capitur, *l. 5. C. de fid. & jur. hast. fiscal.* propriè tamen fiscus pro privata Principis ratione
F intelligitur; & Jura, quæ de fisci advocatis, & controversiis fiscalibus statuta sunt, *C. de advocat. fis. ubi cauf. fisc. si advers. fisc. de privil. fisc.* & aliis Juribus, præcipuè de rebus privatis Principis loquuntur, in quibus plus de his quàm de tributis & vectigalibus disceptari contingit. Fiscus tamen non omnes res Principis privatas signi-

ficat, neque enim ad ejus fundos extenditur, sed causas bonorum publicatorum, caducorum, ac quorundam vectigalium complectitur. Justinianus *in d. l. ulum. C. de quadr. præsc.* *Scimus*, inquit, *quæ in alienandis rebus fiscalibus observata sunt, non simili modo observari circa res, quæ à sacratissimis Imperatoribus non fiscalibus rebus, sed ex privata eorum substantia procedunt, quod satis irrationabile est. Quæ enim differentia introducitur, cum omnia Principis esse intelligantur, ex sua substantia, sive ex fiscali aliquis fuerit alienatum?* Hæc ille. In eo enim

A tantum differebant, quod diversos administratores habebant, sicut & fiscus ab ærario in alio non distabat, nisi quia in divisis arcis sub diversis Comitibus tractabant: sed revera omnia Principis erant: Quare etiam si varia ponantur, eadem tamen lance trutinantur.

Certum verò advocatorum numerum in suo foro hic Comes habebat, qui ab Anastasio impetraverunt, ut deposito patrocinandi munere, Clarissimi essent, & Comites ordinis primi, *l. 1. C. de advoc. divers. jud.*

NOTITIA.

INSIGNIA VIRI

ILLUSTRIS MAGISTRI

RERUM PRIVATARUM.



COMMENTARIUM.

INSIGNIA habebat hic Magistratus, quemadmodum sacrarum largitionum Comes, nempe *erectum librum mandatorum abaco substrato tapeto impositum*, ad sinistram est *sacri ærarii pluteus lutei coloris, claustris ferreis firmatus*, quem officii scrinia repræsentare puto, *duo lutei sacculi*, sive fisci, *fibulis in summo transfixi*, *& alii duo cærulei, sine fibulis quadrati, in angustius collum exeuntes*, qui in ventre tumentes, intus auro pleni videntur: id ex fundis privatis, & canonibus, seu conductorum pensionibus, ac bonis publicatis venditis colligebatur, *l. pen. §. ul. C. de quad. præscr.* prope *aliquot aurei* jacent, infra *luteus pluteus quadratus*

B *laminis ferreis obseratus*, & *supra claustris confixus visitur*, qui & ipse scrinia officii repræsentat, aut pecuniam in arca custoditam. Hunc juxta *duo argentea vasa aureis plena*, aurum ex bonis publicatis, aut quibusdam vectigalibus huic Comiti adsignatis exactum indicant. supra à dextro latere sunt *duo aurea olivæ folia*, quæ coronas ex aureis oleæ frondibus, militibus, qui aliquid egregium fecissent, donandas referre possunt. Constat autem Romæ ovantes & Athenis victores ea cinctos fuisse, C Plinius libr. xv. cap. iv. Hæc enim arbor nunquam folia demittens semper viret, neque ejus lignum vetustatem sentit, aut cariem: *Pluteo duo adjacent codices cærulei, quorum alter quinque bullis argenteis exornatur, alter lamina fimbriata munitus, latiore limbo circundatur.* Hi codices Rationum officii

officii repræsentant. *Alia tria oliva folia superioribus simulia* spectantur. *Plures* quoque *aurei ex sex aureis sacculis effundi* videntur, qui aureos à Principe ex privata crumena donatos insinuant. In imo *clypeorum argenteorum acervus in fastigium surgit, quorum supremus sculptam in umbone bullam* ostendit, hos virtutis merito, fortissimis militibus Princeps elargiebatur. Veteresque in his ex argento majorum vultus, ad eorum memoriam conservandam exprimebant, ut auctor est Plinius lib. XXXVI. c. 11. Hæc insignia in Comitis auditorio depicta astitisse puto, & in publicum exeunti fausta acclamantibus præconibus, *l. unica, C. de quæstor.* prælata. Hunc ita Princeps appellabat SVBLIMITAS, *l. super. C. de ju. fisc.* AVCTORITAS TVA, *in l. ult. C. ne rei domin. vel templo.* DIGNATIO, *l. 2. C. de fun. rei priva.* SINCERITAS, *l. 2. C. de priv. domus Augu.*

Alius erat Comes divinæ domus spectabilis, qui prædia in Cappadocia administrabat, *l. ult. C. ubi cau. fiscal.* de quo in Præposito sacri cubiculi est dictum. *Logotheta privatarum* imperantibus Palæologis hic Comes est appellatus, ut auctor est Sophotatus Curopalata nuper excussus; is tiaram lineam gestabat *phacolium* nuncupatam, ut scribit Suidas, Phacellum seu Phacolium ex carbaso interpretatur Niceta, quod simile est *turbantibus* Turcarum.

NOTITIA.

Sub dispositione viri illustris Comitis rerum privatarum domus divinæ.

Rationales rerum privatarum.
Bastaga privata.
Præpositi gregum & stabulorum.
Procuratores saltuum.
Officium autem suprascripti viri Illustris Comitis rerum privatarum habet.
Primicerium totius officii.
Primiscrinium beneficiorum.
Primiscrinium canonum.
Primiscrinium securitatum.
Primicerium scrinii largitionum privatarum, & cæteros scriniarios suprascriptorum scriniorum.
Secundocerium totius officii, qui tractat chartas ipsius officii, & cæteros Palatinos. *Vetus codex addit*, Quoties usus exegerit, *ut supra in Comite largitionum in fine.*

COMMENTARIVM.

HIC Comes Rationales seu Procuratores in singulis provinciis, quemadmodum & Comes largitionum habebat, qui bona publicata, aut alia ratione ad fiscum pertinentia hoc ordine accipiebant.

In primis ea tenens citabatur, qui si intra XXX. dies venisset, audiebatur, cum Primicerio officii rerum privatarum, fiscique patronis solidos quatuor solvisset; nemine verò intra hoc tempus comparente, bona occupabant, salvo tamen jure possidentis, ut veniens adhuc audiretur, *l. ultim. Gratia C. de delatoribus.* Comes prius bona se fisco inferre scribebat: Deinde Rationales in provinciis ea singula describebant, & rebus Cæsaris aggregabant: hæc *incorporatio* vocabatur: Postremò titulos seu inscriptiones id significantes, vel insignia Principis prædiis imponebant. Valentinianus A. *in l. si quando. C. de bon. vacant.* ad Florentinum Comitem rerum privatarum: *Si quando*, inquit, *alicujus publicatione, aut ratione juris, aliquid rei nostræ addendum est, ritè atque solenniter per Comitem rerum privatarum, deinde per Rationales in singulis quibusque provinciis commorantes incorporatio impleatur, & diligens stylus sigillatim omnia adscribat: tituli verò quorum adjectione prædia nostris sunt consecranda substantiis, non nisi publica testificatione proponantur.* Hæc ille. Gravis verò pœna erat his, qui ea à Principe sibi donari petiissent, *l. ultim. C. de petiter. bon. subla.* Tantum denique his Rationalibus attributum est, ut causas fisci civiles dirimerent. Constantinus *in d. l. ad fiscum. C. ubi cauf. fisca.* *Ad fiscum*, ait, *pertinentes causas Rationalis decidat*, *l. ult. C. si advers. fisc.* Præsens tamen fisci advocatus esse debebat, *l. ultim. C. de advers. fisc.* Criminales verò causas hominum, & colonorum domus Augustæ Rector provinciæ coram Rationali tractabat, *l. cum aliquid C. ubi cauf. fisca.* Cum igitur hic jus redderet, officium, id est, Apparitorès, & Exceptores habebat, qui acta litigantium scribebant, quod *rationale* vocabatur officium, *l. in fiscalibus. C. de exac. tribu. l. officiales rationales. C. de epis. & cleric.* Alii chartas, id est, fiscales rationes tractabant. Gratianus *in l. penultim. C. ubi cauf. fiscal. Nullum*, inquit, *ex officio Rationalis, qui exactioni vel chartis inserviat, in aliud judicium adduci oportet, id est, a nemine ejus officiales, quàm à Rationali sunt judicandi.* His annonæ ex Principis ærario in pecunia solvebantur, *l. 5. C. de anno. & capita.* In Occidentis Notitia provinciæ distinguuntur, in quibus rerum privatarum Rationales residebant. In Oriente reticentur. Verùm Theodosius privatæ rei Rationales per Ponticam & Asianam Diœceses nominat, *in d. l. 5. C. de anno & capita.* in quibus plura prædia Principes possidere consueverant, *l. 6. C. de fun. patrimo.*

Rationales prædia quoque templorum tuebantur. Gratianus A. *in l. 4. C. de fu. rei priva. Universi*, inquit, *fundi templorum ad Rationalium rei privatæ sollicitudinem curamque pertineant: atque ab his anniversariis solutionibus postulatis, peculiari (ut semper fuit) studio defendantur:* sed loquitur, credo, de reditibus templorum Deorum Gentilium, qui jam à Christianis Principibus in fiscum fuerant delata. D. Ambrosius episto. XXX. ad Valentinianum secundum: *Miror*, inquit, *quomodo aliquibus in spem venerit, quod debeas aras diis gentium instaurare præcepto, ad usus quoque sacrificiorum profanorum præbere sumptum; quod enim jamdudum vel fisco vel arcæ est usu dicatum, de tuo magis auferre videbere, quam de suo reddere.* Id Gratianum prius statuisse innuit Symmachus inter *Epistolas D. Ambrosii* episto. XXXI. quod *in l. 5. C. de paganis.* postea Honorius confirmavit, templorum bona ecclesiis, aut aliis piis locis applicans: & ob id Jura de illis disponentia ad hunc Comitem diriguntur, *l. 2. C. ne rei domin. vel templ.* qui res fiscales, & quæ templorum fuerant, locasse videtur, *C. de locatio. prædior. civilium vel fiscal. sive templor.* non autem ecclesiæ reditus ipse administrabat.

Ad eundem Comitem Bastaga privata spectabat, illis enim qui res privatas Principis transvehebant,

hebant, imperabat, quibus duo præfuisse puto. Quemadmodum in Occidente duo erant duarum Bastagarum rei privatæ Præpositi, sic in Oriente credendum est fuisse. Præerat & hic Comes Præpositis stabulorum, gregum & armentorum, quæ plura ad sobolem procreandam Princeps habebat, *l. unic. C. de grege dominic.* inter alia sua armenta Arcadius *in d. l. unica.* celebrat equarum Hermogeniarum, & Palmatiarum sobolem, quam ab Olybrio Hermogene Cos. P. V. & P. P. Orientis & Illyrici, & Palmatio P. V. circa annum ccccxiv. *l. ult. C. Theod. de privileg. corporat. urb. Rom.* inductam fuisse puto.

Erant & Procuratores saltuum, in quos greges ad pascendum mittebantur, *l. 1. C. de pascu. publ. l. 1. Codic. de fund. & saltib. rei dominic.* Nobilis inter alios fuit Gonaticus saltus, quem postea Zeno vendi jussit, *in l. ultim. Cod. de prædi. tamiac.* Sub hoc Comite fuit & Comes sacri patrimonii, quem ab Anastasio inventum Græci in Basilicis tradunt, is peculiarem prædiorum Principis curam habebat, nec alia tangebat. Alius sub hoc Comite, *Comes stabuli* dictus, equos Principis curabat, quorum plures ex Africa, cæterisque provinciis ad usum militum adduci jubebat: sed & hi præstari desierunt, & pro illis exhausti ærarii necessitate flagitante, pecunia ab Africanis exigi cœpit, ac primò terni viceni, mox viceni, deinde xviii. & xv. pro singulis equis aurei sunt extorti. Alios binos Comes stabuli nomine sportularum accipiebat: Ex prioribus septeni singulis equitum contuberniis dabantur. Hi equi *Canonicarii*, aut *Curatitii* vocabantur, *l. 1. 2. 12. C. Theod. de equor. collat. l. 20. C. Theod. de annon. & tribut.* Comes stabuli hodie ab aliquibus is esse creditur, quem Galli *Connestabilem* appellant: sed verius is est, quem magnum Scutarium vocant, alibi *Magister stabuli* dicitur.

CAP. LXXXIX.

DE OFFICIO COMITIS RERUM *privatarum.*

APPARITORES tam Comitis rerum privatarum, quàm largitionum, non solum Palatini, quia in palatio scribebant, *in Rubrica, l. 1. & ult. C. de palat. sacr. largi. & rer. privatar. & l. 1. C. de offic. com. sacr. patrim. proscripte.* sed & Cæsariani, *l. 5. & 7. C. de jure fisci. l. pe. C. de bon.* & Privatiani seu Privati, *l. ult. C. Theo. de palat. sac. lar. l. ult. C. de rescin. vend.* & Catholiciani, *l. penul. §. ult. C. de bon. proscript.* vocabantur: ad quorum curam patrimonium Principis, & bona ad fiscum delata spectabant, *l. 1. C. de offic. com. sacr. patrim. l. si hæredum. C. de inoffic. testam.* Itaque reditus ex ejus prædiis perceptos, sumptusque in ea factos, cum distractorum pretio notabant, idem de bonis publicatis, & aliis ad fiscum pertinentibus agebant. Et ideò si vestes, aurum, vel argentum, vel mancipia ex re Principis privata veniebant, Palatini ea emere non poterant, ne ob familiaritatem, quam inter se habebant, rebus vilius distractis fiscus deciperetur. Arcadius & Honorius Nestorio Comiti rerum privatarum *in l. ult. C. de reb. ven. Vestium*, inquiunt, *auri, & argenti seu mancipiorum coëmendorum, si quando a privatis nostris ea contigerit venundari, Palatini sciant sibi copiam denegatam, pœna in eos amissionis pretii exercenda.* Minus rectè nostri ibi interpretantur *privatos* pro subditis Imperii, cùm ministros privatarum lex significet, item *Palatinos* pro Principis proceribus exponunt, qui sunt ipsi res publicas, vel privatas administrantes.

A Eorum verò officium ita se habebat. Primus omnium erat Primicerius totius officii. Deinde Secundocerius, qui ejusdem officii chartas, & cæteros Palatinos tractabat, id est, scripturas & rationes, earumque curam habebat. Quatuor verò scrinia in hoc officio fuere, beneficiorum, canonum, securitatum & largitionum privatarum. Primis tribus, totidem præerant Primiscrinii, ultimo Primicerius. Primiscrinius alibi vocatur adjutor, aliquanto minoris dignitatis, quàm Primicerius. Sed aliquando his quatuor scriniis præfecti, omnes Primicerii vocantur. Theodosius A. *in l. ult. C. Theod. de palati. sacr. largit. Privatiani*, inquit,
B *privilegia largitionalis officii consequantur, hoc est, ut tam Primicerius officii privatarum, quam alii quatuor reliquorum Primicerii scriniorum ex Consularibus inter allectos esse mereantur.* Hactenus ille. Quodlibet verò scrinium post Primiscrinium tres primates habebat. Theodosius *in l. ult. C. de palat. sacr. largi. Primicerios*, ait, *officii, tresque primates scriniorum rerum privatarum, finito tempore militiæ, inter tribunos militares Prætorianos, salvis iisdem præstitis privilegiis sacris constitutionibus, nostram clementiam adorare decernimus.*

Anno verò tantum Primicerius, aut Primiscrinii, eo officio fungi poterant, *l. ad similitudinem,*
C *C. eod. tit.* Mox in aliud transferebantur.

Primiscrinius beneficiorum scribebat res mobiles aut immobiles ex substantia Principis alicui donatas. Hæc enim nuncupabantur *beneficia*, qualia multa se ecclesiis, xenonibus, ptochotrophiis, episcopis, monachis, & aliis innumerabilibus personis donasse Justinianus A. ad Florum Comitem rerum privatarum scribit, *l. ult. §. quia igitur multa C. de quadrien. præscr.* Idem ex scrinio canonis Phœnicíæ decem libras auri annuas, Primicerio Tribunorum Notariorum dari jusserat loco alterius doni prius ipsi facti, *quod*, inquit, *beneficium nuncupatur*, *Edicto 4. cap. 1.* Sed hîc de beneficiis im-
D mobilium, aut etiam mobilium specierum, non etiam pecuniæ numeratæ intelligi censeo, hæc enim ad Primicerium largitionum spectabant: Sic beneficium postea appellatum est feudum alicui à Principe concessum. Beneficia etiam privilegia vocantur, *in l. 4. ff. de constit. princ.* veluti aquæ ducendæ, alicujus immunitatis, vel alterius rei; quorum rationes ad hoc scrinium spectabant. Hi verò, quibus Princeps aliquid elargiebatur, certam auri summam pro rerum donatarum quantitate solvere cogebantur, *l. 1. & 2. C. Theod. de collat. donat. sive relevator.* & qui prædia accipiebant egenti Principi redituum partem pendere, *l. 3. & 4. Cod. Theo.*
E *eod.* quæ omnia beneficiorum scriniarii notabant.

Beneficiarii itaque vocabantur scrinium beneficiorum tractantes, & eorum instrumenta conficientes, sed hoc nomen latius accipit Constantinus ad Taurum P. P. scribens, *in l. beneficiarii, vel officiales 4. C. de Episcop. & cleric. Beneficiarii*, inquit, *vel officiales rationales, si interversa ratione fiscali ad ecclesias putaverint transeundum, curialium retrahantur exemplo*: Sic est emendanda illa lex ex Codice Theodos. *l. 7. C. Theo. de cohor.* Sed & qui tributa, aut census fisco debitos exigebant, *Beneficiarii* appellabantur. Tertullianus in lib. *de fuga, & persecutione*: *Nescio*, ait, *dolendum an erubescendum sit, cum*
F *in matricibus beneficiariorum, & curiosorum, inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones, & lenones, Christiani quoque vectigales continentur.* Intelligit Christianos pensitasse pecuniam Beneficiariis, ne accusarentur quod essent Christiani, quemadmodum pensitabant flagitiosæ & viles personæ, ob artem quam exercebant.

Primi-

Primiſerinius canonum curam habebat penſionum, quæ pro prædiis per Ponticam & Aſianam diœceſim & in Meſopotamia, Oſrhoenaque à Principe ad longum tempus conductis, vel in emphyteuſim acceptis ſolvebantur. Hæc enim penſio, cùm certa eſſet, *canon* vocabatur, *l. 9. 10. & pen. Cod. de fund. patrimonialib. & ſaltuenſ.* qui plerumque in auro, quandoque frumento, vino, aut oleo, pendebatur. Unde *auraria* & *frumentaria* penſio vocatur à Conſtantino *in l. 2. C. de fund. patrim.* Harum rationes in hoc ſcrinio notabantur, quantum exactum, quantum ex his impenſum, quantum ad Comitem miſſum eſſet. Frumentum & aliæ ſpecies ſingulis quatuor menſibus præſtabantur, aurum toto anno, prout erat commodum, ſolvebatur, *l. 3. C. Theod. de collat. fund. patrim.*

Primiſcrinius ſecuritatum, pecuniarum ſolutarum chirographa ſervabat: Securitates enim nihil aliud ſunt quàm apochæ, quibus creditores debitam ſibi pecuniam ſolutam fuiſſe confitentur, *l. in contractib. §. ſed quoniam ſecuritatib. & §. ſeq. Cod. de non numerat. pecun. & in l. 1. 2. 3. & 4. C. de apoch. pub.* Honorius *in d. l. 1.* *Sed & aurum*, inquit, *quod ex hujuſmodi contributione redigitur, ita debet ſuſceptori aurario conſignari, ut ſecuritatibus nomen inferentes, dies, Conſul, menſis, cauſa, & ſumma comprehendatur.* Intelligit autem chirographum, quod ſuſcipiens aurum conſcribit, & ſolventi pro ejus cautione tradit. Id etiam lib. XI. *Variar.* Caſſiodorus declarat: *Merito*, ait, *teſtimonium ſolutionis, ſecuritas dicitur.* In hoc ergo ſcrinio reponebantur ſecuritates, ſeu apochæ illorum, qui à Rationalibus pecuniam accepiſſent, vel illis ſolviſſent, & eorum qui bona publicata à fiſco emiſſent. Zeno hujus ſcrinii & ejus ſecuritatum ad Æneam Comitem rerum privatarum ſcribens meminit, *in l. 2. §. ultim. C. de quadriennii praſcript.* *Jubemus*, inquit, *quoties competens ſcrinium geſtis intervenientibus, diſtractarum rerum pretia ſeſe depoſuerit ſuſcepiſſe: minime poſt hujuſmodi ſoluta pecuniæ depoſitionem, emptores quaſi non numeratis pecuniis moleſtari:* Hæc ille. Vult his ſecuritatibus ita demum fidem haberi oportere, ac ſi geſta interveniſſent, id eſt, apud acta factæ fuiſſent.

Primicerius ſcrinii largitionum privatarum pecuniarum, quas Princeps amicis donabat, rationes ſcribi curabat, & ſtipendiorum, quæ miniſtris & familiæ Principis, vel Auguſtæ pendebantur, ſiquidem largitiones pro remuneratione & ſtipendiis accipi, ſupra oſtendimus, *l. Palatinos C. de pal. ſac. larg.* Sicut ergo alter Comes publicarum erat largitionum, id eſt, ſtipendiorum militibus & publicis perſonis ſolvendorum: ita hic Comes privatarum largitionum, dona privatis à Principe data tractabat, *l. non aliter, l. ad ſimilitudinem, C. de palat. ſacr. larg.* Fortè etiam manu hujus Comitis, quotannis Kal. Januarii Comitibus conſiſtorialibus, & advocatis fiſci Prætorianis, ſtrenam Princeps largiebatur. Anaſtaſius A. *l. 4. C. de advo. diverſ. judicum.* ad Euſtachium P.P. *Jubemus*, inquit, *viros clariſſimos fiſci pro tempore patronos fori tuæ celſitudinis, ſolenni die feſtivitatis Kalendarum Januariarum, inter Spectabiles ſacri noſtri Conſiſtorii Comites divina noſtra ſerenitatis manu punctos conſequi ſolatia.* Hæc ille. Nullus ex hoc officio eſſe poterat quem Princeps propria adnotatione non probaſſet, *d. l. non aliter.* Hoc in ſcrinio memoriæ expediebatur, *l. ſcrinii, C. de diverſ. offic.* Nunc de aliis, qui poſtremi erant in ordine Illuſtrium, eſt videndum.

CAP. XC.

DE COMITE DOMESTICORUM *equitum, & domeſticorum peditum, eorumque inſignibus.*

PRÆTER Vexillationes equitum, legioneſque & auxilia peditum Palatinorum, quæ olim *Prætoriana* vocabantur, erant & quidam equites, pediteſque & ipſi *Palatini*, *Prætorianique* dicti; ſed nominatim *Protectores domeſtici* nuncupati, & à Gordiano Juniore inſtituti, quos poſteriores Principes Græci *Spatarios* vocaverunt, inquit Cedrenus: De his ita Procopius in ἀνεκδότοις: *Sunt*, inquit, *& alii in Palatio longè præſtantiores, quoniam majus ipſis ſtipendium ſolvi conſuevit, ac digniore militiæ nomine honeſtantur. Ii domeſtici & protectores vocantur, & a cura rerum bellicarum longè abſunt. In palatio enim conſcribi ſolent, ut ſit ordo, qui tantum perſonæ operam præſtet. Horum aliqui Byſantii, alii in Galatia, nonnulli aliis in locis ſtatuuntur.* Hactenus Procopius. Qui erant præſentes, ſemper Principem palatio exeuntem comitabantur, & ejus palatium cuſtodiebant, quod etſi ipſum nomen ſatis indicat, clarius tamen explicat Honorius A. *in l. devotiſſimos C. T. de domeſti. & protect.* *Devotiſſimos*, inquit, *Protectores, qui armatam militiam ſubeuntes, non ſolum defendendi corporis ſui, verum etiam protegendi lateris noſtri ſolicitudinem patiuntur, unde etiam Protectorum nomen ſortiti ſunt, ingloriоs eſſe non patimur, ſed ut devotiſſimis nuper protectoribus domeſticis, ita his quoque honorem congruum condonamus, ut præter Primicerium, decem primi eorum clariſſimatus dignitate fruantur.* Hæc ille. Ita etiam Protectores accipit & Socrates lib. I. cap. XIII. & Spartianus in *Caracalla*, quem ſcribit in ſcapham cum Protectoribus ſe recepiſſe, & veſicæ levandæ gratiâ inter Protectores ſuos equo deſcendiſſe, & occiſum fuiſſe. Capitolinus quoque in *Maximino*, ait Gordianum A. vocatum, cum Protectoribus, & falcibus laureatis Carthaginem iviſſe. D. Hieronymus ſcribit militum votum fuiſſe, ut demum Protectores fierent. Suidas & Zonaras in *Diocletiano*, equites propriè domeſticos, Protectores verò pedites dictos fuiſſe innuunt. Sed Juſtinianus domeſticos tam in equitum, quam in peditum ſcholis collocat, *l. reſtituenda, C. de advocat. diverſ. judic.* ac *Præſentales* tanquam Principi aſtantes vocat. Caſſiodorus quoque lib. I. eos commiſcet. *Domeſtica*, inquit, *partis equitum & peditum, qui noſtra aula videntur jugiter excubare.* Nec Notitia eos diſtinguit. Hi ex ſeptem ſcholis Armeniorum præſtantiſſimorum numero MMMD. electi palatium cuſtodiebant, ut ait Suidas in verbo χιλιάδεσι: *Scholarii*, inquit, *erant ter mille quingenti ad palatii cuſtodiam deputati omnium præſtantiſſimi ex Armeniis electi, quibus majus ſtipendium cæteris tribuebatur.* His duo millia Juſtinianus addidit, qui *ſupernumerarii* ſunt appellati, Suidas in verbo ὑπεραριθμός. Non tamen prædicti omnes erant domeſtici, ſed ex his eligebantur.

Altæ duæ Scutariorum ſcholæ, Diocletiano imperante, inventæ fuerunt, altera *Joviana* à Jove, altera *Herculejana* ab Hercule appellata, ut auctores ſunt Sozomenus lib. VI. & Nicephorus lib. II. cap. I. quæ Imperatorem egredientem ſemper ſequebantur, ſuoſque Tribunos habebant, Marcellinus lib. XIV. cap. X. *Infamabat*, inquit, *hac ſuſpicio Latinum Domeſticorum Comitem, & Agilonem Tribunum ſtabuli, atque Studilonem Scutariorum rectorem.* Hunc poſtea cap. XI. Tribunum appellat: *Advenit*, ait, *Studilo Scutariorum Tribunus.* Sed

has

has ſcholas duas, quæ Principem protegebant, & ſub Magiſtro officiorum erant, ab illis diverſas fuiſſe puto, quæ domeſticorum, non Joviorum dicebantur, *l. 2. & ultim. Cod. eod. titul. & l. ultim. C. ubi ſenato. vel clariſſimi.* nam ita etiam eas Zonaras in *Theophilo* vocat: *Erat vir quidam*, inquit, *ſcholarum domeſticorum notus.* Harum ſingula L. milites continebat, quibus ſenæ capitationes, id eſt, VI. equorum pabula, & plures annonæ dabantur. Julianus A. *in l. 1. C. T eo.* *Senas*, ait, *ſenum capitum domeſticis per ſingulas quaſque ſcholas quinquagenas eſſe juſſis in præſenti juxta morem debere præſtari.* *Scholæ* verò ſunt appellatæ, quia cùm non legiones, non cohortes, nec legionum auxilia eſſent, hoc nomen meruère. Hi armis cæteris ſplendidioribus utebantur. Siquidem Philo in *Flacco*, de ſtipatoribus Agrippæ regis loquens, ait: *Omnes in ſe converterat ſpectantes ſatellitium argenteis clypeis & inauratis armis nitidum.* Idem refert Corippus lib. III. *in laudem Juſtini Minoris*, qui etiam explicat, quo modo palatium cuſtodiretur, hoc carmine:

Ingens excubiis divina palatia ſervans,
Porticibus longis, porta condenſus ab ipſa
Murorum in morem lævam dextramque tegebat
Scuta ſub erectis conjungens aurea pilis
Enſe latus ſtricto, perſtrictis crura cothurnis
Aſtabant celſi pariter, pariterque nitebant
Extantes latis humeris duriſque lacertis
Et dextra lævaque acies adſtare videres.
Multaque ancipites ſplendeſcere luce bipennes.
Terribiles, ætate pares.

Et infra:

Miratur barbara pubes
Ingreſſus primos, immenſaque atria luſtrans,
Ingentes aſtare viros, ſcuta aurea cernunt,
Pilaque ſuſpiciunt alto ſplendentia ferro,
Aurea, & auratos conos, criſtaſque rubentes:
Horreſcunt lanceas, ſævaſque aſtare ſecures,
Cæteraque egregia ſpectans miracula pompa.
Et credunt aliud Romana palatia cælum.

Idem lib. IV. explicat, quo modo procedentem Principem ſtiparent, his verſibus:

Incedunt denſa mixto lictore cohortes,
Hinc armata manu dextram lævamque tuetur
Cæſarei lateris, clypeis pia terga tegebat
Ingens excubitus, protectorumque phalanges,
Fulgebant rutilo pilis ſplendentibus auro.

Quidam dixerunt Diocletianum, quando Imperator creatus eſt, Comitem domeſticorum fuiſſe. certè Ammianus Marcellinus hiſtoriarum ſui temporis ſcriptor, fuit Protector domeſticus Conſtantii Principis, quemadmodum ipſe ſcribit lib. XV. cap. V. *Jubetur*, inquit, *exire, Tribunis, & Protectoribus Domeſticis decem, ut poſtularat, ad juvandas neceſſitates publicas ſecum duxit: inter quos ego quoque eram cum Veriniano collega; reſidui omnes propinqui & familiares.* Hæc ille.

Inter domeſticos X. primi eminebant dignitate & ſtipendio cæteris præſtantes, clariſſimique vocabantur, *in l. 1. C. Theo. de præpoſitis laborum.* Poſt Comitem primus Tribunus nuncupabatur & erat Spectabilis, hunc ſequebatur Primicerius. Marcellinus lib. XVIII. cap. III. *Valentinus*, ait, *ex Primicerio Protectorum Tribunus.* Is duci militum limitaneorum honore æquabatur, *l. 3. C. de offic. mag. offic. l. 2. Cod. de domeſt. & protecto. quæ eſt l. ult. C. Th. eod.*

Primus poſt Primicerium erat Secundocerius, quo intra annum mortuo, hæredes non ſolum il-

A lius anni ſalarium percipiebant, ſed & ſequentis, quo Primicerii loco defunctus ſucceſſiſſet, *l. ult. C. eod. tit.*

Defunctorum quoque parentum domeſticorum filii locum ſubibant, & ſi ob teneram ætatem armis apti non erant, nihilominus Protectorum matriculis inſcripti quaternas annonas, id eſt, victum quatuor hominum accipiebant, *l. 2. C. Theod. eod. tit.* Præter X. primos ſequentes L. robore ac pietate præſtantes, vexillum ſalvatoris tuebantur, quod ſinguli ordine humeris portabant, Euſebius lib. II. *de vita Conſtantini* cap. VIII. & clariſſimi dignitate X. primis æquabantur, *l. 1. C. Thc. de præpoſ. labor.*

B Hi ſunt, qui *Præpoſiti laborum* vocantur, *l. 3. C. de præpo. & l. 2. C. de excuſ. muner.*

Fiſci etiam patroni binos quotannis viros offerre poterant, *C. de præpoſitis laborum, & l. 2. Cod. de excuſ. munerum.* qui in domeſticorum equitum aut peditum demortuorum locum ſuccederent: modò duo millia ſolidorum huic Comiti ſolverent, *per l. reſtituendæ C. de advoca. diverſor.* Alii qui ob merita inter domeſticos recipiebantur, quindenos ſolidos, inter Primicerium, & alios decem primos dividendos, ſolvebant: Cæteri, qui gratiâ, aut ſuffragio in hanc ſcholam admittebantur, quinquagenos, *l. 3. Cod. Theod. eod.* Protectores Principi

C ſemper aderant, cumque quotidie ſalutantes, purpuram ejus veſtem oſculabantur, hoc enim modo Imperator adorari dicebatur, *l. 3. & 4. Cod. Th. eod. & l. 1. C. eod. l. 1. C. de appar. Præf. Prat. l. 1. C. de appar. Præf. urb.* cum ejus limbum flexis genibus venerabundi deoſculabantur, *leg. 1. C. de comit. & tribun. ſchol. l. 1. C. de ſilentiar. l. 2. C. de fabricenſ.* Primus Diocletianus genua coram ſe flecti juſſit, & adorari. Eutropius: *Primus*, inquit, *regiæ conſuetudinis formam magis quam Romanæ libertatis invexit, adorarique ſe juſſit, cùm ante eum cuncti ſalutarentur*: Hæc ille. Cùm igitur quotidie domeſtici id facerent, adorare purpuram is dicebatur,

D qui inter domeſticos recipiebatur, *d. l. reſtituendæ & l. 2. C. de fabricenſ.* iidem poterant Vicariorum Præfectorum Prætorio vultum exoſculari, quod non omnibus licebat, *l. 1. C. de dom. & protect.* Unde Severus Imperator, inquit Spartianus, Leptitanum ſuum municipem, & olim contubernalem, fuſtibus cædi juſſit, quòd cùm plebejus eſſet, ſe amplexus fuiſſet, & eloqui præconem præcepit, LEGATVM POPVLI ROM. PLEBEJVS TEMERE AMPLECTI NOLI.

Erant & ſub Comitibus domeſticorum quidam, *Deputati* à Notitia & Valentiniano, *l. omnis C. Thc. eod.* appellati, qui Comitum domeſticorum publi-

E cas juſſiones exequebantur. Hi credo ſunt, qui *domeſtici miniſtri* à Caſſiodoro lib. IX. *ad Vilum*, vocantur, & Comitibus ad obeunda munera publica obſequebantur. Antea CC. ſolidos & X. annonas habuere, his Athalaricus alios L. ſolidos adjunxit. *Deputati* quoque dicti ſunt *Fabricenſium*, qui armorum curam habentes, & ipſi annonas à Principe accipiebant, *§. 1. in Auth. de armis, quæ eſt Novel.* 85.

Alii ab his diverſi erant domeſtici, à ſecretis Principis, dicti. Procopius lib. II. *de bello Perſico: Romani*, inquit, *ad ea quæ quietis ſunt, in palatio miniſtrum ſilentiariorum habebant, ſicuti domeſti-*

F *cum arcanorum Principis conſcium:* Hæc ille. Poſt Juſtinianum, Domeſticorum ſcholæ diu permanſère, quarum Præfectus poſteà *Domeſticus* eſt nuncupatus: Nam Zonaras in *Michaële, Theophili filio*, Petrinam ſcholarum Domeſticum factum fuiſſe tradit, *quia*, inquit, *Emanuel magiſter deceſſerat.* In Conſtantini quoque Leonis filio ſcribit ab ipſo Pho-

A Phocam Bardum magistrum, & Domesticum scholarum Orientalium declaratum. Idem in *Roman. puero* ait, Joannem scholarum Orientis Præfectum, & copiarum Orientalium Domesticum factum. Romanum verò Occidentis Domesticum renunciatum iri, si Nicephorum Phocam de medio sustulisset. Et in eodem *Nicepho. Phoca* scribit Stippiotam scholarum Domesticum, dum Tarsum obsidet, magnam cladem accepisse. Idem & Cedrenus. *Magnum* verò *Domesticum* postea eum vocatum fuisse Raphael Volaterranus lib. XXIX. *Sentensiar.* refert, qui ante Principem spatam ferebat.

NOTITIA.

COMES DOMESTICORUM EQVITVM, COMES DOMESTICORVM PEDITVM, ET EORVM INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione virorum Illustrium Comitum Domesticorum Equitum, & Domesticorum Peditum.

DOmestici equites.

Domestici pedites, & Deputati (*vetus codex habet*, Deputati corum.)

Comitis (Comes) Domesticorum equitum, & Comitis (Comes *vetustus codex*) Domesticorum peditum.

COMMENTARIVM.

DOMESTICORVM COMITES *abacum aulao instratum, & surrectum pro insigni gestabant,*
B *quo erectus liber sustinebatur; vultum Principis in medio sculptum more Magistrorum militum habens.* Illustres erant, *l. 1. C. de silentiar.* & Magnifici, *d. l. restituenda C. de advoc. divers. judic.* vicesque Magistri militum in suos domesticos agebant, & eos judicabant, *ut in inscript. C. de nat. ferar.*

Domestici verò equites, *in cæruleo clypeo ferrugineum globum fune circumligatum præferebant, quem sex lutea corda circumstabant: supernè* verò *duo* angeli seu *genii, Augusti & Augustæ capita se invicem respicientia, & circulo ovato inclusa, sustinebant.* In manuscriptis rectius sunt duorum Principum capita, quæ à Geniis gubernata unum orbis Im-
C perium, arcta utriusque conjunctione, constrictum prudenter regunt. Cor enim animæ sedis prudentiam significat: unde *cordati* homines prudentes vocantur.

Pedites autem domestici *in umbone cærulei clypei orbem luteum, corona item lutea, sexdecim acutissimas cuspides emittente, circumdatum ferebant;*

superne lutea tabella humanum caput ejusdem coloris continet, quod utrinque singuli angeli, sive genii sustinent. Marginem tres cingunt circuli, duo lutei, & medius cœruleus, ultimus introrsus, in superiore & inferiore parte est tesserulis æque distantibus distinctus, quarum interstitia tanta sunt, quanta eorum est latitudo. Orbem ab hoste tutum, armatumque cuspidibus contra hostes, & Dei providentia à duorum Principum angelis regi significat. Caput enim Deum, & quandoque Principem insinuat, tesserulæ firmitatem significare possunt. Alii duo circuli & ipsi Orientis Occidentisque connexitatem portendunt. In Madruciano novem corda globum cœruleum, quemadmodum in equitum insigni, cingunt.

Hæc de Illustribus, inter quos sunt tres Præfecti, duo Prætorio, & unus Urbi, sex Magistri, quinque militum, & unus officiorum, quatuor Comites largitionum, privatarum, equitum, & peditum domesticorum: unus cubiculi Præpositus, & Quæstor: Omnes sunt quindecim personæ in ordine Illustrium.

NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Primicerii sacri Cubiculi.

CAP. XCI.

DE SPECTABILI PRIMICERIO CUBICULI.

COMMENTARIUM.

EXPLICATO ordine Illustrium ad Spectabiles his proximos est veniendum; inter quos primum locum Primicerio Cubiculi in indice Notitia tribuit, etsi codex impressus contentus illum semel in dignitatum albo indicasse, amplius ejus non meminerit. Manuscripti in Occidente hæc verba tantum habent: *Sub dispositione viri Spectabilis Primicerii sacri Cubiculi:* nec aliud scriptum apparet: postea Castrensis sequitur; unde illi obsequentes Palatini, & fortè aliqua insignia desiderantur.

Is primus post Præpositum Cubiculariis præerat, qui *Decani* vocabantur, & Principis perso- A nam curabant, cum vestientes, lectos, & cubile parabant. Theodosius *in l. 2. C. de decanis. Nostræ*, inquit, *pietatis famulationibus adhærentes decanos magistri officiorum observare oportet examen.* Decani olim *Decuriones* sunt dicti: Tranquillus in *Domitiano* cap. XVII. *Saucium*, ait, Domitianum *ac repugnantem adorti sunt Clodius Cornicularius, & Saturius Decurio cubiculariorum, & vulneribus septem trucidarunt.* Is postea *Primicerius* est vocatus, quem Secundocerius, Tertiocerius, & Quartocerius sequebantur, qui & ipsi Decani ordine ad Primicerii gradum succedebant, duobusque annis tantum in eo officio morabantur, nec ultra ad illud B poterant reverti. Honorius *in l. 1. C. de decanis. Quatuor*, inquit, (Secundocerium autem, & proximos sequentes intelligit) *qui ex corpore Decanorum ad primum militiæ gradum pervenerunt, biennii spacio primiceriatus gerant officium, neque ulterius cuiquam liceat in hoc immorari, omni gratia, & ambitione cessante, post duorum annorum curricula succedant prioribus subsequentes.*

Decani hi vocabantur, quod fortè decem viri essent, vel officii nomen fuit: Nam & DCCCCL. Decani ecclesiæ Constantinopolitanæ fuerunt, *l. 4. & 9. C. de sacrosanct. eccles. Novell. 43. & 59.* qui curam humandorum defunctorum habuere: Alias C Decani sunt, qui decem viris præsunt, ait Vegetius, lib. II. cap. VIII. Primicerius autem, inquit Suidas, vocatur ordinis primus, additio illa *cerius*, nominis est productio nihil significans. Hic Primicerius privilegio gaudebat, ne ad tyronum vel equorum pretia teneretur, *l. 1. C. Theod. qui à præbit. tyr. vel equor. excus.* Cogebatur enim quælibet provincia tot tyrones & equos Principi tradere, sed propter exhausti ærarii necessitatem, horum pretium exigebatur, videlicet viceni, & alicubi triceni solidi pro equo: Alii aurei pro singulis tyronibus pendebantur, à quo onere D immunis erat Primicerius, & cæteri Cubicularii, *l. 2. C. de privileg. eor. qui in sacr. palat.* Hic & Decani sub Magistro officiorum conveniebantur, nec quum litigabant fidejussorem judicio sisti dabant, sed Primicerii fidei committebantur, ut eos sisteret, *d. l. 2. C. de decanis.* Horum exemplo in ecclesiis instituti sunt Decani, qui cæteros clericos præcedunt, *C. in capite 50. distin. c. ad hoc §. ultimo. de offic. archidiac.* Primicerius quoque in iisdem ecclesiis est institutus, qui est caput acolytharum, lectorum, & psalmistarum, *C. perlectis §. ad Primicerium. 25. distinct.* Alicubi est dignitas inter canonicos.

NO-

NOTITIA.
SUB DISPOSITIONE
VIRI SPECTABILIS CASTRENSIS, CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Castrensis.

EDAGOGIORVM.
Ministeriales Dominici.
Curæ Palatinorum.
Officium autem vir supra scriptus spectabilis Castrensis habet.
Tabularium Dominicum.
Tabularium Dominarum Augustarum.
Adjutorem.
Chartularium, & Scrinium ipsius, & cæteros Palatinos officiorum.

CAP. XCII.

DE COMITE SPECTABILI
Castrensi sacri palatii, & ejus insignibus.

COMMENTARIVM.

IMPERANTE Alexandro, & ante, unus ex libertis Augusti ejus mensæ præerat *Tricliniarcha* vocatus, ut indicat saxum Corinthi ab Alciato in opusculo *de Magistratibus* citato, quod est sequens: THEOPREPON AVG. LIB. PROC. DOMINI N. AVR. SEVERI ALEXANDRI PII FEL. AVG. PROVINCIÆ ACHAIÆ, ET EPIRI, ET THESSALIÆ, RATIONALEM PVRPVRARVM, PROC. AB EPHEMERIDE, PROC. A MANDATIS. PROC. A PRÆD. GALLICANIS. PROCVR. SALTVS DOMITIANI, TRICLINIARCHAM, PRÆPOSITVM A FIBLIS, PRÆPOSITVM A CRISTALLINIS, HOMINEM INCOMPARABILEM. TIXANDER AVG. LIB. OFFICIALIS.

Postea inventus est Comes Castrensis, quem Primicerio Notariorum index Notitiæ postponit, cum verò eorum insignia repræsentat, inter Spectabiles secundum facit: hunc ordinem ego sum secutus, quem etiam Honorius A. observat, *in l.* 1. C. *The. qui à præst. tyro. excusan.* Hic Comes Principi ministrantibus extra cubiculum in palatio præerat, qui plurimi fuere, ut Pincernæ, Cellarii, Lampadarii, & qui in mensa serviebant, quos eos esse puto qui *mensores* ab Honorio *in l.* 1. *C. de mensor.* & *mensæ ministri* à Marcellino appellantur. Idem *Castrensiani* & *Ministeriani* sunt dicti, *l.* 1. *& 2. C. de castren. & minister.* quorum nomen, imperante Alexandro, in usu fuit: Lampridius enim in *eod. Alex.* ita aulica ministeria appellat. Constantinus quoque Mygdonium, eodem modo honestare volens, *Comitem Castrensem palatii* vocat, *in l.* 1. *C. T. si pet. soc. sine hered. dec.* *Castrensiani* verò sunt dicti, vel quod in castris degere plurimum cum Principe solebant, vel quod exemplo Castrensium, quemadmodum illi in Castris Principi ministrabant, *l. contra. C. de re milit.* ita hi in palatio ipsi inserviebant. Habent enim aulici militiæ imaginem. Tertullianus *de corona milit.* *Est etiam,*

 inquit,

inquit, *alia militia regiarum familiarum, nam & castrenses appellantur.* Hæc ille. Ab his erant sejuncti, qui cubiculo serviebant, *Decani* vocati, *l.* 1. *C. de decanis*, quibus Primicerius Cubiculariorum præerat, *l.* 2. *C. d. tit.* Comes verò Castrensis cæteris.

Paucos Alexander Severus ministros habuit, & tantùm necessarios, quibus singulas olim annonas dedit, aut summum binas. Lampridius in *eod.* *Aulicum*, inquit, *ministerium in id contraxit, ut essent tot homines in singulis officiis, quot necessitas postularet: ita ut annonas, non dignitatem, acciperent, fullones, vestitores, pistores, pincernæ, omnes castrenses ministri, quemadmodum pestis illa instituerat, sed annonas singulas, vix binas.* Hæc ille: apud quem pro *pictores*, puto legendum *pistores.* Hæ annonæ postea in pecunia ipsis, & aliis Palatinis sunt solutæ, *l. annonas, C. de erog. mili. ann.* & ob id *æraria annona* dici cœpit, quia in ære dabatur, *l. his scholaribus. C. eod. tit.* Theodosius verò magnus, inventa epularum multitudine, horum ministrorum numerum adauxit, si Zosimo Christianis infesto credimus. *Hic Princeps*, inquit lib. IV. cap. XXVIII. *auctor extitit, ut tantus sumptus in mensam Imperatoris fieret, ut propter ciborum multitudinem, & in his apparandis magnificentiam, populosæ coquorum, & pocillatorum, & aliorum cohortes instituerentur.* Hæc ille. *Imperabat igitur hic Comes*, inquit Notitia, *Pædagogiis, Ministerialibus dominicis, & curæ palatiorum.* Pædagogia erant pueri, qui caligis purpureis induebantur, hodie *paggios* vocant. Marcellinus lib. XXVI. cap. VI. de Procopio tyrannidem affectante loquens: *Nusquam*, ait, *reperto paludamento, tunicâ auro distinctâ ut regius minister indutus, à calce in pubem in pædagogiani pueri speciem, purpureis opertus tegminibus pedum.*

Ministeriales verò erant varii ministri, ut Pincernæ, Discerptores, Cellarii, & hujusmodi, qui omnes in scrinio libellorum erant probandi, *l. in scriniis, C. de diver. offic.*

Domitiano imperante ministri Principis albis vestibus induebantur: Tranquillus in *Domitiano* cap. XII. *Generum*, inquit, *fratris indignè ferens albatos & ipsum ministros habere, proclamavit:* Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, *non esse bonum multorum imperium.*

Cura, fabricæ palatii præerant, marmoraque sculpi, æris statuas fundi, vel ex gypso formari, aliaque ornamenta fieri curabat, inquit Cassiodorus lib. VII. *Variar.* ejusdem consilio mœnia civitatum reficiebantur, castella fundabantur, Prætoriaque Principis fabricabantur, virgamque auream gestans Imperatorem in publicum prodeuntem præcedebat, Cassiodorus lib. VII. in *formula curiæ palatii.* & epulis cœnantis Imperatoris adesse poterat, & eum adorare, quod non omnibus permittebatur, *l.* 1. *C. de comi. scholar.* Posteriores Græci hunc *Curopalatam* appellavere. His præfectus erat Comes Castrensis, à Cassiodoro in VI. *Var. Comes patrimonii* appellatus, ab Honorio A. *Castrensis sacri palatii*, tanquam castrorum instar esset Principis palatium, ita Narsis & Scholasticus ab eodem A. vocantur, *in l.* 1. *&* 2. *C. de castr. & minister.* curabat enim ut palatium instructum esset, & Principi opportunè splendideque ministraretur, cujus locum hodie tenent, qui *Magistri*, aut *Majores domus* vocantur. Principis etiam epulas ordinabat. Cassiodorus in VI. *Variar.* in *formula Comitis patrimonii: Etsi*, inquit, *epulas nostras solicita ordinatione disponas, non solum nostro palatio clarus, sed & gentibus necesse est tradaris eximius. Legati penè ex tota Orbis parte venientes, cùm nostris cœperint interesse conviviis, ad-*

A *mirantur copiosè repertum, quod in patria sua norunt esse rarissimum, stupent etiam abundantiam unius mensæ, tantas servientium turbas posse satiare: ut judicent consumpta recrescere, unde tanta quæ probantur exire. Habent nimirum in patria sua quod loquantur, dum parentibus dicere gestiunt, quæ viderint. Sic propemodum in toto mundo celeberrimus redditur, qui providus nostris apparatibus invenitur. Adde quod tempora nostræ lætitiæ secretaria tua sunt, cum pectus redditur curis alienum, tunc tibi tribuitur suggerendi locus quando cunctis adimitur. Merito ut qui es judex tanti apparatus & epularum, delinitus cibis tibi animus concedatur:* Hæc ille. Ex

B his apparet universam Principis familiam ex cibis, qui ejus mensæ superfuerant, nutritam fuisse. Hic luxus posterioribus Principibus cœpit introduci. Augustus enim non nisi terna, aut summum sena fercula exhibebat, Tranquillus in *Augusto* cap. LXXIV. *Cœnam*, inquit, *ternis ferculis, aut cum abundantissimè senis præbebat, ut non nimio sumptu, ita summa comitate. Nam ...... aut acroamata & histriones, aut etiam triviales ex circo ludios interponebat, ac frequentissimè aretalogos: ipse cibi vulgaris fuit, secundarium panem, pisciculos minutos, caseum bubulum manu pressum, & ficos virides biferas maximè appetebat.* Alexander quoque parciores

C cœnas faciebat. Lampridius in *eod. Alex. Usus*, inquit, *convivii diurnus hic fuit. Vini ad totum diem sextarii* XXX. *panis mundi pondo* XXX. *panis sequentis ad donandum pondo* L. ...... *carnis diversæ pondo* XXX. *Erant & gallinæ ova, adhibebatur & anser diebus festis: Kal. autem Jan. & majoribus festis ...... phasianus, aliquando duo, additis gallinaceis duobus. Leporem quotidie habuit, venationem frequentem, sed eam cum amicis dividebat. ...... Pomis in secunda mensa vehementer indulsit.* Carinus verò vir nequissimus, *Centum libras avium, centum piscium mille diversæ carnis in convivio suo frequenter exhibuit: vini plurimum effudit*, ait Vo-

D piscus in *Carino.* Sic & Heliogabalus viginti & duo fercula ingentium epularum exhibebat in convivio, & nunquam cœnavit minus centum sestertiis, id est, argenti lib. XXX. aliquando tribus millibus sestertiis, ut cœnas Vitellii, & Apicii vicerit: Hæc Lampridius in *Heliog.* De Ministerianis seu Castrensianis ita Corippus lib. III. *in laudem Justini Minoris:*

Adfuit obsequio castrorum turba virorum,
Illis summa fides, & plena licentia sacris
Deservire locis, atque aurea fulcra parare,
Regales mensas epulis onerare superbis,
Conservare domum, sanctumque intrare cubile,
E *Internas munire fores, vestesque parare.*

Quidam horum ministerianorum erant gradus I. II. & III. formæ dicti, *l.* 2. *C. de castrens. & minister.* prout disponebatur à Principe, & ab eodem codicillis impetrabatur. Honorius A. *in l.* 2. *C. Th. de castrensia. Nonnulli*, inquit, *impetratis apicibus* I. *vel* II. *formæ sacri ministerii supernumerarii ordinati sunt:* & paulò infra: *in* I. *vel* II. *forma divino beneficio supernumerarii reperiuntur.* Hæc ille. Credendum autem est primæ formæ viros sequentibus plures annonas habuisse, quæ nomina & differentiæ etiam in scriniis Palatinorum reperiuntur, *l. scriniis, C. de palat. sacr. larg.* Hi omnes cum matri-

F bus & uxoribus sub Magistri officiorum ditione erant, *d. l. pen. & ult. C. de castrensia.* Migdonius ann. salut. CCCXV. Castrensis palatii Constantini fuit, *l.* 1. *C. Th. si pet. soc. sine her. decess.* & Valentiniani II. Severus, *l.* 12. *C. Th. de palat. sacr. larg.*

Officium habebat Comes, & Castrensis palatii Tabularium dominicum, id est, eum, qui rationes sum-

ſumptuum quotidianorum in epulas Principis, & aulicos factas conſcribebat. Alius ſub eodem Comite erat Tabularius Auguſtæ, qui pro ea idem curabat, adjutor verò ipſius Comitis vices gerebat, & pro eo imperabat, ut ſupra in Magiſtro officiorum eſt dictum. Habebat & Chartularium ſcrinio præfectum, qui erat loco Primicerii. Hunc credo habuiſſe inventarium aureorum, argenteorumque vaſorum, quæ erant in quotidiano uſu Principis, & Auguſtæ: mantilium, aulæorum, ſtragularum, linteorum, hujuſmodique aulicæ ſupellectilis, quorum proprium erat hoc ſcrinium. Cæteros quoque Palatinos, quibus opus erat in ſuo officio, hic Comes habebat.

Symbola horum Comitum inſignia non appellantur, ſicut nec ſequentium Spectabilium aut Clariſſimorum, ſive in Oriente, ſive in Occidente, ſed tantùm præcedentium Illuſtrium, fortè quod ea ſicut illi, in publicum prodeuntes, non præferrent, ſed in ipſorum codicillis tantùm depingerentur, aut in adjutorio detinerentur, ut quid eſſet ſui officii, admonerentur, prout erat mandatorum liber, quem ſemper propè tribunal fuiſſe diximus. Hæc tamen quod ſaltem eorum vice fungerentur inſignia ubique appello.

Inſignia ergo Comitis Caſtrenſis palatii erant illa, quæ ad ejus ſpectabant officium, quemadmodum omnium aliorum magiſtratuum, nempè *abacus cum trapezophoris purpureo tapeto inſtratus, qui librum erectum apertumque ſuſtinet.* In manuſcriptis tapetum eſt cœruleum, & liber auro tectus, ſemi apertus: propè alter codex luteus ſpectatur, qui Tabularii aut Chartularii codicem referre poteſt. Ad ſiniſtram eſt altum *armarium* ſeu repoſitorium *cæruleum imagunculis elaboratum, ſupra baſim tribus trigeſtis extructum, totidemque coronis cingitur, perſonis ſignisque ac emblematibus undique exornatum. In ſummo armarii plures lagenæ lata corona continentur.* Id cylibanthium eſſe videtur. Varro enim lib. IV. *de lingua Latina* eſt auctor Romanos menſam vinariam rotundam habuiſſe, quam *cylibanthum* nominabant, ut etiam, inquit, nunc eſt in caſtris, id videtur declinatum, ἀπὸ ὃ κύλικος, id eſt, *à calice.* Hæc ille. In medio verò eſt *aureum vas magnum*, gutturnio, vel aquiminario ſimile, *id ſupra fundum duplicem, ac perforatum orbiculum habet in ventre tumens, in longum anguſtumque collum deſinit, labro prominente*, quale eſt, quo nos ad lavandas manus utimur egregiè cælatam, & ſignis ornatam anſam habens. Infra aliud ſimile *aureum vas cum duabus anſis cernitur, ore anguſtiore, ſed rotundo, orbiculatoque operculo obturatum. In imo orbiculus inter pedem, & vaſis ventrem intercedit*, phialam eſſe arbitror, in qua vinum in ſcyphum fundendum ſervabatur. Ad dextram *aurata rotundaque menſa, ſex rectis lignis, aliiſque tranſverſis à ſummo ad imum perductis, & latis clavis ſtat confixa, supernè corona plures panes circundat. Altera* ad ſiniſtram *menſa, in hemicyclum fabricata, tribus lignis erectis, & aliis oblique compactis ſuſtinetur: in ſummo lata corona inſertis ex teſtudine vel argento orbiculis menſam exornat.* Ad hanc cœnantes tribus in hemicyclum, ſtratis lectis diſcumbebant, &, ut ait Martialis, C. Græcam literam formabant, in toroque contractis tibiis ſedentes, lateraque adverſum menſam habentes cibos ſumebant, prout multa Venetiis, & alibi, triclinia conſpiciuntur, mantilibus menſas non ſternebant, ſed nudas patinis implebant, indeque cibos ſumebant. Qui mos etiam tempore Notitiæ ex hoc inſigni retentus fuiſſe videtur. Nos ut Domini cœnam imitemur more Hebræorum ſedentes comedimus. *Menſa antiquorum*, inquit Varro lib. IV. *de lingua Latina, erat quadrata, ut etiam nunc in caſtris, poſtea rotunda facta, quod a nobis media, à Græcis μέση menſa dici poteſt.* Codices manuſcripti armario carent, ſed duas phialas utrinque anſatas, alteram majorem, minorem alteram repræſentant. Sub poſtremis Principibus Orientis Caſtrenſes, *præfecti menſæ* ſunt appellati, capitioque & veſtibus, ut Logotheta generalis, qui Comiti largitionum ſucceſſit, utebantur. Sceptri ipſius primus condilus ſeu nodus erat aureus: ſequentes alternatim nigri & aurei, ut Sophotatus Curopalata eſt auctor.

CAP. XCIII.

DE PRIMICERIO NOTARIORUM, *ejuſque inſignibus, & laterculo majore.*

NUNC de eo, qui dignitates in hoc volumine deſcriptas tractabat, eſt videndum. Olim magiſtratuum, & omnium in Imperio Romano militantium, Præfectorumque catalogum unus ex libertis Cæſaris procurator ab ephemeride & mandatis nuncupatus ſcribere, & apud ſe conſervare, illiſque mandata tradere conſueverat, quemadmodum ex marmore Corinthi ab Alciato in opuſculo *de Magiſtratibus*, & à nobis ſupra in Comite Caſtrenſi repræſentato judicavimus. Poſtea verò Notariis Tribuni titulo honeſtatis id negocium eſt commiſſum, qui cunctos à Rom. Principe ad dignitatem provectos laterculo majori inſerebant, erat hic codex, qui ipſos dignitates tam civiles, quam militares adminiſtrantes eorumque inſignia, & ſtipendia cum magiſtratus codicillis, & Principis mandatis continebat, *§. ult. Novell.* 24. *§. ult. Novell.* 25. Scholarum etiam ordines, & in numeris militantes cum eorum ſymbolis comprehendebat. Jureconſulti id *Commentarium Principis* nominant. Herennius Modeſtinus *in l. abeſſe, in fin. ff. ex quibus cauſ. major. Abeſſe*, inquit, *Republica cauſa intelligimus Tribunos militum, Præfectos, & Comites legatorum qui ad ærarium, aut in Commentarium Principis delati ſunt.* Erat autem ærarium in æde Saturni, ubi plebiſcita, & Senatuſconſulta reponebantur. Id poſtea *laterculum* dictum, Notariorum Primicerio eſt commiſſum: Mathematici enim quadratam figuram & ad aliquam altitudinem inſtar lateris ſurgentem, πλινθίον, id eſt, *laterculum*, vocant, cui hic codex ſimilis, *laterculum* eſt appellatus, ſic & lapidem quadratum architecti, & agmen Ælianus nuncupant, à quo laterculum hoc derivari Cedrenus autumat: *Qui*, inquit, *later coctus eſt ſeu πλινθίον Græcis, Laterculum à Romanis dicitur. Eſt autem hic later publicus, in quo Senatorum, & legionum nomina ſcribebantur.* Hæc ille. *l. ult. C. de primicer. l.* 61. *C. de decurion. l. hac lege, & l. ſeq. C. de metat.* Huic codici Laterculi nomen jam Antoninis imperantibus inditum fuit. Tertullianus enim, qui eo tempore vixit, *adverſus Valentinianos* loquens de animabus naturâ bonis, quas Valentinianus beatas eſſe volebat, ait: *Ex earum ergo Laterculo, & in Reges, & in ſacerdotes allegare conſueverat.* Notitia hunc librum pelle involutum oſtendit, qui in ſcrinio Laterculi nuncupato, in palatio Principis conſervabatur, Suetonius in *C. Julio Cæſare.* Juſtinus A. Tatiano Magiſtro officiorum ſcribens: *Quadrimenſtruos*, inquit, *breves ſcholarium conſcribi volumus, & eos ſacro ſcrinio Laterculi præſtari, ibi deponendos.* Ejus alia plura Jura meminerunt, *l. ult. C. de offic. mag. offi Novell.* 8. *in Notitia.* Complectitur autem cum minore Laterculo omnes ferè Notitiæ dignitates adminiſtrantes, exceptis Palatinis largitionum, & privatorum,

officiisque magistratuum, quæ ex tribus scriniis, Memoriæ, Epistolarum, & Libellorum prodibant. Hunc Codicem Primicerius Notariorum tractabat cum suis scribis, qui *Tribuni Notarii*, quòd Tribunis dignitate æquarentur, sunt appellati, *l. 1. § hoc etiam C. de offi. P. P. Afric. Novell. 17. seu in Auth. de mand. Princ. in princ. d. Novell.* 8. §. 1. *seu Auth. ut jud. sine quoque suffra. fiant.* Zosimus lib. v. c. xl. *Joannes*, inquit, *Præpositus aliquando notariis Principis, quos Tribunos vocant.* A laterculo verò *Laterculenses, d. Novel.* 8. *& Nov.* 24. *&* 25. *in fi. l.* 5. *in fin. C. qui milit. possunt. l. comperimus.* 13. *C. de prox. sacr. scrin.* & à notis, quibus plurimum scribebant, *Notarii* sunt vocati. *Candidatos* etiam dictos fuisse Cassiodorus lib 1. *Variar.* epistola iv. innuit: *Pater meus*, ait, *candidati sub Valentiniano Principe gessit Tribuni, & Notarii laudabiliter dignitatem.* Idem significat carmen Corippi lib. iii. dum ait:

Turba decanorum cursorum, in rebus agentum
Cumque Palatinis stans candida turba Tribunis.

Eos primum à Gordiano Juniore inventos fuisse Cedrenus scribit. Hi ergo provinciarum, & urbis Magistratus, cum annonis, & capitationibus ipsis debitis, Magistros militum, Legiones, Cohortes, Auxilia, Vexillationes cum earum Præfectis, & stipendiis notabant, exceptis Præpositis castrorum, & limitaneorum militum, qui ad minus Laterculum, & Memoriales pertinebant. Eorum etiam qui in decem scholis militabant, nomina in laterculo reponebant: quorum multis quotidiè decedentibus, aut discedentibus, singulis quatuor mensibus album, seu matriculas renovabant, *l. ultim. C. de offic. mag. officior.* Vndecima verò Agentium in rebus schola à Scriniariis memoriæ tractabatur, *l. ultim. §. & est Notitia. C. divers. offic.* Præter hæc dignitatis codicillos cum suis insignibus depictos, & mandatorum codices cuique magistratui exhibebant, *dict. §. ultim. Novell.* 24. *& §. ult. Novell.* 25. §. 2. *Novell.* 27. Cæterum novis quotidie creatis magistratibus, plures libros mandatorum cum codicillis in armario paratos conservabant, ut quibus opus esset, eorum tantum nominibus additis traderent. Hi sunt codices armariis inserti, quæ in medio Notitiæ inter Orientis & Occidentis dignitates spectantur, in quibus officium suum hic Primicerius repræsentare voluit. Et quia in his ex laterculo describendis plurimum laborabat, illi quisque magistratus xl. vel l. aureos, vel minus pro dignitatis magnitudine solvebat, *ut in Novell.* 8. *seu Authen. ut judic. sine quoque suffrag. fiant. l. 1. §. hoc etiam, & l. 2. in fin. C. de offic. P. P. Africa.* Imperante Justiniano Comes Orientis, & Proconsul Asiæ pro codicillis aureos l. pendebant, reliqui Spectabiles, & Consulares aureos xxiv. Correctores & Præsides xv. Adjutori Primicerii tres solvebant, ut ex Novella Justiniani viii. constat, ubi magistratus xlviii. numerantur, sed plures desunt, ut Comes Isauriæ, Prætor Paphlagoniæ, Moderator Phœniciæ Libanensis, Prætor Siciliæ, *Novell.* 23. 29. 104. *edict.* 4. & alii. Desiderantur & Præsides vii. Africæ posteà receptæ, restituti, *l.* 1. §. 2. *C. de offic. P. P. Africa.* Italiæ etiam tum à Gothis occupatæ magistratus omittuntur, sed summa, quæ ex Novella viii. & aliis colligitur, propè ad solidos m. accedit. Hæc pecunia inter Primicerium, & quatuor primos laterculi Scriniarios dividebatur, *d. Novell.* 8. in Notitia post principium, ubi pro *Scriniariis* Græcus codex mendosè legit *scrinariis*. Adjutori alii tres aurei pendebantur, quod fortè ipsi in primis describendorum codicillorum cura demandaretur, *d. Novell.* 24 in fine: *Solvet*, inquit, *Justinianus, Prætor Pisidiæ, Primicerio clarissimorum tribunorum notariorum, & laterculensibus, solid.* xxv. *ejus adjutori solid.* iii. *& §. ult. Novel. seq.* Demum ipse *in edict.* 4. §. 1. decem libras auri Primicerio Notariorum ex canone Phœniciæ quotannis solvi jussit, ne quid illi in postremum magistratus solvere cogerentur: summa hæc colligit, circiter mille quadringentos nostros aureos, quod salarium ipsi beneficii nomine erat concessum.

Hic Primicerius Spectabilis erat, Protonotarius, id est, primus notariorum à Socrate lib. vii. cap. xxiii. & Marcellino lib xxv. vocatus: biennio manebat in officio, cui succedebat Adjutor, seu Secundocerius, huic Tertiocerius, tum Quartocerius, qui secundum, tertium, & quartum in laterculo locum obtinebant, *l.* 1. *&* 2. *C. de primicer.*

Primicerius etiam Jura à Principibus condita in Senatu recitabat, ut ex lege Theodosii constat, *lib. 6. tit. 1. l. oblationem. in C. T.* Data vi. Kalend. M. Recitata in Senatu per Theodosium Primicerium Notariorum. DD. NN. THEOD. XII. & VALENTINIANO II. AA. CONSS.

Notariorum tres erant ordines, alii Tribuni, & Notarii, ut sæpè apud Marcellinum appellantur, honore Tribunis Prætorianis æquati; alii *domestici* vocabantur, quod Imperatori essent à secretis, cujus arcana scribebant. Gratianus A. eos familiares suos vocat, *in l. penult. C. T. de primic.* Cassiodorus lib. 1. *Variar.* epist. iv. ad Imperiale secretum dixit eligi. Vltimus ordo erat inferiorum Tribunorum Notariorum. Decem primi post Primicerium immunitatem ædium Constantinopoli habebant, ne hospites recipere tenerentur, *l. pen. C. de metat.* Vicariique dignitate splendebant, *l. pen. C. T. de primic. & notar.* Domestici, id est, familiares Principis, & à secretis facti Consularibus æquiparabantur, *l. 2. & 3. C. T. d. tit.* omnes à discussorum, & peræquatorum onere liberabantur, id est, ne censum scribere, vel alicujus prædia inspicere tenerentur, *d. l.* 1. *&* 2. *C. de primic.* Inter Tribunos Notarios nemo recipiebatur, qui prius egregii titulum non obtinuisset: Cassiodorus enim Senatoris pater, prius Egregius factus est, quàm candidatus Tribunus, Notariusque Valentiniani Imperatoris crearetur. Cassiodorus, loco supra cit. *Pater*, inquit, *candidati sub Valentiniano Principe gessit Tribuni Notariique laudabiliter dignitatem, qui honor tum dabatur Egregiis: cum ad Imperiale secretum tales constet eligi, in quibus reprehensionis vitium nequeat inveniri.* Hæc ille. Factus est autem ex illis Notariis, quos *domesticos* diximus vocari, & erant à secretis Principis. Cassiodorus lib. xi. cap. x. ex Primiscriniis Notarios Tribunos factos fuisse scribit. Notarii cingulo, more militum utebantur: Suidas enim scribit Auxentium Licinii Imperatoris Notarium, ab eo jussum insignem uvæ racemum incidere, & pedibus Bacchi apponere, illum, quod Christianus esset, id facere recusasse: Quare cingulo exutus, jussus est aulâ excedere: Is postea Mopsvestiæ Episcopus est factus.

Primicerius officio functus, Senatoria, & Magistri officiorum dignitate honestabatur, *d. l. 2. C. de primic.* Cassiodo. in *formula notariorum*, Proconsulique æquabatur, *l. placet. C. T. de primic.* Huic hodie comparari potest magnus Venetæ Reip. Cancellarius. Reliqui à secretis amplissimi ejus Senatus aliis Tribunis Notariis; Qui verò sunt à secretis excelsi Consilii x. Secundo, Tertio, & Quartocerio.

NO-

NOTITIA.

PRIMICERIVS NOTARIORVM CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri Spectabilis Primicerii Notariorum.

Omnis dignitatum & administrationum notitia, tàm militarium quàm civilium.

Scholas etiam & numeros tractat.

Officium autem non habet, sed adjutorem de schola Notariorum habet.

COMMENTARIVM.

OFFICIVM hic Primicerius non habet, sed adjutorem de schola suorum Notariorum accipit, cui cùm quilibet magistratus pro codicillis ternos aureos solveret, præter eos, qui Primicerio pendebantur, hoc nomine plus minus ccc. aureis capiebat.

Pro insignibus habet *librum clausum*, *dorso inscriptum*, eumque repræsentare arbitror, quem ipse Comitibus, Ducibus, aliisque magistratibus exhibebat. Habet & *fasciculum chartarum convolutarum loris constrictum*, qui codicillos magistratibus ab eo tradendos refert: infra est *laterculum*

A *majus* omnes Imperii dignitates ab eo tractatas continens. Is est *grandior codex pelle tectus, lorisque per foramina traductis constrictus*. Hæc sunt Primicerii Notariorum insignia, quæ ad eum spectantia munera indicabant. *Nota dorso libri inscripta sunt*. P. L. I. N. T. ALL. CO. M. ORD. PR. quæ ut sunt obscuræ, me diu solicitum tenuerunt; tandem ita putavi posse interpretari. *Felix liber injunctus Notarius Tribunus à laterculo continens mandata ordine Principis*, vel *Primicerii*. Exponitur quid sit, à quo expediatur, quid contineat, & unde edatur, nempe à laterculo. Hic autem non codex, qui ab aliquo ipsi detur Primicerio, sed liber est

B mandatorum, quem ipse magistratibus tradit, & ob id pro ejus insigni ponitur, ut quid ad ipsum præcipuè spectet, indicetur. Justinianus A. *in Auth. de mandatis Princ.* §. 1. *seu. Novel.* 17. *in prin.* ad Tribonianum Quæstorem palatii: *Illustres*, inquit, *auctoritas tua, eadem mandata, & in libris legum transcribi, & in sacro laterculo deponi præcipiat, quatenus ex his una cum codicillis suscipiendis, administratores, quemadmodum possint Reipub. subvenire, non ignorent:* Rursus *Novel.* 24. §. *ult. Depone in nostro sacro laterculo divina mandata jussimus.* Et *Nove.* 25. §. 2. 26. §. 1.

C Nunc ad alios Spectabiles scrinii Præfectos accedamus.

CAP.

CAP. XCIV.

DE MAGISTRIS IV. SCRINIORUM, *& eorum insignibus.*

QUATUOR sacris palatii scriniis Præpositi, ut à laterculi Præfecto discernerentur, non Primicerii, sed Magistri sunt appellati, & ideo nec Secundo, nec Tertiocerios, ut ille, sed loco eorum Proximos habebat: etsi posteriore tempore quandoque Primicerii sunt dicti, *l. ult. C. de divers. resc.* Scrinia diximus vocari pluteos, vel armaria, in quibus commentarii breves, edicta, epistolæ, libelli, aliave litteraria monumenta claudebantur: Suidas scriniarium esse dicit eum, qui scrinium sive arculam tractat, itaque cum in chartis, & scripturis hoc officium versaretur, *militia literata* vocabatur, *l. proximos. C. de prox. sacr. scri.*

Quatuor fuerunt palatii scrinia, Memoriæ, Epistolarum, Libellorum, & Dispositionum, *l. 3. & seq. C. eo.* quibus singulis suus Magister præerat, *l. unic. C. de magist. scrin. & l. ult. C. de divers. rescr.* Ab Augusto originem trahunt, qui suggerente Mœcenate propter frequentia judicia, epistolas, decreta urbium, privatorum libellos, ex equitibus ministros ad hæc munera obeunda elegit, ut lib. LII. sub finem Dion memorat. Hi postea Præfectos habuerunt, qui dignitate aucti, scriniorum Magistri sunt appellati, & Spectabiles dicti, Vicariisque honore æquati, *l. 1. C. de prox. sacr. scrin.* & ab omni onere civili seu personali cum Proximis, qui eos sequebantur, immunes facti, *l. 1. C. de mag. scri. l. eos. C. de excus. mun. l. jubemus. C. de prox. sacr. scri. l. maximorum. C. de vacat. muner.* & ferè omnes erant jurisperiti, ut Lampridius in *Alexandro* significat: *Negotia*, inquit, *& causas prius à scriniorum principibus, & doctissimis jurisperitis, & sibi fidelibus, quorum primus tunc Ulpianus fuit, tractari, ordinarique, atque ita referri ad se præcepit.* Hæc ille. Primi post magistros eorum erant adjutores, *in l. ul. C. de diver. resc.* quibus ipsi rescripta dictabant: Zeno ad Sebastianum P. P. *in d. l. ult.* *Viri*, inquit, *Spectabiles Magistri scriniorum, qui sine hac adjectione, si preces veritate nitantur, qualecunque divinum responsum dictaverint, & judices, qui susceperint, reprehensionem subibunt; & qui illicitè dictata scribere ausi fuerint, cujuscunque scrinii memoriales, seu pragmaticarii, vel adjutores primicerii, amissione cinguli feriantur.* Iidem *Proximi* sunt appellati, quòd proximum Magistro scriniorum locum tenerent, olim biennio, postea uno tantum anno in officio permanserunt, & inde exeuntes, Comites consistorii fiebant, *l. pro biennio. l. proximos. C. eo. tit.* Id verò in omnibus ferè gradibus observabatur, ne diu in officio morarentur, tum ut aliis ascendendi facultas daretur, tum ne in gradu aliquo consenescens tutius in eo delinqueret. Hos sequuntur in scrinio *Melloproximi*, id est, futuri proximi, qui exeunte proximo, ejus locum subibant, & Clarissimi cum sequentibus usque ad Exceptores vocabantur, *l. peculiari, C. eo.* Proximi adjutoris vice fungebantur, & erant loco Tertiocerii, *l. unicuique & l. penult. C. eo. tit.* cujus sequens adjutor dicebatur, *d. l. unicuique. l. comperimus. l. pen. C. eo tit.* Scriniariorum numerus erat præfixus: Nam in scrinio memoriæ LXII. viri, in aliis XXXIV. militabant, *l. hac parte, C. eod.* Ex his aliqui erant Exceptores, qui acta judiciorum, coram Principe, aut P. P. vel Quæstore scribebant, *d. l. peculiari.* Præter hos & alii scrinia tractabant *Supernumerarii* dicti, qui cum locum alicujus defuncti ordinarii subibant, ducentos quinquaginta solidos pro ingressu nomine sportularum Proximo solvebant, & alios XX. aut XV. Melloproximos, *d. l. unicuique.* qui postea ex Anastasii constitutione, in hæredes defuncti translati fuère, *l. si quis in sacris. C. eo.* Id autem generaliter observabatur, ut pro ingressu cujusque militiæ aliquid præsertim primis solveretur, *l. pen. §. ult. de leg. 3. l. antep. ff. de annu. leg. l. 6. §. 1. de decurio.* XV. cujusque scrinii primates cæteris excellentes, plures annonas aliis percipiebant, *dict. l. unicuique.* quas prius in speciebus, seu cibariis acceperunt, postea pro his pecunia à Principe est constituta, *l. annonas. C. de erog. milit. ann. l. ult. C. de inoff. test.* Scriniarii in provinciis cuncti liberas ab hospitandi onere ædes habebant, *l. in sacris. C. de prox. sac. scri.* & pro dignitatis insigni, cingulo tanquam milites utebantur, *l. ult. C. de diver. resc.* Unde Justina Valentiniani secundi mater, cum Benivolo scrinii memoriæ Magistro jussisset, ut legem scriberet, qua Arianum dogma confirmaretur, altioremque illi gradum polliceretur: ille ad Augustæ pedes cingulo projecto, nullum se pro impietatis mercede honorem accepturum respondit, Sozomenus lib. VII. c. XIII. *Tripart.* lib. IX. c. XX. Ruffin. *in D. Ambr.* sed etsi propriè memoriales erant, qui scrinium memoriæ tractabant, *d. l. ult. C. de diver. rescr. l. ul. C. de inoff. testam. l. 2. C. de privi. cor. qui in sacr. pala. milit.* alii tamen scriniarii quandoque & ipsi memoriales sunt appellati. Hos *officia palatina* D. Ambrosius vocat, epist. XXXIII. *Palatina*, inquit, *omnia officia, hoc est, memoriales, agentes in rebus temperare à processu jubentur.* Tantùm verò eos, qui primum gradum in scriniis obtinuissent, lucratos fuisse Procopius in *ἀνεκδότοις* scribit, ut centum centenaria auri quotannis excesserint. In scrinio Dispositionum nullus Magister reperitur, sed pro eo est Comes, *l. proximos. C. de prox. sacr. scri.* & ob id ubique in tractatu scriniorum, *ut C. de proxi. sacr. scri.* tria, Memoriæ, Epistolarum, & Libellorum à scrinio Dispositionum, propter diversam in his militantium formam, segregantur, *ut in d. l. peculiari, & seq. & l. comperimus. C. eo. ti.* Scriniarii sub Magistro officiorum in causis civilibus & criminalibus, eorumque parentes, liberi, & uxores, servi, adscriptitiique conveniebantur, & cum litigabant, minores cæteris sportulas solvebant. Magistrum scriniorum Alexandri Ulpianum fuisse Lampridius scribit in *Alexandro.*

NOTITIA.

MAGISTER SCRINIORVM,

CVM INSIGNIBVS.

Memoria Epistolarum, & libellorum Graecorum.



COMMENTARIVM.

PRO insignibus habent Magistri scriniorum *septem recta linea dispositos, & fibulis constrictos codices, quorum alii viridi, alii rubro corio* in mea Notitia *teguntur.* Madrucianus codices sex, tres cœruleo, totidem luteo coloribus depictos, & omnes notis inscriptos demonstrat. Referunt codices mandatorum, qui Magistris memoriæ, libellorum, & dispositionum tradebantur, habent has notas FL. INTALL. COM. ORD. PR. quas supra exposui.

B Lutei verò Magistris epistolarum traditi, his notis inscribuntur FL. VAL. MAG. EP. IVSSI. DD. id est, *Felix liber vindicandus à laterculo Magistro epistolarum, jussione divina*: Valentiniani, qui tum in Occidente imperabat, hic nomen non convenit, in Vrsini exemplari hæ notæ non apparent, sed tantùm in Notitia Occidentis. Plures spectantur mandatorum libri, quàm sint Magistri, sed tot dicis gratia ostenduntur. Sub prædictis sex ordine dispositis codicibus, *alii quatuor* visuntur, *quorum unus apertus Grecas quasdam literas*, sed obscuras *continet.* Hunc Codicem referre arbitror, cui exempla Græcarum epistolarum erant inserta. C Alii tres Codices in manuscriptis rubro tecti eos indicant, in quibus Latinæ epistolæ, rescripta, edicta, & dispositiones Principis conservabantur. Meus impressus unum ex his codicem prasino tectum ostendit; alterum rubro; in angulis & umbi-

A lico aureis bullis exornatum, quem Laterculum minus in scrinio memoriæ referre puto, *l. 1. C. de offic. Quæstor.* His *quatuor involutarum chartarum fasces intermiscentur*, qui libellos supplices, rescripta, epistolas Græcas, Latinaque edicta, seu leges significant. In imo *duæ chartæ apertæ* spectantur, *altera pura, altera his Græcis literis scripta*, ΑΣΒΑΣΙΛΕΙΑ ΕΚΘΕΣΙΣ ΚΕΦΑΛΑΙΩΝ ΠΑΡ. id est, *Imperium expositio capitum*, quæ sine adjunctis nullum sensum habent, fortè aliquam epistolam Græcam repræsentat. Manuscripti duas & ipsi chartas, unam puram, & apertam demonstrant, aliam involutam, quæ facilè vel codicillos Præfe- B cturæ scriniorum, aut aliqua ex supradictis referunt. Sed ut dilucidius hæc scrinia noscantur, de singulis sigillatim, ac primò de Memoriæ tanquam nobiliori tractabimus.

NOTITIA.

Magister Memoriæ.

Adnotationes omnes dictat, & emittit, & precibus respondet.

Magister Epistolarum.

C Legationes civitatum, consultationes, & preces tractat.

Magister Libellorum.

Cognitiones & preces tractat.

Magister Epistolarum Gracarum.

Eas Epistolas, quæ Græcè solent emitti, aut ipse dictat, aut Latinè dictas transfert in Græcum.

Officium autem de ipsis nemo habet, sed adjutores electos de Scriniis.

CAP. XCV.

DE MAGISTRO MEMORIÆ.

COMMENTARIVM.

MEMORIALIVM hanc originem Volaterranus lib XXIX. *de Magistratibus Gracorum. C. de proximis sacrorum scriniorum*, tradit, quam & ego in vetusto codice Græco legi. *Eos*, ait, *olim militum, aut aliorum nomina scripsisse, qui in bello, aut alibi, aliquid laude dignum egissent, eorumque facta Principi suggessisse, ut pro meritis pramia acciperent, & inde a rerum gestarum memoria, quam conservabant, Memoriales appellatos.* Sed hoc in usu esse desiit, aliique horum loco sunt substituti, qui in primis laterculi minoris curam habuerunt, in quo Præfecturæ, Tribunatus, & Præpositura castrorum, quæ erant in limitibus Imperii, contiocbantur, *l. 1. & 2. C. de offi. Quastor.* Eaque in scrinio memoriæ vocato reponebantur, in quo præter laterculum in aliis quoque voluminibus plurium memoria conservabatur. Theodosius *in d. l. 1. C. de offic. Quastor. Ex scrinio*, inquit, *memoria totius minoris laterculi dignitates mittantur.* Qui laterculum tractabant, *Laterculenses* sunt dicti, *l. comperimus, l. ult. C. de proxim. sacror. scrin.* cæteris memoriæ Scriniis digniores, *d. l. ult. C. de proxim. sacror. scrin.* Alii scrinio memoriæ præfecti *Memoriales* appellabantur, etsi quandoque etiam epistolarum, libellorum, & dispositionum Scriniarii, ut dixi, *Memoriales* sunt nuncupati, *l. 2. C. de privil. eorum qui in sacr. palat. milit.* Zeno A. *in l. ult. C. de divers. rescript. Qui*, inquit, *illicitè scribere ausi fuerint, cujuscunque scrinii memoriales, seu pragmaticarii, vel adjutores primicerii, amissione cinguli ferientur.* Omnes enim, quia suarum scripturarum memoriam conservabant, *Memoriales* sunt vocati, *dict. l. 1. & 2. C. de offic. Quastor.* sic Masurius Sabinus memorialium librum scripsit, in quo res memoria dignæ continebantur: Nostri interpretes *singularia* appellare maluerunt.

Prædictum laterculum ad curam & solicitudinem Quæstoris palatii pertinebat, cujus arbitratu præcedente Principis auctoritate, Præfecti & Tribuni limitaneorum militum, & Præpositi castrorum emittebantur, *dict. l. 1. & 2.* Cùm verò Magistri militum id sibi usurparent, Theodosius Junior, duabus epistolis, altera ad Sallustium Quæstorem, altera ad Helionem Comitem, & Magistrum officiorum, missis id prohibuit: in priore ita scribit *in d. l. 1. C. de offi. Quæstor. Totius minoris laterculi curam, scias ad tua sublimitatis solicitudinem pertinere, ita ut tuo arbitratu, è scrinio memoria totius minoris laterculi dignitates, hoc est, prafectura, omnes tribunatus, & prapositura castrorum, juxta consuetudinem priscam clementia mea auctoritate deinceps mittantur.* Hæc ille. Ducum verò & Comitum rei militaris dignitates, legionum, auxiliorum, & equitum nomina, sicut & Magistratuum civilium sub Primicerio Notariorum in majore laterculo tractabantur.

Præter curam laterculi minoris *Magister memoria*, inquit Notitia, *adnotationes omnes dictat, & emittit.* Adnotatio erat brevis scriptura continens quæ Principis nomine statuebantur, aut confirmabantur. Arcadius A. *in l. 9. C. de palat. sacr. largit. Non aliter*, inquit, *quilibet in officio sacrarum largitionum, vel privatarum rerum cingulum militia sibi sumendum existimet, nisi nostra mansuetudinis adnotationem meruerit:* Hæc ille. Quod ergo Princeps verbo respondebat, Magister proximo breviter dictabat, & ille vel Memoriales adnotabant, & ab his quæ dictabantur excipiendis, *Exceptores* vocabantur, cæteris aliquanto digniores.

Hic Magister etiam *emittit*, inquit Notitia, interpretor duplomata ad currendum equis publicis nomine Principis, vel Magistri officiorum, *l. in sacris. C. eod.* quem emittendi facultatem habuisse, supra est declaratum. *Precibus etiam respondebat*, subjicit Notitia, id est, dictabat responsa, quæ Princeps libellis supplicibus dabat. Zeno *in d. l. ult. C. de divers. rescript. Vniversa*, ait, *rescripta, sive in personam precantium, sive ad quemlibet judicem manaverint: qua vel adnotatio vel quævis pragmatica sanctio nominentur: sub ea conditione proferre pracipimus, si preces veritate nitantur.* Theodosius *in l. ult. §. memoriales C. de petitionib. bonorum sublat. Memoriales*, inquit, *qui excipienda hujusmodi rescripta vel implenda curaverint, bonorum proscriptione puniri decernimus.* Implebant autem, qui excepta rescripta latius extendebant. Hanc Subalpini *decretationem* vocabant, quæ primò breviter adnotata, cùm latius extenditur, dicitur impleri, *d. l. ult.*

In eodem memoriæ scrinio probatoriæ scribebantur, id est, scripturæ, seu breves à Principe subscripti, quibus probabat personas Agentium in rebus, & Palatinorum, qui Comitibus largitionum, & rerum privatarom obsequebantur, ut Leo A. declarat, *l. ult. §. & est Notitia. C. de diver. offic.* Loca etiam cursus publici à Memorialibus descripta fuisse existimo, quale est *Itinerarium*, quod sub *Antonini* nomine mansiones, seu oppida, aut vicos, in quibus equi cursus publici alebantur, recenset, quæ verisimile est in Memorialium scrinio conservata fuisse: unde evectiones à Principe vel Magistro officiorum, qui huic scrinio imperabat, indultæ prodibant. Quare non sine ratione ante Madrucii Notitiam id Itinerarium scriptum reperitur, & cum miro ordine cætera Imperii, & Principis scripta magnâ diligentiâ conservarentur, rem tanti momenti, & tanto studio comparatam, in Principis scriniis conservatam fuisse credendum est. Instrumentorum quoque bellicorum, ac liburnarum typos, & limitum extruendorum rationem, & alia hujusmodi post Notitiam descripta, iisdem commissa fuisse puto, apud quos perpetuò, & ad æternam memoriam tenebantur: quorum Scriniarii non immeritò *Memoriales* sunt appellati. Hos Imperator Alexander apud se frequenter habebat. Lampridius in *Alexandro*: *Pomeridianis*, inquit, *horis subscriptioni, & lectioni epistolarum semper dedit operam, ita ut ab epistolis, à libellis, & à memoria semper assisterent, nonnunquam si stare per valetudinem non possent, sederent, relegentibus cun-*

cuncta librariis, & iis qui scrinium gerebant, ita ut Alexander sua manu adderet, si quid esset addendum: sed ex ejus sententia qui disertior habebatur: Hæc ille. In memoriæ scrinio erant LXII. Scriniarii, *l. hac parte. C. de prox. sacr. scrin.* ex quibus XII. erant adjutores Quæstoris palatii, *l. comperimus. C. eod.* Septem Antiquarii, videlicet quatuor Græci, & tres Latini, *d. l. hac parte*, qui libros conservabant, & vetustate corruptos describebant. Valentinianus *in l. 2. C. Th. de stud. liber. art. urb. Rom.* *Antiquarios*, ait, *ad bibliotheca codices componendos, & pro vetustate reparandos, quatuor Græcos, & tres Latinos scribendi peritos legi jubemus:* & D. Greg. lib. 1. *Dialog.* cap. IV. cùm ad monasterium venisset, antiquarios scribentes reperit, id est, librarios. A Græcis *Archeota* appellantur. Arcadius ICtus *in l. munerum 18. §. hi quoque. ff. de mun. & hon.* *Hi quoque*, inquit, *qui custodes ædium, vel archeota, vel logographi, vel tabularii, muneribus personalibus adstringuntur.* Augustus uni servorum hoc munus demandabat, ut docet inscriptio suprà sub scrinio Vestiarii recitata: & alia:

SVLPICIÆ THALVSSÆ ANTIOCHVS TI. CLAVDII CÆSARIS A BIBLIOTHECA LATINA APOLLINIS CONIVGI SVÆ BENEMERITÆ.

Item:

C. JVLIVS FELIX A BIBLIOTHECA GRÆCA PALAT.

Itaque in hoc scrinio erant adjutores Quæstoris XII. Laterculenses, Antiquarii VII. Reliqui Exceptores, & rescripta implentes. Digniores verò cæteris erant Laterculenses: ad hunc enim locum ex adjutoribus Quæstores transibant, *l. comperimus, & l. ult. C. de proxim. sacr. scrin.* & minoris Laterculi curam habebant: Nec aliis poterant scriniis se immiscere, *dict. l. hac parte. C. eod.* cingulo sicut & Magister utebantur, *d. l. ult. C. de divers. rescript.* stipendiumque à Principe Kal. Jan. percipiebant, cùm ejus res curarent, *l. 14. & l. pen. C. de prox. sacr. scrin. l. laudabilem. C. de advoc. divers. jud.* Officium Magister memoriæ non habet, sed adjutores ex scriniis accipit. Magistrum sequebatur Adjutor *Proximus* dictus, quod illum prope accederet, eratque loco Secundocerii. Hunc *Melloproximus* pro Tertiocerio sequebatur, *l. pro biennio. C. de prox. sacr. scrin.*

CAP. XCVI.

DE MAGISTRIS EPISTOLARVM.

AVGVSTO imperante nondum Magistri epistolarum inventi fuisse videntur; siquidem suas ipse epistolas scribebat, aut dictabat, quas postea M. Agrippæ, aut Mœcenati emendandas, vel eorum arbitrio mutandas tradebat. Dion lib. LI. *Agrippa*, inquit, *& Mæcenati tantam potestatem detulit Cæsar in rebus omnibus, ut litteras quascumque ad Senatum, vel alios mitteret, ipsi primi legere possent, & in eis, quæ vellent, immutare: cujus rei gratia annulum ab eo acceperant, quo litteras obsignarent: Duplex enim signum, quo tum maximè utebatur, fieri jusserat, quorum in utroque simili sphinx impressa erat. Postea verò sua imagine signavit, quâ omnia deinceps imprimebat. Eaque reliqui post eum Imperatores præter Galbam, sunt usi. Nam is signo à majoribus suis accepto imprimebat, nempe cane ex prora navis cadente.* Hæc ille. Idem Tranquillus in *Augusto* cap. L. *In diplomatibus*, ait, *libellisque & epistolis signandis, initio sphinge usus est, mox imagine Magni Alexandri: novissimè sua, Dioscoridis manu sculpta, quâ signare insecuti quoque Principes perseverarunt. Ad epistolas omnes horarum quoque momenta, nec diei modò, sed & noctis, quibus data signarentur, addebat.* Hactenus Tranquillus. Proximi Augusto successores, & ipsi epistolas per se habebant, aut dictabant. Philo enim in *Legatione ad Cajum* de eo loquens: *Tum brevi*, inquit, *mora interjecta cuidam ab epistolis dictas responsum ad Petronium.* Idem de Domitiano Tranquillus in *eod.* cap. XIII. *Pari*, ait, *arrogantia, cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit:* Dominus & Deus noster sic fieri jubet. Non multò post inventus est Magister epistolarum, quem, ut infra dicetur, Nero habuit, & penes sequentes Principes perseveravit. Nam Hadrianus Suetonium Tranquillum XII. Cæsarum historiæ scriptorem nobilissimum, Magistrum epistolarum habuit, Spartianus in *Had.* & alii Imperatores postea iisdem usi sunt magistris. Hi accepto à Principe rerum argumento, aliis scribentibus dictabant, Zeno A. *in l. ult. C. si cont. jus vel util. publ.* *Spectabiles*, inquit, *Magistri scriniorum, qui sine præfata adjectione qualecunque divinum rescriptum dictaverint, reprehensionem subibunt.* Hæc ille. Epistolares primò minus nobiles fuisse videntur, siquidem auctor est Spartianus Hadrianum primum ab epistolis & libellis equites Rom. habuisse. Arcana verò Principes nulli committentes, manu propriâ scribebant, ut Capitolinus Commodum erga Clodium Albinum, quem successorem sibi designabat, egisse memorat in *Cl. Albino* sub init. his verbis: *Imp. Commodus Clodio Albino: Alias ad te publicè de successore atque honore tuo misi, sed hanc familiarem & domesticam omnem, ut vides, manu mea scriptam epistolam dirigo, qua tibi do facultatem, ut si necessitas fuerit, ad milites prodeas, & tibi Cæsaris nomen assumas.* Hactenus Capitolinus. Cæteris vero epistolis cum alii Principes subscriberent Commodus sæpe hoc omisit. Lampridius in *Commodo*, de eo loquens: *In subscribendo*, inquit, *tardus ac negligens, ita ut libellis una forma multis subscriberet; in epistolis autem plurimis*, Vale *tantum scriberet. Alexander sua manu addebat, si quid addendum esset*, inquit in *Alex.* idem Lampridius, *sed ex ejus sententia, qui disertior habebatur.*

Hic Magister *Legationes civitatum, consultationes, & preces tractat*, ait Notitia. Legationibus enim Regum aut civitatum intererat, ut postulata intelligeret & responsa scriberet. Prius tamen in auditorio Præfecti Prætorio desideria Legatorum nulla facta determinatione examinabantur, postea in Principis consistorio ab Epistolaribus recitabantur, qui demum ex sententia Principis responsum acceptum scribebant, *l. quotiescunque. 10. C. Theo. eo.* Præsidibus quoque de facti specie dubia consulentibus ex Principis sententia rescribebat: hæc *consultatio* vocabatur. Vlpianus *in l. 1. §. 1. de appell.* *Si præses*, inquit, *provinciæ consuluerit, & ad consultationem ejus est rescriptum, appellandi jus superest, l. antep. pen. & ult. C. de appel. & consult. l. 1. C. de legib.* Præclarum consultationis & rescripti Principis exemplum extat in libro de collatione legum Romanarum, cum Moysis legibus, ex quo Vlpiani locus illustratur, *in l. 4. §. 1. de sicar.* *Verba*, inquit, *consultationis & rescripti, ita se habent. Inter Clodium optime Imperator, & Evaristum cognovi, quod Clodius Lupi filius in convivio, dum sago jactatur culpa, manu Maris Evaristi, ita malè acceptus fuerit, ut post diem quintum moreretur:*

atque apparebat nullam inimicitiam cum Euaristo fuisse, & cupiditatis culpam coercendam esse credidi, ut cateri ejusdem atatis juvenes emendarentur. Ideoque Mario Euaristo Vrbe, Italia, provincia Baetica in quinquennium interdixi. Decrevi & impendii causâ duo millia patri ejus persolveret Euaristus, quod manifesta ejus fuerat paupertas. Velis rescribere. Verba rescripti: *Pœnam Marii Euaristi rectè Egn. Tantine moderatus es ad modum culpæ. Refert enim & in majoribus delictis consulto aliquid admittatur, an casu, & sanè in omnibus criminibus distinctio hac pœnarum, aut justitiam provocare debet, aut temperamentum admittere.* Ex his verbis alius Vlpiani locus §. *ult. d. l. 5. de pœnis.* hinc desumptus, est emendandus. Vbi dum legitur *pœnam aut justam eligere debet*, substituendum est, *aut justitiam provocare debet, aut temperamentum admittere.*

Lascivia verò sago jactandi antiquitus erat in usu, & hodie aliquando exercetur. Tranquillus in *Othone* cap. 11. *Ferebatur*, inquit, *& vagari noctibus solus, atque invalidum quemquam obviorum, vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime jactare.* Martialis lib. 1. epigr. 1v.

Ibis ab excusso missus in astra sago.

Consultatio etiam erat, cùm in consistorio cum Proceribus causas Princeps examinabat, aut alias statuebat. Theodosius *in d. l. 2. C. cod. de legib.* *Quæ ex consultatione*, inquit, *procerum statuimus, non semper jura sint generalia.* eadem *consulta* vocantur, *l. consulta. C. de testa. l. ne quis. C. de offic. rector. provinc.*

Vbi ab illustri persona ad Principem provocabatur, Epistolares acta scribebant, vel si Spectabilis judicis sententia appellatione suspensa fuisset, quam P. P. cum Quæstore cognoscebat, *l. in offerendis & l. seq. C. de appell. Novel.* 20. Theodosius A. *in l. præcipimus. C. eod. ti.* *In his*, ait, *judiciis, quæ consultationum introduximus loco, vel Apostolos, vel ea quæ apud eum gesta sunt, ad cujus sententiam dicitur appellatum, suscipere ab appellatoribus, & cognitionei induere apud viros Illustres prædictos judices, & ea quæ geruntur, excipere, scribere, scriptaque litigatoribus edere nostros Epistolares præcipimus.* Idem significat Justinianus *in d. Nov.* 20. *sive Auth. de administr. offic. in sacr. appella. in princip.* *Qui*, inquit, *ex sacro quidem epistolarum scrinio, sunt spectabilium Judicum, vindicabunt sibi appellationis ministerium.* Hanc ob causam, & cum à Ducibus appellabatur, acta scribebant, *l. pen. C. de appellat.* ob id *pragmaticarii* à monumentis, quæ scribebant, sunt appellati, *l. ult. C. de divers. rescript. l. 5. C. qui milita. poss.* & hæ sunt consultationes, quas ab Epistolaribus tractari Notitia indicat. Precibus etiam civitatum hic Magister respondebat, privatorum verò petitionibus libellorum Magister. Tribunatus quoque legionum per epistolam dari solitos expediebat. Vegetius lib. 11. cap. v11. *Tribunus*, inquit, *major per epistolam sacram Imperatoris judicio destinatur.* Officiorum præterea Illustrium & Spectabilium Magistratuum codicillos scribebat. Leo A. *l. ultim. §. penult. C. de divers. offic.* *Scrinii*, ait, *sacrarum epistolarum Notitia sic: in officiis virorum Illustrium Præfectorum Prætorii Orientis & Illyrici, & urbi, officiis Proconsulis Asiæ, & Africæ, Comitis Orientis, Præfecti Augustalis, Comitis divinarum domorum, Vicariorum Thraciæ, Ponti, & Asiæ, & Macedoniæ, & Thesaurensium classis:* Hactenus Leo. Classem verò hic, non navium puto appellat, sed eorum multitudinem, qui Comitibus thesaurorum inserviebant, quos *Thesaurenses* Valentinianus A. appellat *in l. 2. C. de palat. sacr. largit.* *Nullus*, inquit, *Thesaurensis, vel officialis Comitis thesaurorum, semel deprehensus eversor repetat militiam.* Hi in hoc scrinio probabantur. Theodosius ad Achantium Comitem largitionum *in l. ult. C. Theod. de divers. offic.* *Comitum*, inquit, *thesaurorum diœceseon provectionis, & ipsos Thesaurenses vetus observatio principali dextera reservavit, nec aliter voluit eos in committendis publicis necessitatibus habere progressum, nisi militiam ex emissa a sacris scriniis probatoria condonasset:* Hæc ille. Intelligit autem scrinium epistolarum: itaque ex tot officiorum codicillis, quos scribebant, non modicum lucrum faciebant. Denique omnes Principis epistolas hic Magister expediebat, earumque exemplum in suo scrinio reponebat. Hunc Proximus loco Secundocerii, deinde Melloproximus Tertiocerii loco, sicut & ipse Magistrum memoriæ sequebatur. Triginta quatuor in hoc scrinio militabant, *l. hac parte. Cod. de prox. sac. scrin.* quorum septem Quæstori adjutoris titulo inserviebant, inde ad Laterculensis gradum, in scrinio memoriæ transeuntes locum adjutoris vendebant. Justinianus *in l. comperimus. & l. ult. C. de proxi. sacr. scrin.* *Devotis*, inquit, *viris adjutoribus, desistentibus ab eodem officio non prohibendis, cum vel ad Laterculensis gradum in scrinio sacra memoria provecti fuerint, vel secundum locum obtinuerint, in duobus aliis scriniis, id est, sacrarum epistolarum, sacrorumque libellorum & cognitionum, post quem proximi creabuntur, alios pro se, quos elegerint, surrogandos adjutores petere: qui posteriores erunt cæteris.* His verbis constat secundum locum in scriniis appellari, qui erat Melloproximi, & primum Proximi post Magistrum; adjutoresque ad eos gradus post Laterculensis officium, tanquam digniores ascendisse. Non omitto usum epistolarum fuisse, ut prius scriberetur nomen eorum, ad quos litteræ destinabantur, nisi major minori scripsisset: Vnde Præsides suum nomen inferioribus præmittebant, quemadmodum D. Ambros. memorat *in* 11. *Epist. ad Corinth.* in princ.

Alium ponit Notitia Magistrum epistolarum Græcarum, qui epistolas Græcè scribebat, aut Latinè dictatas in Græcum vertebat, cum Græcis essent edendæ. Hic Nerone imperante institutus erat. Josephus enim scribit lib. *Antiq.* xx. cap. xiv. Beryllum, qui Neronis pædagogus fuerat, scribendis ejus Græcis epistolis præfectum. Eunapius scribit Nymphidianum Smyrnæum Philosophum Maximi & Claudiani Sophistarum germanum à Juliano Apostata dictandis epistolis, quæ Græcâ linguâ contexendæ essent, præfectum fuisse.

Officium neque hic Magister habebat, sed ex scriniis adjutores accipiebat. Epistolares cingulo ornabantur, ut alii Scriniarii, *l. ult. C. de divers. rescr.* Theodori epistolarum Memorialis se hoc epigramma invenisse Cujacius refert, *in l. 13. Cod. de prox. sacr. scrin.* FLAVIVS THEODORVS V. D. MEMORIALIS SACRI SCRINII EPISTOLARVM ET ADIVTOR V. M. QVÆSTORIS SACRI PALATII SCRIPSI MANV MEA IN VRBE ROMA CONSTANTINOPOLITANA. III. KAL. JVNII MAVORTIO V. C. COS. JVSTINO ET JVSTINIANO IMP. Notæ illæ V. D. significant *Vir devotus*, ut sæpe appellatur in Jure *in leg. comperimus. C. de prox. sacr. scrin. Nov.* 20. *in f. l. ult. C. ubi Senat. vel clariss.* & V. M. *Viri Magnifici.*

CAP. XCVII.

DE MAGISTRO LIBELLORUM.

LIBELLUS hic pro scriptura preces Principi oblatas continente accipitur, *ut in titul. C. quan. libel. Princip. dat.* cùm enim non omnes possent Principem alloqui, aut tempus singula explicandi non haberent, expediens visum fuit scripto, seu libello desideria cujusque exponere: ita enim supplicum preces vocabant. Gordianus *in l. 2. C. de error. advoc. Errores*, inquit, *eorum, qui desideria, id est, preces scribunt, veritati prajudicium afferre non possunt*: & ita sæpè accipitur *in l. 2. C. de fid. instrum. & jud. hast. fiscal. l. 3. C. de postul. in l. sanum. C. de transact. l. 1. C. de suff. in l. 4. §. ingressus. ff. de off. procons. & alibi.* Opilius Macrinus libellis rescripta facta damnabat, cùm nunquam id Trajanus fecisset. Capitolinus in *Opilio Macrino*: *Statuerat*, inquit, *omnia rescripta veterum Principum tollere, ut jure, non rescriptis ageretur: Nefas esse dicens leges videri Commodi & Caracalli, & hominum imperitorum voluntates, cum Trajanus nunquam libellis responderit, ne ad alias causas facta praferrentur, qua ad gratiam composita viderentur.* Hæc Capitolinus. Unde diversa Trajani rescripta, *l. 1. de interdi. & releg. l. 1. §. D. Trajanus, de quæst. d. l. 1. §. servum. l. 5. de pæn. l. cum vero. §. subvenium. ff. de fideicom. liberta.* ad magistratus non libellos edita sunt censenda. Libellus dictus est, quòd cùm aliæ chartæ olim convolverentur, hic in formam libelli plicabatur: Tranquillus in *C. Cæsare* cap. LVI. *Epistola*, inquit, *ejus ad Senatum extant, quas primus videtur ad paginas, & formam memorialis libelli convertisse, cum antea Consules & Duces non nisi transversa charta mitterent scriptas.* Hactenus Tranquillus: ut libelli Principi darentur, à Cæsare initium habuit, in quo ita idem Tranq. scribit: *Libellum*, inquit, *insidiarum indicem ab obvio quodam porrectum, libellis cateris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus commiscuit.* Hæc ille. eos ipse & Augustus per se expediebat, & signabat, quemadmodum de epistolis est dictum. Tranquillus in *Augusto* cap. L. *In diplomatibus*, inquit, *libellisque & epistolis signandis initio sphinge usus, mox imagine magni Alexandri, novissimè sua, qua signare insequentes quoque Principes perseverarunt.* Hactenus Tranquillus. Posteriores Imperatores ut se hoc onere sublevarent, Magistros libellorum invenerunt, quemadmodum & epistolarum, quod sub Nerone factum diximus. Diu tamen Principes ipsi libellis subscripserunt. Lampridius in *Commodo*: *Commodus in subscribendo tardus ac negligens, ita ut libellis una forma multis subscriberet.* Hæc ille. Sed cùm hoc opus Principes fastidire cœpissent, hic Magister plures Scriniarios habuit, qui responsa à Principe accepta scribebant. Sub tempus Notitiæ XXXIV. erant sub hoc Magistro *Libellenses* vocati, *l. hac parte. C. de proxim. sacr. scrin.* qui libellos supplices privatorum non civitatum accipiebant, Magister eos Principi oblatos legebat, & ipse adnotabat, *l. ult. C. de divers. rescr.* aut Libellensibus responsa dictabat, *dict. l. ultim. Cognitiones*, inquit Notitia, *& preces hic Magister tractat*: Cognitio est causæ discussio, & examinatio, cùm litigantes audiuntur. Ulpianus *in l. solent, in princ. ff. de offic. Proconsul. Solent*, ait, *Proconsules custodiarum cognitionem mandare legatis, sc. ut praauditas custodias ad se remittant.* Cùm ergo ad Principem ab ejus delegato appellabatur, causam cognoscebat pro Principe Quæstor & Præfectus Pr. qui erat in Comitatu: cognitionem verò hic Magister tractabat, & acta Libellenses scribebant: Theodosius A. *in l. pracipimus. §. hunc. C. de appell. Si privatæ*, inquit, *non illustri uni pluribusve, ut assolet, nostra serenitas adita delegaverit causam, & ejus definitio fuerit appellatione suspensa, vir quidem magnificus Præfectus Pratorio, qui in nostro est Comitatu, cum viro illustri Quastore temporali judicet die. Nostri verò Libellenses qua apud arbitros, id est, delegatos gesta sunt, suscipiant, cognitiones inducant, & ea qua geruntur, excipiant, scribant, scriptaque litigatoribus edant: qui etiam apud arbitros (licet illustres sint) ex delegatione nostra cognoscentes excipiunt, si in sacratissimo nostri numinis Comitatu causa dicantur.* His verbis declaratur Notitia, dum ait, *hunc Magistrum cognitiones tractare*: acta enim causarum, cùm à Principis delegato appellabatur, cognoscentibus P. P. & Quæstore, hi à libellis scribebant. Et ideo hic Magister etiam *cognitionum* vocatur, ita Cratinum Justinianus appellat *in l. 2. §. qua omnia. C. de vet. jur. enucl.* in Græca Constitutione, quem etiam *Antigrapharium* nominat, quoniam rescripta notat, qui *Regerendarius* sæpè à Notitia nuncupatur. Unde Julius Paulus dum esset à libellis Principi, sex libros Imperialium sententiarum cognitionibus prolatarum, sive decretorum composuit, *ut in inscriptione, l. ult. de jur. patron.* ubi verò sententiæ Spectabilium judicum appellatione suspendebantur, tum Epistolares acta conficiebant. Id & Justinianus comprobat *in d. Nov. 20. in fin. Super illis*, ait, *litibus, quas non Spectabiles judices judicant, sed advocati solum: referatur negotium, tam ad P. P. quam ad gloriosissimum Quastorem devotissimis Libellensibus ministrantibus eis, id est, acta scribentibus.* Ubi quoque de viro Illustri Princeps judicabat, acta iidem Libellenses scribebant. Zeno A. *in l. ult. C. ubi Senatores, vel clariss. Quoties*, inquit, *viro Illustri crimen ingeritur, nullius alterius judicio, nisi nostra pietatis hujusmodi volumus esse cognitionem, viris devotissimis sacri nostri scrinii Libellensibus solemnia implentibus audiantur.* Causarum quoque in urbe à Principe delegatarum acta notabant, & ideo hoc scrinium *libellorum*, & *cognitionum* à Justiniano appellatur *in l. ult. C. de prox. sacr. scrin.* Codicillos etiam officiorum, Magistrorum militum, Comitum & Ducum limitum, & plurimum Palatinorum, seu probatorias edebant. Leo A. *in l. ult. §. ult. C. de diver. offic.* explicans ex quibus scriniis officiorum accipiendæ sint probatoriæ, ait: *Item Notitia scrinii sacrorum libellorum sic se habet: officiis virorum magistrorum militum utriusque Præfecti Orientis & Illyrici, invitatorum, admissionalium, memoralium, omniumque padagogiorum, cellariorum, mensorum, lampadariorum eorum qui in sacris scriniis deputati sunt, decanorum partis Augusti, & cursorum partis Augusta, officio virorum spectabilium, Ducum Palæstina & Mesopotamia, nobilis Comitis Phæniceseos, Corsena, Syria, & Augusta Euphratensis, Arabia, & Thebaidis, Libya, Pentapoleos, utriusque Armenia, utriusque Ponti, Scythia, Mysia prima. Secunda Dacia, Pannonia, officio virorum spectabilium Comitis Ægypti, Pamphylia, Isauria, Lycaonia, & Pisidia.* Id etiam clarius explicat Justinianus, *§. 1. Novell.* 24. loquens enim de Prætore Lycaoniæ ait: *Utramque cohortem in unam contrahimus constituendam ex probatoriis, more solito ex sacro libellorum scrinio, ex quo antea ducianè apparitores eas accipiebant.* Probatoriæ codicilli vocabantur, quibus personæ cohortalium primum, ab ipso Principe, deinde à Magistro literis subscribente probabantur, *l. pen. & ult. C. de divers. offic. l. 2. C. de cohort. Princip.* quare plurimum Libellenses ex tot officiorum scripturis lucrabantur. Ex

CAP. XCIX.

DE MAGISTRATIBUS *Provinciarum.*

PRÆTER Palatinos supra explicatos erant & aliquot provinciarum Magistratus spectabiles, ut Proconsules, Comes Orientis, Præfectus Augustalis, & Vicarii, qui plures sub se Consulares, Correctores, Præsidesque habebant: Ideo prius de eorum origine, auctoritate, ac differentiis, aliqua sunt præmittenda: Demum secundùm Notitiæ ordinem singulos suo loco provinciarum Rectores, explicabimus. Hæc quoque est pars breviarii, quam sub nomine provinciarum, & regnorum ab Augusto scriptam fuisse Tacitus scribit in 1. *Annalium*, quæ nunc est altius repetenda. Cùm extra Italiam arma proferre, & provincias subigere Romani cœperunt, primùm Sardiniam Corsicamque & Siciliam, deinde Hispaniam, & Galliam Narbonensem in suam potestatem redegerunt, in quas totidem Prætores, quot povinciæ in ditionem venerant, miserunt. Victis itaque duabus Hispaniis, quatuor circa annum DXX. ab Urbe cond. ad regendas provincias Prætores exierunt, *l. 2. §. capta deinde Sardinia. ff. de orig. jur.* & in 2. *epitome* L. Florus. Livius in 11. *de bello Macedon. Biduo post*, inquit, *Pratorum comitia habita, Pratores illo anno primùm sex crescentibus jam provinciis, & latius patescente Imperio creati sunt.* provincias autem sorte inter se dividebant. Idem in 111. *de bello Maced. Pratores provincias sortiti C. Fabricius Luscinus Urbanam, C. Atinius Labeo Peregrinam, C. Manlius Volso Siciliam, Appius Clau. Nero Hispaniam citeriorem, M. Portius Lecca Pisas. P. Manlius in Hispaniam citeriorem adjutor consuli datur.* Prima Sardinia inter primum & secundum bellum Punicum, ductu Titii Manlii Cos. Roma. Imperii jugum accepit. Appius Claudius Cos. primus in Siciliam exercitum trajecit, quam post annos LII. captis Syracusis M. Levinus Cos. provinciam fecit. Cajus verò Flaminius Prætor primus rexit, ut Cicero, Livius & Paterculus scribunt. Hispaniam primi omnium Gn. & Publ. Scipiones initiu belli secundi Punici, cum exercitu sunt ingressi, inde variè possessa, & sæpè amissa, tandem universa ductu Augusti facta est stipendiaria. Cùm verò Prætores tantùm provincias regerent, capta Africa, & propagato latiùs Imperio, placuit, ut qui priore anno Coss. fuissent, sequenti Proconsules provincias administrarent, *de offic. Proconsulis* Fenestella & alii: illam autem P. Scipio Æmilianus diruta Carthagine in formam provinciæ redegit. Macedoniam Paulus Æmilius, Lucius Mummius Achajam, Fulvius Nobilior Ætoliam, Asiam L. Scipio, Africam frater Antiocho eripuit, sed beneficio senatus populique Romani à Regibus possessam, M. Perpenna, capto Aristonico tributariam fecit, Cyprum Cato vita Rege defuncto: Cretam Metellus: Syriam, Pontumque cum adjacentibus provinciis Gn. Pompejus: Gallias magna cum clade Romanorum sæpius afflictas, & amissas C. Cæsar recepit. Idem Numantiam perdomuit, Volso Manlius Gallogræciam: Bithynia testamento Nicomedis Romanis relicta est hæreditaria. Ægyptum Augustus stipendiariam fecit, in ærarium quantum pater ejus ex Gallia reditus habebat conferens. Eam provinciam tempore Ptolemæi Auletæ decem millia, & quingenta talenta pro tributo solvisse, Strabo lib. 111. refert: quæ summa efficit, septies centena, & quingentena millia aureorum, seu septem milliones cum dimidio: Sed duplum hujus summæ Romani auxerunt: Nec mirum cùm Alexandriam orbis emporium fuisse Plinius dicat. Omnes enim Indiæ, marisque rubri gemmæ, purpura ac byssus, aliæque opes eò deferebantur. Tiberius verò Cæsar Illyriis, Dalmatisque subactis, Vindelicos, Noricos, Pannoniam, ut Cordiscos, denique & Cappadociam, novas Imperio provincias adjecit, ut Tranquillus & Paterculus in 11. *histor. Rom.* referunt. Claudius Cæsar Britannos, & Orchadas insulas subegit, ut Tacitus & Tranquillus memorant. Pontus Polemoniacus Rege Polemone concedente, & Alpes Cotiæ, Cotio Rege defuncto, à Nerone Rom. Imperii provinciæ sunt factæ, ut Eutropius & alii scribunt. Judæa antea à Pompejo domita, primo Herodi, deinde Archelao, Philippo, & alteri Herodi est concessa, & illis extinctis provincia facta, sed eam rebellantem cum Lycia, Rhodo, Byzantio, & Samo, quæ liberæ fuerant, præterea Thraciam, & Ciliciam Comagenem Vespasianus Imperio Romano adjecit, Dion, Eutropius, & alii. Daciam, Taiphalos, Vectabulos, Tergivintos, Armeniam, Mesopotamiam, Trajanus subegit; Arabum & Azabernorum regionem Pertinax: Nonnullæ minores regiones à posterioribus Principibus domitæ, postea amissæ fuerunt. Hæ à Proconsulibus, Prætoribus, Quæstoribusque sunt administratæ, donec Augustus rerum potitus, Reipu. formam mutavit: Provinciis enim inter se, & pop. Rom. divisis, illi pacatas regendas concessit: Suspectas verò, & hostibus confines sibi retinuit, veritus, ne si earum administrationem populo tradidisset, arma in se quandoque converterent. Illorum igitur Magistratus etiamsi Consules non fuissent, quod eorum loco imperarent, Proconsules appellavit; qui ex Senatoribus, etiam non consularibus fortè lecti, anno tantùm in Imperio manebant, & sex fascibus, consularibusque insignibus pomerio urbis egressi, donec reversi fuissent, utebantur, sed nullum in milites jus habentes, nec ensem, nec chlamydem gestabant. Quos verò ipse in provincias à se retentas misisset, *Legatos* vocavit, etiamsi consulares viri essent, & Proprætores, quòd Prætoris officio fungerentur. Sed hi postmodum Præsides, & omnes Legati Cæsaris sunt appellati, *l. pen. ff. de offic. Præsid. Quinque fasces*, inquit Dion lib. LIII. *pramittebant, unumque tantùm secum assessorem ducebant, militibusque imperantes, & ense accincti, chlamydem induebant, & quantum Cæsari placuisset in magistratu manebant.* Italiæ verò Præsidibus, qui militibus imperabant, ideo Prætoris nomen imposuit, quia veteres exercitus Imperatores, Prætores nominabant, Asconius *in* 111. *in Verrem.* Hi postea Prætoris nomine abolito *Correctores* sunt dicti. Itaque Prætoris nomen, & Consulis, inquit Dion, tantùm in Italia permansit, cujus rectores, prætores & consulares appellabantur.

Duas verò provincias his tantùm, qui Consules fuissent permisit, Asiam & Africam, quibus tres assessores, & ipsos consulares, quos ipse probasset, dedit. Mittebantur & Quæstores in provincias inferiores, qui postea Procuratores Cæsaris sunt appellati, ut Pilatus qui Judæam procuravit: Verùm Strabo in calce operis, decem Senatui ab Augusto prætorias provincias concessas fuisse ait, in quas Prætores mittebantur, & duas consulares, quæ à Proconsulibus administrabantur. Itaque populo XI. vel ut alii XII. provincias concessit, cæteras sibi retinuit, Dion l. LIII. Augusto verò defuncto Tiberius populo concessos magistratus, non ab eo, sed à Senatu eligi jussit. Sic omnia paulatim in Principem sunt translata. Tacitus in 1. *Annalium: Tum primùm*, inquit, *è campo comitia ad patres translata sunt.*

Nam

Nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis Tribunorum fiebant, neque populus ademptum jus questus est, nisi inani rumore, & Senatus largitionibus, ac precibus sordidis exsolutus, libens tenuit, moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret sine repulsa, & ambitu designandos. Hæc ille. Demum Imperio Constantinopolim translato, posteriores Principes aliud magistratuum genus, ut Vicarios & Comites creavêrunt. Sed quoniam provinciarum magnitudo earum Præfectos distinguit, prius aliqua de ipsis, earumque diversitate sunt dicenda.

Provincia est, quæ non à Regibus, sed Magistratibus regitur. Strabo lib. XVII. *Universæ*, inquit, *terræ pars, quæ sub Romanis est, aliam partem Reges tenent, aliam ipsi habent, quam provinciam vocant: Præfectos & Quæstores, seu tributorum exactores in eam mittunt:* Hæc ille. Provinciæ ut plurimum fluminibus montibusque terminantur. Pelagius Pontifex epistola prima, eam esse vult provinciam, quæ undecim vel decem minimum civitates habet: tot enim regnum constituunt, *cap. Scitote 6. qu.* 3. *Scitote*, inquit, *certam provinciam esse quæ habet decem seu undecim civitates, & unum regem.* Justinianus quoque *in Novell.* 28. *de moderatore Hellenoponti*, absonum esse dicit, ut Hellenopontus octo, & Polemoniacus quinque tantùm civitates habeat, quæ simul junctæ sunt tredecim urbes, & vix unam constituunt provinciam. Quare unicum ipse utriusque Ponti Moderatorem creavit. Urbes autem olim erant, quæ forum causarum, & Duûmviros, seu jus dicentes magistratus habebant: Modestinus *in l. si duas. §. decet. ff. de excusat. tutor.* non solùm metropoles, sed & minora oppida civitates appellat, in quibus erat forum causarum. Pausanias verò in *Phocicis*, sive lib. x. civitates nominat, quæ Prætorium, Gymnasium, Theatrum, Forum, & Balneum habebant: loquens enim de Panopeo: *Urbs*, inquit, *ea est Phocensium, si modò urbem eam appellare par erit, in qua cives non prætorium, non gymnasium, non theatrum, non forum ullum habent: non denique ullum perennis aquæ conceptaculum.* Herodianus quoque libro tertio scribit, Bysantium, quia Nigro faverat, à Severo dirutum, & theatro thermisque, & omni cultu atque honore detracto in vici formam redactum. Hæc & Jureconsulti pro civitatum insignibus recensent: Paulus *in l. civitatibus* 122. *de leg.* 1. *Civitatibus*, inquit, *legari potest etiam, quod ad honorem, ornatumve civitatis pertinet. Ad ornatum, quod ad instruendum forum, theatrum, stadium legatum fuerit.* Martianus *in l. non tantum 6. de rerum divis. Universitatis*, ait, *sunt, non singulorum, veluti quæ in civitatibus sunt, Theatra, & stadia, & similia civitatum.* Procopius lib. III. *de ædif. Justin.* addit Basilicam, quam porticum appellat, quòd columnis sustentetur. De Melitenis enim sermonem faciens, ait: *Domos ædificarunt, templaque fecerunt, Præfectorumque diversoria, ac forum, & alia, quæ sunt urbium insignia, plateas, porticus, balnea, theatra, & si quid aliud ad magnæ urbis ornatum pertinet.* Simile D. Gregorius Nazianzenus in *oratione ad Arrianos, & de seipso* narrat: *Parva tibi*, inquit, *est civitas, ac ne civitas quidem, sed aridus locus, & inamœnus, atque infrequens: nobis mœnia sunt & theatra, ac equestres cursus, & palatia, & pulchræ atque ingentes porticus, & illustris hæc, ac visenda columna, forum frequens, nobiliumque virorum præclarum concilium: num propterea*, ait, *morte mulctandi sumus, quòd nec civitatem ereximus, nec muris cincti sumus, nec equorum cursibus, nec stadiis, & venationibus, nec balneorum suavitate, ac splendore*

A *gloriamur?* Hæc ille. Sed declaranda sunt prædicta civitatum insignia. Prætorium est domus, ubi jus Præses reddebat. Justinianus *Novell.* 24 *in princ. Loca*, inquit, *in quibus publicè Magistratus jus reddere, vel habitare solebant, prætoria appellarunt:* ita etiam Leo vocat *in l. omnes. §. 1. C. de episc. & cleric. Temporibus*, ait, *quibus religiosos viros à turbulenta observatione prætorii vacare contigerit, precatione solita sacrosanctis altaribus obsecundent.* Gymnasium erat palæstra, id est, locus quadratus, peristylio, seu quatuor porticibus clausus; quale est quod vulgò *claustrum Monachorum* dicitur, cujus porticus ad meridiem posi- B ta, erat duplex, & exhedram cum sedibus habebat, in qua sedentes Philosophi disputabant, quale hodie est *capitulum Monachorum* dictum. Prope erant lavacra, ut Vitruvius in quinto describit: illud est, quod Latinè in Jure *stadium* appellatur, *in d. l. non tantum 6. §. 1. dict. l. civitatibus, de leg.* 1. Palæstræ similis est Pisis campus *sanctus* vocatus. Theatrum est, ubi fabulæ recitabantur. Forum, ubi de exigua summa Defensores civitatum, aut Duûmviri jus dicebant. Porticus vocabantur Basilicæ, Latinè Regiæ dictæ, quæ testudinatæ, columnis fulciebantur, ubi negocia tractabantur, & circùm tabernas rerum venalium habebant, de qui- C bus in Jure frequens est mentio, ut *in l. pediculis. §. penult. ff. de auro & argento leg. l. inter stipulantem. §. sacram. l. continuus. §. cum quis, de verborum oblig.* sacræ Christianorum ædes ad eam similitudinem fabricatæ *Basilicæ* sunt appellatæ, *cap. perlectis. §. ad episcopum*, 25. *dist.* cùm verò insignioribus oppidis Episcopi fuerint præfecti, *cap. quanto, de offic. ordin. & c. 1. de privileg.* hodie apud Italos civitas non censetur, quæ illis caret, Bart. *in l. urbis. in fin. ff. de verborum signif. & l. ultim. ff. de colleg. illicit.* quod in aliis provinciis non observatur, nec id necessarium esse, legum interpretes fatentur, *cap. 1. de privileg. ubi Abbas.*

D Provinciæ verò pro diversitate temporum variæ fuêre. Initio omnes erant Prætoriæ. Pomponius *in l. 2. §. capta. ff. de origine juris: Capta*, inquit, *Sardinia, mox Sicilia, & Hispania, deinde Narbonensi provincia, totidem Prætores, quot Provinciæ in ditionem venerant, creati sunt, qui provincialibus præessent.* Hæc ille: postea verò capta Africa primùm in eam missus est Proconsul, *Novell.* 30. deinde in Asiam, & Achajam: itaque duæ factæ sunt provinciarum species, Prætoriæ, & Consulares, in quas qui Consules fuerant, mittebantur, & *Proconsules* vocabantur: sub Prætoribus Quæstores continebantur. Primus P. Philo anno ab urbe E condita CCCCXXVIII. cùm Palepolim in Græcia obsideret, prorogato sibi imperio, donec cum Græcis debellatum esset, Proconsul est creatus, Livius libr. VIII. Postea anno DCV. actum est, ut qui priore anno Consules fuissent, in provincias cum potestate Consulari irent, Proconsulesque dicerentur. Augusto imperante in Italia tantùm Prætorii magistratus, & Consulares erant, in provinciis Proconsulares, & Proprætorii. Sola Ægyptus Præfectum Augustalem ex ordine equestri habuit, Strabo lib. XVII. & Dion l. LIII. Undecim provinciæ ab Augusto populo traditæ Proconsulares fuêre, Africa, Numidia, Asia, Achaja cum Epiro, Dalmatia, F Macedonia, Sicilia, Creta cum Libya Cyrenaica, Bithynia cum adjacente Ponto, Sardinia & Betica. Sed Achajam & Macedoniam postea Tiberius Præsidibus subjecit. Tacitus *Ann.* lib. I. *Achajam*, inquit, *ac Macedoniam onera deprecantes levari in præsens proconsulari imperio, tradique Cæsari placuit.* Aliæ undecim à Cæsare retentæ, Proprætoriæ

toriæ fuere. Iberia Tarraconensis, & Lusitania: universa Gallia cum Narbonensi, Aquitanica, Lugdunensi & Celtica, Syria Coele, Phœnicia, Cilicia, Cyprus & Ægyptus. Tranquillus tamen in *Vespasiano*, Ciliciam proconsularem vocat, & Cappadociæ consularem Rectorem pro equite Romano impositum scribit, quæ postea sub Præside fuit. Itaque apparet quare Bithyniam Plinius Junior Proconsul rexerit, & cur in marmoribus provinciarum Rectores, modò Proconsules, modò Proprætores nominentur: sed hæc postea sunt mutata. Constantinus enim novam magistratuum formam invenit. In primis quatuor Præfectos Prætorio instituit, unum Orientis, cui diœceses quinque sunt tributæ, Oriens, Asia, Pontus, Ægyptus, & Thracia. Alium Illyrici, cui duæ Macedonia & Dacia sunt datæ. Tertium Italiæ qui etiam Africam, & Illyricum Occidentale regebat. Quartum Galliarum, qui etiam Hispaniæ & Britanniæ imperabat. Hi in quatuor orbis partibus constituti, quia ubique esse non poterant, plures in singulis sibi commissis diœcesibus Vicarios posuerunt, qui pluribus Præsidibus imperabant. Unde Gratianus A. Vicarios pro Præfectis diœceses sibi creditas temperare scribit, *in leg. 1. C. de prox. sacr. scrin.* Singulis verò provinciis proconsules, aut consulares, vel correctores, aut præsides præerant. Orientem uni Comiti cum XV. provinciis commisit, præfectum Augustalem in Ægypto reliquit. Neque tum alius præter hos reperiebatur civilis provinciarum magistratus, nec plures Notitia, nec Zeno *in l. 1. C. ut tam civiles quàm militar. jud.* nominant.

Prætoribus sex fasces, & totidem Proconsulibus præferebantur, *l. proconsules. ff. de offi. procon.* Appianus, *de Bellis Syr.* *Prætores*, inquit, *ad exercitum Romani miserunt, quos ἑξαπελέκεις, hoc est, sex securium vocant:* quia Consules duodecim securibus & totidem fascibus Regum more utebantur. Prætores autem quia dimidium dignitatis habebant, etiam dimidium insignium sunt consecuti, Plutarchus in *Paulo Æmilio: Prætor*, ait, *in Hispaniam missus est non cum sex securibus, tot enim Prætores habent, sed totidem aliis assumptis, ut Imperii Consularis dignitatem haberet.* Cicero de Verre Prætore Siciliæ loquens, ait: *Sex lictores circumsistunt exercitatissimi, & ad pulsandos verberandosve homines valentissimi:* Fasces ex virgis betulæ fiebant. Plinius lib. XVI. cap. XVIII. *Betula*, inquit, *arbor est Gallica, mirabili candore atque tenuitate, terribilis Magistratuum virgis: eadem circulis flexilis, item corbium sportis.* Hæc ille. Lictores taurina pelle indutos fuisse Palladius in *Nathanaele Abbate* scribit, quod an sit verum subsisto. Demum Proprætoris nomine abolito, in provinciis Proconsules Præsidesque fuerunt. In Italia verò Prætoribus Correctores successerunt, ut in Apulia, Calabriaque, Lucania, & Brutiis, *l. de omnibus, l. penult. ff. de offi. præsid.* quod nomen & in aliquas provincias, ut Augustanicam, Paphlagoniam, & Saviam est propagatum. Olim erant & Provinciæ Quæstoriæ, ut Cyprus, Cicero in epistola *ad C. Sextilium Ruffum*, ad quas ibant nomine exigendorum tributorum hi, qui *Quæstores* dicebantur, & jus populis Prætoris vice dicebant: verùm jus gladii non habebant, ut ait Dion lib. LIII. Hi prius Proconsules comitabantur, & tributa exigebant, *l. 1. ff. de offic. Quæstor.* postea per se ipsi ignobiliores provincias administrarunt. Eorum loco Imperatores suos Procuratores crearunt, qui Proconsules Præsidesve in provinciam secuti, aliquod imperium habebant, *l. ult. ff. de procurat. Cæsar.* causas enim fiscales tantùm judicabant, *l. nec quicquam in princ. ff. de officio procons.* cum verò Præsidis loco regionem aliquam administrabant, imperium quidem habebant: sed majorum Magistratuum insignibus uti non poterant. Quare Capitonem in Asia procurantem Tiberius deportavit, quòd satellitibus usus, præfecturæ sibi auctoritatem usurpasset, Dion lib. LVII. Hi quandoque ex equitibus, quandoque ex libertinis Cæsaris creabantur: Quare provinciarum tres ordines, ut & magistratuum facti sunt, quædam majores, quædam mediæ seu Consulares, quædam minores, id est, præsidum sunt appellatæ. Justinianus *in §. illud. Authent. de appellat.* *Veneranda*, inquit, *vetustatis auctoritas, ita magistratus digessit, ut alii majores, alii medii, alii minores essent.* Idem ad Archelaum P. P. Africæ *in l. 1. §. Deo itaque nobis. C. de offic. P. P. Africæ.* *Carthago*, ait, *Byzantium, & Tripolis, Rectores habeant Consulares, reliqua præsidibus gubernentur.* Zeno A. ad Sebastianum P. P. *in l. 1. in princ. C. ut omnes jud. tam civiles quàm milit.* *Nemo*, inquit, *ex Præsidibus Clarissimis, vel Consularibus, aut Correctoribus, vel qui administrationis majoris insulas meruerunt, id est, viri spectabiles, Proconsules, aut Præfectus Augustalis, aut Comes Orientis audeat excedere de locis, quos rexisse noscitur, antequàm quinquaginta dierum constitutus numerus finiatur.* Hæc ille. Majoribus provinciis majores magistratus, id est, Spectabiles, quales sunt Proconsules, Mediis Consulares & Correctores, Minoribus præsides sunt præfecti, *dict. §. illud. Authent. de appell. seu Novell.* 20. Proconsulares provinciæ antea undecim fuêre, postea ad tres redactæ sunt, Asiam scil. Achajam, & Africam, qua amissa, priores duæ tantùm Proconsulares permanserunt, *l. 1. C. de ratio. oper. publ.* Zeno enim utrumque Proconsulem Imperii nominat, cùm hi duo soli tum reperirentur: Sed Africa à Barbaris recepta, ejus Proconsulem Justinianus renovavit. Idem Cappadociam, Armeniam primam, & Palæstinam Proconsulares fecit, *Nov.* 30. 31. quas in numero majorum esse voluit, sicut & illas, quibus Comites, Prætores, & Moderatos dedit, qui jus etiam in milites habebant, *edicto* 4. *de præside Phœnicia, & Libani, & Nov.* 26. erantque Spectabiles.

Mediæ verò erant provinciæ Consulares, non Consulum aut Proconsulum, sed in quas Senatores cum Consularibus ornamentis mittebantur. Minoris enim sunt administrationis, quàm Proconsulares, *dict. l. 1. C. ut omn. judic. tam civil. quam milit.* Mediis provinciis & Correctores imperabant, qui Consularibus in hoc inferiores erant, quod ornamentis Consularibus non utebantur, sed militibus imperantes, ensem & chlamydem gestabant, quibus Proconsules carebant.

Minores provinciæ à Præsidibus regebantur, *d. l. 1. §. Deo itaque nobis. C. de offic. P. P. Africa*, qui propriè *ordinarii* vocantur, *l. ordinariorum. C. de cohortalibus, l. 1. C. de collat. fundor. fiscal. l. 1. Cod. si quacunque prædit. pot. l. 2. C. de proxim. sacr. scrin.* Ita hos Præsides interpretatur Justinianus *Novell.* 103. *Palæstinam*, inquit, *quondam Proconsul tenuit, sed eo amisso ad magistratum, quem vocant ordinarium devenit, id est, Præsidem.* Ordinario enim jure is provincias regere dicitur, *l. ultim. Cod. de mod. mulct.* Sed & Consulares erant ordinariæ. Idem Justinianus A. *Novell.* 31. *§. penult.* loquens de quarta Armenia: *Consistat*, ait, *ipsa in forma ordinariorum magistratuum, Consularis à nobis facta.* Itaque provinciarum magistratus,

aut Proconsules erant, aut Consulares, vel Correctores, aut Præsides: plura enim Notitiæ tempore nomina non inveniuntur, de quibus singulis cum sit disserendum prius, quæ omnibus sunt communia, deinde in quo discrepent, dicemus.

CAP. C.

COMMVNIA MAGISTRATVVM *Provinciarum.*

ETSI speciali vocabulo, qui minores provincias regunt, *Præsides* appellentur, omnes tamen sub generali Præsidis nomine, Proconsules aliique provinciis Præfecti continentur: Æmilius Macer *in l. 1. ff. de off. præsid. Præsidis*, inquit, *nomen generale est, eoque Proconsules, & Legati Cæsaris, & omnes provincias regentes, licet Senatores sint, Præsides appellantur.* Nec sola hac voce, sed & re in multis conveniebant: In primis, quia omnes cunctis in provincia majus imperium habebant, insontesque animadvertebant, *l. illicitas, §. qui universas. ff. de off. præsid.* Omnes Senatorem in provincia morantem judicabant, *l. 2. C. ubi Senato. vel clariss.* Universis in provincias venientibus, per aliquot stadia Decuriones occurrebant, exceptis advocatis, qui portas exire non cogebantur, *l. 1. C. quibus muner. excus. qui port. implet. milit.* Id à Postumio Albino Cos. anno ab Urbe cond. DLXXXI. ordinem habuisse videtur, qui iratus Prænestinis, quòd apud eos sacrificans non esset honoratus, jussit, ut ipsorum magistratus sibi obviam exirent, Livius libro XLII. cap. I. quod postea in exemplum transiit: is enim honos aliis quoque magistratibus est habitus. Nullus rectorum cùm provincias circumibant, ad privatos divertere poterat, sed in mansionibus cursus publici hospitabantur: Aliæ domus, ad quas declinassent, publicabantur. Valentinianus *in l. 4. C. Th. de offic. rect. prov. Quisquis*, inquit, *provinciæ Præsidentem propria possessione susceperit, ager, quem diversorium habuerit, prædictus in transitu, fisci juribus vindicetur. Ita enim judices mansiones instruere, & instaurare nitentur.* Hæc ille. Omnes officia cohortalium habebant: Sed minor Præsidum numerus, in quorum officio circiter quinquaginta Apparitores fuêre, cum totidem Africæ Præsidibus Justinianus constituat, *in d. l. 1. §. Deo itaque nobis. C. de offic. P. P. Afr.* Quandoque tamen plures pro locorum, sive regionum consuetudine habuerunt. Hæc dicebatur *cohors Prætoria*, quæ olim præter paucos, Præsidis arbitrio eligebatur, *l. quicunque, C. de cohortalib.* Cicero *ad Q. fratrem* Asiæ Proprætorem: *Atque inter hos*, inquit, *quos sibi comites, & adjutores negociorum publicorum dedit Respublica, duntaxat his finibus præstabis, quod ante præscripsi. Quos verò ex domesticis conjunctioribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte Prætoria appellari solent, horum non modò facta, sed dicta præstanda sunt.* Hæc ille. Tempore posteriorum Principum, & Notitiæ, hæc aliam formam habuerunt, ut infrà dicetur.

Omnium provincias regentium præcipua erat cura tributa exigere, *§. 1. Auth. de mandat. Princip. seu Novell. 17. & l. ult. C. eod. tit.* & ob id singuli in officio Numerarios habebant, id est, arithmeticæ, & numerorum peritos, qui quandoque *Tabularii* vocantur, quod exacta tributa, indictiones, & capitum census scriberent, *l. 2. C. de numerar. l. in provinciis. C. eo. l. duos. C. de susceptoribus.* Omnibus etiam mandatorum Principis codices, & codicillos magistratus cum insignibus depictos, Notarii majoris Laterculi exhibebant, *Auth. de manda. Princ. Novell. 24. ad fin.* pro quibus aliquot aureos solvebant. Cohortales generaliter magistratus in publicum prodeuntes præcedebant. Lampridius in *Alexandro*: *Apparitores*, inquit, *nullos esse passus est: Tribunis aut Ducibus, nisi milites anteire voluit: jussitque ut ante Tribunum quatuor milites ambularent, ante Ducem sex, ante Legatum decem.* Hæc ille. Id autem quod Ducibus prohibuit, civilibus magistratibus concessit, qui apparitores præmittebant. Nicephorus enim lib. x. cap. XXII. ait, Julianum Apostatam prohibuisse, ne apparitores Præsides antecederent, quando delubrum ingrederentur Deorum honoris gratia; aliàs verò permisit, ut lictores cum fascibus & securibus præirent. Cassiodorus in *formula Consularitatis.* D. etiam Basilius in *Exaëmero, homil.* v. scribit præconem & ferigerulos Præsides præire consuevisse. Nec verò gregatim, aut bini, vel terni, sed singuli ordine unus post alium magistratum præcedebant, quemadmodum in nummis antiquis spectantur, & Livius lib. XXIV. scribit, patrem Fabium cùm venisset ad filium Cos. equo insidentem, undecim fasces prætervectum non descendisse, nec Lictores verecundia majestatis ejus quicquam dixisse. Tum filius proximo lictori jussit, ut patrem officii sui moneret. Proximus autem magistratui lictor dignior erat, inter quem & Præsidem nemini se interponere licebat, ut Valerius lib. I. *de institutis antiquitatum* scribit. unde in antiquo marmore legitur:

M. VLPIO. AVG. LIB. PHOEBIMO LICTORI PROXIMO.

Primus submovebat plebem, & ob id præter fasces virgam manu gerebat. Proximus mandata magistratus exequebatur, neque adeo vile erat hoc officium, nam servi Lictores esse non poterant, Dion lib. XLVIII. Eadem etiam omnes fermè provinciarum Rectores insignia gerebant, scilicet librum mandatorum abaco impositum, cui tapetum venerationis gratia substernebatur. Hic in auditorio, ubi lites dirimebantur, retinebatur, ut in Consularibus Palæstinæ & Campaniæ Notitia ostendit. Iisdem præter codicem præfatum & vultus Principum in summo aureæ pilæ expressi præferebantur: Cassiodorus in *formula Consularitatis: Vultus etiam*, inquit, *geniata obsequii pompa præmittit.* Sic hodie ante Archipræsules & Patriarchas crux argentea, cum Domini effigie hastæ altæ præfixa præmittitur, *cap. antiqua. de privileg.* Hunc enim usum ab antiquis Præsidibus sumptum puto. Iidem purpurâ, & torque aureo ornabantur. Tertullianus *de Idololatria* loquens de Præfectis provinciarum, ait: *Igitur purpura illa, & aurum cervicis ornamentum eodem more apud Ægyptios, & Babylonios, insignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, & coronæ aureæ sacerdotum provincialium.* Hæc ille. Erat autem torques aurum ductum implexum ex tribus quasi funiculis, quod de collo gestabant, inquit Sophotatus Curopalata, *de officialibus palatii*, ubi de ejus feriis tractat. Hic antiquitus victoriæ insigne fuit, qui victoribus donabatur. D. Ambrosius de obitu Valentiniani Imper. *Torques*, inquit, *insignia esse victoriæ dubitari non potest, cùm hi, qui in bello fortiter fecerint, torquibus honorentur.* Tales magistratus videri volebant, & ideo his ornabantur.

tur. Omnium verò magistratuum præcipuùm insigne fuit cingulum, sine quo Principem adire non licebat, ut ait D. Chrysostomus *in* 1. *ad Corinth.* cap. 11. *sermone* xx. & ideò *in cingulo esse* dicebantur, qui actu provincias administrabant, ad aliorum differentiam, qui honoraria dignitate fungebantur, quæ cingulo carebat, *l.* 1. *C. ut dignit. ordo servet. l. omnes. C. de metat.* Quare exauctorati magistratus cingulo exuebantur, *§.* 1. *in Auth. de incest. nupt. seu Novell.* 12. Habebant & singuli provinciarum rectores suos assessores, quibus Pescennius Niger salaria ex publico constituit, ne eos gravaret, quibus assidebant, dicens: *judicem, nec dare, nec accipere debere*, ut Spartianus scribit. Idem & Alexander Imper. statuit, quamvis diceebat eos ad magistratum promovendos esse, qui per se sine assessore possent administrare, ut auctor est Lampridius. Annonas etiam, id est, alimenta, & pabula equorum singuli Magistratus provinciarum accipiebant. Constantinus A. Cyndino P. P. *in l.* 2. *C. de cursu publico. Respublica*, inquit, *Præsidibus annonas, & alimenta eorum pecoribus subministrat*: quod vetus institutum fuit. Ex lege enim Julia provinciæ Proconsulibus, aut Prætoribus fœnum, ligna, lectos, suppellectilem, & tectum dabant. Cicero *ad Atticum*: *Nos Asia accepit mirabiliter, adventus noster ne minimo quidem fuit sumptui, scito non modò nos fœnum, aut quod de lege Julia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem, nec præter quatuor lectos, & tectum quicquam. Multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo plerumque manere.* Hæc ille. qui significat, magistratus in itinere sub tentoriis pernoctare solitos. Ex publico etiam his argentum dabatur. Cicero in v. *Actione in Verrem*: *Hominem*, inquit, *qui cum potestate ex legatione in provinciam esset profecturus, tam amentem esse putaverunt, ut emeret argentum, dabatur enim ex publico, ut nostis.* Et in *Actione* VII. *Ubi ternis denariis æstimatum frumentum? ubi tabernacula? ubi muli? ubi tot, tantaque ornamenta magistratibus, & Legatis à Senatu populoque Romano permissa & data?* Livius quoque lib. XLII. in princ. *Magistratus*, inquit, *exeuntes, mulis, tabernaculisque & omni alio instrumento militari instruebantur*: Hinc dicta est suppellex, quia pecunia à Republica alicui dabatur, qui suo sumptu instrueret legatos sub pellibus seu tentoriis habitaturos, *l. Labeo in princ. de suppel. legat.* Ad eos hospites verò divertebant, qui & Romæ apud ipsos privatos hospitabantur, socios nunquam onerabant: Id & Plutarchus in *M. Catone* confirmat. Legati tamen si repente aliquò mitterentur, singula jumenta per oppida, qua iter faciendum erat, imperabant, aliud onus non injungebant. Verum L. Posthumius Albinus Consul, Anno ab Urbe condita DLXXXI. Prænestinis iratus, jumenta, & locum, ad quem diverteret, cùm illac transiret, imperavit. Augustus verò magistratus provinciarum pro suppellectili, ac cæteris necessariis, certam pecuniam numeravit, unde utensilia locari desierunt, Dion libr. LIII. Tranquillus in *Augusto* cap. XXXVI. *Auctor*, inquit, *fuit, ne magistratus posito honore statim in provincias mitterentur: ut Proconsulibus ad mulos, & tabernacula, quæ publicè locari solebant, certa pecunia constitueretur.* Verùm Alexander Imperator morem antiquum renovavit. Lampridius in *eodem*: *Cùm judices*, ait, *promoveret, exemplo veterum, argento & necessariis instruebat, ita ut Præsides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, coquos singulos: & si uxores non haberent, singulas

A *concubinas (quòd sine his esse non possent) reddituri deposita administratione, mulos, equos, mulones, & coquos: cætera sibi habituri, si benè se gesserint: quadruplum reddituri, si malè.* Hæc ille. Constantinus quoque iis alimenta præstitisse videtur, *l.* 2. *C. de cursu publico.* Sed certam magistratibus pecuniam numerari Theodosius Minor præcepit, *l.* 1. *C. de anno. & cap.* quem Justinianus sequutus, pro singula annona, id est, victu unius hominis solidos quinque taxavit, pro capitatione, id est, pabulo unius equi, solidos quatuor, *l.* 1. *&* 2. *C. de P. P.* Andronicus Comnenus Imper. minoribus magistratibus XL. minas, majoribus LXXX. id

B est CCCC. & DCCC. nostros aureos dedit, arctissimè præcipiens, ne quid aliud acciperent, Niceta lib. II. antea enim civitas, in quam Præses ibat, cum per triduum alebat, & P. P. præstanda alimenta præscribebat, *Novel. majora. tit.* 1. *de curia. lib.* Ubi successor in provinciam venisset, statim decessor discedere tenebatur, nec ultra tres menses in itinere poterant morari, *l.* 2. *ad l. Juliam majest.* Dion libr. LIII. Augustus constituit, ne ullus magistratus, nisi jubente Principe, pecuniam provinciæ imperaret, qui hoc fecisset, crimen læsæ majestatis incurreret: Idem statuit, neminem ante tricesimum annum Prætorem crea-

C ri, & qui non prius Ædilis, & Quæstor, vel Tribunus plebis fuisset, Dion dict. loco. Sed hæc, ut alia multa, postea Principum arbitrio sunt immutata: Nam etsi annuus Romanis magistratus esset institutus, manebat tamen in provinciis, quamdiu Principi placebat, Tiberius eos diu imperare permisit, ut ait Tranquillus. Antoninus Pius *septenis & novenis annis bonos Præsides in provinciis detinuit*, ut auctor est Capitolinus in *eod.* Romam reversuri ex provincia prius ad Senatum scribebant. Cicero *in L. Pisonem*: *Occultus*, inquit, *adventus, nulla ad Senatum ex provincia littera.* Regressi, cum ad portam Urbis venissent, insignia magistratus de-

D ponebant, *l. ult. ff. de offi. proconf.* quod Cicero Pisonem ex Macedonia Proconsulem redeuntem fecisse dicit: togulæ enim ejus lictoribus præstò ad portam fuere, quibus illi acceptis, saga rejecerunt, militarique veste abjecta civicam induerunt: Sed id Proconsules tantum fecisse credo. Præsides verò egressos provincia, insignia statim deposuisse. Omnes in publicis ædibus habitabant. Erant enim in majoribus urbibus præter palatia Principis, prætoria, id est, ædes in quibus judicabatur, *Novell.* 24. *in prin. l. omnes. §.* 1. *C. de epis. & cle. l. prætoria. C. de oper. publ. l. ult. C. de offic. rect. prov.* Anastasius, non Leo, ut vulgo impressum

E est, *in l. nulli. quæ est l. ult. C. de off. rect. provinc.* præcepit ne Præsides aliique majores magistratus, nisi in palatiis, aut prætoriis habitarent, vel in illis, quas speciebus, id est, rebus, ad annonam pertinentibus vacuas invenissent, *l.* 1. 2. *& pen. C. de navicular. & naucler. species transformantibus.* Hæc prætoria ab hospitibus, vel militibus recipiendis erant immunia, *l. cunctos. Cod. de metatis.* Quæ si defuissent, Civitas domum Magistratui invenire tenebatur: in privatis enim ædibus habitare non debet, ut censent Jurium Interpretes, Alber. *in l. observare, in princip. ff. de offic. Procons. & leg.*

F In prætoriis, ubi jus dicebatur, altius tribunal ad hunc usum erectum erat, illi credo simile, quale Vitruvius lib. v. cap. 1. dicit, se in Julia Basilica fecisse: *Tribunal*, inquit, *est in æde hemicycli schœmatis minore formatum curvatura*: id est, non erat curvum, quemadmodum fornix formarum aquæductuum, ut faceret semicirculum rotundum,

ſed velut arcum formabat, ita ut Cornua diſtarent, pedibus quadraginta ſex. A medio curvaturæ, uſque ad lineam cornuum intercedebant pedes quindecim. Sed hæc forma non ſemper obſervata fuit. Cœpit enim tribunal, ut ait Iſidorus, eſſe locus editus, ad quem per gradus aſcendebatur, ubi in ſublimi ſedens Magiſtratus jus dicebat, inferius in ſubſelliis Scribæ degebant. In imo verò ſolo ſtabant litigantes, quemadmodum Zeno *in l. ult. C. ubi Senat. vel Clariſſ.* deſcribit, qui loquens de illuſtri reo criminis facto: *Sedendi*, inquit, *in aliqua parte ſecretarii, qua judicibus inferior, altercantibus verò ſuperior eſſe videatur, licentiam habebit.* Præclaram tribunalis formam Notitia in Conſulari Campaniæ repræſentat, locus aliquot gradibus eminens, in medio ſolium jus dicentis habet, ſupra purpuræ cortinæ annulis ſuſpenſæ ad latera deducuntur, quæ complicatæ faciem tribunalis aperiunt, id tum *velum levatum* vocabatur, *ut in l. de ſubmerſis. C. de naufrag.* Obducebatur verò, cùm de condemnando, vel abſolvendo deliberabant: unde *Secretarium* vocabatur, *d. l. ult. C. ubi Senat. vel Clariſſ. l. 2. C. de proxim. ſacr. ſcrin. l. ult. C. de offic. diverſ. judic.* In medio verò ſedens jus dicturus librum mandatorum alto tapeto impoſitum habebat, quemadmodum ibi ſpectatur: Locus hic à Jureconſult. *Adjutorium* appellatur, *ut in l. lecta. ff. ſi cert. pet. & l. pen. ff. de offic. aſſeſ. in l. 22. ff. ad Trebel.* Magiſtatus jure alibi quàm pro tribunali judicare non poſſunt, *l. pen. ff. de juſtit. & jure, l. cum ſententiam. ubi Bart. C. de ſent. & interloc. omn. jud. l. 2. §. dies. ff quis ord. in bon. poſſ. ſervet.* unde tribunali præeſſe, & pro tribunali cognoſcere dicuntur, *l. 1. ff. de jud. l. 2. ff. de re jud.*

Sed etſi ſummam in provinciam Præſides, aut Proconſules auctoritatem haberent, *l. 4. ff. de offic. præſi.* ante Diocletianum tamen non omnes cauſas ipſi judicabant, ſed litigantibus judices dabant: id diſertè aperit Severus *in l. 1. C. de ordin. cognit.* negans ſuper cauſa ſtatus poſſe Præſidem cognoſcere: & Antoninus *in l. 2. C. eod. tit.* *Adito*, inquit, *Præſide provinciæ, & accepto familiæ erciſcundæ judicio experire.* Quare edictis Prætores, vel Proconſules ſe judicium, vel actionem daturos pollicebantur, non judicaturos, *l. 1. §. 1. ff. de dolo. l. ſi id quod. ff. de juriſdict. om. jud. l. Lucius. ff. mandati.* Cicero *ad Q. Fratrem: Quid? Prætor ſolet judicare deberi:* Gellius lib. II. *Prætores*, inquit, *pro injuriis æſtimandis recuperatores ſe daturos dixerunt.* Plautus in *Bacchid.* Act. II. Sc. III.

Poſtquam quidem Prætor recuperatores dedit
Damnatus demum, vi coactus reddidit
Ducentos & mille Philippûm.

Id & Suidas affirmat in verb. ἡγεμονία. Aliquando tamen cauſarum & perſonarum favore ipſimet cognoſcebant, veluti cauſas liberales, id eſt, libertatis, ingenuitatiſque, *l. 1. antepen. & pen. C. de ord. cognit. l. ſi pater. C. ne de ſtatu defun. l. penult. & ult. C. ubi cau. ſtat.* & quaſdam alias pecuniarias, *l. 1. ff. de rei vendic. l. minor. ff. de evictionib.* quæ à Jureconſultis pro extraordinariis recenſentur, *in tit. ff. de var. & extraor. cog.* Verum Diocletianus ſanxit, ut Præſides omnia per ſeipſos negocia definire poſſent, non cogerentur, *l. 2. C. de pedan. judicib.* Cauſas verò criminales ſemper cognoverunt & terminarunt, *l. 1. ff. de offic. ejus cui mandat. eſt juriſdict.* Magiſtratus extra fines ſuæ provinciæ eſſe non poterant, nec bellum ſine Senatus, vel Principis decreto gerere, *l. 2. ff. ad leg. Jul. majeſt.* Quamobrem Dion lib. XXXIX. & XL. M. Craſſum notat, qui ſine Senatus decreto bellum Parthis intulit. A defenſoribus civitatum Duûmviris, pedaneiſque judicibus ad Præſides appellabatur, *l. Imperatori. ff. de appell.* ab ipſis verò ad Spectabiles, veluti Proconſules, vel Moderatores, ſi cauſa decem libras non excedebat, *§. pen. & ult. Auth. de appell.* aliàs ad Præfectum Prætorio ibatur, *l. 27. C. de appellationib.* Majorano imperante, civitates Præſidem ad ſe venientem per triduum alebant, & Præf. Præto. diurna alimenta ipſi præſtanda præſcribebat, *Nov. Majorani, de curialib.*

CAP. CI.

DE PROCONSVLIBVS;

& differentia inter eos, & alios Provinciarum Magiſtratus.

MAGISTRATIBVS generaliter explicatis, nunc Proconſul à cæteris eſt diſtinguendus: Is ſex faſces, cum totidem ſecuribus præmittebat, *l. Proconſules. ff. de offic. Proconſ.* Præſides quinque, ut auctor eſt Dion libr. LIII. Juſtinianus *Nov. 30. §. 6.* loquens de Proconſule Cappadociæ: *Civilis*, inquit, *officiis utetur inſignibus, curru ex argento, ſecuri & faſcibus.* Hæc ille. Eadem fortè & Conſularis geſtabat inſignia, qui Conſularibus infulis ornatus incedebat, ſed non Correctores, ſicut nec Præſides. Proconſul etiam urbem egreſſus, in itinere, & reverſus, donec portam urbis ingrederetur, ornamentis Proconſularibus utebatur. Vlpianus *in l. 1. ff. de off. Proconſ.* *Proconſul*, inquit, *ubique Proconſularia inſignia habet, ſtatim atque urbem egreſſus eſt:* quod & Dion libr. cit. refert Voluntariam præterea, ut appellant, juriſdictionem ubique extra urbem exercebat, *l. 1. 2. & ult. ff. de off. Proconſ.* Martianus *in d. l. 2. ff. eod.* *Omnes*, ait, *Proconſules ſtatim, quam urbem egreſſi fuerint, habent juriſdictionem: ſed non contentioſam, ſed voluntariam: ut ecce manumitti apud eos poſſunt, tam liberi, quàm ſervi, & adoptiones fieri.* Hactenus Martianus; unde Plinius epiſt. XVI. lib. VII. Fabato proſocero pollicetur ſe curaturum, ut Caleſtrius Tyro in Bæticam Proconſul proficiſcens in itinere prope Ticinum ejus ſervos vindicta manumittat: & illos cum multis aliis liberavit. Hæc aliis magiſtratibus non concedebantur, qui dignitatis inſignia, non niſi cùm in provinciam veniſſent aſſumebant, & decedentes ſtatim deponebant: Idem epiſt. pen. lib. VII. Sic & Præfectus Ægypti, cùm ſucceſſor Alexandriam ingrediebatur inſignia deponebat, *l. 3. l. ſi fortè, de offi. Præſidis*, Dion lib. cit. In modo quoque multandi differebant. Proconſules enim in ſex auri unciis, ut & Comes Orientis, & Præfectus Auguſtalis multabat. Cæteri Præſides tantùm in duabus, *l. 1. ff. de offic. præſ. Auguſt.* Item Proconſul legatum ſecum ducebat, cui univerſam juriſdictionem demandabat, *l. ultim. C. de mod. multar.* Præſes ſolo aſſeſſore contentus, pedaneis judicibus cauſas delegabat, *ut in l. obſervare. §. poſt hæc. ff. de offic. proconſ. & leg.* unde legati tantum Proconſulis Jura meminerunt, *§. 1. Inſt. de ſuſpect. tutorib.* Splendidiore quoque titulo, id eſt, Spectabili, Proconſul gaudebat, *l. 46. l. ult. cum ſeq. l. legatus cum ſeq. l. pen. ff. de off. proconſ. & leg.* Præſides erant clariſſimi, *l. 1. C. ut omnes juds. tam civi. quam crimin. §. ult. in Auth. de non alienand. reb. eccl. ſeu Nove. 7.* quod fuit poſt inventum Spectabilis titulum. Ante Conſtantinum enim Proconſules clariſſimi vocabantur, *d. l. 1. in prin. l. ſi præſes, vir Clariſ. C. de. pignorib.* ut & Claudium Maximum Africæ Proconſulem Apulejus vocat, qui Marci Antonini temporibus vixit, & Galerium Maximum ſub Valeriano acta D. Cypriani appellant. CLARITATIS quoque, NOBILITATIS, POTESTATIS, vel

vel SUBLIMITATIS titulo, *l. 3. C. ex quib. cau. infam. irrog. & l. 1. C. si ex fal. instr.* etiam à Principe Proconsul honestabatur, *l. 1. C. de offic. com. sacr. palat.* apud Surium XXIII. *Aug.* & XXX. *Oct.* in *Actis martyr.* & *D. Marcell.* Præses verò, prudentiæ, aut verbo gravitatis, *l. 1. C. de offic. comit. sacr. patr.* Præterea ordinariæ erant clarissimorum provinciæ, non Proconsulum, aut Spectabilium, *l. 4. C. T. de decu.* Item anno tantùm Proconsul in provincia morabatur, *Nov. 31. §. pen. l. omnes, in prin. C. de episc. & cler.* qui tamen in adventum successoris jus dicebat, *l. meminisse, de off. procons.* Præses, quantum Cæsari libuisset, Dion lib. LIII. Olim quoque à se vel ab aliis relegatos Proconsules restituebant, quod postea fieri Trajanus mandatis Plinio secundo traditis prohibuit, Plin. epist. XXVI. *ad Trajanum.* Sunt qui volunt solum Proconsulem deportare potuisse, non Præsidem, *l. 1. §. ii quib. ff. de leg. 3. l. inter pœnas. ff. de interd. & releg. l. 2. §. 1. ff. de pœn.* ut Budæus *de asse* lib. V. *Majus enim*, inquit, *est Proconsulis imperium quàm Præsidis, qui jurisdictionem tantum cum imperio habebat.* Proconsul verò omne tenebat imperium, & Jura, quæ Romæ Prætori data fuerant, *l. si in aliam. §. ult. & l. seq. ff. de off. procons.* quare edicta contra legem promulgabat, *§. 1. Instit. de bon. poss.* & hoc jus *provinciale* vocabatur, *in l. heredem. ff. de dolo, & Novel. 24. in princ. l. quod autem ff. de eo quod met. cau. l. necessariis. ff. de acq. hered. l. 2. ff. un. cogn. l. 1. de alien. jud. mut. cau. fact. l. 1. quod cum eo qui in alien. pot. l. 2. ff. de mil. test. l. 7. ff. quemad. test. aper.* quod Præsidibus aliisque clarissimis magistratibus antea negabatur, sed ipsis postea à Probo est concessum, Vopiscus in *Probo: Patribus*, ait, *permisit, ut Proconsules crearent, legatos Consulibus darent, Consules jus prætorium Præsidibus darent*, quod aliàs habituri non erant, nec ante ipsum habuerunt. Itaque Proconsules, quia jure prætorio, seu Prætoris auctoritate ipsis attributa edicebant: aliquando Prætores vocantur, ut appellat Cajus edicti provincialis interpres, *in l. 1. & l. 7. quemad. testam. aper. in l. ult. quod quisque jur.* unde olim Proconsules in provincia, ut Prætores, de liberalibus & ingenuitatis causis non Præsides cognoscebant. Plinius Trajano epist. XLVII. *Postulantibus*, inquit, *quibusdam, ut de cognoscendis liberis, restituendisque natalibus secundum exempla Proconsulum ipse cognoscerem, respexi ad Senatusconsultum, quod de his tantùm provinciis loquitur, quibus Proconsules præsunt.* Hoc idem significavit Paulus: cum liberalem causam majores judices habere dixit, *in l. non distinguemus. 32. §. de liberali. de arbi.* Severus quoque Præsidem de causa status cognoscere non posse rescripsit, *in l. 1. C. de ordin. juds.* nisi in aliam causam incidat, *dict. l. 1. 13. C. de ord. cogn.* post Probum verò etiam Præsidibus hæc facultas data fuit, *l. 2. C. de pedan. juds. l. jamdudum. C. ubi cau. stat. l. cum status. C. de ord. cogn.*

Plus etiam pro codicillis magistratus solvebat Proconsul, quàm Præses, ut Justinianus tradit, *§. Notitia, in Auth. ut jud. sine quoquo suffr. fiant, seu Nov. 8.* cujus argumentum fortè non ab omnibus animadversum, loci ratio postulat, ut explicem. Disponit ea Notitia quantum quisque magistratus pro codicillis administrationis solvere debeat, tresque illorum classes facit: primam Comitum, quibus Asiæ Proconsulem & Thraciæ, seu longi muri Vicarium addit. Hi sacro cubiculo, seu tribus ejus Chartulariis, solidos LXIII. solvebant. Primicerio Notariorum solidos XL. ejus adjutori solidos III. officio Præf. Præt. solidos XL. etsi minores Comites aliquantò minus solverent, scilicet quantum Consulares, excepto officio P. P. cui solid. L. pendebant: ita enim ex variis exemplaribus ille locus est emendandus. Secundus ordo Consularium Chartulariis tribus sacri cubiculi solid. IX. pendebat, Primicerio Notariorum solid. XXIV. ejus adjutori III. officio P. P. XL. Tertia classis Præsidum, Chartulariis tribus cubiculi pendebat solid. IX. Primicerio Notariorum solid. XV. ejus adjutori III. officio P. P. XXXVI. Ex his patet in redimendis magistratus codicillis inter Proconsules Consulares, Correctores, seu Præsides differentiam fuisse. Præsides etiam, aut Comiti Orientis, aut Vicariis parebant, Proconsul autem soli Præfecto Prætorio, *l. 1. C. de offic. com. sacr. patr.* A Præside etiam Principis delegato in causa decem libras auri non excedente ad finitimum Proconsulem appellabatur. A Proconsule verò ad Præfectum Prætorio, qui erat in Comitatu, & Quæstorem palatii. Sed ubi causa X. libras auri excedebat, à Præside ad Præfectum Præto. regionis provocabatur, *Novel. 23. seu §. illud. in Auth. de app. & intra quod temp. Nov. 27. & 30. edict. 4. Post Novel. de Præside Phœniciæ Libani.* Præterea nullus in officio Præsidum à libellis nominatur, quòd illi per se non per alios rescribere tenerentur, *l. 2. C. de assessoribus.* Idem erat in Consularibus Occidentis, & Correctoribus. Sed Proconsul per Libellenses preces expediebat, *l. 1. C. eod. tit.* Solus Præses Arabiæ, adjutorem à libellis habuisse reperitur, quem Notitia post officium Ducis Arabiæ, in ejus Præsidis officio recenset, quia idem etiam Dux erat. Apparitores quoque Proconsulum, & aliorum Spectabilium, codicillis à Principe & Proconsule subscriptis creabantur, sicut & Illustrium. Theodosius & Valentinianus *in l. in his. C. de diver. offic. In his*, inquiunt, *officiis, id est, virorum spectabilium Proconsulis Asiæ, Comitis Orientis, Præfecti Augustalis, & Vicariorum, nemo aliter admittatur, si eum emissa sacri scrinii probatoria consecraverit:* ita vocabantur codicilli quibus officiales probabantur, & ex scrinio epistolarum accipiebantur, *ut in l. ult. §. item scriniis sacr. epist. C. eo. tit. de diver. off.* Officiales verò Præsidum, in albo tantùm, vel Apparitorum matriculis scribebantur, *l. quicunque 2. C. de cohor. prin.* Horum etiam cohortales ex eodem officio Principem habebant: Spectabilium verò Apparitores ex schola Agentium in rebus accipiebant, excepto solo Proconsulis Asiæ officio, cujus Princeps ex eodem corpore creabatur.

Argentato quoque curru, & bijugo Proconsul vehebatur, *Nove. 30. §. 6.* quem Præsidibus concessum non fuisse puto. Chlamyde verò indui, aut cingulo, enseve accingi olim Proconsul non poterat, quia militibus non imperabat, Dion lib. LIII. Et hæc secundum aliquos est ratio, quare stratores reorum custodes habere non poterat, *l. observare. §. 1. ff. de off. Procons.* Hi enim milites erant, qui Prætoribus, & aliis nonnullis provincias moderantibus permittebantur: sed ego interpretor eum stratores non posse suos, id est, domesticos habere. In insignibus etiam Proconsules ab aliis Rectoribus differebant, ut infra dicetur.

Legatus præterea Proconsulis majorem quàm assessor Præsidis auctoritatem habebat: universa enim illi mandata jurisdictione, subdelegare, & tutores dare poterat, *l. legatus. l. pe. ff. de off. Procons. & leg.* quod Præsidum, aliorumque magistratuum assessoribus, etiam mandata jurisdictione non licebat, *l. 2. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisdict.* Vlpianus *in l. nec mandante ff. de tutorib. dat. ab his: Nec mandante*, inquit, *Præside, alius tutorem dare*

poterat, præter municipales magistratus: qui jussu Præsidis tutores dabant, *l. Lucius. 2. §. cum testamento. ff. de admin. tuto. §. sed hoc jure Instit. de Attilian. tutore.* Ratio differentiæ est illa, quia legatus à Principe auctoritatem jus dicendi habebat, non assessor, *l. solet. §. 1. d. l. legatus, & l. pe. ff. de off. Procon. & leg.* Nam & olim à Senatu legatus Proconsuli dabatur. Cicero *in Vatinium*: *Volo audire de te, quo Senatusconsulto legatus sis.* Et paulò infrà: *Ne hoc quidem Senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut legati ex ejus ordinis auctoritate legerentur.* Deinde: *Quis legatos unquam audivit sine Senatusconsulto? ante te nemo.* Hæc ille. Posteà Vatinius Trib. pleb. lata lege ad populum id Senatui ademisse videtur. Curru etiam cum Proconsule vehebatur legatus, quod post Severum fieri cœpit, cum antea pedibus irent, Spartianus in *Severo*. Hæc de Proconsulibus, & eorum inter alios differentiis. Consulares, Correctores, ac Præsides, infra, post Spectabiles explicabimus. Nunc singulos provinciarum magistratus, ut omnes uno intuitu cerni possint, summatim collectos, in sequenti indice repræsentabo.

SVMMARIVM MAGISTRATVVM CIVILIVM ORIENTIS.

P. P. Orientis suberant V. Diœceses; Provinciæ XLIX.

- *Proconsul Asiæ, sub quo Provinciæ III.*
  - *Proconsularis.* — *Asia.*
  - *Consularis.* — *Hellespontus.*
  - *Præses.* — *Insularum.*
- *Comes Diœceseos Orientis, sub quo Provinciæ XV.*
  - *Consulares IV.* — *Palæstina. Phœnices. Syria. Cilicia. Cyprus.*
  - *Præsides VIII. Clariss.* — *Palæstina salutaris. Palæstina secunda. Phœnices Libani. Euphratensis. Syria salutaris. Osrhoena. Mesopotamia. Cilicia secunda.*
  - *Præsides II. Perfectiss.* — *Arabia. Isauria.*
  - *Classis Seleucia.*
- *Præfectus Diœceseos Ægypti, sub quo Provinciæ VI.*
  - *Præsidum V.* — *Libya superior. Libya inferior. Thebais. Ægyptus. Arcadia.*
  - *Correctoris I.* — *Augustanica.*
- *Vicarii III.*
  - *Vicarius Diœceseos Asianæ, sub quo Provinciæ VIII.*
    - *Consulares II.* — *Pamphylia. Lydia.*
    - *Præsidum VI.* — *Pisidia. Lycaonia. Phrygia Pacatiana. Phrygia salutaris. Lycia. Caria.*
  - *Vicarius Diœceseos Ponticæ, sub quo Provinciæ XI.*
    - *Consulares II.* — *Galatia. Bithynia.*
    - *Præsidum VIII.* — *Honorias. Cappadocia prima. Cappadocia secunda. Hellenopontus. Pontus Polemoniacus. Armenia prima. Armenia secunda. Galatia salutaris.*
    - *Correctoris I.* — *Paphlagonia.*
  - *Vicarius Diœceseos Thraciæ, sub quo Provinciæ VI.*
    - *Consulares II.* — *Europa. Thracia.*
    - *Præsidum IV.* — *Hæmimons. Rhodopes. Mœsia secunda. Scythia.*

CAP. CII.

DE PROCONSVLE ASIÆ, *& ejus insignibus.*

MAGISTRATIBVS provinciarum ita distinctis, nunc eos secundum Notitiæ ordinem sigillatim declaraturi, ab Asiæ Proconsule auspicabimur, qui alios Spectabiles provinciarum magistratus præcedebat, & Præfecti Prætorio Orientis Imperio suberat, sed non ejus Vicario, sicut nec Comes Orientis, & ideo in Notitia à Vicariis separatur, quibus auctoritate inferior non erat, etsi angustior imperio inveniebatur. Neque enim totam Asiam minorem administrabat, quæ partim Comiti Orientis, partim duobus Vicariis parebat; sed eam tantùm oram, quæ Mare Myrtoum respicit. Subacta primum fuit Asia à L. Scipione, qui ob id *Asiaticus* est cognominatus: & prius Consules, mox Proconsules accepit, ut Gn. Manlium, quem Livius primum in Asia Consulem fuisse scribit. Augustus quoque cum provincias ordinaret, duas solas Consulares, id est, ab his qui Consules fuissent, administrandas fecit, Libyam & Asiam; nec eam totam, sed illam tantùm partem, quæ cis Halim Tauro includitur, exceptis etiam Galatis, Bithynia, Propontide, & gentibus, quæ sub Amynta fuerant, quemadmodum in calce operis Strabo recitat. Nam etsi Asia minor tota dicitur, quæ inter Pontum Euxinum, & Carpathium mare continetur, in ea tamen regione, ubi est Lydia, propriè & strictè Asia vocatur, Ponto, & Bithynia ad Septentrionem, Galatia, Lycaonia, & Pisidia ad Auroram, exclusis, ut auctor est Ptolemæus. Æneas Sylvius *de Asia minore* cap. LX. eam quinque provincias continuisse scribit, Phrygiam majorem, Mysiam, Troadem cum Æolide, Ioniam, & Cariam, quæ omnia usque ad mare Icarium & Myrtoum, insulasque Ægei maris, Asiæ adjacentes Proconsul habuisse videtur: quod etiam imperantibus posterioribus Principibus diu est observatum. Cæteras verò Asiæ partes Prætores, aut Præsides regebant. Verum post Constantinum Vicariis latè imperantibus, Proconsul eam tantùm partem cum insulis retinuit, quæ inter Cariam & Lydiam nominatim Asia dicitur, prope Sardos & Caistrum, ubi est Ephesus, ut auctor est D. Hieronymus

mus *de locis Hebraicis*, *in Actis Apostolorum*; *Asia*, inquit, *regio*, *quæ cognominatur minor*, *undique circumdata est mari*, *sed specialiter ubi Ephesus civitas est*, *Asia vocatur*; quod & Homerus in II. *Iliadis* sentit: quem Virgilius I. *Georgicorum* ita vertit:

— Et quæ Asia circum,
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.

Et lib. VII. *Æneid.*

— Sonat amnis, & Asia longè,
Pulsa palus.

Eunapius in Maximo loquens de Clearcho: *Valens*, inquit, *majorem ei præfecturam commisit*, *Asiæ*, *quæ nunc peculiari nomine sic vocatur*, *Proconsulem creans.* Ea à Pergamo usque maritimam oram complexa in continentem Caria tenus desinit: Tmolo monte fines ejus Lydiam attingentes circumscribente. Estque provincia illustris, & locuples, neque subjecta Præfecti Prætorio imperio.

Asia, civitas Lydiæ, ait Stephanus, universæ Asiæ nomen dedit: Lydia verò, Caria & Lycia à Vicario Asianæ regebantur. Postremò adjectus est primum à Theodosio Magno, mox ab Honorio, & Theodosio Juniore huic Proconsuli Hellespontus, quod ejus Consulares iniquè ab Apparitoribus Vicarianis Ponticæ vexarentur, *l. 1. C. de offic. comit. sacr. patrim.* In provinciam proficiscens

A hic Proconsul, per mare iter facere tenebatur, ac primum omnium Ephesum metropolim attingere. Vlpianus *in l. observare*, *§. quædam. ff. de off. Procon.* *Quædam*, inquit, *provinciæ etiam hoc habent*, *ut per mare in eam provinciam Proconsul veniat*: *ut Asia*, *scilicet usque adeo*, *ut Imperator noster Antoninus Augustus ad desideria Asianorum rescripserit*, *Proconsuli necessitatem impositam per mare Asiam applicare*, *καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον*, *id est*, *& inter matrices urbes Ephesum primam attingere.* *Post hæc ingressus provinciam mandare jurisdictionem legato suo debet*: *nec hoc ante facere*, *quàm fuerit provinciam*

B *ingressus*: *Est enim perquam absurdum*, *antequam ipse jurisdictionem nanciscatur* (*nec enim prius ei competit*, *quàm in eam provinciam venerit*) *aliis eam mandare.* Hæc ille. Imperante & Consule Tiberio cum Druso, quassata terræ motu Asia Prætorio viro, cum quinque fascibus regenda est commissa, Dion lib. LVII. Ab hoc Proconsule ad Præfectum urbi Constantinopolitanæ appellabatur, *l. cum appellatio. C. de appell.* Et illius fori advocati ab Anastasio obtinuere, ut deposito patrocinandi officio essent Clarissimi, & Comites ordinis primi, *l. 1. C. de advoca. divers. judi.* Antoninus Pius, antequàm imperaret, Asiæ Proconsul fuit, *l. 6. §. 1. ff. de custod. reor.*

NOTITIA.

PROCONSVL ASIÆ

CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri Spectabilis Proconsulis Asiæ Provinciæ infrascriptæ.



Sia.
Insulæ.
Hellespontus.
Officium autem habet ita:
Principem de eodem officio.
Cornicularium.
Adjutorem.
Commentariensem.
Ab actis.
Numerarios.
Scriniarios.
A libellis.
Exceptores, & cæteros Officiales.

COMMENTARIUM.

PROCONSVLIS insignia erant sex fasces, *ut l. Proconsules ff. de offic. Proconf. & leg.* totidem secures, & toga purpurea: præferebat & *vultus Principum*, quemadmodum Præfectus Prætorio, & alii majores magistratus, & *abacum alba mappa instratum, librum mandatorum sustinentem*: is in meo codice rubro corio tegitur, in manuscriptis argenteo, quorum capita, & medium fascia aurea complectitur, qualem tam in Oriente quàm in Occidente Proconsulum, Præfectorum, & Magistrorum fuisse cernimus. Tapetum in Ursini codice est cœruleum & virgis in cancellos dispositis munitum, in quarum medio bullæ item cœruleæ apparent. Mandatorum Proconsulis, aut Consularium Præsidum codex, quid contineret, non exprimitur, exceptis his, quæ à Justiniano renovata, aliquot capitibus explicantur, *in l. ult. C. de mandat. Princ. & Authen. eod.* Ne quid tamen desideretur, aliquot eorum capita in diversis Pandectarum locis disposita colligam, quæ omnia ferè circa judicantis integritatem, expurganda crimina, & exigenda vectigalia versabantur. *In primis*, ait Ulpianus *in l. solent in fi. ff. de off. Procon. Mandatis continetur, ne donum vel munus ipse Proconsul, vel qui in alio officio erit, accipiat, emat've quid, nisi victus quotidiani causa.* Item *in l. aliud est fraus, in fi. ff. de verbo. signif.* magistratus solos, & præsides provinciarum posse mulctam dicere, mandatis permissum est. Sed & caput mandatorum extat, inquit Marcianus *in l. 6. ff. de custod. reor.* ut irenarchæ, cum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis & receptatoribus, & interrogationes literis inclusas, atque obsignatas ad cognitionem magistratus mittant. Præterea in mandatis Principum est, ait Paulus *in l. 3. ff. de off. Præsid. ut curet is, qui provincia præest, malis hominibus provinciam purgare.* Et Calistratus *in l. 35. ff. de pœn.* ne quis perpetuis vinculis damnetur. Idem *in l. Divi. §. 1. ff. eod.* de decurionibus & principalibus civitatum qui capitale admiserunt, mandatis cavetur, ut si quis id admisisse videatur, propter quod relegandus extra provinciam in insulam sit, Imperatori scribatur, adjecta sententia à Præside: & paulò infra *d. l. Divi. §. ultim.* alio quoque capite mandatorum in hæc verba cavetur: *Si qui ex principalibus civitatis latrocinium fecerint, aliudve quod facinus, ut capitalem pœnam meruisse videantur, commiserint, vinctos eos custodies, & mihi scribes, & adjicies quid quisque commiserit.* Mandatis etiam cavetur, *in l. fin. ff. de requir. reis,* intra annum requirendorum bona obsignari, ut si redierint, & se purgaverint, integram rem suam habeant. Si neque responderint, neque qui se defendant, habuerint, tunc post annum bona in fiscum cogantur. Aliam mandatorum particulam Ulpianus lib. VIII. de officio Proconsulis his verbis recitat, *in l. 4. de extraord. crim. in prin.* Mandatis denique ita cavetur: *Debetis custodire, ne dardanarii ullius mercis sint, ne aut ab his, qui coemptas merces supprimunt, aut à locupletioribus, qui fructus suos æquis pretiis vendere nolunt, dum minus uberes proventus expectant, annona oneretur.* Mandatis quoque Imperatorum continetur, *l. Divus Vespasianus. §. 1. ff. de jure patr.* ut in provinciis Præsides de querelis patronorum jus dicentes secundum delictum admissum libertis pœnas irrogent. Item *in l. fina. ff. de testib.* ut Præsides attendant, ne patroni in causa, cui patrocinium præstiterunt, testimonium dicant, & non patiantur esse collegia sodalitia, *l. 1. ff. de colleg. & corpor.* Plinius *ad Trajanum: Secundum mandata tua*, inquit, *hetærias esse vetueram.* Mandatis & illud adjicitur, *l. observandum, ff. de offi. præsid.* ne Præsides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant: nam ex conversatione æquali contemptio dignitatis nascitur. Et *l. 1. ff. de offic. Præfect. Aug.* ne prius deponat imperium decessor, quàm successor in metropolim venerit, licet provinciam attigerit. Item *l. ult. ff. de oper. publ.* qui ob collatam in opus publicum pecuniam, nomen suum inscribit, quantitatem pecuniæ exprimat. Alia hujusmodi mandata Principum ex Juribus colligi possunt, quæ non solum Proconsulibus, sed omnibus provinciarum magistratibus promiscuè dabantur. Postremò totum volumen mandatorum, quæ dari consueverant, Justinianus XVII. capitibus explicat, *in Authen. de mand. Princ. seu Novell. 17. quæ est l. ul. C. eod. tit.* sed male, cum ipsa Nov. sit post editionem Cod. emissa, Bellisario Consule.

Sed, ut ad alia insignia revertamur; infra librum mandatorum habet hic Proconsul, *imagines trium mulierum*, quæ provincias ipsi commissas referunt, scilicet Asiam, Insulas, & Hellespontum, ut nomina ipsis inscripta indicant. Hæ *insigne quoddam regium in capite, & vasa aureis plena manibus gerunt*, quæ exactionem tributorum ex tribus illis regionibus faciendam, ad Proconsulem pertinere significabant. *Longis aureisque tunicis induta sunt*, in manuscriptis, albas aut cœruleas habent. *Asia calceis, cæruleoque pallio utitur: Alia calceis carent. Quæ insulas refert purpureum pallium, quæ Hellespontum, viride gestat.* Sed in codice Ursini omnes rubris cothurnis altè calciatæ habitu non differunt. In Madruciano longis vestibus demissis vix pedes ostendunt. præter hæc cæterorum quoque magistratuum insignia Asiæ Proconsul habebat.

Officium Proconsulis Asiæ constat ex CCCC. Apparitoribus, ut aliorum Proconsulum, *l. 2. C. de apparitorib. Proconf. & leg.* quod probabatur codicillis à Scriniariis sacrarum epistolarum scriptis, & primum à Principe, mox ab ipso Proconsule subscriptis, *l. ult. C. de divers. offi.* Officiales fermè habebat, quemadmodum Vicarii. Principem de eodem in et officio, & cæteros, quos alii magistratus: inter eos Notitia Scriniarios recenset, quos ego interpretor Subadjuvas, ut in officio Comitis Orientis, & Pro-

& Proconsulis Africæ, ac Vicariorum Occidentis nominantur, & Justinianus Primiscrinii Subadjuvas interpretatur, *in l. 1. §. in scrinio primiscrinii. C. de off. Præf. P. Africæ*. Hi rationes Numerariorum scribebant, & in scriniis conservabant, *d. §. in scrinio*. Primiscrinius autem Numerarius vocatur, qui tenet præcipuum scrinium, in quo sunt rationes vectigalium & tributorum, ut exponit Notitia in officio P. V. Romæ, & *in l. 3. C. de apparitorib. P. P.* ubi qui Numerarii Subadjuvæ dicuntur hic Scriniarii appellantur, *l. scriniarios. C. de testa. milit.* Alii quoque officiales omnes scrinia habebant, & Scriniarii vocabantur, *d. l. scriniarios*. sed in hoc loco ab illis separantur. Proconsul Asiæ pro codicillis Proconsulatus solvit sacro cubiculo solidos XIII. Primicerio Tribunorum Notariorum, & quatuor Scriniariis laterculi solidos XL. ejus adjutori III. officio Præfectorum, quibus suberat, LXXX. *Novell.* 8.

CAP. CIII.

DE CONSULARI HELLESPONTI, *& Præside insularum.*

ANGUSTUM Fretum citra Propontidem Hellespontus vocatur, vulgo *arctum Gallipolis* nuncupant: sed hoc in loco regio Asiæ ad Hellesponti oram sita significatur: ab Oriente Pontum & Bithyniam, à Meridie Lydiam habet, à Septentrione Propontidem, ab Occasu Hellespontum fretum: Phrygia minor seu Hellespontia & Troas, à Ptolemæo nuncupatur, ubi metalla in primis fodiebantur, quandoque Troadensia, & Docimana, à Docima oppido dicta, & Proconnesia à Proconneso Propontidis insula, *l. 9. & 11. C. Theod. de indulg. debitor.* Huic provinciæ præerat Consularis, olim Vicario Asianæ subditus, cujus officium cum ab Apparitoribus Vicarii Asianæ vexaretur, Theodosius Magnus Asiæ Proconsuli Hellespontum adjecit; quo defuncto, cùm rursus ab eodem Vicario repeteretur, Honorius, & Theodosius Minor, Simplicio Asiæ Proconsuli, illam provinciam confirmarunt, *l. 2. C. de off. com. sacr. patri.* Officium, inquiunt, *Hellesponti Consularis aeterna recordationis, patrem serenitatis nostræ adiit, & expositis suis incommodis, quibus a Vicarianis apparitoribus urgebatur, oravit sub tua sublimitatis agere potestate, cujus allegationes humana proclivius pium Principem commoverunt: quod & nos obtinere censemus.* Is est Simplicius, qui antea Tripolis Præses fuerat, *l. 59. C. Theod. de appell.* Illud verò rescriptum, expuncta Comitis patrimonii rubrica, sub titulo, de officio Proconsulis & legati, proximè præcedenti, ad quem pertinet, locandum puto. Itaque Notitiæ tempore hic Consularis Asiæ Proconsuli paruit. Is pro magistratus codicillis solvit, quantum alii Consulares. Abydum ejus metropolim fuisse arbitror, vulgo *Avido* dictam. Ab hoc Consulari, non ad Proconsulem, aut Præfectum Prætorio, sed ad urbis Constantinopolitanæ Præfectum appellari Constantinus jussit, *l. cum appellatio. C. de appell.* quod locum habebat ubi causæ decem libras auri excedebant, aliàs ad Proconsulem provocabatur, *§. illud, in Auth. de appell. & intr. qua temp. seu Novell 23.* Hæc Notitiæ tempore obtinebant. Justinianus verò Hellespontum Ponto Polemoniaco conjunxit, cique moderatorem dedit Spectabilem creatum, unde sub eo, Proconsul iterum hanc provinciam

A amisit, *Novell. 20. seu Auth. de administr. off. ab sacr. appell.*

Præsidi verò insularum Asiæ adjacentium semper imperavit. Nam etsi Præsides proximis suæ provinciæ insulis jus dicunt, *l. insula, ff. de judi.* ubi ultra centum milliaria non distant, ut Jurium censent interpretes, Paul. Castr. in *d. l. insula.* & Barthol. in tractatu *de Insula*. Insulis tamen Asiam circumjacentibus, proprius datus est Præses, *insularum* appellatus. Has Ptolemæus fermè numero XVII. recenset: Insulæ, inquit, adjacent Asiæ apud Hellespontum, Tenedos: in Ægeo autem pelago Lesbos, seu Mytilene, in Icario Icaria, Posidium,
B Samus, in Myrtoo Arcesine, Begialis, Minya, Astypalea una ex Cycladibus insulis: in Rhodiaco & Capathio, Syme, Cesi, Coos: Coji, inquit Strabo, solvebant quotannis pro annuo tributo Romanis c. talenta, quæ Augustus remisit pro Veneris statua, quam illis abstulit, & Romæ C. Julio Cæsari dedicavit: Rhodus etiam, paucæque aliæ Insulæ huic Præsidi paruerunt. Rhodus, & insulæ, inquit Sex. Rufus, primum Romanis infestissimæ, postea fidelissimæ, liberæ sunt relictæ: sed Vespasianus eas dato Præside provincias fecit, quod & Tranquillus refert. Tenedos statione Græcorum nobilis à Virgilio celebratur, LXXX. ambit stadia.
C Lesbos Troadis, & Æolicarum urbium altera metropolis, circuitus est stadiorum mille centum. Urbes in ea celebres fuêre Mytilene, quæ adhuc extat, & ab ea, insula nunc *Midalena* vocatur, & Pyrrha. Hæc quoque vinorum generositate à poëta laudatur, in III. *Georgicorum*. Samum, ubi natus est Pythagoras, DC. stadia, Icariam CCC. circumire ferunt. Diocletianus ad Diogenem Præsidem insularum scribit, *in l. pen. C. ubi caus. fiscal.* quem sub imperio P. P. Orientis fuisse, aliquot Jura significant, *ut l. 4. C. de naufrag. seu naucl. & Novell.* 8, Cum plurimum verò insularum Præses Rhodi moraretur, ejus cives apud Valentinianum, & Gratia-
D num Principes conquesti, obtinuerunt, ut per hyemem, quo tempore difficilis & periculosa est navigatio, in una ex quinque illius insulæ urbibus degeret, postea ad alias transiret, *l. 6. C. de off. rector. provin.* Erat autem Rhodus omnium totius Asiæ insularum metropolis opulentissima, inquit Jornandes, ubi plurimum Præses morabatur; à rosarum copia est denominata, quas suis nummis imprimebant, cum inscriptione ΡΟΔΙΩΝ. infra legitur, ΑΡΙΣΤΟΚΡΙΤΟΣ, qui fuit primus eorum magistratus: litteræ Δ. speciem præ se fert, ait Constantinus Porphyrogennetα, triangulari videlicet figura. Doriensium colonia est, qui ex Peloponneso Argivis & Lace-
E dæmoniis ab Hercule genus ducunt: quemadmodum in catalogo navium Homerus scribit: eam triquetro ordine à Lyndo Jalysso, & Caniro insulis cingi dicit. Pro codicillis administrationis quantum alii Præsides hic solvebat, *ex forma Notitia Nov. 8.* Ab eo quemadmodum & à Præside Hellesponti ad Præfectum urbi Constantinopolitanæ appellabatur, *d. l. cum appell. C. de appellatio.*

CAP. CIV.

DE PROCONSULE ACHAIÆ *& ejus insignibus.*

F NOTITIA impressa in indice Achajam tanquam partem Macedoniæ sub Præfecto Illyrici statuit: Cum verò ejus Proconsulis insignia, & officium repræsentat, Spectabilem seriem secuta, Asiæ Proconsuli subnectit, & à suo Præfecto longè separat. Ego quoque ejus vestigiis inhærens,

rens, eundem ordinem servabo. Manuscriptus Ursini codex indicis parte, quæ P. P. Illyrici respicit, prætermissa, ejus tantùm insignia, cum Macedoniæ, & Daciæ imaginibus depingit, cætera omittit: quod argumentum est eam regionem tum à Barbaris occupatam, non totam Imperio Romano paruisse: auctor enim est Paulus Diaconus, Attilam Hunnorum Regem, Martiano, & Valentiniano III. imperantibus, cùm Pannonias, Daciamque teneret, Macedoniam, Mysiam, & Achajam cum utriusque Thraciis devastasse. Achaja vocatur Græcia, ab Achæis, quia quo tempore à Mummio subacta est, in ea Principatum Achæi tenebant, ut refert Pausanias lib. VII. & ideo Achaja Græcia est vocata. In ea est Athenarum civitas, cujus Pyræus portus, inquit D. Hieronymus in *Act. Apostolor.* septemplici muro erat communitus. Achaja Græciæ nobilis regio, ac penè insula Ægeo, & Ionio mari cincta, ab Occidente Macedonia, & parte Ægei pelagi circundatur, contingitque Isthmum Corinthiacum, olim XII. urbibus clara, ut scribit Polybius. A Nerone immunis facta, postea à Vespasiano rursus tributis fuit subjecta, auctore Pausania. Hujus metropolis erat Corinthus in Isthmo, ubi Proconsul degebat, & eò ad L. Junium Gallionem Achajæ Proconsulem D. Paulum adductum fuisse D. Lucas scribit, *Act. Apost.* cap. XVIII. Hic Proconsul etiam Peloponnesum nunc Moream vocatum rexit, quam Achajæ partem Ptolemæus esse voluit, Æneas Sylv. in *Europa* c. XIX. ejus Præsidis à Notitia nulla mentio fit, & Plinius epist. ult. l. VIII. ad Maximum Achajæ Proconsulem scribens auctor est Athenas, & Lacedæmonem Peloponnesi metropolim sub Achajæ proconsulatu contineri: Ita enim scribit: *Cogita te missum in provinciam Achajam illam veram & meram Græciam, in qua primum humanitatis litera & fruges inventa esse creduntur.* Deinde: *Hanc esse terram; quæ nobis miserit jura, quæ leges non victis, sed petentibus dederit, Athenas esse, quas adeas; Lacedæmonem esse quam regas.* Hæc ille, qui literas primùm ibi inventas, & frumenti semina à Cerere Triptolemo in Attica tradita significat, quod & Pausanias, Diodorus, Justinus, Ovidius, & alii prodiderunt. Achaja cùm esset Prætoria, lege Clodia Proconsularis est facta, Cicero *in Pis.* & sub Romanis Principibus posteà Proconsulem semper habuit, ut sub Trajano Maximum, Plinius d. epistol. ult. Apud Vlpianum quoque *in l. meminisse, ff. de off. procons. & lega.* Hadrianus Calphurnium Rufum Proconsulem Achajæ monet, ne legatum ante se è provincia dimittat. & Paulus Jureconsultus Valerii Proculi Achajæ Proconsulis meminit, *in l. ult. ff. ad Trebell.* eandem sub Gallienis à Valente Proconsulari imperio gubernatam fuisse Capitolinus, & Spartianus in *Valente* scribunt. Sed & Constantius Severiano ejusdem Proconsuli scribit, *in l. 9. C. Th. de epis. & cler.* Raphael quoque Volaterranus in fi. lib. VIII. *Geographia*, recitat inscriptionem, quæ videbatur in columna in arce Athenarum Græcè scripta, & Latina est hujusmodi: *Clarissimo Proconsuli Græcia Rufio Festo, & Areopagita Areopagi Senatus trecentorum, & populus Athenensis benevolentia, & beneficentia gratia.* Is fortè est Festus qui sub Valentiniano, Consularis Syriam, & Proconsul Africam rexit, *l. 1. C. ubi de poss. agi. oport. l. 3. C. de cohorta.* Denique Julianus Apostata Vectium prætextatum Achajæ Proconsulem fecit, ut auctor est Marcellinus lib. XXI. Decius tamen apud Trebellium Pollionem in *Claudio*, Messalam Achajæ præsidem appellat. Imperante verò Justiniano, desiisse in Græciam Proconsules mitti suspicor, quia in Notitia octavæ Novellæ, in qua omnes provinciarum Orientis magistratus recensentur, nullus nominatur Achajæ, aut Græciæ Præses, quæ fortè tum à Barbaris tenebatur.

NOTITIA.

PROCONSVL ACHAIÆ

CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri Spectabilis Proconsulis Achajæ, Provinciæ infrascripta.

ACHAIA.



Officium autem habet ita:
Principem de schola Agentium in rebus Ducenarium, qui adorata clementia principali cum insignibus exit transacto biennio.
Cornicularium.
Commentariensem.
Quæstorem.
Adjutorem.
Ab actis.
Numerarios.
A libellis.
Exceptores, & cæteros Apparitores.

COMMENTARIUM.

INSIGNIA Proconsulis Achajæ sunt, *liber rubro corio tectus, aureisque fasciis in summo, & medio cinctus, is supra abacum albo tapeto, quem aureus limbus ornat, eminet*, quemadmodum in Proconsule Asiæ visitur. Manuscripti argento opertum, & aureis fasciis cinctum ostendunt, ut in aliis Proconsulibus. Duo quoque *Principes in aurata columna* altè spectantur, & ipsius *Achaja imago vas aureis plenum dextra tenens, quod sinistra aperire videtur Tutulum seu petasum in capite gestat, purpuream togam humero dextro connexam super auream talaremque tunicam induta: nudis pedibus incedit.* In manuscriptis tunica purpurea auroque & albo distincta, sub viridi pallio, & aureis cothurnis induta spectatur, reliqua sunt sicut in Proconsule Asiæ, cujus omnia habet insignia.

In officio etiam exemplo aliorum Proconsulum, hunc cccc. Apparitores habuisse verisimile est, *l. 2. C. de apparitorib. Proconf. C. de principibus agentium in rebus*, quorum primus erat Princeps, ex Ducenariis scholæ Agentium in rebus, qui clarissimus vocabatur, *ut in l. fi. C. de princ. ag. in reb.* & adorata elementia principali, cum insignibus transacto biennio exibat, id est, eo munere liberatus ad adorandum, seu exosculandum reverenter purpuram Principis admittebatur, *l. 2. C. de privileg. scholar.* ita enim salutabatur. Notum est autem ex D. Hieronymo & aliis deosculationem pro adoratione accipi: is enim *ad Pammachium in Apologia adversus Rufinum*, scribit se in secundo Psalmo, καταφιλήσατε, id est, *deosculamini* vertisse, *adorate: quia*, inquit, *qui adorant, solent deosculari manum & capita submittere, quod beatus Job se elementis fecisse negabat, dicens, Si vidi Solem, cum fulgeret, & osculatus sum manum meam ore meo: Et Hebræi juxta linguæ suæ proprietatem deosculationem pro veneratione ponunt:* Hæc D. Hieronymus. Plinius lib. xxviii. c. ii. *In adorando*, inquit, *dextram ad osculum referimus:* de quo plura Cœlius Rhodiginus lib. xx. c. viii. in fine. Princeps ergo hujus officii, osculando Principis purpuram eam adorare dicebatur. Hic autem ritus in adorando Principe ita observabatur, duo vestem ejus purpuream extollebant, quam adorans osculabatur. Procopius lib. ii. *de bello Vandalico: Gilimer*, inquit, *& Belisarius jussi ab his, qui Imperatoriam purpuram sustinebant: Justinianum supplices adoraverunt.* Hæc ille. Id ergo hujus Principi officii indulgebatur, quod aliis Præsidum officialibus non licebat, ut Principem scilicet officio liberatus, adoraret, *l. 1. C. de apparitorib. Præfect. urb.* Tumque Vicarii dignitatem consecutus, Comes primi ordinis fiebat, *l. eos, & l. seq. C. de prin. ag. in reb.* Hic primus Proconsulem salutabat, & apud eum sedebat, *l. 4. C. eo. tit.* si cohortalis fuisset ab eo onere, princeps officii factus, liberabatur: & qui post ejus principatum nati erant ex illo liberi, *l. penult. C. d. tit.* minores etiam sportulas ipse, uxores, liberi, & coloni, cum litigabant executoribus solvebant, *l. fi. C. eod.*

Insigne autem cum quo hic Princeps exibat, erat cingulum, quo ipse & pauci alii Apparitores utebantur, *l. 3. C. de numerar. l. princept. C. de princip. ag. in reb. l. ult. C. de apparitorib. magist. milit.* functique officio illud deponebant, nisi majorem dignitatem essent assecuti, ut iste qui Comes primi ordinis creabatur.

Non omnes verò Agentes in rebus ad Principis gradum promovebantur, sed illi tantùm, qui Ducenarii dignitatem attigissent, & hoc sensit Constantinus ad Agentes in rebus scribens, *in l. 1. C. de offic. mag. offi. Ad ducenariam*, inquit, *centenariam, & biarchiam, nemo suffragio, sed labore unusquisque perveniat, principatum verò adipiscatur matricula decurrente: ita ut ad curas agendas & cursum illi exeant, quos ordo militiæ vocat, & ejus laborum adjutor:* Hæc ille.

Habebat Proconsul Achajæ in officio, & Cornicularium, Commentariensem, Quæstorem, Adjutorem, Ab actis, Numerarios, A libellis, Exceptores, & cæteros Apparitores. In hujus officio, & aliorum Proconsulum, omittitur cura epistolarum, quam alii magistratus habebant, & pro ea substituitur Quæstor, qui in aliorum officiis non nominatur: Is erat, quem vulgo *Cancellarium* vocant, vel *à secretis*. Nicetas lib. vii. ait, Domesticum à Latinis seu Cancellarium, à Græcis Logothetam vocari, id etiam significat Cassiodorus lib. vi. *in formula Quæsturæ*, etsi loquitur de Quæstore Principis. Aliæ Proconsul habebat Scriniarios, qui hic omittuntur. Proconsul Africæ in Occidente Primiscrinium. Hi omnes probabantur à Principe, codicillis scriptis à Scriniariis sacrarum epistolarum, & ab ipso Principe, ac demum Vicario subscriptis *l. ult. C. de divers. offic.*

CAP. CV.

DE COMITE ORIENTIS,
ejusque insignibus, & officio.

SEPTEM totius Imperii Orientalis erant Diœceses, id est, plurium simul provinciarum administrationes, quarum quinque Præfecto Prætorio Orientali parebant, scilicet Orientis, Ægypti, Asianæ, Ponticæ, & Thraciarum. Aliæ duæ, Macedoniæ & Daciæ Præfecto Illyrici suberant, prout Jura, *l. nulli. C. de numerar. l. unic. C. ut nemo ad suum patroc.* & Notitia in indice distinguunt, singulæque suos provinciarum Rectores habebant. Prima ergo sub memorato Præfecto Prætorio erat Orientis Diœcesis Comiti commissa.

Orientem Veteres plagam vocabant, ubi sol oritur, *à* Tigri fluvio usque ad Cyprum, & Thracias versus Occidentem, & à Ponto Septentrio-

nali usqoe ad Arabiam versus Meridiem, totamque eam regionem olim Syriam dictam, auctor est Plinius libr. v. cap. XII. quam terrarum maximam appellat. Vniversæque huic regioni Præfectus Prætorio Orientis imperabat. Ammianus verò libr. XIV. cap. VIII. ita de Oriente scribit: *Orientis verò limes in longum porrectus, & rectum ab Euphratis fluminis ripis ad usque supercilia porrigitur Nili, levâ Saracenis conterminatus gentibus, dextrâ pelagi fragoribus patens: quam plagam Nicator Seleucus occupatam auxit mirum in modum, cum post Alexandri Macedonis obitum successorio jure teneret regna Persidis:* Hæc ille. Guilielmus Tyri Episcopus libr. IV. *de bello sacr.* cap. IX. & lib. XIII. cap. II. totam Syriam Orientem fuisse scribit: *Syria*, inquit, *aliquando largius accipitur, ut sit nomen totius Orientis: Aliquando strictius, ut parti tantùm conveniat: Syria major multas provincias intra suum continet ambitum: à Tygride enim habens initium, usque in Ægyptum protenditur, & à Cicilia usque in mare Rubrum, cujus ab inferiori parte, quæ est inter Tygridem, & Euphratem, prima ejus partium Mesopotamia est...... post hanc verò ejusdem Syriæ Celesyria maxima portio est, in qua Antiochia civitas illa nobilis cum suis suffraganeis urbibus sita est: cui quasi à Septentrione utraque Cilicia contermina est, quæ ejusdem Syriæ sunt partes. Ab Austro verò Phœnicia statim conjungitur. Inter partes ejus præcipuas sunt etiam Syriæ partes, utraque Arabia, prima, cujus Metropolis est Bostrum. Secunda, cujus Metropolis est Petra deserti, sed & Syria Sobal ejus Syriæ majoris pars est. Idumæa quoque ejusdem Syriæ majoris pars est novissima, ad Ægyptum respiciens:* Hæc ille. Nos quoque Orientem hic intelligimus totam eam regionem, quæ à Cilicia, Cypro, & Arabia, usque ad Tigrim extenditur: Ea est tota plaga Orientalis, excepta Asia minore. Cum igitur Persæ Armeniam, & Mesopotamiam, aliasque vicinas regiones devastarent, opus erat majore magistratu, qui eorum conatus frangeret. Itaque inventus est Comes vir Spectabilis, qui Orienti cum militum robore præesset; sed cum Præfecti Prætorio Orientis Vicarium fuisse puto, qui Comitis titulo est insignitus, variisque nominibus appellatus: sub Decio enim & Fl. Claudio Metaphrastes Eumolpium Comitem Orientis nominat: sub Diocletiano Bibianum Præfectum Orientis, & Domitianum, Lycaoniæ Comitem. Alii Præsidem, ut Vopiscus in *Aureliano*: *Cùm*, inquit, *consedisset Valerianus Augustus in Thermis apud Byzantium præsente exercitu ...... assidentibus Memmio Fusco Consule ordinario, Bebio Macro P. P. Quinto Ancario Præside Orientis.* Hæc ille. Is est Vicarius proprio nomine ita appellatus, ad quem Diocletianus, & Maximianus scribunt, *l.* 14. *C. de pœnis.* Constantinus & ipse quandoque Vicarium Orientis nominat, *in dict. l.* 1. *C. in quib. caus. coloni. l.* 12. *C. Th. de Decurion.* quandoque Comitem, sicut & Constantinus, Gratianus, & alii, *l.* 2. *C. de op. pub. l.* 4. *C. de aquædu. l.* 1. *C. de præb. salario.* quanquam alii C. pro comite correctorem nominent, *l.* 6. *C. Th. de oper. pub. l.* 33. *&* 90. *C. Th. de decurio. l.* 2. *C. Th. de fis. deb. l. ult. in tex. C. de his, qui per met. jud. non appell. l.* 1. *C. de commer. & merca. l.* 36. *C. T. de opers. publ. l.* 26. *C. Th. de episc. & cler. l.* 8. *C. Theo. de hæret.* Auctor est Marcellinus lib. XIV. cap. I. & III. imperante Constantio, post Marcellinum, *l.* 4. *C. de oper. publ.* Honoratum postea Nebridium Comites Orientis fuisse, quibus Modestus, mox Philagrius successit, ut idem refert lib. XIX. cap. XII. & lib. XXI. cap. IV. Huic Juliа-

A nus Apostatæ avunculus, deinde Rufinus Aradius; idem lib. XXIII. cap. I. Quis verò hunc magistratum invenerit, non constat, certè universo imperabat Orienti, Zosimus lib. V. cap. II. *Comitis*, inquit, *Orientis magistratus ea potestas est, ut qui eum gerit, omnibus provincias Orientis administrantibus præsit, & quæcunque non aguntur, ut par est, corrigat.* XV. enim provinciis imperabat, quinque Consularibus, & octo Præsidialibus, duabusque Perfectissimorum. Quinque Consulares sunt Palæstina, Phœnicia, Syria, Cilicia, & Cyprus. Initio hæ Proprætoriæ fuerunt, postea factæ Consulares. Aliæ octo Præsidum manserunt;
B nempe, Palæstina salutaris, Palæstina secunda, Phœnicia Libani, Euphratensis, Syria salutaris, Osrhoëna, Mesopotamia, & Cilicia secunda. Iis additæ sunt Arabia, & Isauria, quæ perfectissimos judices habuerunt. Itaque XV. provinciæ Comiti Orientis paruerunt, quarum appellationes ipse cognoscebat, *l. nemo. C. de jurisd. omn. jud* & Rectores corrigebat, *l.* 51. *C. T. de off. rector. provinc.* Classi quoque Seleuciæ dictæ imperabat, quæ ad purgandum latronibus Orientem, aliasque necessitates obeundas, per Oruntem flumen navigabat, *l.* 1. *C. de Class.* Antiochiæ, quæ Syriæ est metropolis, residebat. Vbi Strabo lib. XVI. Orientis
C Præfectos prætorium habuisse scribit, eamque esse tetrapolim: ex quatuor enim contiguis urbibus constabat, quarum qualibet proprio muro cingebatur, sed omnes simul communibus mœnibus claudebantur: Daphnes lucus omnium amœnissimus, in ejus erat suburbio, cujus nullam arborem exscindere, vel distrahere licebat, *l.* 1. *&* 2. *C. de cupress. ex luco Daphnens. non excidend.* D. Hieronymus epistol. LXI. *ad Pammachium*, hanc urbem totius Orientis metropolim appellat, ubi primum Christianorum nomen est inventum, qui prius *homines viæ* vocabantur, cap. IX. *Act. Apost.* ibi & D. Petrus primo sedit: Constantinopolita-
D na Synodus, *canone* 11. *Orientis*, inquit, *Episcopi, solum Orientem administrent, servato honore primatus Ecclesiæ Antiochenæ.* Eam incendio hostili exustam Justinianus restituit, ac mirificè ædificiis exornatam, *Theopolim* vocavit, *l.* 6. *in fi. C. de sum. Trin. Nov.* 7. *c.* 8. *Nov.* 123. *§.* 3. *Nov.* 42. *§.* 1. *No.* 109. *in prin.* & ita eam Procopius appellat, lib. II. *de ædificiis Justi.* & Cedrenus II. anno *Imperii Justiniani.*

Verum amplam hujus Comitis potestatem Justinianus valde coarctavit, *Nov.* 8. *§. hoc autem ipsum dicimus*, cui solam Syriam primam, & illi contiguam Cyrrhesticam reliquit.

E Appellabatur à Comite Orientis ad P. P. qui erat in Comitatu, & Quæstorem palatii: caussis inserviebant, officium Præfecti, & scrinium epistolarum. Hoc enim erat generaliter statutum, ubicunque à Spectabili appellabatur, *§. quia verò dua, in Auth. de admin. off. in sacr. appell. seu Novell.* 20. *l. præcipimus, §.* 1. *C. de appell* Moltat Comes Orientis taotùm iu VI. auri unciis, *l. fi. §.* 1. *C. de mod. mulctar.* quæ est ferè summa LV. nostrorum aureorum: alii Spectabiles in tribus tantum unciis.

Solvit Comes Orientis pro codicillis suæ administrationis sacro cubiculo solidos LXIII. Primice-
F rio Tribunorum Notariorum, cum quatuor Scriniariis sacri Laterculi solidos L. ejus adjutori III. officio Præfectorum Prætorio LXXX. tota hæc summa est solidorum CXCVI. *in §. quantam. Novell.* 8. In foro Comitis Orientis XL. tantùm advocati orabant, qui non minus quinquennio Juri operam dedissent: Horum primus per biennium fisci patro-

nus

nus creatus ; *l. jubemus. C. de advoc. diver. jud.* ex publico salarium fermè aureorum DC. percipiebat, quod Kalen. Octob. solvebatur, quemadmodum & advocatis P. P. *l. per banc. C. d. tit.* Incipiebat fisco Kalen. Aprilis patrocinari, *d. l.* A *per banc. eo. tit.* & finito biennio, nullius, nisi propinquorum causas tuebatur. Privilegium habebat, ne milites, aut alios hospitari teneretur, *d. l. jubemus.*

NOTITIA.

COMES ORIENTIS CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri Spectabilis Comitis Orientis, Provinciæ infrascriptæ.

Palæstina.
Phœnice.
Syria.
Cyprus.
Cilicia.
Palæstina secunda.
Palæstina salutaris.
Phœnice Libani.
Eufratensis.
Syria salutaris.
Osrhoëna.
Mesopotamia.
Cilicia secunda.
Isauria.
Arabia.

B Officium autem viri Spectabilis, Comitis Orientis habet ita:
Principem de schola Agentium in rebus Ducenarium, qui adorata clementia principali, cum insignibus exit.
Cornicularium.
Commentariensem.
Adjutorem.
Ab actis.
Numerarios.
A libellis.
Subadjuvas.
C Exceptores, & cæteros Officiales.

COMMENTARIVM.

COMES Orientis pro insignibus, *duorum Principum effigies in summo aurata columna* præferebat, & *librum purpura tectum, atque,* (ut in Proconsule Asiæ dictum est) *abaco impositum:* Manuscripti codices argenteum ejus tegumen ostendunt, cujus summum aurea fascia cingit. In

umbilico aureæ tabellæ, aureus item Principis voltus includitur. Abaci tapetum est, ut Proconsulum cœruleum. Infra vero *depicta* sunt XV. *imagines mulierum*, *variè vestium habitu amictarum*, quæ totidem provincias Comiti parentes referunt. Sola *Palæstina purpuream togam gestat*: Aliæ, *pallium*, aut *pallam auream*, vel *viridem aut purpuream*: Omnes *auream coronam in capite* pro more provinciæ *compta*, *& ante pectus vas aureis plenum*, tributorum exigendorum à Comite typum manibus gestant. *Aliqua collo monile baccatum tenent*, *sola Isauria velo caput tegit*. In Ursini codice omnes palliis partim cœruleis, partim viridibus, aut purpureis indutæ, capillis per humeros sparsis, aureum folium supra frontem gestant. In Madruciano cœruleis palliis velatæ spectantur. Tres verò harum provinciarum facti sunt ordines, & quinæ in singulis ordinibus recta linea collocatæ. Quinque superiores sunt Consulares, videlicet Palæstina, Phœnice, Syria, Cyprus, & Cilicia. Reliquæ X. suos Præsidum, & omnes Clarissimorum, exceptis ultimis Isauria & Arabia, quæ sunt Perfectissimorum, & ideo in indice Præsidales non connumerantur. Hæc in magistratus codicillis depingebantur, & fortè ante Comitem progredientem præferebantur, *l.* 4. *C. de injuriis*. certè in auditorio coram populo pro tribunali retinebantur.

Aliud insigne Comitis præcipuum erat ensis, quo accinctus ibat, sed eo Proconsules carebant, Dion lib. LIII. Imperabat enim non tantùm populis, sed & militibus, *Novell.* 27. *de Comite Isauriæ*. Cassiodorus *in formula Comitiva provinciæ* lib. VII. ab init. *Quamvis*, inquit, *omnium dignitatum officia à manu secludantur armata, & civilibus vestibus videantur induti, qui distributionem publicam docentur operari: tua tamen dignitas à terroribus ornatur, quæ gladio bellico, rebus etiam pacatis, accingitur. Vide quo judicio fueris evectus, quando aliis vigorem fascium videas esse creditum, tibi autem ab ipsis legibus ferrum constet esse porrectum. Rem cruentam dederunt animo pacato, ut & noxii nimium metuerent, & læsi de optata ultione gauderent.* Hæc ille. Alia præterea Præsidum ornamenta, nempè fasces cum argentata securi, vehiculum item argentatum, & alia hujusmodi habebat.

Sexcentos verò Apparitores tenebat, *l. unic. C. de apparitor. com. Orien.* qui sine sacra probatoria creari non poterant, sicut nec alii illustrium & spectabilium magistratuum cohortales, *l. pen. & fin. C. de diverf. offic.* Probatoriæ sunt literæ à Notariis scrinii epistolarum scriptæ, & manu Principis subscriptæ, quibus Apparitores officio Comitis Orientis aggregandos comprobabat, *l. probatorias. C. d. tit. de diver. offic.* Hæc subscriptio encausto tantùm fiebat: Is erat liquor cocto murice, & trito conchylio constans, qui vicem atramenti, cum tamen purpureus esset, exhibebat, *ut in l. pen. C. de diver. rescrip.* Hoc fortè fiebat encaustica pictura, cujus Plinius lib. XXXV. cap. XI. meminit, non igne, ut aliqui existimant, tabula inusta. *Habet hic Comes in officio Principem*, inquit Notitia, *de schola Agentium in rebus Ducenarium, qui adorata clementia principali, cum insignibus exit:* Hæc in officio Proconsulis Achajæ sum interpretatus: sed hic fortè addendum, exit (transacto biennio) quemadmodum ibi legitur, & infra in officio Vicarii Ponticæ: Hunc sequebantur Cornicularius, Commentariensis, Adjutor, Ab actis, Numerarii, A libellis, Subadjuvæ, Exceptores, & cæteri Officiales. Hic etiam, ut Proconsulibus cura epistolarum omittitur, cujus lo-

A co, Subadjuvæ positi videntur. Ad hoc officium Alytarchiæ, vel secundùm aliquos Lyciarchiæ munera spectabant: ideoque horum occasione aliqua de his, & de Syriarchis sunt dicenda, quorum Jura non semel meminerunt, *l.* 1. *C. de off. Comit. Orient. l.* 1. *C. de naturalibus liber. l. athleta. §.* 1. *ff. de excusationibus tutor.*

CAP. CVI.

DE LYCIARCHI, ET SYRIARCHI *muneribus, & ludis.*

B LYCIARCHUS, Syriarchusque suarum provinciarum sacerdotes, pro illarum, ut opinabantur, salute, sacra procurabant. Ideoque initio magistratus munera edere consueverant, id est, gladiatores inter se, & cum feris in amphitheatro committere, ut Tertullianus *de spectaculis* refert, *tit. de muner.* In actis Proconsularibus martyrum, apud Cæsarem Baron. Card. *an.* CCXC. legitur Numerium Maximum Proconsulem Ciliciæ jussisse Terentiano Ciliciæ sacerdoti, ut munera ederet, & illum plures emisse feras, quæ multorum corpora devorarunt: cùm verò martyres non tangerent, Præses jussit Terentiano, ut munus gladia-
C torum ederet, à quibus martyres sunt confossi. Ludos etiam Circenses, equorum cursus, & theatrales in scenis, exercebant. Qui à Lyciarcho editi, sub Comitis ejusque officii cura ordinabantur: Syriarchi verò ludi à Syriæ Rectore procurabantur, *l.* 18. *C. de off. Comit. Orientis.* De Lyciarchis hæc Strabo lib. XIV. *Geograph.* *Lycii*, inquit, *adeo civiliter & continenter vixerunt, ut feliciter usque ad Italiam in mari imperaverint, & in nullo turpi lucro se extulerunt, sed in patrio more Lyciaci conventus permanserunt. Sunt quatuordecim urbes, quæ in eo suffragium ferunt, & in commune comitium ex quaque civitate conveniunt, & quod major pars com-
D probarit, decernunt. Maxima civitates tria habent suffragia: Mediæ duo: Aliæ unum. Eadem pro portione tributa pendunt, aliaque munera subeunt.* Et paulò post: *In conventu primum eligitur Lyciarchus, id est, Lyciæ præfectus: post alii urbium magistratus, judicia in commune fiunt prius de bello, & pace, & sociis belli consultabant: nunc id eis non licet, sed in Romanorum est potestate: sub quibus posita imaginem antiqui magistratus retinuerunt creando Lyciarchos, qui non amplius, ut olim imperat, sed sacerdotio fungens ludis publicis præest.* Hæc ille. Idem in pluribus aliis provinciis fiebat, in quibus negocia publica legati civitatum tractabant, ad quo-
E rum conventus plura Principum rescripta exstant, ut Adriani, in *l.* 37. *ff. de judic.* sive Pii Antonini, in *l.* 5. *ff. ad l. Juliam de vi publ.* τῷ κοινῷ τῶ Θεσσαλῶν πρὸς τὸ κοινὸν τῶ Θρᾳκῶν; & *l.* 1. *§.* 1. *ff. de appellation.* τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας, *l.* 6. *ff. de excusationib. tut.* Alexandri, τῷ κοινῷ ἐν Βιθυνίᾳ Ἑλλήνων, *l.* 25. *ff. de appellationib.* id est, *Communi seu universitati Thessalorum, Thracum, Asiæ, & qui in Bithynia sunt Græcorum:* ita eorum comitia appellant, in his etiam causæ tractabantur, & sacra à Lyciarcha & Syriarcha fiebant. Tertullianus lib. *de spectaculis: Quid ergo*, inquit, *mirum si apparatus agonum Idololatria conspurcat, de coronis pro-
F fanis, de sacerdotalibus Præsidibus, de collegiariis ministris.* Sic Pausanias in *Corinth.* sive lib. II. *Sacra*, ait, *Jovi Nemeo Argivi in Nemea faciunt, eique certum sacerdotem deligunt, & armatis viris cursus certamina proponunt in ipso Nemeorum conventu.* Hæc ille. Dubium verò est, quomodo Lyciarchi sacerdotis munera, & ludos, officium

Comi-

Comitis Orientis, Leonis A. jussu, *in l. unic. C. de off. Com. Orient.* curaret, cum Lycia non ad Orientis Comitem, sed Vicarium Asiæ spectet: Cujacius vir doctissimus, lib. 11. *observ.* XIII. Leonis illud Rescriptum *d. l. unica*, depravatum esse ait, & ex vetustis codicibus, pro Lyciarchiæ legendum Alytarchiæ. *Fuit autem*, inquit, *Alytarcha sacerdos Antiochia in Syria: ita dictus, quod in ludis, qui in honorem deorum fiebant* τοῖς ἀλύταις, *id est, mastigophoris præesset*; ejus fit mentio in Legibus, *in leg. ultim. Cod. Theod. de expens. ludor. l. 12. C. Th. de jure fisci, & l. ultim. Cod. de cupressis ex luc. Daphn.* secundum correctiorem lectionem: & auctor est Phavorinus, ipsum qui Olympica certamina ordinabat, Alytarcham dictum. Similia sacerdotia Modestinus recenset *in l. Athleta, par. 1. de excus. tutor.* scilicet Asiarchiam, & Bithyniarchiam, & Cappadocarchiam, prout in Græco archetypo legitur, quæ sacerdotia gentium esse dicit, seu gentilium: & ita etiam appellat Strabo in calce sui operis, *οἱ δὲ δυνάσται τινὲς, καὶ φύλαρχοι, καὶ ἱερεῖς ὑπ' αὐτοῖς.* id est, *sunt autem Principes quidam sub ipsis, & phylarchi, & sacerdotes.* Horum & Phœniciarchorum Constantinus Justinianusque meminerunt, *in l. 1. C. de natural. lib. Edicto. 4. de magistratu. Phœnicia Liban. Novell. 89. §. ult.* Asiæ quoque sacerdotium nominatur à Papiniano, *in l. 8. de vacation. muner.* & ab Hermogeniano *provinciæ sacerdotium* vocatur, *in l. 17. de munerib. & honoribus.* Eusebius porrò Cæsariensis lib. IV. *Ecclesiastic. histor.* c. XV. narrat, rogatum fuisse Philippum Asiarcham; ut Leonem emitteret in Polycarpum, & ille negavit sibi licere, quod munus suæ ditionis exiisset. Ruffinus Asiarcham *munerarium* vertit: sumptus enim in edenda munera ipsi Phœniciarchi faciebant. Alexander A. *in l. unic. C. de periculo success. parent. lib. 10. Si de proprio suo*, inquit, *patrimonio muneris editionem suo nomine pater tuus repromisit, ideoque etiam sacerdotem te creari impetravit: onus erogationis commune omnium heredum ejus esse præses provinciæ non ignorabit.* Idem Honorius A. *in d. l. fi. C. Th. de expens. ludor. Judices*, inquit, *in ludis duos aureos non excedant, exceptis Alytarchis, Syriarchis, itemque Asiarchis*: quorum nomen votivæ festivitatis solennitas dedicabat, *l. 103. C. T. de Decurionib.* Constantinus verò, & Gratianus AA. *in l. 46. 75. C. Th. d. tit.* nec non alii *in l. non distinguemus. §. sacerdotio. ff. de arbit. l. 1. §. 1. ff. ad l. Jul. de ambit. l. pen. C. de pall. l. 33. & 51. C. de episc. & cler. l. pen. ff. de vacat. muner.* hæc simpliciter sacerdotia vocant. Coronam auream in capite, togam auro purpuraque intextam hi sacerdotes gestabant. Tertullianus *de Idololatria: Eodem more*, ait, *apud Ægyptios & Babylonios insignia erant dignitatis, quo more nunc prætexta, vel trabea, vel palmata, & corona aurea sacerdotum provincialium.*

De iis ornamentis intelligit Valerianus A. *in l. 4. C. de injur.* ad Vindium provinciæ cujusdam sacerdotem factum scribens: *Atrocem*, inquit, *sine dubio injuriam esse factam manifestum est, si tibi illata est, cum esses in sacerdotio, & dignitatis habitum & ornamenta præferres.* Hactenus de Comite Orientis, Lyciarchis & Syriarchis: nunc de provinciarum Rectoribus, qui ipsi parebant, est disserendum; & juxta Notitiæ ordinem, à Consularibus ut dignioribus auspicati, ab eo qui Palæstinam regebat incipiemus: deinde ad Præsidales Perfectissimorum provincias veniemus.

CAP. CVII.

DE CONSULARI, ET POSTEA *Proconsule Palæstinæ, ejusque insignibus.*

PRIMUS inter Orientis Rectores qui Comiti parebant, Consularis Palæstinæ recensetur, eadem Judæa dicta ab Oriente, & Septentrione Libano, & Antilibano: Ab Occidente parte Phœniciæ terminatur: & à Sidone usque in Gazam, & Arabiam secundam Syriaci littus maris extenditur: A meridie Arabia Petræa cingitur. Latitudo ejus à Joppe oppido ad Thracones montes, sive Antilibanum, est circiter millium passuum LX. quam mediam ferè Jordanes fluvius dividit. Longitudo à fontibus Jordanis, & monte Libano, usque ad Bersabeam urbem atque initium Ægypti, est millium passuum CLX. Plinius ait CLXXXVIII. Clauditur undique montibus hinc abruptis rupibus, & profundis vallibus concursu torrentium, inde altis, & implexis anfractibus sic contractis, ut per angustos colles vix pateat transitus viatori. Appellata est Palæstina à Philistin, quem nos corruptè *Palestinum* dicimus. Is descendit à Cham filio Noë, ait D. Hieronymus, in *Quæst. in Genes.* cap. x. Dirutis Hierosolymis, caput Palæstinæ fuit Cæsarea, ad littus maris Syriaci, cis Jordanem sita, prius turris Stratonis à Stratone Sidonis Rege ædificata, postea *Cæsarea* à Vespasiano vocata, inquit Justinianus, *Novell. 103. de Proconf. Palæstinæ*, quod in ejus obsidione is Cæsar sit appellatus. Plinius ait Vespasianum eò coloniam deduxisse, unde togatus ejus populus incedebat, & Palæstinæ imago togata in Comitis Orientis insignibus conspicitur. Josephus verò lib. XV. *Antiq. Judaica.* cap. x. & lib. XVI. cap. v. & Ammianus lib. XIV. cap. VIII. ac D. Hieronymus *in Act. Apost.* in honorem Octaviani Principis eam urbem ædificatam, & Cæsaream ab Herode seniore vocatam volunt; quam ampliatam mirificè ædificavit, ac templum ibi albo marmore Augusto construxit, & Palæstinæ primæ, *d. Novell. 103. in princ.* vel ut ait Guilielmus Tyri Episcopus lib. x. *belli sacri* cap. XV. secundæ metropolim esse voluit. D. quoque Hieronymus in epist. *ad Pammachium*, Cæsaream Palæstinæ caput appellat, ubi Herodes primi nepos ab Angelo percussus, Cornelius Centurio baptizatus, & Agabus Propheta in *Act. Apostol.* ubi D. Hieronymus, zona D. Paulum ligavit. Ibidem & milites ad utrasque Jordanis ripas sub Duce Palæstinæ stationem habebant. Ea demum juris Italici, id est, immunis facta fuit, *l. 1. & ult. ff. de censib.* Cum verò populo opibusque abundaret, prius sub Juliano Apostata Consularem habuit, *l. si quis decurio 24. C. de decurio. l. 55. C. Th. eod. tit.* deinde sub Gratiano Proconsulem, *l. 42. C. Th. de appel. l. 28. C. T. quor. appel. non recip. & d. Nov. 103. in princ.* quo tempore in duas provincias divisa fuit, siquidem Theodosius in utraque Palæstina Judæorum Synedria, seu seniorum, ac magistrorum collegia fuisse scribit, *in l. Judæorum. C. de Judæis.* postmodum in tres partes est divisa: Primam, id est, majorem, cujus metropolis fuit Cæsarea, seu turris Stratonis: & Secundam, cujus caput fuit Samaria, Sebaste ab Herode Rege dicta, quæ fuit colonia, *dicta l. 1. ff. de censib.* alii dicunt Scythopolim, *Pratum spirituale, cap. 50.* & Tertiam Salutarem, cujus metropolis erat Hierosolyma. Prima tantùm Consularis fuit, reliquæ à Præsidibus regebantur. Hæc provincia celebris erat Rhetorum atque artium Academiis, in quibus se institutum fuisse D. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri Cæsarei fratris memorat.

morat. Justinianus verò *d. Novell.* 103. Palæstinam primam Proconsularem fecit, ut prætexta, id est, veste purpurâ circumtexta, quali & alii Proconsules, & aureo torque, curruque argentato publicè uteretur, & more aliorum Proconsulum sex fasces præmitteret, *l. antepen. ff. de offic. procons.* Viginti duas libras auri, quæ efficiunt fere 2400. nostros aureos à Principe percipiebat, quibus ipse, & assessor, officiumque alebantur; ac stationariorum militum manu & aliorum opera quietam pacatamque regionem tenebat. Ab eo quemadmodum & ab aliis Spectabilibus ad P. P. qui erat in Comitatu, & Quæstorem sacri palatii, administrante officio P. P. appellabatur, *l. præcipimus, §. 1. C. de appel. §. 1. in Auth. de administ. off. in sacr. appell. seu Novell.* 20. Pro codicillis magistratus solvebat hic Consularis tribus Chartulariis sacri cubiculi solidos novem. Primicerio Tribunorum Notariorum XXIV. Ejus adjutori III. nfficio Præfectorum XL. Hæc colligebant summam solidorum LXXVI. *Novell.* 8. Proconsul verò ultimo creatus, solvebat quantum alii Proconsules, *d. Novell.* 8.

Sub finem Notitiæ Orientalis, spectatur Consularis Palæstinæ, habens à dextra abacum purpureo tapeto surrectoque instratum, cui liber mandatorum viridi corio tectus inhæret, propè aurei Principum vultus, aureæ item columnæ, præfixi astant, quæ sunt ejus insignia. ipse in solio ense aurata vagina condito, balteoque item aurato, accinctus sedet, sinistrâ hastam tenens, in cujus summo tabula nomen provinciæ Palæstinæ scriptum ostendit, dextrâ auratum cornu aureis plenum gerit: quod tributum in primis ex provincia ab ipso exigendum refert, *Novell.* 103. In capite galerum cum aureis pinnis phrygiatum præfert. A pede sursum ad poplitem purpureis ocreis per medium auro divisis indutus, viridi pallio dextrum humerum tegit: In manuscriptis supra tunicam cœruleam pallio purpureo amictus, in solio aurato altè sedet. Mandatorumque liber argento tectus, quatuor auratis loris constringitur. Alios Consulares iisdem usos insignibus Notitia monet.

Officium Consularis Palæstinæ hoc habebat, nempè Principem de eodem officio, Cornicularium, Commentariensem, Adjutorem, Numerarium, Ab actis, A libellis, Exceptores, & cæteros cohortalinos, quibus non licet ad aliam transire militiam, sine annotatione clementiæ Principalis: Hæc Notitia. Eadem fermè verba sunt Theodosii A. ad Florentium P. P. *in l. pen. C. de cohortalib. Nullum*, inquit, *ex Principe cohortalis officii, vel ad aliam posse militiam adspirare, vel ministeriis sibi contra publicam utilitatem blandiri, vel ad quamlibet aliam dignitatem ad præjudicium præteriti status accedere concedimus.* Hæc ille. Ita enim cohorti erant obnoxii apparitores, ut eam non possent deserere, *l. 7. & l. ult. C. eod.* Hæc officia *militia* vocabantur, *d. l. 7.* & ideo Notitia dixit, Hos non posse ad aliam transire militiam SINE ANNOTATIONE CLEMENTIÆ PRINCIPALIS. Annotatio erat subscriptio Principis. Leo enim A. *in l. ult. C. de divers. offic.* jubet his qui militiæ, id est, officii majorum judicum sociantur, edi authenticas scripturas, *quæ divinam*, inquit, *nostræ pietatis continent adnotationem*, id est, subscriptionem: & ita in præcedente rescripto idem Leo, de officiis loquens, interpretatur, *ut in l. pen. C. eod. Militiam*, ait, *sortiantur ex authenticis sacris probatoriis manu nostra subscriptis.* Ita vero Princeps subscribebat A. M. D. id est, *Augusti manu divina*, ut apparet in Novella lege Valentiniani, *de homicidio casu facto.* Et quia notis subscribebat, puncti divina manu dicebantur illi, quorum litteris Imperator subscribebat, *l. 4. C. de advocat. divers. judicum.* Hanc *divinam subnotationem* appellavit Justinianus, *l. prima in fin. C. de Justin. C. confirmand.* Præfata clausula, ut apparitores ad aliam non transeant militiam, in Illustrium, aut Spectabilium officiis non reperitur, quia illi cohorti non erant obnoxii, *l. 1. C. de apparitorib. P. P.* alii Consulares, subjicit Notitia, ad similitudinem Consularis Palæstinæ officium habent: hunc enim Consularem tanquam digniorem, aliorum exemplar esse voluit. Cæteras Palæstinas infrà inter præsidales prosequemur. Nunc alias Cnnsulares continuabimus.

CAP. CVIII.

DE CONSVLARI PHOENICIAE.

MARCELLINVS lib. XIV. cap. VIII. de Phœnicia hæc scribit: *Acclivis Libano monti Phœnice, regio plena gratiarum, & venustatis, urbibus decorata magnis, & pulchris, in quibus amœnitate celebritateque nominum Tyrus excellit, Sidon & Berythus, iisdemque par est, Emissa & Damascus, seculis condita priscis.* Hæc ille. A palmarum copia, quas Græci *phœnices* appellant, dictam esse Phœniciam Procopius in primo *de bello Persico* scribit. Guilielmus Tyri Episcopus lib. XIII. *sacri belli* cap. II. ita dividit: *Olim per multa tempora Phœnicia simplex fuit, & uniformis: nunc autem in duas divisa est, quarum prima maritima dicitur, cujus metropolis est Tyrus, urbs habens* XIIII. *suffraganeos. ...... altera verò dicitur Phœnicia Libanensis, cujus metropolis est Damascus, quæ etiam aliquando dicitur Syria. Hæc iterum Phœnicia postea divisa est in duas partes, quarum altera dicitur Damascena; altera Emissena.* Hæc ille. D. Hieronymus *in Act. Apostoler. Phœnicia*, ait, *provincia Syriæ est, cujus partes sunt Samaria, Galilæa, & alia plurima regiones. Galilæa quoque duæ sunt, una gentium vicina finibus Tyriorum in tribu Nephtalim, ubi & Salomon vigintiquinque civitates donavit Hiram Regi Tyri; alteram circa Tiberiadem, & stagnum Genezaret in tribu Zabulon.* Hæc D. Hieron. tota regio inter Palæstinam & Syriam Palmyrenam trianguli speciem præbet. Ab Oriente habet fontem Eleutheri, & Chrysorhoæ caput: à Meridie montem Libani: ab Occidente mare Ægyptium, ubi in latum extenditur, Phœnicia maritima, à Corseo fluvio cincta, ubi Biblus, & Tripolis, Berythus ac Sidnn. Consularem habuit, qui Tyri residebat: altera Phœnicia Libani Præsidem: itaque Diocletianus ad Crispinum, *l. 3. C. de diver. rescript.* & Constantinus ad Marcellinum *in l. unic. C. de form. & imp. sublat.* Phœniciæ Præsides scribentes, de hac intelligunt. Julianus verò Apostata Julianum, *l. 5. C. Theod. de decurionib.* & Valentinianus Leontium, *l. 9. C. T. de lustra. collat.* Phœniciæ Consulares vocantes, de maritima loquuntur, quam & Justinianus inter Consulares recenset, *Novell. 8. in Notitia.* in ea etiam Dux cum pluribus equitum peditumque copiis castrametabatur, ut Phœniciæ maritima Tyrus metropolis esset ab Hadriano Paulus Tyrius rhetnr ad eum legatus profectus impetravit, Suidas in verb. Παῦλος Τύριος, Alciat. lib. XIV. *Parerg.* cap. XV. Postea Theodosius Junior Berythum ejusdem provinciæ metrnpolim fecit, *l. 1. C. de metropol. Berytho.* Itaque duas metropoles habuit, sicut Pontica Amasiam & Neocæsaream, *Novell.* 28. sequitur Syriæ Consularis, & ipse Comiti Orientis subjectus.

CAP.

CAP. CIX.

DE CONSVLARI SYRIÆ PRIMÆ.

SYRIA Septentrionem versus, Cilicia, & Amano monte terminatur: ad Orientem Euphrate: ab Occasu Syrio & Ægyptio pelago: à Meridie Arabia Felici, & Ægypto. Plinius *terrarum maximam* appellat. Sub ea Palæstinam, Phœniciam, & Mesopotamiam complexus: Marcellinus verò lib. XIV. sub Syria Comagenam seu Euphratensem Phœnicem, & Palæstinam comprehendit. Ejus latitudo inter Ciliciam & Arabiam est CCCCLXX. millium passuum. Longitudo DXXV. Antea Assyria dicta, ab Assur, cujus metropolis est Damascus, inquit D. Hieronymus in *quæst. ad* X. *cap. Genes.* vbi Syriæ Præses degebat. Ante Hadrianum hæc una provincia fuit, cui Augustus Saturninum, mox Cirinum, Quintilium Varum, & alios legatos præfecit, *Luc. Evang.* cap. II. Joseph. & Ægesipp. *de excid. urb. Hierosolymit.* sub Claudio Cæsare, defuncto Rege Sohenio Itureæ, & mortuo Agrippa Judæa Syriæ sunt additæ, ut auctor est Tacitus *Annal.* lib. XIII. & *Hist.* II. & Josephus in XIX. *Anti.* cap. ult. Imperante Nerone Consularem habuit, ut auctor est Tranquillus: *Judæi*, inquit, *cæso præposito, legatum insuper Syriæ Consularem suppetias ferentem, rapta aquila fugaverunt.* Hæc ille. Eodem titulo hanc provinciam Catilium Severum sub Hadriano administrasse puto, *l.* I. *C. de testa.* Spartianus in *Hadriano*: *Qui*, inquit, *Syriam à Phœnicia separare voluit, ne Antiochia, quam odio prosequebatur, tot civitatum metropolis diceretur.* Ea regio Libano monte intersecta, in duas provincias scinditur, Phœniciam, & Syriam Cœlem, id est, *cavam* Syriam, sic dictam, quia inter duos montes clauditur. Demùm exclusis Judæa, & Phœnicia tres provinciæ factæ, Syriæ in plurali sunt appellatæ, *l. 7. §. quibusdam. ff. de interd. & relega. l. 3. ff. de censib.* & in tres divisæ: Syriam Cœlem, quæ prima nuncupatur, & Consularem habebat; Palmyrenam seu salutarem secundamque Syriam dictam; & Comagenam seu Euphratensem propè Amanum montem. Ammianus lib. XIV. cap. VIII. *Post Osrhoenam*, inquit, *Comagena, nunc Euphratensis, clementer assurgit; Hierapoli, vetere Nino, & Samosata civitatibus amplis, & illustribus. Deinde Syria per spaciosam inter partes diffusa planiciem. Hanc nobilitat Antiochia mundo cognita civitas, ... Laodicea, Apamia, & Seleucia: post hanc acclivis Libano monti Phœnice regio. Vltima terrarum est Palæstina, per intervalla magna protenta, cultis abundans terris, & nitidis.* Quibus verbis quatuor Syrias describit, Phœnicia, & Judæa inclusis, sed exclusa Palmyrena. Notitia Syriam Cœlem sive primam Consularem ponit, Euphratensem seu Comagenam, & Syriam salutarem, seu secundam, Præsidales: Justinianus verò, *in Novella* 8. *in Notitia*, primam & secundam Syriam Consulares statuit, Euphratensem Præsidalem. Quæ ergo à Notitia simpliciter Syria vocatur, est Cœles, quæ *prima* à Leone Imperatore nuncupatur, *in l. unic. C. de offic. com. Orient.* & hæc divisis Syriis Consularem habuit. Constantinus enim Hieroclem, & Theodorum Syriæ Consulares appellat, *l. 6. C. Th. de jur. fisc. & l. 78. C. quor. appellat. non recipiant.* Marcellinus lib. XIV. cap. VII. & XV. ad fin. Theophilum, Valentinianus Festum, *l. 3. C. de cohortalib.* Huic sub Antonino Caracalla Claudius Triphoninus Jureconsultus præfuisse creditur, *l. 1. C. de Judais.* Sub Diocletiano Arcadius Charisius, & ipse Jureconsultus illi jus dixit, *l. 9. C. de quæstionib.* Sub Constantino Dalmatius ejus fratris filius, Eutropius & Nicephorus lib. VIII. c. XLVIII. Postremò Justinianus hanc provinciam cum Cyrrhestica regione Comiti Orientis regendam commisit, *§. hoc autem ipsum, Novel. 8. §. quia verò duæ. Novel.* 20. Hujus Metropolis erat Antiochia, omnium totius Orientis civitatum nobilissima. Tacitus *Hist.* lib. II. *Discessere*, inquit, *Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream: illa Syriæ, hæc Judææ caput est.* Herodianus libro secundo scribit, *Syrorum gentem esse levissimam, pronamque ad res novandas, ac ludis oblectari.* Hactenus de Consulari Syriæ primæ. Nunc, ut Notitiæ ordinem servemus, aliis Syriis Præsidialibus intermissis, cæteros Orientis Consulares prosequemur: & Cypri Consularem continuabimus.

CAP. CX.

DE CONSVLARI CYPRI.

CYPRUS insula in Pamphylio mari sita, à Cypro Cynirii, & Veneris filio est appellata, ut Stephanus *de urbibus & insulis*, & *de coloniis Ægyptiorum* Constantinus Porphyrogenneta tradit. Addit eam XIII. urbes habuisse; Constantiam metropolim, Citium, Amathum, Cyreneam, Paphum, Arsinoem, Solos, Lapithum, Cerbeam, Tamasiam, Trymithum, ex qua S. Spiridon & Carpasus prodiere. Diversis Regibus paruit, inter quos fuit Demonicus, ad quem Isocrates orationes scripsit, donec ad Reges Ægypti, & inde ad Romanos pervenit, ut infra dicetur. De hac ita Marcellinus lib. XIV. cap. VIII. *Cyprum insulam*, inquit, *procul à continenti discretam, & portuosam, inter municipia crebra, urbes duæ faciunt claram, Salamis & Paphus: altera Jovis delubris, altera Veneris templo insignis. Tanta autem tamque multiplici fertilitate abundat rerum omnium, ut nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus à fundamento ipso carinæ ad supremos usque carbasos ædificet onerariam navem, omnibusque armamentis instructam mari committat. Nec pudet dicere, avidè magis hanc insulam populum Romanum invasisse, quam justè. Ptolemæo enim Rege fœderato nobis & socio, ob ærarii nostri angustias jusso sine ulla culpa proscribi, ideoque hausto veneno voluntaria morte deleto, & tributaria facta est, velut hostiles ejus exuviæ classi imposita, in urbem adducta sunt per Catonem.* Hæc ille. Ob penuriam ergo ærarii Rom. à Pub. Clod. Trib. Pleb. lege lata est publicata, & mortuo Ptolemæo ejus & Ægypti Rege, à M. Catone in provinciæ formam redacta, primusque eam C. Sextilius Rufus Quæstor jure prætorio administravit; deinde Ciliciæ attributa à Proconsule est administrata, Strabo lib. XIV. in fin. & XVII. in fi. eam prætoriam fuisse scribit: aliquando tamen à Proconsulibus rectam ex marmoribus constat, & D. Lucas *Act.* XIII. à Sergio Paulo Proconsule eam sub Claudio administratam fuisse refert. Demum Consularem habuit, qui pro codicillis magistratus pendebat quantum alii Consulares, *Notitia Nov.* 8. In Sacris Literis כתים *Chetim* vocatur, quia is primus ibi urbes condidit, à quo *Citium* oppidum tempore D. Hieronymi extabat, ut ipse in *locis Hebraicis* narrat. Appellabatur olim à Consulari Cypri ad Quæstorem exercitus Justiniani; deinde cautum est, ut ad eum & Quæstorem palatii provocaretur, *Novel.* 41.

Auctor est Nicephorus lib. XVI. c. XXXVII. imperante Anastasio corpus D. Barnabæ Apostoli in Cypro

pro sub arbore siliqua inventum, super cujus pectore Matthæi Euangelium ipsius D. Barnabæ manu scriptum jacebat, hac de causa Cyprii ab Antiochiæ Archipræsule, cui suberant, fuere liberati, itaque tum Metropolitanum habere cœperunt. Id Justinianus in gratiam Theodoræ conjugis Cypriæ confirmavit, d. cap. XXXVII.

CAP. CXI.

DE CONSVLARI CILICIÆ PRIMÆ, *& Præside secunda.*

VLTIMVS sub Comite Orientis Consularis est Ciliciæ: hæc ab Oriente Amano monte à Syria Cœle separatur, à Septentrione parte Armeniæ & Cappadociæ, ab Occidente Pamphylia, à Meridie Illico sinu terminatur. Eam Marcellinus lib. XIV. cap. VIII. ita describit: *Superatis Tauri montis verticibus, qui ad Solis ortum sublimius attolluntur, Cilicia spatiis porrigitur latè distentis, dives bonis omnibus terra: ejusque lateri dextro adnexa Isauria.* Et paolo infra: *Hadua provincia bello quondam Piratico catervis mixta prædonum à Servilio Proconsule missa sub jugum, facta sunt vectigales:* Hæc ille. Idem Sext. Ruffus: Cilicia, etsi pars Asiæ minoris, Orienti tamen attribuitur, non Asianæ. Ejus metropolis est Tharsus D. Pauli Apostoli patria, & Proconsulis sedes, quæ Cydno fluvio intercisa, vulgò *Terassa* nuncupatur. Provincia *Carmania* dicitur à Carmanis Turcis, qui eam an. CCL. tenuere, donec à suæ sectæ hominibus expulsi sunt. Huic olim Proconsul imperabat: nam Cicero, Plinius, & alii Ciliciæ Proconsules, aut eorum loco fuere. Hadriano imperante Vivium Varum legatum habuit, *l. 3. §. 1. ff. de testib.* deinde Benidium Rufum, *l. 2. in fin. ff. de jure immuni.* sed dubium an tum esset Consularis, an postea à M. Aotonino sit facta: *Is enim provincias*, inquit Capitolinus, *ex Proconsularibus Consulares, aut ex Consularibus Proconsulares, aut Prætorias pro belli necessitate fecit.* Certè sub Antonino Caracalla Rutilianus Ciliciam Consularis regebat, *l. 1. C. de generali abolitio.* Vopiscus Aurelianum, Constantino imperante, Proconsulem Ciliciam rexisse scribit. Duplex verò Cilicia fuit, *l. 5. C. de tempor. appellat.* Campestris Cilicia prima dicta, & Thrachæa Cilicia secunda. Prima à Consulari regebatur, *Novel.* 8. *in Notitia*, cujus metropolim Tharsum fuisse diximus. Secunda à Præside, *l. 24. C. T. de appellat. l. 1. de inoffic. dotib. d. Novel.* 8. cujus metropolis Amauarza urbs antiquissima fuit. Strabo lib. XIV. *Cilicia*, inquit, *quæ extra Taurum est, dividitur in Ciliciam Thrachæam, id est, asperam, & Campestrem. Thrachæa oram maritimam peranguslam habet, & nullum, vel rarò locum planum, et Taurus imminet, parum frequens incolis usque ad latera Borealia, quæ circa Isauriam sunt, & Homonades usque in Pisidiam: Eadem Thrachiotis dicitur, & incolæ Thrachiotæ. Campestris verò, a Solis, & Tarso Issum usque pertendit.* Hæc ille. Ptolem. lib. V. cap. VIII. Plinius lib. V. cap. XXVII. Hanc inter Consulares, & aliam inter Præsidales etiam Justinianus recenset, *in d. Nov.* 8. *in Notitia.* Ciliciam Thrachæam antea Regibus concessam in provinciæ formam Vespasianus convertit. Tranquillus in *Vespasiano* cap. VIII. *Thrachæam*, inquit, *Ciliciam & Comagenem ditionis Regiæ usque ad id tempus, in provinciæ formam redegit:* vulgo codices sunt corrupti, pro *Thrachæam* enim legunt *Thraciam*, quæ longè ante Romanis paruerat. id & Pub. Victor in *Vespasiano* comprobat: *Syria*, ait, *Palæstina, necnon Cilicia Thrachæa, & Comagene, quam Augustophratensem nominamus, provinciis accessere, additique sunt Judæi.* Hanc Ciliciam Dario Persarum Regi L. talenta olim pro tributo solvisse, Herodotus in quinto est auctor. Cilices insignes nautæ & piratæ fuere, ac navibus plus MD. cum sociis mare vexarunt, donec à Gn. Pompejo sunt extincti, Plutarchus in *Pompejo.* eorum mores in proverbia abierunt: *Cilix haud facile verum dicit: Cilicii sermones: Cilicium exitium: Cilicii Imperatores.* Ciliciæ primæ Rector pro codicillis magistratus solvebat, quantum alii Consulares: Secundæ quantum Præsides, *dict. Novell.* 8. *in Notitia.* Hi sunt Consulares, qui Comiu Orientis suberant: nunc de aliis ejus Præsidibus est dicendum, & à reliquarum Palæstinarum Rectoribus auspicabimur.

CAP. CXII.

DE PRÆSIDIBVS II. ET III. *Palæstina salutaris.*

SVB eodem Comite Præsidem habuit secunda Palæstina, cujus metropolis fuit Samaria, postea ab Herode Rege *Sebaste* appellata, id est, Augusta. Hæc regio inter Galilæam, & Judæam sita à Josepho Samaritis, ab aliis secunda Palæstina vocatur. Tertia verò Palæstina sub ejusdem Comitis imperio ab alio Præside regebatur, quæ à salubribus aquis, *salutaris* est dicta. Hæ reperiuntur propè oppidum Emaus postmodum *Nicopolim* à Romanis vocatum, ob victoriam contra Judæos obtentam. Sozomenus lib. V. c. XXI. *Ante hanc urbem*, inquit, *in trivio, ubi Christus cum Cleopha post resurrectionem incedens, simulabat, se ad alterum pagum contendere: Fons est quidam salutaris, in quo non homines modò, qui ægrotant, loti curantur, sed & alia pariter animalia diversis detenta languoribus emundantur: quod ex eo contigisse traditur, quia Christus ad fontem cum discipulis pedes lavavit: unde aqua facta est diversarum medicamen passionum.* Josephus verò lib. IV. *belli Judaici* cap. II. id naturali aquæ virtuti non miraculo tribuit. D. Hieronymus *de locis Hebr. Est*, ait, *in Tribu Aser, villa quædam nomine Sethanea in quintodecimo a Cæsarea lapide, sita in monte contra Orientalem plagam, in qua & lavacra dicuntur esse salubria.* Marcellinus lib. XIV. cap. VIII. loquens de Palæstina: *In his*, inquit, *tractibus navigerum nusquam visitur flumen, at in locis plurimis aquæ suapte natura calentes, emergunt ad usus apta multiplicium medelarum.* Hæc ille. Idem tradit Gulielmus Tyri Episcopus lib. *sacri belli* VII. cap. XXIV. & lib. XIII. cap. II. Josephus quoque lib. XVII. *Antiq. Jud.* c. VIII. scribit aquas calidas apud Callirroen ultra Jordanem fluvium, præter vim medicam potu quoque jucundas fuisse. Epiphanius *contra Ebionitas hæres.* XXX. *Proficiscuntur*, inquit, *ad Gadara ad aquas calidas, quo loco singulis annis conventus celebratur. Accedunt enim undequaque, qui lavare volunt ad dies aliquot, morborum videlicet deponendorum gratia.* Hæc ille. Hujus provinciæ metropolis fuit Ælia Capitolina, ita ab Ælio Hadriano, qui eam restituit, appellata, prius Hierusalem dicta. His tanquam minoribus regionibus Præsides imperabant, quorum officia & insignia erant ut aliorum Præsidum. Vnde Pilatus, quandoque Præses, quandoque Procurator Judææ vocatur. Primam & Secundam Palæstinam inter Consulares Novella 8. recenset. Tertiam verò, quæ *salutaris* à Notitia nuncupatur inter Præsidales: unde apparet Justiniano imperante provinciarum formam mutatam fuisse, quemadmodum & in secunda Syria est dictum.

CAP.

CAP. CXIII.

DE PRÆSIDE PHOENICES LIBANI.

ALTERA est Phœnicia Libani dicta, quæ ab eo monte incipit, Libanensis ab Honorio vocatur, *in l. 10. C. de ædif. privat.* Libanus à *libano*, id est, thure, quod producit, est appellatus, Arabiam contingit, ait Ptolemæus. Ad ejus radices & Jordanis fontes est Cæsarea Philippi, ab eo in honorem Tiberii Cæsaris condita, & cognominata. Totius provinciæ Metropolis erat Damascus, urbs nobilis, ut refert D. Hieronymus, *quæ quondam*, ait, *in omni Syria tenuit principatum, ut nunc Saracenorum metropolis perhibetur, unde & Rex eorum Nautias famosam in ea sibi gentique sua basilicam dedicavit, Christianis in circuitu civibus Baptistæ Joannis ecclesiam frequentantibus.* Hæc D. Hieronymus *de locis Hebr. in Act. Apost.* Hæc provincia Præsides habuit Crispinum sub Diocletiano, *l. 3. C. de div. rescript.* & Marcellinum sub Constantino, *l. unic. C. de formula & imper. sublat.* Verum Justinianus illi Moderatorem spectabilem virum dedit, qui decem libras annuas pro annonis ex scrinio Phœniciæ percipiebat, *Edicto 4. Justinia. de magistratu Phœniciæ Libanicæ.* Ea summa efficit fermè nostros MC. aureos. Præterea milites Tertio-Dalmatas dictos, cum onere exigendorum tributorum habuit, nihilque pro codicillis magistratus Primicerio Notariorum solvebat. Degebat in hac provincia & Dux cum militibus. sequuntur Syriarum Præsides eidem Comiti parentes.

CAP. CXIV.

DE PRÆSIDIBVS EVPHRATENSIS *Syriæ, & salutaris.*

SYRIA olim Comagena, postea Euphratensis nuncupata, ad Euphratem porrigitur: ut ait Ammianus lib. XIV. Procopius lib. V. *de bello Persico*: *Regio*, inquit, *Samosatis juxta Euphratem est jam dudum Comagena, nunc autem ex fluvii nomine Euphratisia vocata.* Hæc ille. Antiocho Comagenorum Rege defuncto, eam Tiberius Cæsar Romano Imperio adjecit, & illi Q. Servæum Prætorem dedit, sicut Tacitus lib. II. *Ann.* refert. Sed Tranquillus Vespasianum eam in provinciam redegisse scribit. Hujus metropolis est Samozata Luciani patria, ubi Euphratis pons. Euphratensem hanc regionem Notitia, & Honorius *l. per provincias*, 10. *C. de ædific. priv.* vocant. Augustam Euphratensem Leo Imperator, *in l. ult. C. de diver. offic.* De hac ita Aurelius Victor in *Vespasiano*: *Comagena*, inqnit, *quam hodie Augustam Euphratensem vocant: ab Euphrate fluvio, cui adjacet, est appellata, sicut Libanensis*: Hæc ille. Augustus suum illi nomen addidit, quando Armeniam cum signis M. Crasso ademptis recuperavit. Præsides Euphratensis, & Syriæ salutaris, solvebant pro codicillis magistratus ut alii Præsides: nempè Chartulariis cubiculi solid. IX. Primicerio Tribunorum Notariorum XV. ejus adjutori III. officio P. P. Orientis XXXVI.

Vltima est Syria salutaris à salubribus aquis in ea scaturientibus appellata: Ammianus lib. XIV. cap. VIII. *In his*, inquit, *tractibus navigerum nusquam visitur flumen: at in locis plurimis aquæ suapte natura calentes emergunt: ad usus apta multiplicium medelarum.*
A Hæc est Palmyrena, Syria secunda ab Anastasio vocata, *in l. petitiones, C. de advoc. diver. jud.* In hujus Præsidis foro XXX. advocati patrocinabantur, quorum primus per biennium fisci advocati officio fungebatur, eo tempore exacto, amplius non patrocinabatur, ab onereque hospitandi immunis, aliis etiam gaudebat privilegiis, *d. l. petitiones.* Justiniano imperante, secundæ Syriæ rector Consularis fuit, *d. Novell. 8. in Notitia.* Tres enim & ipse Syrias recenset: primam quæ est cava, & Consularis: secundam Palmyrenam, quæ ante ipsum à Præside regebatur: & Euphratensem quæ semper Præsidum fuit. In his limite Imperii
B Romani posito Dux stativa habebat, ut infra dicetur. Nunc alii hujus Diœceseos Præsides sunt continuandi.

CAP. CXV.

DE OSRHOENÆ, ET MESOPOTAMIÆ PRÆSIDIBVS.

OSRHOENA Civitas regioni proximæ Mesopotamiæ nomen dedit, ut sentit Suidas. Procopius lib. I. *de bello Persico*, ab Osrhoe, qui ibi regnavit, dictam putat: *Ædessa*, inquit,
C *cum ipsis circa locis Osrhoena vocatur. Est enim Osrhoes viri nomen qui hic regnavit, superioribus temporibus, quando hi coloni Persis fœderati erant.* Hæc ille. Osrhoëna ab Honorio vocatur, *in l. 10. C. de ædif. privat.* Ea pars est Mesopotamiæ, inter Amanum & Masium montes: à Septentrione habens Armeniam majorem: ab Occasu Euphratem, quo à Comagena dividitur: ab Ortu ad Nisibim extenditur, cujus caput est Ædessa. Valentinianus *in l. 5. C. de cohortalib.* *Quicunque*, inquit, *per Osrhoenam Primipilarius majore lætatur numero filiorum, unum loco suo veluti hæreditario jure substituat, alterum pro amore patriæ, Ædessenæ curiæ tradat ob-*
D *sequiis.* Hæc urbs imperante Justino à flumine Scirto est submersa. Zonaras in *Justino*: *Ædessa*, inquit, *urbs illustris Osrhoenæ provinciæ submersa est, cum Scirtus fluvius, qui eam mediam perfluit, exundasset, & urbis ædificia dejecisset, atque avexisset, & cives partim ruina, partim undis oppressisset. Aliquot diebus elapsis aqua imminuta, lapidea tabula in ripa fluminis est reperta, cui notis Hieroglyphicis insculptum erat*: Scirtus fluvius malè saltabit civibus: *ὀρχεῖν* enim *saltare* Græci dicunt. Eadem Cedrenus.

Justinianus *in d. Novel.* 8. Osrhoënam inter Consulares recenset, cum ante semper Præsidem habuis-
E set. Pro singulis XXX. jugeris agri, Osrhoëni vestem in ipsa specie militibus solvebant. Osrhoënæ nomen antiquitus non invenitur, Adiabena enim vocabatur: primum à Gn. Pompejo, postea à Trajano, Romano Imperio adjecta, verùm amissa ab Alexandro Severo, deinde ab Aureliano recuperata fuit. Hic contra Persas erectum limitem Imperii Dux cum militaribus copiis tuebatur.

Mesopotamia, *μετὰ τῶν ποταμῶν*, à Stephano & Justiniano *in Novel.* 154. vocatur, id est, inter Tygrim & Euphratem flumina media: Carrbam insignem civitatem habebat Crassi clade; inquit D. Hieronymus *de locis Hebr. in Act. Apost.* apud Chri-
F stianos hospitio Abraham Patriarchæ, & parentis ejus morte nobilem. Hanc cum Osrhoëna Gn. Pompejus subegit, & amissam Trajanus, Alexander, & Aurelianus recuperarunt. Justinianus & ipse inter Præsidales recenset, *in Novell.* 8.

In his duabus provinciis, Princeps Constantinopolitanus plura prædia ad alendos milites de-

ſtinata habebat, quæ nec alienari, nec locari, nec in emphyteuſin dari poterant, *l. omnes. l. nulli. C. de fund. patrimo. facit Novell.* 187. & *limitotropha*, id eſt, limitaneos milites alentia vocabantur, qui ſub Duce ultra Tygrim, & citra Euphratem, & in ipſa Meſopotamia plurimi caſtrametabantur. Hi erant ſub Comite Orientis Præſides clariſſimi: nunc ad reliquos duos Iſauriæ & Arabiæ eſt veniendum, qui perfectiſſimi nuncupabantur.

CAP. CXVI.

DE ISAVRIÆ PRÆSIDE, *& poſtea Comite.*

ISAVRIA Ciliciæ ad Taurum montem proxima, Lycaonibuſque finitima à Publio Servilio Iſaurico ſubacta fuit. De hac ita Marcellinus lib. XIV. cap. VIII. *Cilicia lateri dextro adnexa Iſauria, pars ſorte uberi palmite viret, & frugibus multis: quam mediam navigabile flumen Calycadnus interſcindit. Et hanc quidem præter oppida multa duæ civitates exornant, Seleucia, opus Seleuci Regis: & Claudiopolis, quam deduxit coloniam Claudius Cæſar: Iſauria enim ante hac nimium potens, olim ſubverſa ut rebellatrix interneciva, ægre veſtigia claritudinis priſtinæ monſtrat admodum pauca.* Hæc Marcellinus. A Præſide, ut puto, viro perfectiſſimo regebatur, neque enim hic Præſes, neque Arabiæ, quem perfectiſſimum fuiſſe conſtat, in Notitiæ indice inter Conſulares aut Præſides invenitur, unde eos tanquam perfectiſſimos à clariſſimorum catalogo excluſos fuiſſe exiſtimo.

Cæterum Juſtinianus illi primò Prætorem militibus Præfectum, poſtea Comitem virum ſpectabilem, dedit, *in Nov.* 20. qui populis & militibus imperaret, *Nov.* 27. Exigebat is provinciæ tributa, & pro annona CCC. ſolidos à fiſco percipiebat, ita enim credo legendum in Novella 27. cùm tantum etiam Præſidibus Piſidiæ, Lycaoniæ, & Thraciæ daretur, *Nov.* 24. 25. *&* 26. *ſupr.* Ad quorum exemplum hic Comes eſt creatus, *Nov.* 27. §. 2. Ea ſumma excedit noſtros CCCCXX. aureos, vitio verò librariorum tantùm CC. aurei ibi ſunt ſcripti. Similiter dum legitur aſſeſſori dari aureos XII. reponendum eſt LXXII. quot Prætori Piſidiæ, & pluribus dabantur. Officiales duas libras auri, id eſt, aureos noſtros CCXX. percipiebant, & à Principe in ſcrinio libellorum probabantur, inde enim codicillos officii accipiebant. In cauſis DCC. aureos non excedentibus in Iſauria motis, vel à Principe delegatis, ad hunc Comitem provocabatur, qui pro codicillis adminiſtrationis, tribus Tabulariis ſacri cubiculi ſolidos XI. ſolvebat. Primicerio Tribunorum Notariorum, & Laterculenſibus XXIV. ejus adjutori III. officio Præfectorum Prætorio pro juſſionibus, & quacunque alia cauſa ſolidos XIII. *Novell.* 27. Iſauri pro inſignibus latronibus in Jure notantur, *l. pen. C. de ſervis. l. ult. C. ad l. Juliam de vi publ.* quos collecta juvenum manu prædari ſolitos Zoſimus ſcribit. Iſauros chlamydes rubro circumtextas geſtaſſe auctor eſt Cedrenus. Hanc provinciam cum duabus legionibus Dux cuſtodiebat.

CAP. CXVII.

DE PRÆSIDE ET MODERATORE ARABIÆ.

ARABIA à Septentrione Euphratem habet: ab Oriente montes Babyloniæ, à Meridie Arabiam fœlicem, ab Occidente Judæam. Hanc primus Romanorum Ælius Gallus ab Auguſto miſſus armis ſubegit. Rebellantem Trajanus in provinciæ formam redegit, Sex. Ruffus. Severus rurſus ipſos domuit, etſi aliud Dion refert. Triplex eſt Arabia, *Fælix*, quam nunquam ingreſſi ſunt Romani, nec de illa hic ſermo habetur: Alia eſt Arabia *Deſerta*, quæ nec ad nos pertinet: Tertia *Petræa* dicta, cujus metropolis erat Boſtra vulgo *Buſſereth* dicta, ubi legionem fuiſſe Ptolemæus ſcribit, quæ erat tertia Cyrenaica. Alii volunt Petram provinciæ caput fuiſſe, unde *Petrenſis* Arabia, vel *Petræa* vocatur, ſed id antea fuerat. Boſtram enim Juſtinianus *Nov.* 102. poſtea ejus metropolim fuiſſe innuit. Huic præerat Præſes, qui etiam Ducis officio fungebatur perfectiſſimus nuncupatus, ut infra in Duce Arabiæ legitur, *l.* 18. *C. de pœn. l.* 4. *C. T. eo. tit.* & ideo neque hic, nec præcedens in Notitiæ indice, aut inter Conſulares, aut Præſides clariſſimos reperitur: A Juſtiniano verò inter Præſides recenſetur, *Nov.* 8. *in Notitia.* præcipua ejus cura erat, ut ſcopeliſmum prohiberet, Vlpianus *in l.* 9. *ff. de extr. crim. In provincia Arabia*, inquit, *σκοπελισμὸν, id eſt, lapidum poſitionem, crimen appellant: cujus rei admiſſum tale eſt: Plerique inimicorum ſolent prædium inimici σκοπελίζειν, id eſt, lapides ponere indicio futuros, quod ſi quis eum agrum coluiſſet, malo letho periturus eſſet inſidiis eorum, qui ſcopulos poſuiſſent: quæ res tantum timorem habet, ut nemo ad eum agrum accedere audeat, crudelitatem timens eorum qui ſcopeliſmon fecerunt, hanc rem Præſides exequi ſolent graviter uſque ad pœnam capitis, quia & ipſa res mortem comminatur.* Hæc Vlpianus.

Hujus Præſidis cohortales poſt officium Ducis Arabiæ Notitia recitat: ſcilicet Principem ex eodem officio Cornicularium, Ordinarios, Commentarienſem, Numerarios, & Adjutores eorum, Adjutorem, A libellis, ſive Regerendarium, Exceptores, & cæteros Officiales. Ordinarios autem interpretor ab epiſtolis, & ab actis, alii enim ſignificari non poſſunt: Quod autem ſcriptum eſt Adjutorem, intelligo totius officii ſuccurrentem, ubi opus eſt, & Præſidis vices agentem: erant & à libellis qui alio nomine *Regerendarii* vocabantur, quibus alii Præſides carebant: Sed hic ipſis tanquam Dux utebatur. Poſtea verò ſeparatum eſt eorum officium & diviſos Præſidem, ac Ducem hæc provincia habere cœpit, qui ut ſæpè inter æmulos evenit, cum inter ſe diſſiderent, diſcordiaſque inter populos alerent, & ideo Reſpublica malè adminiſtraretur, Juſtinianus ei Moderatorem præfecit, virum ſpectabilem, *in Nov.* 102. *de moderatore Arabiæ*, cui quindecim libras auri conſtituit, quæ ſumma excedit MDC. noſtros aureos, & aſſeſſori duas auri libras, id eſt, fermè CCXX. noſtros aureos. Officio verò IX. quæ efficiunt plus minus mille aurei. Pro codicillis antea ſolvebat ut Præſes Euphratenſis, poſtea moderator quantum alii Spectabiles dedit. A quo appellabatur quemadmodum ab aliis Spectabilibus. In hac provincia eſt Caſſius mons ſepulchro Pompeji Magni nobilis, & mons Sinai, ubi Deus legem Moiſi dedit, & nunc D. Catharinæ oſſa jacent. Hi ſunt Magiſtratus, qui Comiti Orientis parebant. Nunc ad ſecundam Imperii Orientis diœceſim, id eſt, ad Ægyptum, & Præfectum Auguſtalem ſecundum Notitiæ & Codicis Juſtiniani ordinem, qui cum Comiti Orientis ſubnectunt, eſt tranſeundum.

CAP.

CAP. CXVIII.

DE PRÆFECTO ÆGYPTI, *ejusque insignibus, & officio.*

AEGYPTUS omnium regionum fertilissima, & opulentissima, à Septentrione Ægyptio pelago: ab Oriente mari Rubro, & Palæstina, Isthmoque terminatur: ab Occidente Catabathmo à Cyrenaica Libya dividitur: à Meridie ultra Thebas, & Mœroen insulam ad cataractam Æthiopiæ conjungitur. Tota regio in tres summas præfecturas dividitur, Thebaicam, Mediam, & Inferiorem: Hæc Δ. id est, *delta* figuram habens insula à Nilo efficitur, qui mediam Ægyptum interfluit, & multo antequam ad mare perveniat, in duas partes divisus uno alveo Africam versus Canopum petit: altero Pelusium ad Asiam, quæ duo ostia inter se distant millibus passuum, CLXI. inquit D. Hieronymus, *de locis Hebr. in Act. Apost.* alii dicunt CXX. Ex his alia orta flumina in mare currunt. A summo Δ. & Memphi Thebas usque vocatur *Media*: postea Thebaica, aut Ægyptus superior usque Sienem. Hæc olim in decem Præfecturas, seu nomos dividebatur: inferior in totidem: Media in XVI. itaque erant XXXVI. Præfecturæ seu provinciæ Ægypti: Sed posteriores Impp. addita etiam Libya, non plures quàm sex Præfecturas fecerunt, Libyæ Cyrenaicæ, seu superioris, Libyæ inferioris, Thebaidis, Ægypti, Arcadiæ, & Augustanicæ: Ægyptus enim inferior quæ Delta erat, duplex facta fuit; Augustanica versus Pelusium, & quæ specialiter Ægyptus vocatur, sed & hæ duæ, eodem nomine Ægypti sunt dictæ. Et ideo Gratianus vectigal Arabarchiæ per Augustanicam, & Ægyptum tanquam contiguas confirmat, *in l. usurpationem. C. de vectig. & commiss.* Ammianus quoque lib. XXII. cap. XVI. fermè similem ponit divisionem: *Tres*, inquit, *provincias Ægyptus fertur habuisse temporibus priscis, Ægyptum ipsam, Thebaidem, & Libyam: quibus duas adjecit posteritas, ab Ægypto Augustanicam, & Pentapolim à Libya sicciore disparatam*: Hæc ille. Universa hæc regio *Ægyptiaca diœcesis* appellatur, *in l. 1. C. ut nemo ad suum patroc. l. 2. C. de militari veste.* cujus quælibet provincia suum habebat Præsidem, inter quos nullus est Consularis. Absurdum enim visum est Consularem, non Consulari, sed Equestris ordinis viro (qui est Præfectus Augustalis) subesse. Cùm enim Augustus provincias inter se, & populum divideret, novam Imperii formam constituens, in alias quidem Senatores, in Ægyptum verò, quam sibi præcipuam reservavit, Equestris ordinis virum misit, & à se Præfectum *Augustalem* vocavit, Dion lib. LIII. Primus eam provinciam Æli. Cornelius Gallus rexit, ut Strabo, Sex. Ruffus, & Eutropius scribunt, cum postea de conjuratione in se suspectum Augustus occidit: Is est, quem Virgilius in Ecloga ultima decantat. Postea Severus concessit, ut Ægyptii non amplius Equitem Rom. sed Senatorem Præfectum haberent, Dion lib. XXI. unde hic nec fasces, nec secures præmittebat, quemadmodum Proconsul. Trebellius enim Pollio in *Æmilio Tyranno*, Proconsulem in Ægyptum mitti non potuisse dicit, quia apud Memphim in ærea columna scriptum erat, Ægyptum liberam fore, cum in eam Romani fasces, & prætexta pervenissent, & ob id antea nec Senator nec Consularis mittebatur, quem decorum non erat sine prætexta aut fascibus esse: id olim fuit, sed postea hic Præfectus insignibus Proconsularibus est exornatus, *l. 1. ff. eo. de off. Præf. Aug.* Alii causam reddunt, quia cum primum sub Regibus Ægyptus esse desiit, Augustus novitate fascium, & securium cum populum perterrefacere noluit. Quidam, ut Tacitus lib. VI. XII. & XVII. ne propter maximum ejus provinciæ proventum, qpibus potentes facti Senatores Imperio Romano negocium facerent. Duodenûm enim millium, & quingentorum talentorum censum Auletes Cleopatræ pater ex Ægypto percipiebat, quæ est summa septuagies quinquies centenûm millium nostrorum aureorum, vulgus Italicum septem *milliones* cum dimidio appellat, quam summam ea provincia potius Augustus duplicavit, Strabo l. XVII. At D. Hieronymus *in* IX. *Danielis* ait, Ptolemæum Philadelphum ex Ægypto quinquies tricies centena millia modiorum frumenti exegisse, & talentorum quatuordecim millia & octingenta, quæ summa efficit fermè novem, ut vulgus loquitur, *milliones*, & quindecim modiorum frumenti.

Cæterum Severus Imp. Ægyptiis Senatores dedit, Dion lib. LI. & Antoninus ejus filius Ægyptios in Senatum adscivit. Præfectus Augustalis erat Spectabilis, Proconsuli comparatus, cujus insignia, & titulos gestabat, *l. 1. ff. eo.* locumque Regum tenere dicebatur. Tacitus *Ann.* lib. VII. *Ægyptum*, inquit, *jam inde à D. Augusto equites Romani obtinent loco regum.* Idem Strabo lib. XVII. erat enim, ait, hæc provincia velut regnum peculiare Imperatoris. Unde Nero ab omnibus destitutus, Ægypti Præfecturam concedi sibi orare cogitavit, ut auctor est Suetonius in *eod.* cap. XLVII. Hic Præfectus ut alii magistratus tributa provinciarum suarum exigebat, *ut in l. 1. C. eo.*

Primum verò omnium ipsum curare oportuit fœlicem embolam, id est, frumenti ex Ægypto transvectionem, ut Constantinopolim intra præstitutum diem veheretur, & aliud Alexandriam intra mensem Septembrem pro alendis ejus urbis pauperibus conduceretur, pœna indicta solidi in ternas artabas, id est, ternos medimnos Atticos, nisi id esset executus, *edict.* 13. *Justi.* Nullaque navis quæ plus duobus millibus modiorum caperet, ab hac embola etiam religionis prætextu excusari poterat, *l. jubemus* 10. *C. de sacrosf. eccl. quæ est l. ult. C. de navig. non excusan.* Augusto imperante, inquit Aurelius Victor, ex Ægypto urbi ducenties centena millia frumenti inferebantur, scilicet modiorum. Itali viginti *milliones* vocant: pendebat modius circiter libras XX. unde excessisset hæc summa decies centena millia ex nostris saccis. Hegesippus quoque scribit, lib. II. c. IX. *de excid. urb. Hierosolymitanæ*, Ægyptum quatuor mensibus anni Romanos aluisse. Verùm translato Constantinopolim Imperio, hoc triticum eò conductum populo vendi cœpit, inopibusque donari, inter quos Pius Constantinus octuaginta millia panum quotidie distribuebat, ut Metaphrastes in *Paulo*, *Constantinopolis Patriarcha*, narrat. At Socrates lib. II. c. X. auctor est Constantinum Magnum donasse populo Constantinopolitano octuagies centena millia medimnorum frumenti, ex quibus dimidium, id est, quadragies centena millia Constantius illius filius urbi ademit. Capit autem medimnus modios sex, seu libras CXX. ut vult Suidas. Justiniano verò imperante tritici DCCC. myriades artabarum seu medimnorum Atticorum Constantinopolim mittebantur, id est, octo, ut vulgus loquitur, *milliones*, pro quorum naulo Princeps nautis octuaginta millia solidorum solvebat, quæ summa efficeret plusquàm centum millia nostrorum aureorum, *d. edicto* 13. capiebat autem medimnus modios sex, seu libras CXX. Hoc modo emebatur. Erat apud urbis Præfectum, vel annonæ liberalitate Senatus & aliorum seposita summa sexcentarum undecim librarum auri, id est, fermè LXII. millium nostrorum aureorum

ad hoc triticum coemendum, *l. 1. C.Th. de frum. urb. Constant.* Hac pecunia in Ægypto triticum emptum Conſtantinopolim tranſmittebatur.


Commiſſorum ſibi Præſidum hic Præfectus crimina inquirebat, & delictis ipſorum prius Principi denunciatis eos puniebat vel removebat, *l. 2. C. eo.* ipſe Alexandriæ degebat, quæ primum totius Imp. Rom. emporium à Plinio lib. v. c. x. Strabone, & aliis appellatur. Eò enim Indiæ ac totius Orientis merces confluebant, quæ nunc in Luſitaniam convertuntur. Juſtinianus verò *edicto* 13. hujus Præfecti imperium coarctavit, quem Alexandriæ tantùm, & utrique Ægypto, id eſt, univerſæ Deltæ, ac militibus præſentalibus ibi degentibus præfecit. Excepta tamen Mareotide, & Menelai urbe, quam Libyæ adſcripſit, duos harum provinciarum Præſides ſolos illi parere voluit, ejuſque officium DC. Apparitorum ſtatuit, inter quos C. primates præcellebant, quorum L. *Augustaliani*, alii quinquaginta *Duciani* appellabantur. Tenebatur hic Præfectus quotannis curſum XXXVI. equorum populo exhibere, idcirco Juſtinianus illi aureos MDXX. ad hunc uſum præſtituit, quorum CCCXX. in curſu equorum impendebantur, reliqui in annonas ipſius, *edict.* 13. *c.* 16. Is olim CL. Philippeos quotannis pro ſalario à Valeriano Principe, & alios CLX. trientes aureorum percipiebat,

A & in ſtrenis aureos XLVII. quot Kal. Januarii advocatis fiſci, ac Comitibus conſiſtorii, aliiſque dabantur, *l. 4. C. de advo. diver. jud.* & hæc præter frumentum, vinum, oleum, veſtes, argentum, laridum, fœnum, paleam, hordeum, equos, & alia, de quibus Trebellius Pollio in *Claudio*. Verùm Juſtinianus ſuo Præfecto Auguſtali annonas quinquaginta, id eſt, cibaria, pro viris totidem, & quinquaginta capita, id eſt, totidem equorum pabula dedit: præterea libras auri XL. annuas, quæ poſſunt efficere noſtrorum aureorum MMMMCCCL. Aſſeſſori verò libras auri quinque, id eſt, aureos noſtros fermè DL. mille ſolidos Apparitoribus, qui à Vindice ſolvebantur, *d. Edicto* 13. Is erat Quæ-
B ſtor ad exigenda tributa à Principe Alexandriæ conſtitutus, quem Anaſtaſius invenit, Euagrius lib. III. c. XLII. Nicephorus lib. VI. c. XLIV. de quo in *edicto* 8. *c.* 3. & *edicto* 13. *c.* 14. *&* 15. Præter hæc quadringentos nonaginta duos aureos ex fiſci crumena in accendendis balneis publicis Præfectus Auguſtalis impendebat, & alios ob quaſdam alias cauſas publicas, *ut in d. edicto* 13. *c.* 15. *&* 16. *Præfectus Ægypti*, inquit Vlpianus *in l. uni. de off. Præfect. August. non prius deponit Præfecturam, vel imperium, quàm Alexandriam ingreſſus ſit ſucceſſor ejus, licet in provinciam venerit, & ita mandatis ejus continetur.*

NOTITIA.

PRAEFECTVS AVGVSTALIS

CVM INSIGNIBVS.



NOTI-

NOTITIA.

Sub dispositione Viri Spectabilis Præfecti Augustalis Provinciæ infrascriptæ.

Libya superior.
Libya inferior.
Thebais.
Ægyptus.
Arcadia.
Augustanica.
Officium autem habet ita:
Principem de schola Agentium in rebus Ducenarium, qui adorata clementia principali cum insignibus exit.
Cornicularium.
Adjutorem.
Commentariensem.
Ab actis.
Numerarios.
Curam Epistolarum.
Exceptores, & cæteros Officiales.

COMMENTARIUM.

EADEM gestabat insignia Præfectus Augustalis, quæ Comes Orientis, nempe *Augustorum vultus in summo aurata columna, abacum albo tapeto instratum, qui librum tegmine argenteo tectum sustinebat:* infra *effigies sex provinciarum* ipsi subjectarum, *vasa aureis plena tenent*, id erat tributum, quod Ægyptus pendere tenebatur, & Præfectus exigere. *Auro baccatis monilibus colla circundata, aureas in capite coronas gestant. aliqua pallia ex humeris abjecerunt:* In manuscriptis, his humeros tegunt, & Libya inferior lævam manum, Arcadia dextram elevant, quod adorationis fidelitatisque signum esse creditur. Liber est qualis Magistrorum militum. In iisdem codicibus abaci auleum, ut superiorum, est cœruleum.

Officium habebat ut Vicarii, & ferè ut Præfectus Orientis, exceptis his qui à libellis erant, & singulariis, quibus carebat, ipse enim per se libellis subscribebat, ut Præsides, *l. 2. C. de assessoribus.* Singulariorum verò officio alii cohortales fungebantur. Princeps officii adorata clementia principali, cum insignibus exibat, intelligo, transacto biennio, ut in Proconsule Achajæ, & Vicario Ponticæ. Et hæc verba Notitiæ addenda censeo. Officiales à Principe probabantur codicillis, à Notariis scrinii epistolarum conscriptis, prout & in aliis spectabilium magistratuum officiis observabatur, *l. ult. C. de divers. offic.*

Totius Ægypti populus, Nerone imperante, erat decies septingentorum quinquaginta millium hominum, præter Alexandriæ incolas. In Ægypto civitates, & oppida insignia fuisse ultra XVIII. millia Diodorus Siculus tradit. Plinius ultra viginti millia. Hic limes Imperii erat constitutus, quem Dux cum pluribus militum copiis tuebatur.

CAP. CXIX.

DE PRÆSIDIBUS UTRIUSQUE LIBYÆ.

AUGUSTALI Præfecto, inter alios duo utriusque Libyæ Præsides parebant superioris, & inferioris: Superior seu prima ab Orobo *Cyrenaica* appellatur: Hanc ait Strabo lib. XVII. Alexandriæ & Mareotidi regionem primam Libyam vocari, quæ post Ægyptum in parte Africæ prima incipit à Civitate Panetonio, & montibus Catabathmi. Inde secundum mare ad aras Philenorum extenditur, ubi Orientis terminabatur Imperium, eadem *Pentapolis* est dicta à Plinio, & Ptolemæo, ob numerum quinque clariorum civitatum, quas continet, scilicet Cyrenem, Apolloniam, Barcen, Arsinoëm, Berenicen. Sed Ammianus lib. XXII. cap. XVI. pro Apollonia Ptolemaidem ponit: *In Pentapoli Libya*, inquit, *Cyrene est posita, urbs antiqua, sed deserta, quam Spartanus condidit Battus, & Ptolemais, & Arsinoe, eadem que Theuchira & Darnis & Berenice, quas Hesperidas appellant. In sicciore verò Libya Paratonion, & Charecla, & Neapolis, inter municipia pauca & brevia:* Hæc ille. Cyrene patria fuit Callimachi, prius Callisto, deinde Thera, post Cyrene dicta: Ptolemaidis Episcopus fuit Synesius inde oriundus, qui multa sub Arcadio scripsit. Ptolemæus antiquior Cyrenarum Rex, populum Romanum hæredem reliquit, cujus urbes Senatus liberas esse jussit, ut Sex. Ruffus scribit. Augustus verò eam regionem in provinciæ formam redactam Cretæ administrationi conjunxit, ut Dion, & Strabo memorant. Sed posteriores Principes proprium Cyrenensi Præsidem dederunt, Justinianus *in Edicto* 13. unum utriusque Libyæ Præsidem constituit, à Præfecto Augustali separatum, cui Mareotidem, & Menelatum urbes addidit, in quas voluit ab eo Vicarium mitti, qui ejus vice civiles criminalesque causas cognosceret. Habebat is viginti Apparitores ex officialibus Præsidis, & quinquaginta illius regionis milites, & pro honorario aureos centum, *d. Edicto* 13. *c.* 21. *&* 23. si codex non est mendosus. Hic Præses pro codicillis dignitatis obtentæ, solvebat quantum alii Præsides, *d. Novell.* 8.

Ab alio Præside Libya inferior regebatur, quæ longè versus Oceanum Meridianum extenditur: à Septentrione habet Cyrenaicam: ab Occasu Syrtes majores, & Trogloditas: à Meridie Æthiopiam. Hanc quoque Appion Rex Romanis testamento reliquit. Sex. Ruffus, *Cyrenas*, inquit, *cum cæteris civitatibus Libyæ, Pentapolis, Ptolemæi antiquioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo Appionis Regis arbitrio sumus assecuti.* Hunc genere nothum Regem Laginorum fuisse Appianus in fine *belli Mithridatici* scribit, & Cyrenaicam fœdere Romanis concessisse. Sed Marcellinus lib. XXII. in fin. Ruffo adhæret, cujus verba tacito Auctore recitat. Hujus Justinianus neque alibi, neque in Catalogo magistratuum Orientalium, *ut in d. Nov.* 8. *neque in d. Edicto* 13. quod fortè eam in potestate non haberet, meminit: in utraque Libya alius limes erat Imperii Rom. ubi Dux cum multis equitum alis, & peditum cohortibus degebat. Libya aliàs tota ora Africæ dicebatur, quam Augustus Consularem fecit, ut Strabo in fine *operis* memorat, de qua hic non agimus.

CAP.

CAP. CXX.

DE PRÆSIDE THEBAIDIS, *& ejus insignibus.*

THEBAIS tertia pars Ægypti à Thebis usque ad Syenem versus Meridiem porrigitur, à Thebis regionis metropoli est dicta. Ea magna fuit Civitas ambitu XVII. millium passuum, magnis ædificiis, quæ ad quintam contignationem surgebant, magnificisque templis exornabatur. Centum portas ab Homero habuisse dicitur, quas ali-[B] qui tum mœnium, tum templorum, atque aliorum publicorum operum, fuisse interpretantur. Sed Marcellinus lib. XVII. cap. IV. murorum Civitatis vult fuisse. Extra urbem ad Nilum Memphim versus centum stabula habuisse fertur, singula CC. equorum capacia, olim *Busiris* à conditore est nominata. Alii *Diospolim* appellant, nunc parvus est CCC. domorum pagus. *Hic*, inquit Marcellinus loco cit. *obeliscos vidimus plures, aliosque jacentes & comminutos; quos antiqui Reges bello domitis gentibus, aut prosperitatibus summarum rerum elati, montium venis excisos erectosque, Diis superis in religione dicarunt:* & alia quæ sequuntur. Stephanus hanc [C] tredecim millia villarum & XXX. habuisse scribit, & hominum myriades DCC. & in longum per CCCC. stadia extensam fuisse.

Cum verò tota Ægyptus olim Heptapolis à septem primis urbibus diceretur; ex his quatuor Thebaidis fuerunt, Panopolis, Antinous, Lycopolis, & Hermopolis, aliæ tres Arcadiæ sunt tributæ. Ammianus lib. XXII. cap. XVI. *Thebais*, inquit, *multas inter urbes, clariores aliis Hermopolim habet, & Copton, & Antinoen, quam Adrianus in honorem Antinoi condidit sui.* Hæc ille. D. Hieronymus in lib. *Hebraicar. quæstion.* hanc putat esse regionem, quæ olim dicta est *Gessen*, in qua Patriarcha Jacob [D] cum filiis habitavit, cùm venisset in Ægyptum, *Genes.* XLV. XLVI.

Justiniano imperatore duæ fuère Thebaides, ab uno Præside rectæ, *ut in d. Edicto.* 13. *c.* 22. *§. sequitur.* quibus Ducem, eundemque Præsidem præfecit. Strabo lib. XVII. scribit tres Romanorum cohortes in Thebaide circa Syenem excubasse, & alias in proxima regione, præter tres legiones in Ægypto commorantes: sed in Notitia, sub Duce Thebaidis, octo legiones fuisse leguntur.

Hujus Præsidis insignia, pro aliorum exemplari à Notitia ostenduntur, videlicet liber viridi corio tectus, quem sustinet abacus, albo surrectoque ta-[E] peto, & ad terram usque demisso instratus, illum in ima parte aureus limbus circundat. Is codex est mandatorum Imperatoris, in cujus dorso scriptæ sunt hæ notæ, F. L. V. A. L. P. N. E. N. IVSSV. AV. quas possumus ita interpretari: *Fælix liber, veniens à laterculo Principis nostri ejus numinis jussu Augustalo*, vel Primicerii Notariorum, & numinis jussu Augustalis. In manuscripta Vrsini Notitia pro PNEN. est PNEVZ, quæ tres ultimæ notæ significant, *ejus*, ut Paulus Diaconus interpretatur, & hanc lectionem emendatiorem puto: illas verò notas VAL. non sum ausus pro Valentiniano exponere, qui tempore hujus Notitiæ Romæ, non in Orien-[F] te imperabat. Tegumentum libri in manuscripto est auratum. Infra verò oppidi est effigies, quod metropolim & sedem Præsidis significare censeo, scilicet Thebas. Aliorum præterea habebat insignia Præsidum, de quibus supra dictum fuit. Principum simulachris caret, quæ Consulares, & omnes Spectabiles præmittebant: In Occidente verò omni-[A] bus Præsidibus, etiam perfectissimis tradebantur. Thebaidis Præses Apparitores habebat non pauciores quinquaginta, quemadmodum & alii Præsides, scilicet Principem de eodem officio, Cornicularium, Commentariensem, Adjutorem, Numerarium, Ab actis, Exceptores, & cæteros Cohortalinos, *quibus tanquam coborti obnoxiis, non licet*, inquit Notitia, *ad aliam transire militiam sine auctoritate Clementiæ Principalis:* Hanc clausulam supra in Consulari Palæstinæ recitatam explicui. Cum verò dicit hos cohortales ad aliam militiam transire non posse, intelligit, ad alterius provinciæ officia aut scrinia Notariorum, vel largitionum, [B] rerum privatarum, quorum exercitatio *militia* appellabatur, *l. 7. pen. & ult. C. de cobortal. l. ult. C. de inoffi. testam. l. ult. C. de pignorib.* subdit Notitia cæteros omnes Præsides ad similitudinem Præsidis Thebaidis officium habere, hunc enim tanquam digniorem aliorum exemplar esse voluit. In hac provincia limite Imperii Rom. constituto, Dux cum multis equitum peditumque numeris excubabat.

CAP. CXXI.

[C] DE PRÆSIDIBVS ARCADIÆ *& Ægypti, Augustanicæque Correctore.*

ARCADIA ab Arcadio Imperatore nominata; pars est Ægypti, quæ antea *Heptanomus* à septem nomis, idest, Præfecturis vocabatur, seu *Heptapolis* à septem primis urbibus, quarum quatuor Thebaidis, tres Arcadiæ fuère, ut ait Stephanus, & Raphael Volaterranus lib. *Geograph.* XII. & Eusthathius, Heraclea, Memphis, & Oxyrinthus. Ea regio extra Deltam, Libyam versus, Nilo adhæret, Ptolemæus in Marmarico collocat. Huic præerat suus Præses, sicut & Thebaidi.

Tres verò præcipuas Ægypti partes Ammianus [D] lib. XXII. cap. XVI. facit Ægyptum, Thebaidem, & Libyam, quam priscorum temporum partitionem fuisse memorat: *Sed duas*, inquit, *adjecit posteritas, ab Ægypto Augustanicam, & Pentapolim à Libya sicciore disparatam: Est autem propriè Ægyptus, Delta.* Hæc ille. Eodem modo Gratianus A. *in l. 9. C. de vectigalib. & commiss.* ab Ægypto Augustanicam dividit, quam aliqui quasi *Augustamnicam*, id est, fluvialem provinciam interpretantur: alii *Augustaneam* legunt. *In ea*, ait Ammianus loco cit. *est Pelusium oppidum nobile, quod Peleus Achillis pater dicitur condidisse, lustrari Deorum monitu jussus in lacu, qui ejusdem civitatis alluit mœnia, cum post interfe-*[E]*ctum fratrem nomine Phocum horrendis furiarum imaginibus raptaretur, & Cassius mons, ubi Pompeji sepulchrum est Magni, & Ostracine, & Rhinocolura:* Hactenus ille. Hæc regio extra Deltam, inter Nilum & Arabiam Petream jacet. Imperante Constantio Præsidem habuit Auxentium, *in l. 34. C. Th. de Decurionib.* Notitiæ vero tempore sub Correctore fuit, Justinianus duas Augustanicas ponit, primam quæ Consularem habebat, secundam quæ Correctorem, *Nov.* 8. *in Notitia.* Reliquum verò quod intra Deltam continetur, specialiter Ægyptus vocatur, olim à Præside administrata. Demum & ipsa in duas provincias est divisa, primam & secun-[F] dam, quæ singulæ à suo Præside regebantur, *in Notitia d. Novel.* 8. *& Edicto.* 14. & utraque Ægyptus nominatur, *d. Edicto* 13. *c.* 6. quibus Justinianus unum Præfectum Augustalem præfecit, nec ultra eum imperare voluit. cùm olim universæ Ægypto & Thebaidi unus jus diceret, & Alexandriam, omnesque Deltæ majores urbes administraret: mino-

minores verò à Præsidibus regerentur: Ammianus enim scribit loco cit. *Ægyptus ipsa, qua jam inde ntis Romano Imperio juncta est, regitur a Præfectis, exceptis minoribus multis Athribi, Oxyrincho, Thmui, & Memphi maximis urbibus nitet*, quibus Augustalis Præfectus imperavit. Hæc ille. Per totam Ægyptum & Augustanicam vectigal Alabarchiæ pro traducendis animalibus erat constitutum, *d. l.9. C. de vectigal. & commiss.* Nunc de Juridico Alexandriæ est dicendum, quem etsi ut minorem Magistratum Notitia omittit, ejus tamen faciendam esse mentionem censui, cum Præfecto Ægypti subsit, & sæpè Jura de eo loquantur, *ff. & C. de offi. jurid. Alex. l. 41. §. Lucia Titia. ff. de fideic. libert. §. nos autem Instit. d. Attilian. tutore.*

CAP. CXXII.

DE JURIDICO, ET ALIIS *Alexandriæ Magistratibus.*

ÆGYPTI totius metropolis est Alexandria inclyta civitas, ab Alexandro Macedonum Rege ejus conditore appellata; prius No dictam ait D. Hieronymus *de locis Hebraicis in Act. Apost.* Hæc divitiis, aëris temperie, mercium negociis, studiis & pulchritudine cæteras antecellebat, ut Strabo lib. XVII. *Geograph.* refert: præter amplas enim & latas vias, quibus tota distinguebatur, duabus latissimis patebat, quæ plus jugere expandebantur, & sese medias ad rectos angulos secabant, præter fana pulcherrima, præclaras regias, seu Basilicas habebat, earum pars erat Musæum, quod ambulacrum, exedram, & maximam domum continebat, in qua erat cœnaculum, ubi studiis operam dantes degebant. Horum cœtus communes pecunias tenebat, & sacerdotem Musæo præfectum, olim à Regibus, nunc à Cæsare constitutum, cui civitatis cura incumbebat, ibi omnium liberalium studiorum scholæ florebant, quarum tantam dignitatem, & existimationem fuisse Ammianus lib. XXII. cap. XVI. narrat, ut medicis ad commendandam artis scientiam sufficeret, si se Alexandriæ eruditos fuisse dixissent. D. Gregorius Nazianzenus in *oratione funebri Cæsaris fratris*, hanc urbem *doctrinarum omnium officinam, omniumque civitatum verticem* appellat: Strabo verò ob mercium frequentiam, *maximum orbis terrarum emporium*: Procopius Sophista *mundi barathrum*: Stephanus per excellentiam, inquit, *πόλις* vocabatur, sicut Athenæ *ἄστυ*, & Roma urbs nuncupatur: In ea quotidie pauperibus frumentum dabatur, quemadmodum Romæ & Constantinopoli: Nam Theodosius Valentinianusque, præter alios consuetos, ibi centum decem modios diurnos inter plebem distribui jusserunt, *in l. ult. C. de frumento Alexandrino.* In purgandum Nilum quotannis CCCC. solidi impendebantur, ex dinummio hujus civitatis vectigali præcepti, *l. unica. C. de Alexand. prim.* Viri quoque sexcenti sub Patriarcha ægrotos curabant, *parabolani* dicti, *l. placet 17. cum seq. C. de episc. & cler.* Quædam etiam privilegia ejus advocati, & primates habebant, *l. Alexandrinis, cum 2. seqq. C. de decurionib. l. ult. C. de legationib.* in hac splendidissima civitate Juridicus degebat, qui erat ut in aliis civitatibus defensor, aut duumviri: hos enim io dandis tutoribus Justinianus comparat, *in §. pen. Inst. de Attilian. tutor.* ac sicut coram civitatum defensoribus, donationes insinuabantur, id est, actis inferebantur, idem & coram Alexandriæ Juridico fiebat, *d. l. 1. C. eod.* Majore tamen is, quàm illi, potestate præditus erat. Strabo enim inquit, *Sub Præfecto Augustali est δικαιοδότης Juridicus, qui maximam in judiciis potestatem habet: Nam velut is, qui a Cæsare creabatur, de omnibus civilibus cognoscebat; sicut autem proprium Augustalem Præfectum totâ Ægypti provincia ab aliis differentem habebat, dignum quoque fuit tam inclyta civitati, ut erat Alexandria, judicem dari; quem non civitatis defensorem, ut aliarum judices urbium decebant, sed præcipuo nomine Alexandriæ Juridicum.* Hæc Strabo. Itaque de quacunque pecuniæ quantitate judicabat, quod civitatum defensoribus non licebat: hi enim olim quinquaginta tantùm aureorum causas cognoverunt, *l. 1. C. de defensorib. civitat.* postea CCC. *§. 1. in Auth. de defensorib. civitat.* Verum Alexandria Juridicum, & non Duumviros habebat, quoniam hi ex Decurionibus tantùm creabantur qui Alexandriæ non erant: Paulus *in l. honores, §. 2. ff. de decurionibus*: *Is*, inquit, *qui non sit Decurio, duumviratu, vel aliis honoribus fungi non potest: quia Decurionum honoribus plebeje fungi prohibentur.* Hactenus Paulos.

Alexandrini autem velut sub Regibus vivere soliti, Decurionibus carebant, & ideo duumviros non creabant, sed à Cæsare Juridicum accipiebant. Severus verò Imperator illis Decuriones concessit. Spartianus: *Deinde Alexandrinis*, inquit, *jus βουλευτῶν*, id est, curialium, *dedit, qui sine publico consilio, ita ut sub Regibus ante vivebant, uno judice contente, quem Cæsar dedisset.*

Erat & Alexandriæ sacerdos, qui sacra curabat, sicut de Lyciarchis, Asiarchis, Phœniciarchis, & aliis hujusmodi diximus, qui indutus purpurâ, patriæ honore gaudebat, ait Strabo lib. XVII. Tertius erat scriba actorum, qui judiciis præerat: Quartus Prætor nocturnus, ut Præfectus vigilum Romæ, qui observabat, ne quid criminis nocte committeretur, & delinquentes corrigebat. Hujusmodi magistratum Constantinopoli Justinianus creavit, ac Prætorem plebis dictum dignitate auxit, *in Novell. 13. Edicto 8. & Edicto 13.* Quintus fuit vindex, qui rebus publicis Alexandriæ præerat, ab Anastasio inventus, Euagrius lib. III. c. XLII. Nicephorus lib. XVI. c. XLIV. Balnea etiam Juridicus incendi curabat, in quæ ex reditibus urbis CCCCXCII. aurei impendebantur, & CCCCXIX. io id, quod vocabatur *Anticantarum*, & DLVIII. cum dimidio receptori naulorum, quæ summa est aureorum MCCCCLXIX. In cursum quoque equorum, & equos XXXVI. ut supra diximus, fiscus aureos CCCXX. solvebat, & alios C. pro exagogio, ex quibus colligitur summa aureorum MDCCCLXXXIX. quos fiscus Alexandriæ impendebat. Justinianus verò superfluis amputatis, præcipit ex hac summa CCCXX. in cursum equorum ab Augustali exhiberi, reliquos MCC. ipsi pro annonis solvi, *d. Edicto 13. c. 16.* Alexandriam quoque unus ex Palatiois mittebatur, qui Præpositi cubiculi locum tenebat, ad quem certa tributa deferri curabat, *in c. 20. Edict. 13.* Hæc sunt quæ ad secundam Præfecti Orientis diœcesim pertinent, nunc ad tertiam, id est, Asianam, & ejus Vicarium est accedendum, secundum Notitiæ & codicis Justiniani ordinem, à quibus Præfecto Augustali subnectitur.

CAP. CXXIII.

DE VICARIO ASIANÆ, ET *ejus insignibus.*

QVATVOR erant in Oriente Vicarii, Asianæ Diœceseos, Ponti, Thraciarum & Macedoniæ, quot etiam Leo recenset, *in l. fi. C. de divers. offic.*

offic. Primus, tertiæ Præf. Prætorio Orientis Diœcesi, Asianæ dictæ, Vicarius præerat, octo provinciis imperans. Gratianus A. *in l.* 1. *C. de proxim. sacro. scrin.* ad Cynegium P.P. scribens: *Proximos*, inquit, *memoriæ, epistolarum ac libellorum, atque dispositionum, ita Vicariorum honore cumulamus, ut inter eos merito dignitatis habeantur, qui pro Præfectis Diœceses sibi creditas temperantur.* Hæc ille. Asiana Diœcesis erat tota illa Asiæ minoris pars, quæ mare Icarium, & Carpathium respicit, cujus, & ejus Vicarii, Jura sæpè meminerunt, *l.* 5. *C. de temporib. appellat. l. antepen. C. de Numer. l.* 2. *C. de milit. veste. l.* 1. *C. ut nemo ad suum patrocin. l. ult. C. de divers. offic. l.* 8. *C. de cohortal. l.* 1. *C. de palat. sacr. Largit. & alia.* Vicarii autem sunt dicti, quòd vices ipsius Præfecti Prætorio gererent, Ulpianus *in l.* 1. *§.* 4. *de legat.* 3. *A Præfectis*, inquit, *Prætorio, vel eo, qui vice Præfecti, ex mandatis Principis cognoscit, deportatus statim amittit civitatem*: & Valentinianus A. *in l.* 1. *C. de officio Vicarii.* præcipit Vicarios in civilibus causis Comitibus anteferri: *Siquidem*, inquit, *præfectura meritum cæteris dignitatibus antestat, & Vicaria dignitas ipso nomine ejus se trahere indicat portionem.* Constantinus quoque *in l. à proconsl. lib.* 19. *C. de appellationib.* Vicarios vice Præfecti cognoscere dicit, quum ad Valerianum agentem Vicariam præfecturam scribit, *in l. quamvis. C. de jur. & fact. ignor.* & Nicephorus lib. VII. cap. XLII. Patricium, Metaphrastes XIX. *Septemb.* Eliodorum Vicarios P. Prætorio appellant. Ammianus item lib. XXIX. cap. I. Fidustium pro Præfectis Asiam rexisse scribit. eodem modo Cassiodorus lib. VI. *Variar. de Vicario Præfecti urbis*: *Vices*, ait, *agentium mos est, sic judicum voluntatibus obedire, ut suas non habeant dignitates: splendent mutuato lumine, utuntur viribus alienis, & quædam imago in illis videtur esse veritatis, qui proprii non habent jura fulgoris. Tu autem Vicarius diceris, & tua privilegia non relinquis, quando propria est jurisdictio, quæ datur à Principe. Habes enim cum Præfectis aliquam portionem, partes apud te sub Prætoriana advocatione confligunt. Vice sacra sententiam dicis.* Et subdit: *Additur, quòd nec salutari te sine chlamyde Jura voluerunt: scilicet, ut sub veste militari semper visus, nunquam credaris esse privatus, sed hæc omnia ad Præfecturæ gloriam judicamus esse concessa, ut qui tanta sedis Vicarium diceret, umbratile nil videret*: Hæc ille: qui licet loquatur de Vicario Præfecti Urbis Romæ, idem tamen de aliis est dicendum, & ideo Vicarii sæpè his notis significantur, V.P. id est, Vicarii Præfecti, *l.* 3. *C. fin. regund. l.* 1. *C. Th. de extraord. & sord. muner.* Cùm itaque à Præfectis Vicarii penderent, illis præsentibus privati erant. D. Ambrosius *in epist. ad Colossen. c.* II. *Præfectorum*, inquit, *Vicarii præsentibus eis, privati sunt.* Tempore Jureconsultorum Vicarii præfectorum fuere, quos ex mandatis Principis vice Præfecti cognovisse Ulpianus scribit, *in d. l.* 1. *§.* 4. *de leg.* 3. Sed hi certas provincias non regebant: Diocletianus quoque & Gordianus Vicariis scripsisse inveniuntur, *in l.* 1. *&* 2. *C. de pedan. judic.* à quibus ego pedaneos judices significari suspicor: Verùm alibi legitur Diocletianum in Hispaniis Viatorem Vicarium habuisse, *Martyrolog.* XXIII. *Octob.* Constantinus Vicariis Comitis titulum addidit: Octavianum enim Hispaniarum Comitem creavit, *l. cùm servum. C. de serv. fug.* mox Tiberianum, quem aliquando Vicarium, *l. si à sponso. C. de don. ante nupt.* quandoque Comitem appellat, *d. l. cùm servum. C. de serv. fug.* Eo imperante, Tertullianus Asiæ Vicarius fuit, quem ipse V.P. Comitem diœceseos Asianæ vocat, *in l.* 3. *C. fin. regund.* ei Veronicianus successit, *l.* 4. *C. Theod. de numera. l.* 1. *C. eod. l.* 1. *C. de palat. sacr. largi. l.* 6. *C. Th. de extraord. sive sord. mun.* mox Clearchus, *l.* 1. *C. T. ne colon. inscio dom.* deinde Ausonius Gallus poeta, *l.* 69. *C. Th. de decurion.* & sub Theodosio Euthymius, *l.* 19. *C. Th. de cohortalib. Princip. & cornicular.* Vicarii sub Constantino erant Perfectissimi: nam ipse & Tertullianum, de quo supra, & rerum Vicarium virum perfectissimum in epistola ad Probianum Africæ Proconsulem appellat, *epist.* LXVIII. D. Aug. & *contra Donatistas post collatio.* cap. XXXIII. postea Spectabiles sunt facti: sub eodem Aristenæum Asiæ Vicarium fuisse Marcellinus scribit lib. XVIII. qui ab Eusebia uxore Eusebius, id est Pius cognominabatur: Vicarii à Principe creabantur, etsi P. P. vices agebant, unde *Vicarii Augustales* vocantur à Juliano A. *in l. ultim. C. de his qui per met. jud. non appell.* & inter Senatores censebantur, chlamyde militari induti, carpento vehebantur, ut auctor est Cassiodorus lib. VI. *Variar.* Quæ à Præfectis imperabantur, & præsertim ad tributa spectantia exequebantur; observabantque Præsides provinciarum ne quid iniquum committerent. Asianæ Vicarius cis Taurum in Asia minore octo provincias regebat, quarum duæ erant Consulares Pamphylia, & Lydia, aliæ Præsidum, Pisidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Phrygia salutaris, Lycia, Caria. Hellespontus vero Consularis, & Insulæ sub Præside Proconsulem Asiæ sequebantur, & ideo Nicephorus lib. XIII. cap. III. Asiam suo tempore ab undecim Præsidibus rectam fuisse testatur, & *Tripart.* lib. X. cap. IV. quod verum est, his duobus & Asiæ Proconsule computatis. Vicarius Asianæ idem Præses erat Phrygiæ Pacatianæ, *Novell.* 8. *§.* 3. *Novell.* 27. quæ illi committebatur, ut propriam haberet administrationem. Verùm Justinianus *d. Novell.* 8. *§. illud tamen*, sublato nomine Vicarii, & potestate, unum Phrygiæ Pacatianæ præfecit, Comitem appellatum, qui utriusque salarium, & apparitorum officia in unum conflata habebat, & illius provinciæ militibus imperabat, *Novell.* 20. *§. quia verò duæ*, *dict. Nov.* 8. *§. illud tamen*, *d. Novell.* 27. *§.* 2. *& Novell.* 24. *§. quacunque igitur.* hic Vicarius in usum quatuor lampadum oleum à Principe accipiebat, quemadmodum infrà in Vicario Ponticæ dicetur, cujus ferè omnia habebat jura, & insignia. Appellabatur ab eo ad P. P. qui est in Comitatu, & Quæstorem sacri palatii, *l. præcipimus. C. de appell.* quemadmodum & in aliis Spectabilibus observabatur.

NO-

NOTITIA.

VICARIVS DIOECESEOS ASIANÆ CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione Viri Spectabilis Vicarii Diœceseos Asianæ, provinciæ infrascriptæ.

Pamphylia.
Lydia.
Caria.
Lycia.
Lycaonia.
Pisidia.
Phrygia Pacatiana.
Phrygia salutaris.

Officium autem Viri Spectabilis Vicarii diœceseos Asianæ habet ita:

Principem de schola Agentium in rebus Ducenarium, qui adorata Clementia principali cum insignibus exit.
Cornicularium.
Commentariensem.
Adjutorem.
Ab actis.
Numerarios.
Curam epistolarum.
Exceptores, & cæteros Officiales.

A COMMENTARIVM.

INSIGNIA Vicarii Asianæ sunt purpurea chlamys, quæ est vestis militaris, nos *cappam* vocamus: *vultus Principum in summo aurata columna, abacus albo tapeto instratus, qui librum viridi corio tectum sustinet*, in eo mandata Principis continebantur, quibus Vicario jurisdictio demandabatur, & ut vice Præfecti cognosceret, Ulpianus *l.* 1. §. *deportatos, de leg.* 3. *A Præfecto Pretorio*, inquit, *vel eo qui vice Præfecti ex mandatis Principis cognovit. Item à Præfecto urbis deportatos statim amittere civitatem constat.* Hæc ille. Infra *imagines octo mulierum*, B totidem illi subjectas provincias significantes, *coronam in capite gestant, collaque monilibus, ac torquibus circundata, & vasa aureis plena tenent: Ex illis Phrygia Pacatiana, & Pisidia sunt velata: sola Lycia pallio puniceo humeros tegit, Phrygia Pacatiana dextram manum extollit, Salutaris, & Caria indicem elevant*, quod fidei & adorationis signum esse diximus: Hellespontus & insulæ desunt, quia Proconsuli Asiæ parebant: In manuscriptis omnes palliatæ, sparsos post terga capillos habent. Codicilli magistratus, & auro tectus codex mandatorum, cœruleo abaco inhærent, codici hæ notæ sunt inscriptæ, F.L.I.N.T.A.L.C.O.M. ORD. PR. quas notas C ita sum interpretatus, *Fœlix liber injunctus Notarii, Tribunis a Laterculo continens mandata ordine Primiceru.* In manuscriptis easdem notas, & codicillos, omne

Vicarii habent tam in Oriente quàm in Occidente: Io impresso nec notæ, nec codicilli apparent, præterquam in Vicario Britanniæ. Comites verò & Duces in codicibus, & notas, & prope codicillos præferunt. Illustres pro notis vultum Principis libri dorso insculptum tenent.

Officium habebat ferè ut Comites & Proconsules, videlicet, *Principem de schola Agentium in rebus Ducenarium, qui adorata clementia principali, cum insignibus exit*, inquit Notitia, id est, cum cingulo, quod erat insigne hujus Principis, & illud ex officio exiens retinebat, quòd aliis non concedebatur. Neque hic, neque cæteri Officiales poterant creari, nisi à Principe, mox à Vicario, litteris probatoriis in scrinio epistolarum scriptis comprobati fuissent, sicut in majorum Magistratuum officiis observabatur, *l. ult. C. de diversf. offic.* Iis, qui à libellis erant, Vicarii carebant, quia per se illis subscribebant, *l. 2. C. de assessor.* ut Præsides, & Correctores, nec singularios officiales habebant. Asiani pro tricenis jugeribus agri singulam vestem, id est, chlamydem militibus solvebant, quæ solido seu aureo æstimabatur, *l. 2. C. de mil. veste.* Nunc de magistratibus Asianæ Vicario parentibus, ac primò de Consularibus Pamphyliæ & Lyciæ est videndum, postea de Præsidibus tractabimus.

Cap. CXXIV.

DE CONSVLARIBVS *Pamphylia & Lydia.*

PAMPHYLIA olim Mopsia cognominata, nunc vulgò *Sattalia*, corrupto vocabulo, ab Attalia ejus metropoli, civitate maxima dicitur. Ab Oriente habet Ciliciam: ab Occasu Lyciam: à Septentrione Galatiam: à Meridie mare Pamphylium. Dicta est Pamphylia, inquit Metaphrastes *in S. Matrona*, quòd ex omnibus gentibus esset conflata: Id enim sonat Græca hæc dictio. Stephanus verò derivat à Pamphylia Rhacii & Mantûs filia: ejus metropolis est Aspendus, olim Clara dicta. Vulgatum est proverbium Ciceronis *in* III. *in Verrem*, *Aspendius Citharista*, quo furem significat, quia Aspendii intus sinistra tantùm manu chordas carpunt, nec dextra plectro utuntur.

Imperante Constantino, Lycia, & Pamphylia ab uno Præside regebantur: ad Eusebium enim Lyciæ, & Pamphyliæ Præsidem scribit, *in l. 1. Cod. de capit. civit. censibus eximend. & l. 2. C. Th. de censu sive adscriptitia*, quem virum perfectissimum appellat: unde cùm hæ provinciæ, tum nec Consulares essent, nec Præsidem clarissimum haberent, inter minores provincias censebantur. Pamphylia postea Consularis facta est, & à Lycia divisa, & à Justiniano *in Novell.* 8. inter Consulares recensetur. Pamphyliæ civitatibus Jolianus Apostata concessit, ut quicquid acquisivissent, earum esset, *l. 2. Cod. de divers. prad. urb.* cùm de hoc controversiam paterentur.

Lydia inter Cariam, & Hellespontum jacet, cujus metropolis Sardis fuit, sub Crœso Rege insignis: *Lydia*, ait Sext. Ruffus, *sedes antiqua regnorum Antiocho à L. Scipione adempta fuit.* Prius Prætorem, mox Consularem habuit, Gratiano imperante, qui ad Pallium Lydiæ Consularem scribit *in l. 6. C. de delator.* & inter Consulares recensetur à Justiniano in Notitia, *d. Nov.* 8. etsi generali nomine ἄρχων vocatur. Itaque tantùm pro codicillis magistratus solvebat, quantum alii Consulares. Ab eo ad Præfectum urbi Constantino-

A polis appellabatur, *l. cum appellatio. C. de appellat.* quod in aliis erat secus. Consularibus Asianæ explicatis, ad ejus Præsides accedamus.

Cap. CXXV.

DE PRÆSIDIBVS LYCIÆ ET *Caria, Lycaonia, & postea Pratore Justiniano.*

LYCIA inter Pamphyliam, & Cariam media à Septentrione, confinis est Phrygiæ, olim LX. oppidis clara, ex quibus ætate D. Pauli XXXVI. tantùm permanserant. Earum opulentissima metropolis fuit Myra, *Martyrolog.* VI. *Decembr.* ad quam ipse in Italiam navigans appulit, *Act. Apost.* cap. XXVII. Ex his initio quatuordecim ferebant suffragium de rebus belli & pacis, ac Lyciarchum creabant, qui universæ provinciæ jus dicebat. Olim mari usque ad Italiam imperarunt, ut ait Strabo lib. III. Lycia à Lycio Pandionis filio nomen habuit: Hæc & sequentes tempore Notitiæ Præsides habebant. At Justinianus Lyciam inter Consulares recenset, *Novel.* 8. Caria verò ab Oriente habet Lyciam: à Septentrione Lydiam: ab Occidente mare Icarium, vel Ægeum: à Meridie Carpathium. A Care Phoronei filio dicta est Caria, ait Stephanus: quam inter Consulares Justinianus conoumerat *in dict. Novel.* 8. Ad littus promontorium instar peninsulæ babebat, Doris dictum, in quo Gnidus insignis civitas sita erat, de qua cap. XXVII. *Act. Apost.* ubi Veneris templum, & simulachrum à Praxitele mira arte fabricatum spectabatur. Lycaonia mediterranea ab Oriente Tauro, à Cilicia Thrachæa dividitur: à Septentrione conterminа est Cappadociæ: ab Occasu Pisidiæ: à Meridie Isauriæ. Huic Lycaon Arcadiæ Rex nomen dedit, quem in eam profectum, & à Jove, cui membra humana comedenda apposuerat, in lupum conversum, poetæ fabulantur. Is ante Æneam Oenotrios in agrum Romanum deduxit, ut Justinianus narrat *in Novel.* 25. *de Pret. Lycaonia*, ejus provinciæ insignes urbes erant Lystra, & Derbe, in quibus D. Paulus versatus est, *Act. Apost.* cap. XIV. & Iconium metropolis, Ptolemæus, ubi Præses & Dux limitaneus jus dicebant, sed ibi Præses tantùm civilia tractabat, etsi postea imperante Justiniano inter Consulares est connumeratus, *d. Nov.* 8. Militum Dux crimina cognoscebat. Justinianus verò duos eos magistratus in unum contraxit, & pro his Prætorem Justinianum virum spectabilem constituit, qui tam populo quàm militibus præesset, *Novell.* 25. Veteres enim militum magistratus Prætores nominabant, *§. 1. dict. Novell.* 25. Fasces ante cum securi argento cælata præmittebat, & apud se ad tribunal retinebat. Argentato etiam curru utebatur, quæ ejus erant insignia: pro annona & capite sive alimentis & equorum pabulis aureos CCC. percipiebat, ejus assessor LXXII. officium libras duas aurei, id est, nostros aureos CCXX. *§. pen. d. Nov.* 25. Pro codicillis jussus est solvere quantum Consulares, id est, tribus Chartulariis sacri cubiculi solidos octo. Primicerio Notariorum, & Laterculensibus XXIV. ejus adjutori III. Officio Præfectorum, cui parebat, solidos XL. *§. ult. d. Novell.* 25. Prius solvebat quantum alii Præsides. Appellationis causas in sua provincia à Principe, vel alio delegatas, nisi quingentos aureos excederent, ipse cognoscebat, nec ad delegantem devolvebantur, ne dispendium in re parva litigantes sentirent, *§. pen. d. Novel.* 25. In primis mœnia, & publica opera, aquæductus, pon-

pontes, vias, & similia curare debebat, *§. antepe. d. Novel.* Ejus officium erat centum Apparitorum, in quo eminebat Princeps Cornicularius, cæterique primates, *§. 2. d. Novel.* Iconii, quæ provinciæ erat metropolis, hic Prætor residebat.

CAP. CXXVI.

DE PRÆSIDIBVS PISIDIÆ, *Phrygia Pacatiana, & Salutaris.*

INTER Lycaoniam ab Ortu, & Pamphyliam ab Occasu est Pisidia: Isauriam habet à Meridie, Galatiam à Septentrione, hujus Præses cum Duce militibus imperante continuas rixas exercens vilescebat, *Novel.* 20. c. 4. Quare Justinianus cum *Novell.* 24. de Præside Prætorem fecit, & civilem militaremque administrationem illi commisit, & centum Apparitores ex publico seu fisco alendos dedit. In primis verò mandavit, ut provinciam delinquentibus purgaret, item annonam, publicaque opera curaret. Inter Spectabiles censebatur, & Prætor Justinianus nominabatur.

Insignia habebat argentatum currum, & fasces cum securibus argento cælatis, *§. 4. Novell.* 24. Causas appellationum intra D. aureos in sua provincia, etiam à Principe delegatas cognoscebat, quemadmodum Prætor Lycaoniæ pro annonis & capitibus solidos ccc. percipiebat, Assessor LXXII. Officium libras auri duas, seu nostros aureos CCXX. pro codicillis solvebat Chartulariis sacri cubiculi solidos IX. Primicerio Notariorum, & Laterculensibus XXIV. ejus adjutori III. Officio Præfecti Prætorio XL. illi præter codicillos insignia magistratus continentes, mandata Principis ex sacro Laterculo tradi jubentur, *§. pen. & ult. dict. Novel.* 24. Appellatur ab hoc, quemadmodum ab aliis Spectabilibus, *d. §. pen. & ult. Novel.* 24. *& l. praecipimus. C. de appella.* Phrygia Asiæ minoris regio, quam Suidas *Aebillam* credit nominatam, in majorem & minorem à Xenophonte, Ptolemæo & Strabone dividitur, qui minorem Epictetum, & Hellespontiacum vocat, Hellesponto etiam à Diodoro lib. XVIII. attribuitur; eadem Troas dicitur. Major ab Aristide superior, à Strabone Paroria appellatur, quæ Olympo & Hellesponto adjacet: in ea Colossæ, unde Colossenses, ad quos D. Paulus scribit. Laodicæa metropolis, & Hierapolis, de quibus in II. *ad Colossenses* cap. IV. claræ urbes habebantur, quæ Nerone imperante, terræ motu periere, Eusebius in *Chronicis*, Tacitus *Ann.* lib. XIV. sed Laodicæa à locupletibus civibus est restituta. Minor Phrygia postea *Pacatiana*, fortè ab Ovinio Pacatiano est dicta, qui sub Constantino P. P. Orientis in ea diu resedit, ac Consul & P. V. fuit, *l. 4. C. Th. de sponsali. l. 2. C. Th. de advocat. fisc.* Ab Oriente habet Cappadociam: ab Occasu Phrygiam majorem, seu salutarem vocatam: à Septentrione Galatiam: ab Austro Lydiam. Olim singulæ singulos habuere Præsides, postea Asianæ Vicarius hanc provinciam, ut Præses administravit, *Novel.* 8. *c.* 2. Justinianus verò sublato Vicario Phrygiæ Pacatianæ Comitem præfecit, qui nulli alii Asianæ Præsidi imperabat, illi tamen totum, quod pro utroque magistratu Vicarius habebat, cum utriusque officii cohortibus salarium reliquit, *§. illud tamen. Nov.* 8. *Novel.* 20. *c.* 6. Is omnia Comitum insignia gestans, curru & ipse argentato vehebatur, aureoque torque ornatus, fasces cum argentatis securibus præmittebat. Solvebat pro codicillis promotionis quantum Consulares, *dict. Nov.* 8. *in Notitia, in princ.* Prior Præses officium habebat, ut alii provinciarum Rectores.

Major Phrygia, quæ ad oram Ægæi maris, prope Hellespontum, ubi Troas, seu minor Phrygia extenditur, Caico flumine intersecatur, à Galatia Iero fluvio disterminatur, inquit D. Hieronymus, *in Act. Apost.* Salutaris ob plurimos ibi à Michaële Archangelo sanitati restitutos est vocata. Nicephorus lib. VII. cap. L. *Memoria*, inquit, *proditum est Argonautas Græcorum, cùm ad eum quoque locum pervenissent, prædari atque diripere regionem eam cœpisse, & ab Amyco, qui tum ibi rerum potiebatur, in fugam versos, & palantes in quendam nemorosum, & incultum propter densitatem arborum locum profugisse, ibique eis latitantibus virtutem cœlitus advenisse, viri specie, alas velut Aquilæ in humeris habentem, victoriamque adversus Amycum Oraculo denunciasse, illos porrò ad secutos cum illo conflixisse, & victoriam reportasse, & ipsum una cum copiis suis concidisse; atque ut gratiam visionis ei referrent, fanum illi & statuam, ea, qua illis apparuerat forma, in loco eo excitasse, nomenque ei regioni* Sostenium *indidisse, quod scilicet robore ibi accepto salvi evasissent. Eam statuam laudatissimus princeps Constantinus, cùm in eam oram necessaria de causa diverteus vidisset, familiaribus comitibusque suis rem talem exposuit, regionemque eam cum stupore admiratus ibi mansit: Somni porrò capiendi tempore assistens illi visio statuæ ejus similitudine, Ego, inquit, Michaël Archidux Domini Sabaoth virtutum, Christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti auxiliaria arma contuli: Itaque ex somno excitatus regionem illam pulcherrimè excoluit, & ære Imperiali, magnificaque manu, & liberalitate in parte Orientali constituta, celeberrimum id templum civibus simul, & advenis reddidit: Maximè tamen eam sacram ædem illustravit Archangelus: Nullus enim gravi quopiam casu, aut ineluctabili periculo, aut ægritudine incognita, morbo denique incurabili circumvenitur, qui ibi Deum orans imploraverit non facile opem, & auxilium invenerit. Et certo satis creditur D. Michaelem Archangelum apparere ibi solitum, salutiferum eum efficere locum, cujus rei gratia ab antiquis etiam* Michaëlium *est vocatus.* Eadem Nicephorus lib. VIII. cap. IV. repetit. Alia mira de aquis salubribus, ope D Michaëlis factis recitat Simeon Metaphrastes, qui precibus D. Albertii aquas etiam in Phrygia minore scaturiisse scribit. Pytea civitas in Phrygia ad mare sita, ob aquarum calidarum ibi scaturientium salubritatem, *Soteropolis*, id est, salutaris civitas est appellata, à qua provinciæ nomen inditum, & ibi Constantino Magno venenum datum Zonaras scribit. Alios, qui hoc in loco curati sunt, recenset Sozomenus lib. *Tripart.* II. cap. XIX. In Phrygia Docimia vicus est, unde Docimius lapis, aliàs Symandius effoditur, ex quo integræ columnæ varietate alabastro persimiles fiebant, ut refert Æneas Sylvius *de Asia minore.*

Præsidem Notitiæ tempore Phrygia salutaris habebat. Justinianus verò illum inter Consulares recenset, quem pro codicillis magistratus tantum solvere voluit, quantum alii Consulares, *in Notitia Novell.* 8. Ab eo ad Præfectum urbi Constantinopolitanæ appellabatur, *l. cum appellatio. C. de appell.* Hæc de Asianæ diœcesi dicta sufficiant: Nunc ad Ponticam veniamus.

CAP. CXXVII.

DE VICARIO PONTICÆ,

& ejus insignibus.

QVARTA Orientis diœcesis Pontica fuit, cujus Vicarius XI. provinciis præerat, duabus Consularibus Galatiæ, & Bithyniæ, & IX. Præsidalibus, Honoriadi, Cappadociæ primæ, Cappadociæ secundæ, Hellesponto, Ponto Polemoniaco, Armeniæ primæ, Armeniæ secundæ, & Galatiæ salutari, & Paphlagoniæ, quod & *Tripart.* lib. X. cap. IV. refert. Pontum Pompejus in provinciæ formam redegit, sed eam Cæsar Mithridati Pergameno concessit: deinde ad Polemonem pervenit, quo extincto, cum Pythodoris ejus uxor nomine duorum filiorum illud regnum administraret, à Nerone Imperio Romano est adjectum, concedente Rege Polemone, inquit Eutropius: quod de filio dictum puto. Idem Eusebius refert, & Tranquillus in *Nerone* cap. XVIII. *Ponti*, ait, *regnum concedente Polemone, in provincia formam redegit*: Sed Sext. Aurelius, Regia stirpe deficiente, Neronis tempore, inquit, Pontus provincia facta est: Tota ea Regio à Bosphoro Thracio usque ad Colchidem, & Orientem versus, & Armeniam, Pontus dicebatur, Paphlagoniamque, Galatiam, & Cappadociam continebat: Sed propriè à Bosphoro Thracio, usque ad Bithyniam, & Sangarium fluvium perveniebat, unde duplex Pontus fuit, *Novell.* 29. *c.* 2. *in fi. l. ult. ad fi. C. de div. offic. Novell.* 27. *in princ.* sed usque ad Euphratem tota diœcesis Pontica vocabatur, *l. 5. C. de tempo. appell. l. antep. C. de Numera. l. 2. C. de milit. vest. l. 1. C. ut nemo ad suum patroc.* Theodosius Imperium adeptus, Pontum in VIII. regiones divisam uni Vicario commisit, videlicet Pontum Polemoniacum, Amasiam, Honoriadem, Bithyniam, Paphlagoniam, Armenias duas & Cappadociam, quemadmodum Stephanus & Volaterranus libr. X. *Geographiæ*, scribunt. Huic tractui Præfectus sæpè Vicarius Ponticæ dicitur, *in l. fin. §. pen. C. de divers. offic. & in l.* 10. *C. Th. de hæret. l. 7. C. Th. de deserto. l. 12. C. Th. de exact.* quandoque Comes diœceseos Ponticæ, *l. unic. C. de comit. & tribun. scholar.* Marcellinus lib. XVII. refert Constantium in honorem uxoris Eusebiæ, hunc *Vicarium Pietatis* cognominasse, qui Præses etiam Galatiæ primæ erat, §. 3. *Novell.* 8. duplex officium & salarium, alterum tanquam Vicarius, alterum tanquam Consularis habebat. Justinianus verò abolito Vicario, pro Præside primæ Galatiæ Comitem dedit, quem etiam militibus præfecit, *§. hoc autem ipsum. Nov.* 8. *& Novell.* 27. pristinoque illi utriusque magistratus stipendio relicto, duorum officiorum cohortes in unum contraxit, cum verò is tollendis latronibus non sufficeret, Vicarium rursus restituit, *Edicto 8. de Pontici tractus Vicario*, quem etiam militibus, & universæ regionis Prætoribus præesse jussit, & Magistri officiorum in Ponticæ fabricis, & Comitis patrimonii, in prædiis Principis, quæ plurima ibi erant, locum tenere voluit: & Phylarcho provinciæ sacerdoti, aliisque omnibus imperante. Denique in Pontica causas delegatas, & appellatione suspensas, quæ D. aureos non excedebant, ad eum remota appellatione devolvi, & ipsum, in qua velit provinciæ parte morari, & à Bithynia usque ad Armeniam, Trapezuntum, & fines Persarum delinquentes punire jussit. Septuaginta in ejus officio Vicarianos Apparitores à Principe codicillis in scrinio epistolarum probandos constituit, *l. ult. C. de divers. offic.* quod & in aliis majorum magistratuum officiis observabatur. Mulos eidem, tanquam circumire coacto ex publico dedit, assessoremque, & Præconem addidit, ac quatuor lampades seu candelas sumptu Principis ardentes concessit; eas illis similes esse puto, quas ad dextram, & sinistram libri mandatorum, in Præfectorum insignibus prælucere vidimus. Responsales quoque Magistrorum præsentalium, apud eum esse jussit, qui illorum nomine militum palatinorum causas judicabant. Græci *Apocrisarios* nominant *in Nov. 25. c. 1. ad fin.* Galatiæ verò suus Præses est restitutus.

NOTITIA.

VICARIUS DIOECESEOS

PONTICÆ CUM INSIGNIBUS.



NOTITIA.

Sub dispositione Viri Spectabilis Vicarii Diœceseos Ponticæ, Provinciæ infrascriptæ.

Bithynia.
Galatia.
Paphlagonia.
Honorias.
Galatia salutaris.
Cappadocia prima.
Cappadocia secunda.
Hellenopontus.
Pontus Polemoniacus.
Armenia prima.
Armenia secunda.

Officium autem habet ita:
Principem de schola Agentium in rebus Ducenarium, qui adorata clementia principali, cum insignibus exit translacto biennio.
Corniculatium.
Commentariensem.
Adjutorem.
Ab Actis.
Numerarios.
A Curam epistolarum.
Exceptores, & cæteros Officiales.

COMMENTARIUM.

INSIGNIA Vicarii Ponticæ sunt, duo *Principes in summo aurea pila, quisque in sua cella*, id est, proprio Imperio, *dextras conjungentes, ac codicilli, liberque viridi corio tectus, rubroque ac surrecto tapeto inhærens, cum notis*, quas in Vicario Asianæ manuscripti ostendunt, in quibus hujus Vicarii codex auro tectus spectatur. Notæ in impresso ita se habent FL. IN TALL. COM. ORD. PR. quas per errorem in aliis Vicariis, sicut & codicillos, omissas fuisse arbitror: Infra XI. *mulierum visuntur effigies, eodem habitu ornatuque*, quo alias sub Vicario Asianæ descripsimus, quæ XI. provincias huic Vicario parentes denotant: Sola *Cappadocia prima viridem togam sinistro humero connexam gerit*: *Armenia prima velatum caput habet.* Reliquæ præter Galatiam, & Hellenopontum *pallio carent*, Manuscripti omnes eodem habitu referunt; quo alias sub Vicario Asianæ repræsentarunt, aliquas scilicet cum pallio cœruleo, alias albo vel aureo, sparsisque in humeros capillis. In Madruciano vasa aurea in manibus tecta tenent, in quibus intus aurum contineri significatur. Hic officium habebat, ut alii Vicarii, caret his, qui erant ab actis, & Singularis.

Sol-

Solvebant Pontici pro singulis triginta jugeribus agri solidum nomine singulæ chlamydis militibus dandæ, *l. 2. & 3. C. de milit. vest.* Rectores Ponticæ Diœceseos sunt sequentes.

CAP. CXXVIII.

DE CONSVLARIBVS GALATIÆ, ET BITHYNIÆ.

CONSVLARIVM provinciarum, quæ duæ Vicario Ponticæ suberant, prima fuit Galatia, à Gallis dicta, qui olim in auxilium à Rege Bithyniæ vocati, in Asiam trajecerunt, & victoria potiti regnum cum eo diviserunt, sicque Græcis admixti, primò Gallogræci, postea Galatæ sunt appellati, D. Hieronymus *in Act. Apost. ad eos* Apost. Paulus scribit, Jornandes & alii. Sext. Ruffus: *Gallograciam*, inquit, *id est*, *Galatiam*: (sunt enim, ut nomen resonat ex Gallis Galatæ) *quòd Antiocho contra Romanos auxilium præbuissent, invasimus. Gn. Manlius* (ita enim ex Livio, Floro, & Appiano, legendum est, non *Mummius*) *Proconsul Galatas prosecutus est, & confugientes partim in Olympum, partim in Ancyram* (ita legendum pro *Megaram*) *de arduis eos in plana detrusit, & victos in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiam Dejotarus Tetrarches, nobis permittentibus tenuit. ad extremum sub Octaviano Cæsare Galatia in formam provinciæ redacta est. Eam primus M. Lollius Paulinus administravit.* Hactenus Ruffus. Idem Dion lib. LIV. & Eutropius. Ad hunc extat Horatii epistola. Hæc provincia ab Ortu Cappadociam: ab Occasu Sangarim fluvium, & Bithyniam: à Meridie Pamphyliam: à Septentrione Pontum habet. Gomoritas à Gomor prius dictos, auctor est Josephus lib. I. *Antiq. Judaic.* cap. VII. Cæterum Theodosius duas Galatias fecit, primam & secundam salutarem dictam, ut auctor est Stephanus *de Urbibus*, & Volaterranus. Prima Consularem habebat, secunda Præsidem, quod confirmat Notitia, *Novell.* 8. Sed primam Vicarius postea administravit, quem Justinianus depositum, ut dixi, restituit, *Novell.* 8. *& edict.* 8. Hujus metropolis Ancyra fuit, Synodo ibi habita celebris, quæ ab anchoris navibus ereptis nomen habuit, inquit Apollonius. Comes Galatiæ primæ pro codicillis magistratus solvebat, quantum majores Rectores provinciarum. Præses autem secundæ Galatiæ, quantum alii Præsides.

Bithynia ab Oriente Sangari fluvio, à Galatia dividitur ab Occasu, & Septentrione Ponto: à Meridie Epicteto & Asia minore à Proconsule recta: Hæc prius Bebricia, deinde Mygdonia, postremò à Rege ejus nominis Bithynia est vocata, D. Hieronymus *de locis Hebraicis, in Act. Apost.* & Solinus. Herodotus, & Strabo à Thracibus Bithyniis, dictam volunt: cujus Rex Nicomedes Philopater liberis carens, Augusto imperante, eam provinciam populo Romano testamento reliquit, Dion, Jornandes, Ruffus, Livius, Appianus in *Mithridatico.* quæ postea cum Ponti parte, in qua Mithridates regnaverat, una provincia facta est, & tota Bithyniæ nomine appellata: ejus metropolis Nicæa, vel ut Leo Imper. vult, Nicomedia fuit, primo Proconsularis in eo gradu diu mansit. Nerone enim imperante, C. Petronius eam Proconsul rexit, Tacitus lib. *Ann.* ult. sub Hadriano Severus, qui postea imperavit, Dion in *Severo*, sub Trajano Servilius Calvus, Julius Bassus, Velius Paulus & Cœlius clemens, Plin. epist. XI. & XVI. & XVIII. *ad Trajanum.* quibus Plinius Junior extra ordinem successit, Epist. XXXVI. Post Trajanum M. Antoninus, quem plurium provinciarum formam mutasse Capitolinus scribit, Lollianum Avitum Bithyniæ præsidem fecit, *l. 3. §. 2. ff. de decurion.* virum Consularem, & Patris Ælii Pertinacis patronum. Sed Maximus, qui cum Balbino imperavit, ibi Proconsul fuit, Capitolinus in *Maximo.* Demum Bithynia cum Galatia Consularis facta, in eo statu usque ad Justinianum permansit, *Novell.* 8. *in Notitia.* ab ejus Rectore ad Constantinopoli Præfectum appellabatur, *l. cum appellatio. C. de appellat.* quod Constantius instituit, cum illi urbi Præfectum dedit. Hic Consularis pro codicillis magistratus, quantum alii Consulares solvebat, *d. Novel.* 8. *in Notitia.* Ad Bithynos extat Constantini rescriptum, *in l. 1. C. de murileg.* Nunc ad Præsides Ponticæ Diœceseos est veniendum.

CAP. CXXIX.

DE PRÆSIDIBVS HONORIADIS SEV PAPHLAGONIÆ.

PAPHLAGONIA Haly ab Ortu, ab Occasu Billæo fluviis clauditur: *Pylemeniam* prius dictam fuisse scribit Plinius lib. VI. cap. II. postea Phynius Ægyptius eam invasit, qui filium Paphlagonem reliquit, à quo *Paphlagonia* regio est cognominata, ut Stephanus & Constantinus Porphyrogenneta referunt: sex habet urbes, Gangram metropolim, Amastram, Soram, Dadybram, Ionopolim, & Pompejopolim. *Gens*, inquit Constantinus Porphyrogenneta, *stolidissima, & contemptissima impudentia, & nequitia famosa, cujus in catalogo navium Homerus meminit, & inde mulas provenisse dicit. Philomenes ejus Rex amicus populi Rom.* inquit Ruffus, *eam tenuit, sæpè à Mithridate pulsus regno, à nobis est restitutus, quo mortuo provincia ejus Paphlagonibus imposita est: Romanos enim testamento heredes reliquit.* Hæc ille. Cùm verò posteriori ætate Paphlagonia urbibus esset destituta, Ponto adscripta, proprium Præsidem habere desiit, ejusque partem in Honorii filii honorem *Honoriadem* Theodosius vocavit. Ea regio ad oram Ponti Euxini exposita, ab Ortu habet Amasiam: ab Occasu Pontum: à Meridie Bithyniam. Illius sex erant urbes Prusias, Cratia, Adrianopolis, Tiris, Claudiopolis, & Heraclea: sed hæ duæ cum Prusia Bithyniæ ademptæ Honoriadi sunt attributæ, cujus Claudiopolis facta est metropolis, Paphlagoniæ verò cum Ponto aliæ VI. remanserunt, Germanopolis, Gangra, Pompejopolis, Dadybrus, Tumulus Amastridis, Ionopolis: & hæc provincia à Correctore regebatur. Itaque duo tantùm in Orientis Imperio erant Correctores, alter Augustanicæ in Ægypto, alter Paphlagoniæ Ponticæ in Asia. Honorias à Præside administrabatur, *Novell.* 8. *in Notitia.* Verùm Justinianus antiquato Honoriadis nomine, universam eam regionem, ut prius Paphlagoniam esse voluit, *Novell.* 29. siquidem magna olim ea gens fuerat, quæ Venetos & Aquilejam Italiæ urbem quondam maximam condiderat, eique Prætorem Justinianeum præfecit, qui XII. urbes prædictas regeret, manentibus Metropolitis, qui prius fuerant. Centum illi parebant Apparitores, sub Principe, Corniculario, & cæteris officii primatibus. Ipse pro annonis percipiebat aureos DXXV. qui efficiunt plus mille nostrorum aureorum, assessor aureos LXXII. Apparitores verò CCCCXLVII. & tertiam aurei partem, qui à P. P. Orientis solvebantur. Spectabilis erat, & militibus in sua provincia degentibus, ut alii Prætores, imperabat. Cognoscebat caussas appellationum in Paphlagonia delegatas, quæ aureos D. non excedebant. Ab eo verò ad P. P. & Quæstorem

ſtorem palatii appellabatur, quemadmodum ab aliis Spectabilibus, *d. Nov.* 29. ſed antea ab eo ad Præfectum urbis Conſtantinopolitanæ provocabatur, *l. cum appellat. C. de appellat.* Pro codicillis magiſtratus Honoriadis Præſes ſolvebat, quantum alii Præſides.

CAP. CXXX.

DE PRÆSIDE CAPPADOCIÆ.

CAPPADOCIA ab Oriente Armeniæ magnæ finitima eſt: ab Occaſu Galatiæ, & parti Pamphylæ: à Meridie Ciliciæ: à Septentrione habet Pontum Euxinum, nunc mare majus dictum. Olim adeo magna fuit, ut ferme totam Pontum occuparet. Cappadoces olim *Leucoſyri* dicti, nam etſi qui extra Taurum ſunt, *Syri* vocantur, cùm tamen colore ſint aduſto, ad horum comparationem Cappadoces *Leucoſyri* ſunt appellati, ut Strabo ſcribit lib. XII. Herodotus & Plutarchus à Syro Apollinis & Sinopes filio eos *Syros* dictos fuiſſe tradunt. Ibi Sinope Diogenis Cynici, & Marcionis hæretici patria. Cappadociam verò à flumine inter eam & Galatiam defluente Plinius ſcribit denominari. Ejus magnitudo à Perſis originem traxit: nam Cappadocia nomen eſt Perſicum, ut auctor eſt Conſtantinus Porphyrogenneta *de Thematibus*, in themate Armeniaco: *Cum*, inquit, *Artaxerxi Regi, aut neſcio an alteri cuidam leo inter venandum occurriſſet, ejuſque equum invaſiſſet, oblatus caſu Perſa quidam in hoc leonis occurſu, ſtricto acinace Regem de vita periclitantem liberavit, & leonem interfecit. Hic itaque Perſa cum altiſſimum quendam montem conſcendiſſet, univerſamque regionem, quoad longiſſimè humani oculi acies perſagere poſſet, circumſpiciens tam Orientem, & Occidentem, quàm Meridiem, & Septentrionem verſus, omnem eam à Rege dono accepit. Hæc porro*, ait, *narrat Polybius, cujus multa ſunt deperdita.*

Cappadociæ metropolis Cæſarea à Tiberio Cæſare, extincto Archelao ejus Rege, ita eſt appellata, *Novell.* 30. *de Proconſule Cappadoc.* Sext. Aurelius, & Jornandes, prius *Mazacham* dictam, & in honorem Auguſti *Cæſaream* vocatam fuiſſe ſcribunt. Quomodo autem in Romanorum poteſtatem venerit, hiſtoriam ita Tacitus lib. II. *Ann.* cap. XLII. explicat: *Rex Archelaus quinquageſimum annum Cappadocia potiebatur, inviſus Tiberio, quòd eum Rhodi agentem nullo officio coluiſſet: nec id Archelaus per ſuperbiam omiſerat, ſed ab intimis Auguſti monitus; quia florente C. Cæſare, miſſoque ad res Orientis, intuta Tiberii amicitia credebatur. Ut verſa Cæſarum ſobole Imperium adeptus eſt, elicit Archelaum matris litteris, quæ non diſſimulatis ſibi offenſionibus, clementiam offerebat, ſi ad precandum veniret; ille ignarus doli, vel ſi intelligere crederetur, vim metuens, in urbem properat: exceptaſque immiti à Principe, & mox accuſatus in Senatu, non ob crimina, quæ fingebantur, ſed angore, ſimul feſſus ſenio, & quia Regibus æqua, nedum infima inſolita ſunt, finem vitæ ſponte an fato, implevit: Regnum in provinciam redactum eſt.* De hoc aliter Dion lib. LVII. *Archelaum*, inquit, *Regem Cappadociæ, cui iratus erat, accerſitum, quaſi res novas moliretur, tradidit Senatui, ut de eo cognoſceret: hominem non ſolùm ſenectute, ſed etiam podagræ doloribus confectum, ... fuiſſetque Archelaus affectus ultimo ſupplicio, niſi teſtis, qui contra ipſum productus fuerat aſſeruiſſet, eum dixiſſe*, Se Tiberio oſtenſurum poſtquam domum rediiſſet, quales ſibi nervi eſſent. *Qua ex re riſus tam magnus excitatus eſt, propterea quod ille non ſolum ſtare non poterat, ſed nec ſedere quidem, ut eum Tiberius ampliùs occidi noluerit. . . . . Itaque Archelaus tunc ſalvus evaſit, qui tamen non multò poſt mortuus eſt: poſt cujus mortem, Cappadocia venit in poteſtatem populi Romani, illique Q. Veranium legatum acceperunt: & quædam ex Regiis tributis diminuta, quo mitius Romanorum Imperium ſperaretur.* Hæc ille. Sext. vero Ruffus: *Archelaus*, inquit, *favente Antonio Rex factus eſt, quem ſub Auguſto Tiberius oratione defendit, Imperio deinde ſuccedens, eundem blandè Romam accerſitum non remiſit, ibique diu detentus, cum occubuiſſet, teſtamento Romanis Cappadociam reliquit, & ſic in provinciæ ſpeciem migravit*, vel, ut aliàs legitur, *in provinciam per Germanicum redegit.* His concinit & Tranquillus in *Caligula* cap. I. *Germanicus*, inquit, *ad componendum Orientis ſtatum expulſus, cum Armeniæ Regem devicißet, & Cappadociam in provinciæ formam redegiſſet, annum agens ætatis* XXXIV. *diutino morbo Antiochiæ obiit, non ſine veneni ſuſpicione.* Eutropius Tacito & Dioni conſentit. Prius ex ordine equeſtri Rectorem habuit. Mox Veſpaſianus ei Conſularem dedit: Tranquillus in *Veſpaſiano* cap. VIII. *Cappadociæ*, ait, *propter aſſiduos Barbarorum incurſus, Legiones addidit, Conſularemque Rectorem impoſuit, pro equite Romano.* Hactenus Tranquillus. Sed rurſus ad Præſidem rediit. Sub Conſtantino enim Eutychius Præſes Cappadociæ fuiſſe legitur, *in l. penult. C. de liberali cauſ.* Verum pluribus Cappadociis factis, Juſtiniano imperante, Cappadocia prima Conſularem habuit, *in Novell.* 5. *in Notitia.* Valens namque Imperator ſectâ Arianus, in odium D. Baſilii, ut ejus auctoritatem minueret, & ne univerſæ provinciæ Archipræſul eſſet, duas fecit Cappadocias, primam ſeu majorem, & ſecundam ſeu minorem, inquit Stephanus: primæ Cæſarea metropolis eſt relicta, ſecundæ Tyana facta, ut auctor eſt D. Gregorius Nazianzenus in *oratione* quam habuit in funere patris, ubi hæc Niceta. *Major*, ait Conſtantinus Porphyrogenneta, *à Cæſarea & Tauro ad Ponticum mare extenditur, quam terminat Halys fluvius ab Occaſu, Melitene ab Oriente, ut etiam teſtatur Polybius. Minor Cappadocia finitima Lycaoniæ, Cæſaream uſque pertingit, extenditurque ad initium Bucellariorum, ulteriora ſunt Cilicia. Temporibus verò Juſtiniani, ſive aliorum quorundam Principum Cappadocia in tres partes eſt ſecta, Catoniam, quæ à Melitea incipit, & eam, quæ à Tauro monte Tauriſea appellatur, ac tertio in mediterraneam, quæ Charſianum à Charſio quodam Præſide vocatur: qui bello adverſus Perſas proſperè geſto celebris regioni nomen dedit. Primæ Cappadociæ urbes ſunt Cæſarea metropolis, Nyſſa, Therma, Rhego, Podandus. Secundæ urbes ſunt Thyana metropolis, Fauſtinopolis, Cybiſtra, Nazianzum, Eruſima, Parnaſſum, Rhegedora, Mociſſum, & Corus propugnaculum. Tertiæ urbes ſunt ſeptem, Amaſea, Ibora, Zalichas, Antrapa, Aminſus, Neocæſarea, Synope.* Hæc Conſtantinus. Addit Niceta in *oratio. D. Gregor.* Muſicyſſum metropolim. Notitia tertiæ non meminit, quod tum non eſſet ab aliis diſtincta. Prima, ut dixi, Conſularem habuit, aliæ Præſidem. Verùm Juſtinianus univerſæ Cappadociæ in priſtinum ſtatum reſtitutæ, Proconſulem triplici dignitate auctum dedit. Cùm enim plurima ibi haberet prædia, quibus prius Comes domus ſacræ præerat, Proconſule non minor auctoritate, in duas partes ſcindebantur civitates, alii *fiſcales*, alii *liberi* vocabantur: quare ad tollendam rixam, abolito Comite, unum Proconſulem *Juſtinianeum* nominatum, populo, & militibus, qui ante Comiti parebant, imperare juſſit, cui etiam utriuſque officii Apparitores, patrimoniumque Principis curandum dedit. Ipſe inter Præfectos Prætorianos poſitus, & curru vectus argentato, ſecurim, faſces,

& aliá Proconsularia insignia præferebat. Pro annonis viginti libras auri, id est, MMCLX. percipiebat. Assessor auri libras duas. Officium salarium, quod illi antea solvebatur, retinuit. Codicilli hujus magistratus gratis expediebantur, quia ex reditibus prædictorum prædiorum, præter vestes, quinquaginta libras auri Augustæ pendebat, quæ summa facit nostrorum aureorum quinque M. & D. Appellationum quoque causas in utraque Cappadocia à Principe, vel alio delegatas, quæ quingentos aureos non excedebant, diffiniebat. Ab eo ad P. P. qui erat in Comitatu Principis, sacrique palatii Quæstorem appellabatur, *Nov.* 20. & 30. sublatis tractatoribus, XIII. cives ab officii primatibus ad exigenda tributa eligebantur, & pro nominatione L. aureos accipiebant, *dict. Novel.* 30. Strabo lib. XI. memorat, Cappadoces quotannis præter argentum, mille & quingentos equos, mulorum duo millia, ovium quinquaginta millia Persis pendere solitos, & duplum eorum Medos: in Morimena Cappadociæ regione Jovis templum fuit, cujus sacerdos ex sacra regione XV. talenta annua percipiebat, & usque ad mortem sacerdotio fungebatur, diadema gerebat, & primus dignitate post regem erat, ut auctor est Strabo lib. XII. in Cappadocia terni viri, & quaternæ mulieres pro una persona, in solvendo censu capitis computabantur, *l.* 10. *C. de agric. & censit.* Commodo imperante, Claudius Hieronianus huic provinciæ Præfectus, de quo *in l. quæsitum* 9. *§. idem respondit. ff. de fundo instructo*, ob uxorem Christianam in reos sæviit, & morbo pediculari consumptus est, ut *ad Scapulam* Tertullianus scribit, qui eum *Herminianum* appellat: *Possumus*, inquit, *æquè & exitum quorundam Præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse, quod vexassent Christianos, Claudius Herminianus in Cappadocia: cùm indignè ferens uxorem suam ad hanc sectam transiisse, Christianos crudeliter tractasset: solusque in Prætorio suo vastatus peste, cùm vivus vermibus ebullisset*: Nemo sciat, ajebat, ne gaudeant Christiani. Hæc Tertullianus. Cappadoces ob nequitiam famosi fuere, unde abiit in proverbium, *tria K. K. K. pessima*, Cappadocia, Cilicia, Creta, Constantinus Porphyroge. *de Thematibus*, in themate Armeniaco ad fin. Cappadocum verò solum à Justiniano mirificè commendatur *in Novel.* 30.

CAP. CXXXI.

DE PRÆSIDIBUS PONTI *Polemoniaci, & Helenoponti.*

PRIUS à Bosphoro ad Sangarim fluvium una fuit Pontus, *Novel.* 28. postea in duas est divisa, Polemoniacum, ac Helenopontum, quæ vix octo urbes continebat, Amasiam, Iboram, Euchaitam, Zelam, Andrapam, Ægeum ad *climacas*, id est, gradus situm, Sinopam & Amisum, postea addita est Leontopolis. Quinque verò in Polemoniaco erant, Neocæsarea, Commana, Trapezus, Cerasus, & Polemonium, quibus addita est Petræorum civitas Justinianea appellata. Item duo castra Pitius, & Sebastopolis, præter alia infrà sub Armeniæ Duce recensita. Utraque olim ab uno Præside regebatur, *d. Novell.* 28. postea duplex facta, *l. ult. in fin. C. de divers. offic.* duos Rectores habuit, *Novel.* 28. Helenopontus Consularem, Polemoniacus Præsidem, *d. Novell.* Pontus Polemoniacus ab Ortu habet Armeniam minorem: à Meridie Cappadociam: à Septentrione Pontum Euxinum, per cujus oram usque ab Paphlagoniam

A Occasum versus extenditur. *Pontus Polemoniacus, a Polemonio urbe a Polemone tyranno condita nuncupabatur*, ait Strabo lib. XII. Hæc sub Nerone, Polemone Ponti Rege mortuo, in Romanorum potestatem venit, Tranquillus, Eutropius, Sext. Aurelius, Eusebius in *Chronicis*, Vopiscus in *Aureliano*. Jornandes eam cum Paphlagonia testamento Romanis relictam scribit. Helenopontum verò in Helenæ matris honorem Constantinus appellavit, *d. Novell.* 28. Hanc C. Plinius Consulari potestate rexit, ut testatur inscriptio Mediolani in Basilica D. Ambrosii. Verùm Justinianus utramque regionem tenuem, & angustam in unam contraxit,
B XIII. urbibus constantem, & nomine Polemonis abolito, totam Helenopontum esse voluit, satius esse existimans, eam ab Helena Christiana & pia fœmina, quàm ab impio tyranno denominari. Cùm verò duæ essent metropoles, Amasia, & Neocæsarea, utramque metropolim permanere voluit, sed unum utrique provinciæ, & militibus Moderatorem *Justinianeum* dictum, virum spectabilem præfecit: quo nomine suos provinciarum Præfectos Lacedæmonii nuncupabant, cumque Responsalem habere permisit, qui criminales, civilesque causas nomine Magistrorum militum cognoscebat, minimas gratis, majores cum moderatis sportulis.
C Pro annonis DCCXXV. solidos percipiebat, Assessor LXXII. Apparitores aureos CCCCXLVII. & tertiam partem aurei, abolitisque locorum servatoribus, ipse provinciam circumire tenebatur. Causas appellationum in provincia delegatas, infra aureos D. audiebat, quemadmodum & alii Spectabiles. Ab eo ut ab aliis Spectabilibus appellabatur, *d. Novell.* 28. Inter Consulares à Justiniano connumeratur, *Novell.* 8. & ideo pro codicillis magistratus, quantum alii Consulares solvebat. Verùm Justinianus receptis Armeniis, & Ponto, his Zetam Magistrum militum præfecit, *in l. fin. C. de offic. magist. milit.* Terni hujus provinciæ viri, & qua-
D ternæ mulieres unam capitationem pendebant, *l.* 10. *C. de agric. & censit.*

CAP. CXXXII.

DE PRÆSIDIBUS ARMENIARUM.

DUAS notum est olim Armenias fuisse, majorem, & minorem: Major prima dicta *in l. ult. C. de offic. magistr. milit.* nunc *Turcomania* vocatur, ac versus Septentrionem Cyro fluvio à Colchide, Albania, & Iberia dividitur: ad Ortum habet
E mare Hircanum: à Meridie Taurum, quo à Mesopotamia secernitur: ad Occasum ab Armenia minore Euphrate flumine separatur. Minor verò secunda nuncupata *in d. l. ultim.* ad Meridiem usque ad Taurum montem Ciliciæ extenditur. Ad Occasum & Septentrionem Cordisco monte clauditur. Prius L. Lucullus, mox Gn. Pompejus, deinde Augustus, usque ad Euphratensem eam subegit, Sext. Rufius. Trajanus majorem domuit, & Tygrim Romani & Parthici Imperii limitem posuit, Dion, Ruffus, Eutropius, Orosius. Diuque duæ usque ad Justinianum sub Præsidibus, & Ducibus stetere Armeniæ. Nam Leo & Zeno Erythrio P. P. scribentes, utriusque Ar-
F meniæ Duces nominant. Armeniæ primæ urbes erant VII. metropolis Bazanis seu Leontopolis, Theodosiopolis, Satala, Nicopolis, Sebastea, Sebastopolis, & Colonia: Est hoc, inquit Constantinus Porphyrogenneta, munitissimum, & præceps castrum, Græci enim κολωνὰς ardua, editissimaque juga vocant.

Arme-

Armeniæ secundæ urbes septem fuere, metropolis Melitena, Arca, Arabyssius, Ariarlathea, Comana altera, seu Chrusa, Cucusum, Petræi. Cucusum & Arabyssius nobiles exilio D. Jo. Chrysostomi fuere, qui demum Comanæ decedens, ibi sepultus est, Nicephorus lib. XIV. cap. XXXVII. Justinianus vero subactis finitimis Barbaris, magnam, & interiorem Armeniam dictam, novam provinciam creavit, *l. ultim. C. de offic. magistr. militum*, quam Zetæ Magistro militum commisit. *Magnam*, inquit, *Armeniam, quæ interior dicebatur, & gentes, Antizenam videlicet, Ingilenam, Astyanenam, Sophenam, Sophenenam, in qua est Martyropolis, Belabitenam, & primam, & secundam Armeniam, & Pontum Polemoniacum tua cura cum suis Ducibus commisimus.* Tum in *Novell.* 8. *in Notitia*, magna Armenia, item secunda inter Consulares censebantur, prima inter Præsidales. Demum ipse & non Justinus (ut Eustathius *in Dionysium*, & Raphael Volaterranus crediderunt) Armenias in quatuor divisit, in magnam, seu interiorem; item in aliam, quæ antea prima, seu major dicebatur; & tertiam, quæ prius minor, seu secunda vocabatur; & quartam, quæ prius formam provinciæ non habebat, sed ex Barbaris constabat, *Novell.* 31. Prima constituit Heptapolim, id est, septem urbium provinciam, ubi Armenia minor incipit prope Euphratem, cujus metropolis erat, ut dictum est, Bazanis seu Leontopolis, quam à se *Justinianeam* vocavit, cui Satalam, Nicopolim, & Coloniam, primæ & majori Armeniæ ademptas addidit. His præterea ex Ponto Polemoniaco Trapezuntem, nunc *Terbizundam* appellatam adjecit, & Cerasuntem, unde primum Lucullus cerasa in Italiam attulit, ut auctores sunt D. Hieronymus in *epistola* XIX. & Plinius lib. XV. cap. XXV. Eidem Proconsulem spectabilem præfecit, ad quem causas appellationum, etiam secundæ Armeniæ, à Principe vel aliis delegatas devolvi jussit, modò D. aureos non excederent, aliaque omnia Proconsulum insignia ei tradidit.

Secundam verò Armeniam Pentapolim, id est, quinque tantùm urbes habentem in Armenia majore fecit, quæ antea prima dicebatur, cujus metropolis erat Sebastea, id est, Augusta: huic urbes Sebastopolis, Comana ex Polemoniaco Ponto, & Zela ex Hellenoponto, & Brisa sunt adjectæ: eique reliquit Præsidem, qui prius erat.

Tertiam quoque fecit Armeniam, eam, quæ minor & secunda vocabatur, cujus erat metropolis Melitena, urbs antiqua, Euphrati fluvio propinqua, cui Arca, Arabyssus, Ariarsathea, altera Comana, seu Chrusa, & Cucusum parebant, quæ urbes sex Hexapolim constituunt. His Comitem Justinianeum præfecit, qui populis militibusque imperabat. Pro annonisque solidos DCC. percipiebat, Assessor LXXII. Apparitores CCCLX. Spectabilis erat, ad quem causæ appellationum, ex tertia & quarta Armenia, à quocunque delegatæ devolvebantur, modò aureos D. non excederent, quemadmodum sæpe in aliis Spectabilibus est dictum. Huic Armeniæ Thomas est Præfectus, qui prius eam etiam rexerat. Is est Thomas, qui Cos. & Quæstor Palatii Principis fuit, unus ex illis qui Codicem compilarunt, *§. 1. C. de novo Cod. faciendo, & §. ad istum. C. de Justin. C. confirmando.*

Quartam præterea Armeniam constituit, quæ priùs provincia non erat, sed ex variis gentibus, & Barbaris constabat, nempe, ex Trophæna, Anzethena, Ophena, Asteana, & Balabithena, quibus Martyropolitanorum civitatem, & Citharizam præsidium addidit, quæ loca sunt ultra Euphratem, inter Taurum & Antitaurum, antea à magistratus Satrapis, seu Phylarchis Saracenorum, inquit Ruffus, administrata. Hanc ergo provinciam ordinariam factam à

A Præside regi voluit. Unde ex quatuor Armeniis duæ erant Spectabilium, magna Proconsulis, & tertia, quæ prius secunda fuerat, Comitis. Duæ aliæ secunda quæ prima dicebatur, & quarta ordinariæ, id est, sub clarissimis Præsidibus sunt relictæ. hic limitem Imperii Romani adversus Persas erectum Dux cum magna equitum peditumque manu defendebat. Olim in Armenia secunda terni viri, & quaternæ fœminæ, unius capitis tributum solvebant, *l. 10. C. de agricol. & censit.* Hæc sunt, quæ ad Ponticam administrationem pertinent. Nunc ad Vicarium Thraciarum est transeundum.

B

CAP. CXXXIII.

DE' VICARIO THRACIÆ ET EJUS INSIGNIBUS.

ULTIMUS Præfecti Prætorio Orientis vices agens, est diœceseos Thraciæ Vicarius, quam inter validissimas Europæ gentes, in *strategeas*, id est, præfecturas, L. divisam fuisse Plinius scribit lib. IV. cap. XI. sed propriè, inquit, Thracia dicitur, quæ à Septentrione Hemo monte clauditur, ab Oriente Propontide, à Meridie mari Ægeo, ab Occidente Nesto flumine. Gulielmus verò Tyri Episc. III. Thra- C cias ponit, Ptolemæus fermè XIII. ejus præfecturas statuit, posteriores Principes sex sub uno Vicario Thraciæ provincias fecerunt, duas Consulares, nempe Europam, & Thraciam, & quatuor Præsidum, Hæmimontis, Rhodopes, Mœsiæ secundæ seu inferioris, & Scythiæ, quæ sub generali nomine Thraciæ continentur. Eam quoque Sext. Ruffus, & Tripertita lib. X. cap. IV. in totidem provincias dividunt: Europam regionem appellant, in qua est Constantinopolis, & ejus arces, vel præsidia. Eandem divisionem Ammianus lib. XXVII. cap. IV. sequitur: *Lucullus*, ait, *Thracias omnes in ditionem redegit, hocque modo Respublica sex provinciæ sunt quæ-* D *sitæ: inter quas prima, quæ ex fronte Illyriis est confinis, Thracia speciali nomine est vocata, quam Philippopolis, Eumolpias vetus, & Berœa, ampla civitates exornant: post has Hæmimontus Hadrianopolim habet, quæ dicebatur Uscudama, & Anchialon, civitates magnas. Deinde Mœsia, ubi Martianopolis est, a sorore Trajani Principis ita cognominata, & Dorostorus, Nicopolis, & Odyssus: juxtaque Scythia, in qua celebriora sunt aliis oppida, Dionysiopolis, & Zami, & Calatis. Europa omnium ultima, præter municipia, urbibus nitet duabus Apris, & Perintho, quam Heracleam posteritas dixit. Rhodope huic annexa Maximianopolim ha-* E *bet, Maroneam, & Ænum, post quam conditam, & relictam, Æneas Italiam, auspiciorum prosperitate, post diuturnos occupavit errores.* Hactenus Marcellinus. His provinciis unus præfuit Vicarius, qui sub Valentiniano II. Filoxenus fuit, *l. 124. C. Theod. de decurion.* Hunnis verò Thracias vastantibus, pro uno, duo minoris Thraciæ Vicarii sunt facti, & uterque in civitate Longimuri degebat, quæ maxima à sinu Melanæ in Propontidem extensa Chersonessum excludebat, Milciadisque opus fuit, & ideò *Longimuri* Vicarii dicebantur, sed alter populis, vice Præfecti Orientis, alter militibus, loco Magistri militum, jus dicebat. Itaque Ju- F stinianus *in Notitia Novell.* 8. in quadam magistratuum notitia de industria Vicarium Longimuri repetit, quia duo erant: quod aliqui non intelligentes, & per errorem duplicatum eorum numerum existimantes, unum deleverunt: cùm verò in Reipubl. perniciem hi odia inter se exercerent, Justinianus bono publico consulens, utroque sub-


lato, unum tantùm utrique Thraciæ præesse voluit, quem *Pratorem Justinianeum* vocavit, ac militibus, & more veterum Prætorum juri dicendo præfecit. Hic vir spectabilis codicillos à Principe, ut alii Spectabiles, accipiebat. Responsalem & ipse habebat ac tributorum exigendorum, militumque in armis exercendorum curam: opera etiam omnia publica, pontes, mœnia, vias, aquæductus, & similia fisci pecuniâ farciebat. Delegatas in provincia appellationum causas, ut alii Prætores, cognoscebat. Pro annonis, & capitatione solidos trecentos percipiebat, si codex non est mendosus: Assessor LXXII.

A ejus centum Apparitores libras auri duas, quæ efficiunt fermè CCXX. nostros aureos: ita ex præcedentibus *in Novell.* 26. legendum conjicio. Ipse pro codicillis magistratus tribus Chartulariis sacri cubiculi solidos novem solvebat. Primicerio clarissimorum Tribunorum, & Laterculensibus solidos XXIV. ejus adjutori tres, officio Præfectorum Prætorio, pro imperio, quod in ipsum exercebat, & quacunque alia causa solidos XL. *Novella 26. de Pretore Thracia.* Præter hunc & Ponticæ Vicarium, nullus, Justiniano imperante, in Oriente Vicarius fuisse legitur.

NOTITIA.

VICARIVS DIOECESEOS

THRACIARVM CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione Viri Spectabilis Vicarii Diœceseos Thraciarum, provinciæ infrascriptæ.

VROPA.
Thracia.
Hæmimontus.
Rhodopa.
Mœsia secunda.
Scythia.

Officium autem habet ita:

Principem de schola Agentum in rebus.

B Cornicularium.
Commentariensem.
Adjutorem.
Ab Actis.
Numerarios.
Curam epistolarum.
Exceptores, & cæteros Officiales.

COMMENTARIVM.

INSIGNIA Vicarii Thraciarum erant, *abacus alto & surrecto tapeto, quod aureus limbus circumibat, instratus, cui liber rubro corio tectus subærebat, & aurata columella duorum vultus Principum in summo preferens*, quemadmodum in aliis Vicariis

riis est dictum. Infrà *sex mulierum imagines*, subjectas provincias referentes, visuntur, *eodem habitu & ornatu*, qui sub aliis Vicariis est descriptus. Manuscripti Codices, & ipsi eadem & codicillos magistratus, librumque mandatorum cum iisdem notis, eodemque modo, ut sub aliis Vicariis repraesentant: unius vero tantùm Principis vultum auratae pilae praefixum referunt. In Ursini Codice effigies apparet, qualis Termini depingi solet, quòd fortè immobiles Imperii Romani fines esse denotabat.

Officium quoque habebat, quemadmodum alii Vicarii & Proconsules, quod probabatur codicillis à Scriniariis sacrarum epistolarum scriptis, & ab ipso Principe, mox à Vicario subscriptis, *l. ult. C. de divers. offic.* Solvebant inter alia tributa Thraces pro singulis viginti jugeribus agri vestem militarem, *l. 2. C. de milit. veste.* Postmodum ea dioecesi primò ab Hunnis, postea à Gothis foedè vastata, tributa remitti oportuit, *l. pen. Graeca. C. ut nemini liceat in coempt. specier. se excusare.* ut quaedam lex Graeca ex LVII. *Basilicon.* libro desumpta explicat: *In Thracia*, inquit, *tributa fiscalia in solidum non inferantur, Barbarorum incursionibus colonis attritis, nec sufficiente specierum collatione ad alendos milites in ea consistentes.*

Cap. CXXXIV.

DE CONSVLARIBVS EVROPÆ ET THRACIÆ.

Dvæ sub Vicario Thraciae sunt provinciae Consulares, Europa, quae est Constantinopolis regio, & ita vocatur, quod prima sit ejus pars supra Arhum fluvium in mare porrecta. Quod verò est citra Arhum usque ad mare Ægeum, propriè Thracia vocatur, ubi erat murus, quem ad excludendum Chersonesium à Gordia ad Pactiam Miltiades duxit, ut auctor est Herodotus, ibique erat urbs *Longus murus* dicta. Plinius lib. IV. cap. XI. *Oppida*, inquit, *Cypsella, Bizanthe, Macron Thycos dictum, quod a Propontide ad Melanem sinum, inter duo maria porrectis muris procurrentem excludit Chersonesum.* Haec ille. De hoc ita Euagrius lib. III. c. XXXVIII. *Anastasius opus planè amplissimum, & cum primis memorabile aedificavit, quod* Longus murus *vocatur, in Thracia loco commodo situm. Abest Constantinopoli summum CCLXXX. stadiis. Mare utrumque complectitur* ad CCCCXX. *stadia instar freti cujusdam, & urbem fermè insulam pro peninsula efficit, transportatque eos, quibus libitum est navigare à Ponto ad Propontidem & mare Thracium cum summa securitate: Barbaros denique, qui ex Ponto Euxino & Cholchide & Meotide palude excursiones faciunt, quique ex locis ultra Caucasum, & qui ex Europa erumpunt, arcet repellitque.* Idem tradunt Suidas, Zonaras & Nicephorus lib. XVI. c. XXXIX. erat longitudinis millium passuum quingentorum, & latitudinis pedum viginti, opus memorabile ex silicibus torrentium extructum, inquit Cyrus Manuel, in *Encomio utriusque Romae*, ut potius mons, quam murus videretur, quod Barbaros excludebat, à quibus captum & ruptum postmodum Justinianus restituit, turribusque munivit, inquit Procopius in quarto *de aedif. Just.* Hae duae provinciae sub Galba à Procuratoribus regebantur. Tacitus lib. I. *Hist.* cap. XI. *Duae*, inquit, *Mauritania, Rhetia, Noricum, Thracia, & quae aliae Procuratoribus cohibentur.* Hae postea Consulares factae Vicario paruerunt, sub eo Praesidales sunt sequentes.

Cap. CXXXV.

DE PRÆSIDIBVS HÆMIMONTIS, *Rhodopes, Mysiae inferioris, & Scythiae.*

Aliæ quatuor sub eodem Vicario provinciae erant Praesidum, Haemimons, inter Mysiam, vel ut alii vocant, Moesiam, & Thraciam posita, ubi Hadrianopolis, Uscudama, & Anchialon fuit.

Secunda erat Rhodopes, ab ejus nominis monte ita appellata, & in mare Ægeum protensa: ab Oriente flumine Nigro continetur, ab Occidente Nesto. Ab hoc etiam Praeside, & Haemimontis, ad Praefectum urbis Constantinopolis, non Praetorio appellari Constantius jussit, *l. cum appellatio. C. de appell.*

Tertia à Praesidibus inferior Mysia regebatur. Haec duplex fuit, *l. 3. ff. de offic. assess.* & Ptolemaeus, superior, quae Vicario Daciae, & inferior, quae Thraciae suberat, inter Danubium & Haemimontem, supra Thraciam ad Septentrionem. Moesiam Augustus per L. Pisonem eorum unum, ad quos Horatius Poëticam scripsit, in potestatem redegit, inquit Volaterranus: mansitque sub Romano Imperio, usque ad Notitiae tempora. Severo imperante Ovinium Tertullum Mysiae inferiori praefuisse Ulpianus scripsit, *in l. 9. ff. de captiv. & postlim. revers. & in l. 1. §. interdum. ff. ad Senat. consf. Tertul.* ad quem etiam eo magistratu fungentem, illius Principis rescriptum reperitur, *in l. 1. C. de postlim. revers.* In Mysia vitium incisores gravius, quam alibi plectuntur, *l. aut facta. §. ultim. ff. de poen.* quod hoc crimen ibi magis frequentaretur, aut propter vini inopiam.

Ultima est Scythia, quam alii Scythicam vocant, quae per oram Ponti Euxini à flumine Phanysso ad Istrum, Septentrionem versus extenditur. Haec dicta est Scythia, quia Scythae Aroteres totum eum tractum tenuère, ut ait Plinius lib. IV. cap. XI. Sed cùm Martianus, & Leo hanc partem cum Mysia, Hunnis, & Zabergano eorum Duci sub tributo concessissent, ibi termini finium Rom. Imperii sunt positi, Jornandes, quos Dux Scythiae cum multis militum numeris tuebatur, & alios limites proximos Duces Moesiae primae, & secundae, defendebant. Alii volunt Mysiam cum Pannonia Ostrogotis, qui Hunnos ejecerant, à Leone concessam, & Theodoricum obsidem acceptum, Blond. lib. II. *Decad.* I. Constat tamen Mysiam inferiorem postea Justiniano paruisse, *Nov. 8. in Notitia, seu Auth. ut judic. quod praestatur jud.* & à Correctore administratam fuisse.

Quare illi citra Haemimontem, Thraciam, Romaniam, tanquam ad Romanos pertinentem appellaverunt, quod nomen & hodiè retinet, Lazius lib. I. Mysia inter alia tributa pro singulis XXX. jugeribus, & totidem capitibus, quotannis unam vestem militibus pendebat, *l. 2. C. de milit. veste.* Haec de quinque Orientis Dioecesibus, nunc ad reliquas duas Imperii Orientalis Praefecto Illyrici subjectas est veniendum, quae ex adscripto summario clarius cernentur.

Cap. CXXVII.

DE VICARIO PONTICÆ,

& ejus insignibus.

QVARTA Orientis diœcesis Pontica fuit, cujus Vicarius XI. provinciis præerat, duabus Consularibus Galatiæ, & Bithyniæ, & IX. Præsidalibus, Honoriadi, Cappadociæ primæ, Cappadociæ secundæ, Hellesponto, Ponto Polemoniaco, Armeniæ primæ, Armeniæ secundæ, & Galatiæ salutari, & Paphlagoniæ, quod & *Tripart.* lib. X. cap. IV. refert. Pontum Pompejus in provinciæ formam redegit, sed eam Cæsar Mithridati Pergameno concessit: deinde ad Polemonem pervenit, quo extincto, cum Pythodoris ejus uxor nomine duorum filiorum illud regnum administraret, à Nerone Imperio Romano est adjectum, concedente Rege Polemone, inquit Eutropius: quod de filio dictum puto. Idem Eusebius refert, & Tranquillus in *Nerone* cap. XVIII. *Ponti*, ait, *regnum concedente Polemone, in provincia formam redegit*: Sed Sext. Aurelius, Regia stirpe deficiente, Neronis tempore, inquit, Pontus provincia facta est: Tota ea Regio à Bosphoro Thracio usque ad Colchidem, & Orientem versus, & Armeniam, Pontus dicebatur, Paphlagoniamque, Galatiam, & Cappadociam continebat: Sed propriè à Bosphoro Thracio, usque ad Bithyniam, & Sangarium fluvium perveniebat, unde duplex Pontus fuit, *Novell.* 29. *c.* 2. *in fi. l. ult. ad fi. C. de div. offic. Novell.* 27. *in princ.* sed usque ad Euphratem tota diœcesis Pontica vocabatur, *l.* 5. *C. de tempo. appell. l. antep. C. de Numera. l.* 2. *C. de milit. vest. l.* 1. *C. ut nemo ad suum patroc.* Theodosius Imperium adeptus, Pontum in VIII. regiones divisam uni Vicario commisit, videlicet Pontum Polemoniacum, Amasiam, Honoriadem, Bithyniam, Paphlagoniam, Armenias duas & Cappadociam, quemadmodum Stephanus & Volaterranus libr. X. *Geographiæ*, scribunt. Huic tractui Præfectus sæpè Vicarius Ponticæ dicitur, *in l. fin. §. pen. C. de divers. offic. & in l.* 10. *C. Th. de heret. l.* 7. *C. Th. de deserto. l.* 12. *C. Th. de exact.* quandoque Comes diœceseos Ponticæ, *l. unic. C. de comit. & tribun. scholar.* Marcellinus lib. XVII. refert Constantium in honorem uxoris Eusebiæ, hunc *Vicarium Pietatis* cognominasse, qui Præses etiam Galatiæ primæ erat, §. 3. *Novell.* 8. duplex officium & salarium, alterum tanquam Vicarius, alterum tanquam Consularis habebat. Justinianus verò abolito Vicario, pro Præside primæ Galatiæ Comitem dedit, quem etiam militibus præfecit, *§. hoc autem ipsum. Nov.* 8. *& Novell.* 27. pristinoque illi utriusque magistratus stipendio relicto, duorum officiorum cohortes in unum contraxit, cum verò is tollendis latronibus non sufficeret, Vicarium rursus restituit, *Edicto* 8. *de Pontici tractus Vicario*, quem etiam militibus, & universæ regionis Prætoribus præesse jussit, & Magistri officiorum in Ponticæ fabricis, & Comitis patrimonii, in prædiis Principis, quæ plurima ibi erant, locum tenere voluit: & Phylarcho provinciæ sacerdoti, aliisque omnibus imperante. Denique in Pontica causas delegatas, & appellatione suspensas, quæ D. aureos non excedebant, ad eum remota appellatione devolvi, & ipsum, in qua velit provinciæ parte morari, & à Bithynia usque ad Armeniam, Trapezuntum, & fines Persarum delinquentes punire jussit. Septuaginta in ejus officio Vicarianos Apparitores à Principe codicillis in scrinio epistolarum probandos constituit, *l. ult. C. de divers. offic.* quod & in aliis majorum magistratuum officiis observabatur. Mulos eidem, tanquam circumire coacto ex publico dedit, assessoremque, & Præconem addidit, ac quatuor lampades seu candelas sumptu Principis ardentes concessit; eas illis similes esse puto, quas ad dextram, & sinistram libri mandatorum, in Præfectorum insignibus prælucere vidimus. Responsales quoque Magistrorum præsentalium, apud eum esse jussit, qui illorum nomine militum palatinorum causas judicabant. Græci *Apocrisarios* nominant *in Nov.* 25. *c.* 1. *ad fin.* Galatiæ verò suus Præses est restitutus.

NOTITIA.

VICARIVS DIOECESEOS

PONTICÆ CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione Viri Spectabilis Vicarii Diœceseos Ponticæ, Provinciæ infrascriptæ.

BITHYNIA.
Galatia.
Paphlagonia.
Honorias.
Galatia salutaris.
Cappadocia prima.
Cappadocia secunda.
Hellenopontus.
Pontus Polemoniacus.
Armenia prima.
Armenia secunda.
Officium autem habet ita:
Principem de schola Agentium in rebus Ducenarium, qui adorata clementia principali, cum insignibus exit transacto biennio.
Corniculatium.
Commentariensem.
Adjutorem.
Ab Actis.
Numerarios.
A Curam epistolarum.
Exceptores, & cæteros Officiales.

COMMENTARIVM.

INSIGNIA Vicarii Ponticæ sunt, duo *Principes in summo aurea pila, quisque in sua cella*, id est, proprio Imperio, *dextras conjungentes, ac codicilli, liberque viridi corio tectus, rubroque ac furrecto tapeto inhærens, cum notis*, quas in Vicario Asianæ
B manuscripti ostendunt, in quibus hujus Vicarii codex auro tectus spectatur. Notæ in impresso ita se habent FL. IN TALL. COM. ORD. PR. quas per errorem in aliis Vicariis, sicut & codicillos, omissas fuisse arbitror: Infra XI. *mulierum visuntur effigies, eodem habitu ornatuque*, quo alias sub Vicario Asianæ descripsimus, quæ XI. provincias huic Vicario parentes denotant: Sola *Cappadocia prima viridem togam sinistro humero connexam gerit: Armenia prima velatum caput habet.* Reliquæ præter Galatiam, & Hellenopontum *pallio carent*, Manuscripti omnes eodem habitu referunt; quo alias sub Vicario Asianæ repræsentarunt, aliquas
C scilicet cum pallio cœruleo, alias albo vel aureo, sparsisque in humeros capillis. In Madruciano vasa aurea in manibus tecta tenent, in quibus intus aurum contineri significatur. Hic officium habebat, ut alii Vicarii, caret his, qui erant ab actis, & Singulariis.

Sol-

Solvebant Pontici pro singulis triginta jugeribus agri solidum nomine singulæ chlamydis militibus dandæ, *l. 2. & 3. C. de milit. vest.* Rectores Ponticæ Diœceseos sunt sequentes.

CAP. CXXVIII.

DE CONSVLARIBVS GALATIÆ, ET BITHYNIÆ.

CONSVLARIVM provinciarum, quæ duæ Vicario Ponticæ suberant, prima fuit Galatia, à Gallis dicta, qui olim in auxilium à Rege Bithyniæ vocati, in Asiam trajecerunt, & victoria potiti regnum cum eo diviserunt, sicque Græcis admixti, primò Gallogræci, postea Galatæ sunt appellati, D. Hieronymus *in Act. Apost. ad eos* Apost. Paulus scribit, Jornandes & alii. Sext. Ruffus: *Gallograciam*, inquit, *id est, Galatiam*: (sunt enim, ut nomen resonat ex Gallis Galatæ) *quòd Antiocho contra Romanos auxilium prabuissent, invasimus. Gn. Manlius* (ita enim ex Livio, Floro, & Appiano, legendum est, non *Mummius*) *Proconsul Galatia prosecutus est, & confugientes partim in Olympum, partim in Ancyram* (ita legendum pro *Megaram*) *de arduis eos in plana detrusit, & victos in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiam Dejotarus Tetrarches, nobis permittentibus tenuit. ad extremum sub Octaviano Casare Galatia in formam provincia redacta est. Eam primus M. Lollius Paulinus administravit.* Hactenus Ruffus. Idem Dion lib. LIV. & Eutropius. Ad hunc extat Horatii epistola. Hæc provincia ab Ortu Cappadociam: ab Occasu Sangarim fluvium, & Bithyniam: à Meridie Pamphyliam: à Septentrione Pontum habet. Gomoritas à Gomor prius dictos, auctor est Josephus lib. I. *Antiq. Judaic.* cap. VII. Cæterum Theodosius duas Galatias fecit, primam & secundam salutarem dictam, ut auctor est Stephanus *de Urbibus*, & Volaterranus. Prima Consularem habebat, secunda Præsidem, quod confirmat Notitia, *Novell.* 8. Sed primam Vicarius postea administravit, quem Justinianus depositum, ut dixi, restituit, *Novell.* 8. *& edict.* 8. Hujus metropolis Ancyra fuit, Synodo ibi habita celebris, quæ ab anchoris navibus ereptis nomen habuit, inquit Apollonius. Comes Galatiæ primæ pro codicillis magistratus solvebat, quantum majores Rectores provinciarum. Præses autem secundæ Galatiæ, quantum alii Præsides.

Bithynia ab Oriente Sangari fluvio, à Galatia dividitur ab Occasu, & Septentrione Ponto: à Meridie Epicteto & Asia minore à Proconsule recta: Hæc prius Bebricia, deinde Mygdonia, postremò à Rege ejus nominis Bithynia est vocata, D. Hieronymus *de locis Hebraicis, in Act. Apost.* & Solinus. Herodotus, & Strabo à Thracibus Bithyniis, dictam volunt: cujus Rex Nicomedes Philopater liberis carens, Augusto imperante, eam provinciam populo Romano testamento reliquit, Dion, Jornandes, Ruffus, Livius, Appianus in *Mithridatico.* quæ postea cum Ponti parte, in qua Mithridates regnaverat, una provincia facta est, & tota Bithyniæ nomine appellata: ejus metropolis Nicæa, vel ut Leo Imper. vult, Nicomedia fuit, primo Proconsularis in eo gradu diu mansit. Nerone enim imperante, C. Petronius eam Proconsul rexit, Tacitus lib. *Ann.* ult. sub Hadriano Severus, qui postea imperavit, Dion in *Severo*, sub Trajano Servilius Calvus, Julius Bassus, Velius Paulus & Cœlius clemens, Plin. epist. XI. & XVI. & XVIII. *ad Trajanum.* quibus Plinius Junior extra ordinem successit, Epist. XXXVI. Post Trajanum M. Antoninus, quem plurium provinciarum formam mutasse Capitolinus scribit, Lollianum Avitum Bithyniæ præsidem fecit, *l. 3. §. 2. ff. de decurion.* virum Consularem, & Patris Ælii Pertinacis patronum. Sed Maximus, qui cum Balbino imperavit, ibi Proconsul fuit, Capitolinus in *Maximo.* Demum Bithynia cum Galatia Consularis facta, in eo statu usque ad Justinianum permansit, *Novell.* 8. *in Notitia.* ab ejus Rectore ad Constantinopoli Præfectum appellabatur, *l. cum appellatio. C. de appellat.* quod Constantius instituit, cum illi urbi Præfectum dedit. Hic Consularis pro codicillis magistratus, quantum alii Consulares solvebat, *d. Novel.* 8. *in Notitia.* Ad Bithynos extat Constantini rescriptum, *in l. 1. C. de muner. leg.* Nunc ad Præsides Ponticæ Diœceseos est veniendum.

CAP. CXXIX.

DE PRÆSIDIBVS HONORIADIS SEV PAPHLAGONIÆ.

PAPHLAGONIA Haly ab Ortu, ab Occasu Billæo fluviis clauditur: *Pylamenam* prius dictam fuisse scribit Plinius lib. VI. cap. II. postea Phynius Ægyptius eam invasit, qui filium Paphlagonem reliquit, à quo *Paphlagonia* regio est cognominata, ut Stephanus & Constantinus Porphyrogenneta referunt: sex habet urbes, Gangram metropolim, Amastram, Soram, Dadybram, Ionopolim, & Pompejopolim. *Gens*, inquit Constantinus Porphyrogenneta, *stolidissima, & contemptissima impudentia, & nequitia famosa, cujus in catalogo navium Homerus meminit, & inde mulas provenisse dicit. Philomenes ejus Rex amicus populi Rom.* inquit Rufius, *eam tenuit, sæpè à Mithridate pulsus regno, à nobis est restitutus, quo mortuo provincia ejus Paphlagonibus imposita est: Romanos enim testamento haredes reliquit.* Hæc ille. Cùm verò posteriori ætate Paphlagonia urbibus esset destituta, Ponto adscripta, proprium Præsidem habere desiit, ejusque partem in Honorii filii honorem *Honoriadem* Theodosius vocavit. Ea regio ad oram Ponti Euxini exposita, ab Ortu habet Amasiam: ab Occasu Pontum: à Meridie Bithyniam. Illius sex erant urbes Prusias, Cratia, Adrianopolis, Tiris, Claudiopolis, & Heraclea: sed hæ duæ cum Prusia Bithyniæ ademptæ Honoriadi sunt attributæ, cujus Claudiopolis facta est metropolis, Paphlagoniæ verò cum Ponto aliæ VI. remanserunt, Germanopolis, Gangra, Pompejopolis, Dadybrus, Tumulus Amastridis, Ionopolis: & hæc provincia à Correctore regebatur. Itaque duo tantùm in Orientis Imperio erant Correctores, alter Augustanicæ in Ægypto, alter Paphlagoniæ Ponticæ in Asia. Honorias à Præside administrabatur, *Novell.* 8. *in Notitia.* Verùm Justinianus antiquato Honoriadis nomine, universam eam regionem, ut prius Paphlagoniam esse voluit, *Novell.* 29. siquidem magna olim ea gens fuerat, quæ Venetos & Aquilejam Italiæ urbem quondam maximam condiderat, eique Prætorem Justinianeum præfecit, qui XII. urbes prædictas regeret, manentibus Metropolitis, qui prius fuerant. Centum illi parebant Apparitores, sub Principe, Corniculario, & cæteris officii primatibus. Ipse pro annonis percipiebat aureos DXXV. qui efficiunt plus mille nostrorum aureorum, assessor aureos LXXII. Apparitores verò CCCCXLVII. & tertiam aurei partem, qui à P. P. Orientis solvebantur. Spectabilis erat, & militibus in sua provincia degentibus, ut alii Prætores, imperabat. Cognoscebat causas appellationum in Paphlagonia delegatas, quæ aureos D. non excedebant. Ab eo verò ad P. P. & Quæstorem

ftorem palatii appellabatur, quemadmodum ab aliis Spectabilibus, *d. Nov.* 29. fed antea ab eo ad Præfectum urbis Conftantinopolitanæ provocabatur, *l. cum appellat. C. de appellat.* Pro codicillis magiftratus Honoraris Præfes folvebat, quantum alii Præfides.

Cap. CXXX.

DE PRÆSIDE CAPPADOCIÆ.

CAPPADOCIA ab Oriente Armeniæ magnæ finitima eft: ab Occafu Galatiæ, & parti Pamphyliæ: à Meridie Ciliciæ: à Septentrione habet Pontum Euxinum, nunc mare majus dictum. Olim adeo magna fuit, ut fermè totam Pontum occuparet. Cappadoces olim *Leucofyri* dicti, nam etfi qui extra Taurum funt, *Syri* vocantur, cùm tamen colore fint adufto, ad horum comparationem Cappadoces *Leucofyri* funt appellati, ut Strabo fcribit lib. XII. Herodotus & Plutarchus à Syro Apollinis & Sinopes filio eos *Syros* dictos fuiffe tradunt. Ibi Sinope Diogenis Cynici, & Marcionis hæretici patria. Cappadociam verò à flumine inter eam & Galatiam defluente Plinius fcribit denominari. Ejus magnitudo à Perfis originem traxit: nam Cappadocia nomen eft Perficum, ut auctor eft Conftantinus Porphyrogenneta *de Thematibus*, in themate Armeniaco: *Cum*, inquit, *Artaxerxi Regi, aut nefcio an alteri cuidam leo inter venandum occurriffet, ejufque equum invafiffet, oblatus cafu Perfa quidam in hoc leonis occurfu, ftricto acinace Regem de vita periclitantem liberavit, & leonem interfecit. Hic itaque Perfa cum altiffimum quendam montem confcendiffet, univerfamque regionem, quoad longiffimè humani oculi acies pertingere poffet, circumfpiciens tam Orientem, & Occidentem, quàm Meridiem, & Septentrionem verfus, omnem eam à Rege dono accepit. Hæc porrò*, ait, *narrat Polybius, cujus multa funt deperdita.*

Cappadociæ metropolis Cæfarea à Tiberio Cæfare, extincto Archelao ejus Rege, ita eft appellata, *Novell.* 30. *de Proconfule Cappadoc.* Sext. Aurelius, & Jornandes, prius *Mazacham* dictam, & in honorem Augufti *Cæfaream* vocatam fuiffe fcribunt. Quomodo autem in Romanorum poteftatem venerit, hiftoriam ita Tacitus lib. II. *Ann.* cap. XLII. explicat: *Rex Archelaus quinquagefimum annum Cappadocia potiebatur, invifus Tiberio, quòd eum Rhodi agentem nullo officio coluiffet: nec id Archelaus per fuperbiam omiferat, fed ab intimis Augufti monitus; quia florente C. Cæfare, miffoque ad res Orientis, intuta Tiberii amicitia credebatur. Ut verſa Cæfarum fobole Imperium adeptus eft, elicit Archelaum matris litteris, quæ non diffimulatis filii offenfionibus, clementiam offerebat, fi ad precandum veniret: ille ignarus doli, vel fi intelligere crederetur, vim metuens, in urbem properat: exceptufque immiti à Principe, & mox accufatus in Senatu, non ob crimina, quæ fingebantur, fed angore, fimul feffus fenio, & quia Regibus æqua, nedum infima infolita funt, finem vitæ fponte an fato, implevit: Regnum in provinciam redactum eft.* De hoc aliter Dion lib. LVII. *Archelaum*, inquit, *Regem Cappadociæ, cui iratus erat, accerfitum, quafi res novas moliretur, tradidit Senatui, ut de eo cognofceret: hominem non folum fenectute, fed etiam podagræ doloribus confectum, ... fuiffetque Archelaus affectus ultimo fupplicio, nifi teftis, qui contra ipfum productus fuerat afferuiffet, eum dixiffe, Se Tiberio oftenfurum poftquam domum rediiffet, quales fibi nervi effent. Quæ ex re rifus tam magnus excitatus eft, propterea quod ille non folum ftare non poterat, fed nec federe quidem, ut eum Tiberius amplius occidi noluerit. . . . . Itaque Archelaus* A *tunc falvus evafit, qui tamen non multò poft mortuus eft: poft cujus mortem, Cappadocia venit in poteftatem populi Romani, illique Q. Veranium legatum acceperunt: & quadam ex Regiis tributis deminuta, quo mitius Romanorum Imperium fperaretur.* Hæc ille. Sext. vero Rufus: *Archelaus*, inquit, *favente Antonio Rex factus eft, quem fub Augufto Tiberius oratione defendit, Imperio deinde fuccedens, eundem blande Romam accerfitum non remifit, ibique diu detentus, cum occubuiffet, teftamento Romanis Cappadociam reliquit, & fic in provinciæ fpeciem migravit*, vel, ut aliàs legitur, *in provinciam per Germanicum redegit.* His concinit & Tranquillus in *Caligula* B cap. I. *Germanicus*, inquit, *ad componendum Orientis ftatum expulfus, cum Armeniæ Regem devicisset, & Cappadociam in provinciæ formam redegiffet, annum agens ætatis* XXXIV. *diutino morbo Antiochiæ obiit, non fine veneni fufpitione.* Eutropius Tacito & Dioni confentit. Prius ex ordine equeftri Rectorem habuit. Mox Vefpafianus ei Confularem dedit: Tranquillus in *Vefpafiano* cap. VIII. *Cappadociæ*, ait, *propter affiduos Barbarorum incurfus, Legiones addidit, Confularemque Rectorem impofuit, pro equite Romano.* Hactenus Tranquillus. Sed rurfus ad Præfidem redit. Sub Conftantino enim Eutychius Præ- C fes Cappadociæ fuiffe legitur, *in l. penult. C. de liberali cauf.* Verum pluribus Cappadociis factis, Juftiniano imperante, Cappadocia prima Confularem habuit, *in Novell.* 5. *in Notitia.* Valens namque Imperator fectâ Arianus, in odium D. Bafilii, ut ejus auctoritatem minueret, & ne univerfæ provinciæ Archipræful effet, duas fecit Cappadocias, primam feu majorem, & fecundam feu minorem, inquit Stephanus: primæ Cæfarea metropolis eft relicta, fecundæ Tyana facta, ut auctor eft D. Gregorius Nazianzenus in *oratione* quam habuit in funere patris, ubi hæc Niceta. *Major*, ait Conftantinus Porphyrogenneta, *à Cæfarea & Tauro ad Ponticum ma-* D *re extenditur, quam terminat Halys fluvius ab Occafu, Melitene ab Oriente, ut etiam teftatur Polybius. Minor Cappadocia finitima Lycaoniæ, Cæfaream ufque pertingit, extenditurque ad initium Bucellariorum, ulteriora funt Ciliciæ. Temporibus verò Juftiniani, five aliorum quorundam Principum Cappadocia in tres partes eft fecta, Catoniam, quæ à Melitea incipit, & eam, quæ à Tauro monte Taurifca appellatur, ac tertio in mediterraneam, quæ Charfianum à Charfio quodam Præfide vocatur: qui bello adverfus Perfas profpere gefto celebris regioni nomen dedit. Primæ Cappadociæ urbes funt Cæfarea metropolis, Nyffa, Therma, Rhege, Podanius. Secundæ urbes funt Thyana metropolis, Fau-* E *ftinopolis, Cybiftra, Nazianzum, Erufima, Parnafum, Rhegrdora, Mociffum, & Corus propugnaculum. Tertiæ urbes funt feptem, Amafea, Ibora, Zalichus, Antrapa, Aminfus, Neocæfarea, Synopo.* Hæc Conftantinus. Addit Niceta in *oratio. D. Gregor.* Muficyffum metropolim. Notitia tertiæ non meminit, quod tum non effet ab aliis diftincta. Prima, ut dixi, Confularem habuit, aliæ Præfidem. Verùm Juftinianus univerfæ Cappadociæ in priftinum ftatum reftitutæ, Proconfulem triplici dignitate auctum dedit. Cùm enim plurima ibi haberet prædia, quibus prius Comes domus facræ præerat, Proconfule non minor auctoritate, in duas partes F fcindebantur civitates, alii *fifcales*, alii *liberi* vocabantur: quare ad tollendam rixam, abolito Comite, unum Proconfulem *Juftinianeum* nominatum, populo, & militibus, qui ante Comiti parebant, imperare juffit, cui etiam utriufque officii Apparitores, patrimoniumque Principis curandum dedit. Ipfe inter Præfectos Prætorianos pofitus, & curru vectus argentato, fecurim, fafces,

& alia Proconsularia insignia praeferebat. Pro annonis viginti libras auri, id est, MMCLX. percipiebat. Assessor auri libras duas. Officium salarium, quod illi antea solvebatur, retinuit. Codicilli hujus magistratus gratis expediebantur, quia ex reditibus praedictorum praediorum, praeter vestes, quinquaginta libras auri Augustae pendebat, quae summa facit nostrorum aureorum quinque M. & D. Appellationum quoque causas in utraque Cappadocia à Principe, vel alio delegatas, quae quingentos aureos non excedebant, diffiniebat. Ab eo ad P. P. qui erat in Comitatu Principis, sacrique palatii Quaestorem appellabatur, *Nov.* 20. *&* 30. sublatis tractatoribus, XIII. cives ab officii primatibus ad exigenda tributa eligebantur, & pro nominatione L. aureos accipiebant, *dict. Novel.* 30. Strabo lib. XI. memorat, Cappadoces quotannis praeter argentum, mille & quingentos equos, mulorum duo millia, ovium quinquaginta millia Persis pendere solitos, & duplum eorum Medos: in Morimena Cappadociae regione Jovis templum fuit, cujus sacerdos ex sacra regione XV. talenta annua percipiebat, & usque ad mortem sacerdotio fungebatur, diadema gerebat, & primus dignitate post regem erat, ut auctor est Strabo lib. XII. in Cappadocia terni viri, & quaternae mulieres pro una persona, in solvendo censu capitis computabantur, *l.* 10. *C. de agric. & censit.* Commodo imperante, Claudius Hieronianus huic provinciae Praefectus, de quo *in l. quaesitum* 9. *§. idem respondit. ff. de funde instructo*, ob uxorem Christianam in reos saevit, & morbo pediculari consumptus est, ut *ad Scapulam* Tertullianus scribit, qui eum *Herminianum* appellat: *Possumus*, inquit, *aequè & exitum quorundam Praesidum tibi proponere, qui in fine vitae suae recordati sunt deliquisse, quod vexassent Christianos, Claudius Herminianus in Cappadocia: cum indignè ferens uxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset: solusque in Praetorio suo vastatus peste, cùm vivus vermibus ebullisset*: Nemo sciat, ajebat, ne gaudeant Christiani. Haec Tertullianus. Cappadoces ob nequitiam famosi fuère, unde abiit in proverbium, *tria K. K. K. pessima*, Cappadocia, Cilicia, Creta, Constantinus Porphyroge. *de Thematibus*, in themate Armeniaco ad fin. Cappadocum verò solum à Justiniano mirificè commendatur *in Novel.* 30.

CAP. CXXXI.

DE PRÆSIDIBVS PONTI *Polemoniaci, & Helenoponti.*

PRIVS à Bosphoro ad Sangarim fluvium una fuit Pontus, *Novel.* 28. postea in duas est divisa, Polemoniacum, ac Helenopontum, quae vix octo urbes continebat, Amasiam, Iboram, Euchaitam, Zelam, Andrapam, Ægeum ad *climacas*, id est, gradus situm, Sinopam & Amisum, postea addita est Leontopolis. Quinque verò in Polemoniaco erant, Neocaesarea, Commana, Trapezus, Cerasus, & Polemonium, quibus addita est Petraeorum civitas Justinianea appellata. Item duo castra Pitius, & Sebastopolis, praeter alia infrà sub Armeniae Duce recensita. Utraque olim ab uno Praeside regebatur, *d. Novell.* 28. postea duplex facta, *l. ult. in fin. C. de diverf. offic.* duos Rectores habuit, *Novel.* 28. Helenopontus Consularem, Polemoniacus Praesidem, *d. Novell.* Pontus Polemoniacus ab Ortu habet Armeniam minorem: à Meridie Cappadociam: à Septentrione Pontum Euxinum, per cujus oram usque ab Paphlagoniam Occasum versus extenditur. *Pontus Polemoniacus, a Polemonio urbe a Polemone tyranno condita nuncupabatur*, ait Strabo lib. XII. Haec sub Nerone, Polemone Ponti Rege mortuo, in Romanorum potestatem venit, Tranquillus, Eutropius, Sext. Aurelius, Eusebius in *Chronicis*, Vopiscus in *Aureliano*. Jornandes eam cum Paphlagonia testamento Romanis relictam scribit. Helenopontum verò in Helenae matris honorem Constantinus appellavit, *d. Novell.* 28. Hanc C. Plinius Consulari potestate rexit, ut testatur inscriptio Mediolani in Basilica D. Ambrosii. Verùm Justinianus utramque regionem tenuem, & angustam in unam contraxit, XIII. urbibus constantem, & nomine Polemonis abolito, totam Helenopontum esse voluit, satius esse existimans, eam ab Helena Christiana & pia foemina, quàm ab impio tyranno denominari. Cùm verò duae essent metropoles, Amasia, & Neocaesarea, utramque metropolim permanere voluit, sed unum utrique provinciae, & militibus Moderatorem *Justinianeum* dictum, virum spectabilem praefecit: quo nomine suos provinciarum Praefectos Lacedaemonii nuncupabant, eumque Responsalem habere permisit, qui criminales, civilesque causas nomine Magistrorum militum cognoscebat, minimas gratis, majores cum moderatis sportulis. Pro annonis DCCXXV. solidos percipiebat, Assessor LXXII. Apparitores aureos CCCCXLVII. & tertiam partem aurei, abolitisque locorum servatoribus, ipse provinciam circumire tenebatur. Causas appellationum in provincia delegatas, infra aureos D. audiebat, quemadmodum & alii Spectabiles. Ab eo ut ab aliis Spectabilibus appellabatur, *d. Novell.* 28. Inter Consulares à Justiniano connumeratur, *Novell.* 8. & ideo pro codicillis magistratus, quantum alii Consulares solvebat. Verùm Justinianus receptis Armeniis, & Ponto, his Zetam Magistrum militum praefecit, *in l. fin. C. de offic. magist milit.* Terni hujus provinciae viri, & quaternae mulieres unam capitationem pendebant, *l.* 10. *C. de agric. & censit.*

CAP. CXXXII.

DE PRÆSIDIBVS ARMENIARVM.

DVAS notum est olim Armenias fuisse, majorem, & minorem: Major prima dicta *in l. ult. C. de offic. magistr. milit.* nunc *Turcomania* vocatur, ac versus Septentrionem Cyro fluvio à Colchide, Albania, & Iberia dividitur: ad Ortum habet mare Hircanum: à Meridie Taurum, quo à Mesopotamia secernitur: ad Occasum ab Armenia minore Euphrate flumine separatur. Minor vero secunda nuncupata *in d. l. ultima.* ad Meridiem usque ad Taurum montem Ciliciae extenditur. Ad Occasum & Septentrionem Cordisco monte clauditur. Prius L. Lucullus, mox Gn. Pompejus, deinde Augustus, usque ad Euphratensem eam subegit, Sext. Ruffus. Trajanus majorem domuit, & Tygrim Romani & Parthici Imperii limitem posuit, Dion, Ruffus, Eutropius, Orosius. Diuque duae usque ad Justinianum sub Praesidibus, & Ducibus stetere Armeniae. Nam Leo & Zeno Erythrio P. P. scribentes, utriusque Armeniae Duces nominant. Armeniae primae urbes erant VII. metropolis Bazanis seu Leontopolis, Theodosiopolis, Satala, Nicopolis, Sebastea, Sebastopolis, & Colonia: Est hoc, inquit Constantinus Porphyrogenneta, munitissimum, & praeceps castrum, Graeci enim κολωνὰς ardua, editissimaque juga vocant.

Armeniæ secundæ urbes septem fuere, metropolis Melitena, Arca, Arabyssus, Ariarsathea, Comana altera, seu Chrusa, Cucusum, Petrei. Cucusum & Arabyssus nobiles exilio D. Jo. Chrysostomi fuere, qui demum Comanæ decedens, ibi sepultus est, Nicephorus lib. XIV. cap. XXXVII. Justinianus vero subactis finitimis Barbaris, magnam, & interiorem Armeniam dictam, novam provinciam creavit, *l. ultim. C. de offic. magistr. militum*, quam Zetæ Magistro militum commisit. *Magnam*, inquit, *Armeniam, quæ interior dicebatur, & gentes, Antizenam videlicet, Ingilenam, Astyanenam, Sophenam, Sophenenam, in qua est Martyropolis, Belabitenam, & primam, & secundam Armeniam, & Pontum Polemoniacum tua cura cum suis Ducibus commisimus.* Tum *in Novell.* 8. *in Notitia*, magna Armenia, item secunda inter Consulares censebantur, prima inter Præsidales. Demum ipse & non Justinus (ut Eustathius *in Dionysium*, & Raphael Volaterranus crediderunt) Armenias in quatuor divisit, in magnam, seu interiorem; item in aliam, quæ antea prima, seu major dicebatur; & tertiam, quæ prius minor, seu secunda vocabatur; & quartam, quæ prius formam provinciæ non habebat, sed ex Barbaris constabat, *Novell.* 31. Prima constituit Heptapolim, id est, septem urbium provinciam, ubi Armenia minor incipit prope Euphratem, cujus metropolis erat, ut dictum est, Bazanis seu Leontopolis, quam à se *Justinianeam* vocavit, cui Satalam, Nicopolim, & Coloniam, primæ & majori Armeniæ ademptas addidit. His præterea ex Ponto Polemoniaco Trapezuntem, nunc *Terbizundam* appellatam adjecit, & Cerasuntem, unde primum Lucullus cerasa in Italiam attulit, ut auctores sunt D. Hieronymus in *epistola* XIX. & Plinius lib. XV. cap. XXV. Eidem Proconsulem spectabilem præfecit, ad quem causas appellationum, etiam secundæ Armeniæ, à Principe vel aliis delegatas devolvi jussit, modò D. aureos non excederent, aliaque omnis Proconsulum insignia ei tradidit.

Secundam verò Armeniam Pentapolim, id est, quinque tantùm urbes habentem in Armenia majore fecit, quæ antea prima dicebatur, cujus metropolis erat Sebastea, id est, Augusta: huic urbes Sebastopolis, Comana ex Polemoniaco Ponto, & Zela ex Hellenoponto, & Brisa sunt adjectæ: eique reliquit Præsidem, qui prius erat.

Tertiam quoque fecit Armeniam, eam, quæ minor & secunda vocabatur, cujus erat metropolis Melitena, urbs antiqua, Euphrati fluvio propinqua, cui Arca, Arabyssus, Ariarsathea, altera Comana, seu Chrusa, & Cucusum parebant, quæ urbes sex Hexapolim constituunt. His Comitem Justinianeum præfecit, qui populis militibusque imperabat. Pro annonisque solidos DCC. percipiebat, Assessor LXXII. Apparitores CCCLX. Spectabilis erat, ad quem causæ appellationum, ex tertia & quarta Armenia, à quocunque delegatæ devolvebantur, modò aureos D. non excederent, quemadmodum sæpe in aliis Spectabilibus est dictum. Huic Armeniæ Thomas est Præfectus, qui prius eam etiam rexerat. Is est Thomas, qui Cos. & Quæstor Palatii Principis fuit, unus ex illis qui Codicem compilarunt, *§. 1. C. de novo Cod. faciendo, & §. ad istum. C. de Justin. C. confirmando.*

Quartam præterea Armeniam constituit, quæ priùs provincia non erat, sed ex variis gentibus, & Barbaris constabat, nempe, ex Trophæna, Anzethena, Ophena, Asteana, & Balabithena, quibus Martyropolitanorum civitatem, & Citharizam præsidium addidit, quæ loca sunt ultra Euphratem, inter Taurum & Antitaurum, antea à magistratus Satrapis, seu Phylarchis Saracenorum, inquit Ruffus, administrata. Hanc ergo provinciam ordinariam factam à Præside regi voluit. Unde ex quatuor Armeniis duæ erant Spectabilium, magna Proconsulis, & tertia, quæ prius secunda fuerat, Comitis. Duæ aliæ secunda quæ prima dicebatur, & quarta ordinariæ, id est, sub clarissimis Præsidibus sunt relictæ. Huic limitem Imperii Romani adversus Persas erectum Dux cum magna equitum peditumque manu defendebat. Olim in Armenia secunda terni viri, & quaternæ fœminæ, unius capitis tributum solvebant, *l. 10. C. de agricol. & censit.* Hæc sunt, quæ ad Ponticam administrationem pertinent. Nunc ad Vicarium Thraciarum est transeundum.

CAP. CXXXIII.

DE' VICARIO THRACIÆ ET EJUS INSIGNIBUS.

ULTIMUS Præfecti Prætorio Orientis vices agens, est diœceseos Thraciæ Vicarius, quam inter validissimas Europæ gentes, in *strategeas*, id est, præfecturas, L. divisam fuisse Plinius scribit lib. IV. cap. XI. sed propriè, inquit, Thracia dicitur, quæ à Septentrione Hemo monte clauditur, ab Oriente Propontide, à Meridie mari Ægeo, ab Occidente Nesto flumine. Gulielmus verò Tyri Episc. III. Thracias ponit, Ptolemæus fermè XIII. ejus præfecturas statuit, posteriores Principes sex sub uno Vicario Thraciæ provincias fecerunt, duas Consulares, nempe Europam, & Thraciam, & quatuor Præsidum, Hæmimontis, Rhodopes, Mœsiæ secundæ seu inferioris, & Scythiæ, quæ sub generali nomine Thraciæ continentur. Eam quoque Sext. Ruffus, & Tripertita lib. X. cap. IV. in totidem provincias dividunt: Europam regionem appellant, in qua est Constantinopolis, & ejus arces, vel præsidia. Eandem divisionem Ammianus lib. XXVII. cap. IV. sequitur: *Lucullus*, ait, *Thracias omnes in ditionem redegit, hocque modo Respublica sex provinciæ sunt quæsita: inter quas prima, quæ ex fronte Illyriis est confinis, Thracia speciali nomine est vocata, quam Philippopolis, Eumolpias vetus, & Berœa, ampla civitates exornant: post has Hæmimontus Hadrianopolim habet, quæ dicebatur Uscudama, & Anchialon, civitates magnas. Deinde Mœsia, ubi Marcianopolis est, a sorore Trajani Principis ita cognominata, & Dorostorus, Nicopolis, & Odyssus: juxtaque Scythia, in qua celebriora sunt aliis oppida, Dionysiopolis, & Zamis, & Calatis. Europa omnium ultima, præter municipia, urbibus uitet duabus Apris, & Perintho, quam Heracleam posteritas dixit. Rhodope huic annexa Maximianopolim habet, Maroneam, & Ænum, post quam conditam, & relictam, Æneas Italiam, auspiciorum prosperitate, post diuturnos occupavit errores.* Hactenus Marcellinus. His provinciis unus præfuit Vicarius, qui sub Valentiniano II. Filoxenus fuit, *l. 124. C. Theod. de decurion.* Hunnis verò Thracias vastantibus, pro uno, duo minoris Thraciæ Vicarii sunt facti, & uterque in civitate Longimuri degebat, quæ maxima à sinu Melanæ in Propontidem extensa Chersonesum excludebat, Milciadisque opus fuit, & ideò *Longimuri* Vicarii dicebantur, sed alter populis, vice Præfecti Orientis, alter militibus, loco Magistri militum, jus dicebat. Itaque Justinianus *in Notitia Novell.* 8. in quadam magistratuum notitia de industria Vicarium Longimuri repetit, quia duo erant: quod aliqui non intelligentes, & per errorem duplicatum eorum numerum existimantes, unum deleverunt: cùm verò in Reipubl. perniciem hi odia inter se exercerent, Justinianus bono publico consulens, utroque sub-

lato, unum tantùm utrique Thraciæ præesse voluit, quem *Pratorem Justinianeum* vocavit, ac militibus, & more veterum Prætorum juri dicendo præfecit. Hic vir spectabilis codicillos à Principe, ut alii Spectabiles, accipiebat. Responsalem & ipse habebat ac tributorum exigendorum, militumque in armis exercendorum curam: opera etiam omnia publica, pontes, mœnia, vias, aquæductus, & similia fisci pecuniâ sarciebat. Delegatas in provincia appellationum causas, ut alii Prætores, cognoscebat. Pro annonis, & capitatione solidos trecentos percipiebat, si codex non est mendosus: Assessor LXXII.

A ejus centum Apparitores libras auri duas, quæ efficiunt fermè CCXX. nostros aureos: ita ex præcedentibus *in Novell.* 26. legendum conjicio. Ipse pro codicillis magistratus tribus Chartulariis sacri cubiculi solidos novem solvebat. Primicerio clarissimorum Tribunorum, & Laterculensibus solidos XXIV. ejus adjutori tres, officio Præfectorum Prætorio, pro imperio, quod in ipsum exercebat, & quacunque alia causa solidos XL. *Novella* 26. *de Pratore Thracia*. Præter hunc & Ponticæ Vicarium, nullus, Justiniano imperante, in Oriente Vicarius fuisse legitur.

NOTITIA.

VICARIVS DIOECESEOS

THRACIARVM CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione Viri Spectabilis Vicarii Diœceseos Thraciarum, provinciæ infrascriptæ.


Vropa.
Thracia.
Hæmimontus.
Rhodopa.
Mœsia secunda.
Scythia.
Officium autem habet ita:
Principem de schola Agentum in rebus.
B Cornicularium.
Commentariensem.
Adjutorem.
Ab Actis.
Numerarios.
Curam epistolarum.
Exceptores, & cæteros Officiales.

COMMENTARIVM.

INSIGNIA Vicarii Thraciarum erant, *abacus alto & surrecto tapeto, quod aureus limbus circumibat, instratus, cui liber rubro corio tectus incubabat, & aurata columella duorum vultus Principum in summo praferens*, quemadmodum in aliis Vicariis

riis est dictum. Infrà *sex mulierum imagines*, subjectas provincias referentes, visuntur, *eodem habitu & ornatu*, qui sub aliis Vicariis est descriptus. Manuscripti Codices, & ipsi eadem & codicillos magistratus, librumque mandatorum cum iisdem notis, eodemque modo, ut sub aliis Vicariis repræsentant: unius verò tantùm Principis vultum auratæ pilæ præfixum referunt. In Urfini Codice effigies apparet, qualis Termini depingi solet, quòd fortè immobiles Imperii Romani fines esse denotabat.

Officium quoque habebat, quemadmodum alii Vicarii & Proconsules, quod probabatur codicillis à Scriniariis sacrarum epistolarum scriptis, & ab ipso Principe, mox à Vicario subscriptus, *l. ult. C. de divers. offic.* Solvebant inter alia tributa Thraces pro singulis viginti jugeribus agri vestem militarem, *l. 2. C. de milit. veste.* Postmodum ea dioecesi primò ab Hunnis, postea à Gothis fœdè vastata, tributa remitti oportuit, *l. pen. Græca. C. ut nemini liceat in coempt. specier. se excusare.* ut quædam lex Græca ex LVII. *Basilicon.* libro desumpta explicat: *In Thracia*, inquit, *tributa fiscalia in solidum non inferantur, Barbarorum incursionibus colonis attritis, nec sufficiente specierum collatione ad alendos milites in ea consistentes.*

CAP. CXXXIV.

DE CONSULARIBUS EUROPÆ ET THRACIÆ.

DUÆ sub Vicario Thraciæ sunt provinciæ Consulares, Europa, quæ est Constantinopolis regio, & ita vocatur, quod prima sit ejus pars supra Arhum fluvium in mare porrecta. Quod verò est citra Arbum usque ad mare Ægeum, propriè Thracia vocatur, ubi erat murus, quem ad excludendum Chersonesum à Gordia ad Pactiam Miltiades duxit, ut auctor est Herodotus, ibique erat urbs *Longus murus* dicta. Plinius lib. IV. cap. XI. *Oppida*, inquit, *Cypsella, Bizanthe, Macron Thycos dictum, quod à Propontide ad Melanem sinum, inter duo maria porrectis muris procurrentem excludit Chersonesum.* Hæc ille. De hoc ita Euagrius lib. III. c. XXXVIII. *Anastasius opus planè amplissimum, & cum primis memorabile ædificavit, quod Longus murus vocatur, in Thracia loco commodo situm. Abest Constantinopoli summum CCLXXX. stadiis. Mare utrumque complectitur ad CCCCXX. stadia instar freti cujusdam, & urbem fermè insulam pro peninsula efficit, transportatque eos, quibus libitum est navigare a Ponto ad Propontidem & mare Thracium cum summa securitate: Barbaros denique, qui ex Ponto Euxino & Cholchide & Meotide palude excursiones faciunt, quique ex locis ultra Caucasum, & qui ex Europa erumpunt, arcet repellitque.* Idem tradunt Suidas, Zonaras & Nicephorus lib. XVI. c. XXXIX. erat longitudinis millium passuum quingentorum, & latitudinis pedum viginti, opus memorabile ex filicibus torrentium extructum, inquit Cyrus Manuel, in *Encomio utriusque Romæ*, ut potius mons, quam murus videretur, quod Barbaros excludebat, à quibus captum & ruptum postmodum Justinianus restituit, turribusque munivit, inquit Procopius in quarto *de ædif. Just.* Hæ duæ provinciæ sub Galba à Procuratoribus regebantur. Tacitus lib. I. *Hist.* cap. XI. *Duæ*, inquit, *Mauritania, Rhetia, Noricum, Thracia, & quæ aliæ Procuratoribus cohibentur.* Hæ postea Consulares factæ Vicario paruerunt, sub eo Præsidales sunt sequentes.

CAP. CXXXV.

DE PRÆSIDIBUS HÆMIMONTIS, *Rhodopes, Mysiæ inferioris, & Scythiæ.*

ALIÆ quatuor sub eodem Vicario provinciæ erant Præsidum, Hæmimons, inter Mysiam, vel ut alii vocant, Mœsiam, & Thraciam posita, ubi Hadrianopolis, Uscudama, & Anchialon fuit.

Secunda erat Rhodopes, ab ejus nominis monte ita appellata, & in mare Ægeum protensa: ab Oriente flumine Nigro continetur, ab Occidente Nesto. Ab hoc etiam Præside, & Hæmimontis, ad Præfectum urbis Constantinopolis, non Prætorio appellari Constantius jussit, *l. cum appellatio. C. de appell.*

Tertia à Præsidibus inferior Mysia regebatur. Hæc duplex fuit, *l. 3. ff. de offic. assess.* & Ptolemæus, superior, quæ Vicario Daciæ, & inferior, quæ Thraciæ suberat, inter Danubium & Hæmimontem, supra Thraciam ad Septentrionem. Mœsiam Augustus per L. Pisonem eorum unum, ad quos Horatius Poëticam scripsit, in potestatem redegit, inquit Volaterranus: mansitque sub Romano Imperio, usque ad Notitiæ tempora. Severo imperante Ovinium Tertullum Mysiæ inferiori præfuisse Ulpianus scripsit, *in l. 9. ff. de captiv. & postlim. reversi. & in l. 1. §. interdum. ff. ad Senat. cons. Tertul.* ad quem etiam eo magistratu fungentem, illius Principis rescriptum reperitur, *in l. 1. C. de postlim. revers.* In Mysia vitium incisores gravius, quam alibi plectuntur, *l. aut facta. §. ultim. ff. de pœn.* quod hoc crimen ibi magis frequentaretur, aut propter vini inopiam.

Ultima est Scythia, quam alii Scythicam vocant, quæ per oram Ponti Euxini à flumine Phanysso ad Istrum, Septentrionem versus extenditur. Hæc dicta est Scythia, quia Scythæ Aroteres totum eum tractum tenuêre, ut ait Plinius lib. IV. cap. XI. Sed cùm Martianus, & Leo hanc partem cum Mysia, Hunnis, & Zabergano eorum Duci sub tributo concessissent, ibi termini finium Rom. Imperii sunt positi, Jornandes, quos Dux Scythiæ cum multis militum numeris tuebatur, & alios limites proximos Duces Mœsiæ primæ, & secundæ, defendebant. Alii volunt Mysiam cum Pannonia Ostrogotis, qui Hunnos ejecerant, à Leone concessam, & Theodoricum obsidem acceptum, Blond. lib. II. *Decad.* I. Constat tamen Mysiam inferiorem postea Justiniano paruisse, *Nov. 8. in Notitia, seu Auth. ut jusjur. quod præstatur jud.* & à Correctore administratam fuisse.

Quare illi citra Hæmimontem, Thraciam, Romaniam, tanquam ad Romanos pertinentem appellaverunt, quod nomen & hodiè retinet, Lazius lib. I. Mysia inter alia tributa pro singulis XXX. jugeribus, & totidem capitibus, quotannis unam vestem militibus pendebat, *l. 2. C. de milit. veste.* Hæc de quinque Orientis Diœcesibus, nunc ad reliquas duas Imperii Orientalis Præfecto Illyrici subjectas est veniendum, quæ ex adscripto summario clarius cernentur.

Præfectus P. Illyrici imperat,

- *Proconsuli Achajæ.*
- *Vicario Macedoniæ, quæ habet Provincias V.*
  - *Consulares II.*
    - *Macedoniam parvam.*
    - *Cretam.*
  - *Præsides III.*
    - *Thessaliam.*
    - *Epirum veterem.*
    - *Epirum novam, & partem Macedoniæ salutaris.*
- *Vicario Daciæ, quæ habet Provincias V.*
  - *Consularem I.*
    - *Daciam Mediterraneam.*
  - *Præsidales IV.*
    - *Daciam Ripensem.*
    - *Mœsiam primam.*
    - *Dardaniam.*
    - *Prævalitanam, & partem Macedoniæ salutaris.*

CAP. CXXXVI.

DE VICARIO MACEDONIÆ.

ILLYRICUM in XVII. provincias à Sext. Ruffo dividi diximus, cujus VII. ad Occidentale Imperium pertinent, videlicet Noricorum duæ, Pannoniorum duæ, Valeria, Suavia, & Dalmatia. Reliquæ X. Orientali relictæ sunt Imperio, Mœsia, Daciæ duæ, & Macedonia septem continens Provincias, Macedoniam, Thessaliam, Achajam, Epiros duas, Prævalitanam, quæ Daciæ est attributa, & Cretam. Præfectus Illyrici, secundo loco inter Illustres, à Notitia collocatur, duos Vicarios, totidem Diœceses regentes habebat, quos infra inter Spectabiles prosequemur, Macedoniæ scilicet, & Daciæ, quæ sub mulierum imagine à Notitia sui Præfecti insignibus annectuntur, & in indice cum suis provinciis explicantur: Cæterùm omisso Daciæ Vicario, unus Macedoniæ in indice nominatur: Sed nulla ejus insignia vel officium ostenditur, qui tamen diu usque ad Zenonem permansisse invenitur, *l. ult. §. item scrinii sacrarum epist. C. de divers. offic.* inter alios sub Valentiniano Fœlix, *in l. 5. C. Th. de jurisd.* sub Gratiano Lucianus, *in l. 6. C. de feriis.* Vicarii Macedoniæ fuisse lrguotur. Sed ea regione Notitiæ tempore à Barbaris devastata, nudum hujus Vicarii nomen sine administratione relinquebatur. Dacia quoque, altera Illyrici Diœcesis, Gallieni ignaviâ amissa, nunquam recepta fuit: ut Capitolinus Eutropiusque referunt, & alia Dacia cis Danubium translata ab Hunnis detinebatur, Cassiod. Comes Marcellinus, Jornandes. *Macedonia,* inquit Sext. Ruffus, *ter rebellavit, sub Philippo, sub Perseo, sub Pseudo-Philippo. Philippum Flaminius, Perseum Paulus, Pseudo-Philippum Metellus, oppressit.* Sub ejus Diœceseos Vicario VI. erant provinciæ, & pars Macedoniæ salutaris, ex quibus Achaja habebat Proconsulem. Duæ erant Consulares, Macedonia parva, & Creta. Reliquæ Præsidum, videlicet, Thessalia, Epirus vetus, Epirus nova, & pars Macedoniæ salu-

A taris. Olim Macedonia ad Thraciam, Dalmatiam, & Mysiam, extensa, Proconsulem habuit, mox Prætoria facta, ut Cicero *in L. Pisonem*, & in Oratione *de provin. Consul.* & Florus referunt: rursus ad Proconsulem rediit: Imperante enim Hadriano, Junium Rufinum Proconsulem habuit, *l. 3. §. idem Divus, ff. de testib.* & Tacitus in quarto *Ann.* Pompeji Sabini Macedoniæ, & Achajæ Proconsulis meminit: postea mutata provinciarum forma Vicario paruit, qui à Constantino Comes Macedoniæ vocatur, ita ipse Acatium ei regioni Præfectum appellat, *l. 2. C. Theod. si certum. vel reliq.* Sed plurimum Vicarius nuncupatur, *in l. 1. C. Theod. de ju-*

B *risd. l. 6. C. de feriis.* Et quia hæc provincia erat præcipua, ejus exemplum aliæ Illyrici regiones sequebantur, *in l. id ab unaquaque. 12. C. de annon. & tribut.* Ferax erat metallorum; anno enim ab urbe condita DXCV. in Macedonia metalla instituta fuisse, auctor est Cassiodorus, & eorum Jura sæpè meminerunt, *ut l. 4. C. de metallar.* Gratiano imperante à Barbaris vexata, à Theodosio Magno liberata fuit, mox penitus amissa, & ideo nulla hujus Vicarii apparent insignia aut officium, quòd Notitiæ tempore à Barbaris hæc regio devastata, ægrè sub Imperio Romano retineretur, ut auctor est Paulus Diaconus. Hic Officium habebat, ut

C alii Vicarii, quod codicillis, à Notariis sacrarum epistolarum conscriptis, & à Principe, ac denique Vicario suscriptis, approbari oportebat, *l. ultim. C. de divers. offic.* Hujus Diœcesis provinciarum Rectores sequuntur.

CAP. CXXXVII.

DE CONSULARIBUS MACEDONIÆ, ET CRETÆ.

MACEDONIA strictè sumpta una ex VII. la-

D tioris Macedoniæ Provinciis, ab Oriente Strymone in Ægeum mare fluente, à Thracia dividebatur. Alii eam usque ad Nessium extendebant: ab Occidente Ionium pelagus habebat: à Meridie Peneum amnem, quo à Thessalia distinguebatur, & montibus ab Epiro ad Calydnum fluvium: à Septentrione monte Orbelo, à Dacia, & Mysia separabatur. In duas partes à Pausania, Plinio, & Strabone dividitur: superiorem ultra Candavios montes, *Liberam* nuncupatam: & primam quæ Ionium pelagus contingit, unde legitur in oummo Macedonum argeoteo ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ. ubi in prima Macedooia eam monetam percussam fuisse

E significatur. Altera erat Macedooia inferior & salutaris dicta, de qua infra dicetur. Tiberio imperante à Popeo Sabino Macedonia cum Achaja & Mœsia est administrata, ultra annos XVI. Tacit. lib. I. & V. *Ann.* Proconsularisque fuisse ex marmoribus apparet, postea Coosularis est facta, cujus nullibi inter provinciarum Rectores à Justiniano fit mentio, quia tum, ut credo, à Barbaris occupata, Rom. Imp. noo parebat.

Nulla hujus Consularis, aut aliorum Macedoniæ magistratuum conspiciuntur insignia, aut officia. Dubitandum tamen non est ea aliorum provinciarum Rectorum instar fuisse, hoc excepto, quod Illyrici magistratuum officia centenos homi-

F nes continebaot. Arcadius A. *in l. per Illyricum C. de cohortalib. Per Illyricum*, inquit, *in quo plurima ac maxima publicarum necessitatum emolumenta officiis constat Præsidalibus expediri, centeni numero singulis judicibus obsecundent.* Publicas autem has necessitates credo fuisse metallorum, quæ

ibi

ibi erant plurima, *l. 4. C. de metallariis*, & eorum qui in metalla damnabantur.

Sub Vicario Macedoniæ fuit & Creta, à Consulari, inclinante jam Imperio, administrata; centum quondam oppidis insignis, inquit D. Hieronymus, *in Act. Apost.* & Poëta *Æneid.* III.

Centum urbes habitant magnas, uberrima regna,

famosaque divitiis, maxime æris, ubi prima hujus metalli inventio, & utilitas fuit. Olim *Cureta* à Curetibus, qui primo eam insulam inhabitaverunt, & inde per Syncopen Creta dicta. Secundùm Stephanum à Crete Jovis, & Ideæ nymphæ filia; secundùm Plinium à Cresa nympha Hesperidis filia, nomen suscepit. *Macarim* aliqui, id est, beatam, à cœli temperie appellaverunt. Ab Occasu Hadriatico, à Septentrione Cretico, à Meridie Punico, ab Ortu Carpathio maribus terminatur, ut auctor est Ptolemæus. Eam Metellus Proconsul cognomento Creticus in Romanorum potestatem redegit, Sext. Ruffus, Livius lib. XCVIII. & seq. Florus lib. III. Plutarchus in *Pompejo*, quam postea Augustus cum Cyrenaica unam provinciam fecit, & ei Proconsulem dedit, qui diu permansit. Tiberio enim imperante ejus insulæ Proconsul fuit Cæsius Cordus repetundarum & majestatis accusatus, inquit Tacitus lib. III. *Ann.* qui sub Nerone quoque illam à Proconsule rectam fuisse scribit: sub Hadriano Salvius Carus illi Proconsul jus dixit, *l. Divus 14. ff. ad Senatusc. Turpillian.* Sed à posterioribus Principibus à Cyrenaica separata, Consularem habuit. Constantino imperante XXXVI. annis, quibus nunquam in ea insula pluit, incolis destituta fuisse dicitur: postmodum revertens Hierosolymis Helena Constantini mater, cùm eò applicuisset, & loci calamitatem vidisset, precibus pluviam à Deo impetravit.

Quare ex Ægypto, Syria, Cilicia, & proximis regionibus accolis accitis, insulam habitari fecit, ac Græcis implevit, Cedrenus. Præstantes cotes ibi inveniebantur, quas Imperatores locare consueverant, *l. Cæsar, ff. de publican.* Hæc insula à Justiniano inter magistratus Imperii Orientalis omittitur, *ut in 8. Novel. edicto.* unde à Barbaris eam tum detentam fuisse suspicor, vel codex deficit: constat enim eum urbem ibi ædificasse *Justinianam secundam* à se vocatam, quam in honorem Theodoræ conjugis ejus insulæ indigenæ erexit, ut auctor est Nicephorus lib. *Hist. Eccl.* XVI. c. XXXVII. & lib. XVII. c. XXVIII. Hi sunt Macedoniæ Diœceseos Consulares, sequuntur Præsides.

CAP. CXXXVIII.

DE PRÆSIDIBVS THESSALIÆ,

utriusque Epiri, & partis salutaris Macedoniæ.

THESSALIA, inquit Eustathius *in Homerum*, est campus maximus ac undique montibus cinctus, ab Oriente Ossâ, & Pelio: ab Occasu Pindo, unde Peneus defluens Orientem versus eam à Macedonia dividit: ab Aquilone Olympum: à Meridie Oetam montes habet, omnes conjuncti, & theatri instar inflexi, in cavea. LXXV. urbes claudunt. Plinius auctor est XXIV. nobilissimos amnes hanc regionem interfluere. Pelasgia olim est dicta, inquit Stephanus, & proprium habebat Præsidem, Vicario Macedoniæ subjectum.

Epirus secunda Macedoniæ provincia, Præsidalis olim regnum Pyrrhi: ab Oriente Thessaliam, & Acheloum fluvium: ab Arcto Macedoniam: ab Occasu Ionicum: à Meridie Hadriaticum mare habet, cujus metropolis erat Dyrrachium. Hæc est prima Epirus usque ad montem Dagularium cognominatum, itinere dierum quatuor protensa, ut ait Gulielmus Tyri Archiepiscopus, lib. *sacri belli* II. c. IV.

Alia addita est huic Epirus nova dicta, quam ultra Acheloum Locros esse arbitror, & Phocenses Orientem versus: sub Valentiniano, & Valente Zosimus hanc provinciam Præses administravit, *l. unic. C. de stratoribus. l. 2. C. de apparitorib. P. P.* cui Paulinus successit, *l. 22. C. Theod. de episc.* Parebat huic Vicario & pars Macedoniæ salutaris, quam fuisse existimo juxta Epirum, & Dalmatas, ubi est Apollonia. Hæc regio ob aquarum salubritatem, *salutaris* est appellata. Totius Macedoniæ salutaris in duas divisæ, unum Præsidem Notitia ponit, qui pro partibus quas regebat, duobus Macedoniæ, & Daciæ Vicariis respondebat, & jussa exequebatur. Hi sunt Præsides, qui Vicario Macedoniæ parebant, quorum nulla, ut dixi, mentio est apud Justinianum, *in Novell. 8. in Notitia.* Nunc de Vicario Daciæ est dicendum, quæ etsi nullibi à Notitia nominetur, neque aliquod ejus officium, aut insignia extant, quod tum à Barbaris ea regio detineretur, à me tamen pro virium tenuitate restituetur.

CAP. CXXXIX.

DE VICARIO DACIÆ, ET

Rectoribus, qui sub eo erant.

VETVS Dacia ultra Danubium ab hac, de qua agimus, differt: à Septentrione enim à Sarmatis monte Carpato: ab Occasu Iazigibus, & amne Tibisso dividebatur: à Meridie, & Oriente Danubium habebat: Ea regio nunc *Valachia* & *Transilvania* vocatur. eam tres gentes hodie incolunt, ait Æneas Silvius *de Europa* c. II. in prin. Teutones, Siculi & Valachi. Hi *Flacci* prius dicti à Flacco, qui eò coloniam deduxit, postea corrupto vocabulo *Valachi* pro Flaccis nuncupati. Dacos primum ultra Danubium per Lentulum Augustus repulit. Trajanus verò Decebalo eorum Rege devicto, Daciam provinciam fecit, & in eam colonias juris Italici deduxit, ab Ulpiano *in l. 1. §. ult. ff. de censibus*, relatas, apud quem mendosè legitur *Indicia* pro *in Dacia*, Auctores Dion, Sext. Ruffus, Eutropius, & Orosius. Julius Cæsar in V. *de bello civili* scribit Daciam Romanis in tributum, aurum & argentum solvisse, quod fodinis abundaret, etsi nondum in provinciæ formam redacta esset. In circuitu habebat decies centena millia passuum, Sex. Ruffus. sub Gallieno Principe amissa, per Aurelianum est recepta, sed destituta, translatisque inde in mediam Mœsiam illius incolis, & Romanorum coloniis, eam regionem Daciam appellavit, quæ duas Mœsias dividit, & est in dextra Danubio, mare influenti, cum antea fuerit in læva, inquit Paulus Diaconus. Idem affirmat Sext. Ruffus, loquens de Dacia sub Gallieno amissa: *Per Aurelianum*, ait, *translatis ex inde Romanis, duæ Daciæ in Mœsia regionibus Dardaniæ factæ sunt.* Vopiscus quoque in *Aureliano*, de eodem Aureliano loquens: *Cum vastatum*, inquit, *Illyricum, & Mœsiam deperditam videret, provinciam trans Danubium Daciam à Trajano constitutam sublato exercitu, ac provincialibus reliquit, desperans eam posse retinere: abductosque ex ea populos in Mœsia collocavit, appellavitque suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias dividit.* Hactenus ille. De hac Dacia intelligit Notitia, prior enim nunquam amplius est recepta, ut etiam Orosius testatur l. VII. c. XXII. universæ huic diœcesi P. P. Illyrici Vicarius præerat, cujus officium vel insignia non apparent, nec Justinianus in Orientalium Præsidum catalogo ejus meminit, quod tum ab hostibus hæc regio teneretur. Attila enim Hunnorum Rex, cum fratre Bleda, Martiano & Valentiniano imperantibus, totam eam regionem devastaverat, P. Diaconus lib. XV. Leonis tamen tem-

tempore io Imperii Romani potestatem rediisse videtur; nam de ejus Ducis officio disponit, *in l.ult. ad fin. C. de diverſ. offic.* Demum Justinianus populis omnibus cis Danubium Romano adjectis Imperio, pristinos magistratus renovavit.

Daciæ itaque posterioris diœcesis, in v. proviocias dividebatur, Duas Dacias, Mediterraneam & Ripensem, Mœsiam primam, Dardaniam, Prævalitanam, & partem Macedoniæ salutaris. Sola Dacia mediterranea erat Consularis, reliquæ Præsidum: Hæc Dacia dicta inferior, Hæmo monti adjacebat, celebrisque aurariis erat, in quas mittebantur Procuratores, *aurariarum* vocati, non Proconsules, ut aliqui interpretantur. Hi à Decuriodibus creabantur, nec prius in patria dignitatem assequi poterant, quàm hoc munus implevissent, *l.4. C. de metallariis.* Dacia Ripensis ad Danubii ripas sita à Præside regebatur, idque etiam Constantino imperante fuit, qui ad Claudium provinciæ Daciæ Præsidem scribit, *in l. 28. C. de inoffic. testament.* Hunc imperii novum limitem factum Dux ix. cuneis equitum, & aliquot legionibus tuebatur, *l. 13. C. Theod. de operibus public.*

Mysia, vel, ut alii scribunt, Mœsia superior seu prima, inter Danubium, & montes claudebatur, id est, ab Occidente, monte Sardonio à Dalmatia dividebatur: à Meridie, monte Orbelo à Macedonia: ab Ortu verò Thraciam, & Hæmum montem habebat: Hic præter Præsidem degebat Dux cum octo cuneis equitum, & aliquot legionibus, nunc paret Turcæ, *Bosina* dicta: Pontanus volt esse partem Hungariæ. Hæc etiam metallorum ferax erat: Mœsia verò inferior seu secunda sub Præside. Thraciis erat adjecta, *l. 1. C. de postlim. reverſ. l. 1. §. interdum ff. ad S. C. Tertullian. l. apud hostes. ff. de captivis & postlim. rever.*

Dardania alia provincia Mœsiæ superiori contigua est, *l. 4. C. de metallar.* ad Meridiem inter Sardonium & Orbelum montes velut hemicyclo inclusa, nunc *Rassia*, & *Servia*, seu *Segoria* dicitur, & ipsa hodie Turcæ subjecta, quæ proprium habebat Præsidem & ipsa metallis fertilis, *dict. l. 4.* Erat & sub eodem Vicario Daciæ Prævalitanæ Præses, cujus metropolis facta est Justiniana patria Justiniani, *Novell.* 11. *&* 131. §. 1. *in Græco contextu*, de qua supra latius dictum fuit, cap. xxiii. *de Præf. Præto. Illyrici.* Hi *Tribali* appellantur, quos Raphael Volaterranus Bulgaros esse existimat & in extrema Mœsia superiore, inter Danubium, & montem Hæmum sitos. Ego populos illis vicinos esse puto.

Pars quoque Macedooiæ salutaris Vicario Daciæ parebat: Ea Scando monte, propè Dardaniam versus Septentrionem claudebatur. Unus, totius Macedoniæ salotaris in duas divisæ, Rector in indice Notitiæ inter Præsides nominatur, cùm tameo ejus provinciæ pars Vicario Macedoniæ, pars Vicario Daciæ subesset, unde idem Præses pro una parte uni, pro alia alii paruisse videtur. Hi sunt sub Daciæ Vicario Præsides, qui officium, & ejus insignia, ut alii supra memorati, habebant, etsi eorum aut Vicarii aliud vestigium non extet: Explicitis igitur quæ ad Orientis provinciarum magistratus pertinent, nunc ad alios Spectabiles, id est, rei militaris Comites & Duces limitaneos est veniendum, qui ut facilius intelligantur, limitum origo altius est repetenda.

CAP. CXL.

DE LIMITANEIS COMITIBVS, ET DVCIBVS.

AVGVSTVS rerum potitus, cùm provincias inter se, & populum Romanum divideret illi pacatas tradidit: Barbaras verò gentes, & quæ præsidio, militarique cura indigebant, sibi retinuit: Itaque militibus in finibus Roman. Imperii locatis, novem limites à legionibus defendendos constituit, Dion lib. LV. Unum in Hispania cum tribus legionibus. Secundum in Germania inferiore super Rhenum cum quatuor. Tertium in superiore super Danubium, cum aliis quatuor. Quartum in Dalmatia, cum duabus. Quintum in Pannonia cum tribus. Sextum in Syria cum quatuor. Septimum in Ægypto cum duabus. Octavum in Africa cum una. Nonum in Mœsia super Danubium cum duabus, quæ omnes erant legiones xxv.

Decimum limitem Claudius in Britannia, cum legionibus tribus, addidit. Undecimum Vespasianus in Cappadocia, cum legionibus duabus. Duodecimum Trajanus in Dacia cum duabus, & decimum tertium in Armenia, & Mesopotamia super Tygrim cum legionibus item duabus. Decimum quartum in Arabia cum legione una: quæ omnes fuêre legiones xxxv. Cæterum novis hostibus quotidie in orbem Romanum ingruentibus, antiquis limitibus alii quandoque additi, quandoque veteres minuti fuere: Dion enim lib. LV. tredecim limites Alexandro imperante nominat, Notitia in solo Oriente xxv. videlicet in Ægypto, & Isauria, ubi duo Comites degebant: Item in Libya, Thebaide, Phœnicia, Euphratensi, Palæstina, Osrhoëna, Mesopotamia, Arabia, Armenia, Mœsia secuoda, Scythia, Dacia Ripensi, Mœsia prima, quas xiii. Duces cum legionibus quadraginta octo, cuneis equitum cii. alis equitum cv. cohortibus peditum liii. auxiliis militum xxxii. classibus fluvialibus vi. & una in Ponto Euxino, tuebantur: Aliæ quatuor maritimæ classes species, & annonas transvehebant. Zosimus lib. ii. auctor est Diocletianum extremis in limitibus ubique Imperium Romanum, oppidis, castellis, & burgis muoivisse: omnesque copias militares in his domicilium habuisse, ne barbari eos fines transire possent. Constantinum verò amotis præsidiorum munitionibus, majorem militum partem à limitibus abstractam, in oppidis præsidio minimè egentibus collocasse, qui Theatris & voluptatibus emolliti, urbes onerabant, quæ desertæ manserunt, unde hostes fines denudatos irrupisse. Cæterum post hujus Notitiæ tempus, everso Occidentis Imperio, Leo tres Orientis, cum totidem Comitibus, limites addidit, nempe Pamphyliæ, Licaoniæ, & Pisidiæ, quibus & Pannoniæ Occidentali Ducem adjecit: Itaque tum quinque Orientis Comites sunt facti, & aliis intactis manentibus pro duobus unus Palæstinæ, & Mesopotamiæ Dux creatus, *l.ult. in fi. C. de diverſ. off.* In iis limitibus munitiones extruebant, quæ *castella*, aut *clusura*, seu *clausura* appellabantur. Paulus Orosius lib.ultim. cap. xxxiii. *Crebra*, inquit, *habitacula per limitem constituta*, burgos *vulgo vocant, quorum situs, formas, & militum numeros, Magister officiorum, ille cura præfectus, quotannis Principi insinuare tenebatur.* Theodosius A. ad Nomum Magistrum officiorum, *in l. 4. C. de offi. mag. offic. Quemadmodum*, ait, *se militum numerus habeat, castrorumque, ac clausurarum cura procedat, quotannis significare nobis propria suggestione procures.*

Idem

Idem in alio rescripto, eodem die, ad eundem misso, fieri jubet, *in l. fi. C. de offic. milit. jud.* Justinianus quoque Duci Sardiniæ mandat, ut clausuras, & castra bene muniat, *in l. 2. C. de offic. P. P. Afr.* Qui librum de rebus bellicis post Notitiam locavit, de limitum munitionibus ita differit: *Est inter commoda Reipublicæ, utilis limitum cura ambientium ubique latus Imperii, quorum tutelæ, assidua castella melius prospicient, ita ut millenis interjectis passibus stabili muro, & firmissimis turribus erigantur, quas quidem munitiones possessorum distributa sollicitudo, sine publico sumptu constituat, vigiliis in his & agrariis exercendis.* Hæc ille. Vult igitur ut castella per circuitum mille passibus distantia, rusticorum operâ erigantur. Majores munitiones *castra* à castris militum, Minores *castella* nuncupabantur, *l. 2. C. de fundis limitetroph.* aut *burgi, d. l. 2. §. in Sardinia. C. de off. P. P. Africæ. l. pen. C. de fundis rei privatæ.* Vegetius lib. IV. cap. X. *Castellum,* inquit, *parvum, quod burgum vocant, inter civitatem & pontem convenit fabricari.* Instar castrorum militum, castra & castella appellata esse in VII. *Æneid.* Virgilius significat:

—— Ipse humili designat mœnia fossa,
Castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.

Hinc hodie plures in Italia pagi burgorum, castrorum & castellorum nomen retinuere, in quibus olim pro Ducibus castrorum Præpositi excubabant, cujusmodi est castellum Bononiense, & S. Petri in agro Bononiensi: castellum vetus Rangonum in Mutinensi agro. Castellum novum in Regiensi, & aliis in locis. Burgus novus in Placentino S. Donnini, Vallis Tarri. Burgus fortis in Mantuano, & plures alii simili nomine appellati. *Clausuræ* dicebantur ipsæ munitiones, quæ fossis, murisque & aggeribus altè extructis cingebantur, *d. l. 4. C. de off. mag. offic. d. l. 2. §. in Sardinia. C. de offic. P. P. Africæ.*

Aliqui has lustrationes appellari crediderunt, ita interpretantes Theodosii rescriptum, *in l. ult. C. de offic. milit. jud.* quod jubet, Duces militum castrorum, refectionis, lustrationisque curam habere: Sed ego iis committi puto, ut lustrent, id est, castra circumeant. Cassiodorus quoque *ad Faustum,* & Suidas in verbo *κλεισούρας*, limitum munitiones vocant. Qualia verò essent hæc castella, aut clausuræ Procopius in quarta *de ædificiis Justiniani* oratione explicat: *Romani,* inquit, *olim Imperatores, ut Barbaris ultra flumen Istrum habitantibus transitum præcluderent, universam ripam hujus fluminis propugnaculis vallarunt, non ea quidem ratione extructis, ut ab irruentibus expugnari nequirent, & forent inaccessa: Sed ut ripa fluminis virorum custodia non vacaret, quod tum satis erat ad deterrendos Barbaros, ut caverent ab incursu in Romanos: Posteriore sæculo Attila cum ingenti exercitu ingressus, nullo ferme labore propugnacula evertit, quæ deinde Justinianus reparavit: non quidem qualia prius erant, sed validissima:* Hæc ille. Hæc castra fluminum ripis plerumque imponebantur. Herodianus: *Romanorum castra,* inquit, *imposita fluminum ripis, Imperii limites tuentur.*

In Oriente ultra CCC. præsidia fuere: sed quæ fuerant in Isauria & Libya Notitia prætermittit, quod fortè ea loca tum ab hostibus essent occupata. Verum in his non minus quindenis præsidiis credendum est fuisse. Nulla enim provincia ferè pauciora habuit.

HÆC AUTEM IN TOTO ORIENTE PRÆSIDIA FUERE.

In Ægypto,	31	*Equit.*	1700	*Pedit.*	6500
Isauria,	8			*Pedit.*	2000
Lybia,					
Thebaide,	40	*Equit.*	2500	*Pedit.*	13500
Palestina,	30	*Equit.*	1700	*Pedit.*	6000
Arabia,	21	*Equit.*	1400	*Pedit.*	4000
Phœnicia,	26	*Equit.*	2000	*Pedit.*	4000
Syria & Euphratensi,	18	*Equit.*	1200	*Pedit.*	4000
Osrhoëna,	18	*Equit.*	1500	*Pedit.*	2000
Mesopotamia,	15	*Equit.*	1000	*Pedit.*	3000
Armenia,	25	*Equit.*	1200	*Pedit.*	8000
Scythia,	22	*Equit.*	700	*Pedit.*	9000
Mœsia secunda,	22	*Equit.*	700	*Pedit.*	8000 *Classis I.*
Mœsia prima,	15	*Equit.*	800	*Pedit.*	7000 *Classes II.*
Dacia Ripensi,	23	*Equit.*	900	*Pedit.*	10000
Quæ omnia sunt 314.		*Equit.*	17300.	*Pedit.*	87000.

HÆc sunt quæ *præsidia* in Jure appellantur, *ut in l. in bello. §. manumittendo. ff. de capt. l. non omnes. §. qui captus, ff. de re milit.* in quorum interpretatione Glossa errat, ita etiam D. Hieronymus vocat *de locis Hebraicis.* Ptolemæus *præfecturas,* ubi plerunque legiones statuit. Singuli Comites, aut Duces diversos provinciarum limites tuebantur. Singulis verò oppidis unus præficiebatur, *Præpositus* appellatus. Valentinianus ad Severum Magistrum militum, *in l. 1. C. de divers. offic. Si P. P.* inquit, *significaverit ratiociniis publicis obnoxium, ad præposituram castri, aut limitum,* (ita lego pro *militum*) *transisse retractus adsignetur officio ratiociniis.* Et Leo A. ad Joannem Magistrum officiorum, *in l. 8. C. eo.* ait: *Limitaneos, castrorumque præpositos tantummodo ex sublimis tui judicii sententia conveniri, nec aliis subjacere judicibus præcipimus.* Theodosius ad Salustium Quæstorem, *in l. 1. C. de offic. quæstor. Minoris,* inquit, *Laterculi curam scias ad tuæ sublimitatis sollicitudinem pertinere,* id est, præfecturæ tribunatus, & præpositurae castrorum. Quare emendandum est Diocletiani rescriptum ad Pompejanum P. P. *in l. quamvis 19. C. ad l. Jul. de adult.* ubi pro *proposito* legendum est *Præpositum.* Is *Viator* vocabatur, cujus uxor nomine Materia adulterii accusata, viri præsentiam tempore ferendæ sententiæ postulabat. *Non putavimus,* inquit Diocletianus, *Præpositum ab excubiis limitis revocandum.* De his Præpositis intelligit Modestinus *in l. 3. §. si præsidio, & §. ult. ff. de re milit. Qui,* inquit, *Præpositum suum protegere noluerunt, vel deseruerunt, occiso eo, capite puniantur.* Idem & Arrius Menander dicit *in l. omne delictum. 6. ff. eod.* Hinc castrorum præposituræ apud Theodosium *in l. 1. C. de offic. Quæstor.* & Valentinianum *in l. 1. C. de divers. offic.* quæ à minore laterculo ex scrinio memoriæ prodibant, *in l. 1. C. de off. Quæstor.* Quare Præpositi, & Tribuni codicillos suæ dignitatis inde accipiebant. Horum & Tribunorum munus erat milites in officio continere, ut supra ex Æmilio Macro retuli, *in l. officium 12. § ult. ff. de re militari.* Theodosius quoque *in l. ult. C. de offic. milit. jud.* & Justinianus *in l. 2. §. hac autem. C. de off. P. P. Afric. & Novell. 31. §. pen.* magistratibus militaribus mandant, ut milites nominatim vocent, inquirant, de ipsorum annonis dispiciant, si quod injustè egerint, supplicio afficiant. Horum exemplo, qui in aliqua ecclesia clericis præsunt *Præpositi* sunt nominati, *c. quamvis. 9. de verb. signif. c. innovamus. 60. distin.* Singuli verò Duces unius provinciæ limites tuebantur, quo nomine appellabantur olim universo exercitui Præfecti. Ulpianus *in l. 5 ff. de pactis: Publica,* inquit, *conventio est, quæ fit per pacem, quoties inter se Duces belli quædam paciscuntur.* Idem ait *in l. 2. in princ. de his, qui not. infam. Si Dux cùm exercitui præest, dimissus erit, notatur.* Modestinus *in l. 3. in princ. ff de re milit.*

Desertorem, inquit, *auditum, ad summo Ducem cum elogio Praeses mittet.* Postmodum hoc nomen ad limitum Praefectos transiit. Duces enim appellati sunt Mysiae, vel Galliarum ubi copiis militum praeerant, quod etiam Vitellio imperante fuisse invenio. Tacitus *Hist.* lib. II. cap. XCIV. *Postulantur*, ait, *ad supplicium Asiaticus, Flavius & Ruffinus Duces Galliarum, quod pro Vindice bellassent.* De Ducibus verò limitum ita Lampridius in *Alexandro*: *Quæ de hostibus capta sunt, limitaneis Ducibus, & militibus donavit.* Item: *Tribunis, & Ducibus nisi milites anteire voluit, jussitque, ut ante Tribunum quatuor milites ambularent, antè Ducem sex.* Vopiscus in *Aureliano*: *Assidentibus*, inquit, *Æmilio Saturnino Scythici limitis Duce, Murentio ad Ægyptum destinato, Julio Triphone Orientalis limitis Duce ..... Ulpio Crinito Duce Illyriciani limitis, & Thracii, & Fulvio Bojo Duce Rhetici limitis.* Hactenus ille. Hæ præfecturæ *Ducatus* appellabantur. Spartianus in *Pescennio* Commodi Imp. epistolam his verbis recitat: *Pescennium fortem virum novi, & ei tribunatus jam duos dedi, Ducatum mox dabo.* Capitolinus in *Maximino*: *Quid*, inquit, *tantum laboras, cùm ejus loci jam sis, ut Ducatum possis accipere.* Loquitur autem de Maximino, qui Tribunus legionis ab Alexandro factus fuerat. Hos fuisse etiam Nerone imperante Tranquillus in *eod.* cap. XXXV. insinuat: *Privignum*, inquit, *Ruffum Crispinum Poppæa natum, impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus, & imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit.* Vopiscus in *Aureliano*: *Habuit*, ait, *multos Ducatus, multos tribunatus.* Hinc *Ducianum* judicium, ipsius Ducis sententia vocatur, *in l. pen. C. de appell.* Itaque Ducum limitaneorum origo vetusta, ab antiquioribus Principibus initium trahit. Hi verò limitum Ducatus à Ptolemæo *Præfectura* appellabantur, de quibus intelligit cum provinciarum præfecturas nominat, ut in Cappadocia, Armenia, & aliis: & ita etiam in Jure vocantur, *in d. l. 1. C. de off. Quæst.*

Comitis verò titulo aliqui Duces à Constantino Magno honestati fuere. Nam ut Eusebius lib. IV. c. 1. *de vita Constantini* scribit. Comitum alios in primo ordine collocavit, alios in secundo, alios item in tertio. Atque ista ratione alii propè innumeri clarissimos honores sunt adepti. Nam ut plurimos honoribus afficeret, diversos dignitatum gradus excogitavit. Quos igitur ex limitaneis Ducibus, Comites ordinis primi creavit, *l. uni. C. ne rei milit. l. 1. & 2. C. de Comitibus rei milit.* Comites per provincias appellat, *in l. 3. C. de off. rector. provinc.* Eratque hic gradus, ait Cassiodorus in VI. *Variarum*, aliquando altior Spectabili, sed inferior Illustri: & ideo ii ut Ducibus digniores, ante ipsos collocabantur, qui nunc propter temporum abusum postponuntur.

Comites verò à Principis Comitatu, à quo prodeunt, sunt nominati, quod ipsum soleant comitari. Lampridius in *Alexandro*: *Purgavit & palatium suum, Comitatumque omnem, abjectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis, & infamibus.* Et infrà: *Dicebat gravem esse provincialibus Principis Comitatum.* Marcellinus lib. XVIII. c. VI. *Hortatur, ut ad Comitatum dignitate afficiendus properaret.* Item lib. XXVIII. c. II. *Ad Comitatum reversus iratis Principis sacramento exutus abiit ad lares.* Et iterum cap. V. *Ad Comitatum misère legatos.* Symmachus ad Theodosium A. *Comitatum*, inquit, *sacrum vestri numinis adire jussus est*: Diocletianus Aurelio Archiatro, *in l. 2. C. quib. non obst. long. temp. præscr. Cùm te ob medendi curam à Comitatu nostro discedere non posse palam sit, Præf. Prat. noster inter eos cognoscet*: & sæpè alibi, quorum exemplo *Legati à Latere* nunc Summi Pontificis vocantur, sic olim *Assessores*, Præsidum Comites dicebantur, *l. 4. ff. de off. assess.* & alibi. Hujus Notitiæ tempore in Oriente, duo tantum rei militaris Comites fuère, Ægypti, & Isauriæ. Reliqui Duces sunt dicti, qui erant XIII. Utrique causas militum cognoscebant, & decidebant, *d. l. penult. C. de appell.* utcunque imperium, eandemque per totum provinciæ limitem, ditionem, quam & Tribuni legionum in milites sibi commissos habebant. Qui si Comitis titulo honestabantur, *l. 1. de off. Vicar. l. nemo. C. de assessor. & tit. C. de comit. rei militar.* vice Magistri militum in eos animadvertebant, ut Vegetius lib. II. c. IX. de legionis Præfecto loquens tradit: à Ducum sententiis ad Magistrum officiorum, & Quæstorem palatii appellabatur, *l. penult. C. de appellat.* Notitiæ tempore Duces suos milites legebant, quos posteà Zeno solius principis auctoritate creari voluit, *l. penult. C. de re milit.* *Neminem*, inquit, *in ullo numero equitum, vel peditum, vel in quolibet limite, sine nostri numinis sacra probatoria in posterum sociari concedimus, consuetudine, quæ hactenus tenuit, antiquata, quæ magisteria potestati, vel Ducibus probatorias militum facere, vel militibus adjungere licentiam tribuebat: ut hi tantum in numeris, vel limitibus militent, qui a nostra divinitate probatorias consequuntur.* Hactenus ille.

Ducibus & limitaneis militibus, ut alacrius pugnarent, & quæ tuebantur loca, libentius amarent, captos ex hostibus agros, unde alerentur, primus Alexander Imperator assignavit. Lampridius in *eod.* *Quæ de hostibus*, inquit, *capta sunt, limitaneis Ducibus, & militibus donavit, ita ut eorum ita essent, si heredes eorum militassent, nec unquàm ad privatos pertinerent, dicens attentius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent. Addidit sanè his, & animalia, & servos, ut possent colere, quod acceperant: ne per inopiam hominum vel senectutem possidentium desererentur; rura vicina barbaria: quod turpissimum esse dicebat.* Hæc Lampridius. Hoc institutum Theodosius *in l. fin. C. de fund. limitro.* secutus cavit, ne hi agri à privatis teneri, neve præscribi possint, vel ullo tributo onerari, qualia sunt hodie feuda. Idem Gratianus, & Theodosius Junior *in l. omnes, & l. nulli. C. de fun. patrim.* in fundis per Mesopotamiam, & Osrhoenam, & tractum Orientis, limitaneis militibus assignatis statuere. Itaque hi fundi *Limitotrophi* ab alendis militibus sunt appellati, aliquando *limitanei*, tanquam in limitibus, & finibus Imperii siti, *l. fi. C. de fun. limitotroph. l. 2. §. pro limitaneis, C. de offi P. P. Afr.* Antè Alexandrum verò agri ex hostibus capti sæpè publicabantur, inquit Pomponius, *in l. si captivus. ff. de capti. & postli. revers.* & distrahebantur, quandoque etiam in præmium veteranis adsignabantur, ut in prædiis in Germania trans Rhenum captis factum fuisse, Paulus Jureconsultus scribit, *in l. Lucius, ff. de evict.* in quibus quia certi limites statuebantur, limitati agri appellabantur, *in l. agros, ff. de acq. rer. dom. l. 1. §. 3. & 4. ff de flumin.* Ideo autem ager manucaptus, inquit Florentinus, *in d. l. in agris*, limitatus fuit, ut sciretur, quid cuique datum esset, quantum venisset, quid in publico relictum, Aggenus Urbicus, Frontinus *de Limitibus*, Alciatus l. 1. *Parer.* c. XVIII. lib. *prætermiss.* in ver. limitati. Hi Duces non, ut alii magistratus, ad tempus, sed in perpetuum creabantur: Procopius lib. III. *de ædif. Justin.* *Locum*, inquit, *nomine Artaleson muro munitissimo cingens, præsidium inexpugnabile ibi ordinavit, militaresq; constituit cohortes, quibus Principem perpetuò futurum definivit, quem Romani* Ducem *Latina voce appellant.* Sed & prædia illis in limitibus in perpetuum colenda tradita, eos perpetuos fuisse arguunt. Rufas tunicas, & alia ornamenta à Vopisco in *Aurel.* descripta gestabant: *Cape*, ait, *tunicas Ducales rufas* qua-

quatuor, &c. Et Pollio in *Claudio*: *Balteum argenteum, aut inauratum, annulum bigemmem, brachialem torquem, cassidem inauratam, scutum auro illitum, fibulam auream, latum clavum, tunicam purpuream, &c.*

Illis discumbentibus retro consistere equites mos erat, inquit Procopius lib. II. *de bello Vanda.* ad fi. nec ullis quam Ducibus secum armatos ducere fas erat. Amplæ iisdem annonæ dabantur, quæ in epistola Valeriani à Pollione in *Claudio* referuntur, cui Valerianus jubet tantum dari quantum Ducibus: *Huic*, inquit, *salarium de nostro privato ærario dabis,*

Frumenti annuos modios	3000.
Hordei	6000.
Laridi libras	2000.
Vini veteris sextarios	3500.
Olei boni sextarios	150.
Olei secundi sextarios	600.
Salis modios	20.
Ceræ pondo	150.
Argenti in opere annua pondo	50.
Philippeos annuos	150.
In strenis	47.
Trientes	160.
Tunicas russas militares annuas	2.
Sagochlamydes annuas	2.
Fibulas argenteas inauratas	2.
Fibulam Cypriam auream	1.
Baltheum argenteum inauratum	1.
Cassidem inauratam	1.
Scuta chrysographata	2.
Loricam quam refundat	1.
Albam subsericam cum purpura succubitana	1.
Subarmalem cum purpura Maura	1.
Ligni quotidiani pondo	1000.
Accubitalium Cypriorum paria	2.
Pellium tentoriorum decurias	30.
Mulos annuos	6.
Equos annuos	3.
Camelos annuos	10.
Mulas annuas	9.

Vestes, servos, & alia quæ non recenseo.

Fœni, paleæ, aceti, oleris, herbarum, quantum satis est.

BALTHEO præcipuè sive cingulo Duces conspicui erant, id enim eorum erat, & militum insigne: D. Ambrosius *Sermone* XIV. *Duces*, inquit, *& Principes omnes etiam militantes accuratè sericis vestibus accincti, operosis cingulis, auro fulgente preciosis ambiunt solito nitidius in conspectu Regis incedere.* Hæc ille. Demum Julianus Apostata his quinquaginta libras argenti, seu quaternos aureos pro singula libra addidit, *l. secundum, l. pro singulis. C. Th. de cohort.* quæ summa cc. solidos colligebat. Sed his Duces non contenti, etiam militum annonas usurpabant. Quare Theodosius Junior earum duodecimam inter ipsos, & Præpositos castrorum dividendam cùm abusum tollere non posset illis coactus est relinquere, *l. ult. C. de offic. milit. jud.* Cæterum Ducibus pro præfatis annonis annua pecunia est constituta, *l. 1. C. de annonis & capitatio.*

In provinciam sibi decretam proficiscentes Duces veredis cursus publici uti poterant, *l. nemo. C. de cursu publ.* postea cùm iter faciebant, suis jumentis utebantur. Justinianus cxc. annonas, & CLVIII. capitationes, id est, impensas pro CLVIII. equis, ut Marcellinus interpretatur, singulis quinque Ducibus Africæ assignavit, ac solidos quinque pro singula annona, & quatuor pro capitatione taxavit, *l. 2. §. & hac Notitia. C. de offic. P. P. Afric.* colligebat ea summa solidos MDLXXXII. monetæ ejus temporis, nostræ essent plus minus aurei MMCC. pro codicillis magistratus Duces in Laterculo ma-

A jore Primicerio Notariorum solvebant solidos VI. Magistro militum pro insinuandis literis magistratus solidos XII. officio P.P. Africæ ob eandem causam solidos XII. *l. 2. C. de offic. P. P. Afric. in Notitia.* eodem Justiniano imperante, Duces quoddam vexillum gestabant, quo ab aliis dignoscerentur, Procopius lib. II. *de bello Vandali. Aigan*, inquit, *omnium animosissimus inter ordines Ducis ferre signum consuevit, quem* bandophorum *Romani vocant.*

Duces spectabiles erant, *l. pen. C. de appella. l. viros, C. de div. offic. l. 2. §. ea verò, C. de off. P. P. Afric.* & licet Justinianus quandoque eos clarissimos vocet, *in d. l. 2. C. de off. P. P. Afr.* ipsos dignitate Se-B natoria cumulat, quo etsi inferiore titulo magis honestabantur: Comites quoque Spectabiles dicebantur, *l. 1. C. de privileg. schol. l. fi. C. de silentiar. l. 3. C. de off. magi. offic.* etsi aliquanto Ducibus digniores.

Hi eorumque officia, & castrorum Præpositi, non à Magistris militum, sed officiorum judicabantur, *l. viros, C. de divers. offic.* nisi consuetudo aliter se habuisset, ut in Orientis, Illyrici, Thraciarumque limitibus, ubi sub Magistris militum conveniebantur, *l. cura. & l. ult. C. de off. Magist. officio.* At in Occidente Limitanei Duces, Comitesque Magistro militum Præsentali paruerunt, quod & in Italia post eversum Occidentis Romanum Imperium à Justinia-C no recepta, usque ad Longinum Justini secundi Præfectum est observatum. Is Exarchatus sede Ravennæ posita, non provinciis, ut antea, sed singulis oppidis Duces præfecit, quod per multos annos obtinuit, inquit Blondus lib. VIII. 1. *decad.* Unde Narniensis, Spoletanus, atque adeo Romanus, dicti sunt Ducatus. Hujus exemplo Longobardi Clephis Regis tyrannidem exosi, eo extincto, triginta Duces creaverunt, qui in singulis urbibus imperabant: Sed & Germani Principes oppidorum, quæ in feudum concedebant, *Comites* dixerunt: In limitibus verò constitutos *Marchiones.* Hæc vox eorum linguâ limitum Præfectos significat: *march* enim ipsi D limitem vocant: quibus verò XII. Comitatus subjiciebant, *Duces* appellarunt, ut ex Gregorio Turonensi, & Aimone colligitur. Itaque minores Ducibus facti sunt Comites, qui prius præcellebant. Hinc hodierni Duces, & Comites descendunt. At plerisque in locis hodie singulæ civitates suos Duces habuêre.

Ad Ducem ita Princeps scribebat, EXPERIENTIA TVA, aut LAVDABILITAS. Sic Arcadius & Honorius Aristheum Arabiæ Ducem appellant, *in l. 57. C. Th. de curs. publ.* vel GRAVITAS VESTRA *l. 4. C. Th. de cohortalib.* Innocentius III. Duci Carinthiæ scribens ait, NOBILITAS TVA, *C. venerabilem, de ele-E cto.* Officiales Comitum & Ducum judicio Principis creabantur, officii enim codicillos ex scrinio libellorum accipiebant. Hæc exemplaria, & probatoriæ appellabantur, quoniam primo à Principe, deinde Comite aut Duce, cui inserviebant, subscribebantur, & in officio conservabantur, *d. l. ult. §. fi. C. de divers. offic.* Nos de his dicturi Notitiæ ordine observato, prius de Comitibus, deinde de Ducibus dicemus, in quibus etiam loca præsidiorum, quamquam plurimum obscura, pro viribus explicare conabimur. A Comite igitur Ægypti auspicabimur.

CAP. CXLI.

F

DE COMITE LIMITIS ÆGYPTI.

NONDUM inventis Comitibus in limitibus Ægypti, prius Dux fuit, Vopiscus enim Murentium, ad limitem Ægyptium Ducem à Valeriano destinatum fuisse in *Aureliano* memorat, nec inter multos Duces, quorum meminit, unquam

Comitem nominat. Spartianus quoque sub Gallieno Æmilianum Ægypti Ducem fuisse scribit, in *Æmiliano*. Pollio Probatum sub Claudio, in *Claudio*, & Ammianus imperante Constantio Artemium Ducem Ægypti extitisse dicit lib. XXII. cap. XI. item Valentinianus Victori Duci Ægypti scribit, *in l. 5. C. Theod. de legat.* cui eodem titulo Pusæus præfuit, ut auctor est Marcellinus lib. XXIV. cap. I. Verùm hic Dux Comitis quidem dignitate est auctus, sed potestate diminutus. Cùm enim universis Ægypti militibus præesset, aliis duobus Libyæ & Thebaidis Ducibus factis earum ditiones amisit. Id Gratiano imperante factum fuisse videtur, sub quo Romanus Comes Ægypti fuisse invenitur, *in l. 11. C. Th. de pagan.* & post eum sub Arcadio Heraclion, *l. 3. C. de patrocin. vico.* Duo verò tantùm in Oriente Comites rei militaris fuêre, alter Ægypti, alter Isauriæ, quod usque ad Notitiæ tempus permansit. Postmodum Leo Imper. B tres alios Comites addidit, *in l. ult. ad fi. C. de diversis offic.* Pamphyliæ, Lycaoniæ, & Pisidiæ. Cùm jam Occidentis Imperium cecidisset, Limitis Ægypti Comes supra Libyam, ubi est Memphis, & Oasis minor, militum copiis imperabat. Augustus tres legiones ibi, quasque suis locis collocavit: Strabo enim qui tum scripsit, lib. XVII. loquens de Ægypto: *Sunt*, inquit, *tres militum legiones, quarum una circa urbem Alexandriæ sedet, aliæ in reliqua sunt regione.* Præter has novem cohortes Romanorum, tres in eadem urbe, tres in finibus Æthiopiæ præsidio circa Syenem, reliquæ in cætera regione sunt collocatæ.

B Erant & tres equitum turmæ, per loca opportuna eodem modo dispositæ. Sed tempore hujus Notitiæ quatuor legiones, alæ equitum XVI. cunei II. cohortes peditum IX. Ægyptum tuebantur, de quibus infrà dicetur.

NOTITIA.


COMES LIMITIS ÆGYPTI

CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis, Comitis rei militaris per Ægyptum.


Legio quinta Macedonica Memphi.
Legio tertiadecima gemina Babylonia.
Equites Stablesiani Pelusio.
Equites Saraceni Thamudeni Scenis veteranorum.
C Legio tertia Diocletiana Thebaidos Andro,
Legio secunda Trajana Parembolæ.
Ala Theodosiana nuper constituta.
Ala Arcadiana nuper constituta.
Ala secunda Armeniorum Oasi minore.

Et quæ de minore Laterculo emittuntur.

Ala tertia Arabum Thenenuti.
Ala octava Vandalorum Neæ.
Ala septima Sarmatarum, Scenis Mandrorum.

Ala

Ala prima Ægyptiorum Sellæ.
Ala veterana rafa Gallorum Rinocoruræ.
Ala prima Herculia Scenis extrage rafa.
Ala quinta Retorum Scenis veteranorum.
Ala prima Tingitana Thinunepsi.
Ala Apriana Hippone.
Ala fecunda Affyriorum Softeos.
Ala quinta prælectorum Dionyfiade.
Cohors tertia Galatarum Cefro.
Cohors fecunda Aftarum Bufiri.

Provinciæ Auguftanicæ.

Ala fecunda Ulpia Afrorum Thaubafteos.
Ala fecunda Ægyptiorum Tacafiri.
Cohors prima Sagittariorum Naithu.
Cohors prima Augufta Pannoniorum Tohu.
Cohors prima Epireorum Caftris Judæorum.
Cohors quarta Juthungorum Aphrodito.
Cohors fecunda Itureorum Aiy.
Cohors fecunda Thracum Mufon.
Cohors quarta Numidarum Narmunthi.
Officium autem habet ita:
Principem de fchola Agentium in rebus Ducenarium, qui adorata clementia principali cum infignibus exit.
Numerarios.
Commentarienfem.
Adjutorem.
A libellis, five Subfcribendarium.
Exceptores, & cæteros Officiales.

COMMENTARIVM.

INSIGNIA habebat *abacum rubro tapeto & furrecto inftratum, quo liber utebatur*; in *cujus viridi tegumento, fequentes notæ fcripta erant*, F. L. I. N. T. A. LL. CO. M. ORO. PR. quas ita interpretor: *Fœlix liber injunctus Notariis Tribunis a Laterculo continens mandata ordine Primicerii.* Hæ notæ in tergo mandatorum aliorum Comitum, & Ducum cernuntur. In manufcriptis, libro auro tecto, apud hunc Comitem, & fequentes limitaneos Duces inhærent codicilli, qui in impreffio hic, ut puto, per errorem defunt. Hujus Comitis & fequentis purpureum eft tapetum, qui color Comitum dignitati tribuitur. Duces Orientis, librum fine abaco, & tapeto præferunt, & in hoc à Comitibus differunt.

Novem hujus Comitis *munitiones* oftenduntur, cum *duabus pyramidibus*, quæ à Numeris à majore Laterculo prodeuntibus defendebantur, *eas interfluit Nilus*: in ima parte *ambulat Pardus*, aut Panthera, in ea regione frequens. Alia XXII. oppida ex minore Laterculo emiffæ copiæ tuebantur, quorum nulla apparent veftigia, vel imago, quod fortè brevi charta nequiverunt comprehendi. Univerfa hæc defendebant equitum turmæ duæ, alæ XVI. legiones II. cohortes IX. poterant omnes effe equites circiter 1700. pedites 6500. Nam, ut ait Conftantinus Porphyrogenneta, agmina in præfecturas dividebantur, quarum aliæ mille, aliæ quingentis capitibus conftabant. *Officium hic Comes habebat Principem de fchola Agentium in rebus Ducenarium, qui adorata clementia principali cum infignibus exibat*: interpretor tranfacto biennio, imò hæc verba addenda cenfeo, ex officio Proconfulis Achaiæ, & Vicarii Ponticæ. Hujus officii Principis infigne erat cingulum, quod etiam Apparitoribus Magiftrorum militum tanquam militibus & quibufdam aliis dabatur, *l. ult. C. de apparitor. Magift. milit.* Hic caufas militum ad Comitem introducebat, & ut alii Principes officiorum exequebatur.

Habebat præterea Ægypti Comes, *Numerarios, Commentarienfem, Adjutorem, A libellis, feu Subfcribendarium, Exceptores, & cæteros Officiales*, quemadmodum Magiftri militum, quos apud eos fumus interpretati, ubi monuimus Numerarios Comitum, *Actuarios* à Gratiano appellari, *in l. 3. in fin. C de diverf. offic.* Scribis ab actis carebat, quibus nullus militum Præfectus utebatur: Qui enim inftrumentis, aut aliis actibus, auctoritatem addere volebant, provinciarum Rectores non militares judices adibant. Prædicti Apparitores codicillis à Libellenfibus Principis fcriptis, & ab eo, Comiteque fubfcriptis probabantur, *l. ult. C. de diverf. offic.*

Legiones, Cohortefque, & Equitum, quas hic Comes regebat, alæ erant fequentes:

LEGIO QVINTA MACEDONICA Memphi locata, quam olim in Macedonia ab Augufto conftitutam Dion lib. LV. teftatur. Hæc poftea fuit una ex IX. Legionibus Comitatenfibus Magiftri militum per Orientem. Unde conftat Comites, & Duces limitum, militibus Magiftrorum ufos, fed & alios ex minore Laterculo Magiftris minimè fubditos habuere. Hæc legio per plura oppida difperfa fuit. Pars enim Comiti Ægypti, pars Duci Daciæ Ripenfis obtemperabat, & quinque in locis excubabat, ut infra dicetur.

Memphis Regum Ægypti regia fuerat, ubi nunc creditur effe Cairum, *Moph*, & *Migdol* Hebræis dicitur caput, eft Heptapolis Arcadiæ. Quadraginta ftadiis ab hac urbe eft collis, in quo multæ pyramides, & regum fepulturæ erant: Earum tres eximiæ magnitudinis, fed duæ præcipuè inter orbis fpectacula numerabantur, fingulæ altitudine ftadii, figura quadrata, & latitudine paulo minore: In fummo erat infignis & turbinatus lapis: unde per cochleares fcalas ad regis fepulchrum ibatur, quemadmodum Strabo, Diodorus, & alii tradunt: Hæ funt duæ pyramides, quæ in Comitis infignibus, fub Memphi defcribuntur. Ipfum oppidum fupra tectum purpureum ftatuam dextra haftam tenentem, & levam lateri admotam habet: Quem Principem Martis habitu effe credo. In codice Urfini, in fummo haftæ, præfixa tabella, viri imaginem continet.

LEGIO XIII. GEMINA BABYLONIÆ infidet: hanc olim in Dacia fuiffe Dion fcribit, quæ inter hunc Comitem, & Ducem Daciæ Ripenfis divifa, partim in Ægypto, partim in Dacia militabat. Babylonia autem oppidum erat Ægypti, quod Cambyfes in Ægyptum proficifcens condidit, alii *Babylim* vocant, ubi legio degebat. Jofephus *Letufpolim* antea dictum affirmat, l. II. *Antiq.* c. XIII. fupra hujus turrim ab alto ftipite, pro infigni crux cordi infixa exibat: fignificabat, eam cordi militibus, & Principi inhærere. In manufcripto Urfini, loco cordis pila videtur, orbis typus, & portendit, crucem orbi dominari.

EQVITES STABLESIANI Pelufii degebant: erat hoc unum ex feptem oftiis Nili, cum oppido munitiffimo, ubi nunc eft Damiata, *clavem Ægypti* vocat Suidas. D. Hieronymus in XXX. *Ezech. Robur*, inquit, *appellatur Ægypti Pelufium, quia portum habet munitiffimum, negotiationes maris maximè ibi exercebantur*: & fubdit, *Virgilium in I. Georgicorum dixiffe*,

Nec Pelufiacæ curam afpernabere lentis.

Non quòd ibi præcipuè lens nafceretur, fed quia ex Thebaide & aliis locis Ægypti per Nilum eò plurima defe-

deferebatur. Septuaginta verò Interpretes, eo in loco Diospolim, & Memphim pro Pelusio posuisse: Hæc D. Hieronymus. Olim *Æliopolim* ab Ælio Principe, qui eam triplici muro circumdedit, dictam putat Sabellicus. Hanc urbem in Augustanica Marcellinus lib. XXII. cap. XVI. locat: *In Augustanica*, ait, *Pelusium oppidum est nobile, quod Peleus Achillis pater dicitur condidisse, lustrari Deorum monitu jussus, in lacu, qui ejusdem civitatis alluit mœnia, cum post interfectum fratrem, nomine Phocum, horrendis furiarum imaginibus raptaretur, & Cassium, ubi sepulchrum Pompeji est magni, & Ostracina, & Rhinocorura*: Hæc ille. In hoc oppido pro insigni stat longo stipite præfixum caput albæ aquilæ, cum pectore implumi sine alis: B per eam forte Nilus significatur, qui etiam vocatur aquila, ut tradit Pierius lib. XIX. *Hieroglyphicorum*. In manuscriptis aquila est cœrulei coloris, qui aquæ convenit, sine alis est & implumis, ne Imperii aquila crederetur, vel ad denotandam Ægypti antiquitatem: Aquila enim cum valde senuerit, plumas ac pennas toto corpore amittit, ut ajunt D. Ambrosius *Sermo*. LIV. & D Gregorius *Homil*. XVIII. *in Ezechiel*. Ægyptii verò se omnium populorum vetustiores asserebant, ut refert ex Trogo Justinus, & in primis Pelusium omnium se prætendebat antiquissimum. Possumus etiam interpretari Imperium à Barbaris devastatum, esse renovandum. Legitur enim in *Psal-* C *mo* CIII. vers. V. *Renovabitur ut aquila juventus tua*. D. Hieronymus ait, aquilam senio confectam, pennis valde gravari, quas aquâ aspersas rejicit, tum calore intra se collecto, primum oculos sanari, mox in juventutem redire. Eucherius quid simile narrat. STABLESIANI à loco unde orti, sunt dicti, fortè legendum STABALIANI, qui fuere Galliæ populi. Hi erant ex X Vexillationibus Comitatensibus Magistri militum per Orientem.

EQVITES SARACENI Thamudæni Scenis veteranorum morabantur. Hi equites sunt ex Arabia Fœlici: unde ortus est impius Mahumetes. Ab Ismaële & Agar descendunt, & ideo proprie *Agare-* D *ni* vocantur: Sed à Sara se *Saracenos* vocant, a qua volunt videri venire, ut ait D. Hieronymus in XXV. *Ezech Thamudeni*, à Thamuda Nabathæorum sunt dicti, quam Arabiæ proximam fuisse Stephanus scribit: inter eos Saraceni habitabant, unde hi equites sunt delecti, sub Duce Palæstinæ alii equites Thamudæni militabant. Scena verò est oppidum Arabiæ Ptolemæo, inter Pelusium & Memphim, auctore Itinerario: à quo vocata est Scenitis regio, cujus incolæ erant Saraceni. Marcellinus lib. XXIII. cap. VI. scribit Scenitas Arabes, Saracenos à posteritate appellatos. Scenæ autem Latinè sunt tentoria, inquit D. Hieronymus *de locis Hebraicis*. Et Scenitas Ara- E bes ab usu tentoriorum dictos lib. I. Zosimus memorat. Veteranis autem ibi degentibus, hoc oppidum veteranorum est nuncupatum, qui fortè à Vetera oppido apud Rhenum, Tacitus lib. I. *Annal.* sunt appellati. Erant & castra, quibus *veterum* nomen erat, ut Tacitus refert *Hist.* lib. IV. à quibus Veterani nominari potuerunt. Thamuda est locus, in quo Jacob regressus de Mesopotamia habitavit, & lingua Hebraica appellatur *Sichot*. Hic etiam ala equitum quinta Retorum dicta degebat, ut infra dicetur. Supra hoc oppidum pro insigni erat aurea aquila, hastæ altæ præfixa, & tabulæ inclusa, alas expandens: F Hoc legionis signum Imperium Roman. referebat. In manuscripto viridis aquila tabulæ insidet: Hi equites sub aliquo Magistro militum non leguntur.

LEGIO TERTIA DIOCLETIANA THEBAIDOS in Andro oppido commorabatur, quod est in ea Ægypti parte, quæ Delta vocatur, & dicitur Andron, quasi virorum civitas, ut Ptolemæi interpres autumat.

A Hujus loci & Itinerarium meminit, in quo erat mansio. Supra supercilium templi pro insigni hujus loci stat statua, dextra hastam tenens, quemadmodum erat & Memphi. Hæc verò est una ex legionibus XXI. Magistri militum per Thracias, quæ Tertia Diocletiana Thebæorum vocatur, seu Thebaidis, unde à Diocletiano est conscripta. Hanc legionem divisam fuisse oportet, quia etiam sub Duce Thebaidis reperitur.

LEGIO SECVNDA PAREMBOLÆ insidebat: hujus meminit etiam Itinerarium, Latinè dicitur *castrametatio*, aut *castra* seu *tentoria*. est fortè locus Aendor, ubi D. Hieronymus *de locis Hebr.* ait, filios B Israël se ad prælium præparantes castra posuisse: *Est hodie*, inquit, *grandis vicus Aendor juxta montem Tabor, ad Meridiem in quarto milliario*. Josephus in Galaditide ponit. Supra hujus munitionis pinnaculum, stant duo viri, sese invicem complectentes. Hi sunt utriusque Romani Imperii Principes inter se concordes. In Ursini codice, capita tollunt extra tabulam, cui sunt infixi. Hanc legionem secundam Trajanam esse puto, à Trajano institutam, quam in Ægypto collocatam Dion lib. LV. scribit. Hæc etiam sub Duce Thebaidis reperitur: unde eam divisam necesse est fuisse, & raro hic legiones integræ reperiuntur. Plures secundæ legiones C sub Magistro militum per Orientem sine cognomine merebant, sed non apparet quæ fuerint.

ALA THEODOSIANA, nuper constituta, una ex quatuor Vexillationibus Comitatensibus Magistri militum per Thracias, cui tanquam novæ fortè certus locus nondum erat assignatus, *Theodosiana* à Theodosio Juniore ejus auctore est denominata. Unde arguitur hanc Notitiam eo imperante scriptam fuisse, quia alæ nuper ab ipso constitutæ meminit: sequens quoque *Arcadiana* nuper constituta fuisse dicitur, non ab Arcadio, sed in Arcadia contracta, aut in memoriam Arcadii denominata. Hic in alta columna pro insigni est, vir dextrâ hastam tenens, & D ipsum Theodosium Principem referri puto. In Ursini codice vir extra tabulam cui inhæret, caput emittit. In Madruciano dextrâ clypeum tenet, læva hasta nititur.

ALA ARCADIANA nuper constituta, una Vexillationum Comitatensium Magistri militum per Orientem. *Arcadiana* dicta est ab Arcadia Ægypti oppido, quod tuebatur. *Est autem Arcadia*, inquit Stephanus, *civitas Ægypti, una ex tribus, quæ sunt in Amorgo insula, quæ olim erant Melania, Minoe, Arsenice.* Hanc oportet fuisse Nili insulam, non eam, quæ est una hujus nominis ex Sporadibus. Supra oppidum ubi hæc ala morabatur est inscri- E ptum, ARCADIANI. In vertice tecti purpurei est, vir indicem sinistræ manus attolens, qui est Princeps Orientalis hostibus minitans, prout etiam alibi reperitur.

ALA SECVNDA ARMENIORVM in Oasi minore degebat non longe à Mareotide palude, Marmaricam versus; *Auasim* Stephanus appellat, similem esse dicens Pardi pelli, maculosam enim videri ob raras ædes in deserto & aquoso sitas; ita hujusmodi loca Ægyptii *Auases* vocant. Duæ verò urbes Oases vocantur, quarum altera magna Oasis dicitur, non longè ab Abydo, in quam deportabantur delinquentes, *l. relegatorum 7. §. & quoddam. ff. de interd. & re-* F *leg. l. fina. C. de pæn. l. 1. C. T. de Nili agger. non rump.* Huc in exilium à Constantio missus est magnus Athanasius, & à Theodosio Nestorius, & ab Arcadio Timasius Magister militum. Zosimus lib. V. cap. IX. *Timasius*, inquit, *relegatus in Oasim cum publico satellitio deducebatur. Is erat locus insigniter sterilis, è quo nemo posset evadere, qui eò deportaretur.*

Nam

Nam terra in medio arenosa vasta prorsus & inhabitata, notitiam tendentibus huc omnem adimit: partim quod venti arenâ vestigia compleant, & aboleant, partim quod nec arbor ulla, nec domicilium sit, qua indicium aliquod iter facientibus ad conjecturam relinquere possit. Hæc ille. Zonaras quoque in *Theodosio Juniore* hoc oppidum à ventis agitari scribit. Alii à culicibus & muscis nimium infestari. Quare olim prohibitum fuit, *in d. l. fi. Græcè scripta. C. de pœnis.* ne quis, præter Præfectum Augustalem, vel Ducem Ægypti reos in Gypsum, vel Oasim deportaret, nec ultra sex menses vel annum ibi esse possent deportati. Hoc oppidum cum præsidio munitum fuit. Alia Oasis minor à Ptolemæo vocatur, de qua hic intelligitur, Nicephorus lib. XIV. c. XXXV. XXXVI. & lib. SX. c. XXIX. super cujus supercilio sedet Aquila signum Imperii; alas in Ursini codice supra tabulam extendit. Hæc ala est una Vexillationum palatinarum Magistri militum Præsentalis, qui comites sagittarii Armeni vocabantur. Omnes autem supradictæ, tam equitum, quàm peditum copiæ, ex majore Laterculo prodeuntes Magistris militum parebant, & in præscriptis novem oppidis excubabant: Sequentes verò, quæ de minore Laterculo proveniebant, eorum imperio non suberant. Oppida, in quibus degebant, neque sub hoc, neque aliis Ducibus, exceptis paucis Mesopotamiæ, depicta sparent; quæ vel ad evitandum laborem tot munitiones describendi, prætermissa fuere, vel quod plura oppida simul unâ chartâ non possent comprehendi, satisque visum fuit ad præsidiorum cognitionem, eorum partem ostendisse.

DE ALIS, QVÆ DE MINORE *Laterculo emittuntur.*

DVPLEX fuisse Laterculum, supra diximus, majus & minus, illud omnes magistratus civiles & militares cum eorum copiis, præter limitaneos, continebat, hoc verò Præfectos, Tribunos, & Præpositos castrorum limitum, *l. 1. C. de offi. Quæstor.* à Notariisque in scrinio memoriæ sub Quæstoris dispositione tractabatur, *toto tit. C. de offi. Quæsto. l. 3. in fi. C. de agen. in reb.* qui *Laterculenses* vocabantur, *l. 5. in fin. C. qui milit. poss. l. comperimus. l. ult. C. de proxim. sacr. scrin.* in gradus antiquioribus illius scrinii tantùm dabatur. Itaque non vexillationes, aut cunei equitum, vel legiones, aut auxilia, sed alæ tantùm equitum, & cohortes ad limites Imperii destinatæ, ex illo prodibant, nec à Magistris militum, sed à Principe probabantur, solumque Magistrum officiorum judicem habebant, *l. varias C. de divers. off.* In Occidente verò omnes hæ alæ, & cohortes ex majore Laterculo emittuntur. Dictæ autem sunt *alæ*, quia instar avium alarum peditum legiones tegebant, continebantque equites DCLXXXVI. secundum alios DCCXXXII. Veget. lib. II. c. VI. Itaque suis legionibus, cum opus erat, adjungebantur. unde Itinerarium in Germania secunda alas legionum VI. VII. VIII. IX. & X. locatas fuisse scribit. Cunei vero equites absque legione intelliguntur. In minore ergo Laterculo alæ quas suas cohortes tuebantur, singulæ erant equitum numero LVI. aut summum LXVI. ut Vegetius tradit loco cit. Harum Duces Præfecti vocabantur, ad quod munus Augustus adolescentes Senatorum filios eligebat. Tranquillus in *Augusto* cap. XXXVIII. *Liberis,* inquit, *Senatorum, quo celerius Respub. assuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & curiæ interesse permisit, militiamque auspicantibus, non tribunatum modo legionum, sed & præfecturas alarum dedit. Ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlavios præposuit singulis alis.* Ex his verbis constat pluris fuisse alæ quàm legioni Tribunum præfici.

In totius verò Orientis minore Laterculo summatim continebantur alæ LXVI. cohortes LIX. hoc modo.

In Ægypto	alæ	XIII.
Thebaide	alæ	XV.
Palæstina	alæ	VI.
Arabia	alæ	VI.
Phœnicia	alæ	VII.
Syria	alæ	II.
Osrhoena	alæ	VI.
Mesopotamia	alæ	III.
Armenia	alæ	VIII.
Omnes alæ		LXVI.
Cohortes Ægypti		IX.
Cohortes Thebaidis		X.
Cohortes Palæstinæ		XI.
Cohortes Arabiæ		V.
Cohortes Phœniciæ		V.
Cohortes Syriæ		IV.
Cohortes Osrhoenæ		II.
Cohortes Mesopotamiæ		III.
Cohortes Armeniæ		X.
Cohortes		LIX.

Alæ Comitis Ægypti, quæ de minore Laterculo emittebantur, erant sequentes.

I. ALA TERTIA ARABVM degebat Thenenuthi.

II. ALA OCTAVA VANDALORVM habitabat Neæ. Hæc urbs est Ægypti in Thebaide prope Chemmim oppidum, ait Herodotus in *Euterpe.* Jornandes Deuxippi historiographi auctoritate scribit, Vandalos ab Oceano ad limites Danubii vix anni spacio pervenisse, præ nimia terrarum immensitate: Eos verò Gebericus Rex Gothorum profligavit. Quare reliqui pauci Vandali superstites Pannoniam à Constantino Imp. obtinuerunt, ubi per annos plus minus XL. ut incolæ quieverunt. Longo vero post tempore à Stilicone invitati, Gallias, mox Hispaniam, ac demum Africam occuparunt. Ex his hæc ala est collecta.

III. ALA SEPTIMA SARMATARVM morabatur Scenis Mandrorum: *Scenas Mandras* appellat Itinerarium, Latinè tentorium est, D. Hieronymus *de locis Hebraicis.* Id oppidum est Ægypti inter Babylonem & Aphroditopolim. Mons etiam fuit Antiochiæ Syriæ à civitate XXX. stadiis distans, in cujus summo Simeon Stylites templum in crucis formam ædificavit. *Mandra* significat speluncam. Sarmatæ à Vespasiano contra Vitellium fuerunt acciti. Tacitus *Hist.* lib. III. cap. V. *At ne,* inquit, *inermes provinciæ barbaris nationibus exponerentur, Principes Sarmatarum Jazigum, penes quos civitatis regimen, in commilitium acciti.*

IV. ALA ÆGYPTIORVM excubabat Sellæ: fortasse legendum *Sylla*, quæ distat Pelusio millibus passuum XXIV.

V. ALA VETERANA RASA. Gallorum Rinocoruræ. Itinerarium, Josephus, Epiphanius in *Panar. hæres.* LXVI. *contra Manichæos*, Martyrologium XVII. *Kal. Feb. Rinocoruram* appellant, olim *Noel* dictam fuisse testatur Epiphanius à Sortibus, quibus Noe terram in tres filios divisit. Marcellinus lib. XXII. cap. XVI. eam cum Pelusio in Augustanica locat. Alia est ejusdem nominis in Syria, de qua Strabo lib. XVI. & Josephus lib. *Antiq. Jud.* XIII. cap. XXI. Hæc est ultra montem Cassium ab Ostracina distans millibus passuum XXIIII. olim ab equitibus Ægypti condita, quos Rex naribus truncaverat, unde nomen urbi inditum; *Rinas* enim Græci *nares* vocant. *Komeglu truncationem.* Diodorus lib. I. cap. LX. *Actisanus,* inquit, *Æthiopum Rex, occupata*

Ægypto,

Ægypto, latrocinia novo more compescuit, sontes neque morte plectens, neque linquens impunitos, eorumque judicio constituto, convictos omnes in unum coactos inits supplicio affecit; Amputatis enim naribus in ultima deserti ire compulit, ibique civitatem condidit, sub excisis naribus Rhinocoruram *appellatam: ea in Ægypti, Arabiaque finibus haud procul à mari sita, omnibus vitæ commodis caret. Nam omnis vicina regio salsa est, & intra mœnia unicus puteus, atque is inutilis, utpote aqua gustu amara.* Hæc Diodorus. Stephanus verò ait, quod ejus loci homines summas nares sibi amputare consuevissent. D. Hieronymus *de locis Hebraicis*: *Rhinocorura*, inquit, *civitas est Ægypti, cujus meminit Esaias cap.* XIX. *Sciendum autem, quod hoc vocabulum in libris Hebraicis non habetur, sed a septuaginta Interpretibus propter notitiam loci additum est.* Hæc ille. Madrucianus codex habet *Rhinocorisna*, mendosè. *Veterana* hæc ala est appellata à veterum castris, de quibus supra in equitibus Saracenis. Aliam in Gallia Belgica Tacitus lib. *Hist.* IV. ponit. Rasa verò in Mesopotamia est oppidum, unde hæc ala posset esse deducta, vel à loco, ubi diu steterat, est appellata, sed in manuscriptis deest Rasa, ut puto rectè, quia hinc longè distat; unde per errorem hic transpositam fuisse suspicor, & hanc dictionem adjungendam syllabæ *Ge*, loci sequentis; ubi legendum, *Gerasa*.

VI. ALA PRIMA HERCVLEA habitabat Scenis extra Ge. Prima tantum hujus vocis dictio apparet in Codice impresso, sed manuscriptus Ursini habet GERASA, Madrucianus, EXTRA GERASA, alter vetustus, SEXTA GERASA, quæ civitas est Syriæ curvæ Ptolemæo, Josephus *Gesaram* vocat, Plinius *Gelasam*. Stephanus, *Gerasa*, inquit, *Syriæ Cœles civitas, una ex* XIV. *unde Ariston Rhetor, & Cerasiens Sophista, & Platonomicus Rhetor*. D. Hieronymus *de locis Hebr.* *Gerasa*, ait, *urbs insignis Arabiæ*: Quidam ipsam esse Gadaram existimant, aliqui codices habent, *Scenis sexta Gerasa*, ut scribit Ortelius. Epiphanius *hæres.* L. *contra Tessarescad.* memorat in Gerasa Arabiæ aquæ fontem in vinum versum eâ horâ, quâ Dominus in Cana Galilææ aquam in vinum vertit: sed & Plinius lib. II. c. CIII. in Andro insula fontem Nonis Januariis semper vini sapore fluere ex Mutiano ter Cos. tradit: is uno die aberrat, quo Dominus id miraculum edidit. Gerasæ Dominus à Dæmonio retentum curavit. eam D. Lucas cap. VIII. vers. XXVI. esse contra Galilæam scribit, D. Marcus cap. V. dicit esse trans mare in Decapoli: unde aut hæc Gerasa est diversa à nostra, aut hic Comes longiorem tractum habuit.

VII. ALA QVINTA RHETORVM Scenis Veteranorum: hæc ex Rhetiis erat contracta, unde lego *Rhætorum*. Inter Pelusium & Memphim, Scenas Veteranorum Itinerarium ponit, de qua supra.

VIII. ALA PRIMA TINGITANA in Thimunepsi oppido Ægypti morabatur. *Thmonepsi* legit Itinerarium.

IX. ALA APRIANA ex Apris colonia Thraciæ degebat Hippone, hujus nominis oppidum in Cœlesyria Plinius & Ptolemæus locant. Itinerarium vero in Marmarica.

X. ALA SECVNDA ASSVRIORVM Sosteos præsidio erat, si legamus *Sostheos*, *salvum à Deo* significat.

XI. ALA V. PRÆLECTORVM, id est, ante lectorum, vel præ cæteris electorum: Lecti enim milites vocabantur, qui velut præstantes eligebantur. Marcellinus lib. XXIII. cap. III. *Triginta*, inquit, *millia lectorum militum commisit Procopio.* Dionysiade morabantur. Hic locus est inter Mæotidem paludem, & Oasim Ptolemæo, à Dionysio, id est, Baccho dictus.

Duæ cohortes sequuntur, alis pro locorum diversitate intermixtæ.

I. COHORS TERTIA GALATARVM, quæ ex Galatia contracta erat, Cefro degebat, quod erat Ægypti oppidum. Cephro Eusebio est regionis nomen.

II. COHORS SECVNDA ASTARVM, Itinerario Hasts est Tudertanorum urbs in Hispania, alia est in Liguria, unde fortè hæc cohors est collecta, degebat Busiri: Hic locus non longè est à Diospoli. In media Ægypto, id est, in Delta Busirin conditam esse Stephanus ait, Osirimque ab Iside in ligneo bove sepultum *Busiri* nomen dedisse, quasi *bovis Osiri*. Alii à Busiri loci Præfecto denominatam volunt.

DE ALIIS NVMERIS PROVINCIÆ AVGVSTANICÆ.

AVGVSTANICAM illam regionem dici, quæ est ultra Pelusium usque ad Arabiam, supra in ejus Præside ex Ammiano est dictum, qui Pelusium, Cassium, Ostracinam & Rhinocoruram in ea locat, lib. XXII. cap. XVI. Sed Notitia aliam divisionem facit. Hanc *Augustaneam* Gratianus vocat, *l. 9. C. de vectigalibus*, in qua erant infrascripti numeri.

XII. ALA II. VLPIA AFRORVM, in Thaubasteos oppido degebat. Ptolemæo *Thaubæ* est oppidum Arabiæ desertæ. Thebeste publicata est quædam lex à Constantino *l. 1. C. ut lite pendente*, & *l. 13. C. de appell.* quod fortè idem est oppidum. *Thaubasium* legit Itinerarium. Ala vero *Ulpia* ab Ulpio Trajano est dicta.

XIII. ALA II. ÆGYPTIORVM Tacasyri excubabat. *Tacassum* Ptolemæo civitas est Assyriæ, nunc *Ressa* dicta. Itinerario *Tacasta* urbs est Ægypti inter Memphim & Pelusium. Hæ sunt alæ XIII. Laterculi minoris: cohortes reliquæ sequuntur.

III. COHORS PRIMA SAGITTARIORVM in Naithu Ægypti civitate residebat. Cohortis Sagittariorum meminit Marcellinus lib. XXI.

IV. COHORS I. AVGVSTA Pannoniorum Thou inhabitabat, est locus propè Heliopolitas, quem inter Pelusium & Memphim Itinerarium collocat.

V. COHORS I. EPIRFORVM castris Judæorum immorabatur: *vicum Judæorum* legit Itinerarium: locus est Ramessæ, ubi primo fugientes ex Ægypto Judæi castrametati sunt, inde *castra Judæorum* sunt vocata, hoc oppidum *Sucho*, id est, *Castra* Josephus lib. XIV. cap. XVI. *Antiq.* appellat, ubi postea Babylis constructa est à Cambyse, dum Ægyptum invaderet. D. Hieronymus *de locis Hebr.* Aelim castra Judæorum interpretatur, *Qui*, inquit, *locus est in deserto, in quo* XII. *fontes, &* LXX. *palmarum arbores Moyses de mari Rubro exiens reperit, Exod.* XV. *Nu.* XXXIII. Aliqui Bubastum appellant. Ex Epiro hi equites erant contracti, cujus equos in III. *Georgicor.* Virgilius celebrat. *Epiroticos* pro Epireis Cicero in XII. *ad Atticum*, & Varro lib. II. cap. V. *de re rustica*, appellant.

VI. COHORS IIII. IVTHVNGORVM Aphrodito insidebat. quod oppidum nominat etiam Plinius & Itinerarium. Juxta Æthiopiam Stephanus locat. A Venere derivatur. *Aphroditopolim* Strabo appellat. Aphrodite est etiam insula maris Rubri. Juthungos Marcellinus lib. XVII. cap. VI. *Alemanorum partem* vocat, ex quibus infra sub Duce Syriæ ala meret.

VII. COHORS II. ITVRÆORVM degebat Aiy. *Airi* in Itinerario legitur. D. Hieronymus *de locis Hebr.* vocat *As* vel *Ain*. Alii *Agas*, *Cujus*, inquit, *vix parva ruina residet.* Strabo montanos Arabes esse Ituræos dicit, Plinius Assyrios, Servius Parthos, ita interpretatus illud in II. *Georg.*

Ityræos taxi curvantur in arcus.

D. Lu-

D. Lucas Philippum fratrem Herodis Antipæ tetrarcham Ituræ, & Trachonitidis fuisse scribit. continebat Auranitidem, quam D. Lucas, & Dion lib. XLIX. *Ituream* vocant. Erant hi milites sagittarii: Vopiscus enim in *Aureliano* scribit Valerianum ccc. sagittarios Ituræos Aureliano obtulisse.

VIII. COHORS II. THRACUM Muson incolebat. *Musa* est apud Itinerarium: hæc fortè est, quam Constantius ad Martianum Vicarium Africæ scribens *Marsam* appellat, *l. 46. C. Th. de decur.*

IX. COHORS QUARTA NARMUNTHI excubabat: Legendum est COHORS QUARTA NUMIDARUM NARMUNTHI, ut in manuscriptis. Hæc de Comite Ægypti: sequitur alius Isauriæ Comes.

CAP. CXLII.

DE COMITE ISAURIÆ, ET PRÆSIDE.

ISAURIA inter Lycaoniam & Ciliciam ad radices Tauri montis sita longè ab Ægypto distat: Sed ne Comites separentur, hoc loco is Comes statuitur, qui etiam Isauriæ, ut supra exposui, populis jus dicebat, & duabus legionibus, scil. II. & III. Isauriæ, à loco, ubi degebant, appellatæ; præerat. Itaque Comes rei militaris per Isauriam etiam Præses erat. Postmodum Justinianus *Novel. 27. de Comite Isauriæ* antiquato nomine Præsidis, illum tantùm Comitem dici voluit.

NOTITIA.

COMES ISAURIAE CUM INSIGNIBUS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri Spectabilis Comitis militaris per Isauriam, & Præsidis.

Legio secunda Isauria.
Legio tertia Isauria.
Officium autem habet ita:
Principem de eodem officio.
Cornicularium.
Commentariensem.
Numerarios.
Adjutorem.
Ab actis.
A libellis.
Exceptores, & cæteros Officiales.

Dux Isauriæ, Libyæ.

Numerarios, & Adjutores eorum.
Commentariensem.
Adjutorem
A libellis sive Subscribendarium.
Exceptores, & cæteros Officiales.

COMMENTARIVM.

INSIONIA habebat, *librum viridi corio tectum & super abaco purpureo tapeto instrato erectum*, ut alii Comites, & *oppidum ad mare Cilicium*, *cui inscriptum est*, THARSVS MARE. Hæc est metropolis Ciliciæ maritima à Sardanapalo condita, prout ejus monumento literis Assyriis inscriptum epitaphium sequens indicat. Sardanapalus Anacyndaraxis filius Anchialem & Tharsum una die condidit, & tu hospes vale, ede, bibe, lude: Hæc Strabo, lib. XIV. *Dignum*, Cicero inquit, *epitaphium*, *quod non in hominis*, *sed in bovis sepulchro inscriberetur*. Hanc urbem præ cæteris D. Pauli natales nobilitarunt.

Io Vrsini exemplari inscriptum est, THARSVM MARE: ut non civitas, sed mare ab ea denominatum significetur. *Tarsos* sine aspiratione Stephanus legit. *Ad radices montis Tauri fermè* VIII. *oppida* vel castra visuntur, & *cervus herbam depascens*, quo animali fortè ea regio abundat, supra scriptum est MONS TAVRVS. In Tharsi metropoli proximè Isauriam, præsidium tenebat Comes cum duabus legionibus sine equitatu, qui in montibus non erat usui, poterant esse duo millia peditum, tribuendo hoc tempore mille pedites legioni secundum Constantinum Prophyrogennetam. Officium habebat Principem de eodem officio, non ex schola Agentium in rebus, ut alius Comes, quia hic Præsidis vice fungebatur; item Cornicularium, Commentariensem, Numerarios, Adjutorem, Ab actis, A libellis, Exceptorès, & cæteros Officiales, quos codicillis, à Scriniariis libellorum scriptis, & à Principe, ac demum Comite subscriptis probari oportebat, ut tradit Leo A. *in l. ult. C. de diverſ. offic.* qui hujus Comitis, ejusque officii mentionem facit. Scribas verò ab actis habebat, quibus alii Comites & Duces rei militaris carebant, quia etiam Præsidis officio fungebatur, apud quem robur contractibus, & negociis dabatur, quod io militarium tribunalibus non fiebat. Sequitur in Notitia Dux Isauriæ Libyæ mendosè, cui subnectitur officium, quod posset illud esse, quo Comes Isauriæ utebatur, quemadmodum duplex officium Dux & Præses Arabiæ habebat: sed quia errore librarii totus hic contextus est confusus, hoc potius ad sequentem Ducem Libyæ pertinere putavimus, & ideo in eo interpretandum reservavimus.

CAP. CXLIII.
DE DVCE LIBYÆ.

IN Notitia pro Duce Libyæ mendosè scriptum est, Dux Isauriæ, qui nullus per eam provinciam fuit, sed tantùm Comes: Nam eo tempore in Oriente duo duntaxat Ægypti & Isauriæ Comites fuerunt: Duo item per Ægyptum Duces, unus Libyæ, alter Thebaidis, io Notitiæ indice recensentur, *& in l. ult. C. de diverſ. offic.* unde necesse est Ducem Libyæ scribi: In codice manuscripto est idem error, sed in fine notatum est, Dux Libyarum III. id est, tertius numero Præfectus rei militaris, & hæc verba literis rubeis io suo codice scripta esse Benedictus Maffæus vir nunquam satis laudatus, mihi pro sua singulari humanitate significavit. Hujus verò Ducis vix nomen apparet, quod sub hæc tempora, Theodosio Juniore, & Valentiniano imperantibus, à Genserico Vandalorum, Alanorumque Rege, Africa occuparetur, Paulus Diaconus lib. XIV. D. Prosper in *Chronicis*, ubi nullus amplius Libyæ Dux esse poterat: Itaque io primo indice, & hoc loco in manuscriptis solum ejus nomen scriptum reperitur: Nulla verò ejus insignia, aut præsidia, numerive militum apparent.

Olim unum io universa Ægypto & Libya Ducem fuisse, *l. 8. C. Th. de legat.* dixi, quo posteà Comite facto, *l. ult. C. de diverſ. offic.* duo Duces, alter Libyæ, alter Thebaidis sunt creati: Spartianus in *Celso tyranno* scribit Fabium Pompejanum sub Gallieno Ducem limitis Libyci fuisse. Hic Dux Libyæ ad Parætonium, & adjacentia oppida stativa habebat, *Edicto* 13. *cap.* 18. *& seq. post Nov. Justin. de Paratonio*, Ptolemæus & Photius lib. V. c. VI. Ammianus lib. XXII. cap. XVI. Vocatur hæc regio Libya Marmarica, incipiens à Catabathmo usque ad Cyrenem urbem, quod iter esse stadiorum DCCCC. ait Strabo lib. XVII. Huic Mareota, & Menelaita urbes à Justiniano sunt adjectæ. Duci Libyæ à Justiniano constituti sunt aurei MV. & quadrans pro XC. annonis, & CXX. capitationibus, quæ illi antea in speciebus dabantur. Pro annonis verò L. quæ in auro debebantur, & capitationibus L. aurei CCCC. Item ejus cohorti aurei illius temporis CLXXXVII. *Edicto* 13. *cap.* 18. Taxati videntur circiter aurei VII. pro annona, & VI. pro capite. Hic Dux regionis sibi commissæ tributa exigere, & ad Palatinum exigendis vectigalibus præfectum Alexandriam mittere tenebatur. Nulla hujus Ducis iosignia aut militum ordines spectantur, nullumque ostenditur officium, solum scriptum reperitur: Numerarios, & Adjutores eorum, Commentariensem, Adjutorem, A libellis, sive Subscribendarium: In manuscripto legitur *Rescribendarium*: Exceptores & cæteros Officiales, subaudiendum est, *habet*. Qui erat A libellis alio nomine vocatur *Subscribendarius*, quia rescriptis ad libellos subscribebat, vel si legimus *Rescribendarium*, intelligemus, qui rescribit jussu Ducis, sed legendum est *Subscribendarium*, ut in aliis sequentibus.

Hic Dux, ut alii, Spectabilis fuit, *l. pen. C. de appell. l. viros.* & ita Leo hunc appellat *in l. ult. C. de diver. offi.* Ab eo ad Magistrum officiorum & Quæstorem palatii appellabatur, *d. l. pen. C. de appell.* Ducibus enim in Oriente magister officiorum præerat, *l. pen. C. de off. mag. offic.* Leone, & Anthemio imperantibus Præfectus Augustalis, Dux etiam Ægypti fuit, *ut in l.* 13. *C. de advoc. diver. judic. l. uni. C. de offi. jurid. Alex.* quod non diu permansit: Libyæ enim & Thebaidi sui Duces non multò post sunt restituti, *d. l. fi. C. de diverſ. offic.*

Hic insignia ut alii Duces habet, etsi non appareant. Generale vero est omnium Ducum, & Comitum, ut easdem notas dorso codicis inscriptas gerant, quibus significatur illum esse librum mandatorum Principis.

CAP. CXLIV.
DE DVCE THEBAIDIS
& ejus militibus.

THEBAIDEM tertiam partem Ægypti fuisse io ejus Præside dixi, quæ à Thebis usque ad Syenem porrigitur, io qua XL. præsidia erant, quæ Dux cum equitum cuneis IX. & alis equorum XVI. legionibus VII. & cohortibus XI. tuebatur, poterant hi esse fermè equites 2500. pedites 15500. Hæc de Syene D. Hieronymus *in* XXIX. *Ezech. Turris Syenis usque hodie permanet*, *castrum ditionis Romanæ subditum*, *ubi sunt Nili Cataracta*, *& usque ad quem locum de mari nostro Nilus est navigabilis.* Ejusdem meminit & *in Ezechielem* cap. XXX. D. Hieronymus: *Est*, ait, *in extremis finibus Ægypti*, *Æthiopiæ & Blemmyarum*, *ubi Nilus innavigabilis*, *& Cataractarum fragor*, *& omnia invia*, *plenaque serpentium*, *& venenatorum animantium. Est autem*

Cata-

Cataracta petrosum quoddam supercilium in medio fluminis, superiore parte planum, ut recipere flumen possit, desinitque in præceps, ex eo flumen cadit in inferiorem alveum, quo facile navigari potest: Itaque Scapharii spectaculum exhibere Principibus volentes, huc adnavigabant, & defluunt in Cataractam, in præcipitiumque detruduntur scaphis & illis illæsis: Hæc ille. Duplex imperante Justiniano erat Thebais, à Nilo divisa, cui ipse unum præfecit Ducem, qui eandem quam Præfectus Ægypti potestatem haberet, & provinciarum magistratibus imperaret. Ipse verò P.P. Orientis parebat. Ejus A præcipua cura erat, ut limites Imperii tueretur, & DCCC. myriades artabarum, seu medimnorum Atticorum tritici ante nonam diem Augusti ratibus imponi, & Constantinopolim devehi curaret: ante decimum verò Septembris Alexandriam ad Præfectum Augustalem perveniret; aliud quoque ad alendos Alexandrinos destinatum, intra Idus Octobris transmittere tenebatur, quod nisi effecisset, in ternas artabas tritici non devecti singulos aureos pendebat, *ut in edicto* 13. *Justiniani c.* 22. *Est autem artaba medimnus Atticus*, ait Suidas in verb. ἀρτάβη.

NOTITIA.

DVX THEBAIDOS

CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri Spectabilis, Ducis Thebaidos.

VNEVS Equitum Maurorum Scutariorum Lyco.
Cuneus Equitum Scutariorum Hermopoli.
Equites Sagittarii indigenæ Tentyræ.
B Equites Sagittarii indigenæ Copto.
Equites Sagittarii indigenæ Diospoli.
Equites Sagittarii indigenæ Lato.
Equites Sagittarii indigenæ Maximianopoli.
Equites Promoti indigenæ Legionis tertiæ Diocletianæ Ambo.
Legio secunda Flavia Constantia Thebæorum Cussæ.
Legio tertia Diocletiana Præsentia.
Legio secunda Trajana, Apollonos Superioris.

Milites Miliarenses Syenæ.
Legio prima Valentiniana Copto.
Legio prima Maximiana Filis.
Legio tertia Diocletiana Thebis.
Legio secunda Valentiniana Hermunthi.
Equites Felices Honoriani Asphynis.
Ala prima Abasgorum Hibe Oaseos majoris.

Et quæ de minore Laterculo emittuntur.

Ala secunda Hispanorum Poisartemidos.
Ala Germanorum Pesela.
Ala quarta Britonum Isui.
Ala prima Hiberorum Thmoi.
Ala Neptunia Chenoboscio.
Ala tertia Dromedariorum Maximianopoli.
Ala octava Palmyrenorum Phœnicone.
Ala septima Herculia voluntaria contra Lato.
Ala prima Francorum Apollonos.
Ala prima Jovia catafracta Ripampanæ.
Ala octava Abydum Abocedo.
Ala secunda Herculia Dromedariorum Psinaula.
Ala prima Abasgorum Oasi majore.
Ala prima Quadorum Oasi minore Trinytheos.
Ala prima Valeria Dromedariorum Præcteos.
Cohors prima Lusitanorum Theraco.
Cohors scutata civium Romanorum Mutheos.
Cohors prima Apamenorum Silili.
Cohors undecima Chamavorum Peamu.
Cohors nona Thanorum Nitriæ.
Cohors nona Alamannorum Burgoseveri.
Cohors prima Fœlix Theodosiana apud Elefantinen.
Cohors quinta Suentium Suene.
Cohors sexta saginarum in Castris Lapidariorum.
Cohors septima Francorum Diospoli.
Officium autem viri Spectabilis Ducis Thebaidæ habet ita:
Principem de schola Agentium in rebus.
Numerarios, & Adjutores eorum.
Adjutorem.
Commentariensem.
A libellis sive Subscribendarium.
Exceptores, & cæteros Officiales.

COMMENTARIVM.

INSIGNIA habebat hic Dux *librum purpureo tegumento inscriptum*, quemadmodum Comes limitis Ægypti. In manuscriptis, est coloris aurei. Prope librum est *charta convoluta*, qui sunt dignitatis codicilli; quandoque *charta* appellati, *l. 1. §. hoc etiam præsenti, l. 2. §. pen. & ult. C. de offic. P. P. Afr.* Habet & *Nili imaginem* depictam: *in cujus superioris partis medio est insula munita*, cui in manuscriptis inscriptum est FILARI. *flumen paululum infra sinistrersum ramum emittit, mox in duos dividitur, ex quibus dexter insulam efficit*, ubi est Diospolis: *In medio currentis fluvis inscriptum est* FLV. NILVS. Præterea XVIII, *castra repræsentan-*

A *tur*, quorum unum, id est, FILARI, est in ipso flumine, aliud in insula Diospolis: In his excubabant à majore Laterculo prodeuntes milites: Quæ verò de minore Laterculo copiæ emittebantur, in quædam ex his & XX. alia præsidia XL. dividebantur, quæ à Notitia sicut & in aliis non repræsentantur.

Officium hoc modo habebat, *Principem de schola Agentium in rebus*, *Numerarios*, & *Adjutores eorum*, *Adjutorem*, *Commentariensem*: quæ verba fortè sunt transferenda, & post Commentariensem ponendus Adjutor, ut fere in omnibus sequentibus. Habet quoque *A libellis*, sive *Subscribendarium*,
B *Exceptores*, & *cæteros Officiales*, qui à Principe, ut de aliis dictum est, erant probandi, *l. ul. C. de div. offic.* Huic Duci sequentes ordines militum parebant.

I. CVNEVS EQVITVM MAVRORVM SCVTARIORVM in oppido Lyco degens, quod Cassianus lib. IV. *de institutis renunciantium*, in extrema Thebaide esse scribit, ubi Joannes Abbas commorabatur, quem Theodosius Magnus contra Eugenium tyrannum pugnaturus, de victoria consuluit, & eam vir spiritu divino afflatus prædixit, quod & Paulus Diaconus recitat. Hic mansionem Itinerarium ponit. Duas urbes hujus nominis in Nomis Ægypti
C fuisse Strabo & Stephanus memorant, quarum altera erat maritima; altera in Nomo Lycopolitana, de qua hic arbitror intelligi, cùm animalia bruta Ægyptii pro diis colerent: ab eorum etiam nominibus urbes aliquot nominarunt, inter quas à lupo seu lyco *Lycopolim* dixerunt. Magistris hos equites paruisse non apparet.

II. CVNEVS EQVITVM SCVTARIORVM Hermopoli stativa habebat. Hæc Latinè *civitas Mercurii* dicitur: in qua Hermes major Mercurii Trismegisti avus est sepultus. D. Augustinus lib. VIII. cap. XXVI. *de Civitate Dei*: *Hic*, inquit, *Hermes major, id est, Mercurius, quem dicit avum*
D *suum fuisse in Hermopoli, hoc est, sui nominis civitate perhibetur esse sepultus.* Hactenus D. Augustinus. Hermopolis magna est in Ægypto civitas, & nomus Hermopolitana, inquit Ptolemæus, ab Occasu fluvii mediterranea euntibus ad mare nostrum superior est Crocodilopoli, in septimo parallelo climatis tertii. Persicam arborem hic fuisse Sozomenus & Cedrenus scribunt, cujus folium vel cortex cuivis morbo medebatur: Eam ferunt fugienti in Ægyptum Christo sese inclinasse, & ipsum adorasse, atque umbram præbuisse. Julianus Apostata ad invidiam nominis Christiani hanc arborem excidit; Jura *Perseum* vocant, quam cædi, aut
E vendi prohibent, *l. 1. Cod. de cupress. ex luco Daphnensi vel Perseis per Ægypt. non excidend. vel vendend.* De Hermopoli & aliquot sequentibus ita Marcellinus lib. XXII. cap. XVI. *Thebais multas inter urbes, clariores aliis Hermopolim habet, & Copton, & Antinoon.* Septem Hermopoles Stephanus enumerat, quarum tres statuit in Ægypto, Magnam, Parvam, & Tertiam dictam. De Hermopoli Ptolemæus & Strabo. Scutarii erant ex sex Vexillationibus Comitatensibus Magistri militum Præsentalis.

I. EQVITES SAGITTARII INDIGENÆ, id est, nati in Thebaide, Tentyræ residebant: ita
F etiam Strabo, Ptolemæus, & Itinerarium appellant. Est contra Vacuam ex parte Africæ distans Diospoli XXVII. millibus passuum. Hic trucidant Crocodilos, nihil eos timentes. Stephanus *Tentyrin*, & *Tentyram* appellat. Diversi equites Sagittarii sub pluribus Magistris merebant, cum quo vero hi aut sequentes fuerint, non apparet.

II. EQVI-

II. EQVITES SAGITTARII indigenæ Copto insidebant. *Copton* vocat Itinerarium, quod & sequentium meminit. Nomi Ægyptii insignis civitas fuit, quam Strabo, Plutarchus, Ptolemæus, Statius lib. I. *Thebaidis*, & Marcellinus inter clarissimas Thebaidis urbes recenient.

III. EQVITES SAGITTARII indigenæ stativa habebant Diospoli: non est hæc Diospolis olim Thebæ dicta, de qua infra dicetur; sed illa, quam divisus, & postea unitus Nilus insulam facit. *Jovis civitatem* Latinè Plinius vocat. Duas Parvam, & Magnam Diospoles Ægypti superioris urbes Ptolemæus, Strabo, & Stephanus, aliam in Busiride Strabo & Suidas in verbo *Demetrius*, collocant.

IV. EQVITES SAGITTARII indigenæ Lato immorabantur, aliàs *Latopolis*, vel *Latona civitas*, juxta Androna vocatur. A Latonæ templo propè ædificato *Lato* dictam esse Stephanus testatur. Sed à Lato pisce in Nilo copiosissimo derivari puto; cum enim bruta Ægyptii colerent, ab iis urbes aliquot nominârunt ut Leontopolim, Crocodilopolim, Lycopolim, & similes. Hunc autem piscem ad cc. librarum & plurium pondus in Nilo nasci Athenæus lib. IX. cap. XXIX. memorat, quem dicit esse candidissimum, optimumque & suavissimum, quacunque ratione condiatur. *Latopolis* est Ptolemæo, & Straboni. *Latum* Itinerario.

V. EQVITES SAGITTARSI indigenæ Maximianopolim incolebant, quæ à Maximiano nomen habuit.

VI. EQVITES PROMOTI indigenæ Legionis tertiæ Diocletianæ, tuebantur Ambos. Hoc oppidum est insula inter duo brachia Nili, cujus Itinerarium meminit. *Ombos* legit Ptolemæi interpres: *Ombitem Nomum* vocat Plinius, unde Ombitæ populi sunt apud Ælianum lib. X. *Animal*. cap. XXI. & XXVI. Ex diversis vexillationibus sub Magistris militum Promoti merebant. Hi sunt ex corpore legionis tertiæ Diocletianæ, quæ stativa Thebis habebat, ut infra dicetur.

LEGIO II. FLAVIA CONSTANTIA Thebæorum residebat Cussæ, qui est locus Ægypti, apud D. Athanasium Tom. II. Alii Thebæi, id est, ex Thebis lecti, aut qui Thebis excubabant, sub Diocletiano & Maximiano apud Agaunum martyrio sunt coronati, quorum Primicerius magnus fuit D. Mauritius, ut refert Gulielmus Tyri Episcopus lib. *sacri Belli* XIX. cap. XXIV. pro Agaunum verò, lego *Ingaunum* aut *Ingaunos*, qui sunt Subalpini, apud quos sunt occisi. Hæc legio una est ex IX. Comitatensibus Magistri militum per Orientem.

LEGIO III. DIOCLETIANA morabatur Præsentiæ: Hæc una est ex Comitatensibus Magistri militum per Thracias, quæ sub Comite Ægypti militabat; & sub hoc quoque Duce ter recensetur, unde in partes divisa fuit. Præsentia locus est Thebaidis.

LEGIO II. TRAIANA erat in loco Apollonis Superioris; *Apollino superiore* legit Itinerarium: Duplex enim in Ægypto erat Apollinis civitas Ptolemæo, Magna, quæ & superior, & Parva, quæ inferior dicebatur. Hæc non procul à Copto sita, *Hydraum Apollinis* à Plinio nuncupatur ob cisternas aquarum in itinere ad eam factas, de qua etiam Strabo. Itinerarium *Apollinos minores* appellat. Hic de Magna propè Latopolim, superiore vocata intelligitur: Stephanus tres Apollinis civitates ponit: Parvam Libyam versus; Magnam in Ægypto; Tertiam in Æthiopia secundum mare Rubrum. Hanc quoque legionem puto divisam fuisse: nam & sub Comite Ægypti militabat.

MILITES MILIARENSES Syenæ degebant: Hoc oppidum est sub æquinoctiali, ubi in puteum sol radios meridie immittens umbram non facit: ut inter alios auctor est Strabo lib. XVII. qui tres cohortes hic præsidii causa à Romanis locatas fuisse scribit. *Civitas est*, inquit Stephanus, *Ægypti, & Æthiopia ad Nilum sita, a Syeno Daeti filio vocata*; Eustathius *Syrim* ab Æthiopibus nominari dicit, & hodiè funditus eversam. *Miliarenses* fortè à Miliaria ave sunt dicti, quod ejus instar galeas gestarent: sicut Alaudam legionem eodem modo Cæsar vocavit: vel fortè à Miliarensi loco in hortis Salustii. Vopiscus in *Aureliano*: *Miliarensem*, inquit, *porticum in hortis Salustii ornavit, in qua quotidie, & equos, & se fatigabat*. Miliare etiam flumen Daciæ fuisse Jornandes scribit: *Gepida*, ait, *sedent juxta flumina Marsia & Miliare: à quo hi possent derivari*. Mihi non displicet dici Miliarenses, quod à prima alicujus legionis cohorte sint contracti, illa verò *Miliaria* vocabatur, quia ex MCV. peditibus constabat, Vegetius lib. II. cap. VI. *glo. in l. 2. in prin. in ver. cohortis. ff. de his qui not. infam.*

LEGIO I. VALENTINIANA residebat Copto: de hoc supra. Ammianus lib. XXII. cap. XVI. *Thebais*, inquit, *multas inter urbes, clariores aliis Hermopolim habet, & Copton*. Hæc legio sub Magistris militum non reperitur.

LEGIO I. MAXIMIANA Filis stativa habebat. *Philas* vocat Ptolemæus. Insula est Ægypti, inquit Stephanus, in magno flumine Tritone, quod in magnam Tritonidem paludem fluit. Alia Fila est in Macedonia: intelligit Filarim insulam Ægypti, de qua supra in hujus Ducis insignibus. Hæc una est ex XXI. Legionibus Comitatensibus Magistri militum per Thracias, prima Maximiana Thebæorum nuncupata, quod in Thebaide à Maximiano esset instituta.

TERTIA LEGIO DIOCLETIANA Thebis manebat: Novem hujus nominis urbes recenset Stephanus, una est in Ægypto, propè speluncam omnibus diebus vento plena, præterquam triceno quo nunquam spirat. Hic puto intelligi magnam Thebaidis civitatem, ab Osiride, & Iside conditam, centum portis nobilem, quam Stephanus scribit tredecim millia villarum, & triginta habuisse: hominum verò myriades septem, seu septies decies centena millia, & in longum per CCCC. stadia porrectam fuisse. Hæc etiam Diospolis est vocata. D. Hieronymus *in Epistol. ad Galatas*, suo tempore *Thebistim* appellatam scribit. Tertia legio Thebæorum inter Comitatenses Magistri militum per Thracias nominatur, quia Thebis stativa habere consueverat, cujus partes inde extractæ sunt, ut aliis in locis servirent.

LEGIO II. VALENTINIANA Hermunthi morabatur, quæ, inquit Stephanus, est urbs Ægypti. Hæc legio una est ex novem Comitatensibus Magistri militum per Orientem, quæ secunda Fœlix Valentis Thebæorum vocabatur, quia Thebis antea erat collocata.

VII. EQVITES FELICES HONORIANS Asphynia stativa habebant, una est ex Vexillationibus Comitatensibus Magistri militum per Orientem.

ALA I. ABASGORVM Hibe Oaseos majoris in præsidio erat. Codex Vrsini legit *Hipus Oaseos majoris*, de qua in Comite Ægypti: nomen est oppidi propè Oasim majorem. Abasgiam propè Iberiam & Tzanos supra Pontum Justinianus *Novel.* 28. §. I. & Cedrenus in *Basilio*, locant, inde hæc ala extracta. Hi de majore Laterculo emissi XVIII. oppida hic repræsentata incolebant.

A

DE MINORE VERO LATERCVLO

emittebantur sequentes, qui XXV. oppida tuebantur.

I. ALA II. HISPANORVM Poisartemidos oppidum incolebat: credo legendum *Polis Artemidos*, id est, *civitas Dianæ*. *Pensatemidos* mendosè habet Itinerarium.

II. ALA GERMANORVM pesclæ manebat. *Passalum* vocat Ptolemæus. *Pessa* Itinerarium.

III. ALA IIII. BRITONVM Isui morabatur. *Isin* est apud Itinerarium, Stephanum, & Madrucianum: Alii habent *usui*: sed legendum *Isiu*, quod oppidum esse Ægypti, ait Stephanus, ab Iside dictum, in quo degunt mercatores, qui ab artificibus necessaria emunt, & populis vicinis vendunt.

IV. ALA I. HIBERORVM Thmoi degebat. *Thmuin* appellant Ptolemæus, Itinerarium, Stephanus, & Ammianus, civitatem Ægypti, & inter maximas ejus urbes Marcellinus recenset lib. XXII. cap. XVI. *Ægyptus*, inquit, *Athribis, & Oxyrincho, & Thmuis, & Memphis, maximis urbibus nitet.*

V. ALA NEPTVNIA Chenoboscio insidebat, Ptolemæus *Chenoboscium* vocat, Itinerarium *Cenoboscio*, *Cheneboscium* legit Stephanus; Latinè sonat *anserum pascuum*, quod ad loci derivationem non attinet, cum nulla ibi sint auserum pascua, sed incolæ solis studeant necandis crocodilis, inquit Stephanus. Ala est ex Neptunio oppido Italiæ, olim *Antium* dicto.

VI. ALA III. DROMEDARIORVM Maximianopoli stativa habebat, de hac ala supra. à Camelis est vocata, quos *Dromedarios* vocant, à *δρόμος*, quod est *curro*. Hi enim cursu Dromedariis erant similes, D. Hieronymus *de vita Malchi* ad finem: *Vidimus*, inquit, *Camelos, quos ob nimiam velocitatem* Dromedarios *vocant, qui praeterito cibos in ore volvere, & in alvum missos iterum retrahere consueverunt.*

VII. ALA VIII. PALMYRENORVM Phœnicone excubabat. Palmyrena est regio exposita ad Euphratem, cujus caput est Palmyra urbs maxima, fatalis Rom. Imperii, & finis, ubi ejus erat præsidium. Phœnicon verò una est ex civitatibus Syriæ, inquit Stephanus. *Phœnicon Niconon* est apud Itinerarium corruptè, ut puto. Vetus codex habet, *Fenitsonis*.

VIII. ALA VII. HERCVLIA voluntaria, quæ sponte se militiæ obtulit; ita voluntarios milites appellat Cæsar lib. V. *de bello Gallico*. Stativa habebat contra oppidum Lato, de quo supra. *Herculeam* ab Hercule Maximianus appellavit, ut alibi dictum.

IX. ALA I. FRANCORVM Apollonos incolebat. Hoc alterum est ex duobus Apollinis oppidis, de quibus supra. Codices manuscripti habent, *contra Apollonos*. Franci prius Sicambri vocabantur: sed cum Valentinianus edicto immunes eos per decennium fecisset, qui Alanos fregissent: Sycambri illis profligatis, immunitatem tributorum adepti *Franci* sunt appellati, qui postea Gallias occuparunt, & à se Franciam denominarunt. Zosimus lib. III. cap. VI. Jornandes *de reb. Gothicis*. Sabellicus lib. XIII. enne. XX. ut infra in Duce Phœnices latius dicetur.

X. ALA I. IOVIA CATAPHRACTA Ripampanæ morabatur: Manuscripti legunt *Pampana*, ut apud Ptolemæum, quam lectionem probo.

XI. ALA VIII. ABYDVM Abocedo incolebat, fortè *Abocena*, quæ est civitas Æthiopiæ; Ptolemæus *Abuncim*, Plinius *Aboccim* vocat. Abydus verò est oppidum ad Hellespontum, nunc *stretium Gallipolis* dicitur. Sed hic credo alind Abydum Ægypti oppidum intelligi, de quo apud Ptolemæum, Plinium, & Strabonem: unde hæc ala videtur contracta.

XII. ALA II. HERCVLIA DROMEDARIORVM residebat Psinaulæ, fortè *Psinapha*, quam parvam Ægypti civitatem fuisse Stephanus asserit. *Psinablam* D. Athanasius appellat.

XIII. ALA I. ABASGORVM stativa habebat in Oasi B majore, de quibus supra.

XIV. ALA I. QVADORVM, in Oasi minore Trinytheos morabatur. *Trinytheos* interpretatur *trinus Deus* nomen à Christianis impositum, locus propè Oasim minorem; quem hæc ala incolebat. Quadi sunt Germaniæ populi.

XV. ALA I. VALERIA DROMEDARIORVM Præctéos manebat. Est ex Valeria propè Pannoniam. Hæ sunt alæ: sequuntur cohortes.

I. COHORS I. LVSITANORVM Theraco excubabat, interpretatur *locus ferarum*. In Jure legitur *Terico*, unde Valentinianus ad Senecam defensorem patriæ suæ scribit, *l.* I. *C. de defensorib. civitat.*

C II. COHORS SCVTATA civium Romanorum Mutheos morabatur. *Muthi* legit Itinerarium.

III. COHORS I. APAMENORVM Silili degebat. *Selinum* vocat Itinerarium. *Apameni* dicti sunt ab Apamea urbe Syriæ, à Seleuco in Apameæ uxoris honorem condita.

IV. COHORS XI. CHAMAVORVM, vetustus Codex *Chamanorum gentilium*; ita vocantur Christianæ religionis expertes, & extra Romanum Imperium siti, *l. ult. C. de offic. milit. judic. l.* 8. *C. de vectigal. l.* 5. *C. de temporib. appellat.* Hæc Peamu inhabitabat. Sunt qui Panopolim hanc esse putant. *Pano* vocatur ab Itinerario.

D V. COHORS IX. THANORVM: sunt populi Ægypti. Tanicum enim sine aspiratione unum est ex ostiis Nili. *Ezechiel.* cap. XXX. *Dabo ignem super Tanim*, quam *Taphim* D. Hieronymus interpretatur, urbem Ægypti. Vetus Codex legit *Rannorum*, de quibus supra. Hæc cohors stativa habebat Nitriæ, *Nitreas* vocat Stephanus. Locus est, inquit, Ægypti. Strabo lib. XVII. Nicephorus Calistus lib. XI. cap. XXX. & Socrates ita montem in Ægypto circa Scetiun fortè à Nitro nominant. Plinius *Nitrarias* prope eum collocat. vetustus Codex habet *Nitum*.

VI. COHORS IX. ALAMANNORVM morabatur in E Burgoseveri, id est, in *vico Severi*, qui ab eo Principe nomen habuit.

VII. COHORS I. FOELIX THEODOSIANA apud Elephantinen custodiebat, vel *Elephantinem*, ut legit antiquus codex. Insula est Nili prope Syenem, ubi olim præsidii causa locatæ erant tres Romanorum cohortes. de hac Herodotus, & alii.

VIII. COHORS V. SVENTIVM Suenæ excubabat, unde nomen hæc cohors sumpsit: hujus & Itinerarium meminit.

IX. COHORS VI. Saginarum in castris Lapidariorum stativa habebat, fortè legendum *Saganeorum*, à Sagamco oppido Achajæ, vel *sagittariorum*. Hi castra F metabantur in loco, ubi lapides cædebantur. cohortis VI. Plinius ad Trajanum *epist.* LXII. meminit, cujus tum P. Avius Aquila Centurio fuit.

X. COHORS VII. FRANCORVM Diospoli, de qua supra. Hæ sunt decem cohortes Thebaidis, cujus Dux est spectabilis, ut alii, *l.* 3. *C. ut omnes jud. tam civil. quàm milita.*

NOTI-

NOTITIA.

DVX PALÆSTINÆ

CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri Spectabilis, Ducis Palæstinæ.



QVITES Dalmatæ Illyriciani Berofabæ.
Equites Promoti Illyriciani Menoidæ.
Equites Scutarii Illyriciani Chermulæ.
Equites Mauri Illyriciani Æliæ.
Equites Thamudeni Illyriciani Birfamæ.
Equites Promoti indigenæ Salajæ.
Equites Promoti indigenæ Zodochatæ.
Equites Sagittarii indigenæ Havanæ.
Equites Sagittarii indigenæ Zoaræ.
Equites primi Fœlices Sagittarii indigenæ Palæstinæ Saburæ five Veterocariæ.
Equites Sagittarii indigenæ Mohailæ.
Præfectus Legionis decimæ Fretenfis Ailæ.

Et quæ de minore Laterculo emittuntur.

Ala prima miliaria Sebaftena Afuadæ.
Ala Antana Dromedariorum Admathæ.
A Ala Conftantiniana Tolohæ.
Ala fecunda Felix Valentiniana apud Præfidium.
Ala prima miliaria Haftæ.
Ala Idiota Conftitutæ.
Cohors duodecima Valeria Afro.
Cohors decima Charthaginenfis Carthæ.
Cohors prima Centenaria Tarbæ.
Cohors quarta Phrygum Præfidio.
Cohors fecunda Gratiana Jehybo.
Cohors prima equitata Calamonæ.
B Cohors fecunda Galatarum Arieldelæ.
Cohors prima Flavia Moleahæ.
Cohors quarta Palæftinorum Thamanæ.
Cohors fecunda Cretenfis juxta Jordanem fluvium.
Cohors prima Salutaria inter Æliam, & Hierichunta.
Officium autem habet ita:
Principem de fchola Agentium in rebus.
Numerarios, & Adjutores eorum.
Commentarienfem.
Adjutorem.
C A libellis, five Subfcribendarium.
Exceptores, & cæteros Officiales.

COM-

COMMENTARIVM.

PRÆTER duos per Ægyptum, alii sex Duces Orientem tuebantur, scilicet Palæstinæ, Arabiæ, Phœniciæ, Syriæ Euphratensis, Osrhoënæ, & Mesopotamiæ. Hic non servatur ordo indicis, ubi Dux Phœnices aliis Orientis præponitur. Palæstina eadem Judæa & Cœlosyria dicebatur, cujus Dux eadem gerebat insignia, quæ Dux Thebaidis, videlicet *librum clausum, & viridi corio tectum.* Sed in manuscriptis omnes Duces codices auro tectos habent. Adstat & *Charta volumen, & Jordanis fluens inter* XIII. *munitiones*, B quibus præsidio erant milites à majore Laterculo prodeuntes; inter has Robothæ nulli milites adscribuntur, ubi tamen constat præsidium fuisse. Alterius verò Laterculi copiæ, alia XVII. oppida hic non descripta tuebantur. Vnde omnia Palæstinæ præsidia erant XXX. Jordanis nomen in ipso flumine est scriptum. D. Hieronymus *de loc. Hebr. Jordanis*, inquit, *fluvius dividens Judaam, Arabiam, & Aulonem, & usque ad mare mortuum fluens post multos circuitus circum it juxta Hierico mortuo commixtus mari nomen amittit.* Hæc ille. *Infra* videntur esse *duo Onagri.* Præfatas munitiones equitum turmæ XI. alæ VI. legio I. cohortes XI. tueC bantur, quæ esse poterant equitum circiter 1700. & peditum 6000. Hic Dux eodem modo habebat officium, quo Dux Thebaidis, quod à Principe probabatur, *leg. ultim. Cod. de divers. offic.* Vrsini codex eum, qui erat à libellis, *Rescribendarium* pro Subscribendario vocat: Milites sub ejus cura ex majore Laterculo sequentes emittebantur.

I. EQVITES DALMATÆ ILLYRICIANI Berosabæ morabantur. *Bersabea* ab aliis dicta à matre Salomonis, aliàs *Bezaman.* In Madruciano legitur *Benosabe*, credo legendum *Bersabea*, Quæ, ut ait D. Hieronymus *de loc. Hebr. erat in Tribu Juda, sive* D *Simeonis, est usque hodie vicus grandis in vicesimo à Chebron milliario, vergens ad Austrum, in quo & Romanorum militum præsidium positum est, à quo loco termini Judaa incipientes, extendebantur usque ad Dan, qua juxta Paneadem cernitur. Interpretatur verò Bersabea puteus juramenti, eo quod ibi Abraham & Isaac fœdus cum Abimelech sociaverunt juramento.* Hæc Divus Hieronymus.

II. EQVITES PROMOTI Illyriciani degebant Menoidæ. Manuscripti *Menochia*, & male. D. Hieronymus *de loc. Hebr. Medemana*, ait, *in Tribu Juda, cujus meminit Esaias, nunc est Menois oppidum juxta civitatem Gazam.*

E III. EQVITES SCVTARII Illyriciani Chermulæ seu Carmelo residebant, quem asperum montem esse Stephanus testatur. D. Hieronymus loco citato: *Carmelus*, inquit, *ubi quondam Nabal Carmelius fuit, & nunc villa est Carmelia nomine, decimo lapide oppidi Chebron vergens ad Orientalem plagam, ubi & Romanorum præsidium est positum:* Et ad finem subdit: *Chermula*, ait, *in Scripturis sanctis Carmelus vocatur; vicus hodie Judaorum, unde fuit Nabal Carmelius.*

IV. EQVITES MAVRI Illyriciani Æliæ excubabant. Hæc est Hierusalem, quam dirutam Ælius Hadrianus restauravit, & à se *Æliam Capitolinam* F appellavit, quia Jovi ibi sacra fieri voluit: ob quam rem Judæi à Cæsare deficientes, bello, & fame consumpti sunt ultra hominum quingenta millia, Dion & Stephanus. D. Hieronymus *in Act. Apostolor. Hierusalem*, inquit, *metropolis quondam totius Judea, qua nunc ab Ælio Hadriano Cæsare, quod eam a Tito destructam latiore situ instauraverit, Ælia cognoA minata est, cujus ope factum est, ut loca sancta, id est, Dominica passionis, & resurrectionis, sed & inventionis S. Crucis quondam extra urbem jacentia, nunc ejusdem urbis muro Septentrionali circundentur.* Idem *ad Paulinum* de institutione monachi: *Ab Hadriani*, ait, *temporibus usque ad Imperium Constantini per annos circiter* CLXXX. *in loco resurrectionis simulacrum Jovis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis auctoribus quod tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta polluissent.*

V. EQVITES THAMVDENI Illyriciani Bitsamæ residebant. Thamudeni sunt Arabes, ut ait Ptole- B mæus, à Thamuda Nabathæorum oppido nuncupati, qui in Illyrico diu permansere, & inde nomen traxerunt: sub Comite Ægypti alii Saraceni Thamudeni merebant. *Bethsamis autem*, inquit D. Hieronymus *de loc. Hebr. est civitas sacerdotalis in Tribu Benjamin, qua usque hodie demonstratur de Eleutheropoli pergentibus Nicopolim, in decimo milliario contra Orientalem plagam. Hujus fit mentio primo Regum. Ibant, inquit, vacca per viam, qua ducit Bethsamis, loquitur de arca Domini reportata ad Israhelitas. Bethsamis altera est in Tribu Nephtalim, in qua etiam pristini cultores permanserunt.*

VI. EQVITES PROMOTI indigenæ Salaiæ moraban- C tur: fortè legendum Sabaiæ, quod est oppidum prope Apameam. Stephanus Sabaiam magnam, maris Rubri præsidium esse dicit.

VII. EQVITES PROMOTI indigenæ stativa Zodochatæ habebant: Hi erant sub Magistro militum Præsentali.

VIII. EQVITES SAGITTARII indigenæ degebant Havanæ: una est ex quatuor Vexillationibus Comitatensibus sub Magistro militum per Thracias: alii erant Comites Sagittarii Juniores sub Magistro militum Præsentali.

IX. EQVITES SAGITTARII indigenæ manebant Zoaræ, quod est oppidum Arabiæ, Ptolemæo: sed D Stephanus: *Magna villa est*, inquit, *Zoara in Palæstina apud mare Asphaltiten, ubi servatus est Lot fugiens ignem Sodomiticum, vox est Hebraica parvum significans:* Hæc Stephanus. D. Hieronymus verò *de locis Hebr.* de hoc ita scribit: *Bala est Segor, nunc Zoara nuncupatur; sola de quinque Sodomorum urbibus Lot precibus reservata: Imminet autem mari mortuo, & præsidium in ea positum est militum Romanorum: habitatoribus quoque propriis frequentatur, & apud eam gignitur balsamum, & poma palmarum, antiqua ubertatis indicia: Nullum autem moveat, quod Segor eadem Zoara dicitur, cum idem sit nomen parvula, vel minoris: sed Segor Hebraicè, Zoara Syriace nuncupa-* E *tur:* Hæc D. Hieronymus. De eadem Josephus lib. v. *belli Judaic.* cap. v. Ægesippus lib. IV.

X. EQVITES I. FOELICES Sagittarii indigenæ Palæstinæ, Saburæ sive Veterocariæ morabantur: fortè legendum *Sabaria*, unde à Constantio, & Valentiniano Valenteque aliquot Jura scripta fuere, *ut l. 6. C. T. de peti. & ul. dat. l. 15. C. T. de suscepto. & arcar. l. 3. C. T. de aur. corona.* Præsidium in impresso pro Veterocamæ, inscriptum habet *Æterocama*, sed legendum *Veterocaria*, ut in manuscriptis, qui habent Sagittarii indigenæ Palæstini.

XI. EQVITES SAGITTARII indigenæ tuebantur Mohailam: Aila est oppidum maris Rubri, de F quo in sequentibus, cui addita syllaba, *Mo*, efficitur *Moaila*, sine aspiratione. Vetustus Codex legit *Mohalula.*

XII. PRÆFECTVS LEGIONIS X. Fretensis Ailæ residebat: hæc sub Magistris militum non reperitur: fortè à freto aliquo unde extracta est, *Fretensis* dicitur: Fretanam etiam legionem esse Apuliæ Plini-

Plinius scribit, unde fortè Fretenses. Una est ex tribus ab Augusto in Hispania constitutis ; Alia est legio Fortensis dicta, à Fortensi oppido Mauritaniæ, de quo Marcellinus. Ailam in littore maris Rubri positam fuisse D. Hieronymus in XLVII. *Ezech.* ita scribit: *Lingua maris Rubri, in cujus littore Aila posita est, ubi nunc moratur legio, & Præsidium Romanorum.* Idem *de loc. Hebr. Ailat*, inquit, *in extremis finibus Palæstinæ juncta Meridianæ solitudini, & mari Rubro, unde ex Ægypto in Indiam, & inde ad Ægyptum navigatur,: sed & ibi legio Romana, cognomento Decima*: & olim quidem Ailat à veteribus dicebatur, nunc verò appellatur Aila, quæ verba Notitiæ conveniunt: de hac habetur *Josue* XXI. Legionem VI. Ferream nominatam olim in Judæa collocatam, Dion lib. LV. scribit, cui postmodum decima successit. Hi de majore Laterculo emissi Numeri in XII. oppidis suprascriptis morabantur: Robathum etiam oppidum XIII. depictum ostenditur, sed qui illud incolerent, non apparet: constat tamen ibi præsidium fuisse. Rohoboth D. Hieronymus appellat *de loc. Hebr. Urbs*, inquit, *juxta Fluvium, ubi erat Rex Edom, & usque hodie est præsidium in regione Gabalena.*

QVÆ VERO DE MINORE

Laterculo emittuntur, sunt sequentes Alæ & Cohortes.

I. ALA I. MILIARIA SEBASTENA Asuadæ manebat. Sebastena Latinè est Augustana seu Cæsarea, fortè ex Cæsarea Judææ delecta: *Miliaria* dicta est, quia fortè ex mille equitibus constabat, sicut prima legionis cohors vocata est *Miliaria*, quia mille viros continebat, ut ait Vegetius lib. II. c. VI. aut quia XXXII. equites loricatos continebat prædicta cohors, ex quibus hæc ala contrahi potuit, & inde *Miliaria* appellari, vel ab ave *miliaria* est denominata, ut dictum est de militibus Miliariensibus, & Alauda. Sed mihi placet à mille equitibus quos continebat, *milliariam* dictam. Nam & Tranquillus triplices porticus vestibuli domus Neronis *milliarias* à longitudine mille passuum appellat.

II. ALA ANTANA Dromedariorum, ex Anthana Achaiæ oppido Plinio, erat ex corpore Dromedariorum, de quibus supra. Admathæ excubabat. Ammatam vocat D. Hieronymus *de loc. Hebr.* quæ erat in Tribu Juda.

III. ALA CONSTANTIANA, à Constantio ejus auctore, stativa Tolohæ habebat.

IV. ALA II. FOELIX VALENTINIANA apud præsidium, credo præsidium in regione Gabalena intelligi, hoc nomine appellatum à D. Hieronymo *de loc. Hebr. Hodie*, inquit, *est præsidium in regione Gabalena, & Vicus grandis, qui hoc nomine nuncupatur.* Aliud est in Thracia Ptolemæo Præsidium oppidum: Est & Præsidium Julium in Hispania, quæ ad hunc locum non pertinent.

V. ALA I. MILIARIA Hastæ degebat: *Astaol* à D. Hieronymo dicto loco appellatur. *Astaol*, ait, *in Tribu Juda, & usque hodie villula vocabulo Asta inter Azotum, & Ascalonem permanet.*

VI. ALA IDIOTA Constitutæ. *Constituta* legitur in manuscriptis, ut Idioca sit nomen loci: forte legendum *Idea constituta*, quod est oppidum Tyri, inquit Plinius, infra in Duce Osrhoënæ, & aliis constituta pro locata accipitur. Posset etiam legi *Constantia*, quam civitatem in Palæstina à Constantino Magno conditam, & à nomine Constantiæ Sororis dictam, Socrates scribit libr. I. cap. XIV. Cohortes sequuntur.

I. COHORS XII. VALERIA residebat Afro. *Effrem* vocat D. Hieronymus supra citato loco: *Est*, inquit, *in Tribu Benjamin, & hodie vicus Effrem, in quinto milliario Bethelis ad Orientem respiciens.* A Valeria filia Diocletiani hæc cohors est denominata, vel à Valeria provincia, quæ ab eodem nomen habuit, ut Marcellinus tradit.

II. COHORS X. Carthaginensis Carthæ stativa habebat. Locus est inter Tyrum & Berythim, inquit Servius *in* IV. *Æneid.* de quo Josue XXI. unde ita legendum, non *Carra*, ut aliqui putant, qui locus nobilis est morte Crassi, & hospitio Abraham, & morte ejus patris, inquit D. Hieronymus. Civitas est ad mare Rubrum, ut Stephanus est auctor.

III. COHORS I. CENTENARIA, quia ex centum militibus constabat, sicut milliaria ex mille, Tarbæ morabatur. Id oppidum est Cretæ, sed aliud homonymon fuit in finibus Arabiæ, & Palæstinæ. Hoc præsidium & cohors deest in manuscripto Ursini.

IV. COHORS IIII. Phrygum Præsidio præerat, de quo supra.

V. COHORS II. GRATIANA excubabat Jehybo: fortè est quæ *Jeba* à Plinio dicitur. D. Hieronymus *de loc. Hebr. Thabim* appellat: *Civitas est*, inquit, *trans Jordanem, nunc villa prægrandis a civitate Pella sex millibus distans pergentibus Gerasam.*

VI. COHORS I. EQVITATA Calamonæ degebat. Calamintham Phœniciæ civitatem fuisse Stephanus tradit. Equitata hæc cohors à loco, ut puto, est denominata. Similis denominationis Equestrem coloniam in Helvetiis, Plinius ponit.

VII. COHORS II. GALATARVM manebat Arieldelæ. Arindelam in tertia Palæstina Stephanus locat. Glaucus, inquit, eam villam appellat. Unde credo legendum *Arindelæ*.

VIII. COHORS I. FLAVIA habitabat Moleahæ, locus est Palæstinæ. Vetustus codex legit, *Moleathia*. FLAVIA cohors à Flavio Constantino dicta.

IX. COHORS IIII. Palæstinorum stativa habebat Thamanæ. *Thamna* est Ptolemæo, Stephano, & Josepho *Antiq. Judaic.* lib. V. cap. X. D. Hieronymus *de loc. Hebr. Thamna*, inquit, *villa Thamnitica regionis nomen dedit in finibus Diospolios, locus est ubi oves suas totondit Judas. Alia Thamna est civitas principum Edom, forte a Thamna concubina Eliphan filii Esau dicta.* Sed legendum *Themana*, quia ibi in Palæstina erat præsidium. D. Hieronymus ibid. *Themana*, ait, *est villa distans à Petra quinque millibus passuum, ubi & Romanorum præsidium sedet.* Hæc ille. Ursini codex habet cohors tertia.

X. COHORS III. CRETENSIS degebat juxta Jordanem fluvium.

XI. COHORS I. SALVTARIA residebat inter Æliam & Hierichunta, castellum intelligit; ubi erant milites qui viatoribus contra latrocinantes auxilium ferebant. D. Hieronymus ubi supra: *Abdomin*, ait, *quondam villula, nunc ruina in sorte Tribus Juda, qui locus usque hodie vocatur Maledomim; & Græce dicitur ἀνάβασις Πυῤῥῶν. Latinè appellari potest*, ascensus rufiorum, *seu* rubentium *propter sanguinem, qui illic crebrò à latronibus funditur. Est autem confinium Tribus Juda, & Benjamin descendentibus ab Ælia Hierichum, ubi & castellum militum situm est ob auxilia viatorum. Hujus sanguinarii, & cruenti loci Dominus quoque in parabola descendentis Hierichum de Hierosolyma recordatur*, Lucæ X. Hæc D. Hieronymus. Hiericon vallis celebrata est à


Josepho ubi balsamum nascebatur, & est inter Hierosolymam & Jordanem. D. Hieronymus *de loc. Hebr.* alium locum in Palæstina ponit trans Jordanem Mephaat, ubi erat præsidium Romanorum militum

A propter vicinam solitudinem; cujus Notitia non meminit. Salutaria oppidum sub Duce Syriæ nominatur, unde hæc cohors contracta *Salutaria* est dicta, & ala *Salutaria* sub Duce Osrhoenæ.

NOTITIA.

DUX ARABIÆ

CUM INSIGNIBUS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri Spectabilis Ducis Arabiæ.

Equites Scutarii Illyrici Animothæ.
Equites promoti Illyriciani Tricomiæ.
Equites Dalmatæ Illyriciani Zizæ.
Equites Mauri Illyriciani Areopoli.
Equites promoti indigenæ Speluncis.
Equites promoti indigenæ Mesæ.
Equites Sagittarii indigenæ Gaddæ.
Præfectus Legionis tertiæ Cyrenaicæ Bostræ.
Præfecturæ Legionis quartæ Martiæ Bethoræ.
Equites Sagittarii indigenæ Diaphenis.

Et quæ de minore Laterculo emittuntur.

Ala nona miliaria Avathæ.
Ala sexta Hispanorum Gomohæ.

A Ala secunda Constantiana Libonæ.
Ala secunda miliarensis Naarsafari.
Ala prima Valentiniana Thamathæ.
Ala secunda fœlix Valentiniana apud Aditha.
Cohors prima miliaria Thracum ad Ticha.
Cohors prima Thracum Asabaiæ.
Cohors octava voluntaria Valthæ.
Cohors tertia Fœlix Arabum in Ripa vadi Apharis fluvii in castris Arnonensibus.
Cohors tertia Alpinorum apud Arnona.

B Officium autem viri spectabilis Ducis Arabiæ & Præsidis ita habet.
Principem de schola Agentium in rebus. Numerarios, & Adjutores eorum. Commentariensem. Adjutorem. A libellis, sive Subscribendarium. Exceptores, & cæteros Officiales.
Idem officium Præsidis ejusdem provinciæ.
Principem de eodem officio. Cornicularium. Ordinarios. Commentariensem. Numerarios, & Adjutores eorum. Adjutorem. A libellis, sive Regerendarium. Exceptores, & cæteros Officiales.

CAP.

CAP. CXLVI.

DE DVCE ARABIÆ.

COMMENTARIVM.

ARABIA Ducem, eundemque Præsidem, ut clarius manuscripti Codices indicant, habuit, etsi eorum officia Notitia impressa distinguat. Idem enim duplex officium, alterum ut Dux, alterum ut Præses tenuit. De hoc intelligit Theodosius, disponens à Duce, si idem sit Præses, ad P. P. provocari *in l. praecipimus §. quod si. C. de appellation.* Eadem gestabat insignia, quæ & superiores Duces; nempe *librum eodem modo inscriptum, cum codicillis magistratus, & x. munitiones*, in quibus ex majore Laterculo emissi milites excubabant, & alius xi. à copiis minoris Laterculi defensas, quæ hic non apparent, & raro in aliis visuntur. Igitur xxi. præsidia erant in hac provincia. Equitum turmæ VIII. Alæ VI. Legiones II. Cohortes V. quæ poterant esse equitum circiter MCCCC. peditum quatuor millia. *Infra* spectantur *duæ aves*, quæ sunt *Ibus, & Struthiocamelus, & tres serpentes*, quibus abundat Arabia, & ab his avibus occiduntur. Officiumque eodem fermè modo habebat, quo supra dicti Duces, videlicet *Principem de schola Agentium in rebus, Numerarios, & Adjutores eorum, Commentariensem, Adjutorem, A libellis sive Subscribendarium, Exceptores, & cæteros Officiales*, qui probabantur codicillis à Libellensibus palatii scriptis, & à Principe ac Duce subscriptis, *l. ult. Cod. de divers. offic.* Aliud officium, quod tanquam Præses tenebat, erat quemadmodum & aliorum Præsidum. Post Notitiam suus Præses Arabiæ est restitutus; sed cùm armis Ducis opprimeretur, commodè civilia administrare non poterat. Quare Justinianus utroque abolito, unum Arabiæ Moderatorem, virum spectabilem, etiam militibus imperantem instituit, *in Novel.* 102. quemadmodum in Præside Arabiæ dixi. Duci milites de majore Laterculo emissi parebant infrascripti.

I. EQVITES SCVTARII Illyrici stativa Animothæ habebant, quod erat oppidum Arabiæ. A grandioribus scutis, quibus utebantur, dicti sunt *Scutarii.*

II. EQVITES PROMOTI Illyriciani manebant Tricomiæ. Latinè sunt tres vici, sicut Tripolis tres urbes. Aliqui legunt *Triconia*, unde Triconiensis Episcopus, apud Guilielmum Tyri Episcopum.

III. EQVITES DALMATÆ Illyriciani incolebant Ziza oppidum. Ex Dalmatia contracti habitarunt in Illyrico, unde *Illyriciani* sunt vocati.

IV. EQVITES MAVRI Illyriciani morabantur Areopoli, urbs Martis Latinè dicitur, olim Moab ab uno filiorum Lot, qui ita vocabatur, denominata, ut ait D. Hieronymus *de locis Hebraicis*: *Appellabatur autem*, inquit, *Moab, ex nomine urbis, ut regio, porrò ipsa civitas quasi proprium vocabulum possidet.* Equites ex Mauritania contracti *Mauri* sunt dicti, & *Illyriciani*, quòd diu in Illyrico hyberna habuerint, vel quòd ex utrisque sint contracti.

V. EQVITES Promoti indigenæ Speluncis excubabant: *Speluncam* vocat Ptolemæus, est urbs Syriæ, ubi Herculis, Mercurii, & Apollinis Idola erant erecta, ait Stephanus. De Promotis supra est dictum.

VI. EQVITES PROMOTI indigenæ residebant Mesæ. Hæc quoque est urbs Syriæ, unde orta est Julia Domna, Severi Imperatoris uxor, & Mesa ejus soror, aviaque materna Heliogabali, & Alexandri Imperatorum. *Emissam* seu *Emesam* Stephanus vocat, quam dicit in Phœnicia fuisse, ita etiam appellat Constantius, qui ibi Jura condidit, *l. 25. C. Th. de decurionib. Massam* vertunt LXX. Interpretes *Genes.* cap. x.

VII. EQVITES SAGITTARII indigenæ morabantur Gaddæ. Hanc Plinius lib. V. c. XVII. inter Essenos ponit, qui tertiam sectam Judæorum fecerunt: *Infra hos*, inquit, *Gadda oppidum fuit secundum ab Hierosolymis fertilitate palmarumque nemoribus, nunc alterum bustum.* Stephanus, *Gadda*, ait, *est locus in Arabia.*

VIII. PRÆFECTVS LEGIONIS TERTIÆ CYRENAICÆ Bostræ stativa habebat: hic legionem fuisse Ptolemæus scribit. Dion lib. LV. *Tertia*, inquit, *legio tripartita est, Gallica in Phœnicia, Cyrenaica in Arabia, Augustalis in Numidia.* Hæc sub Magistro militum non reperitur, nec sequens. Qui præerant legionibus, *Præfecti* vocabantur, & infra sæpe *Præfectura legionum* nominantur, & ita Ptolemæus appellat: alias *Tribuni* dicebantur. *Bostra locus est Arabiæ*, inquit Stephanus, *unde Bostreni.* Marcellinus lib. XIV. cap. VIII. loquens de Arabia: *Hæc*, ait, *civitates habet inter oppida quædam ingentes, Bostram, & Gerasam, atque Philadelphiam, murorum firmitate cautissimas.* Bostram ab Augusto conditam in Græco codice auctoris incerti inveni: cùm Augustus, inquit, urbes condidisset, unam in Ponto, aliam in Arabia, & tertiam in Syria collapsam nomine Salaminam restituisset, primam Ancyram, id est, Ancoram appellavit, quod medio sita loco inter duo maria esset, Ponticum, & Asiaticum, alteram Bostram, quam structuræ præfecerat. Tertiam in Diospolim mutavit. Bostra Philippi Imperatoris patria vulgò *Busereth* dicitur, quam à se Philippum nominavit, ut Zonaras ait. coloniam eò Alexander deduxisse videtur ex nummo Juliæ Mammeæ ubi est hæc inscriptio:

COL. BOSTRA
N. T. R. ALEXANDRIANÆ.

Hanc provinciam Trajanus Imperator fecit.

IX. PRÆFECTVS LEGIONIS IIII. MARTIÆ habitabat Betthoræ: hanc legionem in Syria fuisse Dion memorat lib. LV. Ob audaciam fuisse vocatam MARTIAM Appianus tradit. Impressa Notitia legit PRÆFECTVRÆ legionis, sed manuscripta PRÆFECTVS, utraque lectio stare potest. Nam & in Jure nostro quandoque Præfecturæ, *ut in l. 3. C. de offic. Quæstor. l. abesse ex quib. caus. major.* quandoque Præfecti vocantur, varieque apud Duces Orientis legitur. Ptolemæus quoque, cum in provinciis præfecturas fuisse scribit, legionum intelligit, & quandoque loca illa legiones vocat. Hic verò ubi habemus Præfecturæ, subaudiemus scilicet *Tribunus*, aut *milites.* Vetustus codex legit, *Præfectus.*

X. EQVITES SAGITTARII indigenæ morabantur Diaphenis. Plinius lib. V. cap. XXVII. Diaphenem ait esse flumen in ora Syriæ, à quo id oppidum videtur denominatum: Hæc sunt præsidia x. oppidorum, quæ pro Ducis insignibus depicta repræsentantur.

DE MINORE VERO LATERCVLO

Hi emittebantur.

ALA IX. MILIARIA Avathæ degebat. Ptolemæus, & Stephanus legunt *Avara.* cur hæc ala *Miliaria* vocetur, dictum est supra in Duce Palæstinæ & Thebaidis.

ALA VI. HISPANORVM habitabat Gomohæ.

ALA II. CONSTANTIANA stativa habebat Libonæ. Hic decimam septimam mansionem in deserto Hebræi habuère. D. Hieronymus *Epi.* CXXVII. *ad Fa-*

ad Fabiolam mansione XVII. legit: *Libna profecti*, inquit, *de Romon Pharis Hebrae castrametati sunt in Libna: Decima septima mansio est quam in laterem possumus vertere, licet quidam Lebbona transferentes male candorem interpretati sint.* Hæc D. Hieronymus.

ALA II. MILIARENSSS residebat Naarsafari. De Miliarensi supra dictum est.

ALA I. VALENTINSANA à Valentiniano instituta manebat Thamathæ. *Themma* oppidum Arahiæ desertæ Ptolemæus vocat. *Thamnata* vertunt LXX. Interpretes, *Judic.* XIV. & *Machabaor.* I. de qua Josephus lib. V. cap. II. & X. *Antiquita. Jud.*

ALA SS. FOELIX VALENTINIANA morabatur apud Aditha. *Audattha* Ptolemæus appellat locum Arabiæ desertæ. Adauta verò oppidum est Palmyrenæ.

COHORS I. MILSARSA Thracum degebat ad Titha.

COHORS I. THRACVM habitabat Asabaiæ, quod erat oppidum Arabiæ.

COHORS VIII. VOLVNTARIA Valthæ stativa habebat. Voluntarii milites à Cæsare, & Plinio *de viris Illustribus*, appellantur, qui sponte se offerunt, non à provincialibus invitis exhibentur.


COHORS III. FOELIX Arabum stabat in Ripa vadi Apharis fluvii in castris Arnonensibus. CL. Arabas, & legionem tertiam fœlicem, ex qua fortè hæc cohors fuit, Valerianum obtulisse Aureliano, Vopiscus scribit in *Aureliano*. Ex Arabia erat extracta hæc legio, nec nisi probatissimis Ducibus committi consueverat, ut ex epistola Valeriani apud eundem Vopiscum in *Probo* constat: *Res gestæ tuæ, Probe charissime, faciunt, ut & serius tibi tradere majores exercitus videar, & cito tamen tradam; recipe in fidem tuam legionem tertiam Fœlicem, quam ego adhuc nulli nisi provecto jam credidi. Mihi autem eo tempore credita est, quo & me canosum, qui credebas, cum gratulatione vidit. Sed ego in te non expecto ætatem, cùm & virtutibus fulgeas, & moribus polleas.* Notitia in castris Arnonensibus hanc cohortem locat, quia non in certis oppidis, sed diversis in campis castra metabatur. D. Hieronymus *de locis Hebraicis*: *Arnon*, inquit, *rupes quadam est in sublime porrecta, in finibus Amorrhaeorum, inter Moab, & Amorrhaos: Moab verò Arabia Civitas est, qua nunc Areopolis nominatur. Ostendunt regionis illius accolæ locum vallis in prærupta demersa, satis horribilem, & periculosum, qui a plerisque usque nunc Arnonas appellatur, extenditurque ad septentrionem Areopoleos, in quo & militum ex omni parte præsidia distributa, plenum sanguinis, & formidinis testantur ingressum. Hic quondam Moabitarum Rex fuit, & postea Seon Rex Amorrhaeorum jure belli eum obtinuit. Sed & terra filiorum Israel trans Jordanem incipiens ab Arnone usque ad montes Hermon, & Libanum extenditur. Ar locus vel oppidum Arnonis, quod à* LXX. *Interpretibus per extensam vocalem Ar dicitur*: Hæc D. Hieronymus. Arnon erat etiam fluvius, de quo mox dicetur.

COHORS III. ALPSNORVM morabatur apud Arnona. Is est fluvius currens cum Jordane in Lacum Asphaltitem, Moabitas ab Amorrhæis distinguit,° ut legitur in sacris Literis *Numer.* XXI. & *Jud.* XI. de hoc & Josephus *Antiq. Jud.* lib. IV. cap. IV. Severo imperante cohortis XII. Alpinorum Centurio fuit Valerianus, *l. I. C. de test. mili. de quo in l. 3. C. de test. milit.* Præter memoratas, imperavit hic Dux olim & classi, quam in mari rubro a Trajano institutam fuisse Sext. Ruffus memorat; cujus Notitia non meminit, quòd fortè eo tempore esse desierat. Nunc ad Ducem Phœnicis est veniendum.

NOTITIA.

DVX PHOENICES

CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri Spectabilis Ducis Phœnices.

EQVITES Mauri Illyriciani Ottharæ.
Equites Scutarii Illyriciani Euharæ.
Equites promoti indigenæ Saltachæ.
Equites Dalmatæ Illyriciani Latavi.
Equites promoti indigenæ Avathæ.
Equites promoti indigenæ Nazalæ.
Equites Sagittarii indigenæ Abyræ.
Equites Sagittarii indigenæ Casamæ.
Equites Sagittarii indigenæ Calamonæ.
Equites Saraceni indigenæ Betproclis.
Equites Saraceni Thalsææ.
Equites Sagittarii indigenæ Adathæ.
Præfecturæ Legionis primæ Illyricorum Palmyræ.
Præfecturæ Legionis tertiæ Gallicæ Danabæ.

Et quæ de minore Laterculo emittuntur.

Ala prima Damascena in monte Jovis.
Ala nona Diocletiana Vætiaracæ.
Ala prima Francorum Cumæ.
Ala prima Alamannorum Nejæ.
Ala prima Saxonum Verofabulæ.
Ala prima Phœnicum Renæ.
Ala secunda salutis Aresæ.
Cohors tertia Herculia Veranocæ.
Cohors quinta pacata AlamannorumOnevathæ.
Cohors prima Julia Lectorum Valle alba.
Cohors secunda Ægyptiorum Valle Diocletiana.
Cohors prima Orientalis Thamæ.
Officium autem habet ita:
Principem de schola Agentium in rebus.
Numerarios, & Adjutores eorum.
Commentariensem.
Adjutorem.
A libellis sive Subscribendarium.
Exceptores, & cæteros Officiales.

CAP. CXLVII.

DE SPECTABILI DVCE PHOENICES.

COMMENTARIVM.

PHOENICIÆ Dux in Indice aliis Orientis Ducibus præponitur. Hic verò inter eos medius locatur: sub Constantio Phœniciæ Dux Serenianus fuit, Marcellinus lib. XIV. cap. VII. postea Vadomarius, idem libr. XXI. cap. III. Hic Dux idem officium, *eademque* habet *insignia*, quæ superiores *cum* XIIII. *oppidis*, in quibus Præsidia XXVI. ex majore Laterculo emissa tenebat. Alia XII. à copiis Laterculi minoris defendebantur. Universa hæc à XII. equitum turmis, & VII. alis, legionibus II. & cohortibus V. inhabitabantur, quæ summam fermè duorum millium equitum, & quatuor millium peditum colligere poterant, constituendo turmam, & alam C. equitum, legionem IV. millium, & cohortem CCCC. peditum. Huic provinciæ postmodum novum limitem Zeno & Leo imposuerunt, *l. ultim. Cod. de divers. offic.* Phœniciæ Ducis milites ex majore Laterculo hi emittebantur.

I. EQVITES MAVRI Illyriciani Ottharæ morabantur: fortè legendum *Ottana*, quam Armeniæ urbem esse Stephanus memorat, propè Cyrum fluvium.

II. EQVITES SCVTARII Illyriciani Euharæ residebant.

III. EQVITES PROMOTI indigenæ Saltachæ degebant: hi erant ex Phœniciæ incolis.

IV. EQVITES DALMATÆ Illyriciani, Latavi habitabant; Hinc *Latavienses* appellati sunt milites in Occidente sub Duce Sequanici.

V. EQVITES PROMOTI Indigenæ Avathæ residebant: *Avara* Ptolemæo & Stephano. Vetustus Codex hic & in Duce Arabiæ *Anatha*.

VI. EQVITES PROMOTI indigenæ Nazalæ stativa habebant.

VII. EQVITES SAGITTARII indigenæ Abyræ manebant; fortè Abilæ, quam Phœniciæ civitatem fuisse Stephanus tradit; patriam Diogenis Sophistæ credo esse, quam D. Hieronymus *de locis Hebr.* Dabiram vocat: *Dabira*, inquit, *civitas in Tribu Dan, cujus regem interfecit Jesus: Est autem & alia Villula Judæorum in monte Tabor regionis ad Diocæsaream pertinentis* De Abila Ptolemæus, Polybius, Stephanus, Plinius, & Josephus *Antiq.* lib. IV. c. VII. & lib. V. cap. I. Lisaniam Abilinæ Tetrarcham fuisse Divus Lucas cap. III. scribit.

VIII. EQVITES SAGITTARII indigenæ Casamæ hospitabantur. Hanc in Palmyrena collocat Ptolemæus.

IX. EQVITES SAGITTARII indigenæ Calamonæ sedem habebant: Calaminthain Phœniciæ civitatem Stephanus ponit, Calamæ verò Peloponessi.

X. EQVITES SARACENI indigenæ, in Phœnicia nati, sed ex Saracenis parentibus orti, in Betprocli præsidio erant. His caret Madrucianos codex.

XI. EQVITES SARACENI Thalsææ oppidum incolebant, Saracenos cc. Aureliano obtulisse Valerianum Vopiscus scribit.

XII. EQVITES SAGITTARII indigenæ Adathæ locati erant: fortè *Adana*, quæ civitas est ad Euphratem. Alia est in Arabia Fœlici, inquit Stephanus, de qua supra.

I. PRÆFECTVRÆ LEGIONIS I. Illyricorum sedes erat Palmyræ: in manuscriptis hic, & in sequenti legitur *Præfectus*, non Præfecturæ. A Solomone condita est Palmyra, postea *Hadrianopolis*, *Thamor* Hebraicè dicta: D. Hieronymus in LVII. *Ezech. Urbs*, inquit, *in solitudine est, quam & Solomon muris operibus extruxit, & hodie Palmyra nuncupatur, quod ibi palmeta sint plurima.* Idem repetit in VIII. *Ezech.* Restituta ab Hadriano ea urbe, cives *Hadrianopolitæ* sunt dicti, ait Stephanus. Plures hujus legionis, & sequentis Præfecti fuisse videntur. Unde apparet has legiones in plures divisas fuisse. Neque hæc, neque sequens sub Magistris militum fuit.

II. PRÆFECTVRÆ LEGIONIS III. Gallicæ constitutæ Danabæ. Hanc urbem non longè à Palmyra collocat Ptolemæus. Aliam ponit in Mesopotamia. De hac legione ita Dion lib. LV. Tertia legio tripartita est, Gallica in Phœnicia, Cyrenaica in Arabia, Augustalis in Numidia. Hi sunt numeri ex majore Laterculo profecti, qui in XIIII. oppidis

pidis Ducis Phœnices hybernabant. Alias munitiones minoris Laterculi sequentes copiæ tuebantur.

QVI VERO DE MINORE
Laterculo emittebantur.

I. ALA I. DAMASCENA, ex Damascenis conflata, in monte Jovis degebat. Damascum à Damasco servo Abrahæ conditam, & olim *Aram* dictam D. Hieronymus testatur, in XVII. *Esaiæ* & in II. *Sophon.* ibique primus parens Adam creatus dicitur.

II. ALA IX. DIOCLETIANA Veriaracæ oppidum tuebatur. Ursini codex habet *Innarca*: Madrucianus *Nova* Diocletiana, pro *Nona*.

III. ALA I. FRANCORVM morabatur Cumæ: *Cuniam* vocat Ptolemæus, *Cyne* dicitur à Plinio, Mela, & Tacito. Franci à Trojanis descendere feruntur, qui deleto Ilio, duce Priamo Priami Regis sororis filio per Pontum Euxinum in Mæotidem paludem, & Scythiam venerunt, Æneas Sylvius *de Europa* cap. XXXVIII. & Sabellius lib. III. *Ennead.* X. demum Romano Imperio subjecti, ipsi tributa usque ad Valentinianum penderunt. Eo imperante, cùm Alani limites Romani Imperii turbarent, immunitas per decennium edicto est illis promissa, qui Alanos fudissent. Eo præmio allecti Sicambri, qui tum ita vocabantur, sumptis armis prælio Alanos deleverunt. Quare immunitate in decennium accepta, mutato nomine *Franci*, id est, immunes sunt appellati. Exacto decennio cùm Imperator solita tributa repetèret, Franci libertate effrænes facti parere detrectarunt. Commisso ob id prælio Franci profligati in Germaniam se receperunt, ac propè Turingiam consederunt. Sed hoc vanum esse non dubito: nam Gallieno & Probo imperantibus, ut in illis auctor est Pollio, Franci vocabantur. Nazarius quoque in *Constantini Panegyrico* ita eos appellat, unde sub Valentioiano hoc nomen accipere non potuerunt. His addendum Sicambros nunquam Valentiniano paruisse, ut eos immunes facere debuerit. Quare Francos ipsorum linguâ velut liberè agentes dictos fuisse existimo. Franci Faramundo Rege creato, & transmisso Rheno, tandem Galliam occuparunt, & à se *Franciam* nominarunt. Ex his tùm Germaniam incolentibus hæc ala erat contracta.

IV. ALA I. ALAMANNORVN Nejæ residebat. *Neam* Plinius vocat, & Herodotus in *Euterpe*, qui in Thebaide eam collocat. legendum *Alemanorum*, fortè ab Alemano fluvio.

V. ALA I. SAXONVM manebat Verofabulæ, locus à vero, falso commixto est appellatus. Aliqui legunt Westfalia, ut Vetus codex. Saxonia, unde hæc ala est collecta, regio Germaniæ est notissima.

VI. ALA I. PHOENICVM Renæ habitabat: De hac in sacris Literis, *Judicum* cap. XV.

VII. ALA II. SALVTIS Arefæ stativa habebat: *Arphas* Josephus & Isidorus. Ex oppido Salutis Hispaniæ hæc ala est extracta. Cohors Salutaria suprà sub Duce Palæstinæ, fortè & ipsa hinc nomen habet; & ala Salutaria, infrà sub Duce Syriæ.

I. COHORS III. HERCVLIA Veranocæ morabatur: fortè *Beronica*, quæ sex fuere, una quarum est in Syria, ait Stephanus.

II. COHORS V. PACATA Alamannorum Onevathæ degebat. *Onuabatem* civitatem fuisse Ægypti Stephanus scribit, de qua fortè hic intelligit, cum prope Phoeniciam esset.

III. COHORS I. JVLIA Lectorum Vallem albam tenebat. Alba, inquit Stephanus, civitas est Phœniciæ, de qua hîc fortè sentit. Lectum verò est promontorium Phrygiæ, unde hæc Cohors Lectorum potuit extrahi; vel ita vocatur, tanquam cæteris præstantior selecta, quemadmodum dictum est supra de V. ala prælectorum sub Comite Ægypti.

IV. COHORS II. ÆGYPTIORVM Vallem Diocletianam tuebatur.

V. COHORS I. ORIENTALIS manebat Thamæ. Eam Arabiæ civitatem fuisse, Stephanus tradit, de qua sub Duce Palæstinæ est dictum. Hi sunt numeri Ducis Phœniciæ. Nunc ad Ducem Syriæ & Euphratensis est transeundum.

NOTITIA.

DUX SYRIÆ

CVM INSIGNIBVS.

NOTITIA.

Sub dispositione viri Spectabilis Ducis Syriæ, & Euphratensis.

EQVITES Scutarii Illyrici Syrianæ.
Equites promoti Illyriciani Octaribæ.
Equites Sagittarii indigenæ Matthanæ.
Equites promoti indigenæ Adadæ.
Equites Sagittarii indigenæ Arathæ.
Equites Sagittarii Acadamæ.
Equites Sagittarii Acavathæ.
Præfecturæ Legionis quartæ Scythicæ Oresæ.

In Augusto-Euphratensi.

Equites Dalmatæ Illyriciani Barbarisso.
Equites Mauri Illyriciani Neocæsareæ.
Equites promoti indigenæ Rosaphæ.
Præfecturæ Legionis sextædecimæ Flaviæ Firmæ, Suræ.

Et quæ de minore Laterculo emittuntur.

Ala prima nova Herculia Amudæ.
Ala prima Juthungorum Salutariæ.
Cohors prima Gotthorum Helelæ.
Cohors prima Ulpia Dacorum Claudianæ.
Cohors tertia Valeria Marmaræ.
A Cohors prima Victorum Ammaithæ.
Officium autem habet ita:
Principem unum.
Numerarios, & Adjutores eorum.
Commentariensem.
Adjutorem.
A libellis, sive Subscribendarium.
Exceptores, & cæteros Officiales.

CAP. CXLVIII.

DE SPECTABILI DVCE SYRIÆ,

& Euphratensis, seu Augusto-Euphratensis.

B

PLVRES Syriæ fuêre, Comagena in Euphratem extensa, Euphratensis, Palmyrena, seu Emesena dicta, Augusteuphratensis, & Cœle. Quarum Dux *eadem* habebat *insignia*, & officium, quæ & alii Duces, *l. ult. C. de divers. Duodecim depicta* tenet *oppida*, à militibus majoris Laterculi inhabitata. Alia sex à minoris Laterculi copiis defendebantur. Sic Præsidia XVIII. Omnes erant equitum turmæ X. alæ II. legiones II. cohortes IV. quæ poterant efficere equi-
C tes circiter MCC. peditum quatuor millia. Numeri majoris Laterculi Syriæ erant sequentes.

I. EQVITES SCVTARII ILLYRICI Syrianæ degebant: *Syrienos* nominat Plinius inter Indos, de quibus hîc non intelligitur.

II. EQVITES PROMOTI Illyriciani Octaribæ stativa habebant: Madrucianus *Octariba* legit, & vetustus codex.

III. E-

III. EQVITES SAGITTARII indigenæ Matthanam inhabitabant: *Manthanam* vertunt LXX. Interpretes *Numer.* XXI.

IV. EQVITES PROMOTI indigenæ Adadæ morabantur: fortè *Adane*, quam ad Euphratem locat Stephanus, apud Ptolemæum *Adada* est Palmyrenæ oppidum.

V. EQVITES SAGITTARII indigenæ Arathæ residebant. D. Hieronymus *de locis Hebraicis*: *Arith*, inquit, *ubi sedit David, est villa Arath nomine, ad Occidentem Æliæ.*

VI. EQVITES SAGITTARII Acadamæ manebant.

VII. EQVITES SAGITTARII stativa habebant Acavathæ.

I. PRÆFECTVRÆ LEGIONIS IV. SCYTHICÆ Oresæ excubabant: De hac legione Dion lib. LV. scribit: Quarta legio Scythica in Syria supra sub Magistro secundo Præsentali recensetur, una ex sex legionibus Palatinis Scythæ dicta.

AVGVSTO-EVPHRATENSIS COPIÆ.

A Cilicia, & Amano monte, incipit Syria Comagena, & usque ad Euphratem extenditur, à quo Euphratensis vocatur, *l.* 10. *C. de adifi. privatis.* Augusteuphratensis à Leone A. & aliis dicta, *l. ult. C. de divers. offic.* Euphratesiam appellat Procopius in primo *de bello Parthico.* Constat quatuor præclaris urbibus, quas Seleucus Nicator condidit: Primam nomine patris *Antiochiam* dixit: Secundam à se *Seleuciam*: Tertiam ab uxore *Apameam*: Quartam à matre *Leodiceam.* Aurelius Victor in *Vespasiano*: *Comagenam*, inquit, *hodie Augusteuphratensem vocant.* In hac regione sub Duce Syriæ erant hi Numeri.

VIII. EQVITES DALMATÆ ILLYRICIANI in oppido Barbarisso morabantur. *Barbarissam* Ptolemæus appellat oppidum apud Euphratem. *Barbalisson* Stephanus: præsidium est, inquit, in Oriente muro munitum.

IX. EQVITES MAVRI ILLYRICIANI Neocæsareæ manebant: Ita etiam Plinius, Solinus, & Ptolemæus nominant urbem Cappadociæ in Ponto; quam postea Hadrianopolim vocatam, Suidas, & Stephanus volunt.

X. EQVITES PROMOTI indigenæ Rosaphæ residebant, cis Euphratem. vetustus codex legit, *Rosafa.*

II. PRÆFECTVRÆ LEGIONIS XVI. Flaviæ Firmæ, Suræ hybernabant, penes Euphratem Suram collocat Ptolemæus, Stephanus in Phœnicia, quam etiam *Saram* appellat. *Sur* legitur in sacris Literis, *Genes.* XXV. XXVI. Hæc legio non recensetur sub Magistris militum. XVI. Legio ab Augusto in Germania superiore fuerat instituta, quæ non est hæc. Alia sextadecima à Vespasiano fuerat *Flavia fidelis* cognominata, de qua hic arbitror intelligi. Alia civitas *Firma* vocata est, à Firma metropoli in Illyrico, in qua residebat P. P. Sed ea regione à Barbaris devastata, coactus est sedem Thessalonicam transferre, *Novella* II. Ursini codex pro XVI. legione, XVII. legit.

HÆ VERO DE MINORE
Laterculo emittebantur.

I. ALA I. nova Herculia stativa habebat Amudæ: infra sub Duce Mesopotamiæ legitur *Amidæ*, quam ab hac diversam esse opinor. Amudi munitionis Ammianus meminit, lib. XVIII. cap. VI. Hæc ala instituta fuit à Maximiano, qui se Herculem vocabat, atque illum præ cæteris Diis colebat, ut aliàs est dictum.

II. ALA I. JVTHVNGORVM manebat Salutariæ, unde cohors prima sub Duce Palæstinæ, & ala secunda sub Duce Phœnices, *Salutaria* sunt dictæ. Manuscriptus Ursini legit *Viturgorum*, sed prior lectio est verior. Erant Juthungi Germaniæ populi, quos Istrum trajecisse Suidas scribit. Marcellinus lib. XVII. cap. VI. *Juthungos Alemannorum partem* vocat, *Italicis conterminantem tractibus*, & *Juthiuntugos* appellat. Aliqui in Tyrolensi Comitatu eos locant: Horum cohors quarta merebat sub Comite Ægypti.

I. COHORS I. GOTTHORVM Helelæ morabatur.

II. COHORS I. VLPIA Dacorum, ab Ulpio Trajano, qui Dacos subegit instituta, vel potius ab Ulpio oppido Daciæ, ab ipso condito extracta, Claudianæ residebat.

III. COHORS III. VALERIA, à Valeria provincia, à Valeria Diocletiani filia dicta, Marmaræ degebat. *Marmem* urbem Phœniciæ Stephanus ponit. Manuscripti habent *Marmatarum.*

IV. COHORS I. VICTORVM residebat Ammaithæ: D. Hieronymus *de locis Hebr.* *Æmath*, inquit, *urbs est, quæ cecidit in sorte Ruben, sed & nunc Amathus villa dicitur trans Jordanem, in vicesimo primo milliario, Pella ad Meridiem: est & alia in vicinia Gadara, nomine Amatha, ubi calidæ aquæ erumpunt. In regnorum quoque libris scribitur: ab introitu Emath usque ad mare Araba, id est, deserti, quod est mare mortuum.* Hæc ille. Ego autem intelligo Emath urbem Cœles Syriæ appellari, quæ nunc Græco sermone Epiphania dicitur. Hæc quoad Ducem Syriæ: Nunc de Duce Osrhoënæ est videndum.

NOTI-

NOTITIA.
DVX OSRHOENAE
CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri Spectabilis Ducis Osrhoenæ.

EQVITES Dalmatæ Illyriciani Gallabæ.
Equites Promoti Illyriciani Callinico.
Equites Mauri Illyriciani Dabanæ, aliàs Danabæ.
Equites Promoti indigenæ Banasæ.
Equites Promoti indigenæ Synæ Judæorum.
Equites Sagittarii indigenæ Orabæ, aliàs Arabæ.
Equites Sagittarii indigenæ Thillazamaræ.
Equites Sagittarii indigenæ Medianenses, Medianæ.
Equites Sagittarii indigenæ primi Osrhoëni Rasin.
Præfecturæ Legionis quartæ Parthicæ Circesio.

Et quæ de minore Laterculo emittuntur.

Ala septima Valeria prælectorum Thillacamæ.
A Ala prima Victoriatorum contra Bintha.
Ala secunda Paphlagonum Thillasicæ.
Ala prima Parthorum Resaiæ.
Ala prima nova Diocletiana inter Thannurin & Orobam.
Cohors prima Getulorum Thillaamanæ.
Cohors prima Eufratensis Marathæ.
Ala prima Salutaria duodecimo constituta.
Officium autem habet ita:
Principem de schola Agentium in rebus.
Numerarios, & Adjutores eorum.
Commentariensem,
Adjutorem.
A libellis sive Subscribendarium.
B Exceptores, & cæteros Officiales.

CAP. CXLIX.
DE SPECTABILI DVCE OSRHOENÆ.

COMMENTARIVM.

OSRHOENAM esse Mesopotamiæ partem inter Tigrim & Euphratem ab Osrhoëna Vrbe nominatam ex Suida supra retuli; *Osdroënam* appellat Honorius, *in l. per provincias* 10. *C. de ædific. priva.* *Osdruenam* Marcellinus lib. XXIV. cap. 1. *Vltimus*, inquit, *omnium Os-*

druena Dux Secundinus. Ejus Ducis, *l. 5. C.T. de pagan. eadem* sunt *insignia*, quæ & aliorum, & idem officium eodem modo probatum, *d. l. ult. C. de divers. rescrip. decem munitiones* ostenduntur, in quibus ex majore Laterculo emissi milites excubabant. Aliæ octo à Numeris minoris Laterculi custodiebantur. Omnes erant turmæ equitum IX. Alæ VI. Legio I. Cohortes II. quæ poterant efficere equitum circiter MD. peditum MM. & sunt sequentes.

I. EQUITES DALMATÆ Illyriciani excubabant Gallabæ. Gallabam oppidum Arabiæ Stephanus ponit: fortè legendum, *Gabala*, quæ urbs est Syriæ. Vetustus codex habet *Ganaba.* Sub Magistris militum reperiuntur Tertio-Dalmatæ, Quinto-Dalmatæ, Sexto-Dalmatæ, Nono-Dalmatæ equites, ex quorum numero hi esse possunt, in tot scholas divisi, ita sunt appellati, ut aliàs est dictum.

II. EQUITES PROMOTI Illyriciani insidebant Callinico, Latinè sonat *pulchra victoria*, olim *Hieropolis* dicta, nunc *Hepo.* Erat in finibus Imperii Rom. prope Persas, quod Justinianus, dirutis vetustis muris, inexpugnabile fecit, ut ait Procopius lib. II. *de ædifi. Justinia.* Inter Callinicum & Carras, Galerium Maximinum à Narsæo prælio fusum Eutropius scribit: Vltra hanc civitatem Gratianus prohibuit cum Persis contrahi, *l. 4. C. de commerc. & mercat.* auctor est Procopius lib. I. & II. *de bello Persico*, Justinianum ingruente bello Callinicum, tanquam victorem solitum cognominari. Hoc oppidum *Callinisum* Marcellinus appellat lib. XXIII. cap. III. *Ventum est*, inquit, *ad Callinisum munimentum robustum, & commercandi opimitate gratissimum.*

III. EQUITES MAURI Illyriciani Dabanæ degebant: Rectius in Vrsini Codice legitur *Danaba*, quæ Ptolemæo est in Mesopotamia, ita etiam Zosimus lib. III. cap. XXVII. appellat: *Inter Danabam*, inquit, *& Syneam Persæ multos interemerunt:* Alia est in Syria. *Davanam* Marcellinus loco cit. appellat: *Davanam*, inquit, *venit, castra præsidiaria, unde ortus Belias fluvius funditur in Euphratem*: Dabanæ etiam Suidas meminit, in voce *Timagenes.*

IV. EQUITES PROMOTI indigenæ Banasæ stativa habebant.

V. EQUITES PROMOTI indigenæ Syriæ Judæorum residebant. Zosimus loco cit. *Syneam* vocat prope Danabam. Syna est mons non longè à fonte Euphratis, & diversus à monte Sina, ubi data fuit lex Moysi, propè Cassium, & ubi sepultus est Pompejus Magnus. Sin est desertum inter Elim & Sina, quod *Cades* vocatur, *Exod.* XVI. *Numer.* XXXIII. *Ezechi.* XXX. *Sais* vertunt LXX. Interpretes.

VI. EQUITES SAGITTARII indigenæ Orabæ manebant: Vrsini codex legit *Araba*, quæ est civitas Arabiæ Fœlicis, apud Ptolemæum. Orobe verò est oppidum Assyriæ.

VII. EQUITES SAGITTARII indigenæ, id est, Osrhoëni, Thillazamaræ morabantur. Hos Alexander Imp. adversus Persas profectus transfugas suos milites fecit. Herodianus lib. VI. cap. XVI. *Alexander*, inquit, *vim ingentem Sagittariorum, quos secum ex Oriente adduxerat, partim ex agro Osrhoenorum, partim è Parthia transfugas, pecunia illectos adversus Germanos instruebat*: eos ob amorem in Alexandrum à Maximino defecisse Capitolinus scribit in *Maximinis.*

VIII. EQUITES SAGITTARII indigenæ Medianenses, Medianæ locati erant, unde nomen habent. *Medenem* Ptolemæus vocat: Ruffus juxta Euphratem in Mesopotamia statuit: Suburbium est Nisibi urbis, tertio lapide ad ea distans, ait Marcellinus.

IX. EQUITES SAGITTARII indigenæ primi Osrhoëni Rasim tuebantur. *Rasam* vocat Ptolemæus, quam in Mesopotamia collocat: Olim *Rages* in sacris Literis dicta, ubi Tobias decem talenta argenti Gabaelo mutuo dedit, & Tobiam filium eo ad recipiendam pecuniam misit, *Tobi.* III. & IX. etsi dicatur esse in Media.

I. PRÆFECTURA Legionis IV. Parthicæ Tribunus Circesio insidebat. *Castelli nomen est*, inquit Zosimus lib. III. cap. XII. *quod Abora fluvius & Euphrates circumfluunt:* ibi erat præsidium Romanorum prope flumen Euphratem in extremis Mesopotamiæ, quod Diocletianus ædificavit, & temporis injuriâ labefactum Justinianus munivit, insignemque civitatem fecit. Procopius lib. II. *de ædifi. Justin.* & lib. II. *de bello Persico*: *Est*, inquit, *in altera fluminis ripa Romanorum oppidum munitum, quod Circesium vocatur, præruptum ex magna parte, ubi Abora fluvius ingens hic ostia emittens Euphrati miscetur. Cingulum juxta oppidum facit, ac murus extra castellum in longum regionem utriusque fluminis mediam complectens, triangularem efficit loci formam.* Ammianus lib. XXIII. cap. V. *Cercusium* appellat: *Tendens*, inquit, *Imperator* Julianus *agili gradu, Cercusium ingressus munimentum tutissimum, & fabrè politum: cujus mœnia Abora & Euphrates ambiunt flumina, velut spatium insulare fingentes. Quod Diocletianus exiguum antehac, & suspectum, muris turribusque circumdedit celsis, cum in ipsis Barbarorum confiniis interiores limites ordinaret, ne vagarentur per Syriam Persæ.* Hactenus Marcellinus. Auctor est Capitolinus ibi esse tumulum Gordiani Imp. quod *Circesium* appellat: postea *Constantina* Circesium est nuncupata, quòd à Constantino sit instaurata. *Circensium* Constantius vocat, ad ejus oppidi ordinem scribens, *l. 29. C. Th. de decurio.* Hæc legio sub Magistris non legitur, sed tantum sexta Parthica sub Magistro militum per Orientem. Parthos diximus ab Alexandro Imp. in Rom. militiam traductos.

QUÆ VERO DE MINORE LATERCULO *emittebantur, sunt hæ.*

I. ALA VII. VALERIA PRÆLECTORUM Thillacamæ morabatur. Thillacame, Thillamane, & Thillazamene, atque Thillasice, oppida erant Euphrati imminentia. A Valeria filia Diocletiani hæc ala nomen habuit, sicut & cohors tertia Valeria sub Duce Syriæ, vel à Valeria provincia in Pannonia, quæ ab eadem filia est denominata.

II. ALA I. VICTORIATORUM contra Bintha stativa habebat: fortè illa, quam *Birtham* Ptolemæus in Mesopotamia statuit. Hæc ala à Victoria Mauritaniæ Cæsariensis, vel Hispaniæ dicta, unde est desumpta.

III. ALA II. PAPHLAGONUM Tillasicæ degebat. Euphrati hoc oppidum imminebat, ut supra est dictum.

IV. ALA I. PARTHORUM Resaiæ morabatur. *Resainam* Marcellinus l. XXIII. cap. V. vocat, *ubi Gordianus*, ait, *Regem Persarum profligavit, verum ipse insidiis Philippi P. P. occubuit, ibique est sepultus:* sed ab eo alii dissentire videntur, ut Eutropius, Sex. Ruffus & Capitolinus.

V. ALA I. nova Diocletiana inter Thannurin & Orobam Assyriæ montes sedem habebat. Hos prope Ninum seu Ninivem Ptolemæus ponit in Assyria.

I. COHORS I. Getulorum Thillaamanæ degebat.

II. COHORS I. Euphratensis Marathæ morabatur. De hoc loco Metaphrastes *in v. Daniele Stylite.*

VI. ALA

VI. ALA I. SALVTARIA Duodecimo conſtituta. Duodecimum loci nomen eſſe puto, poſſet intelligi poſt alias XI. alas, hanc duodecimo loco inſtitutam, niſi ipſa prima nuncuparetur, & nomen oppidi, ubi degebat, non deeſſet. Salutariam urbem eſſe in Syria ſupra vidimus. Demonſtratur in No- A titia ſub hoc Duce ſine ala aut cohorte locus præſidii *Apatna* nuncupatus, ſed ſub ſequenti quoque Duce eſt *Apadna*, cum militum præſidio hic ponendo, quod errore librariorum tranſpoſitum puto. Hæc fortè eſt *Aphadoma* Ptolemæi.

NOTITIA.

DVX MESOPOTAMIAE

CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub diſpoſitione viri Spectabilis Ducis Meſopotamiæ.

EQVITES Scutarii Illyriciani Amidæ.
Equites Promoti Illyriciani Reſaïvi Theodoſiopoli.
Equites Ducatores Illyriciani primi Ducatores Amidæ.
Equites Felices Honoriani Illyriciani Conſtantinæ.
Equites Sagittarii indigenæ Arabanenſes Carrhæ.
Equites Scutarii indigenæ Paſenſes Aſſaræ.
Equites Sagittarii indigenæ Thilbithenſes Thilbiſinæ.
Equites Sagittarii indigenæ Thannuri.
B Præfecturæ Legionis primæ Parthicæ Niſibenæ Conſtantinæ.
Præfecturæ Legionis ſecundæ Parthicæ Cephæ.

Et quæ de minore Laterculo emittuntur.

Ala ſecunda nova Ægyptiorum Chartæ.
Ala Octava Flavia Francorum Ripalthæ.
Ala quintadecima Flavia Carduenorum Caini.
Cohors quinquagenaria Arabum Bethallahæ.
C Cohors quartadecima Valeriæ Zabdenorum Majocariri.
Officium autem habet ita:
Principem de ſchola Agentium in rebus.
Numerarios, & Adjutores eorum.
Commentarienſem.
Adjutorem.
A libellis ſive Subſcribendarium.
Exceptores, & cæteros Officiales.

CAP. CL.

DE DUCE MESOPOTAMIÆ
Viro Spectabili.

COMMENTARIUM.

MESOPOTAMIAM inter Tigrim & Euphratem jacere notissimum est, unde nomen obtinuit, olim *Adiabene* dicta, ut ait Stephanus. Constantio imperante Aurelius Dux Mesopotamiæ fuit, *l. 1. C. de eunuchis.* mox Cassianus, Marcellinus lib. XVI. cap. IX. & XXV. cap. VII. Antoninus, lib. XVIII. cap. V. deinde Vrbitius, lib. XXX. cap. II. Sub Gratiano Toriobandus, *l. 2. C. qua res vendi non poss.* Hic Dux *librum*, & *codicillos*, ut alii pro insignibus gestabat. Idemque habebat officium, quod à Principe & Duce, ut aliorum Ducum, in scrinio libellorum probabatur, *dicta l. ult. C. de divers. off.* sed propria ejus insignia sunt, *regio inter Trigrim, & Euphratem flumina jacens, & XIII. oppidorum imagines,* quorum *octo intra Mesopotamiam* clauduntur. *tria ultra Tigrim*, & *duo citra Euphratem* visuntur: alia duo fortè ob brevitatem prætermittuntur. Itaque XV. erant hujus Ducis præsidia, quæ VIII. equitum turmis constabant, alis III. legionibus II. cohortibus item II. quæ efficere poterant circiter mille equites, & peditum tria millia. Militum verò copiæ ex majore Laterculo per illa dispositæ sunt istæ.

I. EQUITES SCUTARII Illyriciani Amidæ degebant, ultra Tigrim. Amidam à Justiniano novo muro munitam fuisse Procopius lib. II. *de ædif. Justin.* scribit. De hac ita Ammianus Marcellinus lib. XVIII. cap. IX. *In ipso Amida medietullio sub arce Fons dives exundat, potabilis quidem, sed vaporatis æstibus nonnunquam fœtens: cujus oppidi præsidio erat semper quinta Parthica legio destinata cum indigenarum turma non contemnenda.* De hac idem lib. XIX. cap. I. & seq. ejus & Procopius lib. I. *belli Persici* meminit. Supra sub Duce Syriæ legitur *Amide*, quam dirutam Constantius ampliavit, ac *Constantiam* vocavit, eam etiam *Emetam* nuncupari Zonaras scribit in *Basilio Porphyrogenneta.*

II. EQUITES PROMOTI Illyriciani Resavi Theodosiopoli excubabant: *Ressa* civitatem Mediæ ponit Ptolemæus, quæ postea à Theodosio, qui eam instauravit, nomen habuit. Hanc prope flumen Aborram ultra Tigrim à Theodosio extructam, & Anastasio instauratam fuisse Procopius lib. II. *de ædif. Justi.* ait, & semidirutam à Justiniano restitutam, ipse in Armenia collocat, *Novel.* 31. §. 1. *Resam* legit vetustus codex.

III. EQUITES DUCATORES Illyriciani primi Ducatores dicti à Ducatu, sub quo fortè erant educati, aut illi diu servierant. Ducatus enim est ipsius Ducis dignitas: Tranquillus in *Nerone* cap. XXXV. *Privignum*, inquit, *Ruffum Crispinum Poppea natum, impuberem adhuc, quia ferebatur Ducatus, & imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit.* Vopiscus in *Aureliano*: *Habuit multos Ducatus, multos Tribunatus*: & Lampridius Heliogabalum præposituras, ducatus, officiaque palatina vendidisse scribit. Sed generaliter pro qualibet militum præfectura ponitur, & Præfecti *Ductores* vocantur. Hi primi sunt vocati, quia ante alios, & ipsos Ducatores appellatos sunt instituti. Amidæ excubabant, quam à superiore diversam Notitia repræsentat: duplicem in Mesopotamia Amidam statuens.

IV. EQUITES FOELICES Honoriani Illyriciani degebant Constantinæ à Constantino dictæ, quæ in ipsa est Mesopotamia. Ammianus lib. XVIII. cap. IX. *Constantiam* appellat: *Quam*, inquit, *olim perquam brevem Cæsar etiam tum Constantius ...... turribus circumdedit amplis & mœnibus, locatoque ibi conditorio muralium tormentorum fecit hostibus formidatam, suoque nomine voluit appellari. ..... Mesopotamia plana despectat, Nymphæo amni vicina, &c.* Hæc ille. Procopius lib. I. *de bello Persico*, corruptè *Constantianam* pro Constantina legit. Alia est Constantina à Constantino condita, ubi Constantinus *in l. 1. C. Th. si quis pecun. conflav.* & Valentinianus *in l. 9. C. Th. de suscep. & arcar.* ac Gratianus *in l. 15. C. Theod. de navicul.* Jura condiderunt. Hanc etiam Justinianus muro, turribusque munivit, & aquis instruxit, Procopius lib. II. *de ædific. Justin.* Aliæ fuêre Constantinæ, una *Circensium* appellata, ad quorum ordinem seu curiam Constantius A. scribit *in l. 29. C. Th. de decurio.* ita sub præcedenti Duce *Cirtesium* vocatur: alia *Nisibena* nuncupatur, de qua infrà: Alia in Phœnicia, quam Christianam pietatem secutam à se *Constantinam* Constantinus denominavit, Sozomenus lib. II. cap. V. ad finem.

V. EQUITES SAGITTARII indigenæ Arabanenses populi Arabiæ Fœlicis, qui Ptolemæo sunt *Arabanitæ*, Chartæ residebant: ita etiam appellat Marcellinus lib. XXV. cap. VI. *Egressi*, inquit, *exinde, proxima nocte Chartam occupavimus.* Zosimus lib. III. cap. XIII. *Cartas* nominat, quod oppidum, ait, Romanos ab Assyriis disterminare: urbs est, in quam sacræ Literæ narrant Tharam cum Abraam filio ex Chaldæa profectum, & inde à Domino jussum Abraam exire, *Genes.* XI. & XII. D. Hieronymus *de locis Hebr.* civitas est, inquit, Mesopotamiæ trans Edessam, quæ usque hodie *Charra* dicitur, ubi Romanus cæsus est exercitus, & Crassus Dux captus. Id sentit & Lucanus lib. I. de Crasso loquens illo carmine:

Assyrias Latio maculavit sanguine Charras.

Vnde falsum est, quod Cedrenus à Caro Imperatore eam conditam, & ab ipso appellatam fuisse scribit. Stephanus refert *Charras* urbem Mesopotamiæ, à Charra fluvio Syriæ vocari. Ejus etiam meminit Marcellinus lib. XVIII. cap. X. Hoc oppidum Justinianus munivit, ut ait Procopius lib. II. *de ædific. Justin.* Auctor est Eutropius, Galerium Maximianum à Narsæo inter Callinicum & Charras prælio fusum. In manuscriptis est *Mephana Charta.* Mepha est metropolis in Arabia Fœlici.

VI. EQUITES SCUTARII indigenæ Paphenses à Papho Cypri oppido, ubi diu morati fuerant; sed scribendum esset, *Paphenses.* Assaræ stativa habebant. Stephanus *Asseram* urbem Chalcidæorum esse scribit.

VII. EQUITES SAGITTARII indigenæ Thilbithenses, Thilbisinæ habitabant. *Thilbim* in Albania collocat Ptolemæus: sed hi à loco Mesopotamiæ, ubi morabantur, sunt nominati.

VIII. EQUITES SAGITTARII indigenæ Thannuri manebant: ea fortè est, quam Zosimus lib. III. cap. XXVIII. *Tummaram* appellat. Hæc omnia sunt Mesopotamiæ loca, quorum plura à posterioribus Principibus sunt ædificata.

I. PRÆFECTUS LEGIONIS PRIMÆ PARTHICÆ incolebat Nisibenam Constantinam, prope Nisibin, quæ in sacris Literis *Ninive* appellatur: est ultra Tigrim, ait Stephanus, significat linguâ Phœniciâ *lapides congestos*, secundùm alios *columnas.* D. Hieronymus *de locis Hebraicis*, dicit hanc fuisse

fuisse nrbem regni Nemrod in Babylone, *Achad* dictam, postea *Nisibi* vocatam, & à Lucullo quondam Romano Consule obsessam, captamque, & ante paucos, inquit, annos, à Joviano Imperatore Persis traditam. Ejus meminit Honorius A. *in l. 4. C. de commer. & mercat.* dum ultra Nisibim merces ad Barbaros portari prohiberet. Hæc Constantina non longè à superiore ponitur: In aliis codicibus legitur *Constantia*, & ita oppidi imagini inscriptum habent omnes codices. Constantinus portum Gazæ in Palæstina ob desertam superstitionem, & pietatem Christianam apprehensam à Constantio filio *Constantiam* vocavit, Sozomenus lib. II. cap. v. ad fin. idem fortè huic evenit. Legio prima Parthica, & sequens, sub Magistris militum non reperiuntur. Inventas à Severo Dion lib. LV. scribit, & primam ac tertiam Parthicam, & in Mesopotamia constitutas, Marcellinus lib. xx. cap. VI. primam Parthicam, & primam Flaviam in Mesopotamia fuisse scribit.

II. PRÆFECTUS LEGIONIS SECUNDÆ Parthicæ excubabat Gephæ, qui locus est cis Euphratem. Hanc legionem cum duabus aliis ad Bezabdem munimentum locatas fuisse Marcellinus lib. xx. cap. VII. scribit: *Ad cujus*, inquit, *tutelam tres legiones sunt deputatæ, secunda Flavia, secunda Armeniaca, & Parthica item secunda, cum sagittariis multis Zabdicenis, in quorum solo tunc nobis obtemperantibus, hoc municipium est positum.*

QVÆ VERO DE MINORE

Laterculo emittebantur, ita disposita erant.

I. ALA SECUNDA nova Ægyptiorum manebat Chartæ, de qua supra.

II. ALA VIII. FLAVIA Francorum, morabatur Ripalthæ cis Euphratem. De Francis supra dictum fuit.

III. ALA XV. FLAVIA Carduenorum, populi sunt Mesopotamiæ, quos cum aliis tribus, & quindecim castellis à Joviano Persis turpiter traditos Zosimus lib. III. cap. XXXI. scribit, ex quibus hæc ala est desumpta. Alii sunt Cardueni Thraciæ populi in Chersoneso. Hæc ala degebat Caini in ipsa Mesopotamia.

II. COHORS XIIII. Valeriæ Zebdenorum, Majocariri residebat. Marcellinus *Mejacarire* lib. XVIII. cap. ult. vocat. *Zabidam* in Arabia Fœlici Stephanus ponit, unde hi sunt contracti, quare legendum esset *Zabidanorum*. Marcellinus lib. xx. cap. VII. Zabdicenos quosdam milites sagittarios appellat ex Zabdicenis populis contractos, quos & ipsos Zosimus loco cit. à Joviano Regi Persarum, pace turpiter facta, traditos memorat. Neque hoc, neque proximè præcedens oppidum est depictum, cætera verò repræsentantur: inter quæ Apadna nullum militem habet, quod sub Ducis superioris tutela esset, ut supra est visum. Hi sunt VI. Duces Orientis, nunc sequitur Dux Armeniæ.

NOTITIA.

DVX ARMENIAE

CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub diſpoſitione viri Spectabilis Ducis Armeniæ.

EQVITES Sagittarii, Sabu.
Equites Sagittarii, Domanæ.
Præfecturæ Legionis quintædecimæ Apollinaris, Satalæ.
Præfecturæ Legionis duodecimæ Fulmineæ, Melitenæ.

In Ponto.

Præfecturæ Legionis primæ Ponticæ, Trapezunte.
Ala Rizena, Dalearizæ.
Ala Theodoſiana apud Avaxam.
Ala Felix Theodoſiana, Sylvanis.

Et quæ de minore Laterculo emittuntur.

Ala prima Auguſta Colonorum, Chiacæ.
Ala Auriana, Daſcuſæ.
Ala prima Vlpia Dacorum, Suiſſæ.
Ala ſecunda Gallorum, Ælianæ.
Ala Caſtello Tablarienſi conſtituta.
Ala prima Prætorica nuper conſtituta.
Cohors tertia Vlpia miliaria Petræorum, Metitæ.
Cohors quarta Retorum, Analibæ.
Cohors miliaria Boſporiana Arauracæ.
Cohors miliaria Germanorum, Siſilæ.
Ala prima Jovia Felix, Chaſzanicæ.
Ala prima Felix Theodoſiana, Pithiæ.
Cohors prima Theodoſiana, Valentiæ.
Cohors Apuleia civium Romanorum, Yſiporto.
Cohors prima Lepidiana, Cænæ Parembolæ.
Cohors prima Claudia Equitata, Sebaſtopoli.
Cohors ſecunda Valentiniana, Zigannæ.
Cohors Mochoræ.
Officium autem habet ita:
Principem de Schola Agentium in rebus.
Numerarios, & Adjutores eorum.
Commentarienſem.
Adjutorem.
A libellis ſive Subſcribendarium.
Exceptores, & cæteros Officiales.

CAP. CLI.

DE DVCE ARMENIÆ.

COMMENTARIVM.

IN utraque Armenia Ponto attributa unum Ducem militibus præfuiſſe præter Notitiam Leo A. ad Erithrium P. P. *l. ultim. C. de diverſ. offic.* & Arcadius ad Rimiſteum *in l. 57. C. Th. de curſu publ.* ſcribunt. Is Comes poſtea eſt dictus, *l. ult. C. de offic. Magiſt. milit.* Juſtinianus Majorem Ar- A meniam, interiorem vocat, quæ & prima dicitur: Minorem verò, ſecundam ab Armeno Rhodio dictam, Stephanus ſcribit. Hic eadem quæ alii Duces, officium, & inſignia, *librum, & codicillos* habebat, præterea *ſeptem caſtrorum typos*, præter alia XVIII. quæ hic non delineantur. Itaque Armenia XXV. præſidia continebat, à duabus equitum turmis, alis X. legionibus tribus, & cohortibus X. defenſa, quæ poterant efficere circiter equitum MCC. peditum fermè octo millia. Ptolemæus & ipſe tres legionum præfecturas in limitibus Armeniæ ſtatuit. ſed in locis ab his, qui hic nominantur, diverſis. Ex munitionibus hic deſcriptis, tres ſunt quadratæ cum ro- B tundis turribus in angulis, quæ ſupra murum eminent; unde formam veterum munitionum hic ſpectare licet. Cùm verò Perſæ fines Romani Imperii ingreſſi, veteres limites turbaſſent, Juſtinianus, per Beliſarium ſtrenuum Ducem, illis magnis præliis fuſis, non ſolùm priſtinos Imperii fines recepit, ſed etiam protulit, & novos in finibus Barbarorum ſtatuit, ac proprium Magiſtrum militum Ponto Polemoniaco, & utrique Armeniæ, aliiſque gentibus ſubactis præfecit, *l. ult. C. de offic. Magiſt. milit.* Mox quatuor Armeniis conſtitutis, *Novell.* 31. tertiæ Comitem impoſuit, qui non tantùm populis, ſed etiam militibus imperaret. Noſter hic Dux Armeniæ C in Ponto, quatuor præſidiis præerat: ſub quo ſequentes de majore Laterculo emiſſi milites Armeniam tuebantur.

I. EQVITES SAGITTARII excubabant Sabu. *Sabus* Itinerarium appellat.

II. EQVITES SAGITTARII degebant Domanæ: hanc in Armenia minore collocat Ptolemæus: hujus etiam & ſequentium Itinerarium meminit. Marcellinus lib. XXIII. cap. III. *Davanam* appellat, ubi caſtra præſidiaria fuiſſe ſcribit.

I. PRÆFECTVRÆ Legionis XV. Apollinaris Tribunus Satalæ manebat: Hæc eſt urbs Armeniæ, ait Stephanus, cujus & Juſtinianus meminit *in d. Novel.* D 31. Duæ in Marmaria fuerant Apollinis civitates, Magna, & Parva: ex quarum altera hanc legionem contractam fuiſſe credo & *Apollinarem* vocatam. *Apolloniam* vocat Dion lib. LV. quam ait in Cappadocia excubaſſe, & à Veſpaſiano inſtitutam, & inde in Pannoniam ac demum Satalam traductam: eam in prima Armenia Juſtinianus ſtatuit, *d. Nov.* 31. Nulla legionum hujus Ducis apud Magiſtros militum fuiſſe reperitur.

II. PRÆFECTVRÆ Legionis XII. Fulmineæ Tribunus Melitenæ ſtativa habebat. Hanc quoque ab Auguſto inſtitutam, & à Veſpaſiano in Cappadocia locatam Dion loco cit. memorat, quæ etſi Fulmina- E trix eſt vocata, juſtius tamen hoc nomine M. Antonino imperante eſt appellata, ut aliàs explicui. Ex qua quatuor milites martyrio coronatos Procopius, Oroſius lib. VI. c. XV. Tertullianus *ad Scap.* & in *Apologetico*, Euſebius in *Chron.* & lib. V. c. V. Metaphraſtes IX. *Janu.* ſcribit, *de adif. Juſtin.* lib. I. loquens enim de Irenæi martyris templo ab eodem Juſtiniano condito ait: *Ibi recondita ſunt reliquiæ jam olim virorum ſanctorum quatuor, qui Romani milites in* XII. *legione erant deſcripti, quæ in urbe ſecundæ Armeniæ metropoli Melitena quondam fuerat conſtituta.* Hæc ille. Eam urbem antiquam inſignemque in fœlici ſolo, & cœlo non longè à flumine Euphrate in F tertia Armenia, ſeu minore Juſtinianus *in d. Nov.* 31. ponit. Marcellinus l. XIX. cap. VIII. & XX. cap. XI. *Melitenam*, inquit, *minoris Armeniæ oppidum venimus.* De hac ita Procopius lib. III. *de ædific. Juſtiniani*: *Erat locus in Armenia non longè ab Euphrate, in quo præſidium Romanorum militum conſtitutum fuerat: locus is Melitena: Præſidium verò illud*

legio

legio vocabatur. Illic fortè munitionem quadratam in terra plana Romani quondam ædificarunt: At cum Trajano Romano Imperatori commodum videretur, in urbem munitam locus cessit: fuitque ea metropolis gentis constituta. Procedente verò tempore crevit urbs Melitenorum, ac civium multitudine abundavit: itaque cum intra murum habitare non possent, quia breviore spacio conclusa erat, in campo illi proximo domos ædificarunt, templaque sibi ipsis fecerunt, Præfectorumque diversoria, ac forum aliaque quæ sunt urbium insignia, plateas, porticus, balneas, ac theatra, & si quid aliud, ad magnæ urbis ornatum, pertinet: atque hoc pacto contigit Melitenem muris, munitionibus, turribusque carere. Verùm Anastasius Imperator eam totam mœnibus circundare cœpit, sed voluntate nondum perfecta, in fata concessit. Imperator autem Justinianus illam ex omni parte muro cinxit, effecitque ut Melitene magnum esset Armeniæ munimentum, simul & ornamentum. Hæc ille. Aliam Melitenem in Cappadocia Stephanus ponit.

QVÆ VERO SEQVVNTVR COPIÆ IN PONTO DEGEBANT.

Notitia sub Duce Armeniæ Pontum ponit, sed Leo A. utrique Armeniæ & utrique Ponto, proprios Duces postea dedit, *l. ult. §. ult. C. de divers. offic.* antea ergo hi ex majore Laterculo emissi in Ponto excubabant.

III. PRÆFECTVRÆ LEGIONIS Primæ Ponticæ statio erat Trapezunti. Hanc Ponti Polemoniaci urbem fuisse, Justinianus memorat, sed ipse quatuor constituens Armenias, hanc primam fecit, *d. Novell.* 31. fuit insignis civitas, ac eruditos viros edidit, inter quos Georgium Trapezuntium. Stephanus eam in Ponto Euxino, Sinopensium coloniam esse tradit: ibi ex buxo mel grave olens fluere, Aristoteles scribit *de admirabilibus audit.* quod comedentes in furorem agit; epilepticos verò sanat.

I. ALA RIZENA Dalearizæ habitabat: ex Risana Illyridis oppido, nunc *Rudine* dicto, hæc ala est contracta, vel potius ex Rizeo loco, post Trapezuntiorum fines, ut ait Procopius lib. III. *de ædific. Justiniani*, quem Justinianus munivit. Dalcariza ignobile oppidum fuisse puto, quia inter urbes Ponti à Justiniano *Novel.* 28. recensitas omittitur. In manuscriptis, quos mendosos puto, pro una, duæ alæ ponuntur, videlicet ala Rizena, & ala Dalearıza. vetustus codex legit, *Alcadearıza*.

II. ALA THEODOSIANA Avaxam tuebatur.

III. ALA FOELIX THEODOSIANA Sylvaniis residebat. In recensendis Ponti civitatibus, hæ à Justiniano prætermittuntur, vel tanquam castra ignobilia, vel quia tunc erant deleta.

QVÆ VERO DE MINORE LATERCVLO EMITTEBANTVR ALÆ, ET COHORTES SEQVVNTVR. Hæ tam in Ponto quàm Armenia residebant.

IV. ALA I. AVGVSTA Colonorum Chiacæ stativa habebat: Hujus meminit Itinerarium, & sequentium. Aliud hujus nominis oppidum est in Sicilia Ptolemæo. Hæc ala ex oppido Colonia est desumpta, quod in prima Armenia fuisse, Justinianus memorat *in d. Novel.* 31.

V. ALA AVRIANA: Auria oppidum est Hispaniæ, unde hæc ala est collecta, Dascusæ morabatur. *Dascutam* Ptolemæus vocat, in Armenia minore Orosius lib. I. non longè à fonte Euphratis in finibus Cappadociæ & Armeniæ ponit.

VI. ALA I. VLPIA Dacorum, ex Dacis ab Vlpio oppido contracta, Suisliæ excubabat: *Sossam* Itinerarium appellat.

VII. ALA II. Gallorum Ælianæ habitabat.

VIII. ALA Castello Tablariensi constituta: Hæc ala nomine caret, nisi Tablariensis vocetur.

IX. ALA I. PRÆTORICA nuper constituta: fortè legendum *Prætoria*, ab Augusta Prætoria. Huic oppidi nomen deest, quod nuper constituta nondum ad certum locum esset destinata: vel Prætoria locus præsidii vocatur.

I. COHORS III. VLPIA Miliaria Petræorum stativa habebat Metitæ. Petræorum civitas fuit Lazicæ regionis, prope Polemoniacum Pontum, postea à Justiniano urbs facta, & ab eo *Justinianea* appellata, quam ipse in Ponto ponit, *Novell.* 28. §. 1. Ptolemæus in Armenia minore, sub Laviniensi præfectura locat, quæ diversitas, ex variis provinciarum divisionibus per tempora factis provenit. cur *Miliaria* cohors vocetur, supra est dictum. Vetustus codex hic & infra legit *Militaria*.

II. COHORS IIII. RETORVM morabatur Analibæ: *Analiblam* vocat Ptolemæus, est & ipsa in Armenia minore. Ex Retiis sumpta est hæc cohors.

III. COHORS MILIARIA Bosporiana: lego *Bosphorana*, ex populis Bosphoranis, suprà Bosphorum Cimerium lecta: excubabat Arauracæ in Armenia minore. Præfecturas limitum Aravenæ, seu juxta Euphratem, Ptolemæus recenset, quæ fortè sunt istæ, sed mutata sunt nomina.

IV. COHORS MILIARIA Germanorum residebat Sisilæ: *Sisilisas* vocat Procopius lib. III. *de ædif. Justin.*

X. ALA I. Jovia Fœlix Chaszanicæ morabatur.

XI. ALA I. Fœlix Theodosiana degebat Pithiæ. Pitium Justinianus Polemoniaci Ponti castrum non civitatem fuisse dicit, *in Nov.* 28. in Caria ponit Stephanus Pitium.

V. COHORS I. Theodosiana manebat Valentiæ, à Valente dictæ, qui eam ædificavit.

VI. COHORS Apuleja Civium Romanorum Ysiporto morabatur: Hanc cohortem ex Apulo Daciæ oppido contractam puto, quæ Colonia civium Romanorum fuit à Trajano deducta, *l. 1. ad fin. ff. de censib.* & ideo cives Romanos se vocant: In manuscriptis est *Apuleta*.

VII. COHORS I. Lepidiana incolebat locum Cœnæ Parembolæ dictum; fortè à Regio Lepidi extracta. Cœna Parembola est communis tentoriorum ordo consertus, & continuata series, ex metatione castrensi constans, de quo Suidas, κοινὴ enim Græci *communem* vocant.

VIII. COHORS I. Claudia Equitata habitabat Sebastopoli, idem est quod Augusta civitas. Polemoniaci Ponti castrum quondam fuisse Justinianus refert *Novell.* 28. Postea mutata provinciarum forma Armeniæ secundæ urbem fuisse memorat, *Novell.* 31. Stephanus olim *Dioscuriam* appellatam esse scribit, à Castore & Polluce, qui Dioscuri, id est, Jovis filii dicebantur, & simul cum Jasone Pontum sunt ingressi, teste Trogo lib. I. *Nunc*, inquit, *Sebastiam appellant in Armenia oppidum.* Procopius lib. III. *de ædif. Justin.* antea castellum cum præsidio fuisse dicit, quod Justinianus muro circundatum inexpugnabile, & ædificiis exornatum urbem pulchritudine & magnitudine insignem fecit.

IX. COHORS II. Valentiniana Zigannæ excubabat. *Zigana*, per simplex *n*, Itinerarium scribit, in Ponto est sita.

X. COHORS Mochoræ stativa habebat, qui locus est Armeniæ. *Mochuram* Arabiæ Fœlicis urbem esse Ptolemæus scribit, unde *Mochurata*. Cohortis nomen deest. Hæc loca & plura ex superioribus, Justinianus in recensendis Armeniæ urbibus prætermittit: unde aut ignobilia castra erant, aut tunc diruta. Hæc de Duce Ponti. Nunc duo Thraciarum sequuntur.

NOTI-

NOTITIA.
DVX SCYTHIAE
CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione Viri Spectabilis Ducis Scythiæ.

CVNEVS equitum Scutariorum, Sacidavæ.
Cuneus equitum Solensium, Capidavæ.
Cuneus equitum Stablesianorum, Cii.
Cuneus equitum Stablesianorum, Bireo.
Cuneus equitum Cataphractariorum, Arubio.
Cuneus equitum Armigerorum, Ægysso.
Cuneus equitum Arcadum, Talamonio.

Auxiliares.

Milites Nauclarii, Flavianæ.
Milites Superventores, Axiupoli.
Milites Scythici, Carso.
Milites secundi Constantiani, Trosmis.
Milites Scythici, Dirigothia.
Milites primi Constantiani, Novioduno.
Milites quinti Constantiani, Salsovia.
Milites primi Gratianenses, Gratiana.

A *Item Legiones Ripariensés.*

Præfecturæ Legionis secundæ Herculianæ, Trosmis.
Præfecturæ Ripæ Legionis secundæ Herculiæ, Cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, Axiupoli.
Præfecturæ Legionis Herculiæ, Cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, Trosmis.
Præfecturæ Legionis primæ Joviæ, Novioduno.
B Præfecturæ Ripæ Legionis primæ Joviæ, Cohortis quintæ Pedaturæ superioris, Novioduno.
Præfecturæ Ripæ Legionis primæ Joviæ, Cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, Accisso.
Præfecturæ Ripæ Legionis primæ Joviæ, Cohortis secundæ Herculiæ, Musculorum Scythicorum & Classis, in Platypegiis.
Officium autem habet ita:
Principem de eodem Officio, qui completa militia adorat Protectorem.
Numerarios, & Adjutores eorum.
C Commentariensem.
Adjutorem.
A libellis sive Subscribendarium.
Exceptores, & cæteros Officiales.

CAP.

CAP. CLII.

DE SPECTABILI DVCE SCYTHIÆ.

SCYTHIA ab Ortu habet Seres, & Sarmatiam Asiaticam: ab Occasu alios Sarmatas Europæos: à Meridie Sacos, & Sogdianos: à Septentrione terram incognitam, vulgò *Tartariam* vocatam. Secatur per medium, ab Imavo monte, & Tanai fluvio: Sed hic Scythia accipitur, quæ est ultra Danubium, supra Mysiam inferiorem, & extenditur per oram maris Euxini, circa paludem Mæotidem, qua Danubius Pontum Euxinum ingreditur, ut dictum est in Vicario Thraciæ. Imperante Valeriano Vopiscus in *Aureliano* cap. XIII. Amulium Saturninum Scythici limitis Ducem fuisse scribit. Is eadem, quæ alii Duces, habet insignia, *Librum scilicet, & codicillos convolutos, cum septem munitionibus* suæ provinciæ, omnibus *quadratis, & turribus in angulis*, item *quadratis, quas Danubius interfluit*. Præter hæc alia quindecim erant oppida, quorum imago non cernitur: Itaque fuêre hujus limitis XXII. præsidia, à septem equitum cuneis, & VIII. numeris militum, & VIII. legionibus, aut partibus legionum defensa: omnes simul DCC. equites, & novem millia peditum efficere poterant.

Officium habet ita: Principem de eodem officio, qui completa militia adorabat, id est, salutabat, *Protectorem*: sed fortè legendum *Principem*, vel, *Purpuram inter Protectores*, quia solus Princeps non alii adorabantur, *l. 2. C. de fabricens. l. 1. C. de silentiar. l. 1. C. de Comitib. & tribun. scholar.* Præterea cùm plures essent Protectores, non diceret Protectorem in singulari, quia de quo loqueretur, non constaret. Simile privilegium datur Apparitoribus P. Urb. ut singulis annis adorent sacram purpuram, *l. 1. C. de apparitor. præf. urb.* & Corniculariis P. Pretorio, non aliis, *dict. l. 1.* Habet Dux Scythiæ & *Numerarios, ac Adjutores eorum, Commentariensem, Adjutorem, A libellis, sive Subscribendarium, Exceptores, & cæteros Officiales*, quemadmodum & alii Duces, qui omnes sunt probandi codicillis à Scriniariis libellorum conscriptis, & à Principe, mox Duce subscriptis, *dict. l. ult. C. de divers. offic.* Ad hos inter cætera spectabat onus exornandæ classis Istricæ, navium CXXV. ut quotannis pro septima parte renovaretur, *l. 1. C. Theo. de lusoriis Danubii.* Quod etiam Magistri militum per Thracias, qui hanc regionem tuebatur, munus erat. Hæ Ducis Scythiæ copiæ in prædictis castris excubabant.

I. CVNEVS EQVITVM Scutariorum stativa habebat Sacidavæ, quam citra ripam Danubii, in Mysia inferiore Ptolemæus collocat. Hujus, & sequentium, Itinerarium meminit. Hoc oppidum depictum non reperitur, sub sequente enim Duce Mœsiæ secundæ in alio cuneo equitum rectius repræsentatur.

II. CVNEVS EQVITVM Solensium Capidavæ morabatur: Mysiæ inferioris urbs est Itinerario. *Solenses* à Sole Ciliciæ oppido dicti, quod Solon, inquit Suidas, ædificavit: postea *Pompejopolis* est vocatum, quia Pompejus Piratas, quos servaverat, eò transtulit: Alius cuneus equitum Solensium militabat cum Duce Mœsiæ secundæ. Hi sub nullo Magistro reperiuntur.

III. CVNEVS EQVITVM Stablesianorum degebat Cii: in Mysia inferiore: ad Danubium hoc oppidum ponit Itinerarium. Hic cuneus est unus ex X. Vexillationibus Comitatensibus Magistri militum per Orientem, qui equites secundi Stablesiani dicebantur, quorum pars Comiti Ægypti inserviebat, & duo cunei huic Duci: unde Vexillationes in cuneos divisas fuisse apparet.

IV. CVNEVS EQVITVM Stablesianorum præerat Bireo. Hæc omnia sunt loca ultra Danubium: *Biroe* legitur in Itinerario, apud quod hæc oppida nominantur.

V. CVNEVS EQVITVM Cataphractariorum Arubio insidebat, citra Danubium: *Arrubio* scribit Itinerarium. Hic, & sequentes erant ex X. Vexillationibus Comitatensibus Magistri militum per Orientem, aut ex V. Palatinis Magistri Præsentalis, quorum cunei etiam Duci Mœsiæ inserviebant.

VI. CVNEVS EQVITVM Armigerorum habitabat in Ægysso: *Ægyso* apud Itinerarium.

VII. CVNEVS EQVITVM Arcadum manebat in Talamonio, qui locus est citra Danubium. *Telamonem* urbem in Tyrrhenia fuisse Stephanus scribit. Hic etiam erat pars unius ex V. Vexillationibus Palatinis Magistri militum Præsentalis.

AVXILIARES VERO HI ÉRANT.

I. MILITES Nauclarii degebant Flavianæ trans Danubium, fortè, quod naves CXXV. classis Danubii sequerentur, & tuerentur, *Nauclarii* sunt vocati: Erant & milites tertii Nauclarii sub sequenti Duce Mœsiæ secundæ.

II. MILITES Superventores habitabant Axiupoli, urbs in Troglodytis secundum Danubium, citra Axium Macedoniæ fluvium, in sinum Thermaicum erumpentem, inquit Ptolemæus, unde *Axiupolis*, id est, Axii civitas. Axium olim Bardarium dictum vult Zonaras in *Basilio Porphyrogenneta*. Repentinum verò hostis adventum vocat *superventum* Vegetius lib. III. cap. VI. & subjungit: Globus autem dicitur, qui à sua acie separatus vagos superveniens incursat hostes. Hi ergo ab aliis separati, quòd repentina incursione hostes invaderent, *Superventores* potuerunt appellari; sicut & *Præventores*, quorum infrà fiet mentio, qui hostes præveniebant, & eos turbabant, vel ante ipsos locum castris opportunum præoccupabant. Horum meminit Marcellinus lib. XVIII. cap. IX. *Tricesimani*, inquit, *Decimanique Fortenses, Superventores, & Præventores, cum Æmiliano jam Comite, quos Tyrones, tum etiam Novellos, hortante adhuc memorato Protectore erupisse Singara, Persasque fusos in Somnium retulimus trucidasse quàm plures.* Manuscriptus legit, *Milites superventorum*: auxiliares erant, nec cohortis, vel legionis formam habentes, quorum numerus sciri nequit.

III. MILITES Scythici in Carso morabantur. *Carsum* vocat Itinerarium, Ptolemæus citra Danubium ad ripam ponit. Horum auxiliarium meminit Marcellinus lib. XX. cap. VIII. loquens de Constantio: *Auxilia*, inquit, *Scytharum poscebat mercede vel gratiâ.*

IV. MILITES Secundi Constantiani stativa habebant Trosmis. *Trosmis* habet Ptolemæus, citra Danubium ad ejus ripam. Legionem primam Jovianam Scythicam Itinerarium hic collocat, quæ legio Antoninis imperantibus nondum erat, quare aut Itinerarium non est Antonini, aut plura illi volumina à posterioribus addita fuêre. Videndum an pro Trosinis legendum sit *Tomis*: de qua ita Sozomenus lib. VI. cap. XXI. *Scythia multas quidem urbes, pagos, & castella, sed principatum obtinuit Tomis, quæ est urbs magna & opulenta prope mare sita ad lævam, cum quis ad Pontum Euxinum navigat. Vetus consuetudo est, quæ ibi etiamnum servatur, ut unus Episcopus totius illius gentis Ecclesiis præsit.*

v. MILITES Scythici incolebant Dirigothiam. *Dimigothia* est apud Itinerarium, *Dinogetia* apud Ptolemæum.

vi. MILITES Primi Constantiani insidebant Novioduno; id ponit Ptolemæus citra Danubium, secundum ejus ripam. Noviodunum etiam est in Pannonia in Occidente, quod ab hoc diversum esse videtur, nisi utriusque Imperii Duces ad hoc oppidum castra conjunxissent: prope enim ejus fines erant. Dunum est Moesiæ secundæ civitas, hoc verò Noviodunum alibi *Nebiodunum* vocatur, *l. 1. C. de vestibus holober.* sed Noviodunum Marcellinus appellat lib. XXVII. cap. v. *Per Noviodunum*, ait, *navibus ad transmittendum amnem connexis . . . . . Greuthungos bellicosam gentem aggressus est*: Ibi Valens aliqua Jura condidit, *l. 4. C. de conveniend. fisci debitorib.* Itinerarium Novioduni legionem II. Herculeam locat. est & aliud Noviodunum in Helvetiis, quod ab ipsis in Julii Cæsaris invidiam incensum fuisse Dion memorat lib. XL.

VII. MILITES Quinti Constantiani Salsoviæ manebant, cujus Itinerarium meminit: Erant ex XVIII. Auxiliis Palatinis Magistri militum in præsenti.

VIII. MILITES primi Gratianenses Gratianam tenebant, unde sunt appellati: Urbs est in Illyricorum finibus, ait Procopius libr. I. *de bello Goth.* Aliqui putant esse Gradiscam.

ITEM LEGIONES RIPARENSES.

RIPARENSES dicti sunt, qui ad fluminum ripas castra habebant, quòd ut plurimùm in limitibus Imperii eveniebat. Gratianus A. *in l. cum supra 12. C. de re milit. Cum suprà virentes fluminum ripas*, ait, *omnis legionum multitudo consistit: nullus omnino immundo fimo sordidatis fluentis commune poculum pollnat.* Herodianus in VI. *Romanorum castra*, inquit, *imposita fluminum ripis Imperii limites tuentur.* Hinc castra Riparensia *Castrensiana* ab Arcadio sunt dicta *in l. contra 14. C. eod. tit.* Inde etiam Pannonia secunda & Dacia *Riparenses* sunt dictæ à ripis fluminum, ubi milites castrametabantur, sic *Castrensiani* milites dicti, qui in castris Riparensibus perpetuò excubabant. Quæ hac in regione Danobii ripam tuebantur legiones erant numero septem.

I. PRÆFECTVRÆ Legionis secundæ Herculianæ habitantis Trosmis, seu Trismis, de quibus supra: Eundem enim locum Auxilia secunda Constantiana incolebant. Hic tota legio non mansit, ut ex sequentibus constat, unde fortè cohortis numerus, aut nomen hîc deest, vel pars legionis pro tota nominatur. Nulla legio hujus Ducis sub Magistris militum reperitur; in vetusto codice, hîc & in sequentibus legitur, *Præfectus.*

II. PRÆFECTVRÆ Ripæ Legionis secundæ Herculiæ, cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, manentis Axiupoli: de qua supra. Pedaturam vocat pedationem seu munitionem ex aggeribus, & pedamentis factam ad ripam. Pedationem enim Columella lib. IV. c. XII. pro fulcimento, quo pedamentis vinea sustinetur, accipit: Pedaturam ergo inferiorem intelligit, ubi stabat quinta cohors secundæ legionis Herculiæ, non tota legio, cujus pars erat etiam Trosmis, ut in sequenti.

III. PRÆFECTVRÆ Legionis Herculiæ, cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, Trosmis commoranti, de qua in proximè præcedenti.

IV. PRÆFECTVRÆ Legionis primæ Joviæ Noviodúno insidebat, de quo supra: & hîc puto deficere cohortis numerum, quia tota hæc legio hîc non residebat, sed per plura oppida sequentia erat divisa, & fortè prima cohors, vel alia hujus legionis hîc stativa habuit.

V. PRÆFECTVRÆ Ripæ Legionis primæ Joviæ, cohortis quintæ Pedaturæ superioris, Novioduno castra habentis. Hanc Præfecturam vitio scriptoris duplicatam, & præcedentem, apud quam cohors deest, ex hac supplendam esse puto.

VI. PRÆFECTVRÆ Ripæ Legioois primæ Joviæ, cohortis quintæ Pedaturæ inferioris Accisso; oportuit hanc quintam eohortem legionis primæ Joviæ divisam fuisse, quia duobus in locis statuitur, aut alter numerus pro quinta substituendus.

VII. PRÆFECTVRÆ Ripæ Legionis primæ Joviæ, cohortis secundæ Herculiæ, Musculorum Scythicorum, & classis, in Platypegiis, quæ vox Latinè sonat, *latam plagam.* Hujus legionis cohors secunda Herculia est dicta, cùm legio Jovia cognominaretur, & præerat Musculis, id est, minoribus machinis, quibus tecti milites fossas complanabant: Horum meminit Cæsar libr. VII. *belli Gallici*, & II. *belli civilis.* Classis quoque stationem habebat Platypegiis, qui locus erat ad Pontum Euxinum, ubi stabat Classis CXXV. navium, quæ hoc ordine cura Ducis, & ejus officii reparabatur. XVII. quotannis novæ fabricabantur, ita ut per septennium compleretur numerus navium CXIX. Ex illis XVII. quinque *Judiciaria*, decem *Agrarienses* appellabantur, fortè quòd Judices & Domini pro numero agrorum ad eas construendas stipem conferrent. Lusoriæ hæ naves, seu rates vocabantur, *l. 1. C. Theod. de lusor. Danub.* ita etiam appellat Marcellinus, & Vegetius lib. II. cap. I. *Classium*, inquit, *duo sunt genera, unum Liburnarum, aliud Lusoriarum: Classibus enim maria vel flumina, peditibus colles, urbes, plana, & arbusta servantur.* & in fine operis eas per Danubium excurrisse dicit: Itaque naves illæ annis septem durabant, & quotannis pars renovata classem perpetuò integram conservabat. In Ursini Codice mendosè legitur, *Xyplatypegiis.*

NOTITIA.

DUX MOESIÆ SECUNDÆ

CUM INSIGNIBUS.



NOTITIA.

Sub diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis Mœſiæ ſecundæ.

CUNEUS equitum Scutariorum, Securiſcæ.
Cuneus equitum Solenſium, Duno.
Cuneus equitum Scutariorum, Latris.
Cuneus equitum Armigerorum, Sexagintapriſtæ.
Cuneus equitum ſecundorum Armigerorum, Tegræ.
Cuneus equitum Scutariorum, Appiariæ.
Cuneus equitum Stableſianorum, Sucidavæ.

Auxiliares.

Milites Præventores, Anſamo.
Milites Conſtantini, Trimammio.
Milites Daciſci, Mediolano.
Milites tertii Nauclarii, Appiariæ.
Milites Novenſes, Tranſmariſcæ.
Milites primi Mœſiaci, Candidianæ.
Milites Mœſiaci, Teglicio.
Milites quarti Conſtantiani, Duroſtoto.
Milites Cimbriani, Cimbrianis.
Milites Nauclarii Altinenſes, Altino.

A *Item Legiones Riparenſes.*

Præfectura Legionis primæ Italicæ, Novis.
Præfectura Ripæ Legionis primæ Italicæ, cohortis quintæ Pedaturæ ſuperioris, Novis.
Præfectura Ripæ Legionis primæ Italicæ, cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, Sexagintapriſtæ.
Præfectura Legionis undecimæ Claudiæ, Duroſtoro.
Præfectura Legionis undecimæ Claudiæ, cohortis quintæ Pedaturæ ſuperioris,
B Tranſmariſcæ.
Præfectura Ripæ Legionis undecimæ Claudiæ, cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, Tranſmariſcæ.
Præfectura navium Amnicarum & militnm ibidem deputatorum.
Officium autem habet ita:
Principem de eodem officio, qui completa militia adorat Protectorem.
C Numerarios, & Adjutores eorum.
Commentarienſem.
Adjutorem.
A libellis, ſive Subſcribendarium.
Exceptores, & cæteros Officiales.

Et quæ de minore Laterculo emittuntur.

In provincia Rhodopa, Cohors quarta Gallorum, Ulucitræ.
In provincia Thracia Cohors prima Aureliana, ſub radice Viamatæ.
Cohors tertia Valeria Baccarum Draſdeæ.

CAP. CLIII.

DE DUCE MOESIÆ SECUNDÆ.

COMMENTARIVM.

DUÆ ſunt inter Æmum montem, & Danubium Mœſiæ, ſeu Myſiæ. Prima, quæ ſuperior, & ſecunda, quæ inferior vocatur, ut appellant codices manuſcripti, & Jureconſulti *in l. apud hoſtes. ff. de captiv.* Quælibet proprium Ducem habebat, & utrique eadem erant inſignia, & officium, videlicet *liber*, & *codicilli* magiſtratus, prout in aliis Ducibus eſt viſum. Urſini codex, etſi turbata oſtendit eorum inſignia, Ducem tamen Mœſiæ primæ, Duci Mœſiæ ſecundæ, ut puto rectiùs præmittit. Ego verò impreſſi ordinem ſequor: Prius univerſæ Illyrico, id eſt, Mœſiis, & Daciæ, Thraciiſque unus Dux præerat: ſub Valeriano enim Ulpius Crinitus Illyricum protexit: auctor eſt Spartianus Regillianum ſub Gallieno Illyrici Ducem fuiſſe, & Marcellinus lib. XVIII. c. III. Valentinum ſub Conſtantio ex Primicerio Protectorum Tribunum, Ducem in Illyrico egiſſe: Poſtea verò ſeparatim his provinciis proprius Dux datus fuit: Theodoſium enim, qui deinde imperavit, prima lanugine juvenem, Ducem Mœſiæ fuiſſe, idem Marcellinus lib. XXIX. ad fin. ſcribit, ſed de qua Mœſia loquatur, non aperit. Mœſia ſecunda ſeu inferior ad Pontum Euxinum tendens Bulgaria, ſeu Segiria nuncupatur. Ejus Dux habebat *imagines* VII. *munitionum*, quarum *duæ contigua rotundaque* habebant propugnacula, ſcilicet Tegra, & Latris. Auxiliares in aliis XV. oppidis degebant, cum legionibus & cohortibus. Itaque omnia erant XXII. Præſidia, quæ à VII. cuneis equitum, X. auxiliarium peditum numeris, & cohortibus III. aliiſque VI. legionibus defendebantur. Septima cohors erat Claſſica: Omnes poterant eſſe equites DCC. peditum circiter octo millia. Hic Dux officium eodem modo habebat, quo Dux Scythiæ, *d. l. 1. C. Th. de luſor. Danub.* reparandæque claſſis Myſiacæ centum navium, quæ *luſoriæ* vocabantur, *d. l. 1. C. T. de luſor. Danub.* curam habebat. Hujus Ducis de majore Laterculo hæ copiæ emittebantur.

I. CVNEVS Equitum Scutariorum manebat Securiſcæ, quam vetuſtate collapſam Juſtinianus reſtituit. Procopius lib. IV. *de ædif. Juſtin. Poſt regionem,* inquit, *quam Burgum vocant, Securiſcam caſtellum ædificavit Juſtinianus, idque novum fecit.* Erant Scutarii ex VII. Vexillationibus Comitatenſibus primi Magiſtri militum Præſentalis, & ex VI. alterius: Iidem ſerviebant Comiti Ægypti Peluſii.

II. CVNEVS Equitum Solenſium Duno degebat. Alius Solenſium Cuneus cum Duce Scythiæ merebat. Duno autem ſignificabat collem, ut ait Goropius libro primo *Gallicorum*, & multa oppida in hanc vocem deſinunt, ut Singidunum infra ſub ſequenti Duce Mœſiæ primæ, & Segedunum ſub Duce Britanniarum.

III. CVNEVS Equitum Scutariorum Latris ſtativa habebat. Hi & ſequentes ſunt ex VII. Vexillationibus Comitatenſibus primi Magiſtri militum Præſentalis, aut ex X. Magiſtri militum per Orientem; quorum duo Cunei, alter cum Duce Scythiæ, alter
A cum Duce Ægypti militabat. Manuſcripti pro Latris, mendosè habent, *latius.* Latrum enim Mœſiæ flumen fuiſſe Jornandes *de reb. Geticis* ſcribit: *Cniva,* inquit, *Nicopolim accedit, quæ juxta Latrum fluvium eſt civitas notiſſima:* Hinc denominatum eſt oppidum Latris, ubi hic Cuneus reſidebat, & ſecundum fluvium Latrum caſtrametabatur.

IV. CVNEVS Equitum Armigerorum Sexagintapriſtæ morabatur. Hic eſt ex ſeptem Vexillationibus Comitatenſibus Magiſtri militum per Orientem, quorum Cuneus militabat ſub Duce Scythiæ: Itinerarium pro Sexagintapriſtæ legit, *Sex tanta Piſtris.* Socrates in *Hiſtoria Eccleſiaſtica,* Τεξανταπρι-
B σαὶ, id eſt, *Texantapriſta.* Urſini codex habet *Sexaginta,* ſine alia dictione: ut intelligantur hi equites LX. fuiſſe: Sed eſt nomen loci, qui vel *Sextantapriſta*, vel *Sexagintapriſta* vocabatur: utrumque enim reperitur, infra in legione, quæ ibidem habitabat. *Tiriſta* Ptolemæo eſt urbs Myſiæ inferioris, *Briſta* à Cedreno vocata.

V. CVNEVS Equitum ſecundorum Armigerorum Tegræ reſidebat. *Tigram* Itinerarium vocat.

VI. CVNEVS Equitum Scutariorum manebat Appiariæ. Itinerarium hujus meminit, & ſequentis. Hic degebant & Tertii Nauclarii pedites, de quibus infrà.

C VII. CVNEVS Equitum Stableſianorum hoſpitabatur Sucidavæ. Etiam præcedens Dux Sucidavæ præerat, quæ ab hac videtur diverſa fuiſſe; quia duo Duces in diverſis provinciis eidem oppido non præſidebant, niſi dixerimus utrumque prope hoc oppidum caſtrametatum fuiſſe. Hic Cuneus erat ex X. Vexillationibus Magiſtri militum per Orientem. Alter ejuſdem nominis ſub Comite Ægypti militabat.

AVXILIARES VERO COPIÆ *erant iſta.*

I. MILITES Præventores Anſamo præſidebant:
D hi, quòd cæteros in pugna prævenirent, *Præventores* ſunt appellati: *Superventores* verò, qui prælio ſuperveniunt, de quibus ſuprà.

II. MILITES Conſtantini ſtativa habebant Trimammio. *Triomammium* appellat Itinerarium. *Trimanium* Ptolemæus.

III. MILITES Daciſci, ex Daci proxima regione, in Mediolani oppido excubabant. Aliud eſt Mediolanum Inſubrium, ubi multa Jura ſunt condita, *l. 2. C. de bonis vacantib. l. 6. C. de ann. & tribut. l. 6. & 7. C. de exactorib. tribut. l. unic. C. de ſuperindicto. l. fin. C. ne de ſtatu defun. l. 6. C. qui teſt. facer. poſſ. l. pen. C. de excuſ. tut.* cum multis aliis. Multa ſunt
E hujus nominis oppida, ut apud Inſubres in Galliis & Germania; ſignificat hæc vox ſecundum Goropium lib. 1. *Gallicorum* in fin. linguâ Cimbricâ regionem ſuppeditantem magnam copiam methodorum.

IV. MILITES tertii Nauclarii habitabant Appiariæ, ubi etiam Cuneus equitum Scutariorum: Hi, claſſem, ut puto, ſequebantur, de quibus ſuprà, in præcedente Duce Scythiæ. Appiaria, & ſequentia oppida, ponuntur etiam in Itinerario.

V. MILITES Novenſes Tranſinariſcæ morabantur, ex Novæ oppido, ad ripam Danubii ubi excubabant, *Novenſes* ſunt appellati. *Tromariſcam* Ptolemæus vocat, quam ſecundum ripam Danu-
F bii, Pontum Euxinum verſus ponit; ubi, inquit, erat legio ſcilicet XI. Claudia, de qua infra. Hic quandoque Jura Diocletianus condidit, *l. 28. C. de fideicom.* in quibus mendosè legitur *Trans mare* pro *Tranſinariſca.*

VI. MILITES primi Mœſiaci Candidianæ ſtativa habebant, ita etiam Itinerarium appellat.

VII. MI-

VII. MILITES Mœsiaci in Teglicio oppido residebant, ad ripam Danubii: *Teglicio* legit Itinerarium; fortè hi milites secundi, Mœsiaci appellandi, ad differentiam præcedentium.

VIII. MILITES quarti Constantiani Durostoro: *Dorosdoro* in Itinerario, ubi, inquit, legio XXI. Claudiæ. *Dorostoro* verò apud Marcellinum lib. XXVII. cap. IV. *Mysia*, ait, *ubi Marcianopolis, à sorore Trajani Principis ita cognominata, & Dorostorus, & Nicopolis, & Odyssus*. Ptolemæus *Durostorum* appellat, ubi, inquit, est legio prima Italica. *Durostolam* alii legunt, quæ & *Dristra* vocatur à Zonara, ubi semper fuit præsidium Roman. etsi numeri militum mutati, in *Joanne Zimisca*.

MILITES Cimbriani Cimbrianis excubabant, unde nomen habuere. Ciabrum fluvium in Mœsia prima Ptolemæus ponit: unde fortè hi, paucis mutatis literis, sunt denominati. *Cimbrianam* appellat Itinerarium.

X. MILITES Nauclarii Altinenses, Altino præsidebant, unda denominantur. Hæ sunt copiæ mediterraneæ. Nunc ad Riparenses est transeundum.

ITEM LEGIONES *Riparenses.*

Apud Notitiam, & Ptolemæum, Præfecturæ propriæ sunt legionum, quæ hic *Riparenses* vocantur, quia ripam Danubii tuebantur: Hæ erant duæ, prima Italica, & XI. Claudia, neque hæ integræ, quia earum pars etiam alibi militabat, ut infrà dicetur. ita verò erant dispositæ.

I. PRÆFECTURÆ Legionis primæ Italicæ Novis: *Novæ alibi*. vel Theodosiopolis, meminit Chalcedonense Concilium. Jornandes *Eustesium* alio nomine dictum affirmat. *Cniva* inquit, *nonnullos ad vastandam Mœsiam dirigit, ipse cùm septuaginta militibus ad Eustesium, id est, Novas conscendit*. Hanc legionem Durostori collocatam fuisse Ptolemæus scribit, quæ postea divisa, huc translata fuit. Est una ex V. Legionibus Pseudo-Comitatensibus Magistri militum per Orientem, quæ à Nerone instituta, & à Vespasiano victa, per Illyricum dispersa fuit, postmodum à posterioribus Principibus est restituta. In manuscripto Ursini legitur, *Præfect. Legionis primæ Italicæ, cohortis quintæ Pedaturæ superioris Novas*, quod est idem cum sequenti: Unde per errorem in eo codice hanc præfecturam repetitam existimo. Vetus codex pro præfecturæ, ubique legit, *Præfectus*.

II. PRÆFECTURÆ Ripæ Legionis primæ Italicæ, cohortis quintæ Pedaturæ superioris, degebat Novis. Hic erat tantum pars cohortis quintæ ipsius legionis, quia eadem infrà reperitur: Additur, *Ripæ*, quia secundum ripas Danubii excubabat hæc legio: nam & *Riparenses* vocantur hæ legiones.

III. PRÆFECTURÆ Ripæ Legionis primæ Italicæ, cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, seu valli, morabatur Sexagintaprisfæ, de qua supra: longa erant hæc castra, quæ plures capiebant.

A IV. PRÆFECTURÆ Legionis XI. Claudiæ Durostoro inhabitantis, ubi etiam Itinerarium hanc legionem statuit: sed hîc primam Italicam fuisse, Ptolemæus scribit, quæ Novas est translata, & loco ejus Claudia XI. posita, quæ tamen non tota hîc degebat, cùm pars esset Transmarisca. Dion libr. LV. refert, Undecimam Claudianam Legionem in Mysia inferiore fuisse, quam à se Claudius cognominavit: Furium enim Camillum Scribonianum Dalmatiæ legatum, Imperatorem appellatum, cùm neque aquilæ convelli, signave moveri potuissent, miraculo moti milites occiderunt, & ad Claudii fidem reverterunt, Orosius & Tranquillus. Quintam quoque legionem, quæ cum Camillo conspiraverat, ad sacramentum revocatam *Claudiam* Claudius nominavit, Dion lib. citato.

B V. PRÆFECTURÆ Legionis XI. Claudiæ, cohortis quintæ Pedaturæ superioris, degebat Transmariscæ: de qua supra. Et hæc cohors divisa, duobus tribusve in locis excubabat, ut ex sequentibus liquet. Pars etiam in Occidente, sub Comite Hispaniarum merebat: Legiones enim Valentinianus cum Valente divisit, ut auctor est Marcellinus lib. XXVI. cap. V. & sæpè dixi.

C VI. PRÆFECTURÆ Ripæ Legionis XI. Claudiæ, cohortis quintæ Pedaturæ inferioris, Transmariscæ manebat. Hæc cohors superiorem & inferiorem Ripam tuebatur Transmariscæ: aut per errorem, quod suspicor, est duplicata Sub Magistris militum hæc legio fuisse non legitur, nisi sint Undecimani VI. Legionis Palatinæ sub Magistro militum in præsenti.

VII. PRÆFECTURÆ navium Amnicarum, & militum ibidem deputatorum. Intelligit autem amnem Danubium, & quatuor valida ejus ostia à Ptolemæo descripta, & Hierasum fluvium, in quibus navigabatur.

QVÆ DE MINORE LATERCVLO *emittuntur, sunt sequentes.*

D Provincia RHODOPA, à monte Rhodope dicta in mare Ægæum porrigitur, & ab Oriente Nigrum, ab Occidente Nessum flumina habet, ut in ejus Præside est dictum: In hac provincia erat COHORS IIII. Gallorum, quæ Vlucitræ excubabat.

In provincia verò THRACIA, quæ à Septentrione Æmo monte, ab Oriente Propontide, à Meridie Ægeo mari, ab Occidente Nesso flumine cingitur, ut Rufius & Ammianus lib. XXVII. cap. IV. referunt, erant duæ sequentes cohortes.

COHORS prima Aureliana sub radice Viamatæ montis. Ab Aureliano Imperatore ejus auctore hæc cohors est appellata. Vetustus codex habet *Marmare*.

E COHORS III. Valeria Baccarum Drasdeæ: in Pannonia inferiore Ptolemæus *Bachiam* ponit, ubi erat pars Valeriæ, inter Davum, & Danubium; alii dicunt Savum, unde delecti erant hujus cohortis milites. Hactenus de Ducibus Thracias tuentibus: Nunc de duobus aliis Illyrici est dicendum.

NOTITIA.

DVX MOESIÆ PRIMÆ

CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione Viri Spectabilis Ducis Mœsiæ primæ.

VNEVS equitum Constantiacorum, Pinco.
Cuneus equitum Promotorum, Flaviana.
Cuneus equitum Promotorum, Flaviana.
Cuneus equitum sagittariorum, Tricornio.
Cuneus equitum Dalmatarum, Aureomonte.
Cuneus equitum Promotorum, Viminacio
Cuneus equitum sagittariorum, Lædenatæ.
Cuneus equitum Dalmatarum, Pinco.
Cuneus equitum Dalmatarum, Cuppis.

Auxiliares.

Auxiliarenses Reginenses, contra Reginam.
Auxiliares Tricornienses, Tricornio.
Auxiliares Novenses, ad Novas.
Auxilium Margense, Margo.
Auxilium Cuppense, Cuppis.
Auxilium Gratianense, Gratiana.
Auxilium Taliatense, Taliata.
Auxilium Aureomontanum, Tricornio.

A *Item Legiones.*

Præfecturæ Legionis quartæ Flaviæ, Singiduno.
Præfecturæ Legionis Septimæ Claudiæ, Viminacio.
Præfecturæ Legionis Septimæ Claudiæ, Cuppis.
Præfecturæ Militum contra Margum in castris Augusto-Flavianensibus.
Præfecturæ Militum exploratorum, Novis.
Præfecturæ Militum exploratorum, Taliatæ.
B Præfecturæ Militum Vicentiensium, Lædenatæ.
Præfecturæ Militum exploratorum Zmirnæ.
Præfecturæ Classis Histriæ, Viminacio.
Præfecturæ Classis Stradensis, & Germensis, Margo.
Officium autem habet ita:
Principem de eodem officio, qui completa militia adorat Protectorem.
C Numerarios, & Adjutores eorum.
Commentariensem.
Adjutorem.
A libellis, sive Subscribendarium.
Exceptores, & cæteros Officiales.

CAP.

CAP. CLIV.

DE DVCE MOESIÆ PRIMÆ

COMMENTARIVM.

ETSI prima in primis sunt præmittenda, ut ait Aristoteles in 1. *Rhetor.* & hic debuisset secundæ Mœsiæ Duci anteponi, quem ordinem etiam in provinciis Ptolemæus observat: Notitia tamen impressa primum secundo postponit, cujus ordinem secutus hic, de primæ Mœsiæ Duce tractabo, quæ in codicibus manuscriptis prima & superior Mœsia vocabatur, cui Dardaniam Ptolemæus addit, eas etiam Gratianus A. ad Eusinium P. P. scribens conjungit *in l. 4. C. de metallar.* & hanc provinciam jam tum à Barbaris vexatam fuisse significat. xv. loca hic Dux, octo cuneis equitum, novem auxiliis, & sub octo Præfectis, sex legionibus, & duobus classibus tuebatur: poterant esse equites DCCC. peditum septem millia, tribuendo mille pedites legioni, secundùm Constantinum Porphyrogennetam. *Is eadem* habet *insignia*, cum *octo typis munitionum*, & idem officium, quod Dux Mœsiæ secundæ: octo tantùm oppida hic repræsentantur, sed alia septem desiderantur, sequentes Cunei Equitum illi parent.

I. CVNEVS equitum Constantiacorum excubabat Pinco, à quo *Pincensios* Ptolemæus vocat. Hic alius cuneus Dalmatarum sub hoc Duce residebat. Alii Constantiani equites limites Daciæ Ripensis sub eorum Duce tuebantur.

II. CVNEVS equitum Promotorum Flavianæ degebat. Sabellicus vult esse Viennam. Hic cuneus erat unus ex quinque Vexillationibus Palatinis Magistri militum Præsentalis.

III. CVNEVS equitum Sagittariorum manebat Tricornio, unde *Tricornesios* deducit Ptolemæus. Oppidum est ad ripam Danubii prope Sigidunum: Hi sub Magistris militum per Thracias constituti, plures limites sub diversis Ducibus tuebantur. Hoc in loco erant etiam auxiliares Tricornienses nuncupati.

IV. CVNEVS equitum Dalmatarum degebat in oppido Aureomonte: Hujus meminit Itinerarium & sequentis. Aureummontem Aurelius Victor à Probo vineis consitum fuisse memorat

V. CVNEVS equitum Promotorum habitabat in oppido Viminacio: est secundum Danubium, ubi legionem fuisse Ptolemæus scribit. Hanc urbem vetustate dirutam, Justinianus reædificans novam effecit, inquit Procopius lib. IV. *de ædif. Just.* Ibidem à Severo Antoninum Caracallam filium Cæsarem dictum auctor est Spartianus, circiter annum CCXCIV. Diocletianum Viminacii diu degisse plura ab eo condita Jura ostendunt, *l. 4. C. de his qui vi vel metus caus. l. 21. C. de negot. gest. l. ult. C. de errore advoc. l. 23. C. de jure dotium. l. 20. & seq. C. de don. inter vir. & uxor. l. unic. C. de alienat. judic. mut. cau. facta.* sed & alia ibi à Constantio scripta fuere.

VI. CVNEVS equitum Sagittariorum Lædenatæ residebat, ubi erant & milites Vincentienses, de quibus infrà sub hoc Duce.

VII. CVNEVS equitum Dalmatarum Pinco præsidebat, ubi etiam erant Constantiaci supradicti. Hic cuneus in manuscripto Ursini deest.

VIII. CVNEVS equitum Dalmatarum Cuppis morabatur: ubi quoque auxilium Cuppense, & pars legionis VII. Claudiæ residebat. Ex diversis Vexillationibus Magistrorum militum in præsenti, & per Thracias sub pluribus Ducibus limitum earundem Vexillationum cunei merebant.

AVXILIARES.

I. AVXILIARES Reginenses stativa contra Reginam habebant. Regianam Ptolemæus nominat, secundum Danubium in Mœsia inferiore: fortè illud est, quod Procopius lib. IV. *de ædif. Justiniani, Regium* appellat.

II. AVXILIARES Tricornienses in oppido Tricornio habitabant; ubi etiam equites Sagittarii supradicti sub hoc Duce degebant.

III. AVXILIARES Novenses morabantur ad Novas. Hæ fortè erant diversæ à Novis, quæ supra sub Duce Mœsiæ secundæ sunt positæ, ne Jura duorum Ducum in eodem loco confunderentur, sed fortè castra utriusque ad Novas conjuncta fuêre. Hi milites, & sequentes, à loco ubi residebant sunt denominati.

IV. AVXILIVM Margense à Margo loco ubi excubabat nomen habuit. *Meargum* legit Eutropius, Mœsiæ oppidum inter Viminacium & Aureummontem, ubi Carinus occubuit, Auctores Cassiodorus, Jornandes & Eutropius. Marcellinus Comes Margum planum appellat, inter Danubium & Martianum flumina.

V. AVXILIVM Cuppense Cuppis stativa habebat.

VI. AVXILIVM Gratianense Gratianæ à Gratiano nuncupatæ degebat.

VII. AVXILIVM Taliatense Taliatæ morabatur. *Taliam* Itinerarium vocat. Hi erant & milites exploratores.

VIII. AVXILIVM Aureomontanum præsidebat Tricornio. Hi ex Aureomonte erant contracti.

ITEM LEGIONES SEQVENTES.

Limitaneis Mœsiæ primæ equitibus, & auxiliis præmissis, nunc præfecturæ, quæ propriè legionum erant, subjiciuntur; & ideo omnes sequentes milites legionum fuêre, quod etiam inscriptio ostendit, & minimum quatuor legiones fuisse videntur. Quarta Flavia, septima Claudia, alia Exploratorum, Ultima Vincentiensium, quæ per varia castra, & classes duas hoc ordine erant dispositæ.

I. PRÆFECTVRÆ Legionis quartæ Flaviæ Singiduno Tribunus præerat: *Singidocium* appellat Ptolemæus; alii, ut Jornandes, Tripartit. Aurelius Victor *in Joviano, Singidenum. Sigindunum* vocat Constantius, ubi aliquot Jura condidit, l. 28. *C. The. de appell.* Est secundum Danubium initio Mysiæ. Hanc legionem à Flav. Vespasiano institutam Dion lib. LV. scribit, & ab eo *Flaviam* nuncupatam, in Syriaque locatam, quæ postea in Mœsiam primam traducta fuit. Hæc, & sequentes sub Magistris militum reperiuntur.

II. PRÆFECTVRÆ Legionis VII. Claudiæ Viminacio præsidebat, ubi etiam erat cuneus equitum Promotorum. Ptolemæus de hac legione intelligit, cum Viminacii legionem fuisse scribit. Dion quoque lib. cit. dicit eam in Mœsia superiore ab Augusto locatam, cui *Claudiana* postea nomen fuit, ob causam in XI. Claudia sub præcedente Duce adductam. Tota uno in loco non erat hæc legio, sed per plura dispersa, ut patet ex sequentibus.

III. PRÆFECTVRÆ legionis VII. Claudiæ stativa habebat Cuppis, ubi quoque cuneus equitum Dalmatarum, & Auxilium Cuppense erat. Divisa hæc legio duobus in locis residebat.

IV. PRÆFECTVRÆ militum contra Margum, in castris Augusto-Flavianensibus: ita à Flav. Vespasiano hæc castra sunt appellata, qui etiam Flaviam legionem instituit. Horum militum nomen deest. fortè Exploratores, ut sequentes vocabantur, & in qua-

quatuor præfecturas dividebantur: præfecturæ enim omnes legionum fuere.

IV. PRÆFECTVRÆ militum exploratorum Novis, ubi etiam degebant auxiliares Novenses. Exploratores sunt milites in exercitu, qui consilia, & actiones hostium investigant, quod onus his injunctum fuisse videtur, Herodianus lib. VIII. cap. I. *Speculatores*, inquit, *atque exploratores exercitus narrant Maximino vacua relicta urbe, aufugisse omnes incolas.* Et paulo post cap. III. *Nunciant exploratores maximam Italiæ urbem Aquilejam portas occlusisse.* Plinius lib. XVI. c. IX. loquens de cortice fagi, & quarundam arborum, ita scribit: *In recenti cortice, ad Duces Exploratores incidunt litteras a succo.* Hos ex publico nutritos fuisse Procopius in I. *de bello Persico* refert: *Exploratores*, inquit, *antiquitus, tam apud Romanos, quam Persas, lex est publicè ali, qui clam adversus hostes ire consueverunt, ut illorum facta diligenter vestigata, Ducibus renuncient.* Constantinus Porphyrogenneta *de thematibus* ad fin. *Exploratores*, inquit, *sunt, qui ea quæ de hostibus intellexerint, renunciant.*

V. PRÆFECTVRÆ militum Exploratorum degentium Taliatæ, ubi quoque erat auxilium Taliatense.

VI. PRÆFECTVRÆ militum Vincentiensium excubantium Laedenatæ: ubi etiam degebat cuneus equitum sagittariorum, de quibus supra sub hoc Duce, fortè à Vincentia urbe Valeriæ *Vincentienses* sunt denominati, alia est Vincentia Venetorum civitas clarissima.

VII. PRÆFECTVRÆ militum Exploratorum Zmirnæ commorantium, sunt qui *Syrnam* scribendum putant.


VIII. PRÆFECTVRÆ Classis Histriæ, ab Histro, per quem vehebatur, dictæ, Viminacio stationem habebat.

IX. PRÆFECTVRÆ Classis Stradensis, & Germensis, in Margo oppido stationem habebat: *Marco* legit Itinerarium, sed credo legendum *Margo* à Marge, quem Mœsiæ clarum fluvium fuisse Plinius scribit, per quem hæc classis navigabat. Stradensis verò & Germanensis classes, à locis, ad quæ applicabant, nomen habuere. In Mœsiaco limite centum naves *lusoriæ* appellatæ fluvios permeabant, quemadmodum Honorius & Theodosius scribunt, *in l. I. C. Th. de lusor. Danu* & supra in Duce Scythiæ est dictum. Tempore verò Notitiæ in hac Mœsia prima duæ fuêre classes Stradensis & Germensis, quæ per Danubium, aut Margum flumen excurrebant adversus hostes, & species, armave militum, vel res Principis transvehebant. Hactenus de Duce Mœsiæ primæ.

NOTITIA.

DVX DACIAE RIPARENSIS

CVM INSIGNIBVS.



NOTI-

NOTITIA.

Sub dispositione Viri Spectabilis Ducis Daciæ Ripensis.

CUNEUS equitum Dalmatarum Forensium, Bononiæ.
Cuneus equitum Dalmatarum Divitensium, Dortico.
Cuneus equitum Scutariorum, Cebro.
Cuneus equitum Dalmatarum Divitensium Augustæ.
Cuneus equitum Dalmatarum, Augustæ.
Cuneus equitum Dalmatarum, Varinæ.
Cuneus equitum Stablesianorum, Almo.
Cuneus equitum Scutariorum, Ægetæ.
Cuneus equitum Constantinianorum, Uto.

Auxiliares.

Auxilium Miliarensium, Transalba Daciæ.
Auxilium primorum Daciscorum, Drobetæ.
Auxilium Crispitiensium, Crispitiæ.
Auxilium Mariensium, Oesco.
Auxilium Claustrinorum, Transluco.
Auxilium Secundorum Daciscorum, Burgo Zono.
Præfecturæ militum exploratorum, Transdiernis.

Item Legiones.

Præfecturæ Legionis quintæ Macedonicæ, Varinianæ.
Præfecturæ Legionis quintæ Macedonicæ, Cebro.
Præfecturæ Legionis quintæ Macedonicæ, Oesco.
Præfecturæ Legionis decimæ tertiæ Geminæ, Ægetæ.
Præfecturæ Legionis tertiæ decimæ Geminæ, Transdrobeta.
Præfecturæ Legionis tertiædecimæ Geminæ, Burgonovo.
Præfecturæ Legionis tertiædecimæ Geminæ, Zernis.
Præfecturæ Legionis tertiædecimæ Geminæ, Ratiariæ.
Præfecturæ Legionis quintæ Macedonicæ, Sucidavæ.
Tribunus Cohortis secundorum reduceum, Siostæ.
Tribunus Cohortis nonæ, Sostiacæ.
Præfecturæ Classis Histricæ, Ægetæ.
Præfecturæ Classis Ratiariensis.
Officium autem habet ita:
Principem de eodem Officio, qui completa militia adorat Protectorem.
Numerarios, & Adjutores eorum.
Commentariensem.
Adjutorem.
A libellis, sive Subscribendarium.
Exceptores, & cæteros Officiales.

A

CAP. CLV.

DE DUCE DACIÆ RIPENSIS.

COMMENTARIUM.

OLIM Dacia ultra Danubium usque ad Sarmatas ad Septentrionem per ambitum mille milliariorum extendebatur à Trajano in Provinciæ formam est redacta, deinde sub Gallieno amissa, cum in ea Ceronius, vel ut alii, Cecropius Dux esset, Pollio in *Gallienus* cap. XIV. demum cum illam æ-
B grè Aurelianus recuperasset, ipsius populos trans Istrum duxit, limitibusque ad flumen transpositis, *Daciam Ripensem* citra Danubium usque ad Savum appellavit: & ita Valentinianus vocat Tautomedi Daciæ Ripensis Duci scribens, *in l. 13. C. Th. de op. publ.* Interiorem verò Daciam mediterraneam dixit, *l. 4. C. de metallar. Novell.* 11. Auctor est Jornandes *de regnor. & temp. succ. Dacos*, inquit, *sub Imperio suo Trajanus, Decebalo eorum Rege devicto adjecit, ac terras ultra Danubium, quæ habent mille millia passuum, in Provinciam redegit. Sed Gallienus eos, dum regnaret, amisit. Aurelianusque Imperator evocatis inde legionibus in Mœsia collocavit, ibique aliquam*
C *partem Daciam mediterraneam, Daciamque Ripensem constituit, & Dardaniam junxit.* Hæc ille. *Eadem* habebat *insignia* hic Dux, idemque officium, quæ superiores Duces: & *novem oppidorum imagines*, præter alia XIV. hic non repræsentata. Itaque omnia erant præsidia XXIII. defensa cuneis equitum IX. Auxiliis VI. Legionibus X. & aliis numeris, id est, Cohortibus II. & Classibus II. poterant esse equites DCCCC. peditum decem millia. Verum tempore Notitiæ Dacia ab Attila Hunnorum Rege, Martiano & Valentiniano imperantibus, devastata fuit, inquiunt Paulus Diaconus, & Justinianus *Novell.* 11. Sed à Leone recepta fuisse videtur, cum de ejus Ducis, &
D utriusque Mœsiæ, ac Scythiæ officiis disponat, *in l. ul. ad fi. C. de divers. offic.* Justinianus certè omnibus cis Danubium Romano Imperio adjectis pristinos limites restituit, *d. Novell.* 11. Ducis Daciæ Numeri sequuntur.

I. CUNEUS equitum Dalmatarum Forensium excubabat Bononiæ: est inter Dravum & Savum fluvios in Pannonia superiore. Marcellinus lib. XXXI. cap. XI. ad ripam Danubii locat: *Gratianus*, inquit, *permeato Danubio delatus Bononiam, Sirmium introiit, & quatriduum ibi moratus, per idem flumen ad Martis castra descendit.* Hujus, & sequentium, Itinerarium meminit, ubi Constantinus Jura condi-
E dit, *l. 1. C. de privil. dom. Aug.* Forenses autem à loco Forum dicto sunt nuncupati; nisi legamus *Fortensium.* Hos, & sequentes cuneos Dalmatarum, ex Vexillationibus Comitatensibus Magistrorum militum Præsentalium, & Magistri per Orientem esse puto.

II. CUNEUS equitum Dalmatarum Divitensium Dortico præsidebat, de quo Itinerarium, & Ptolomæus: sunt ex oppido ad Rhenum sito è regione Agrippinæ, quod munimentum Divitense, & vulgo *Deutsch*, appellatur. Divitensium meminit & Marcellinus lib. XXVI. cap. VI. & VII. & lib. XXVII. cap. I.

F
III. CUNEUS equitum Scutariorum Cebro præerat: à Ciambro Daciæ fluvio, aliqui hunc locum derivant. Hic etiam erat pars legionis primæ Macedonicæ sub hoc Duce.

IV. CUNEUS equitum Dalmatarum Divitensium Augustæ degebat. *Pretoriam Augustam* Ptolemæus vocat, in Dacia Itinerarium legit *Augustis.*

v. Cvnevs equitum Dalmatarum & ipſe Auguſtæ morabatur: niſi fortè vitio librarii bis idem præſidium ſit repetitum: vel Auguſtiam oppidum intelligit, de quo Ptolemæus.

vi. Cvnevs equitum Dalmatarum habitabat Varinæ. *Varinæ* Itinerarium, quod & ſequentium præſidiorum meminit. Credo legendum *Variniana*, de qua infra, ubi pars legionis v. Macedonicæ, ſub hoc Duce excubabat.

vii. Cvnevs equitum Stableſianorum præſidebat Almo. Mons eſt Pannoniæ, quem Probus allatis ex Italia vitibus conſevit, Aurel. Victor. Hi erant ex x. Vexillationibus Magiſtri militum per Orientem, per plura loca diſpertiti.

viii. Cvnevs equitum Scutariorum manebat Ægetæ: ſic legit Itinerarium. Hic morabatur & pars legionis xiii. Geminiæ, ſub hoc Duce, & Claſſis Hiſtrica appellata. Scutarii erant ex Vexillationibus utriuſque magiſtri militum Præſentalis in Oriente.

ix. Cvnevs equitum Conſtantinianorum in Uto oppido degebat: Urſini codex habet, *Lito*: ſed prior lectio placet, ab Uto enim fluvio Daciæ Ripenſis, ut ponit Comes Marcellinus, dictum puto, quem Plinius, ex monte Hæmo in Mœſia manare tradit. Alter horum cuneus fines Mœſiæ defendebat. Hi erant equites, qui Daciam tuebantur: ſequuntur pedites, & primo.

AVXILIARES.

i. Avxilivm Miliarenſium Tranſalbam Daciæ incolebat. Dicit Daciæ, quia alia oppida Tranſalbæ extra Daciam reperiebantur. Miliarenſis locus eſt Romæ in hortis Saluſtianis, unde fortè hi nomen habuere, Vopiſcus in *Aureliano* cap. xlix. *Miliarenſem*, inquit, *porticum in hortis Saluſtii ornavit, in qua quotidie & ſe, & equos fatigabat.*

Avxilivm primorum Daciſcorum Drobetæ præſidebat. Ex Dacia primi erant lecti, & ad differentiam ſecundorum, de quibus infra, primi appellati: ſed legendum *Dacicorum*.

iii. Avxilivm Criſpitienſe Criſpitiæ excubabat, à loco nomen traxit.

iv. Avxilivm Marienſium Oeſco inſidebat. Oeſcum Triballorum propè Danubium Ptolemæus collocat; ubi etiam erat pars legionis quintæ Macedonicæ, ſub hoc Duce, ab Oeſco fluvio, quem ex Rhodope manare Plinius ſcribit, eſt dictum. Apud Itinerarium legitur oesco leg. mac. id eſt, *legio Macedonica*, quam hic reſediſſe ſignificat. Maria eſt oppidum Peloponeſſi Ptolemæo, unde hoc auxilium extrahi potuit: fortè legendum *Marienſium*.

v. Avxilivm Clanſtrinorum Tranſluco præerat, id eſt, ultra Lucum oppidum, ſic infra Tranſdiernis, & Tranſdrobeta, nomen tamen eſt loci ita dicti. Cloſtra oppidum eſt in Latio Italiæ: ſed à loco apud Barbaros Clauſtra nominato, aut à clauſtris, quæ ſunt limitum munitiones, *l. cura* 4. *C. de off. mag. offic.* hos Clauſtrinos vocatos puto.

vi. Avxilivm Secundorum Daciſcorum, ex Dacia ſecundo lectorum, manebat in Burgo Zono.

LEGIONES.

i. Præfectvræ militum exploratorum Tranſdiernis habitantium. Diernam oppidum Ptolemæus ſtatuit in Dacia propè Tybiſcum. Hæc verò præfectura erat Tranſdiernis, oppido ita vocato, quæ per errorem auxiliis eſt adjuncta, cum ſub legionibus ſequentibus, inter præfecturas legionum eſſet collocanda. Exploratores Legionarii milites ſunt quoque ſub Duce Mœſiæ primæ.

A

ITEM LEGIONES.

ii. Præfectvræ Legionis quintæ Macedonicæ, Varinianæ, pars Legionis, habitavit. Quintam Legionem Macedonicam, ſub Auguſto, in Dacia manſiſſe, Dion lib. lv. memorat, quæ hic in quatuor præſidia dividebatur. Alia pars ſub Comite Ægypti merebat: Reliquum apud Magiſtrum militum per Orientem reſidebat: unaque erat ex novem Legionibus Comitatenſibus ipſius in plures diviſa præfecturas, quarum aliæ mille peditibus, aliquæ d. conſtabant, ut auctor eſt Conſtantinus Porphyrogenneta *de Thematibus*.

B iii. Præfectvræ Legionis quintæ Macedonicæ, Cebro, ubi etiam erat Cuneus equitum Scutariorum, ſub hoc Duce: Hujus loci meminit & Itinerarium.

iv. Præfectvræ Legionis quintæ Macedonicæ præſidebat Oeſco, ſcilicet pars Legionis. Hic quoque erat auxilium Marienſium, hujus Ducis.

v. Præfectvræ Legionis decimæ tertiæ Geminiæ morabatur Ægetæ: ubi etiam erat cuneus equitum Scutariorum, ſub hoc Duce. Legendum *Geminæ*, Dion enim d. lib. ait, Decimam tertiam Legionem duplicatam ſive *geminam* in Dacia ab Auguſto locatam. Ejuſdem pars militabat ſub Co-

C mite Ægypti, alia hic in Dacia. Reliquæ quatuor in ſequentibus locis excubabant: unde in ſex præſidia diſpertita reperiebantur: & ſi ſex millium tota legio fuiſſet, quodlibet præſidium mille pedites habuiſſet.

vi. Præfectvræ Legionis decimæ tertiæ Geminæ Tranſdrobeta in oppido, ita nuncupato ultra Drobetam: de qua ſupra.

vii Præfectvræ Legionis decimæ tertiæ Geminæ inſidebat Burgonovo: *Burgos* vocabant crebra habitacula per limites conſtituta, inquit Oroſius lib. ult. c. xxxiii. *l. ult. §. in Sardinia. C. de offi. P. P.*

D *Africæ.* quo nomine appellatur caſtrum in agro Placentino, & alia in Italia, ubi fuêre præſidia.

viii. Præfectvræ Legionis decimæ tertiæ Geminæ Tribunus morabatur Zernis, quo juris Italici Coloniam Trajanus deduxit, *l. 1. §. in Dacia quoque. ff. de cenſibus.* In quodam marmore citato à D. Cujacio viro eruditiſſimo, de hac Colonia id legitur:

I. O. M.

ROMVLO PARENTI, MARTI AVXILIATORI, FOELICIBVS AVSPICIIS CÆSARIS D. NERVÆ TRAIANI AVGVST. CONDITA COLONIA DACIA

E ZERNIS PER M. SCAVRIANVM PROPRÆTOREM.

Hæc oppida, etſi in antiqua Dacia, cum propè Danubium eſſent, in Romanorum poteſtate permanſerunt. Alia ſemel amiſſa, nunquam in eorum ditionem rediere.

ix. Præfectvræ Legionis decimæ tertiæ Geminæ Ratiariæ, in Jure legitur Retiariæ, ubi quandoque Diocletianus Jura condidit, *l. 8. C. communia; de ſucceſſ.* Hæc erat una ex fabricis Illyrici. *Ratiaria* eſt apud Ptolomæum, Myſiæ ſuperioris

F oppidum; & ratiaria Legio decimaquarta GG. id eſt, Gemina in Itinerario fuiſſe legitur, pro decimatertia.

x. Præfectvræ Legionis quintæ Macedonicæ, Sucidavæ excubabat. Hoc oppidum erat in Mœſia ſecunda ſub ejus Duce; ubi cuneus equitum Stableſianorum reſidebat. Unde aut hoc aliud oppidum ejuſdem nominis in Dacia Ripenſi fuit, aut

aut uterque castra ibi conjuncta habebat. Hæc enim præfectura sub duobus Ducibus esse non potuit.

I. TRIBVNVS cohortis secundorum reducum, residebat Siostæ. Tribuni sunt cohortium, vexillationum, numerorum, & scholarum, *l.* 8. *C. de erog. milit. annon.* Hi fortè *reduces* sunt dicti, quod ab hostibus capti reduces fuissent.

II. TRIBVNVS cohortis decimænonæ Sostiacæ stativa habebat. Vetustus codex habet *cohortis nova.*

XI. PRÆFECTVRÆ classis Histricæ, Agetæ, ubi erat & cuneus equitum Scutariorum, & pars Legionis XIII. Geminæ.

XII. PRÆFECTVRÆ classis Ratiarensis à Ratiaria oppido, ubi manebat, nomen habuit. Hic & pars Legionis XIII. Geminæ sub hoc Duce locata fuerat. Præter præsidia in Notitia recitata Zosimus lib. IV. post prin. scribit aliud Constantinopoli fuisse, quod duobus militum numeris constabat, cujus nulla in hoc libro fit mentio.

Hæc sunt Orientalis Imperii Præsidia, seu Equites, Alæ, & Cunei, Auxilia, Legiones, & Cohortes, quæ limites illius Imperii, & universam ejus ditionem tuebantur, cum quibus & Spectabiles dignitates sunt explicatæ. Nunc de Clarissimorum insignibus, & officiis, est videndum.

CAP. CLVI.

DE PALÆSTINÆ, ET ALIARVM *Provinciarum Consularibus, eorumque insignibus, & officiis.*

ILLVSTRIVM, & Spectabilium officiis, insignibusque explicatis, Notitia ad Clarissimos provincias administrantes transit, qui erant Consulares, Correctores, & Præsides, ferè omnes clarissimi, pro quorum exemplaribus Consularem Palæstinæ, & Thebaidis Præsidem proponit, ut quemadmodum ex Thebaidis simulacro, statuarũ olim artis delineamenta accipiebant: sic illi cæterorum Consularium, & Præsidum imago atque exemplar essent: itaque cujusque provinciæ Præsides cum eorum ornamentis, aut officiis à Notitia sigillatim non referuntur, quia hinc accipiuntur, illosque sub Comite Orientis, Præfecto Augustali, & Vicariis, cum provinciarum imaginibus satis est demonstrasse: Præterea cùm eadem omnium sint insignia, & officia, idem sæpius repetere non modo superfluum, sed etiam tædium legentibus erat allaturum.

Primi ergo inter Clarissimos erant Consulares provinciarum rectores, qui non intelliguntur Consulari dignitate functi, sed infulis Consularibus ornati, quos primum ab Augusto inventos fuisse puto: Cùm enim provincias cum populo divideret, hujus Proconsulares fecit: suas verò Proprætorias: Sed in Italia, inquit Dion lib. LIII. Prætoris, & Consulis nomen servavit, provinciis verò Præfectis nomina dedit, quæ illorum loco esse significant, id est, Proconsules, & Proprætores appellavit: pars ergo eorum, qui in Italia jus dicebant, Consulares sunt vocati, quod nomen primò in Italia introductum, postea in provincias est extensum: De hoc Tranquillum sentire existimo, qui Augustum Legato Consulari, successorem ut rudi & indocto dedisse scribit, c. LXXXVIII. in *Augusto*. cujus manu *ixi* pro *ipsi* scriptum animadvertit. Idem ait in *Tiberio* cap. XLI. Tiberium in Capream insulam regressum, provinciarum Præsides non mutasse, & Hispaniam, Syriamque per aliquot annos sine Consularibus legatis fuisse. sub Claudio Aulos Plautius Consularis legatus Britanniam administravit. Tranquillus in *Vespasiano* c. IV. Martyrologium quoque Aurelianum Consularem circa Neronis tempora in Italia jus dixisse narrat. Et Tacitus in *Agricola* cap. VIII. eodem imperante: *Britannia*, inquit, *Consularem Petilium Cerealem accepit*: & sub Vitellio nullum in Hispaniis Consularem fuisse *Hist.* lib. II. cap. XCVII. scribit. Itaque hic honor paulatim pluribus provinciis est concessus. Nam præter Hispaniam & Syria Consularem habuit. Tranquillus in *Vespasiano* cap. IV. *Judæi*, ait, *rebellarunt*, *casoque Præposito*, *Legatum insuper Syriæ Consularem suppetias ferentem rapta Aquila fugaverunt*. sed & Vespasianus Cappadociam Consularem fecit. Tranquillus in *eod.* cap. VIII. *Cappadociæ*, inquit, *propter assiduos Barbarorum incursus*, *legiones addidit*, *Consularemque Rectorem imposuit pro equite Romano*: Hæc Tranquillus. Sub Domitiano Memmius Rufus Campaniæ; Atilius Rufus Syriæ Consulares fuisse leguntur, ut Tacitus in *Agricola* cap. XL. Martyrologium VII. & XII. *Majo*, referunt. Sed & Plinius Ponto cum potestate Consulari à Trajano est præfectus; ut in marmore Mediolani in templo D. Ambrosii legitur:

C. PLINIVS L. F. O. V. F. CÆCILIVS AVGVR. LEGAT. PROC. PROVINCIÆ PON. CONSVLARI POTESTATE IN EAM PROVINCIAM ET IMP. CÆS. NERVA TRAIANO AVG. GERMAN. CVRATOR ALVEI TIBERIS ET RIPARVM.

Postea Hadrianus novam magistratuum formam invenit, ut ait Sext. Aurelius Victor: *Officia*, inquit, *publica & palatina*, *nec non militiæ in eam formam statuit*, *quæ paucis per Constantinum immutatis*, *hodiè perseverat*: Inter alia, quatuor per Italiam Consulares instituit, ut auctor est Spartianus, inter quos Antoninum Pium, ad eam Italiæ partem regendam elegit, in qua plurimum possidebat: Sed & Licinium sub eo, in Italia Consularem fuisse, apud Martyrologium legitur, XVI. *Kal. Martii.* item XVII. *Julii.* Antoninus quoque Pius Præfectos suos locupletavit, & ornamentis Consularibus donavit. Marcus item Antoninus, inquit Capitolinus in *Marco Antonino* cap. XXII. *Provincias ex Proconsularibus Consulares*, *aut ex Consularibus Proconsulares*, *aut Prætorias pro belli necessitate fecit.* Sub Antonino etiam Caracalla, Rutilianus Ciliciæ Consularis præfuit, *l.* I. C. *de general. abolitio.* Capitolinus quoque Pertinacem in provinciis, quas Consularis gessit, sordidè se gessisse scribit. Itaque Consulares Magistratus provinciis Consularibus jus dixerunt, de quibus fortè intelligit Ulpianus, *in l. cum hic status*, §. *si mulier. ff. de don. inter vir. & uxor.* cum ait: *Si mulier*, *& maritus diu seorsum quidem habitaverint*, *sed honorem invicem matrimonii habeant (quod scimus interdum*, *& inter Consulares personas subsecutum) puto donationes non valere*, *quasi duraverint nuptiæ.* Consulares appellare potest provinciis Consularibus præfectos, qui domi uxores ex consilio ejusdem Ulpiani relinquebant, *in l. observare.* 4. §. *proficisci. ff. de off. procons.* Hi, quod Consularibus ornamentis uterentur, Consulares sunt vocati: Sic Socrates D. Ambrosium Liguriæ, Æmiliæque Præsidem Consulari dignitate honestatum fuisse scribit, & earum provinciarum Consularem dictum. Paulinus quoque in ejus vita, ipsum Consularitatis insignia suscepisse refert, ut Liguriam Æmiliamque regeret. Sed & exercituum Præfecti Consulares vocabantur: Tacitus *Hist.* lib. I. cap. IX. *Inferioris*, inquit, *Germaniæ legiones diutius sine Consulari fuere*; *donec missu Galba Vitellius aderat.* Et infra eòd. lib. cap. LII. de eodem loquens: *Nec Consularis*, ait, *legati mensura*, *sed in*

majus omnia accipiebantur: ad Imperium enim aspirabat. Et iterum eod. lib. cap. LV. & LVI. *Ipso Kal. Januarii die dirumpunt imagines Galbæ.* . . . . *Spectator flagitii Hordeonius Flaccus Consularis legatus aderat.* Hæc ille. Ita autem est nuncupatus, quia ex Consularibus creabatur, ut vult Vegetius lib. II. cap. IX. Sed Ulpianus quia Consularibus insignibus utebatur, *in l. 2. §. 1. de his qui notan. infam. Qui,* inquit, *exercitui praeest licet Consularibus insignibus utatur, ignominiæ causa ab Imperatore missus nota laborat.* Huic concinit quod Tacitus lib. cit. scribit: *Legati,* ait, *legionum Consularibus ornamentis donantur:* sic

A majores provincias administrantes, tanquam Consularium insignibus honestati, Consulares sunt appellati.

Erant insignia Consularium secures, fasces quos Proconsulum exemplo, *l. antep. ff. de offi. deleg.* sex fuisse puto, sella curulis, & vultus Principum præmissi. Eodem modo Consularis Byzantii appellatus est Honoratus, primus Constantinopolis urbi Præfectus, *l. 1. C. de offic. comit. rer. priv.* & Consularis aquarum sub Præfecto urbi Romæ, *l. 1. C. de offic. de aquaduc.* quem Consulari veste insignitum fuisse censeo, ut illi Magistratui majestas adderetur.

NOTITIA.

CONSVLARIS PALÆSTINÆ

CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione Clarissimi Consularis Palæstinæ.

Provincia Palæstina.
Officium autem habet ita.
Principem de eodem Officio.
Cornicularium.
Commentariensem.
Adjutorem.
Numerarium.
Ab actis.
A libellis.
Exceptores, & cæteros Cohortalinos, quibus non licet ad aliam transire militiam, sine annotatione Clementiæ Principalis.
Cæteri omnes Consulares ad similitudinem Consularis Palæstinæ Officium habent.

COMMENTARIVM.

Consulares majores Præsidibus, minores verò Proconsulibus erant: medias enim provincias regebant, *l. 1. C. ut omnes judic. tam civiles quàm militares, in princ.* Præter *insignia prædicta* in aliis etiam differebant: Consulares enim *mulieris imaginem* habebant, quæ ipsis creditam provinciam referebat. Item *librum mandatorum* nullis notis inscriptum, quæ in Correctorum, & Præsidum codicibus incisæ inveniuntur, quemadmodum in Oriente in Consulari Palæstinæ, & in Occidente in Consulari Campaniæ cernitur. Palæstinæ Consularis, *vir barbâ, & capillis*

capillis demissis, pinnis aureis caput ornatus, sedensque repræsentatur, *librumque mandatorum viridi corio tectum, ac purpureo surrectoque tapeto, abaco instrato suffultum, tenet; item aureos Principes sese amplectentes, aurea pila præfixos: ipse cingulo aureis bullis distincto, & ab humero dextro in sinistrum latus demisso, ensem annectit, quem argenteo capulo prominente, aurata claudit vagina. Viridi vero pallio, dextro humero injecto, ac genibus circumvoluto, dextra cornucopia aureis plenum premit, læva hastam tenet, cui tabula altè est præfixa, in qua scriptum est,* PROVINCIA PALÆSTINA: *pedes verò ac suras, purpureis ocreis infra genua est indutus, quas aurea virga à summo ad imum intercurrit.* In manuscriptis purpureum pallium gestat: prope latomias, seu carceres, præruptis saxis munitos habere videtur. Hic Consularis, fortè in honorem Domini, in Palæstina nati, cæterorum Consularium exemplar, in Notitia positus est. In Occidente, pro viro Consulari, imago fœminæ provinciam simulantis, cernitur, qualis in Consulari Campaniæ spectatur, & quomodo ubique provinciarum imagines in Notitia repræsentautur: Correctores verò & Præsides, pro mulieris imagine, effigiem oppidi tenebant, quod & ipsum provinciam ab illis administratam referebat, ut in Thebaidis, & Dalmatiæ, Præsidibus visitur. Omnes tamen Clarissimi, præter paucos Præsides, perfectissimos nuncupatos, vocabantur: Nam & Theodosius A. *in l. 2. C. de domestic. & protector.* Consularem dignitatem clarissimatum interpretatur. Hi appellatione GRAVITATIS, *l. 1. C. de offic. Com. rer. privat. l. 3. C. de pedan. judicib.* aut SYNCERITATIS *l. 9. C. ubi causæ fiscales*, honorabantur, etiam ab Imperatore cùm ad eos scribebat, iidem *justissimi*, & *vigilantissimi* dicebantur, *l. 3. C. de offic. rector. provinc.*

Erant in Oriente Consulares XV. in Occidente XXII. qui usque ad Justinianum permansêre, nam & ipse Consularium provinciarum meminit, *in Novel. 8. §. hæc omnia.* quarum Consulares pro codicillis magistratus solvebant tribus Chartulariis cubiculi aureos IX. Primicerio Notariorum XXIV. ejus adjutori III. officio P. Præt. XL.

Officium habebant Consulares, ut Præsides, & alii Clarissimi: & olim binos Numerarios, ut Præfecti, quorum alter vectigalium, tributorum, & aliorum quæ ad largitionum curam pertinebant rationes tractabat, & summas pecuniarum, ad Proconsulem, vel thesaurorum Præfectum delatas diligenter notabat. Alter verò, ea, quæ ad Comitem rerum privatarum spectabant, in codices referebat, ut bonorum in provinciis publicatorum, vel, quæ alio modo ad fiscum devolvebantur, & quorundam vectigalium jura illi rationi assignatorum. Gratianus A. *in l. 4. C. de numerariis: In provinciis singulis*, inquit, *duo Numerarii, qui & Tabularii, collocentur: quo ad unum fiscalis arcæ ratiocinium, ad alterum largitionales pertinere tituli jubeantur:* Hactenus ille. Verùm tempore hujus Notitiæ singulos tantùm Numerarios Præsides, aliique Clarissimi habuêre. Hi etiam Tabularii vocati Præsidibus tributa non solventium nomina suggerebant. Valentinianus A. *in l. 2. Cod. de numerar. Qui numerarii*, ait, *appellari consueverant, Consularium atque Præsidum, duntaxat Tabularii post hanc nostram sanctionem, vocabuntur: scientes se tormentis esse subjectos, nisi judicibus, vel exactoribus debitorum, aut reliquorum modum frequenter ingesserint, sub actorum testificatione.* Item Arcadius Imp. *in l. missi. 7. C. de exactoribus: Tabularios*, inquit, *oportet fideliter providere nomina debitorum.* Hæc ille. Consularibus verò Correctoribus, ac Præsidibus Orientis, unus sufficiebat Numerarius, qui utroque officio fungebatur. In Occidente, ubique apud omnes Præsides, duo pro Numerariis erant Tabularii dicti, quemadmodum Valentinianus constituit, qui triennii tantùm spacio, officio Numerarii fungi poterant, *d. l. 2. in fi. C. de numerar.* Cætera, quæ de aliis Præfectorum officialibus diximus, hic repetita esse censeantur.

CAP. CLVII.

DE CORRECTORIBUS, EORUMQUE INSIGNIBUS.

CORRECTORES medium inter Consulares, & Præsides locum tenuisse, illisque inferiores, his verò aliquanto digniores fuisse, ex ordine à Notitia observato liquet. Hi antiquissimi fuisse videntur, si quidem Marmor supra portam Arimini, imperante Augusto, Correctores in Italia fuisse, significat, id est sequens.

IMP. CÆSAR DIVI IVL. FI. AVGVSTVS PONT. MAX. COS. XXIII. TRIB. POT. XII. P.P. MVRVM DEDIT CVRANTE L. TVRNO SECVNDO APRONIANI PRÆF. VRBIS FL. ACTEIO V. C. CORRECTORE FLAM. ET PICENI.

Sed hæc inscriptio vitiata est, quia nullus Augusto imperante Apronianus urbi præfuit, sed Statilius Taurus & L. Piso, ut Tacitus scribit. Quare intelligit Rufium Turcium Apronianum, quem Marcellinus sub Valentiniano urbi præfuisse scribit, lib. XXVI. cap. III. Et pro Turno legendum *Turcio*, reponendumque nomen *Valentiniani* pro Augusto. puto vetustate corruptum marmor ab aliquo qui non intellexit, malè restauratum, certè sub Severo & Antonino Caracalla Correctores fuerunt: Eorum enim Hermogenianus, *in l. ex omnibus* 10. *ff. de off. præf.* & Papinianus *in l. penult. ff. eod. tit.* meminerunt. Post ipsos unus totius Italiæ Corrector fuit: Spartianus enim scribit Tetricum Tyrannum, ab Aureliano totius Italiæ Correctorem factum, id est, Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Hetruriæ, Umbriæ, Piceni, Flaminiæ, omnisque annonariæ regionis. Hic Magistratus per multa tempora continuavit; Nam Diocletianus Julianæ scribens, *in l. 4. C. de jud. & fact. ignor. Si post divisionem*, inquit, *factam, testamenti vitium emerserit, ostende hoc apud Correctorem virum clarissimum amicum nostrum;* quem, Numidium tum Italiæ Correctorem significari puto, *l. 3. C. quibus non obstat. long. temp. præscript.* Cejonius etiam Ruffius Volusianus sub Constantino, totius Italiæ annis octo Corrector extitit, ex marmore. Sed divisa ab eo in regiones XVII. Italia, duo in ea Correctores sunt relicti, unus Lucaniæ, & Brutiorum, *l. 21. Cod. ad leg. Cornel. de fals. & l. 15. Cod. de decurionibus.* alter Apuliæ, & Calabriæ. Extra Italiam provinciæ diu Consulares tantùm, aut Præsides habuerunt, non Correctores. Unde Accursius non malè eos pro Italiæ Præsidibus interpretatur, *in l. ex omnib.* 10. *ff. de off. præsid.* Tandem & provinciis Correctores sunt dati, id est, Augustanicæ & Paphlagoniæ in Oriente, & Saviæ in Occidente, *l. 1. C. ut omnes judic. tam civil. quam militares. & in d. §. hæc omnia. Novella* 8. Hi Clarissimi erant ut Præsides, *d. l. 1. C. ut omnes judi. tam civil. quam milit. & d. l. si post divisionem 4. C. de jur. & facti ignor.* sed militibus Præfecti, quod cum scientia Magistrorum puniebant.

Chlamyde purpurea induti, vultus Principum præmittebant, quemadmodum in Correctore Calabriæ, & Apuliæ, Notitia ostendit: Cassiodorus in *formula Rectoris*, lib. VI. *Variar.* quem Correctorem fuisse insinuat; *Te*, inquit, *provinciæ Rectorem nostra*

mittit electio, ut re vera corrigere nitaris, quos tibi commissos esse cognoscis, chlamydis tuæ inter alia clavos intende, ut scias non inaniter positos: Hinc fit, ut cùm publicum agentes purpuram cernerent, de vigore semper Principis admonerent ...... Tibi fiscalium tributorum credita monstratur exactio; constat tuæ fidei esse commissum Principi renunciare, quod in provinciis probatur emergere. Tu etiam Senatorem ibidem residentem juberis audire. Tu in præfecti militem cum illius tantum conscientia vindicare. Tuum nomen in subscriptionibus jusserunt honoratis Provincialibus anteferri: additur, quod à Principe frater vocaris: Hæc ille.

Aliàs insignibus à Consularibus Correctores differebant, quorum ornamentis omnibus non utebantur, neque, ut illi, mulieris imaginem, provinciam ab ipsis administratam referentem, sed oppidi idem significantis effigiem præferebant, quemadmodum in Correctore Apuliæ, & Calabriæ, in Occidente spectatur: in Oriente enim nulla Correctorum apparent insignia. Notas etiam libris mandatorum inscriptas, diversas à Præsidibus habebant, quibus Consulares carebant: Pro codicillis tamen magistratus solvebant quantum Consulares, *d. Nov.* 8. *ad fin.* Correctores à corrigenda provincia dictos Cassiodorus autumat, in *formula Rectoris provinciæ.* Sunt qui eosdem Moderatores provinciarum esse putant, qui & ipsi erant Clarissimi, *l. unic. C. de off. jurid. Alex.* sed illud generale Rectorum nomen tempore hujus Notitiæ erat, *ut in l. unic. C. de off. Comit. Orientis. l.* 10. *C. de assessorib.* Verùm Justinianus novos Moderatores, Spectabiles factos, invenit: ut Hellenoponti, *Nov.* 28. Arabiæ, *Nov.* 102. quos vult antiquo nomine à Græcis ἁρμοστὰς dictos. Idem habent officium Correctores, quod Consulares & Præsides.

CAP. CLVIII.

DE THEBAIDIS, ALIISQUE *Præsidibus, tam Clarissimis, quàm Perfectissimis, eorumque insignibus.*

PLURES provincias prætorias, à Proprætoribus jussu Augusti, administratas fuisse diximus, Alexander verò Imperator plurimas ex his in præsidales mutavit. Lampridius, *Prætorias,* inquit, *præsidiales provincias plurimas fecit.* Denique Prætoribus sublatis, quæ ab illis regebantur, factæ sunt præsidales, donec à Justiniano renovati sunt Prætores. Itaque tempore hujus Notitiæ provinciæ omnes, aut Proconsulares, aut Consulares, aut Correctoriæ, aut Præsidiales fuère.

Præsides & alii Clarissimi, ut dictum est, *ordinarii* appellantur, quo nomine à Spectabilibus distinguebantur. Valentinianus A. *in l.* 2. *C. de proxim. sacr. scri. In sacris,* ait, *scriniis nostris militantes in provinciis à salutatione ordinarii, vel spectabiles judices non arceant.* Ita etiam intelligitur Theodosii rescriptum ad Ruffinum P. P. *in l.* 2. *C. de off. Præf. Aug. Præfectus,* inquit, *Prætorio Augustalis, ordinariorum sub se judicum examinandi flagitia, & super his referendi, non amovendi, vel puniendi habeat potestatem:* de Præsidibus intelligit. Ægyptus enim Consularem, aut majorem Magistratum non habebat. Sic etiam *ordinarias* clarissimorum Rectorum provincias Justinianus appellat, *Novell.* 31. §. *constituimus autem. ibi. secunda verò & quarta ordinarii,* quæ non à Comite aut Proconsule, sed Præsidibus regebantur: Et *ordinariam* sedem Præsidum Constantinus *in l.* 4. *C. de jurisd. omn. jud. Nemo,* inquit, *post litem contestatam ordinariæ sedis declinet examen: nec prius Præfecti Prætorio, aut Comitis Orientis, vel alterius spectabilis judicis imploret auxilium quàm coram Præside egerit.* Item Valentinianus A. *in l.* 7. *C. de cohort. Ordinariorum,* ait, *judicum apparitores, nullo annorum numero, nulla stipendiorum contemplatione laxentur.* Itaque à spectabilibus ordinarii separantur, sub quibus Præsides, & alii provinciarum Rectores Clarissimi titulo honestati continentur. Propriè tamen Præsides minoribus provinciis imperabant, *l.* 1. §. *Deo nobis. C. de off. P. P. Afr. l.* 1. *in prin. C. ut omnes judic. tam civil. quam milit.* §. *illud, in Auth. de appel.* qui & ipsi Clarissimi vocabantur, *l.* 5. *C. de pign. d. l.* 1. *in prin. C. ut omnes jud. tam civil. l.* 2. *C. de ordin. jud.* paucis exceptis, qui erant Perfectissimi, ut sub Comite Orientis Arabiæ Præses, *l. cum reis* 18. *C. de pœnis.* & ut puto, Isauriæ, quæ minimæ provinciæ habebantur, & à Ducibus, qui vicem Præsidum agebant, regebantur: Præses *frater* à Principe appellabatur, Cassiodorus, loco præf. *A Principe,* inquit, *frater vocaris.* Justissimi etiam ac vigilantissimi titulo honestabantur, *l.* 3. *C. de offic. Rect. prov.* eos etiam κρατίστους, id est, *optimos,* aut præstantissimos appellabant, ita apud *Acta Apostolorum,* cap. XXIV. Claudius Lysias Felicem, & D. Paulus Festum vocant, cap. XXVI. unde dicti optimates urbium videntur, tanquam omnium præstantissimi, *in cap. fundamenta.* §. *ne autem, de electio. in* 6. A Præside ad P. P. appellabatur, *l. præcipimus.* 32. §. 1. *C. de appellat.* §. *illud in Auth. eod. tit.*

NOTI-

NOTITIA.

PRÆSES THEBAIDOS CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione Viri Clarissimi Præsidis Thebaidos.

Provincia Thebais.
Officium autem habet ita:
Principem de eodem officio.
Cornicularium.
Commentariensem.
Adjutorem.
Numerarium.
Ab actis.
Exceptores, & cæteros Cohortalinos, quibus non licet ad aliam transire militiam sine annotatione clementiæ principalis.
Cæteri omnes Præsides ad similitudinem Præsidis Thebaidæ Officium habent.

COMMENTARIVM.

QVINQVE fasces præmittebat, Dion lib. LIII. cum *libro mandatorum* quibusdam notis inscripto, & *viridi tegumento involuto*, quem in auditorio penes se judicans tenebat, quemadmodum in Thebaidis, & Dalmatiæ Præsidibus Notitia ostendit. Præsides in Oriente imaginibus Principum carent, quas in Occidente præferunt: *appictique effigiem* provinciam à se rectam referentem, ut Cor-A rectores habebant. Præterea *codicem mandatorum dorso his notis inscriptum*, quibus Consulares carent, FL. VAL. PNEN. IVSRV AV. eas ita sum interpretatus: *Fælix liber veniens à Laterculo Primicerii Notariorum, & Notarius jussu Augustali.* Exemplo Præsidis Thebaidis cæteri Præsides eadem insignia, & officium habent. Is fortè ut dignior pro aliorum exemplari est positus. Insignia Præsidibus prælata fuisse supra diximus, & hoc etiam Martyrologium significat, quod hæc *vexilla* appellat. Beatum enim Fabium martyrem cum ferre vexilla Præsidialia recusaret, primo in carcerem trusum, mox capite punitum fuisse scribit, *pridie Kalend. Aug.* noluit fortè vultus Principum consecratos, qui ado-B rabantur, vel alias idolorum imagines ferre. Per annum tantum provinciis Præsides præficiebantur: sed tempus arbitrio Principis prorogabatur, inquit Cassiodorus.

Hi sunt tres Magistratuum provinciarum ordines Clarissimi: supersunt Perfectissimorum ostendenda insignia, quæ nulla in Oriente à Notitia repræsentantur, ubi tamen constat Arabiæ, atque adeo Isauriæ Præsides hoc titulo honestatos, *in d. l.* 18. C. *de pænis.* Verùm in Occidente in Dalmatiæ Præ-C side, Perfectissimorum insignia & officium demonstrantur, quæ fermè eadem erant, sicut Correctorum, & aliorum Præsidum, nempè duorum Principum in unum virum desinens imago, auratæ columellæ præfixa, quâ tamen Orientis Præsides carent, item liber mandatorum viridi tegumento tectus, & abaco purpureo, surrectoque tapeto substrato impositus. Infra est oppidi effigies, provinciam

ciam à Rectore perfectissimo administratam referens, cujus nomen supra est inscriptum. Notas tergo codicis mandatorum nullas incisas habent. Horum officia, in nullo à Correctorum, aut Consularium officiis discrepant: cùm verò in quibusdam à Spectabilium & Illustrium cohortalibus differrent, pauca de his sunt dicenda.

Cap. CLIX.

DE DIFFERENTIIS INTER *Officia Magistratuum.*

IDEM fermè erat Consularium, ac Correctorum Præsidumque officium, quod & Præfectorum, exceptis Singularis, qui inter Clarissimorum cohortales non nominantur, nisi sub cæterorum Apparitorum classe comprehendantur, quemadmodum in Vicariis Orientis sub hoc nomine videntur contineri. In Occidente verò in Vicariorum officiis Singularii reperiuntur. In quibusdam etiam Illustrium & Clarissimorum officia differebant; nam horum Apparitores conditionales censebantur, id est, conditioni suæ obnoxii, *l. 8. l. 17. C. de advoc. diver. judiciorum. l. 1. & 2. C. ubi quis decur. vel cohortali. condit. conveniat.* ut semel facti Apparitores ab officio, nisi Primipili munere completo, liberari non possent: & ideo à Paulo Jureconsf. *perpetui* appellantur, *in l. præsidis, 34. ff. cert. petat. Præsidis provinciæ*, inquit, *officiales, quia perpetui sunt, mutuam pecuniam dare, & fænebrem exercere possunt.* Quare Notitia subjicit: *his non licere ad aliam militiam seu officium transire, sine annotatione seu indulgentia clementiæ principalis.* Idem affirmat Valentinianus *in l. 7. penultim. & ultim. C. de cohortalib. Ordinariorum*, inquit, *judicum apparitores, qui vel speculatorum, vel ordinariorum attigerint gradum, nullo annorum numero, nulla stipendiorum contemplatione laxentur, prius quàm primipili pastum digesta ratione compleverint.* Ipsorum quoque liberi patris fortunam secuti, eodem modo cohortales esse cogebantur, *l. 12. C. de cohortalib. l. 1. & sequent. C. de filiis offic.* quod & in legionariis militibus observabatur, ut patris militis in bello defuncti filius locum subiret, *l. fin. C. eod.* Sic & Tabularii Reipublicæ servi *conditionales* vocantur, *l. scripturas, 12. C. qui potiores in pign. hab. l. 7. C. de jure fisci. l. 3. 5. 7. & 8. C. Theod. de numerar. actuar.* cæterum qui Primipili munere functus erat, etsi ab officii onere liberabatur, curiæ tamen patriæ compellabatur servire, *dict. l. penultim. & ultim. C. de cohortalib.* Illustrium verò aut Spectabilium Apparitores liberi nulla officii necessitate obstringebantur, *d. l. 7. C. de cohort. l. 1. & ult. C. de apparit. P. P.*

Ut igitur clarissimorum Magistratuum Apparitores ab aliis dignoscerentur, discoloribus penulis, seu palliis tegebantur, qualibus hodie Nuncii Taurinenses utuntur: subtus verò pro cingulo, loro, aut fascia lanea à dextro humero in sinistrum latus descendente cingebantur. Qui mos est antiquissimus. Gellius lib. XII. c. III. *Tiro*, inquit, *Tullius M. Ciceronis libertus lictorem, vel à limo, vel à licio dictum scripsit. Licio enim transverso, quod Limum appellatur, qui magistratibus præministrabant, cincti erant.* Gratianus A. *in l. 1. C. T. de habit. quo intr. urb. uti oport. Officiales*, inquit, *per quos statuta complentur, ac necessaria peraguntur, uti quidem penulis jubemus, verum interiorem vestem ad modum cinguli observare, ita tamen ut discoloribus quoque palliis pectora contegentes conditionis suæ necessitatem ex hujusmodi agnitione testentur.* Quæ verba de Clarissimorum Apparitoribus conditioni obnoxiis, non aliis intelliguntur.

Eosdem in albo cohortalium, seu matriculis satis erat scribi, *l. 10. C. de cohort. l. 16. C. de testa. milit.* Spectabilium verò & Illustrium Apparitores Principis litteris probatoriis vocatis comprobari oportebat, *l. ult. ad fi. C. de divers. offic.* In officio quoque Præsidum nullus à libellis invenitur, qui apud alios majores provinciarum magistratus frequentabantur, quia Præsides ipsi per se precibus subscribere tenebantur, *l. 2. C. de assess.* Tot etiam ex suo officio quotannis provinciarum Rectores ad mansiones mittebant, quot in ea provincia cursus publici loca reperiebantur, *l. 34. 46. C. T. de cursu publ.* qui equis pabula exhiberi curarent, & evectiones inspicerent, Præsidique subscribendas offerrent, ne in illis abusus committeretur.

In cæteris omnium officia conveniebant, eosdemque primates habebant, ut Principem, Cornicularium, Commentariensem, Adjuvam, Ab actis, Numerarium, Exceptores, & cæteros Apparitores, quemadmodum Notitia in Præside Thebaidis ostendit. Omnium denique Apparitores de suo officio Cancellarium eligebant, *l. nullus 8. C. de assessor.* Is est, quem vulgo *secretarium*, Jura verò *domesticum* vocant, *l. 3. 4. 5. 6. 8. C. de assessor.* Hæ sunt Illustrium, Spectabilium, Clarissimorum, ac Perfectissimorum ex Laterculo majore emissæ dignitates, secundùm Notitiæ ordinem explicatæ.

Alii quidam Spectabiles reperiebantur, ut Tribuni Notarii *l. 2. C. de primicer. & secund.* Magister census, *l. orphanotrophos 32. C. de episcop. & cler.* Item alii Clarissimi, ut Silentiarii, *l. ult. C. de silentiar.* Primicerii Scholarum, seu Comites ordinis secundi, *l. 2. C. de privileg. scholar.* & Tribuni Prætoriani, Notariique, *l. 6. C. de Adv. divers. judi.* Inter Perfectissimos quoque præter quosdam provinciarum magistratus, alii plures inveniuntur, inter quos Primiscrinii sub Comite largitionum eminebant, *l. 7. C. de palat. sacr. larg.* Sed Notitia de majoribus tantùm, qui à Laterculis prodibant, non aliis tractat. Cæterum quia inter utriusque Orientis, Occidentisque dignitates duo armaria libris referta reperiuntur, ne quid in hoc volumine intactum relinquatur, & ipsa pro virium mearum tenuitate explicare conabor.

Cap. CLX.

DE ARMARIIS LIBRORVM *hic à Notitia repræsentatis.*

COMMENTARIVM.

ARMARIA inter utriusque Imperii dignitates inserta in Thebaidis Præsidis atrio depicta fuisse Pierius lib. *Hieroglyphicor.* XXXII. cap. X. scribit: cujus verba ita se habent: *In Theodosii & aliorum, qui eo seculo fuerunt Imperatorum insignibus, in atrio Præsidis Thebaidos nuncupati, argumentum hoc pictum spectabatur, cujus exemplum in quodam ejus militiæ ordinum, officiorumque canone descriptum Romæ apud Maffæos inspexi. Tabula est libris quodam ordine dispositis onusta, quorum nonnullis syllabarum quibusdam notæ inscriptæ sunt, quibus per compendium contenta in eis rationes indicabantur, alii nihil præscriptum habent. Supra tabulam fastigium attollitur, in medio cujus faciei genii duo latum sustentant orbem, in quo caput instar humani, cujus ita inscriptio est*, DIVINA PROVIDENTIA. *In angulis vero tabulæ, quæ descriptos, ut diximus, libros continet, singulis, capita singula sunt apposita,* quo-

NOTITIA IMAGINES ARMARIORVM.





A *quorum superius à dextra inscriptionem circunductam ostendit*, VIRTUS, *alterum à læva*, SCIENTIA, *inferius à dextra*, AUCTORITAS. *quartum à læva*, FOELICITAS. *Quod quidem, ut puto, innuit rerum omnium gerendarum summam à Deo primum emanare, eumque conciliandum in primis, ut nostra omnia fortunentur. Mox necessariam esse virtutem, quippe animosum, aptum, & idoneum debere esse hominem, qui præclara sit facinora aggressurus. Verum virtutem solam parum prodesse, nisi accesserit disciplina, cujus scientiâ eruditi, & tempora, & occasiones internoscamus: sed enim & hæc, & illa vix sufficient, nisi & auctoritas adjuncta fuerit, quâ milites populique sub Imperio contineantur, jussaque non* B *cunctanter exequantur. Unde legas de Vespasiano, cum esset jam à militibus salutatus Imperator, auctoritatem, & quasi majestatem quandam inopinato scilicet, & adhuc novo Principi defuisse, quæ nonprius accesserit, quàm è plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adiissent, orantes, ut Tranquillus ait, opem valetudinis demonstratam à Serapide per quietem, restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus si dignaretur calce contingere: cumque vix fides esset rem ullo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet: Extremò hortantibus amicis palàm pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit, atque* C *ita, quod primum desiderabatur, auctoritatem indeptus est. Sed & quarta necessaria est, fælicitas quippe: licet enim animis valeas, experientiâ sis eruditus, auctoritate præstans, nisi tibi res fæliciter succedat, ruere plerumque omnia, & elabi in irritum experieris. Addita huic & altera tabula, cum iisdem libris, & librorum notis, & geniis in fastigio orbem caput referentem sustollentibus, sed angulares circuli affixi ædscripta habent nomina singula singuli*, VER, ÆSTAS, AUTUMNUS, HYEMS, *ut scilicet admoneamur, diligenter nos animadvertere debere, ut suo quæque tempore agantur, procurenturve.* Hæc Pierius, qui pauca ex multis explicat. Sed ego hæc D aliter interpretor: Hic enim Primicerii Notariorum, qui Magistratuum insignia in manu habebat, atque mandatorum codices scribi curabat, & edebat, totamque ferè hanc Notitiam tractabat, officium & diligentiam repræsentari existimo. Itaque libros Magistratibus tradendos in armario dispositos ostendit, qui ex notis, quibus sunt inscripti non rationum codices, ut opinatus est Pierius, sed mandatorum, Magistratibus tradendi, esse dignoscuntur. In manuscriptis plures etiam dignitatum codicilli spectantur, qui à majore Laterculo, & eodem Primicerio prodibant, ad quem omnium ferè dignitatum cura spectabat. Armaria E quoque illa esse in quibus codices reponebantur, quatuor contignationes arguunt. Hic ergo præcipua Magistratuum insignia, id est, Principis mandata à se accipienda Primicerius Notariorum ostendit. Hæc ab Augusto inventa fuisse Dion lib. LIII. scribit, quæ Procuratoribus suis, Proconsulibus, & Proprætoribus seu Legatis dabat, & illorum particulæ ab Ulpiano, *in l. solent. 6. §. ult. ff. de offic. proconsf.* & aliis recitantur. Illa diu intermissa Justinianus renovavit, quæ mittenda provinciarum Præsidibus XVII. capitibus explicuit, *Novella* 17. & Laterculo majore, ac legibus inseri præcepit, Hæc, cùm primum in provincias venissent Præsi- F des, clero, cum Episcopo, & populo metropolis convocato, palàm legi & actis inseri jussit, eorumque exemplum publicè in omnibus provinciæ civitatibus legendum proponi, ut omnes an mandata servarentur scire possent, *§. pen. d. Nov.* 17. & *l. ult. C. eod. scilicet de mand. Princip.*

Duplex autem armarium, duplicis provinciarum Imperii Orientis, & Occidentis typum refert, ad quorum concordiam significandam, utrorumque codicum tegumenta, coloribus & notis sibi respondentia cernuntur. In his colores quatuor exprimuntur, viridis, luteus seu aureus, purpureus, & ferrugineus, hujus loco manuscripti codices album ponunt: librorum tegumenta, pro magistratuum dignitatibus, varia reperiuntur: qui Illustribus tradebantur, in umbilico vultum Principis aureum, aut ejus loco notas quasdam habebant, quibus alii carebant: Codices manuscripti albos sive argenteos, & aureis fasciis in capitibus, & medio cinctos, tam in Oriente, quàm Occidente, Illustrium libros repræsentant. In meo codice, pro albo, purpureus color spectatur. Vicarii duo & ipse Primicerius Notariorum, omnesque rei militaris Comites, Ducesque notas suis libris inscriptas habebant, quarum aliæ sunt, FL. IN. TALL. COM. ORD. PR. quas ita sum interpretatus: *Fælix liber injunctus Notariis Laterculi continens mandata ordine Primicerii.* Aliæ sunt, FL. VAL. COS. TR. L. IUSSI. D. quas ita exposui: *Fælix liber venit à Laterculo continens sacros titulos rerum largitionalium jussione divina.* Sic in Jure debita fiscalia vulgo *tituli largitionales* vocantur, *l. 2. C. de Canone largit. tit.* Verba quoque *divinæ jussionis* reperiuntur & apud Justinianum, *Novel.* 114. Aliæ notæ codicibus horum armariorum inscriptæ in impressâ Notitia non reperiuntur: at in manuscriptis hæ visuntur, FL. VALL. P. N. EUS. IUSSU. DD. quas interpretor: *Fælix liber venit à Laterculo Primicerii Notariorum ejus, jussu divino.* Constat enim apud Petrum Diaconum has notas, EUS. significare ejus. Hæc inscriptio in tergo Codicis mandatorum Præsidis Thebaidis invenitur, qui in Notitia impressâ loco EUS. habet E. N. IUSSU. AU. id est, *& Notariorum jussu Augustali.* In eadem Notitia manuscripta, in unius Codicis dorso hæ notæ reperiuntur, FL. VALE. MAG. MEM. IUSSI. D. quæ sunt pro insignibus Magistri scriniorum Occidentis, & significant, *Fælix liber venit à Laterculo edendus Magistro memoriæ jussione divina:* alias verò notas VALE. credo esse scribendas VALL. ut aliæ similes sunt in eodem armario, FL. VALL. PNU. IUSS. DD. Difficile est has notas exponere, quas Justinianus *in l. 1. §. ult. C. de vet. jure enucleando*, signa, & compendiosa ænigmata appellat: sed quantum conjectura assequi potui, pro virium tenuitate, explicare sum conatus, si scopum non attigero, satis erit propius accessisse, aut saltem aliis acutioris ingenii verius interpretandi viam aperuisse.

Armaria in summo fastigiata, binos utrinque habent genios, purpureis stolis amictos, qui muliebre caput circulo inclusum, flexis genibus sustinent, supra Orientale scriptum est DIVINA PROVIDENTIA, super Occidentale, DIVINA ELECTIO: sed in Ursini codice primum est viri caput purpureo pallio humeris injecto. Pierius ad Deum hæc refert, prout omnia sunt referenda: sed vereor ne humani Principis providentia significetur, velut à Deo ministrantibus Angelis ipsi inspirata, quam sub fœmineæ effigie repræsentat. Insinuat autem Principis divina providentia afflati, orbem Romanum gubernari, qui libris mandatorum traditis magistratus ad illum rectè administrandum instruit; similiter divina ejus electio esse intelligitur, cum inspirante Deo, viros ad hoc munus idoneos, & scientiâ, ac rerum usu expertos legit. Actiones verò, & res Principis, passim in Jure *divinæ* appellantur, ut divina indulgentia, *l. 3. ff. de constit. Princip.* divina delegatio, *l. pen. C. de appellat.*

sanctio, *l. 4. C. de tempor. appell.* domus, *l. 7. C. de sacrosf. eccl. l. 8. C. de exactorib. tribu. l. 15. C. de re milit.* & alia hujusmodi. Eodem modo divina ejusdem providentia, & electio est appellata.

In singulis præterea utriusque armarii angulis, singula humana capita circulis inclusa spectantur, quæ eodem oris & vestium habitu sibi respondent, primum enim, id est, Orientale armarium in summo à læva habet hominis effigiem tonso capite, tunica purpurea, & supra eam toga prassina induti, cujus inscriptio est, SCIENTIA REI MILITARIS; sed in manuscriptis est VIRTVS, utrumque pro eodem Veteres habuere. Alterum quoque armarium, id est, Occidentale, in summo & ipsum à læva ejusdem oris, & habitus caput habet, cui inscriptum est VERNVS, hoc est, primum tempus anni, adolescentiæ comparatum, qua scientiam rei militaris apprehendendam esse significatur. Hæc enim ætas apta est ad discendum, *l. 37. ff. de adil. edict.* & ob id scientiæ militari Ver respondet. Togam viridem gestant, quòd hic color verno tempori, quo omnia virent in primis conveniat. Cassiodorus lib. III. *Variar. ad Faustum*, loquens de coloribus quatuor factionum aurigarum, quarum una prassini coloris ver imitabatur. *Prassinus*, inquit, *virenti verno est dicatus:* unde solet esse argumentum spei, quæ ex rei militaris scientia concipitur. Toga verò propria est Romanorum vestis, *l. 32. ff. de jure fisci.* indicat in ea ipsos excelluisse. Rubeus color in tunica significat partem coloris æstivi inesse veri. In manuscriptis, capita muliebria capillos in humeros spargunt.

A dextra summi anguli armarii Orientalis est imago capitis muliebris cavo orbi inclusa, quæ supra viridem tunicam, togam gestat roseam, cui inscriptum est, VIRTVS; sed manuscripti habent, SCIENTIA REI MILITARIS. In eodem angulo alterius armarii, simile omnino caput huic respondet, cui inscriptum est, ÆSTAS, quæ cum propter ardorem ignem imitetur, roseam togam induit, Cassiodorus in loco sup. cit. *Roseus*, inquit, *æstati flammea dicatus est.* Hæc virilem ætatem, robore firmatam refert, cui æstivi labores conveniunt. Robur enim pro virtute Veteres accipiebant, ut indicat Gordiani nummus, in quo spectatur Hercules nudus, cum clava, & inscriptione VIRTVS AVGVSTI. significant ergo hæ imagines, ex scientia rei militaris, virtutem & robur æstati respondens oriri. Prassinus color in tunica, fortè denotat virtutem virentem, rei militaris scientiâ produci, quemadmodum æstas veri succedens, ejus viriditatem retinet: At manuscripti togam æstatis auream, tunicam verò rubram ostendunt. Toga, Romanos, & eorum Imperium indicat, quod virtute excelluit; sicut & Virgilius in VII. *Æneid.* significat:

— Hinc progeniem virtute futuram
Egregiam, & totum quæ viribus occupet orbem.

A læva Orientalis armarii in imo est aliud caput humanum, duplici luteo circulo inclusum, subscriptum est, AVCTORITAS. Caput purpureo pileo tegitur, tunica viridis ab humeris circa collum rubeo limbo ornata pendet: ante pectus rubeum pallium à sinistro humero descendit.

In imo lævæ Occidentalis armarii, est omnino huic simile caput, cui subscriptum est, AVTVMNVS: Prassina tunica, indicat verni aeris temperiem, & plenum virentibus fructibus autumnum redire: pallium rubens ante pectus eo tempore adhuc æstatem calescere ostendit; fœcunditas verò fructuum in primis adscribitur autumno, quod & Virgilius in II. *Georgico.* hoc carmine cecinit:

Et varios ponit fœtus autumnus, & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.

Ob id eum Græci ὀπώρην vocant: significatur autem ex scientia rei militaris, & virtute auctoritatem, ac imperium, cum utilitate & commodo acquiri, quod in primis Romano contigit Imperio. Pileus purpureus caput tegens, sapientiæ signum est, ut Hesychius & Pierius volunt, propterea quod in capite cerebrum sapientiæ est organum: Purpura Principis propria, ejus prudentiam, & imperium insinuat: autumnus & ipse capite tecto pingitur, ob ventos & aëris frigiditatem, quibus vexatur, unde noxius ab Hipocrate prædicatur: sed in manuscriptis hæc duo capita sunt mulierum, sparsis in colla capillis cum croceis palliis humeris injectis.

In imo dextræ Orientalis armarii, ultimum est caput hominis, duplici & ipsum orbi cavo, luteoque inclusum, cujus humeris rubens tunica pendet, prassinum pallium ante pectus tegit, subscriptum est, FELICITAS, cui in Occidentalis armarii parte dextra, simile caput respondet, infra scriptum est, HYEMS, quæ ex prassino pallio superiore, Veri se obviam ire ostendit; rubens tunica æstatem mox reversuram indicat: Id tempus autem, quo fructibus fruimur, fœlicitati aptum esse constat, & genio opportunum, quod & Virgilius in I. *Georgic.* significat:

Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Et mutuo inter se læti convivia curant.
Invitat genialis hyems, curasque resolvit.

Itaque ex scientia rei militaris virtus, ex virtute auctoritas, ex auctoritate fœlicitas provenit, quæ omnia Imperio Romano contigêre. In manuscriptis pro hyeme est mulier, pallio purpureo caput, tergumque, & pectus tecta. Hanc ante duæ albæ corniculæ, quæ aversæ conspiciuntur, sicut Hyemis symbolum, inquit Pierius, auctoritate Hesiodi & aliorum, albæ propter nivem hyemalem ostenduntur. Ego eas hic concordiæ typum esse puto, ob eximiam fidem, quam inter se servant. Principum enim concordia, & mutui amoris candor, per albas aves insinuatur. Summatim verò plurimi codices ordine dispositi, rectam Imperii Romani Magistratuum administrationem repræsentant, quæ ex libris Mandatorum ipsis traditis indicatur. Explicitis Romani Orientalis Imperii Dignitatibus, ad Occidentales Notitia transit, quas pro viribus interpretari conabimur.

Finis Notitiæ Dignitatum Rom. Imperii Orientalis.

PRÆ-

PRAEFATIO
IN NOTITIAM DIGNITATVM OMNIVM TAM CIVILIVM, QVAM MILITARIVM, IN PARTIBVS OCCIDENTIS.



MPERIVM *Rom. ab Augusto penes unum Principem usque ad M. Antoninum & Verum continuavit: Hi simul primi imperare cœperunt: deinde Severus cum Antonino filio, & alii; sed hi nullam provinciarum divisionem fecerunt, cùm semper apud majorem tota auctoritas permaneret. Probus & Florianus primi, auctore Zonara, in diversis partibus, sed paucis mensibus regnaverunt. Cùm verò Diocletianus, & Maximianus principatu se abdicassent, Orientem cum Illyrico, Gallerio Maximino: Constanti verò Chloro Constantini Magni patri, cum Africa Occidentis partes assignarunt, ut Aurelius Victor* de Cæsaribus *& alii referunt, ut Oros. libr.* VII. *cap.* XXV. *qui hanc primam Imperii divisionem fuisse dicunt. Sed is, Italia tum à Maxentio occupata, ultra Alpes Cottias tantùm regnavit. Post hos Magni Constantini filii aliter Imperium diviserunt: quod fratribus extinctis, primo in Constantium, mox in Julianum Apostatam in solidum pervenit, donec Valentinianus illud denuo cum fratre est partitus; Orienteque Valenti tradito, Occidentem sibi retinuit; quorum deficientibus successoribus, solus Theodosius Magnus rerum potitus, Arcadio Orientem, Honorio Occidentem, id est, Italiam, Gallias, Hispaniam, Britanniamque, & Africam dedit, Zosimus in fin. lib.* IV. *ac fines Meridiem versus ad Berenicen ultimam civitatem Cyrenaicæ seu Libyæ superioris, quæ* Pentapolis, *à numero quinque urbium dicebatur, sunt positi: inde Africa minor seu Tripolitana à Syrtibus, & à Boreo promontorio Occidentalis Imperii initium fuit. Ad Septentrionem verò Princeps Orientis, Macedoniam cum Mysia prima & secunda, usque ad Scardum montem, seu Drilonem fluvium, & Danubium tenuit. Vltra Pannoniam & Dalmatiam, omnia ad Occidentale Imperium spectabant, quemadmodum ex Notitia, & Procopio in* I. de bello Vandalico *in princip. deprehenditur, qui Honorio imperante Occidentale Imperium à Gadibus Meridiem versus usque ad fines Africanæ Tripoleos itineris dierum* XC. *fuisse scribit, ab altera Herculis columna secundum Europæ littus usque ad Sinum Ionium dierum* LXXV. *Orientis verò Imperium à finibus Cyrenes usque ad Epidamnum seu Dyrrachium naviganti iter* CXXII. *dierum fuisse, & Byzantio ad Istri ostia dierum* XXII. *E Chalcedone in Phasim fluvium dierum* XL. *addito itinere Dyrrachio Constantinopolim usque totum Orientale Imperium ambitum dierum* CCCXLVII. *habuisse memorat: Notitiæ tempore hæc Imperii Romani divisio fuit, quæ in pluribus militum insignibus decussatis repræsentatur, in quibus Orientis, Africæ, Illyrici, & Occidentis partitio duobus typis indicatur, Orbe scilicet hoc O, linea una per medium ducta diviso, aut cruce obliqua instar literæ* X. *distincto. Relictæ autem sunt Orienti provinciæ* LX. *videlicet sub P. P. Orientis* L. *sub P. P. Illyrici* X. *Occidenti* LVIII. *ex quibus* XXIX. *P. P. Italiæ parebant, totidem Præfecto Galliarum. Communi tamen consensu, uterque Princeps res Imperii semper administravit, leges conjunctim promulgavit, arma conjunxit, ac simul Consules creavit: quorum alter Romæ, alter Constantinopoli residebat, ut duo dimidia conjuncta viderentur Imperia. Ob duplicem verò administrationem, dignitates, & magistratus geminari oportuit, qui similes, ac fermè iidem utrobique creabantur, etsi ob regionum, & rerum diversitatem, in quibusdam differebant. Superiore libro totius Imperii nec non specialem Orientalis typum habuisti. Ergo ex typo universali & particulari Orientalis qui fuerint Imperii Occidentalis fines, facilis cognitio sequitur, ut quo supra ordine, urbis Romanæ (quæ Occidentalis Imperii fuit sedes) descriptio subsequatur*

VRBS QVÆ ALIQVANDO

DESOLATA, NVNC GLORIOSIOR, PIISSIMO IMPERIO RESTAVRATA.



DESCRIPTIO

VRBIS ROMÆ.

Regio I.

PORTA Capena, continet ædem Honoris & Virtutis, Camænas, & Lacum Promethei, Balneum Torquati, & Vefpafiani, Thermas Severianas, & Commodianas, Aream Apollinis, & Spei, & Galli, Vicum vitriarium, Aream panariam, Mutatorium Cæfaris, Balneum Bolani & Mamertini, Aream Carfuræ, Balneum Abafcanti, & Antiochiani, Ædem Martis, & Minervæ, & Tempeftatis, Fulmen Almonis, Arcum Divi Veri Parthici, & D. Trajani, & Drufi, Vici x. Ædiculæ x. Vicomagiftri XLVIII. Curatores II. Infulæ tria millia CCL. Horrea XIII. Balnea LXXXVI. Lacus LXXXIV. Piftrina XX. Continet pedes duodecim millia CCXIX.

Regio II.

Cœli montium, continet Templum Claudii, Macellum magnum, Luparios, Antrum Cyclopis, Cohortes Vigilum, Caftra peregrina, Caput Africæ, Arborem fanctam, Domum Philippi & Vectilianam, Ludum matutinum & Gallicum, Spoliarium, Samarium, Armamentarium, Micam auream, Vici VII. Ædiculæ VII. Vicomagiftri XLVIII. Curatores duo, Infulæ tria millia DC.

A Domus CXXIV. Horrea XIV. Balnea LXXXII. Lacus LXII. Piftrina XII. Continet pedes duodecim millia CC.

Regio III.

Ifis & Serapis, continet Monetam, Amphitheatrum, quod capit loca octoginta feptem millia, Ludum matutinum & Dacicum, Domum Brytti, Præfentiffimum choragium, Lacum paftoris, Scholam Quæftorum & Capulatorum, Thermas Trajanas, & Titianas, Porticum Livii, Caftra Mifenatium, Vici XII. Ædiculæ XII. Magiftri
B XLIX. Curatores duo, Infulæ duo millia feptingentæ quinquaginta feptem, Domus fexaginta, Horrea XIV. Baloca octoginta, Lacus LXV. Piftrina XVI. Continet pedes duodecim millia trecentos quinquaginta.

Regio IV.

Templum pacis, continet Porticum abfidatam, Aream Vulcani, Aureum buccinum, Apollinem Sandaliarium, Telluris templum, Horrea chartaria, Tigillum fororium, Coloffum altum pedes centum duos femis. Habet in capite radia numero feptem, fingula pedum viginti duorum femis, Metam fudantem, Templum Romæ & Veneris,
C Ædem Jovis Statoris, Viam facram, Bafilicam Conftantinianam, Templum Fauftinæ, Bafilicam Pauli, Forum tranfitorium, Suburram, Balneum Daphnidis, Vici octo, Ædiculæ octo, Vicomagiftri XLVIII. Curatores duo, Infulæ II. millia feptingentæ quinquaginta feptem, Domus octoginta

ginta octo. Horrea decem & octo. Balnea LXXV. A Lacus LXXXIII. Pistrina XII. Continet pedes tredecim millia.

Regio V.

Esquiliæ, continet Lacum Orphei, Macellum Liviani, Nymphæum D. Alexandri, Cohortes duas Vigilum, Herculem Syllanum, Hortos Pallantianos, Amphitheatrum castrense, Campum Viminalem sub aggere, Minervam medicam, Isidem patriciam, Vici XV. Ædiculæ XV. Vicomagistri quadraginta octo, Curatores duo, Insulæ tria millia octingentæ quinquaginta. Domus CLXXX. Horrea XXIII. Balnea LXXV. Lacus LXXIV. Pistrina XV. B Continet pedes quindecim millia DC.

Regio VI.

Alta semita, continet Templum Salutis & Serapis, Templum Floræ, Capitolium antiquum, Statuam Mamurii plumbeam, Ædem Quirini, Malum punicum, Hortos Salustianos, Gentem Flaviam, Thermas Diocletianas, & Constantianas, X. Tabernas, Gallinas albas, Aream Candidi, Cohortes III. Vigilum, Vici XVII. Ædiculæ XVII. Vicomagistri XVIII. Curatores duo. Insulæ tria millia quadringentæ tres, Domos centum qua- C draginta sex, Horrea XVII. Balnea LXXXV. Lacus LXXII. Pistrina XVI. Continet pedes quindecim millia DCC.

Regio VII.

Via lata, continet Lacum Ganymedis, Cohortes VII. Vigilum, Arcum novum, Nymphæum Jovis, Ædiculam Caprariam, Campum Agrippæ, Templum Solis & Castra, Porticum Gypsiani & Constantini, Templa duo novæ, Spei & Fortunæ, Equum Tiridatis regis Armeniorum, Forum suarium, Hortos Largianos, Mansuetas, Lapidem pertusum, Vici XV. Ædiculæ XV. Vicomagistri D LXVIII. Curatores duo, Insulæ tria millia octingentæ quinque, Domus CXX. Horrea XXV. Balnea LXXV. Lacus LXXVI. Pistrina XV. Continet pedes XV. millia septingentos.

Regio VIII.

Forum Romanum & magnum, continet Rostra, Genium populi Romani aureum, & Equum Constantini, Senatulum, Atrium Minervæ, Forum Cæsaris, Augusti, Nervæ Trajani, Templum D. Trajani, & Columnam Cochlidem altam pedes CXXVIII. semis, gradus intus habet CLXXXV. fenestras XLV. Cohortes VI. Vigilum, E Basilicam argentariam, Templum Concordiæ, Umbilicum Romæ, Templum Saturni & Vespasiani, Capitolium, Miliarium aureum Juliæ, Templum Castorum, Vestæ, Horrea Germaniciana & Agrippina, Aquam cernentem quatuor Scauros sub æde, Atrium Caci, Vicum jugarium unguentarium, Græcostasim, Porticum margaritariam, Elephantum herbarium, Vici triginta quatuor, Ædiculæ XXIX. Vicomagistri XLVI. Curatores duo, Insulæ tria millia octingentæ octoginta, Domos CXXX. Horrea XVIII. Balnea LXXXIII. Lacus CXX. Pistrina XX. Continet pedes tredecim millia LXVII. F

Regio IX.

Circus Flaminius, continet Stabula numero IV. factionum, Ædem Herculis, Porticum Philippi, Minutias II. Veterem, & Frumentariam, Cryptam Balbi, Theatra quatuor, in primis Balbi A quod capit loca triginta millia LXXXV. Campum Martium, Trigarium, Ciconias nixas, Pantheum, Basilicam Matidii, & Martiani, Templum D. Antonini, & Columnam Cochlidem, altam pedes CLXXV. semis, gradus intus habet CCIII. fenestras LVI. Hadrianium, Thermas Alexandrinas, & Agrippinas, Porticum Argonautarum, & Meleagri, Iseum & Serapeum, Insulam Feliculæ, Vici XXXV. Ædiculæ XXXV. Vicomagistri XLVIII. Curatores II. Insulæ duo millia septingentæ LXXIV. Domus CXL. Horrea XXII. Balnea LXIII. Lacus LXIII. Pistrina XX. Continet pedes triginta duo millia D. B

Regio X.

Palatium, continet Casam Romuli, Ædem Matris Deûm, & Apollinis Rhamnusii, Pentapylum, Domum Augustanam & Tiberianam, Ædem Jovis victoris, Domum Dionis, Curiam veterem, Fortunam respicientem, Septizonium D. Severi, Victoriam Germanicianam, Lupercal, Vici XX. Ædiculæ XX. Vicomagistri XLVIII. Curatores duo. Insulæ duo millia DCXLIII. Domus LXXXVIII. Horrea XLVIII. Balnea XIV. Lacus LXXXIX. Pistrina XX. Continet pedes XI. millia sexcentos. C

Regio XI.

Circus Maximus, qui capit loca quadringenta octoginta quinque millia, continet XII. portas, Templum Mercurii, Ædem Ditis patris, Cererem, Portam trigeminam, Apollinem Cælispicem, Herculem Olivarium, Velabrum, Arcum D. Constantini, Vici XVIII. Ædiculæ XIX. Vicomagistri XIX. Curatores duo, Insulæ duo millia sexcentæ, Domus LXXXIX. Horrea XVI. Balnea XV. Lacus XX. Pistrina XV. Continet pedes undecim millia quingentos.

D

Regio XII.

Piscina publica, continet Aream radicariam, Viam novam, Fortunam mammosam, Isidem Athenodoriam, Ædem Bonæ Deæ subsaxanæ, Signum delphini, Thermas Antoninianas, Septem domos Parthorum, Campum lanatarium, Domum Chilonis, Cohortes IV. Vigilum, Domum Cornificii, Privatum Hadriani, Vici XIV. Ædiculæ XVII. Vicomagistri XLVIII. Curatores duo, Iosulæ duo millia quadringenta: octoginta septem, Domus CXIV. Horrea XVII. Balnea LXIII. Laeus LXXXI. Pistrina XX. Cootinet pedes duodecim millia.

E

Regio XIII.

Aventinus, continet templum Dianæ, & Minervæ, Nymphæa tria, Thermas Varianas & Decianas, Doliolum, Mappam auream, Platanones, Horrea Galbæ, Porticum fabariam, Scholam Cassii, Forum pistorium, Vici XVII. Ædiculæ XVII. Vicomagistri XLVIII. Curatores duo, Insulæ duo millia quadringentæ octoginta septem. Domus CXXX. Horrea XXV. Balnea LXIV. Lacus LXXXVIII. Pistrina XX. Continet pedes ducenta novem millia.

Regio XIV.

F

Transtiberina, continet Gajanum, Vaticanum, Frygianum, Naumachias V. Hortos Domitios, Balneum Ampelidis & Prisci, & Dianæ molinas, Janiculum, Statuam Valerianam, Cohortes septem Vigilum, Caput Gorgonis, Fortis Fortunæ templum, Aream Septimianam, Herculem cubantem,

A Campum Brytianum & Codetanum, Hortos Getæ, Castra lecticariorum, Vici LXXVIII. Ædiculæ LXXVIII. Vicomagistri XLVIII. Curatores tres, Insulæ quatuor millia quadringentæ quinque, Domus CL. Horrea XXII. Balnea LXXXVI. Lacus CLXXX. Pistrina XXIII. Continet pedes triginta tria millia quadringentos octoginta octo.

Bibliotheca XXIX.

Ex iis præcipuæ duæ, Palatina & Vlpia.

Obelisci V.

B In Circo maximo unus, altus pedes LXXXVIII. semis. In Vaticano unus, altus pedes LXXI. In Campo Martio unus, altus pedes LXXXII. semis. In Mausoleo Augusti duo, singuli pedum XLII. semis.

Pontes VII.

Ælius, Aurelius, Molvius, Sublicius, Fabricius, Cestius & Probi.

Montes VII.

Cælius, Aventinus, Tarpejus, Palatinus, Esquilinus, Vaticanus, Janiculensis.

Campi VIII.

C Viminalis, Agrippæ, Martius, Codetanus, Octavius, Pecuarius, Lanatarius, Brytianus.

Fora XI.

Romanum, Magnum, Cæsaris, Augusti, Nervæ Trajani, Ænobarbi, Forum boarium, Suarium, Pistorum, Gallorum, & Rusticorum.

Basilicæ X.

Julia, Vlpia, Pauli, Neptuni, Matidii, Marciana, Bascellaria, Floscellaria, Sicinii, Constantiniana.

Thermæ XI.

Trajanæ, Titianæ, Agrippinæ, Syræ, Commodianæ, Severianæ, Alexandrinæ, Antoninianæ, Decianæ, Diocletianæ, Constantinianæ.

Aquæ XIX.

Trajana, Annia, Alsia, Claudia, Martia, Herculea, Julia, Augustea, Appia, Alsetina, Setina, Cimina, Aurelia, Damnata, Virgo, Tepula, Severiana, Antoniana, Alexandrina.

Viæ XXIX.

Trajana, Appia, Latina, Lavicana, Prænestina, Tiburtina, Nomentana, Salaria, Flaminia, Æmilia, Clodia, Valeria, Aurelia, Campana, Ostiensis, Portuensis, Janiculensis, Laurentina, Ardeatina, Setina, Quintia, Cassia, Gallica, Cornelia, Triumphalis, Patinaria, Asinaria, Ciminia, Tiberina.

Horum Breviarium.

Capitolia II. Circi duo, Amphitheatra duo, Colossi duo, Columnæ cochlides duæ, Macella duo, Theatra III. Ludi IV. Naumachiæ V. Nymphæa XV. Equi magni XXIII. Deaurati LXXX. Eburnei LXXXIV. Arcus marmorei XXXVI. Portæ XXXVII. Vici CCCCXXIV. Ædes CCCCXXIV. Vicomagistri DCLXXII. Curatores XXIV. Insulæ per totam urbem numero quadraginta sex millia sexcentæ duo, Domus mille septingentæ octoginta, Balnea DCCCLVI. Lacus mille CCCLII. Pistrina CCLIV. Lupanaria XLV. Latrinæ publicæ XLIV. Cohortes Prætoriæ decem, Vrbanæ quatuor, Vigilum septem: quarum excubitoria XIV. Vexilla communia duo, Castra equitum, falgamariorum, peregrinorum.

Descriptionis Romæ Finis.



PRÆFECTVS PRÆTORIO ITALIÆ.

SVB DISPOSITIONE P. PRÆTORIO ITALIÆ, SVBERAT PRIMO ipsa ITALIA, CVIVS PROVINCIÆ SEPTEMDECIM *enumerantur cap. 1. Item Africa, cujus provinciæ sex, quæ ibidem recensentur. Suberat & Illyricum Occidentale.*

ILLYRICI Occidentalis provinciæ sex, videlicet Dalmatiæ, Pannonia prima, Pannonia secunda, & Savia, Valeria, Noricum mediterraneum, & Noricum Ripense, quæ erant sub dispositione Illustris Præfecti Prætorio Italiæ. Nam de his accipiendum cum legimus illum præter Italiam & Africam, etiam Illyricum sub se habuisse. Proinde voco Occidentale, respiciendo ad supremam illam administrationem ac sedem Præfecti Prætorio Italiæ ad quem provocabatur.

Illyrici Occidentalis Provinciæ sex, videlicet	Pannonia prima habebat Consularem.
	Pannonia secunda.
	Savia sive Pannonia Ripariensis habebat Correctorem.
	Valeria Ripensis habebat Ducem limitaneum.
	Dalmatiæ habebant Præsidem.
	Noricum mediterraneum.
	Noricum Ripense habebat Ducem limitaneum.

Huc pertinet quod Sextus Ruffus V. C. in *compendio historiarum* ad Valentinianum Aug. de utroque Illyrico intelligens Orientali & Occidentali, decem & septem Illyrici provincias enumerat, iis verbis: *Habet*, inquit, *Illyricum decem & septem provincias, Noricorum duas, Pannoniorum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Mœsiam, Dacias duas. Et in ditione Macedoniæ sunt septem, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiri duæ, Prævalis, & Creta.* Hæc ille. Cæterum nemo mirabitur Pannoniam sive Noricum Illyrico adscribi, qui cogitabit Illyriorum, qui & postea Dalmatæ dicti sunt, nobilitatem vetustatemque. Nam ab interiori insigniorique populo etiam extremas ad Danubium vergentes nationes libuit antiquis Illyriorum vocabulo generatim complecti. Quam rationem secutus Julius Cæsar scribit Rhenum flumen Sequanos, Mediomatricos, & Treviros præterlabi, clarissimorum populorum fines tam latè extendens. Ergo provinciæ istæ Illyrico accensebantur propter primævam originem, quam posteriori tempore gubernationis causâ facta divisio consecuta est. Nolo primi Illyricarum gentium conditoris Illyrii illius Polyphémi Galateæque filii genus posteritatemque prolixius recensere, quod ab aliis fieri video. In primis meminerimus Diœceseis Episcopales Christianæ religionis multis certissimisque indiciis Romanam antiquitatem nobis repræsentare. Notum autem est, priusquam Vienna ac Nova civitas proprios Episcopos impetrassent, quem antistitem agnoverint. Adeo omnia ad interiores

A nationes propter originem nobilitatemque referuntur. Quinetiam certum nobis testimonium diligentissimus Geographorum Strabo præbet, cum libro septimo Illyricas provincias Istro Alpibusque contiguas esse dicit, Italiamque inter & Germaniam sitas. Intelligit autem Germanorum nomine cùm scribit Illyricorum loca Italiam & Alpes, Germanos & Dacos ac Getas attingere, Marcomannos præcipuè, infra quos Quadi habitabant, utrique trans Danubium, ubi adhuc est Marcomannorum campus, & Vngaria transdanubiana versus Septentrionem in Quadorum regione. Subditque Strabo descriptis Illyricis Alpibus, quas à Vinde-

B licis, hoc est, Bavaris montanis inchoare dicit, Reliquam, inquiens, plagam Pannonii obtinent, usque ad Segesticam atque Istrium ad Septentrionem atque Orientem. Ad alias autem partes amplius etiam porriguntur. Et post multa addit sui temporis Imperatores Polam usque, oppidi in Istria nomen est, terminos Italiæ extendisse. Quid ergo mirum, si istas supra nominatas provincias Illyrico propter originis & vetustatis nobilitatem, atque Præfecturæ Prætorianæ Italiæ subjectas legimus. Etenim Prætorii Italici jurisdictio Pannoniam Secundam inter provincias Occidentalis Imperii ultimam complectebatur cum Savia atque Valeria, ad

C cujus finem Orientalis administrationis initium erat. Debet autem præter omnia ista auctoritas Imperatorum nobis pro lege esse: nec obstat quod hujusmodi sive divisiones terrarum, sive conjunctiones apud auctores vetustiores disertè non occurrunt. Multa namque excogitavit posteritas, dum provincias plerasque rursum per primæ & secundæ nomenclaturam distinguit. Id quod apud antiquissimos scriptores non reperias. Videre verò licet Illyrici vetustam amplitudinem ex eo, quod Appianus Græcus scriptor quicquid provinciarum citra Alpes est, à Romanis Illyrico attribui scribit, etiam Rhetias ipsas, ut de inferioribus istis provin-

D ciis, de quibus nobis disputatio est; minus sit mirandum. Atque hinc multorum auctorum loca melius intelligentur, ut cum Ausonius canit:

Illyricis regnator aquis tibi Nile secundus
Danubius latum profero fonte caput,

nimirum propter Savum ex Carnicis Alpibus, & Dravum è Noricis atque alios fluvios provinciarum inferiorum in Danubium exonerantes: Et cum Herodianus tradit, Illyricas gentes solas discrimen facere inter Italiam & Germaniam, ut de Ammiano Marcellino & aliis taceam: Item

E quod de Occidentali Illyrico accipiendum sit, cum Codicis Theodosiani libro nono Impp. Grat. Valent. & Theod. A. A. A. ad Flavianum PF. Illyrici & Italiæ scribunt: ut de Orientali Illyrico, quoties simpliciter Illyricum nominant ad Thalassium & simileis Præfectos Prætorio passim scribentes. Cæterum nihil clarius totam rem indicat quàm antiquum illud volumen quod Notitias cùm Orientis tum Occidentis continet, à quo dissentire nefas, unde & præcedens descriptio desumpta est, pauculis adjectis crassiore, quod ajunt, musa, quo vetustas illustraretur.

F

BRE-

BREVIARIVM DIGNITATVM IMPERII OCCIDENT.

Dignitates Occidentis.

- *Illustres.*
  - *Præfectus Prætorio Italiæ, sub quo Provinciæ* XXIX.
  - *Præfectus Prætorio Galliarum, sub quo Provinciæ* XXIX.
  - *Præfectus urbis Romæ.*
  - *Magister equitum.*
  - *Magister peditum.*
  - *Præpositus cubiculi.*
  - *Magister officiorum.*
  - *Quæstor palatii.*
  - *Comes largitionum.*
  - *Comes privatarum.*
  - *Comes domesticorum equitum.*
  - *Comes domesticorum peditum.*
- *Spectabiles.*
  - *Primicerius cubiculi.*
  - *Castrensis palatii.*
  - *Primicerius notariorum.*
  - *Magister scriniorum* III. — *Memoriæ. Epistolarum. Libellorum.*
  - *Proconsul Africæ.*
  - *Vicarii* VI.
  - *Comites rei militaris* VI.
  - *Duces rei militaris* XII.
- *Clarissimi.*
  - *Consulares provinciarum* XXII.
  - *Correctores provinciarum* III.
  - *Præsides provinciarum* XXXI.
- *Perfectissimus.*
  - *Præses Dalmatiæ.*

NOTITIA.

PRÆFECTVS Prætorio Italiæ.
Præfectus Prætorio Galliarum.
Præfectus Vrbis Romæ.
Magister peditum in Præsenti.
Magister equitum in Præsenti.
Magister equitum per Gallias.
Præpositus Sacri Cubiculi.
Magister Officiorum.
Quæstor.
Comes Sacrarum Largitionum.
Comes rerum privatarum.
Comes Domesticorum equitum.
Comes Domesticorum peditum.
Primicerius Sacri Cubiculi.
Primicerius Notariorum.
Castrensis Sacri Palatii.
Magister Scriniorum, Memoriæ, Epistolarum, Libellorum.

Proconsul Africæ, cujus Vicarii sex.

Vrbis Romæ.
Italiæ.
Africæ.
Hispaniarum.
Septem Provinciarum.
Britanniarum.

A *Comites rei militaris sex.*

Italiæ.
Africæ.
Tingitanæ.
Tractus Argentoratensis.
Britanniarum.
Littoris Saxonici per Britannias.

Duces duodecim.

Limitis Mauritaniæ Cæsariensis.
B Limitis Tripolitani.
Pannoniæ primæ, & Norici Ripensis.
Pannoniæ secundæ, & Valeriæ Ripensis.
Pannoniæ primæ, & secundæ.
Rhetiæ primæ, & secundæ.
Sequanicæ.
Tractus Armoricani, & Nervicani.
Belgicæ secundæ.
Germaniæ primæ.
Britanniæ.
Mogontiacensis.

C *Consulares viginti duo.*

Pannoniæ. PER Italias octo.
Venetiæ, & Istriæ.
Æmiliæ.
Liguriæ.
Flaminiæ, & Piceni.
Annonarii Tusciæ, & Vmbriæ.
Piceni suburbicarii.
Campaniæ.
Siciliæ.
PER Africam duo.
D Byzantii, aliàs Byzatii.
Numidiæ.
PER Hispanias tres.
Bæticæ.
Lusitaniæ.
Galleciæ.
PER Gallias sex.
Viennensis.
Lugdunensis primæ.
Germaniæ primæ.
Germaniæ secundæ.
E Belgicæ primæ.
Belgicæ secundæ.
PER Britannias duo.
Maximæ Cæsariensis.
Valentiæ.

Correctores tres.

PER Italiam duo.
Apuliæ, & Calabriæ.
Lucaniæ, & Brutiorum.
PER Pannoniam unus, Saviæ.

F *Præsides triginta unus.*

PER Illyricum quatuor.
Dalmatiarum.
Pannoniæ primæ.
Norici Mediterranei.

Nori-

Norici Ripensis.
PER Italiam septem.
Alpium Cottiarum.
Rhetiæ primæ.
Rhetiæ secundæ.
Samnii.
Valeriæ.
Sardiniæ.
Corsicæ.
PER Africam duo.
Mauritaniæ Sitifensis
Tripolitanæ.
PER Hispanias quatuor.
Tarraconensis.
Carthaginensis.
Tingitanæ.
Insularum Balearium.
PER Gallias undecim.
Alpium maritimarum.
Alpium Pœninarum & Grajarum.
Maximæ Sequanorum.
Aquitaniæ primæ.
Aquitaniæ secundæ.
Novempopulanæ.
Narbonensis primæ.
Narbonensis secundæ.
Lugdunensis secundæ.
Lugdunensis tertiæ.
Lugdunensis Senonicæ.
PER Britannias tres.
Britanniæ primæ.
Britanniæ secundæ.
Flaviæ Cæsariensis.

COMMENTARIUM.

NOTITIA, Orientis Dignitatibus explicatis, Occidentales eodem ordine repræsentat: primo Illustres, deinde Spectabiles, postremo Clarissimos, Perfectissimosque recenset. Inter Illustres, quemadmodum in Oriente fecerat, duos Præfectos Prætorio, Italiæ & Galliarum, Præfectumque Urbi præmittit. Sed Galliis hoc tempore à Barbaris magna ex parte occupatis, ejus Præfecti insignia omittuntur. In numero tantùm magistratuum Orientale Imperium ab Occidentali discrepasse videtur. Inter Illustres enim proquinque Magistris Orientis hic tres tantùm recitantur, duo in præsenti, alter peditum, equitum alter: Tertius & ipse equitum per Gallias, prout Constantinus distinxerat, qui peditum Magistros ab equitum Præfectis diviserat. In Oriente quinque Magistri mixtim equitibus, peditibusque imperabant.

Inter Spectabiles quoque Proconsules numero differebant, qui in Oriente duo reperiebantur, Asiæ & Achaiæ: Hîc unus tantùm Africæ. Vicarii etiam quatuor totidem Diœceses Orientis gubernabant, sex in Occidente. Hîc autem animadvertendum est, dum legitur *Proconsul Africa, cujus Vicarii sex*: intelligendum est, *cujus scilicet Africa* non Proconsulis, quia soli Præfecti Vicarios habebant, non Proconsules: inter hos est Vicarius VII. provinciarum, ita tum Galliæ videntur appellatæ, etsi re vera XVII. provincias continerent, quia ad VII. redigebantur, ut infra suo loco explicabitur. Vetustus tamen codex legit, Proconsul Africæ unus. Comites etiam Orientales ab Occidentalibus

A numero differebant: nam in Oriente duo tantùm erant, sex in Occidente. Similiter Duces Orientis XIII. numerantur, Occidentis XII. Clarissimorum quoque numerus dissidebat: Si quidem in Oriente XV. Consulares reperiebantur, in Occidente XXII. in quibus Codex impressus deficit. Nam XX. solùm numerat, quibus duo in fine addendi, scilicet per Britannias duo, Maximæ Cæsariensis, & Valentiæ, qui numerum XXII. complent. Correctores etiam duo erant Orientis, tres Occidentis. Item illius Præsides XL. hujus XXXI. quibus Mauritaniæ Cæsariensis Præses deesse videtur: sed quia ejus provinciæ Dux etiam Præsidis officio fungebatur, non B Præsidibus, sed Ducibus adscribitur: Verè tamen XXXII. erant Præsidiales provinciæ, inter quos Perfectissimus nullus in hoc indice nominatur, qualis in calce operis Præses Dalmatiæ cum suis insignibus repræsentatur. Nullus verò in Oriente Perfectissimus apparet, ubi tamen duos fuisse dixi; quia in hac dignitate explicanda non multum Notitia laboravit. singuli igitur magistratus suis locis quo ordine in Oriente cujusque insignia & officia sunt ostensa infra exponentur: & à P. P. Italiæ, tanquam digniori, auspicabimur.

CAP. I.

C

DE PRÆFECTO PRÆTORIO ITALIÆ.

ANTE Valerianum duo tantùm in solidum erant P. P. postea divisas regiones habere cœperunt. Ragonius enim, ut auctor est Spartianus in *Balista Tyranno*, sub Valeriano Illyrico, & Galliis præfuit: primus verò Constantinus quatuor instituit, inquit Zosimus lib. II. cap. XXXIII. unum Orienti, secundum Illyrico, tertium Italiæ, Africæque præfecit, quartum Galliis, Hispaniis, & Britanniæ: idque observatum est & sub Con- D stantio, qui ad Taurum P. P. scribit, *l. 49. C. Theo. de Decur.* quem Italiam rexisse Ammianus lib. XXI. cap. VI. affirmat. Sed idem scribit lib. XXVI. cap. V. Mamertinum, Juliano Apostata imperante, Italiæ, Illyrici, & Africæ Præfectum Prætorio fuisse: itaque Illyricum non semper suum Præfectum habuit. Verùm diviso inter Valentinianum & Valentem Imperio, quemadmodum auctor est Marcellinus, Præfectus Italiæ solum Illyricum Occidentale obtinuit, quod prius totum suo parebat Præfecto. Valentinianus enim Polemio, *l. 26. C. Theod. de oper. pub.* item Fabiano, *l. pen. C. de contrah. empt.* P. P. Italiæ & Illyrici scribit: Galliæ E Præfectus, ut prius erat, permansit. Sed Præfectus Italiæ in Principis Comitatu degebat, sicut & Præfectus Orientis Constantinopoli, qui Præfecti Prætorio Comitatus vocabatur, *l. præcipimus, 32. C. de appel.* Italiæ ergo Præfecto tres nobiles, amplæque traditæ sunt Diœceses, Italia, Illyricum, & Africa, *l. 21. C. Th. de navicul.* Quare idem P. P. Illyrici, Italiæque appellatur, *l. 15. C. Th. de appel.* Ad quem à Præsidibus provinciarum ipsi commissarum appellabatur, *d. l. præcip. 32. C. de app. §. illud. & §. illo, in Auth. eo. tit.* Constantius in *l. 27. C. Th. eod. tit.* ad Taurum P. P. Italiæ: *De Sardinia*, inquit, *Sicilia, Campania, Calabria, Brutiis, & Pi-* F *ceno, Æmilia, & Venetia, & cæteris, interpositas appellationes laudabilis sublimitas tua, more solenni debebit audire.* A Spectabilibus quoque ad eundem, & Quæstorem palatii provocabatur, officio tamen Præfecti litigantium acta excipiente, & judicata exequente, *§. 1. in Auth. de adminis. offi. in sac. app.* In Justiniani Codice nulla Præfectorum Italiæ, aut

Galliarum fit mentio, sed tantùm Orientis, & Illyrici, scilicet Orientalis; quia eo tempore extinctum erat Occidentis Imperium. Ipse verò Africa denuo recepta, illi proprium Præfectum adjecta Sardinia tradidit. Italiæ serius recuperatæ suus Præfectus redditus non invenitur. Eam quidem à Narsete Eunucho rectam fuisse constat: sed ejus magistratus titulus in Jure non apparet. Qui post eum fuerunt, *Exarchi*, id est; præcipui Præsides, sunt vocati. Præfecti verò *Eparchi* dicebantur.

COMMENTARIVM.

OMNIA Orientis Præfectorum insignia, & ornamenta officiumque Præfectus Italiæ tenuit, scilicet *auratum Carpentum quatuor albis equis tractum, & vultus Principum*: præterea *abacum albo tapeto instratum, qui librum erectum purpuraque tectum binis hinc inde Cereis accensis sustinet: In cujus medio aureum Principis caput spectabatur*. In manuscriptis argenteum tergum, aureæ fasciæ in capitibus, & medio cingunt. Præferebat quoque *effigies trium mulierum, vasa aureis plena gestantium: quæ capita aureis pinnis ornata, purpureo pallio auro circum texto, & in humeros demisso, velantur. Talaribus, albisque tunicis induta, nudis pedibus incedunt*: Primæ inscriptum est ITALIA. Secundæ ILLYRICVM. Tertiæ AFRICA. In Ursini codice rubris cothurnis evinctæ, palliis humeros tegunt. Italiæ XVII. fuere provinciæ, Illyrici VI. Africæ VII. Harum trium Diœceseon hic P. P. totidem Vicarios habuit, videlicet, Romæ, Italiæ, & Africæ: Illyrici verò tum devastati, nullum Notitia Vicarium ponit, ejus tantùm Diœcesim in indice nominat: antea tamen fuit, quem infra suo loco post alios restituere conabor. idem omnino officium hic Præfectus habet, quod alii Orientis, & latè supra est explicatum.

NOTITIA.

Sub dispositione Viri Illustris Præfecti Prætorio Italiæ Diœceses infrascriptæ.

Italia, Illyricum, Africa.

Provinciæ Italiæ decem & septem.

VENETIÆ.
Æmiliæ.
Liguriæ.
Flaminiæ, & Piceni Annonarii.
Tusciæ, & Umbriæ.
Piceni Suburbicarii.
Campaniæ.
Siciliæ.
Apuliæ, & Calabriæ,
Lucaniæ, & Brutiorum.
Alpium Cottiarum.
Rhetiæ primæ.
Rhetiæ secundæ.
Samnii.
Valeriæ.
Sardiniæ.
Corsicæ.

Illyrici sex.

Pannoniæ secundæ.
Saviæ.
A Dalmatiarum.
Pannoniæ primæ.
Norici Mediterranei.
Norici Ripensis.

Africæ septem.

Byzacium.
Numidia.
Mauritania Sitifensis.
Mauritania Cæsariensis.
Tripolis.
B Præfectus Annonæ Africæ.
Præfectus fundorum patrimonialium.
Officium Viri Illustris Præfecti Prætorio Italiæ.
Princeps.
Cornicularius.
Adjutor.
Commentariensis.
Ab actis.
Numerarii.
Subadjuvæ.
Cura Epistolarum.
C Regerendarius.
Exceptores.
Adjutores Singularii.

COMMENTARIVM.

QVEMADMODVM in numero magistratuum Orientale Imperium ab Occidentali differebat, ita in Diœcesibus Vicariorum discrepabat. Præfectus enim Orientis quinque Diœcesibus præerat. Præfectus Italiæ tribus tantùm, Italiæ, Illyrici, & A-
D fricæ. Italiæ provinciæ erant XVII. Illyrici VI. Africæ VII. Ut apud Notitiam scriptum extat, sed verè non erant nisi VI. computata in his etiam Mauritania Cæsariensi à Duce administrata, & supra in indice omissâ. Et quoniam à Duce regebatur, & Africa, à Proconsule recta, ideoque omissâ, quia inter Consulares, aut Præsidales non numeratur. Verùm numerus augetur, quoniam inter prædictas VII. Africæ provincias Notitia Præfectum annonæ Africæ, & Præfectum fundorum patrimonialium recenset, quem eum esse puto, qui Gildonis patrimonium procurabat, & officium quemadmodum Comes rerum privatarum habebat, & ferè illi æquabatur,
E ut in eo dicetur. Hi tamen provinciarum Rectores non erant, sed quia amplam habebant administrationem, Præsidibus comparabantur, & pars Diœcesis Africanæ habebantur, de quibus infra suo loco dicetur. His ergo duobus Præfectis ademptis provinciæ Africæ VI. remanebant, duæ Consulares, Byzatium & Numidia, tres Præsidales, etsi Notitia in indice duas tantùm ponat, scilicet Mauritaniæ duæ, Sitifensis, & Cæsariensis, & Tripolis. His addenda est Africa cum Proconsule. itaque sunt VI. provinciæ.

Idem omnino officium hic Præfectus, quod alii
F P. P. Orientis habent; Quare quæ ibi dicta sunt, hic repetenda non putavi. Ut autem apertius hujus Præfecti pateat imperium, eorum, quibus præerat, breviarium apposui. Post hunc ad alium P. P. qui secundum inter Illustres gradum tenet, erit transeundum.


ILLYRICVM
AFRICA



PRÆFECTVS P. QVIBUS IMPERARET.

P. P. Italiæ parebant provinciæ XXIX. Vicarii III.

- *Proconsul Africæ I.*
  - *Africa.*
- *Vicarius Romæ, cui provinciæ X.*
  - *Consulares IIII.*
    - *Campania.*
    - *Tuscia.*
    - *Picenum Suburbicarium.*
    - *Sicilia.*
  - *Correctores II.*
    - *Apulia Calabriaque.*
    - *Brutii.*
  - *Præsides IIII.*
    - *Samnium.*
    - *Sardinia.*
    - *Corsica.*
    - *Valeria.*
- *Vicarius Italiæ VII.*
  - *Consulares IIII.*
    - *Venetia & Histria.*
    - *Æmilia.*
    - *Liguria.*
    - *Flamminia & Piceni annonarii.*
  - *Præsides III.*
    - *Alpes Cottiæ.*
    - *Rhetia prima.*
    - *Rhetia secunda.*
- *Vicarius Africæ V.*
  - *Consulares II.*
    - *Byzantium.*
    - *Numidia.*
  - *Præsides III.*
    - *Tripolitana.*
    - *Mauritania Sitifensis.*
    - *Mauritania Cæsarea.*
- *Vicarius Illyrici VI.*
  - *Consularis I.*
    - *Pannonia secunda.*
  - *Corrector I.*
    - *Savia.*
  - *Præsides IIII.*
    - *Pannonia prima.*
    - *Noricum Mediterraneum.*
    - *Noricum Ripense.*
    - *Dalmatia.*

NOTITIA.

Sub dispositione viri Illustris Præfecti Prætorio Galliarum Diœceses infrascriptæ.

Hispaniæ septem Provinciæ, Britanniæ.

Provinciæ Hispaniarum septem.

BÆTICA.
Lusitania.
Gallecia.
Tarraconensis.
Carthaginensis.
Tingitana.
Baleares.

Provinciæ Galliarum decem septem.

VIENNENSIS.
Lugdunensis prima.
A Germania prima.
Germania secunda.
Belgica prima.
Belgica secunda.
Alpes Maritimæ.
Alpes Penninæ, & Grajæ.
Maxima Sequanorum.
Aquitania prima.
Aquitania secunda.
Novempopuli.
Narbonensis prima.
Narbonensis secunda.
B Lugdunensis secunda.
Lugdunensis tertia.
Lugdunensis Senonia.

Britanniarum quinque.

MAXIMA Cæsariensis.
Valentia.
Britannia prima.
Britannia secunda.
Flavia Cæsariensis.

Officium viri Illustris Præfecti Prætorio Galliarum.

C Princeps.
Cornicularius.
Adjutor.
Commentariensis.
Ab actis.
Numerarii.
Subadjuvæ.
Cura Epistolarum.
Regerendarius.
Exceptores.
Adjutores Singularii.

D

CAP. II.

DE PRÆFECTO PRÆTORIO GALLIARVM.

COMMENTARIVM.

CONSTANTINVS quarto Præfecto Prætorio, inquit Zosimus lib. II. cap. XXXIII. trans Celtas & Hispanos cum Insula Britanniæ commisit; Sed etsi pluribus regionibus præesset, à Galliis Italiæ proximioribus, & opulentioribus, P. P. Galliarum est appellatus. E Ita Valentinianus Viventium, *in l. 2. C. de relatio. l. unic. C. ne opera. à collato. exig.* Florentium, *l. 3. C. Theo. de cens. sive adscr.* & Antonium, *l. decuriones. 16. C. de quæstio.* Arcadius Vincentium, *l. 1. 2. & 3. C. T. de his qui condit. propr. reliq.* Honorius Dardanum *l. 171. C. Th. de decurio.* appellant. Itaque XXIX. provinciis imperabat, VII. in Hispania; XVII. in Galliis; & V. in Britannia. His omnibus in tres Diœceses divisis, totidem Vicarios præfecit. Verùm Britannia, & Hispania, Galliisque à Barbaris captis, Nicepho. lib. XIV. c. LVI. Pau. Diacon. hic P. P. esse desiit, unde nulla ejus hic repræsentantur insignia, tantùm reci- F tantur Diœceses, & officium, quod idem est cum Præfecto Præt. Italiæ: vel fortè quia eadem, quæ & P. P. Italiæ gestabat insignia, frustrà visum est ea repeti. Elenchus, in quo hæ Diœceses recitantur, est mendosus. Tres enim recensentur. Prima Hispaniæ. Secunda septem provinciarum, legendum est XVII. provinciarum, quæ erant in Galliis

Tertia Britanniæ in quinque provincias divisæ. Hispania verò VII. habebat. Nullam verò Justinianus in suo catalogo Præsidum *in Novel.* 8. *ad fin.* harum provinciarum tum Romanum Imperium non agnoscentium, mentionem fecit. His summatim de Præfectis Prætorio Occidentis degustatis, ad tertium Occidentis Illustrem, id est, Præfectum Urbi progrediamur.

CAP. III.

DE PRÆFECTO VRBI ROMÆ.

PRÆFECTVS Urbi Romæ ab Augusto potius restitutus, quàm inventus videtur. *Nam*, ut Tacitus lib. VI. cap. XI. *Ann.* scribit, *antea profectis domo Regibus, ac mox Magistratibus, ne urbs sine imperio foret, unus in tempus deligebatur, qui illis absentibus jus diceret, ac subitis mederetur, feruntque a Romulo Dentrem Romulium, post a Tullo Hostilio Numam Martium, & a Tarquinio Superbo Sp. Lucretium urbi impositos. . . . . Cæterum Augustus bellis civilibus implicitus, Cilnium Mæcenatem, *equestris ordinis virum, Romæ atque Italiæ præposuit. Mox rerum potitus ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumpsit à Consularibus qui coercerent servitia, & quod civium audaciâ turbidum, nisi vim metuat. Primusque Messala Corvinus eam potestatem, sed paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi. Tum Taurus Statilius, quanquam provecta ætate, egregiè toleravit. Dein L. Piso per* XX. *annos pariter probatus, publico funere ex decreto Senatus celebratus est.* Hæc Tacitus. Fuit hic unus ex his, ad quos Horatius Poëticam scripsit, & anno à Christo nato XXXIII. & Imperii Tiberii XVII. decessit. Pisoni Ælius Lamia successit, qui non amplius biennio superstes in magistratu obiit. Cæterum Eusebius Cæsariensis ait Messalam Corvinum, qui primus urbi ab Augusto est præfectus intra sex dies se abdicasse. Incivilem eum magistratum esse contestatus, cui omnem Imperii potestatem Augustus concesserat, non tantùm in urbe, sed & extra, intra centesimum lapidem, id est, centum millia passuum, *l. 1. §. initio ff. de offi. Præfect. urb.* Unde rectè Paulus refert quendam municipem Gabiorum, quæ civitas est Vulscorum, Roma LXX. millibus passuum distans, à Præfecto urbi relegatum fuisse, *in l. pollicitatio. de pollicitationibus.* Dion lib. XXV. scribit ex sententia Mæcenatis urbi Præfectum ab Augusto creatum fuisse, qui omnes civiles, & criminales causas in urbe, & extra, intra CL. stadia judicaret, & ad eum ex provinciis appellaretur, quod postea emendatum fuit, & actum, ut tantùm ex regionibus huic Præfecto subjectis ad ipsum provocaretur. Vopiscus in *Floriano* cap. V. *Omnis provincia*, inquit, **Præfectis urbis erit, quæ tamen à Consulibus, & ab ordinariis judicibus emerserit.* Et paulò post: *Præfectura Urbana appellatio universa decreta est.* quod postea ad suburbanas provincias est restrictum, ut ab earum Rectoribus tantùm ad Præfectum urbi provocaretur. Valens A. *in l. 13. C. Theod. de accus. Referant*, ait, *de suburbanis provinciis judices ad Præfecturam sedis Urbanæ, de cæteris ad Præfecturam Prætorio.* Hæc ille. Suburbanæ autem vocabantur Italiæ provinciæ, quas suburbia Romæ pertingebant. Cæterum Valentinianus placidè divisis cum Genserico Vandalorum Rege Africæ provinciis, ab illis quas sibi retinuit, nempe Numidia & utraque Mauritania, & Tripolitana, cùm Vicarius ibi esse desiisset, ad P. V. appellari concessit, *Novell. Valentiniani prim. tit.* 22. A Prætoribus etiam, qui imperante Constantino duo tantùm Romæ erant, ad Præf. Urbi provocabatur, *l. si apud C. de appellat.* Alexander verò Imperator intra urbem Præfecti auctoritatem diminuit, quem cum viris Consularibus judicare jussit. Lampridius in *eodem Alexandro* cap. XXXIII. *Fecit*, inquit, *Romæ curatores urbis* XIIII. *Sed ex Consularibus viris, quos audire urbana negocia cum Præfecto urbis jussit.* De capite quoque Senatoris, adjunctis sibi quinque patritiis Senatoribus, vel forte eductis, & magistratu functis cognoscere cœpit. Valens A. *in d. l.* 13. *Præfecto*, ait, *urbis cognoscente de capite Senatorum spectatorum maximè virorum judicium quinquevirale sociabitur, & de præsentibus, & administratorum honore functis licebit adjungere forte ductos, non sponte delectos.* Hoc est quinquevirale judicium, cujus meminit Honorius *in l. ult. C. T. de jurisdic.* Quare Basilio & Prætextato Senatoribus, coram Argolico P. V. artis magicæ accusatis Theodoricus apud Cassiodorum lib. IV. *Variar.* quinque patritios adjunxit: civiles verò causas, cùm Senatores conveniebantur, solus audiebat, *l. 4. C. Th. de jurisdic.* Ab urbi Præfecto appellabatur, *l. Æmilius 38. de mino.* quod & Constantius A. confirmavit, *l. 23. C. Th. de appel. l. fi. C. de his qui per met. jud. non appell.* qua in re P. P. inferior inveniebatur, à cujus sententia appellare non licebat, *l. unic. ff. de off. Præf. Præt. l. præfecti. 17. ff. de minor. l. unic. C. de sent. præf. præto. l. 19. l. 30. l. 35. C. de appel. l. 8. C. de episco. audien. l. 16. C. Th. de appellat. Novell. 119. c. 5.* Utrique concessum est, ut deportare possent, quod Præsidibus non licebat. Ulpianus *in l. 1. §. 2. de leg. 3. l. 1. §. 1. de off. Præf. urb. A Præfecto Prætorio*, inquit, *& eo qui vice Præfecti ex mandatis Principis cognoscet, item a Præfecto urbis deportatos, quia ei quoque ex epistola P. Severi, & Imperatoris nostri jus deportandi datum est, amittere civitatem constat.* Hæc ille. Præfectus urbi quosdam milites in urbis stationibus dispositos habebat, ad tumultus, si qui orti essent, sedandos, *l. 1. §. quies. ff. de offi. Præf. urb.* & Dion. Ad eundem disciplina spectaculorum, cura carnis, ut justo precio venderetur, & fori animalium, & totius annonæ studium pertinebat, *d. l. 1. §. cura carnis. l. ult. in fi. ff. ad l. Jul. de anno.* Omnes denique artes sub ejus imperio exercebantur, *l. 4. C. de offic. Præf. urb.* Quarum tamen moderatio minoribus magistratibus à Principe eligendis demandabatur. Symmachus epistola XVI. *Cum ad præfecturam*, inquit, *urbanam civilium rerum cura pertineat, minoribus officiis certa quadam membra creduntur, quibus agendis industrios, & privatos oportebat adhiberi. Tales nunc de judicio nominis tui publicus usus expectat.* Scribit autem ad Theodosium Imper.

Hujus Præfecti curam Cassiodorus lib. VI. *Variar. in formula præfecturæ urbanæ* paucis complectitur: *Carpento*, ait, *veheris per nobilem plebem: publica te vota comitantur. . . . . Habes copiose unde tibi gratiam tanta civitatis acquires, si merces diversa nulla venalitate vendantur: si exhibitio salubriter ac censa thermarum, rapinarum ardoribus non tepescat: si spectaculum, quod præbetur voluptati, non sit causa litigii.* Hæc ille. Itaque agitatores, scenicique, & omnia ad ludos pertinentia à Præfecto urbi disponebantur, *l. 14. & seq. C. Th. de scen. l. ult. C. T. de leno. l. 1. C. Th. de usu sellar.* In primis verò urbem à civibus & artificibus custodiri jubebat. Theodosius *in Nov. tit. 41. de pentapolis. Nullus*, inquit, *de civibus Romanis, nullus de corporatis ad militiam cogendus est, sed tantum ad murorum, portarumque custodiam, quoties usus exegerit, id est, V. P. V. disposi-*

tio-



NOTITIA.

INSIGNIA VIRI ILLVSTRIS PRÆFECTI VRBIS ROMÆ.



I. Goeree del.

tionibus ab omnibus obsequendum. Cujus ordinatio etiam in muris, turribus, & portis, quæ sunt labefactata restituat, ita ut reparatione murorum, vel omnium, quæ supra dicta sunt, nullus penitus excusetur. Hæc ille. Ob id hic Præfectus curabat, ut calx pro reparandis formis aquæductuum fieret, cujus coctoribus primo pro tribus vehis calcis singulas vini amphoras dabat, & singulas vectoribus pro binis millibus, & nongentis pondo calcis, quam Romam vehebant, *l. 1. C. Th. de calc. coct.* postea inductum est, ut vectoribus pro singulis vehis singuli solidi præstarentur, quorum tres partes possessores prædiorum quartam Præfectus urbi in vino pendebat. Quotannis enim terna millia minorum vehum calcis Umbri, Piceni, & Campani Romæ præstabant, Tusci DCCCC. *l. 3. C. Th. de cal. coct.* Ex his MD. onera aut vehæ pro reparandis formis aquæductuum, reliquum in sarcienda tecta publica urbis insumebatur, quorum cura ad urbis Præfectum spectabat, *d. l. 3.* Denique observare tenebatur, ne quis pistorum corpori annexus aufugeret, *l. 8. C. Th. de pistorib.* Hic Præfectus urbi vocatur, nulla Romæ facta mentione: quia quemadmodum Athenas tanquam cæteris civitatibus præstantes peculiari verbo *ἄστυ* appellabant, inquit Stephanus, sic Romam per Antonomasiam urbem vocavêre. Quintilianus lib. VIII. cap. II. Primus in Senatu sententiam P. V. dicebat, ut auctor est Cassiodorus lib. VI. *in formula præfecturæ urbanæ*, & supra Consulares sedebat. in Actis D. Sebastiani & aliorum martyrum Fabianus V. P. Illustrissimus à S. Tiburtio appellatur, Diocletiano imperante anno salut. CCLXXXVI. Cæsar Baron. in *Annalib.*

NOTITIA.

Sub dispositione Viri Illustris Præfecti Urbis habentur administrationes infrascriptæ.


RÆFECTUS Annonæ.
Præfectus Vigilum.
Comes Formarum.
Comes riparum, & alvei Tiberis & cloacarum.
Comes portus.
Magister census.
Rationalis Vinorum.
Tribunus Fori suarii,
Consularis aquarum.
Curator operum maximorum.
Curator operum publicorum.
Curator Statuarum.
Curator Horreorum Galbanorum.
Centenarius portus.
Tribunus rerum nitentium.
Officium Viri Illustris Præfecti urbis est ita:
Princeps.
Cornicularius.
Adjutor.
Commentariensis.
Ab actis.
Primiscrinius, sive Numerarius.
Subadjuvæ.
Cura Epistolarum.
Regerendarius.
A Exceptores.
Adjutores.
Censuales.
Nomenclatores.
Singularii.

COMMENTARIUM.

INSIGNIA P. V. habet, ut P. P. Orientis, & Italiæ. In Ursini Codice auriga pedes supra rubram tunicam, album colobium indutus utrinque B brachia exerit, peronesque cœruleos supra rubras caligas calceatus, læva virgam tenet, dextra habenas, à capite quadrigæ ultimi equi pendentes regit, cæteri tres equi infrænes videntur. In Madruciano, auriga viridi colobio supra sagum prassinum injecto, cœruleos cothurnos altè ad genua induit, proximique equi habenas dextra tenet, læva virgam gestat. Currus ab equis albis auratus trahitur, quem *carrucham* vocabant, *l. 1. C. de hono. vehic.* Gratianus ad Nebridium Præfect. urbi *in d. l. 1. Omnes*, inquit, *honorati seu civilium, seu militarium, vehiculis dignitatis suæ, id est, carruchis intra urbem* C *sacratissimi nominis semper utantur.* supra abacus cœruleo tapeto instratus, & surrectus librum mandatorum argenteo corio tectum sustinet, cum in medio & capitibus aureæ fasciæ cingunt, ut in omnium Illustrium insignibus cernitur. Aurea item Principis imago medio libri tergo includitur. Illo monebatur, ut totius urbis curam haberet, ac ejus vectigalia exigeret.

Ejus officium idem erat, quod Proconsulum. Hic amplius cæteris magistratibus, Censuales, & Nomenclatores habebat, qui in aliorum officiis non reperiuntur, quia in privatis civitatibus censum Decurionibus præsentibus Censuales agebant, *l. susce-* D *ptores. 10. C. de suscep. & arcar.* unde hoc ad officia Præsidum non spectabat. At Romæ, ubi pro curia erat Senatus, qui hæc non curabat, agendi census sollicitudo in urbi Præfectum rejectatur, qui ob id Censuales habuit, aliis magistratibus minimè necessarios. Hi censum expediebant, id est, cujusque nomen, prædia cum numero jugerum scribebant, ac testamenta insinuabant. Nomenclatores verò olim erant, qui candidatis nomina civium suggerebant, Festus in ver. *Fartores.* Spartianus in *Hadriano* cap. XX. *Nomina*, ait, *plurimis sine Nomenclatore reddidit, quæ semel & simul congesta audierat.* E Hæc ille. *Fartores* Nomenclatores Festus appellat, qui clam velut infarcirent nomina salutandorum in aurem candidati. Sed hic Nomenclatores esse puto, qui cives se aut bona sua non profitentes nominabant, ut censui adscribi cogerentur, à nominando enim vel citandis civium nominibus, sunt appellati. Hi in aliorum magistratuum officiis minimè necessarii fuere, in aliis enim urbibus tabularii civitatum coram defensoribus municipalium nomina cum eorum substantia notabant, *dict. leg. susceptores 10.* Iidem apud Præfectum tutores nominabant, qui idonei pupillis darentur, *§. sed hoc jure, Instit. de Atil. tutor.* & ideo *nominatores* vocabantur, *Rubr.* F *ff. de fidejuss. & nominatorib.* Alios etiam publica munera subituros suggerebant, & nominabant pro quibus tenebantur, si quid illi in demandato munere deliquissent, *l. 2. §. 1. ff. ad municip. l. 1. & toto tit. Cod. de filiis fam. & quemad. pater pro his teneatur.* In eodem officio Numerarius fuit, Primiscrinius cognominatus, cujus officium erat, calcis Romam vectæ, impensarumque in ædificia factarum, tritici Romam vecti, & inter populum distributi, & alio-

aliorum hujusmodi rationes scribere. Millenos quoque denarios, quos pro larido debito populo Romano, Lucani, Brutii, & Campani pendebant in Codices referebant, *l. fin. Cod. Theod. de suariis.* Erat & hujus prætorianæ sedis adjutor Primicerius vocatus, *in l. ultim. Cod. eod.* qui delinquentes ligandi, & carceribus mancipandi per biennium curam habebat. Quotannis Præfecti urbi Apparitores sacram purpuram adorabant, id est, purpuream vestem exosculantes, Principem reverenter salutabant, quod aliis Apparitoribus, præterquam prætorianis, non licebat, *in l. 1. C. de apparitor. Præf. urb,* Cæteri hujus officii homines in P. P. sunt declarati.

Præter officium imperabat Præfectus urbi xv. magistratibus seu curatoribus, id est, Præfectis duobus, videlicet Annonæ, & Vigilum, tribus Comitibus, scilicet formarum, item riparum, alveique Tiberis, cloacarumque, & portus. Item Magistro census, Rationali vinorum, Tribuno fori suarii. Consulari aquarum, quatuor curatoribus operum maximorum, operum publicorum, statuarum, horreorum Galbanorum, Centurioni portus & Tribuno rerum nitentium, quorum officia à Præfecto annonæ exorsi ordine explicabimus.

CAP. IV.

DE PRÆFECTO ANNONÆ.

PRÆCIPUA Romanorum cura fuit, ne plebs fame laboraret, cui etiam ad eam sibi conciliandam, frumentum quandoque vilius dederunt, atque etiam donarunt. Manium Marcium Ædilem plebis primum frumentum populo assibus in modios elargirum fuisse Plinius scribit lib. XVIII. cap. III. Idem & alii quandoque fecerunt. C. verò Gracchus Tribunus plebis legem tulit, ut semisse, & triente frumentum populo daretur, ut auctor est Florus. post eum M. Cato ad diminuendam C. Julii Cæsaris potentiam MCCL. talenta, ad dividendum plebi menstruum frumentum quotannis impendi suasit, Plutarchus in *C. Cæsare.* Demum P. Clodius Tribun. plebis, auctore Asconio, Legem annonariam tulit, ut frumentum populo, quod ante semisse æris, ac triente, in singulos modios vendebatur, gratis daretur. Fuerunt viginti & trecenta millia hominum qui hoc frumentum acceperunt, quem numerum C. Julius Cæsar ad centum quinquaginta millia retraxit, Tranquillus in *eod.* cap. XLI. Dion lib. XLIII. postmodum capta Africa jussit viginti myriades medimnorum Atticorum frumenti, id est, cc. millia ad alendum populum Romam advehi, & olei librarum myriades ccc. id est, tricies centena millia, ut auctor est Plutarchus, duosque Prætores, & totidem Ædiles *Cereales*, à Cerere nuncupatos instituit, qui hoc frumentum Romam advehendi & populo distribuendi curam haberent, *l. 2. §. capta deinde Sardinia. ff. de orig. jur.*

Augustus verò & ipse rerum potitus, unum ex ordine equestri annonæ Præfectum elegit, cùm enim rei frumentariæ penuria plebs premeretur. Anno ab urbe condita CCCXXXIII. illi cum fascibus XXIIII. occurrens dictaturam, annonæque præfecturam obtulit, qui illa rejecta hanc accepit: ex Ægyptoque ducenties centena millia modiorum frumenti Romam advehi curavit, ut refert Sex. Aurel. esse possunt fermè decies ducenta quinquaginta millia saccorum frumenti. Est enim modius, quantum octo diebus ad unius hominis victum sufficit, & pendit libras XVIII. alii dicuot XX. Medimnus est lib. CXX. secundùm alios CVIII. Suidas in verbo μέδιμνος, Rhe. fami. Palæmon. *de ponderib.* Budæus lib. V. *de asse.* Duos etiam viros prætorios creavit, qui prout usus exigebat, hoc frumentum inter plebem gratuito, aut admodum vili pretio distribuerent. Tranquillus in *Augusto* cap. XLI. *Frumentum*, inquit, *in Annonæ difficultatibus sæpè levissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est.* & lib. XL. *at ne plebs frumentationum causa à negotiis avocaretur, ter in annum quaternorum mensium tesseras dare destinavit.* Hæc ille. Erat autem tessera signum æneum, in quo nomen accipientis, & grani accipiendi quantitas continebatur. Isidorus lib. *Orig.* ult. cap. XIV. *Tessera*, ait, *sunt, quibus frumentorum numerus designatur.* Hæ vendi poterant, & legari. Ulpianus *in l. sed etsi. 52. §. 1. ff. de jud. Si libertis suis*, inquit, *tesseras frumentarias emi voluerit: quamvis major pars hæreditatis in provincia sit: tamen Romæ debere fideicommissum solvi, dicendum est; cum appareat id testatorem sensisse ex genere comparationis: quia hæ tesseræ tantum Romæ emi poterant.* Paulus *in l. mortuo 49. §. 1. de leg. 2. Si Titio*, ait, *frumentaria tessera legata sit, & is decesserit, quidam putant extingui legatum, sed hoc non est verum; nam cui tessera legatur, æstimatio videtur legata.* Idem *in l. Titia Sejo 87. in prin. eo. tit. scilicet de leg. 2. Titia*, inquit, *Sejo tesseram frumentariam comparari voluit, post diem trigesimum à morte ipsius, quæro, cum Sejus, viva testatrice tesseram frumentariam ex causa lucrativa habere cœpit, nec possit id, quod habet, petere: an ei actio competat.* Paulus respondit, *ei, de quo quæritur, pretium tesseræ præstandum, quoniam tale fideicommissum magis in quantitate, quàm in corpore consistit.* Hæc Paulus. Sed cùm hoc frumentum præstari desiisset, Nerva fermè quingentis millibus aureorum agrum emit, unde pauperes alerentur, ut auctor est Dion. Mox Trajanus quinque millia impuberum ex publico aluit, Plinius in *Panegyrico*, quem numerum Adrianus, & Antoninus auxerunt, ut Capitolinus memorat, & alimenta usque ad XVIII. annos pueris dederunt, *l. Mela. 14. ff. de alimen. & cibar. legat.* quod & ipsum primum à Commodo per annos IX. intermissum, à Pertinace sublatum fuit. Capitolinus in *Pertinace* cap. IX. *Alimentaria*, inquit, *compendia, quæ novem annorum ex instituto Trajani debebantur, obdurata verecundia sustulit.* Sed enim Severus Imp. ut in *Heliogabalo* cap. XXVII. auctor est Lampridius, moriens VII. an. canonem Romæ reliquit, ita ut quotidiana LXXV. millia modiorum expendi possent. Itaque dederunt postea operam posteriores Principes, ut frumentum pecunia publica comparatum in urbe abundaret: panes & ipsi inter plebem diviserunt, quibus Aurelianus, inquit Vopiscus in *eod.* cap. XLVII, unciam addidit, frumentum enim ex Africa vehebatur, *l. 3. C. Th. de can. frumen. urb. Ro.* ac ducenta millia modiorum purgati tritici leviore pretio pistoribus venumdabantur, ut plebs vilius emeret, *l. 1. C. T. d. tit.* sed cùm panis sordidus duarum unciarum & semis pondus non excederet, eum mundum, & sex unciarum Valentinianus, & Valens fieri præceperunt, & nullo pretio inter pauperes distribui, quorum nomina æneo titulo, seu tabulæ, cum modo panis, quem accipiebant, inscribebantur. Valentinianus A. *in l. cives. C. T. de ann. civilib. & pan. gradil. Gradilis*, inquit, *titulus figendus est æneus, in quem & panis modus, & percipientis nomen debebit incidi.* Hunc titulum quandoque *æream tabulam* appellat, *d. l. cives. C. T. eod tit.* Panis verò vocabatur *civilis*, quia inter cives dividebatur: & *gradilis*, quoniam à Præfecto annonæ in alto tribunali, ad quod per gradus ascendebatur, distribui con-

consueverat; neque enim ex pistrino, aut aliundè sumi poterat, *l. 2. C. T. eo. & ll. seq. ibid.* Hunc credo esse panem, qui uno nummo, id est, sexterno Arcadio imperante vænibat, *l. 1. C. Thc. de pretio panis ostiensis.* Porrò Romæ pecunia à divitibus ad emendum triticum conferebatur, quemadmodum & Constantinopoli, *l. 1. C. Th. de frum. urb. Constan.* ubi ducenta millia modiorum empta pistoribus leviore pretio vendebantur, ut & ipsi vilius plebi panem distraherent, *l. 1. C. T. de can. frum. urb. Rom.* ex pretioque vendui frumenti, pecunia in aliud comparandum convertebatur, *l. ul. §. iidem rescripserunt. 5. ff. de admin. rer. ad civit. pertinent. l. 18. §. 5. & §. qui annonam. 8. ff. de munerib. & hono. l. 2. §. ad frumenti. de admin. rer. ad civit.* Hæc omnia & panem gradilem inter plebem dividi, annonæ Præfectus curabat, *l. 3. & 6. C. T. de annon. civil.* Cassiodorus lib. VI. *Variar. in formula Præfecti annonæ: Tui*, inquit, *studii est, ut sacratissimæ urbi præparetur annona, ubique redundet panis copia, & tam magnus populus, tanquam una mensa, satietur. Per officinas pistorum, ciborumque discurris, pensum, & munditiem panis exigis, nec vile judicas esse, unde te Roma possit laudare.* Et addit: *Carpentum Præfecti urbis mixta glorificatione conscendis. Tu illi in spectaculis conjunctissimus inveniris, ut plebs, quam industria tua satiat, in suam reverentiam te honeratum esse cognoscat. Nam si querela panis, ut assolet, concitetur, tu promissor ubertatis seditiones civicas momentanea satisfactione dissolves.* Et subdit, Agentes res pistorum per diversas mundi partes, annonæ Præfecto subjectas esse, ut suarias. Et mox. *Tribunal*, ait, *tuum non est inter minimas dignitates, quando & Romana gratia frueris, & provinciis jussa transmittis. . . . . Triticeas quidem copias præfectura prætoriana procurat. Sed non minor laus est dispensationem probabilem facere, quam frumenta colligere. . . . . . sic Ceres frumenta dicitur invenisse. Pan autem primus conspersas fruges coxisse perhibetur, unde & nomine ejus panis est appellatus. Ita & illa prædicata est, quæ reperit, & iste laudatus, qui decenter edenda humanis usibus applicavit. . . . . panis pondera æquus examinator intende.* Hæc ille. Cum verò Romæ conficiendo coquendoque pane pistores non sufficerent, singulo quinquennio ex Africa novi pistores Romam mittebantur, qui hoc officium ibi exercerent, *l. secundum. C. Th. de pistorib.* scholis, & militibus ipse P. V. officialium manu panem distribuebat, *l. 8. & seqq. C. Th. de anno. civili. & pane gradili.*

Oleum etiam ex Africa advehebatur, quod & ipsum eo modo plebi ab hoc Præfecto vendebatur, *l. 1 C. The. de mens. olear.* & ex pretio aliud emebatur, *d. l. ult. §. iidem rescripserunt, de admin. rer. ad civit. pertin. l. 2. §. ad frumenti. ff. eo.* vel publico restituebatur, *d. l. 2. §. ad frumenti.* Ministri verò Præfecti qui populo oleum dividebant, *Capulatores* vocabantur, nam capulis, quæ erant vasa utrinque ansata, illud distribuebant; Cato *de re rustica* cap. LXVI. cum præmisisset custodis olei, & capulatoris officia, subjungit, *Custos oleum frequenter capulet*, id est, transfundat. Et infrà cap. LXVII. *Capulator*, inquit, *concha oleum quàm diligentissimè poterit, tollat.* ita etiam appellat Columella lib. XII. cap. L. *Quod primum*, ait, *oleum defluxerit, in rotundum labrum protinus Capulator depleat, & in fictilia vasa huic usui parata defundat.* Hæc ille. Conveniebant autem quotidie Capulatores cum Quæstoribus in locum, ubi erat oleum populo dandum, ut hi rationes, id est, olei quantitatem singulis datam, & accipientium nomina scriberent, illi dividerent: unde in tertia urbis regione apud Sex. Rufum, & P. Victorem, & in alia descriptione quæ est ante hanc Notitiam, schola Quæstorum & Capulatorum fuisse legitur. Primus oleum populo Severus dedisse videtur, cujus tantam copiam Romam vehi jussit, ait Spartianus in *Severo* cap. XXIII. *ut per quinquennium non solum urbis usibus, sed & totius Italiæ, quæ oleo egeret, sufficeret.* Id partim ab Heliogabalo populo subtractum Alexander Imp. restituit: Lampridius in *Alexandro* cap. XXII. *Oleum*, inquit, *quod Severus populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit.* Constantinus ad Cerealem Præf. annonæ illud vicenis follibus in libras vænire præcepit, *l. 1. C. T. eo. tit. de mens. olear.* Est autem follis duodecima pars oboli, ut vult Hermanopulus, & est ut noster quadrans.

Vini præterea, carnis, & salis curam Præfectus annonæ habebat, & ne immodico pretio obsonia venderentur, inter quæ ne primæ qualitatis pisces plus aureo in libras vicenas vænirent, prospiciebat, *l. 1. C. T. de pretio piscium.* Posteriores Principes oleum & carnes suillas gratuito plebi dederunt, quæ à Præfecto distribuebantur. Vopiscus in *Aureliano* cap. XLVII. *Statuerat*, inquit, *vinum gratuitum populo Romano dare, ut quemadmodum oleum, panis, & porcina gratuita præberentur, sic etiam vinum daretur*; quod à Præfecto Prætorio prohibitus, non fecit, dicebat enim, *Si vinum populo Romano damus, superest ut & pullos & anseres demus.* Hæc ille cap. XLVIII. Et infra subjungit, Alexandrum carnem populo addidisse. Vendebatur caro suilla, & bubula octo minutis, quæ est quarta pars oboli, ut ait Suidas. Sed Alexander efflagitante populo Romano carnes, fœminas animantes vetuit occidi; quare intra biennium tanta carnium fuit copia, ut duobus aut uno minutis venderentur. Lampridius in *Alexandro* cap. XXII. *Cum edulitatem*, inquit, *populus Roma. ab eo peteret, interrogavit per decursionem, quam speciem caram putarent. Illi continue exclamarunt, carnem bubulam atque porcinam. Tunc ille, non quidem edulitatem proposuit, sed jussit, ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem: tantumque intra biennium, vel prope annum porcina carnis fuit & bubula, ut cum fuisset octominutalis libra, ad duos, unumque utriusque carnis libra redigeretur.* Hæc ille. carnem porcinam, quæ præstari desierat, populo Roma. Aurelianus exhibuit, ut Sex. Aurelius Victor refert. Honorius quatuor millia pondo carnium diurna populo Ro. dabat. Præter carnes, quas alii Principes plebi elargiri consueverant. Erat & universo populo de obsoniis prospectum, & ob id corpus suariorum Romæ fuerat institutum, *l. 1. C. Theo. de suar.* qui huic arti cum bonis obnoxii, eam & posteris exercere tenebantur. His permixti erant pecuarii, qui unum cum ipsis corpus faciebant, *l. ult. C. T. eod. de suar.* eorum tres præcipui Comitis tertii ordinis honore fruebantur, primus etiam militiæ cingulum gerebat, ut tanquam miles majori auctoritate animalia in urbem transmitteret, *Nov. Valentin. 37. de suar.* Tenebantur enim Campani, Samnites, Lucani, Brutii, & Tusci, aliqui unam & semis, alii duas decimas pecorum, quas alebant, populo Romano exhibere. Tota hæc summa ascendisse videtur ad tricies sexies centena viginti millia, id est, triginta sex milliones, & viginti octo millia pondo carnis, *d. Novella Valentin.* quam aut in specie animalium, aut pecunia numerata pro suo arbitrio solvebant, *l. 2. C Thc. de suar.* Æstimabantur autem pecora pro anni fertilitate, & usu temporum, *d. l. 2.* modo senos folles, id est, dimidium obolum, pre-

cium

cium in ſingulas carnis libras non excederet, *l. 3. C. Th. eod.* Demum ad removendas difficultates, quæ oriebantur, eſt actum, ut Lucani nomine ſuum, quos præſtabant ſolidorum 6400. Campani 1950. penderent. Alii pro pecore 950. ſolidos ſolvebant. Hanc pecuniam Præfectus Prætorio à populis exactam ſuariis dediſſe videtur, quâ emptas carnes CL. anni diebus certo precio populo vendere tenebantur, exemptis enim jejunii & abſtinentiæ diebus, paulò pluribus eas comedere licebat. Suarii à perſonalibus muneribus erant immunes, in quos Præfectus annonæ animadvertere poterat, *d. Novel. Valentiniani*, exceptis tribus primis patronis corporis dictis, quos capitis pœnâ ei plectere non licebat, *l. pen. C. Theo. eod. Novell. Valentin.* 36. *de ſuar. boariis & pecuariis.* Hoc enim Præf. urbi jus erat, civiles verò cauſas inter eos cognoſcebat, ac pecorum, carniumque, & aliorum ad victum civium ſpectantium arbiter erat. Suillas etiam carnes, quas plebi Princeps elargiebatur, ipſe fortè diſtribuebat. Zoſimus lib II. cap. IX. *Maxentius*, inquit, *adminiſtris Marcelliano & Marcello Tribunis militum, & Luciano ſuillæ carnis præbitore, quam fiſcus populo Romano largiebatur: & aulicis præterea militibus, quos prætorianos vocant, in ſolium ab his eſt collocatus.* Hæc ille. Valentinianus A. pretium laridi in LXXX. libras militibus aureos taxavit, tantundem in LXXX. libras olei, & duodenos modios ſalis, *l. 17. C. Theo. de cohortalib.* quod pretium fortè in gratiam militum vilius eſt conſtitutum. Multis curis hic Præf. diſtrictus à tutela, & curationibus excuſabatur, *l. adminiſtrantes, §. 1. de excuſ. tut.* Olim magiſtratus non fuit, *l. 2. §. & hac omnia. ff. de origin. jur.* Sed poſtea aucta ejus auctoritate inter piſtores, *l. 12. C. Th. de piſtor.* nautas, *l. 1. C. T. de his, qui ven. ata. imp.* menſores, *l. menſores. ff. de de excuſ. tutor.* & negociatores frumenti judicavit, *l. fin. ff. quod cum eo, qui in alien. pote. l. 1. §. eſt autem, de exercit.* propriumque officium & apparitores, *l. 3. C. T. de anno. l. 4 C. Th. de cano. fru. urb. Ro. l. ul. C. T. de piſtor.* ab officio Præfecti urbi ſeparatos habuit, *l. 1. C. T. de appariti. praf. anno.* quibus Centurio præerat. Scævola *l. fin. §. Titius. ff. de præf. anno. Centurio*, ait, *ex officio annonæ miſſus ſuſtulit culleos ex horreo Seji ad annonam.* Hæc ille. Ob publicam enim utilitatem res privatorum accipi poterant: præcones etiam, & fortè lictores, alioſque miniſtros hic Præfectus habuit, ut Sen. conſulti à Frontino recitati verba ſignificant, quod Præfectis aquarum binos lictores, ſervos publicos ternos, ſcribas, & librarios, accenſos, præconeſque totidem decernit, quot habent ii, per quos frumentum plebi datur. Multabat etiam, aut modicè caſtigabat eos, qui in annonam deliquiſſent, *l. ult. §. ult. ad l. Jul. de annon. l. mulierem. de accuſa.* In municipiis ejus loco creabatur curator annonæ. Huic ſucceſſit, quem vulgò in Italia *Judicem victualium* vocant. Antiquitus hoc munus fuit Ædilium, qui multis in locis eſſe defiere. Anno ſalut. CCXXIII. Ulpianus Jurecconſ. Præfectus annonæ fuit, *l. 4 C. de contrah. & commit. ſtipul.* quo Alexander imperare cœpit.

CAP. V.

DE PRÆFECTO VIGILVM.

OLIM Triumviri *l. 1. ff. de offic. praf. vigil.* ad extinguenda incendia inventi, ea cum Ædilibus ac Tribunis plebis arcebant. Sed orto ſemel magno in urbe incendio, Auguſtus binas urbis regiones ſeptem cohortibus ab igne defendendas commiſit, ſingulis Tribunos, & omnibus Præfectum Vigilum ex ordine equeſtri electum præficiens, Dion lib. LV. Paulus *in l. 1. in fin. 2. & 3. de offi. praf. vigil. Auguſtus*, inquit, *pluribus uno die exortis incendiis, ſeptem cohortes opportunis locis conſtituit, ut binas regiones urbis unaquaque cohors tueatur, præpoſitis eis Tribunis, & ſuper omnes Spectabili viro, qui Præfectus vigilum appellatur.* Hæc ille. Id & Tranquillus affirmat in *Auguſto* cap. XXX. *Adverſus incendia*, inquit, *excubias nocturnas, vigileſque commentus eſt.* Sed etſi una cohors duas urbis regiones tuebatur, non eodem tamen in loco degebat, ſed diviſa in binis caſtris habitabat, ita ut unaquæque regio à dimidia cohorte cuſtodiretur. Nam P. Victor & urbis deſcriptio huic Notitiæ annexa VII. cohortium vigilum, XIIII. excubitoria ponit. Opinor autem has cohortes millenos homines habuiſſe; quod etiam prætorianas fuiſſe Dion ſcribit lib. cit. Sed & quatuor ad urbis præſidium collocatæ mille quingentos continebant. Hic Præfectus etiam urbis tranquillitati ſtudebat, proſpiciens, ne tumultus nocte exorirentur, Dion, Tranquillus & Strabo lib V. Incendiarios quoque fures, latrones, receptatores, & effractores puniebat, modò in eorum caput non animadverteret, *l. 3. §. 1. & l. ult. ff. eo. & l. 1. C. eod.* Tota nocte vigilabat, & more militum calceatus cum hamis, & dolabris obambulabat, ædium inquilinos, ut ab incendio caverent, admonens, *d. l. 3. §. penul.* Ob hos labores à tutela, & cura excuſabatur, *l. adminiſtrantes. §. 1. de excuſ. tutor.*

A Paulo *ſpectabilis* appellatur, *in d. l 3.* quod nomen à Compilatoribus Pandectarum additum puto, nullibi enim aliàs apud Jureconſultos hic titulus legitur, nec ibi dignitatis gradus eſſe poteſt, quia Præfectus Vigilum pluris quàm Præſes & Proconſul fuiſſet, qui tum erant clariſſimi, *l. 3. & l. 5. C. ex quib. cauſ. infa. irrogat. l. 1. C. ſi ex falſ. inſtrum.* Hic Præfectus diu in exiſtimatione fuit: Demum poſt Notitiæ tempus, conſpirantibus cum eo furibus, ferè pro infami eſt habitus. Quare eo antiquato, Juſtinianus loco illius Prætorem plebis creavit, cui etiam in eos, qui nocte deliquiſſent, ut fures, & mœchos, jus gladii tradidit, *in Novel.* 13. Id Conſtantinopoli fuit.

Ad urbis quoque tutelam Auguſtus ſex millia militum collocaverat, ut auctor eſt Dion lib. cit. quos in partes quatuor ſeu cohortes ſub totidem Tribunis diviſit, ita ut ſingula cohors MD. haberet, & hæ ſunt cohortes urbanæ quatuor à P. Victore in urbis epilogo deſcriptæ, quæ in urbe caſtra habebant, *urbana* vocata. Ulpianus *in l. ſi maritus 15. §. 1. ad l. Jul. de adulter. Si quis*, inquit, *præſens ſit, vice tamen abſentis habeatur, ut puta qui in vigilibus, vel urbanis caſtris militat, dicendum eſt deferri hunc poſſe.* Et ipſi milites à Paulo *urbaniciani* appellantur, *in l. qui mittuntur. §. 1. ex quib. cauſ. major. In urbanicianis*, ait, *militibus idem D. Pius conſtituit, ut Reip. cauſa abeſſe videantur.*

Præter vigiles erant & Lecticarii, qui mortuos lectis impoſitos efferebant, unde & nomen habuerunt, qui à Conſtantino fuere Conſtantinopoli inſtituti, ut gratuitam hanc defunctis operam præſtarent. *Novell.* 43. & 59. ob id DCCCCL. ergaſteria majori illius urbis eccleſiæ donavit, unde alerentur. Alia CL. Anaſtaſius addidit. Eorum exemplo & Romæ Lecticarii ſunt introducti, quos Conſtantinopolitanis pauciores non fuiſſe credendum eſt, qui primo DCCCCL. deinde MC. fuerunt: cum

igitur

igitur magnus illorum esset numerus, ut facilè & in promptu possent inveniri, unis in castris degebant, quæ *castra Lecticariorum* vocata in XIIII. urbis regione à P. Victore, & aliis erant locata.

Nunc ad Comites P. V. parentes est veniendum, inter quos primus erat Formarum Comes nuncupatus.

CAP. VI.

DE COMITE FORMARVM.

FORMARVM Comes reparandis aquæductuum formis studebat, quæ erant ex firmis lateribus constructi canales. Tribus enim modis aqua in urbem ducebatur, fistulis plumbeis, aut tubulis fictilibus, vel structilibus canalibus, quæ *formæ* appellantur, ut tradit Vitruvius lib. VIII. c. VII. Addit Palladius lib. IX. c. XI. canales ligneos. Forma igitur erat meatus structilis, seu ex latericio opere fabricatus, per quem aqua ducebatur, *l. 1. C. de aquaductu*. Hæc olim præaltis fornicibus formam sustinentibus utrinque muro inclusa per colles Romanos discurrebat, cujus etiam nunc veteres extant reliquiæ. Palladius quam formam structilem dixerat, posteà simpliciter formam vocat, itaque lapide strato continebatur, *l. si prius, 17. §. 1. ff. de aqua & aqua plu. arc.* ut Pompejus his verbis insinuat, *in l. refectionis. 11. §. fi. ff. communia prædior. tam urban.* Si prope tuum fundum jus est mihi aquam rivo ducere; tacita hæc Jura sequuntur, ut reficere mihi tuum liceat ut adire, qua proximè possim ad reficiendum eum ego, fabrique mei, item ut spatium relinquat mihi dominus fundi, quo dextra & sinistra ad rivum adeam, & quo terram, lapidem, arenam, calcem jacere possim. Aliæ verò privatorum aquæ, inquit Paulus *in d. l. 17. de aqua & aqua pluv. arcen.* non est consuetudinis, ut per lapidem stratum ducantur, sed per fistulas, nisi aliud inter contrahentes actum fuisset. Viginti verò quatuor aquæ Romam deductæ à P. Victore nominantur: sed ob hostium incursiones & bella, aliquarum meatibus interclusis, XIX. tantum in descriptione urbis ante Notitiam reperiuntur. Itaque magna aquarum copia Romam per aquæductus derivata, deinde in lacus, thermas, & privatorum ædes divisa, *l. si venditor, in fi. ff. de act. empt.* magistratum creari oportuit, qui sartas, integrasque formas esse curaret; ne aqua exiret, sed pura, salubrisque curreret, & admatas formis arbores ædificia corrumpentes exscindi juberet. Dextra enim lævaque per XV. pedes prope aquæductus arbores esse non licebat, *l. 1. C. de aquaductu*, quod Augusto imperante, anno ab V. C. CCCCLXX. Senatus consulto à Frontino recitato est prohibitum. Quod inquit, Q. Ælius Tubero, P. Fabius Max. Cos. V. F. (id est, *verba fecerunt*,) aquarum, quæ in urbem venirent, itinera occupari monumentis, & ædificiis, & arboribus. Q. F. P. D. E. R. I. C. (id est, *quod fieri placeret de ea re, ita censuerunt.*) cùm ad reficiendos rivos, specusque, per quæ & opera publica corrumpuntur, placere circa fontes, & fornices, & muros utraque ex parte vacuos relinqui circa quinos denos pedes patere. & circa rivos, qui sub terra essent, & specus intra urbem & extra urbem continentia ædificia utraque ex parte quinos pedes vacuos relinqui, ita ut neque conserere arbores liceret, si quæ nunc essent arbores intra id spacium exscindentur, præterquàm si quæ ex villa continentes, & inclusæ ædificiis essent, si quis adversus ea commiserit, in singulas res in dena millia damnas esset, ex quibus pars dimidia præmium accusatori daretur, cujus opera maximè convictus esset, qui adversus hoc Sen. cons. commisisset, pars autem dimidia in ærarium redigeretur, deque ea re judicarent cognoscerentque curatores aquarum. De formis verò ita Cassiodorus lib. VII. *Variar. in formula Comitiva formarum urbis: In Formis*, ait, *Romanis, utrumque præcipuum est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis. Quod enim illuc flumina, quasi constructis montibus perducuntur, naturales credas alveos soliditates saxorum, quando tantus impetus fluminis, tot seculis potuit firmiter sustineri.* Et paulò post: *Currit aqua virgo sub delectatione purissima, quæ ideo sic appellata creditur, quòd nullis sordibus polluatur. Nam cùm aliæ pluviarum nimietate terrena commixtione violentur, hæc aerem perpetuò serenum purissimè labens unda mentitur. Quis possit talia sermonibus idoneis explicare? Claudiam per tantam fastigii molem sic ad Aventini caput esse perductam, ut cùm ibi ex alto lapsa ceciderit, cacumen illud excelsum, quasi imam vallem irrigare videatur. ...... Quanto pulchrius est Claudiam Romanam per tot montium siccas summitates lavacris, ac domibus liquores purissimos fistularum uberibus emisisse? & ita æqualiter fluere, ut nunquam se possit desiderata subducere ...... In primis noxias arbores, quæ inferunt fabricarum ruinam, dum sunt quidam mœnium importabiles arietes, censemus radicitus amputari ..... siquid autem conficiente senio fuerit demolitum, pervigili celeritate reparetur, ne crescente defectu, augeatur nobis causa dispendii ...... Agat ergo peritia fidesque tua, ut & constructio fabrica illibata permaneat, & aqua distributa nulla se custodum venalitate subducat.* Hæc ille.

Comitis ergo formarum erat officium, ut eas reficeret, & æqualiter aquas distribueret. Vehebantur autem, ut suprà diximus, quotannis tria millia vehum calcis Romam, quorum MD. erant pro formis aquæductuum restituendis, aliæ pro sartis tectis habendis. Valentinianus A. ad Volusianum urbis Vicarium, *in l. 3. C. Theo. de calcis coctorib.* de calce locutus: *Non amplius*, inquit, *quàm terna millia calcis minoris veha annua postulentur. Hujus autem vehationis ita ratio sit partita, ut mille quingenta onera formis, alia sartis tectis annua deputentur.* Hæc ille, qui onus *minorem veham* appellat, eratque certum librarum pondus, veluti quod pluribus in locis apud Italos XXV. libris constat. Hæc ad curam Comitis formarum pertinebant. Idem observabatur Constantinopoli, *tit. de calcis coctorib. urb. Romæ vel Constantinop.* Nunc ad alium Comitem Riparum sub P. V. est transeundum.

CAP. VII.

DE COMITE RIPARUM ET ALVEI *Tiberis, & Cloacarum.*

AB Augusto inventus est curator alvei, & riparum Tiberis. Tranquillus cap. XLIII. *Quo plures*, inquit, *partem administrandæ Reipub. caperent, nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum & aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividendi Præfecturam urbis.* Hæc ille. Utile autem hoc officium fuit, quia ripas fluminum publicorum reficere, munireque expedit, *l. 1. §. 1. ff. de ripa munien.* dandaque est opera, ne in illis aliquid fiat, per quod navigatio, aut usus publicus impediatur; sic & alveum Tiberis purgare, ut aqua facilius currat, Reip. interest. Hic curator, ut nobiliore titulo splenderet, postmodum *Comes riparum*, atque *alvei Tiberis* est appellatus. Inter alias inscriptiones antiqui curatoris, una est Ti. Julii Ferocis, Trajano imperante, hujusmodi:

TI. IVLIVS FEROX CVRATOR ALVEI ET RIPARVM TIBERIS ET CLOACARVM VRBIS TERMINAVIT RIPAM P.R. PROXIMO CIPPO P. CCCLXXX. C. S.

Alia similis est inscriptio Messii Rustici sub Hadriano, quæ omittitur.

Cloacas quoque mundare ad salubritatem, & tutelam civitatis pertinet. Nam cœlum pestilens, & ruinas, inquit Ulpianus *l. 1. §. 1. ff. de cloac.* minantur immunditiæ cloacarum, nisi mundentur. Est autem cloaca locus concavus, per quem colluvies quædam fluit, *d. l. 1. §. cloaca.* Cloacæ appellatione, & tubus, & fistula continentur, *d. l. 1. §. cloaca.* Eas Tarquinius Priscus primus Romæ invenit, ut aquas ex collibus in convalles, & plana descendentes eveheret, quod plebis manibus fecit, cloacis è fastigio in Tiberim ductis, Livius in 1. Illarum amplitudinem, inquit Plinius lib. XXXVI. c. XV. eam fecisse proditur, ut vehem fœni largè onustam transmitteret, unde eas *opus omnium dictu maximum* appellat, per quas postea cœptum est navigari, *suffossis*, inquit, *montibus, atque urbe pensili, subterque navigata. Id M. Agrippa fecit in Ædilitate, per meatus corrivatis septem amnibus, cursu præcipiti torrentium modo rapere, atque auferre omnia coactis.* Hæc Plinius. Dion lib. XLIX. prope finem, & ipse scribit M. Agrippam cloacas purgasse, & per ipsas in Tiberim navigasse. Cassiodorus quoque lib. III. epist. XXX. ad Argolicum P. V. *Cloacæ*, ait, *Romæ tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum civitatum possint miracula superare. Videas illic fluvios quasi montibus concavis clausos per ingentia stagna decurrere. Videas structis navibus per aquas rapidas non minima sollicitudine navigari, ne præcipitato torrenti marina possint naufragia sustinere.* Auctor est Dionysius Halicarnasseus lib. III. cloacas cum aquas non transmitterent à censoribus mille talentis purgandas locatas fuisse: efficit hæc summa aureorum sexcenta millia. Has cloacas præter Tiberis alveum, & ripas, hic curator purgari curabat. Hanc curam & sequentes *procurationem Urbicam* Ulpianus appellat, *in l. verum. §. ex facto ff. de minor. Salvianus*, inquit, *beneficio Principis Urbicam procurationem erat adeptus*, curam riparum Tiberis, vel similem intelligens.

CAP. VIII.

DE COMITE PORTVS.

ALIUS, & tertius Comes portus dictus P.V. parebat. Hunc in Hetruria propè Hostiam ad lævam Tiberis Claudius fabricavit, Xiphilinus in *Claudio*: *Per id tempus*, inquit, *ingens fames fuit, qua in re tanta fuit Claudii prudentia, ut ea non solum iis, qui tum erant, sed etiam posteris vilem annonam fecerit. Nam cum ferè frumentum omne aliunde ad populum Romanum adveheretur, neque regio, quæ erat ad Tiberis ostia, tutas stationes, & portus commodos haberet, foretque propterea inutile maris imperium; cumque præter id quod advectum fuerat opportunis temporibus, & in horreum repositum, hyeme nihil importaretur, atque ei, qui in hac re vellet periculum suscipere, male succederet: Claudius his cognitis rebus, portum ædificare instituit. Nec eum deterruit, quod præfecti fabrum, cum interrogarentur, quantos sumptus ea res postularet, responderunt tam magnos, ut nollet eum portum facere, sperabant enim eum cognita sumptus magnitudine, si prædixissent, a proposito deterreri. Sed is nihilominus*

A *sibi faciendum putavit, induxitque in animum rem dignam gloria, atque magnificentia populi Romani, primum, quod loco non parvo perfosso in continenti, jactisque circum undique fundamentis, eo mare intromisit. Deinde in ipso mari factis utrinque magnis aggeribus, ac multo mari concluso, in eo insulam fecit, atque in ea turrim ædificavit, ex qua lumen navigantibus nocturno tempore præberetur. Is locus, ut est, patriâ linguâ portus appellatur.* Hactenus Dion: quod & Tranquillus in *Claudio* cap. XX. his verbis recitat: *Perfecit portum Ostiensem à Divo Julio sæpius destinatum, ac propter difficultatem omissum.* Et paulo infrà: *Portum Ostiæ extruxit, circumducto dextra sini-*
B *straque brachio, & ad introitum profundo jam solo mole objecta, quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis, superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.* Ejus meminit & Plinius lib. XXXVI. cap. IX. & c. XV. ad fin. *Divus*, inquit, *Claudius, aliquot per annos asservatam eam navem, quam Cajus Cæsar importaverat, omnibus, quæ unquam in mari visa sunt, mirabiliorem, turribus Puteolano ex pulvere ædificatis, perductam Ostiam portus gratia mersit: alia ex hoc cura navium, quæ Tiberi subvehebant. Quo experimento palam fuit non*
C *minus aquarum huic amni esse quàm Nilo.* Hæc ille. *Aurelianus*, inquit Vopiscus in eod. cap. XLV. *forum nominis sui ad mare fundare cœpit, in quo postea Prætorium publicum est constitutum.* Ad reparandum verò hunc portum, & Pharum Tarracinenses quotannis calcem eò vehere tenebantur, *l. 3. C. T. de calcis coctorib.* quorum omnium curam hic Comes habuit. Portus autem generaliter est conclusus locus, quò importantur merces, & inde exportantur. Aliàs vocatur statio conclusa, atque munita, inde angiportum dictum ait Ulpianus *in l. portus 59. ff. de verb. sign.* Sed cum alio non addito portus nominatur, hic intelligitur, qui est a-
D pud Hostiam, quo transmittendæ Romam merces invehebantur, distatque Roma XII. milliariis. Eo destinabatur hic Comes, qui etiam curam mercium Romam vehendarum haberet, prospiceretque, ne cui in portu injuria inferretur. Is aliquod munus à negotiatoribus, quod ipsis placuisset, accipere poterat. Cassiodorus lib. VII. *Variar.* formula XII. *Delitiosa*, inquit, *magis quam laboriosa militia est in portu Romano Comitivæ gerere dignitatem ...... Unusquisque per solennitatem commonitus offerat voluntarium munus. Xenia enim sunt ista, non debita ...... Sit ergo tibi cura præcipua non solum te abstinere, verùm etiam cohibere præsumentium manus.*
E Hæc ille. Curam tamen mercium portus ejus Comiti in primis demandatam fuisse Cassiodorus lib. cit. formula XXIII. scribit: dabatque operam, ne quis adveniens gravaretur, curabat & horrea portus, in quæ advectum frumentum condebatur, *l. 1. C. T. de patron. horreo. por.* & ut saccarii (ita bajulos appellabant) soli merces in portum vectas justo pretio comportarent, *l. 1. Cod. T. de saccar. port. Romæ.* Mittebat & ex officio apparitores ad portum Præfectus Urbi, si quid novi ibi agendum emersisset, ut ex epistola D. Ambrosii XXXV. colligitur: *Apparitor*, inquit, *Præfecturæ, qui propter operas portuenses offensam contraxerat, jam in portu navi-*
F *gat; nam simul ut accepi litteras tuas, vidi præfectum, rogavi pro eo, ignovit illico, jussit retrahi epistolam, quam de facultatibus ejus publicandis dictaverat.* Hæc ille. Generaliter verò portubus præerant, qui à Græcis *Limenarchæ* vocantur, quorum erat sollicitudo, ne latrones, aut delinquentes fugerent, *l. 4. ff. de serv. fugit.* Aristoteles in fi. VI. *Politi-*

Polsticor. λιμενοφύλακας, id est, *portuum custodes* vocat. Ii in mediterraneis *Irenarchæ* dicebantur, *l.* 18. *§. hi quoque, ff. de muner. & honor.* Sed illi militum officio functi, ab hoc Comite differebant. His credo præfuisse Centenarium portus dictum, de quo infra agetur. In hoc portu Pammachius & Fabiola opulentum Xenodochium ædificarunt, D. Hieronym. in *vita Fabiolæ ad Oceanum.*

CAP. IX.

DE MAGISTRO CENSVS.

CENSUM primus Romæ Ser. Tullus invenit, Dionys. Halicar. lib. IV. Livi. in primo, ut pro modo prædiorum quisque tributa penderet: mox Augustus per Orbem ampliavit, inquit Cassiodorus lib. III. *Variar.* epist. pen. Censum verò definit Theophilus *in §. ult. Instit. de libert.* tabulam, seu chartam, in qua Romani suas facultates scribebant, ut tempore belli quisque secundum substantiæ suæ modum conferret. Itaque in provinciis, ubi tributa solvebantur, cujusque nomina cum facultatibus, id est, prædiis, eorumque finibus, & qualitatibus, quæ intra x. annos arva pratave essent, vineæ, oliveta cum numero vitium & olivarum describebantur, *l. forma 4. in prin. ff. de censib.* Hunc vulgo *æstimum* vocant. Olim in Italia immuni facta, *l. unic. C. de privileg. urb. Constantinopolit.* hæc descriptio non admodum frequentabatur. Dion enim lib. XXXVII. scribit Metellum Nepotem Prætorem rogata lege tributis Italiam liberasse, unde prædia, ut provinciæ, tributaria non habuit, *§. 1. Inst. de usucapio.* Sed hæc immunitas non semper mansit, ingruentibus enim bellis, primum moderatè, mox graviter & ipsa est onerata. Id accidit, facta inter Galerium, Maximianum, & Constantium orbis Romani divisione. Aurelius Victor: *Hujus*, inquit, *partis Italiæ injunctum tributorum ingens malum. Nam cum omnis eadem functione moderataque ageret, quo exercitus, atque Imperator, qui semper, aut maxima parte aderant, ali possent, pensionibus inducta lex nova.* Hæc ille. Quare sub ejus Præfecto Italiæ effigies & ipsa vas aureis plenum, quod pensitandi tributi indicium est, quemadmodum & aliæ provinciæ gestat. Roma tamen tum ab hoc onere illæsa permansit, aut certè liberata fuit, *l. 1. C. de privileg. urb. Constantinop. quæ est pars l. 6. C. de sacrosanct. eccl.* Utile igitur fuit bona civium Romanorum describi, ut cujusque facultates sciri possent; cum pro rata bonorum ad civium usus necessarios, & prout temporum conditio ferebat, pecuniam conferre oporteret. Necesse præterea fuit, apud censuales scribas testamenta aperiri, publicari, seu actis inseri, quod gratuito fiebat, si hæreditas centum aureos non excedebat, *l. 18. & l. consulta. 23. C. de testa. l. repetita, 41. C. de episc. & cler. quæ est ejus pars.* Sed id munus postea Quæstori est delatum, *Novella Leonis* 44. Donationes quoque quæ aureos quingentos non excedebant, apud Magistrum census insinuabantur, *l. in hac* 30. *& l. secundum* 32. *C. de donatio.* & acta, decretaque Senatus scribebantur, *l. omnia 2. C. de princip. agent. in reb.* præmia à Consulibus aut Prætoribus in Curia certantibus proponenda, & pecunia in spectacula impendenda apud censuales deponebatur: Symmachus Epistola *ad Th. A.* XXI. *Cum argenti*, inquit, *publici ratio quæreretur, quod censualibus editores munerum contulerunt, repertum est quosdam debitum Resp. non dedisse.* Hactenus ille. His præerat census Magister, à Leone Perfectissimus appellatus, *in l. orphanotrophos. 32. C. de episc. & cler.* Sed Anastasius Clarissimum nominavit, *d. l. secundum 32. C. de donat.* Qui Romam discendi causâ veniebant, huic Magistro litteras suorum Præsidum ostendere tenebantur, quibus eorum oppida, natales, & merita exprimebantur, & ipsi profiteri debebant, quibus studiis operam essent daturi, & Officialibus census sua hospitia indicare, & post annum ætatis XXI. Româ excedere, *l. 1. C. Theo. de studiis libera. urb. Rom.* iidem censuales singulis mensibus peregrinos, qui? undeve essent? & quid agerent? inquirebant, & otiosos in patriam remittebant.

CAP. X.

DE RATIONALI VINORVM.

QUEMADMODUM ex Tuscia, Campania, & Piceno carnes præsertim suillæ, fructus, & alia ad annonam spectantia Romam perferebantur, ita & vinum ad usum populi vehebatur. Itaque Alexander Imperator, auctore Lampridio in *eod.* cap. XXXIII. prout omnium artium, ita & vinariorum corpus seu collegium instituit, qui hanc negociationem vini in urbem vehendi exercerent. Id in proprio foro vænibat, quod *vinarium* vocabatur, & illi Tribunus præerat, Symmachus epist. 2.1. *De tribunatu vinarii fori orta contentio.* Sed hoc forum in descriptione urbis omittitur. Hunc Tribunum esse puto, qui à Notitia *Rationalis* appellatur, & invecti Romam vini quantitatem, & ex ejus vectigali, quod ingens erat, exactam pecuniam scribebat, *l. 4 C. Th. de suar. & pecuar.* Rationalis enim dicitur, qui alicujus rei rationes tractat, sic procurator rei privatæ Principis, Rationalis appellatur, *in l. fin. C. de advo. fisc. l. universi. 4. C. de fundis rei priva. l. 1. C. de modo multa. l. 2. C. ne uxor pro marito. l. 4. C. de episc. & cler.* Notabat & rationes vinorum, quæ vectoribus calcis, pro formis aquæductuum Romæ reparandis, & fartis templorum tectis habendis, *l. 3. C. Theo. de calc. cocto.* data fuisse diximus. Non tamen negociatoribus prohibere poterat, ne quibus mensuris, quove precio vellent, vina venderent. Papirius Justus *in l. Imperatores. C. de contra. empt. Quibus*, inquit, *mensuris, aut preciis negociatores vina compararent, in contrahentium est potestate.* Præter hunc Rationalem, erat & qui in Jure *susceptor vini* appellabatur, is vinum vectoribus calcis, *tit. Cod. de suariis, & susceptorib. vini & cæteris corporatis*, aut aliis ex publico dandum custodiebat. A Græcis *caupones* sunt dicti, id est, κάπηλοι. Ad Victorem Rationalem urbis Romæ Constantinus scribit, *in l. 14 C. T. de appel. l. 18. C. eod.* quem res fiscales ibi tractasse dicit, & ab hoc diversum fuisse puto.

CAP. XI.

DE TRIBVNO FORI SVARII.

INTER XI. Romæ fora, duo animalibus vendendis erant destinata; quorum alterum *boarium*, alterum forum *suarium* vocabatur, ubi tantùm sues vænibant. Id erat in VII. urbis regione, quæ *via lata* nuncupabatur, ut auctor est P. Victor, & quæ in Urbe ante Notitiam descripta conspicitur. valde necessarium est hoc animal ad cibos condiendos, quod & ipsum carnis copiam exhibet, unde magna ejus educandi cura veteribus fuit. Plinius lib. VIII. c. LI. *Neque ex alio*, inquit, *animali numerosior materia ganeæ; quinquaginta ferè sapores, cum cæteris singuli. Hinc Censoriarum legum pagina, interdictaque cœnis abdomina, glandia, testiculi, vulvæ, sincipita verrina, ut tamen Publii Mimorum poetæ* cœna,

cœna, postquam servitutem exuerat, nulla memoretur sine abdomine, etiam vocabulo suminis ab eo imposito. Placuere autem & feri sues. Jam Catonis Censoris orationes aprugnum exprobrant callum. In tres tamen partes diviso media ponebatur, lumbus aprugnus appellata. Solidum aprum Romanorum primus in epulis apposuit P. Servilius Rullus, pater ejus Rulli, qui Ciceronis Consulatu legem Agrariam promulgavit. Tam propinqua origo nunc quotidianæ rei est. Et hoc annales notarunt, horum scilicet ad emendationem morum; quibus notata quidem cœna, sed in principio bini ternique pariter mandebantur apri. Hæc Plinius. Quare creatus est Tribunus fori suarii, qui curam habebat, ut justo pretio, & sine fraude, ac morbo, sues venderentur, forum etiam ipsum curabat. Hujus Romæ est inscriptio hujusmodi:

DOMINO NOSTRO FL. CLAVDIO CONSTANTINO FORTISSIMO CÆSARI FL. VRSACIVS V. P. *(vir perfectissimus)* TRIBVNVS COHORTIVM VRBANORVM X. XI. ET XII. ET FORI SVARII.

Hæ verò erant tres ex VI. Cohortibus Præfecti vigilum, quibus Tribunus Ursacius præfuit, & vir perfectissimus appellabatur, quemadmodum & Magister census. Hic est ille Ursacius qui mox Præfectus cohortis Prætorianæ, & Magister officiorum fuit, ut auctor est Marcellinus lib. XXVI. cap. IV. Romæ corpus seu collegium erat suariorum, qui ex Tuscia, Campania, & Piceno debitos populo Romano sues, & aliunde adduci procurabant & P. V. judicem habebant, *l. ult. C. de suariis, & susceptorib. vini.* à sordidisque muneribus immunes erant, *l. 1. C. eod. tit.*

CAP. XII.

DE CONSVLARI AQVARVM.

AB Augusto curatorem aquarum primum inventum fuisse ex Tranquillo supra diximus, qui postea Consularis est appellatus. Is curam habebat aquarum, quas XIX. Romam venisse, in urbis descriptione, ante Notitiam traditur. Sed P. Victor XXIIII. recenset, Appiam, Martiam, Virginem, Claudiam, Herculeam, aliàs Herculeanam, Tepulam, Damnatam, Trajanam, Amniam, aliàs Annam, Alsiam seu Halsietinam, aut Halsientinam, quæ & Augusta dicitur, Cœruleam, Juliam, Algentianam, Ciminam, Sabatinam, Aureliam, Septimianam, Severinam, Antoninianam, Alexandrinam, Anienem novum, Anienem veterem, Albudinam, Crabram. Quæ ferè omnes ab earum auctoribus, & ductoribus nomen habent. Sed in XIIII. urbis regionibus ante Notitiam descriptis, Augustea ab Alsia dividitur, quas P. Victor, pro iisdem ponit. Justiniano verò imperante, XIIII. aquæ ductus urbem ingrediebantur. Procopius in primo *de bello Gotth. Romæ*, inquit, *aquæ ductus decem & quatuor numero sunt, cocto ex latere per priscos homines illos ædificati, ea latitudine ac simul profunditate, ut equester vir aliquis ipso cum equo per eos superne evadere liberius queat.* Hactenus Procopius. His in urbem derivandis, & dividendis unus præpositus est, qui aquarum curator à Julio Frontino appellatur, quo officio & ipse, Nerva Imp. demandante, functus est: is postea Consularis est dictus, ex eo arbitror, quòd Consularibus ornamentis esset honestatus: ita imperante Constantino appellatus est Versennius Fortunatus circa annum salutis CCCXVI. *l. 1. C.T. de divers. offic.* cui successit Maximilianus, quem *Consularem aquarum* idem Constantinus vocat, *in l. 1. C. de aquæduct.* apud quem ita legendum est, non *Consulem*, ut vulgò habetur, & dictio *aquarum*, à qua Rescriptum incipit, referenda est ad Consularem, & hoc modo scribendum, *Imp. Constantinus August. ad Maximilianum Consularem aquarum*, deinde incipit lex, *possessores.* Julius Frontinus (idem & Cœlius Rhodiginus lib. XVIII. c. XL. *lectio. antiqua.*) recitat quoddam Senatusconsultum, quo cautum est, ut aquarum præfectus extra urbem lictores binos, servos publicos ternos, architectos singulos, scribas, librarios, accensos, & præcones totidem haberet, quot habent hi, per quos frumentum plebi datur. Hoc erat ejus officium, *l. 1. C. de aquæduct. lib.* 10. Duæ præterea familiæ illi præsto erant, altera publica, altera Cæsaris nuncupata, publica antiquior CCLX. hominum fuit, ab Agrippa instituta, quam moriens Augusto commisit, & ille publicavit, ut ex publico aleretur. Cæsaris familia CCCCLX. continebat, quam Claudius Imp. cùm aquas in urbem perduceret, constituit: utraque familia in aliquot ministeriorum species deducitur, villicos, castellanos, curatores, silicarios, rectores, aliosque opifices: ex his aliquot extra urbem esse oportet, ad ea quæ non sunt magnæ molitionis: maturum tamen auxilium videntur exigere in urbe circa castellorum & munerum stationes & opera, quæ urgebant in primis ad subitos casus. Hæc Frontinus, qui curator aquarum à Nerva Imp. creatus, de se hæc subjicit: *Publica ministeria ita instituimus, ut pridie quid esset agendum, dictaremus, & quid quaque die egisset, actis comprehenderetur. Publicæ familiæ ex ærario impensæ dantur, quod impendium exoneratur vectigalium reditu ad jus aquarum pertinentium. Ea constat ex olivetis, quæ sunt circa ductus aut castella, aut munera, aut lacus, quem reditum prope sestertiûm* CC. *millium*, (id est, duorum millium aureorum) *proximis temporibus in Domitiani loculos versum industria D. Nerva populo restituit, nostra sedulitas ad certam regulam redegit, ut constarent, quæ essent ad hoc vectigal pertinentia loca. Cæsaris familia ex fisco accipit commoda, unde & omne plumbum & omnes impensæ ad ductus, & castella, & lacus pertinentes erogabantur.* Hæc Frontinus, qui XVI. recenset ante se aquis præfectos, inter quos fuere Attejus Capito, & Coccejus Nerva, Jureconsulti. Mox officium curatoris subjicit: *Observare*, inquit, *debebit, ne quis sine literis Cæsaris, id est, ne quis aquam publicam non impetratam, & ne quis amplius quàm impetratum fuerit, ducat ...... Deinde ductus extra urbem sunt circumeundi ad recognoscenda veneficia, idem in castellis salientibus publicis faciendum, ut sine intermissione diebus aqua fluat, quæ Senat. consulto curator facere jubetur, scilicet ut inspiciat aquas publicas, meatque numerum salientium publicorum, & ut salientes publici quàm assiduissimè, interdum & noctu aquam in usum populi funderent.* Et addit: *Qui aquam in usus privatos ducere volet, impetrare eam debet, & à Principe epistolam ad curatorem afferre, curator deinde beneficio Cæsaris præstare maturitatem, ad procuratorem ejusdem officii libertum Cæsaris protinus scribere. Procuratorem autem primus T. Claudius videtur admovisse, postquàm Anienem novum & Claudias induxit, is signabat calices modulorum.* Et infra subjicit: *Jus impetratæ aquæ neque heredem, neque emptorem, neque ullum novum dominum prædiorum sequitur. Balneis, quæ publicè lavarent, privilegium antiquitus concedebatur, ut semel data aqua perpetuo maneret. Quia verò arborum radicibus formarum concamerationes, & latera solvebantur, eas ab utraque parte* XV *pedes vacuas esse Sen. cons. jussit*, l. 1. C. de aquæduct. *& qui intra id spacium arbores severit, vel ædificaverit, vel formas læserit, in dena millia* (id est

XIX.

xix. centum aureos) *in singulas res damnas erit, ex quibus pars dimidia premium erit accusatori, dimidia in ararium redigetur: de ea re judicabunt, cognoscentque curatores.* Hæc Frontinus. Illi ex hoc aliquam jurisdictionem & officium, seu apparitores *d. l.* 1. *C. de aquaduct.* habuisse probatur, supradictæ enim familiæ cum lictoribus, & aliis supra nominatis in illius erant officio. Inter Consularem aquarum, & Comitem formarum, illud etiam interfuit, quod hic tantùm formas tuebatur, id est, structiles canales aquam ferentes farciebat. Consularis verò operam dabat, ut ea debito modo in privatas ædes derivaretur, & publico ac thermis, aliisque usibus serviret. item ne à privatis usurparetur, & epistomia, fistulæ, salientesque integri essent, & castellum repararetur. Id Ulpianus receptaculum interpretatur, quod aquam publicam suscipit, *l.* 1. *§. interdictum necessario. ff. de aqua quot. & astiv.* Hoc officium honorificum multorum benevolentiam conciliabat, cùm tantum totius populi commodum in manu haberet. Quantum verò id esset lib. XXXVI. cap. XV. Plinius ad fin. docet: *Quod si quis*, inquit, *diligentius astimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis, villis, spacioque advenientem, extructos arcus, montes perfossos, convalles aquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.* De Appia verò, Martia, & Virgine aqua ita scribit: *Sed dicantur vera astimatione invicta miracula, qua Q. Martius Rex fecit. Is jussus à Senatu aquarum Appia & Aniensis tegula ductus reficere, novam a nomine suo appellatam, cuniculis per montes actis, intra Pratura sua tempus adduxit. Agrippa verò in Ædilitate sua, adjecta Virgine aqua, caterisque corrivatis atque emendatis, Lacus* DCC. *fecit; praterea fontes* CV. *castella* CXXX. *complura etiam cultu magnifica, &c.* Idem lib. XXXI. cap. III. *Clarissima*, ait, *aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma praconio urbis, Martia est, inter reliqua Deum munera urbi tributa ...... Primus in urbem ducere auspicatus Ancus Martius, unus è Regibus. Postea Q. Martius Rex in Pratura, rursusque restituit Magnus Agrippa. Idem & Virginem adduxit, ab octavi lapidis diverticulo duo millia passuum Pranestina via. Juxta est Herculaneus rivus, quem refugiens, Virginis nomen obtinuit.* Hæc ille. Alii Virginem appellatam volunt, quod purissima nullisque sordibus polluta currat, Cassiodorus lib. VII. *Variar.* in *formula Comitiva formarum.* De Claudia aqua à Claudio Cæsare derivata, idem Plinius loco cit. ita scribit: *Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoato à C. Casare, & peracti à Claudio, quippe a lapide* XL. *ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Caruleus fontes; erogata in id opus sextertia* DLV. *millia.* De eadem Claudia Tranquillus in *Claudio* c. XX. *Opera*, inquit, *magna potius quam necessaria, permulta fecit, sed vel pracipuè aquaductum à Cajo inchoatum.* Et postea: *Claudia aqua gelidos, & uberes fontes, quorum alteri Caruleo, alteri Curtio, & Albudino nomen est, simulque rivum Aniensis novo lapideo opere in urbem perduxit, divisitque in plurimos, & ornatissimos lacus.* De eadem aqua Tacitus lib. XII. cap. LVII. *Annal.* Item Frontinus: *Claudia*, ait, *aqua concipitur via Sublacensi ...... diverticulo sinistrorsus ex fontibus amplissimis, Caruleo, qui à similitudine appellatus est, & Curtio accipit. ...... Item duorum aqua ductuum, quos Claudius consummavit. Alteri Claudia nomen datum est; alteri Anio novus appellari capit.* Hæc ille. Aurelia verò à M. Aurelio: Septimiana, & Severina, à Septimio Severo Imperatore; Antoniniana ab Antonino

A sunt derivatæ, Alexandria ab Alexandro. Per structiles formas in urbem, mox in castellum deducebantur. id erat amplum aquæ receptaculum instar lati cubiculi in fornicem versum. Vitruvius lib. VIII. c. VII. *Cum aqua*, inquit, *venerit ad mœnia, efficiatur castellum, & castello conjunctum ad recipiendam aquam triplex emissarium, collocenturque in castello tres fistula aqualiter divisa, intra receptacula conjuncta, unde aqua publica in tres partes derivabatur; una in lacus emittebatur, in quibus plebs Romana lintea abluebat, animalia potabant, & ad fullonum, coriariorumque atque alias necessitates inserviebat: altera in balneas emittebatur, ob quam* B *vectigal quotannis populo prastabant, qui ea utebantur.* Hactenus Vitruvius. Hæc est pensitatio quam pro aquæductu præstari, auctor est Papinianus *in l.* 41. *ff. de actionib.* In venditione, super annua pensitatione pro aquæductu infra domum Romæ constitutam, nihil commemoratum est, deceptus ob eam rem, ex empto actionem habebit. Idem credo sentire Paulum *in l. cum quidam* 17. *§. fiscus, ff. de usuris*, dum ait: *Fiscus usuras accipit de fornicariis, qui tardius pecuniam inferunt.* Sunt enim fornicarii, qui fornaces in balneis curant, *l.* 14. *ff. de instruc. & instru. legat.* Hanc etiam quandoque privati excipiebant, cum in humum cadebat. Frontinus enim scribit C apud antiquos omnem aquam in publicos usus erogari solitam, legeque cautum, ne privati aliam ducerent, quam quæ ex receptaculo publico seu castello in humum recidisset, quam *caducam* vocabant, & hanc ipsam non in alium usum, quàm balnearum, & fullonicorum, vectigalemque esse statuta mercede, quæ in publicum penderetur: aliquid & in domos Principum dabatur, sed crescente aquarum copia. Tertiam aquam Princeps in domos privatas ex castello deduci permisit, inquiunt Vitruvius & Ulpianus, *in l.* 1. *§. permittitur. ff. de aqua quotid. & astiv.* Hæc in plumbeum castellum derivata per fistulas sub terram missas, non modò in æ- D des, sed & aëna lateribus circumstructa deducebatur, cujusmodi insigne exemplum apud Celsum reperitur, *in l. si venditor in fin. de actio. empt. Firmus*, inquit, *à Proculo quasiit, si de plumbeo castello fistula sub terram missa aquam ducerent in aënum lateribus circumstructum, an ha adium essent, & esse existimant.* Aëno verò aqua calefiebat ad bibendum, *l. cum de lanionis. §.* 2. *de fund. instruct.* vel vasa olerave lavanda, *l. sed addes. §.* 2. *ff. locati.* Quandoque etiam ad irrigandos hortos, vel prædia privatis, aqua permittebatur, *in l. usum* 4. *C. de aquaduct.* & ob id Prætor edicto promittit se facturum, ne vis fiat ei, qui aquam obtinuit à Principe, quomi- E nus eam ducat, *d. l.* 1. *§. ait prator. de aq. quot.* Ex flumine verò publico aqua jure derivabatur. Pomponius *in l.* 2. *ff. de flumin. Quominus*, inquit, *ex flumine publico ducatur aqua, nihil impedit, si modo ea aqua in usu publico non erit*, id est, civitatis usibus, ut supra dictum est, non deserviat. Consularis ergo aquarum illas ad destinatos usus curabat derivari, & debitum vectigal pro ea solvi. In provinciis aquæductus ex reditibus Civitatum fiebant, *l. unica. C. de ratiocin. ope. public.* & ideo eorum cura ad Decuriones spectabat. Nunc ad Curatores P. V. imperio parentes est transeundum.

F

CAP. XIII.

DE CVRATORE OPERVM MAXIMORVM.

OPERA appellantur magnifica ædificia, aut fabricæ, ut indicant tractatus in Pandectis & Codi-

Codice Justinianeo de operibus publicis & de ratiociniis operum publicorum. Virgilius *Georgic.* lib. II.

Adde tot egregias urbes, operumque laborem.

Maxima verò opera in urbe erat Circus Maximus in XI. regione urbis, qui loca trecenta octoginta millia capiebat, sed in descriptione urbis ante Notitiam legitur. 485000. continebat, & VII. metas, quas aurigæ circumibant, & XII. portas, per quas currebant, Cassiodorus. Mœnia quoque, Amphitheatrum castrense, *l.3. ff. de oper. publ. & l. pen. in V. urbis regione.* Campum Viminalem sub aggere in V. regione inter maxima opera pono. Campum Martium in IX. regione. Erant & opera magna vocata, quæ fortè huic Curatori commissa non erant, ut Forum Romanum magnum in VIII. regione, & Macellum magnum in II. Circus Flaminius capiens stabula IV. factionum, multas porticus, & similia. In eadem regione P. Victor Ludum magnum statuit. Erat hæc domus, in qua olim gladiatores exercebantur, tyrones quoque & lanistæ. Isidorus ludum inde dictum scribit, quòd in eo juvenes usum armorum condiscant. Tranquillus in *C. Julio Cæsare* cap. XXVI. *Tyrones*, inquit, *neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Roman. ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat.* Superioribus operibus, quæ præcipua diligentia egebant, datus fuit Curator, *maximorum operum* dictus, qui illa munda, integraque servari curaret. Hanc & sequentes curas, *Procurationes urbicas* Ulpianus appellat, *in l. verum* II. *§. ex facto. ff. de minor.*

CAP. XIV.

DE CVRATORE OPERVM PVBLICORVM.

Hoc quoque officium ab Augusto primum inventum fuit. Tranquillus in *Augusto* c. XXXVII. *Quo plures*, inquit, *partem administrandæ Reipublic. caperent, nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum, aquarum, &c.* Inter opera verò publica Constantius A. ad Ecdicium Præfectum Ægypti, *in leg. 4. Cod. de op. publ.* Prætoria, id est, ædes, in quibus Præsides degebant, & jus reddebant, & alias domus publicas recenset. Item portus, aquæductus, *in l. ad portus 7. Cod. eod.* thermas, *l. ne splendidissima. 11. C. eo. l. 2. §. 1. ff. de ope. publ.* horrea, & stabula ad equos cursus publici destinata, *l. nemo. 13. C. eod.* & alia plura, *l. ædificia 14. cum ll. seqq. C. eod. tit. l. 3. & l. 5. ibidem.* Opera publica vocantur & illa, quæ pro admirandis Plinius lib. XXXVI. cap. XV. recitat, qualia ab Augusto, Tiberio, & aliis Principibus condita Tranquillus narrat. Inter hæc erat Amphitheatrum in III. regione, capiens loca octoginta septem millia, & Theatra IIII. in IX. regione, videlicet Balbi loca triginta millia, octoginta quinque continens, id Claud. Cæsar dedicavit, sed Balbi est appellatum, quod prope ejus Cryptam esset, de quo in V. *regione.* item Theatrum Marcelli loca triginta millia capiens, in quo erat templum Jani, & alia duo minora theatra: Inter opera publica Justinianus *Novell. 25. §. oportet*, muros, pontes, vias, & aquæductus recenset. P. Victor, & descriptio urbis Romæ ante Notitiam hujusmodi plura nominat, ut thermas XI. Victor XVI. Basilicas X. Victor XVIIII. pontes VII. obeliscos V. Victorias magnas VI. parvas XLII. Bibliothecas XXIX. inter quas præcipuæ erant Ulpia & Palatina. Lucos XIIII. Capitolia II. totidem Amphitheatra, Columnas Cochlides II. Macella II. Ludos VI. naumachias V. stadia II. nymphæa seu lavacra XII. tabula & signa sine numero: Arcus marmoreos XXXVI. Lupanaria XLVI. pistrina CCLIIII. fora XVI. campos VIII. Cœnacula III. & alia, quibus hic Curator præerat, exceptis maximis operibus, item aquæductibus & formis, quæ tempore Notitiæ proprios Curatores habebant: sed olim hæc distinctio non fiebat: Unus enim operum publicorum Curator vocabatur, *l. 1. ff. de oper. publ.* Hic opera publica, integra conservari curabat, & collapsa restituebat, nova redemptoribus facienda locabat, *l. 2. §. ult. ff. de ope. pub.* Nullius verò nomen operi inscribere licebat, quàm Principis, vel ejus, cujus pecunia opus fiebat, *l. 2. in prin. l. 3. in fin. l. ult. ff. de op. pub. l. 4. in fi. ff. de admin. rer. ad civit. pertin.* In provinciis autem tertia pars redituum civitatis mœnibus, & balneis restituendis destinabatur, *d. l. ne splendidissima* II. *C. eodem tit.* Hæc cura ad Præsides pertinebat, Ulpianus *in l. si in aliam. §. 1. ff. de offi. proconsul.* *Ædes sacras*, inquit, *& opera publica circumire inspiciendi causa, an farta tectaque sint, an aliqua refectione indigeant, Proconsul debet, Curatoresque operum diligentes solenniter præponere.*

CAP. XV.

DE CVRATORE STATVARVM.

STATVÆ plurimæ Romæ fuerunt, inter alias nominat P. Victor statuam Mercurii plumbeam, Quirini, & Fortunæ publicæ in colle VI. regionis, signum Jovis Imperatoris in IX. Erant propterea Colossi ænei XXXVII. marmorei LI. equi magni ænei XXIII. inaurati LXXXIIII. eburnei CXXIIII. quibus præfectus hic Curator prospiciebat ut nitescerent, ne devastarentur, aut fortè tollerentur. Officium seu apparitores habebat, qui nocte vigilabant, & observabant ne statuæ aut auferrentur, aut læderentur, earumque fures, & effractores puniebat. Hunc Curatorem Cassiodorus lib. VII. *Vari.* epist. XIII. Comitem Romæ appellat: *Si clausis*, inquit, *domibus, ac munitis insidiari solet nequissimum votum, quanto magis in Romana civitate videtur illici, qui in plateis pretiosum reperit, quod possit auferri? Nam quidam populus copiosissimus statuarum, greges etiam abundantissimi equorum, tali sunt cautela servandi, quali & cura videntur affixi.* Et paulo post: *Quid dicamus, marmora metallis & arte pretiosa? quæ si vacet eripere, rara manus est, quæ possit à talibus abstinere. Ibi sunt exposita, quæ facere potuerunt divitiæ generales, & labor mundi ......' Qua de re Comitiva Romana cum privilegiis, & justis commodis suis tibi concedimus dignitatem, ut fideli studio, magnoque nisu, quæras improbas manus, & insidiantes aut privatorum fortunis, aut mœnibus ad tuum facias venire judicium, & res veritate discussa, congruam subeant de legibus ultionem ...... Officium tuum & milites consuetos noctibus potius invigilare compelle: in die autem civitas se ipsa custodit ...... Statuæ nec in foro mutæ sunt, quando à furibus percussæ custodem videntur tinnitibus admonere. Proinde, prudentiam tuam devotione laudabili sentiamus, ut cui nunc laboriosos fasces injungimus, securos honores postea conferamus.* Hæc ille. Ingentem verò Romæ statuarum multitudinem, populum appellat, & greges equorum: Non tantùm enim Principum, sed & aliorum, omnis generis statuæ, Romæ reperiebantur.

CAP.

CAP. XVI.

DE CVRATORE HORREORVM GALBANORVM.

HORREA Galbæ, ut præcipua inter plura alia nominantur, tam in descriptione urbis ante Notitiam, quam à P. Victore in XIII. regione. Sed ipse legit *Horrea Galbiana*, quemadmodum & in hoc monumento antiquo scriptum reperitur:

NVM. DOM. AVG. SACRVM FORTVNÆ CONSERVATRICI HORREORVM GALBIANORVM M. LORINVS FORTVNATVS MAGISTER S.P.DD.

id est, *sua pecunia dedicavit*.

Dominis Augustis Theodosio Juniori & Valentiniano III. vel, ut habet inscriptio, *Numini Dominorum Augustorum*, dicatum est hoc simulachrum Fortunæ conservatricis, quam horrea conservare opinabantur. Galbio unus fuit ex Ducibus Valentiniani contra Bonifacium Africæ tyrannum mistus, circa annum CCCCXXIX. ut auctor est D. Prosper, à quo *Galbiana* horrea, quæ fortè ille annonis impleverat, aut ad hunc usum Reipubl. tradiderat, sunt appellata. & ita puto legendum, ut est apud Victorem. Galbana verò à Galba Principe, vel alio ex ea familia derivantur, sed aliqua anterioribus temporibus eorum mentio fieret. Magister autem, de quo in supradicto Epigrammate, fuit regionis XIII. Cum enim Augustus in regiones, vicosque urbem divisisset, his ex plebe viros præfecit, quos *Magistros* appellavit, ut ait Tranquillus in *Augusto* cap. XXX. Plura Romæ erant horrea, in quibus non tantùm frumentum, sed gemmæ, aurum, & argentum, aliaque pretiosissima, homines reponebant, præsertim qui hæc apud se tuta non esse timebant, *l. 3. §. effractura. ff. de off. Præf. vigil. l. pignus. 9. C. de pignorati. actione.* Ego tamen hîc horrea Galbiana interpretor, in quibus frumentum populo dandum condebatur, quorum ut sarta tecta essent, hic Curator prospiciebat: nam de operum & ædificiorum Curatoribus hic agitur. Alius verò huic, & omnibus horreis frumentariis, *Comes horreorum* dictus, *l. unic. C. de pistorib.* præerat, qui grana illæsa conservari, panemque plebi, & militibus distribuendum confici providebat. Vetustus codex legit, *Horreorum Gallorum*, sed non rectè.

CAP. XVII.

DE CENTENARIO PORTVS.

CENTENARII centum militibus præerant. Vegetius lib. II. c. VIII. *Erant*, inquit, *Centuriones, qui singulas centurias gubernabant, qui nunc centenarii nominantur.* Idem Modestus in libello *de vocabulis castrensibus* tradit: Centenarium ergo portus eum fuisse existimo, qui cum centum, aut plus minus militibus portum tuebatur. Nam & Centenarii in officiis Palatinorum, viris sexaginta, aut paucioribus præerant. Hunc esse credo, quem Cassiodorus lib. VII. *Variar. Vicarium portus* appellat: cujus cura erat præcipua, ne peregrini cum civibus rixarentur, ut latrones ac delinquentes detinerentur. A Jureconsultis *Limenarcha* appellantur, id est, portus principes. Paulus *in l. penult. ff. de fugit. Limenarchæ*, inquit, *& stationarii fugitivos deprehensos rectè in custodia retinent.* Inventi sunt & ab Augusto, qui agros viasque publicas custodirent, ne cui injuria fieret. Tranquillus in *Augusto* cap. XXXII. *Grassatorum*, inquit, *plurimi se ferebant succincti ferro, quasi tuendi sui causa: & rapti per agros viatores sine discrimine, liberi, servique, ergastulis possessorum supprimebantur ..... Igitur Grassatores, dispositis per opportuna loca stationibus, inhibuit.* Has postea Tiberius crebriores fecit. Idem Tranquillus in *Tiberio* cap. XXXVII. *Tuendæ pacis*, ait, *a grassaturis ac latrociniis, seditionumque licentia curam habuit: stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit.* Sed quod ad hunc Comitem pertinet, Cassiodorus eod. lib. in *formula Comitiva Ravennatis*, in Comitiva portus Ravennatis ejus Comitem naves privatorum ob transvehendas species, vel res Principis, vel publicas retinuisse scribit, quod & hic fortè procurabat.

CAP. XVIII.

DE TRIBVNO RERVM NITENTIVM.

ULTIMVS sub Præfecto urbi erat Tribunus rerum nitentium, cujus erat solicitudo, ut ædes sacræ, basilicæ, fora, balnea, circi, theatra, amphitheatra, viæ, bibliothecæ, campi, & omnia denique loca publica nullis sordibus vitiarentur, sed nitescerent, tantum erat veteribus mundiciei, nitorisque studium; Tribunus verò hic Præfectum significat, sicut Tribuni militum, & Ærarii, aliique pro Præfectis accipiuntur. Hoc munus olim Ædilium Curulium fuit. De duobus Prætoribus, qui imperante Constantino Magno duo tantùm Romæ erant, *l. si apud. C. de appellat.* nihil Notitia tractat, quod fortè præter insignium magistratus splendorem nullum ferè tenebat imperium. Tantùm enim liberales causas cognoscebat. Minoribus alienantibus decreta interponebat, eos in integrum restituebat, vindicta manumittebat, & emancipantibus liberos auctoritatem præstabat, *l. 1. C. de offi. Prætoris.* Hæc de Præfecto urbi, ejusque magistratibus dicta sufficiant: Nunc ad alios Illustres, id est, Magistros militum, est transeundum, quorum copiarum breviarium præmittemus.

Magister Peditum Quibus imperat.

Magister peditum in praesenti Occidentis imperat

- *Comitibus* VIII. *limitum.*
  - *Illyrici praest*
    - *Praefectis* XXIIII.
      - *Auxiliorum palatinorum peditum* XVI.
      - *Legionum Comitatensium* V.
      - *Legionum Pseudo-Comitatensium* III.
  - *Italiae per Alpes*
    - *Peditum numeris* XXXVI.
    - *Equitum vexillationibus* VII.
      - *Legionibus* XIII. *Auxiliis* XXI.
  - *Africae, qui praest*
    - *Praepositis limitum* XVI.
      - *Peditum numeris* XII.
      - *Vexillationibus equitum* XIX.
  - *Tingitanae, qui praest*
    - *Tribunis cohortium* VI.
    - *Praepositis equitum*
      - *Vexillationibus equitum* III.
      - *Alae equitum* I.
  - *Hispaniarum*
    - *Praefectis* XVI.
      - *Auxiliorum* XI.
      - *Legionum* V.
  - *Britanniarum*
    - *Numeris peditum* III.
    - *Vexillationibus equitum* VI.
  - *Littoris Saxonici per Britanniam.*
    - *Praepositis* VIII.
    - *Tribuno cohortis* I.
      - *Numerorum peditum* V.
      - *Vexillationum equitum* II.
      - *Legionis* I.
  - *Argentoratensis.*
- *Ducibus* XII. *limitum.*
  - *Mauritaniae Caesariensis*
    - *Praepositis limitum* VIII.
  - *Tripolitanae*
    - *Praepositis limitum* XII.
    - *Numeris militum* II.
  - *Pannoniae* II.
    - *Praefectis* XXXI.
      - *Cuneorum equitum* VI.
      - *Numerorum aliorum equitum* XI.
      - *Legionum* V.
      - *Numerorum militum* V.
      - *Classium* IIII.
    - *Tribunis* III.
      - *Cohortium* III.
  - *Valeriae Riparensis*
    - *Praepositis* XXVII.
      - *Cuneorum equitum* V.
      - *Numerorum equitum* XVII.
      - *Auxiliorum peditum* V.
    - *Praefectis* IX.
      - *Legionum* VIII.
      - *Classis* I.
    - *Tribunis* VI.
      - *Cohortium* VI.
  - *Pannoniae primae & Norici Riparensis*
    - *Praefectis* XXVII.
      - *Cuneis equitum* II.
      - *Numerorum aliorum equitum* XIIII.
      - *Legionum* VIII.
      - *Classium* III.
    - *Tribunis* V.
      - *Cohortium* V.
  - *Rhetiae primae*
    - *Praefectis* XIII.
    - *Tribunis cohortium* VIII.
      - *Numerorum equitum* III.
      - *Aliorum equitum* III.
      - *Legionum* VII.
  - *Provinciae Sequanici*
    - *Militibus Lataviensibus*
      - *Cohortium* VI.
  - *Tractus Armoricani*
    - *Praefectis* IX.
    - *Tribuno* I.
      - *Numerorum peditum* IX.
      - *Cohortis* I.
  - *Belgicae* II.
    - *Praefectis* II.
    - *Tribuno* I.
      - *Numerorum equitum* II.
  - *Germaniae primae.*
  - *Britanniarum.*
  - *Moguntiacensis*
    - *Praefectis* XI.
      - *Numerorum* XI.
- *Legionibus palatinis* XII.
- *Auxiliis palatinis* LXV.
- *Legionibus Comitatensibus* XXII.
- *Legionibus Pseudo-Comitatens.* XVIII.
- *Classibus* XVII.
- *Tribunis cohortium* XXIII.

NO-




NOTITIA
INSIGNIA VIRI ILLVSTRIS
MAGISTRI P

Legiones Palatinæ duodecim.

Auxilia Palatina sexaginta quinque.

Legiones Comitatenses triginta duæ

Pseudo-Comitatenses decem et octo.

NOTITIA.

Sub dispositione Viri Illustris Magistri peditum Præsentalis, Comites militum infrascriptorum.

ITaliæ.
Africæ.
Tingitanæ.
Tractus Argentoratensis.
Britanniarum.
Littoris Saxonici per Britannias.

Duces Limitum infrascriptorum decem.

Mauritaniæ Cæsariensis.
Tripolitanæ.
Pannoniæ secundæ.
Valeriæ Ripensis.
Pannoniæ primæ, & Norici Ripensis.
Rhetiæ primæ, & secundæ.
Sequanici Armoricani.
Belgicæ secundæ.
Germaniæ primæ.
Britanniarum.
Mogontiacensis.

Legiones Palatinæ duodecim.

Joviani seniores.
Herculiani seniores.
Divitenses seniores.
Tongricani seniores.
Pannoniciani seniores.
Mœsiaci seniores.
Armigeri propugnatores seniores.
Lancearii Sabarienses.
Octavani.
Thebæi.
Cimbriani.
Armigeri propugnatores juniores.

Auxilia Palatina sexaginta quinque

Cornuti seniores.
Brachati seniores.
Petulantes seniores.
Celtæ seniores.
Heruli seniores.
Batavi seniores.
Mattiaci seniores.
Ascarii seniores.
Ascarii juniores.
Jovii seniores.
Cornuti juniores.
Sagittarii Nervii.
Leones seniores.
Leones juniores.
Exculcatores seniores.
Sagittarii Tungri.
Exculcatores juniores.
Tubantes.
Salii.

A Grati.
Felices seniores.
Felices juniores.
Gratianenses seniores.
Invicti seniores.
Augustei.
Jovii juniores.
Victores juniores.
Batavi juniores.
Bructeri.
Ampsivarii.
Gratianenses juniores.
B Valentinianenses juniores.
Rheti.
Sequani.
Sagittarii Venatores.
Latini.
Sabini.
Brachati juniores.
Honoriani Atecotti seniores.
Honoriani Marcomanni seniores.
Honoriani Marcomanni juniores.
Honoriani Atecotti juniores.
C Brisigavi seniores.
Brisigavi juniores.
Honoriani Mauri seniores.
Honoriani Mauri juniores.
Celtæ juniores.
Invicti juniores Britanniciani.
Batavi.
Exculcatores juniores Britanniciani.
Felices Valentinianenses.
Mattiaci juniores Gallicani.
Salii Gallicani.
Sagittarii Nervii Gallicani.
D Jovii juniores Gallicani.
Seguntienses.
Galli Victores.
Honoriani Victores juniores.
Honoriani Ascarii seniores.
Felices juniores Gallicani.
Atecotti juniores.
Tungri.
Honoriani Gallicani.
Mauritonantes juniores.
Mauritonantes seniores.

E

Legiones Comitatenses triginta duæ.

Menapii seniores.
Fortenses.
Propugnatores seniores.
Armigeri defensores seniores.
Septimani seniores.
Regii.
Pacatianenses.
Vesontes.
Mattiarii juniores.
Mauri cetrati.
F Vndecimani.
Secundani Italiciani.
Germaniciani juniores.
Tertiani sive Tertia Italica.
Tertia Herculea.
Lancearii Gallicani Honoriani.

Propugnatores juniores.
Legio secunda Britannica, sive Secundani.
Septimani juniores.
Præsichantes, aliàs Præsidiantes.
Vrsarienses.
Cortoriacenses.
Geminiacenses.
Honoriani Felices Gallicani.
Tertia Julia Alpina.
Prima Flavia Pacis.
Secunda Flavia Virtutis.
Tertia Flavia Salutis.
Flaviæ Victrices Constantinæ, id est, Constantici.
Secundæ Flaviæ Constantiniani tertio.
Augustani.
Fortenses.

Pseudo-Comitatenses decem & octo.

Legio prima Alpina.
Legio secunda Julia Alpina.
Lancearii Lauriacenses.
Lancearii Comagenenses.
Taurunenses.
Antianenses.
Pontinenses.
Prima Flavia Gallicana Constantia.
Martenses.
Abrim Cateni.
Defensores seniores.
Maurosismiaci.
Prima Flavia Metis.
Superventores juniores.
Constantiaci.
Corniacenses.
Septimani.
Romanenses.
Officium suprascripti Magistri peditum Præsentalis.
Princeps.
Numerarius.
Commentariensis.
Adjutor.
Regerendarius.
Exceptores, & reliqui Apparitores.

CAP. XIX.

DE MAGISTRO PEDITVM *in Præsenti Occidentis.*

COMMENTARIVM.

SCisso inter Valentinianum, & Valentem fratres Imperio in Thraciis in Næsi suburbio Mediana appellato, etiam exercitus, ac numerorum Comites, Magistrosque militum inter se sunt partiti, ait Marcellinus lib. XXVI. cap. V. Quare legiones & Auxilia plura ejusdem nominis, tam in Oriente quàm Occidente reperiebantur, quæ pristinum nomen retinuerunt. Itaque non modò legiones Palatinæ, Comitatenses, & Pseudo-Comitatenses, auxiliaque Palatina utrobique recitantur, sed plerumque iidem numeri & cohortes eodem nomine repetuntur, aliquibus exceptis, quæ uno tantùm in loco inveniuntur. Idem vexillationibus evenit, quæ sub utriusque imperii Comitibus & Ducibus in cuneos, & equitum numeros duplicatæ leguntur. Sed Occidentis Magistri præsentales in quibusdam ab Orientalibus variarunt. Hi enim mixtim peditibus equitibusque præfuere. At in Occidente alter equitibus, peditibus alter imperavit, quemadmodum olim à Constantino etiam in Oriente institutum fuisse auctor est Zosimus: Item ibi præter duos præsentales, tres alii magistri instituti fuère; hic post præsentales unus tantùm per Gallias Magister equitum dictus fuit. In Occidente quoque Magistri tam limitaneis Comitibus, & Ducibus, quam aliis Tribunis Præfectisque præerant, quod in Oriente non observabatur, cujus limites à Quæstore ordinabantur, *l. 1. & 2. Cod. de offic. Quæstor.* Sed & Magister equitum in Galliis, pluribus peditum equitumque ab utroque præsentali copiis acceptis, Gallias sibi commissas tuebatur. Itaque præter unam vexillationem, & decem numeros, quos proprios habebat, cæteros milites sibi à præsentalibus missos mutuabatur. Præcipuos etiam cohortales ex illorum officiis accipiebat, quibus illis subesse arguebatur. item Comites & Duces, etsi à Magistro & ipsi equites accipiebant, proprias tamen alas, cohortes, & numeros regebant, qui apud Magistros fuisse non inveniuntur. Hic Magister etiam Comes vocabatur, *l. 1. C. de offic. magistr. milit.* Sed prior titulus plus auctoritatis habebat. Marcellinus loco cit. *Equitatui*, inquit, *Illyriciano præponitur exercitui, nondum Magister, sed Comes*, id est, nondum erat illustris, sed spectabilis, aut paulo major. Præter duos Præsentales, alterum peditum, alterum equitum in Italia, & tertium equitum in Galliis, nullus in Occidente Magister militum reperiebatur, sed in Hispania unus Comes, & alter in Britannia loco Magistrorum, *l. 4. Cod. Theod. de Decurio.* numeris imperabant, quod à Constantino usque ad Honorium Imper. observatum fuit, donec illæ provinciæ sunt amissæ. Demum extincto penè Occidentali Imperio, Leo Imperator, Dalmatia recepta, proprium Magistrum in ea constituit, *l. 5. C. de bon. quæ liber.* Officium Magistri peditum in præsenti Occidentis, continebat Principem, Numerarium, Commentariensem, Adjutorem, Regerendarium, Exceptores, ac reliquos Apparitores, ut alii Orientis Magistri, habebat. Hic adjutor vocatus apud Magistros militum Orientis dicitur Primiscrinius, qui deinde Numerarius fiebat. Is fortè sententias Magistri scribebat, & ejus tribunali præerat, cujus sententias capitales executioni mandari curabat, velut Cornicularius apud civiles Magistratus, quo hic Magister carebat. Aliquando sedis Adjutor dicitur, *l. ult. Cod. de off. præfect. urb.* quandoque Primiscrinius, *leg. 1. Cod. de Sportul.* quandoque Subadjuva, *l. 1. §. in scrinio primiscrinus. Cod. de off. P.P. Afr. l. fin. Cod. de agend. in reb.* in sequente tamen Magistro equitum Adjutor diversus à Primiscrinio ponitur, quo hic Magister caruisse videtur, nisi codex est mendosus. Regerendarius vero apud eosdem Magistros Orientis Scriniarius nuncupatur, qui & Epistolaris & Libellensis vocatur, *l. præcipimus, §. 1. & §. penult. Cod. de appellat.* Ab actis Magistri militum carebant, ut Orientales, quod ipsorum tribunalia nullam instrumentis, aut aliis actibus auctoritatem tribuerent, quemadmodum apud civiles judices fiebat. Ex hoc officio circiter XXX. singulis annis accipiebantur, qui in Comitum, & Ducum officiis, Principes, Commen-

mentarienses, & Numerarii essent. Idem fiebat in officio Magistri equitum, ut infra videbitur.

Insignia eadem, quæ Magistri Orientales, hic gestabat. In meo codice liber mandatorum auro tectus, aureum item caput Principis in tergo continet: In manuscriptis eodem modo se habent, quemadmodum in Magistris Orientis. Imperabat hic Magister Legionibus Palatinis VII. Auxiliis LXV. Legionibus Comitatensibus XXXII. Pseudo-Comitatensibus XVIII. Itaque ponendo M. in singulis legionibus, quot singulas Præfecturas hoc tempore continuisse Constantinus Porphyrogenneta scribit, efficiunt sexaginta duo millia virorum. Auxilia quot continerent, sciri non potest, sed vix pauciores C. singula habuisse credendum est, quæ fuissent sex millia quingenti, simul juncti efficiunt peditum LXVIII. millia D. His accedunt XXXVI. Præfecturæ, & VII. Tribunatus in Italiæ, Galliarum, & Hispaniæ limitibus positi, quibus hic Magister imperabat, quæ efficiunt circiter triginta novem millia D. pedites, simul juncti CVIII. millia militum constituerent: imperabat & VI. classibus, de quibus in fine operis dicetur. Appianus in *Libyc. histo.* post princ. si non est mendosus, scribit Hadrianum, cujus tempore ipse vixit, ducenta millia peditum, quadraginta millia equitum, trecentos elephantes bellicosos, curruum ad prælia instructorum duo millia, & armorum in supplementum trecenta millia habuisse. Classem vero navium minorum duorum millium. Triremium à sesclnpis in quinquiremes mille quingentarum. Instrumentorum navalium numerum bis totidem, & naves octoginta, partim auro proris, partim puppibus exornatas, quibus Imperatores vehi consueverant. Et hæc erat pacis tempore Rom. Imperii custodia. Verum ingruentibus in Valentinianum, sub quo hæc Notitia scripta est, hostibus, militiam augeri oportuit, sed etsi plures existiment, Appianum loqui de Romano Imperio, verendum est, ne loquatur de regibus Ægypti: nullibi enim constat Rom. Principes elephantes aluisse, aut curribus ante Hadrianum pugnasse. Priusquam verò copiæ militum recenseantur, sex Comitum, & duodecim Ducum Occidentis iterum catalogus à Notitia præmittitur, qui etiam indici insertus fuerat, sed uterque est mendosus: In hoc enim Sequanici & Armoricani Duces ante Belgicam secundam collocandi desiderautur, & Dux Germaniæ primæ antepenultimum in indice locum tenet, cujus nulla infra fit mentio: ideo autem horum elenchus retexitur, quia tanquam Magistro peditum parentes, ut sub ejus sunt dispositione, erant nominandi. His militum numeri annectuntur, quorum primi sunt XII. Palatinæ legiones. In Oriente verò cum Magistris Duces non subessent, semel in indice recensentur.

CAP. XX.

DE XII. PALATINIS LEGIONIBUS MAGISTRI MILITUM *Præsentalis Occidentis.*

EX XII. Palatinis legionibus, VIII. Magister peditum Præsentalis in Italia ipse retinebat, unam Magistro equitum per Gallias concedebat, Comiti Africæ tres; sunt autem sequentes.

I. JOVIANI SENIORES. Hæc legio in Oriente non reperitur: In Italia sub ejus Comite, sicut & quinque legiones sequentes, militabat. *Purpuream gestabat aquilam in parma cærulea, duoque erant pro margine circuli, ruber interior, exterior luteus*, prout Pierius lib. XIX. c. penult. describit: eodem modo se habent manuscripti codices, sed in meo exemplari parma est alba, nullusque in extremitate apparet circulus. Joviani juniores una ex sex palatinis legionibus sub Magistro Præsentali Orientis, eodem modo aquilam, sed diversi coloris habebant, quorum clypei marginem tres circuli ambibant, cujus argumentum ibi expressimus. Sozomenus lib. VI. scribit Jovianos, & Herculeanos duas fuisse cohortes ex primariis militibus constitutas, quæ Imperatorem proximè à tergo præsidii causa sequebantur. Apud Comitem Italiæ fortè pro Jovianis infra Jovii seniores sunt scripti.

II. HERCULIANI seniores & ipsi *Aquilam, sed cæruleam, alis sparsis in rubra parma gestant, cujus latus circulus lutei coloris marginem cingit, quem nigra linea circundata in partes duas aquè distantes dissecabat*: ita Pierius eod. lib. cap. XXIX. Aquila Imperium Romanum refert, quod unum esse per circulum significatur, etsi divisum, ut linea nigra insinuat: interpretor enim circulos etiam cum extrema clypei cingunt, unitatem & perpetuitatem denotare. In meo codice aquila est lutea in alba parma, & rubeus albusque circuli marginem ambiunt, ut in manuscriptis, qui utriusque Romani Imperii conjunctionem, unitatemque portendunt. Herculiani juniores una ex sex palatinis legionibus Magistri militum Præsentalis Orientis idem aquilæ insigne habebant.

III. DIVITENSES seniores à Diveto Siciliæ oppido dicti. *In rubea parma umbone globum luteum rubro luteoque circulo clausum praferunt. Marginem albus luteus ambit*: Orbem Romanum duplici conjunctoque Imperio regi significat. Exterior circulus, ut sæpe umbilico concolor majorem indicat concordiam. Pierius lib. XXI. cap. XIX. hanc legionem in Galliis mansisse scribit, & insigne cærulei accipitris, colore tamen dilutiore, cum tauro gestasse. Accipiter volatu cæteras aves antecellens, gloriam victoriamque insinuat, & cæruleus color, altitudinem: taurus verò laborem, per quem ad gloriam, & victoriam pervenitur. Duo hæc animalia pro duobus Principibus Imperii, ad gloriam laborantibus, ponuntur. Divitenses Gallicani inter XXI. Legiones Magistri militum per Thracias reperiuntur: & Dalmatæ Divitenses sub Duce Daciæ Ripensis.

IV. TONGRICANI seniores ex Tongris, Germaniæ secundæ populis lecti, *idem ferè* gerunt *insigne*, quod Divitenses, nisi quod horum *clypei marginem, duo, luteus, & viridis, circuli cingunt*: Manuscripti in coloribus variant. Duplicis Romani Imperii connexitas, perpetuitasque indicatur. Hi non sunt in Oriente: Tungricani Divitensibus à Marcellino lib. XXVI. c. VI. conjunguntur: *Divitenses*, inquit, *Tungricanosque juniores ad procinctum urgentem per Thracias inter alios celerare dispofuit*. Item lib. XXVII. c. I. *Severianus*, ait, *Comes apud Cabilona Divitensibus præsidebat, & Tungricanis.*

V. PANNONICIANI seniores gestant *idem insigne, quod Gratianenses*, aut secunda Flavia Gemina legio in Oriente, sub Magistro militum per Thracias; nisi quod hic *octo trabes, duplicem orbem firmant, ibi septem*. Manuscripti coloribus varii sunt. Ursinianus conjunctos aggeres orbem munientes habet. Pannoniciani verò juniores, una ex XXI. legionibus Comitatensibus Magistri militum per Thracias in Oriente reperiuntur. Hi numeri utrobique duplicati, sæpe hic seniores, ibi juniores, id est, posteriores nominantur.

VI. MOESIACI seniores, ex Mœsia deducti: Mœsicos Marcellinus & Tacitus appellant, *Hist.* lib. II. c. XLIV. *Fremebant*, inquit, *venire Mœsicas legiones*, maxi-

maximam exercitus partem Bedriaci remansisse, qui pro Othone contra Vitellium stabant. Marcellinus lib. xx. cap. I. *Moto*, inquit, *velitari auxilio, Ærulis scilicet, & Batavis, Numerisque Mœsiacorum pluribus, Constantius Bononiam venit.* Hanc legionem idem commendat lib. xxix. cap. ult. & cum Pannonica præcedente conjungit: *Obviam*, ait, *mota sunt legiones duæ, Pannonica & Mœsiaca, valida præliis manus.*

Gestabant in *clypeo rubro aureum orbem, alio cœruleo inclusum, quem à tribus lateribus, tres lutei cippi æqualiter distantes fulcire videntur*: id tres orbis partes adversus hostem undique muniri significat. Cippi enim firmitatem insinuant. Manuscripti, cippos albos ostendunt: Madrucianus, globum interiorem decussatum, quod Imperii divisionem, utriusque Principis unione firmatam portendit. Id genus symboli, apud alios etiam invenitur, ut in Armigeris senioribus & junioribus: Quid simile habent & Octavani, & Pannoniciani proximè explicati. Hi non sunt in Oriente. Morsiciani vitio typographi infra inter XII. legiones palatinas appellantur.

VII. ARMIGERI propugnatores seniores, pro insigni, in *parma viridi, quatuor orbes luteos praferunt, qui globum aureum rubro & luteo circulo cinctum fulciunt:* à quatuor partibus mundum munitum esse, & duo Imperia in unum orbem Romanum coire portendunt. Exterior circulus interiori globo, ut sæpe, concolor, idem esse imperium innuit. In Madruciano tres cœrulei aggeres orbes coloribus varios muniunt. Ursinianus albam crucem duos orbes, id est, duo imperia sustinentem ostendere videtur. Hi Comiti Africæ parebant: in Oriente non leguntur.

VIII. SABARIENSES Lancearii, à Sabara Arabiæ Felicis regione delecti, *orbem rubrum in alba*, vel, ut in Madruciano, *in punicea parma gerunt. Marginem luteus ambit circulus:* quod unum & perpetuum esse orbis Rom. Imperium denotat. Ursinianus orbem cœruleum rubro circulo cinctum tenet. Idem insigne habent & Secundani, Germaniciani seniores, Lancearii juniores, & Minervii in Oriente. In Galliis sub Magistro equitum merebant: in Oriente non sunt.

IX. OCTAVANI ab octava legione derivantur, quæ ab Augusto in Pannonia locata, *Augusta* cognominabatur, inde à Claudio in Mœsiam abducta, postea in Italiam pro Vitellio venit: Demum suis sedibus est restituta, Dion lib. LV. *In umbone luteæ parmæ orbem aureum rubra Zona in medio divisum, & rubro circulo cinctum, gestant. Hunc quatuor rubræ peltæ crucis instar, à quatuor partibus æqualiter inter se distantes circumstant*: Id unum esse Romanum Imperium, etsi in Orientem, Occidentemque divisum, & à quatuor mundi partibus defendi indicat: Pelta enim signum est propugnantis, Ruber color Imperii, Luteus fœlicis seculi sunt indices. Hi apud ipsum Magistrum peditum permanserunt: in Oriente non leguntur.

X. THEBAEI *divisum coloribus clypeum, à dextra luteum, a sinistra rubrum gestant. Orbis verò in umbone conversis coloribus a dextra est rubeus, à læva luteus: Marginem rubeus circulus cingit:* Madrucianus puniceum pro rubro habet: Id quoque unum esse Rom. orbis Imperium significat, etsi ob duos imperantes scissum videatur, qui mutuum sibi auxilium præstant. Hi sub Comite Italiæ merebant: Plures in Oriente Thebæorum legiones visuntur, omnes à Thebaide collectæ.

A XI. CIMBRIANI à Cimbris Germaniæ populis, qui Cimbricam Chersonesum incolebant, lecti. Horum, & Sabariensium *idem ferè est insigne: parma enim rubea luteum orbem*, Sabarienses in alba rubrum tenent. Madrucianus puniceam parmam ostendit. Hi & sequentes sub Comite Africæ militabant.

XII. ARMIGERI propugnatores juniores, *idem ferè* & ipsi *insigne* habent, quod Mœsiaci, *nisi quòd* in istorum *cœrulea parma orbis aureus, luteo, rubeoque circulo clauditur: sed nullo margo parmæ cingitur.* In Oriente non reperiuntur. Et hæc de duodecim legionibus Palatinis: Nunc ad

B sexaginta quinque auxilia item Palatina est veniendum.

CAP. XXI.

DE AUXILIIS PALATINIS LXV. *Magistri peditum Præsentalis per Occidentem.*

AUXILIA LXV. sub hoc Magistro infra in catalogo numerorum recensentur, symbola verò tantùm LXI. repræsentantur, quare aliquot insignia deesse oportet: quatuor enim, scilicet Exculcatores seniores, Sagittarii, Tungri, Exculca-

C tores juniores in catalogo post viginti quatuor auxilia locati, & Brachati juniores, tricesimum octavum locum tuentes, suis symbolis destituuntur. Auxilia LXV. sequuntur.

I. CORNUTI seniores in *parma lutea gestabant rubrum cippum, duo ejusdem coloris cornua emittentem, quæ in summo instar lunæ flectuntur:* Duos Imperatores conjunctos portendunt. Sed Pierius lib. xv. cap. XXXI. aliud Cornutorum insigne describit: nempe, *parmam totam luteam, sed nigro circulo aliquantulum interius circumducto, in cujus medio angues rubri duo, non è baculo, sed velut è cippo quodam identidem rubro emissi ad osculum incurva-*

D *bantur. In cippi medio ancile parvum erat colore depictum luteo, duabus in medio nigris lineis, à dextra ad lævam parallelum dissecantibus, in superiore cujus parte T. Centurionis signum notatum erat:* Hæc Pierius. Id est duplicis Principis unicum Imperium, quod ex duobus serpentibus ab eodem cippo prodeuntibus insinuatur. Duæ parallelæ lineæ divisum orbis Imperium, unum permansisse indicant. T. vero non Centurionis, sed crucis signum esse arbitror, quod Principes tuetur: est enim salutis signum, *Ezech.* x. Ancile orbem Romanum à Principibus defendi significat. Idem ferè est in-

E signe aliorum Cornutorum ex XVIII. Auxiliis secundi Magistri militum Præsentalis in Oriente. A Cornuto oppido *Cornutos* vocatos fuisse diximus. Hi cum quinque sequentibus in Italia manebant.

II. BRACHATI seniores, à Bracha, urbe Hispaniæ nominati. Vetustus codex pro his ubique legit *Brachiatos. In parma cœrulea, bina cornua lutea*, ut superiores, *sed duplicata ex eodem cippo luteo prodeuntia habebant*: quæ sunt duplicis Imperii typus. *Rubeus circulus marginem complectitur.* Similis est clypeus Valentinianensium sub Magistro militum per Thracias. Apud Magistrum peditum resident. Brachati juniores in Oriente sunt ex

F XVIII. Auxiliis Palatinis Magistri militum Præsentalis.

III. PETULANTES seniores: *In parma lutea idem* fermè *insigne* habent, *cornua ex luteo cippo prodeuntia, & orbem item luteum alte complectentia.* Hoc solo differunt quod *horum cippus est albus, cornua item alba*, sed in manuscriptis cœrulea, & quem-

quemadmodum in Brachatis duplicia. Is duplicis Imperii unum orbem complectentis est typus. Petulantes juniores, sub Magistro militum Illyrici, inter sex auxilia Palatina in Oriente reperiuntur, in Occidente suum Magistrum peditum sequuntur. Hos, & sequentes, sæpe Marcellinus conjungit, ut mox dicetur.

IV. CELTÆ seniores, eodem modo *in rubro clypeo, duos luteos Dracones ex eodem cippo exeuntes, & capita in summo sibi admoventes tenebant.* Idem insigne gestabant Cornuti, sub Magistro militum Præsentali in Oriente. De Celtis, & sequentibus, ita Marcellinus lib. XX. cap. IV. loquens de Constantio: *Misit auxiliares Herulos, & Batavos, cumque Petulantibus Celtas.* Ex eodem loco: *Aliquis palatii Decurio signa Petulantium ingressus atque Celtarum.* Sunt Galli, quos *Celticos* Sozomenus lib. III. appellat: Cæsar, *Celtas.*

V. HERULI seniores, *in umbone lutei clypei*, vel ut in manuscriptis albi, *argenteum umbilicum rubro circulo inclusum habebant. Alius circulus rubens marginem circuibat:* Id uno imperio orbem Romanum contineri denotabat, quod sub diversis typis sæpissime significatur. Herulos fortissimam gentem in Sarmatia supra Istrum flumen habitasse Procopius *de bello Gothico* scribit. Cum Turingis sub Odoacre Rege, Italiam aliquot annis tenuere. Herulos, & Batavos, *velitare auxilium* Ammianus appellat, lib. XX. paulo post prin. *Moto ergo velitari auxilio Herulis scilicet & Batavis, numerisque Mæsiacorum Dux Bononiam venit.* Item lib. XXVII. cap. I. *Herulorum*, inquit, *Batavorumque vexillum direptum:* simul enim militabant.

VI. BATAVI seniores, in *rubra parma album gestabant cippum, qui orbem rubrum, in imo turbinatum sustinebat.* Ursini codex, duplicem cuspidem, alteram alteri insitam ostendit. acutus turbo, Barbaros pungendos ab orbe Romano insinuat. Hi Comiti Italiæ obsequebantur. In Oriente quoque inter XVIII. auxilia Palatina primi Magistri militum Præsentalis militabant, sicut & sequentes.

VII. MATTIACI seniores: his *quatuor catenæ ex luteis orbiculis composita, in albo clypeo crucem formabant: Luteus item orbiculus in medio umbilicum luteum continebat.* Nobile inventum, quo per crucem utrinque connecti Romanum imperium, & in omnibus ejus partibus charitate conjungi significatur, sicut ex connexis orbiculis catena colligitur. Totum symbolum est concolor, ad eandem utriusque Principis ostendendam voluntatem. Luteus color seculi fœlicitatem insinuat. Hæc VII. auxilia, cum pluribus ex sequentibus sub Comite Italiæ merebant. Reperiuntur & in Oriente Mattiaci sub primo Magistro militum Præsentali.

VIII. ASCARII seniores, seu ASCERII, ab Ascera urbe Hispaniæ profecti, *idem* omnino *insigne* cum præcedentibus gerebant. Hi & sequentes cum Comite Hispaniarum militabant, ex copiis Magistri militum Orientalis Illyrici, inter sex auxilia palatina censebantur.

IX. ASCARII juniores, *purpureum aprum horrentibus setis supra pilam auream, in cærulea parma præferebant:* Id bellicam ferocitatem Principis orbem tuentis indicat. Ea est enim apri natura, ut provocatus non fugiat, sed pugnam ferox ineat: unde bellicæ ferocitatis est symbolum, Pierius lib. IX. Purpureus pingitur, quia hic color est Principis proprius. Idem ferè insigne infra tenent Batavi juniores. In Ursini exemplari, pro apro canis rubeus hostibus allatrat.

X. JOVII seniores, *in cæruleo clypeo aureum orbem gestabant*, de quo, & horum nomine, supra dixi. Simile symbolum præferebant Sabarienses sub hoc Magistro: Hi, & sequentes, sub Comite Italiæ merebant. In Oriente non reperiuntur. De Joviis Marcellinus lib. XXVI. cap. VII. *Agmina*, inquit, *duo præcedere jussit, quibus nomina sunt Jovii, atque Victores.*

XI. CORNUTI juniores, *hominem viridem, & alatum, qua victoria est, in alba parma præferebant*, quemadmodum infra Bructeri. Triplici circulo, duobus rubris, & medio luteo margo circundatur: Id perpetuum est virentis victoriæ Principum symbolum. Duo rubei circuli, medium luteum tenentes, duorum Principum arctam, in unum & idem imperium perpetuamque conjunctionem insinuant: medius circulus imperii divisionem demonstrat. Verum Pierius lib. XXV. cap. XLVIII. hos milites Asionem prassini coloris, quod est noctuæ genus, in orbiculo luteo habuisse scribit, quem cæruleus ambitus latè complectebatur, à quo mox arctior, & ipse luteus, & alius circa marginem extremus ruber cingebatur. Hæc ales Minervæ sacra victoriam, prudentiamque significat. Cornuti Comitem Italiæ sequuntur, à Cornuto Illyrici oppido dicti, ubi Cornutensis scutaria fabrica exercebatur.

XII. SAGITTARII NERVII. Horum *parma coloris est prassini, rubro circumducta limbo, medium occupabat orbis luteus, in quo angues purpurei, rubro coalitis, fulcimento ad osculum in circuli formam se incurvabant:* prout describit Pierius lib. XV. *Hieroglyph.* cap. XXXIV. Hoc ipse habet pro dimidio caduceo pacem præ se ferente. Verum purpurei angues, sunt Romani Imperii duo concordes Principes referentes. Luteus in orbe color, ut sæpe dictum, sæculi fœlicitatem, & Imperii vigorem demonstrat. Purpureus vero est Imperatoris proprius. Hi Comiti Hispaniarum inserviebant. In Oriente non visuntur. Nervii erant Belgicæ Galliæ populi, de quibus hæc Marcellinus lib. XXXI. cap. II. *Inter hos, Nervii mediterranea incolunt loca, vicini verticibus celsis, quos præruptos, geluque torpentes Aquilones astringunt.*

XIII. LEONES seniores, à ferocitate, vel à Leono Marmaricæ oppido vocati, idem ferè habent insigne, quod legio prima Flavia Constantia sub Magistro militum per Orientem, solum coloribus differunt: *Hi enim in parma viridi orbem item viridem, rubro circulo inclusum*, unionis utriusque Romani Imperii typum gestant: In cæteris conveniunt. In Galliis cum Magistro Equitum merebant, in Oriente non leguntur.

XIV. LEONES juniores, *in cæruleo clypeo duplicem purpureum orbem, duplici cippo ejusdem coloris prefixum tenent: supra est luteum hominis caput*, quod Principis, vel divinam providentiam in utrumque orbis Imperium demonstrat. Caput enim pro Deo poni Pierius tradit, & supra in armariis in medio utriusque Imperii repræsentatis id exprimitur. Hi & sequentes, cum Comite Italiæ merebant. In Oriente non sunt.

XV. EXCULCATORES seniores, sagittarii Tungri, & Exculcatores juniores infra in catalogo auxiliorum bis recensiti, hîc in albo symbolorum omittuntur, *nullumque insigne* tenent: Infra verò alii Exculcatores juniores Britanniciani post Batavos juniores sua quidem symbola gestant, sed ab his differunt. *Exculcatores* autem dicti, quasi calcantes & atterentes hostes, aut quasi exculcantes pulverem hostibus, ut apud Plautum in *Captivis* parasitus minitans pistoribus, ait:

maximam exercitus partem Bedriaci remansisse, qui pro Othone contra Vitellium stabant. Marcellinus lib. xx. cap. 1. *Moto*, inquit, *velitari auxilio, Ærulis scilicet, & Batavis, Numerisque Mœsiacorum pluribus, Constantius Bononiam venit.* Hanc legionem idem commendat lib. xxix. cap. ult. & cum Pannonica præcedente conjungit: *Obviam*, ait, *mota sunt legiones duæ, Pannonica & Mœsiaca, valida præliis manus.*

Gestabant in *clypeo rubro aureum orbem, alio cæruleo inclusum, quem à tribus lateribus, tres lutei cippi æqualiter distantes fulcire videntur*: id tres orbis partes adversus hostêm undique muniri significat. Cippi enim firmitatem insinuant. Manuscripti, cippos albos ostendunt: Madrucianus, globum interiorem decussatum, quod Imperii divisionem, utriusque Principis unione firmatam portendit. Id genus symboli, apud alios etiam invenitur, ut in Armigeris senioribus & junioribus: Quid simile habent & Octavani, & Pannoniciani proximè explicati. Hi non sunt in Oriente. Morsiciani vitio typographi infra inter xii. legiones palatinas appellantur.

vii. Armigeri propugnatores seniores, pro insigni, in *parma viridi, quatuor orbes luteos præferunt, qui globum aureum rubro & luteo circulo cinctum fulciunt:* à quatuor partibus mundum munitum esse, & duo Imperia in unum orbem Romanum coire portendunt. Exterior circulus interiori globo, ut sæpe, concolor, idem esse imperium innuit. In Madruciano tres cœrulei aggeres orbes coloribus varios muniunt. Vrsinianus albam crucem duos orbes, id est, duo imperia sustinentem ostendere videtur. Hi Comiti Africæ parebant: in Oriente non leguntur.

viii. Sabarienses Lancearii, à Sabara Arabiæ Felicis regione delecti, *orbem rubrum in alba*, vel, ut in Madruciano, *in punicea parma gerunt. Marginem luteus ambit circulus*: quod unum & perpetuum esse orbis Rom. Imperium denotat. Vrsinianus orbem cœruleum rubro circulo cinctum tenet. Idem insigne habent & Secundani, Germaniciani seniores, Lancearii juniores, & Minervii in Oriente. In Galliis sub Magistro equitum merebant: in Oriente non sunt.

ix. Octavani ab octava legione derivantur, quæ ab Augusto in Pannonia locata, *Augusta* cognominabatur, inde à Claudio in Mœsiam abducta, postea in Italiam pro Vitellio venit: Demum suis sedibus est restituta, Dion lib. lv. *In umbone lutea parma orbem aureum rubra Zona in medio divisum, & rubro circulo cinctum, gestant. Hunc quatuor rubra pelta crucis instar, à quatuor partibus æqualiter inter se distantes circumstant*: Id unum esse Romanum Imperium, etsi in Orientem, Occidentemque divisum, & à quatuor mundi partibus defendi indicat: Pelta enim signum est propugnantis, Ruber color Imperii, Luteus fœlicis seculi sunt indices. Hi apud ipsum Magistrum peditum permanserunt: in Oriente non leguntur.

x. Thebaei *divisum coloribus clypeum, à dextra luteum, à sinistra rubrum gestant. Orbis verò in umbone conversis coloribus à dextra est rubeus, à læva luteus: Marginem rubeus circulus cingit*: Madrucianus puniceum pro rubro habet: Id quoque unum esse Rom. orbis Imperium significat, etsi ob duos imperantes scissum videatur, qui mutuum sibi auxilium præstant. Hi sub Comite Italiæ merebant: Plures in Oriente Thebæorum legiones visuntur, omnes à Thebaide collectæ.

xi. Cimbriani à Cimbris Germaniæ populis, qui Cimbricam Chersonesum incolebant, lecti. Horum, & Sabariensium *idem ferè est insigne: parma* enim *rubea luteum orbem*, Sabarienses in alba rubrum tenent. Madrucianus puniceam parmam ostendit. Hi & sequentes sub Comite Africæ militabant.

xii. Armigeri propugnatores juniores, *idem* ferè & ipsi *insigne* habent, quod Mœsiaci, *nisi quòd in* istorum *cærulea parma orbis aureus, luteo, rubeoque circulo clauditur: sed nullo margo parma cingitur.* In Oriente non reperiuntur. Et hæc de duodecim legionibus Palatinis: Nunc ad sexaginta quinque auxilia item Palatina est veniendum.

Cap. XXI.

DE AVXILIIS PALATINIS LXV.

Magistri peditum Præsentalis per Occidentem.

Auxilia lxv. sub hoc Magistro infra in catalogo numerorum recensentur, symbola verò tantùm lxi. repræsentantur, quare aliquot insignia deesse oportet: quatuor enim, scilicet Exculcatores seniores, Sagittarii, Tungri, Exculcatores juniores in catalogo post viginti quatuor auxilia locati, & Brachati juniores, tricesimum octavum locum tuentes, suis symbolis destituuntur. Auxilia lxv. sequuntur.

i. Cornvti seniores in *parma lutea gestabant rubrum cippum, duo ejusdem coloris cornua emittentem, quæ in summo instar lunæ flectuntur*: Duos Imperatores conjunctos portendunt. Sed Pierius lib. xv. cap. xxxi. aliud Cornutorum insigne describit: nempe, *parmam totam luteam, sed nigro circulo aliquantulum interius circumducto, in cujus medio angues rubri duo, non è baculo, sed velut è cippo quodam identidem rubro emissi ad osculum incurvabantur. In cippi medio ancile parvum erat colore depictum luteo, duabus in medio nigris lineis, à dextra ad lævam parallelum dissecantibus, in superiore cujus parte T. Centurionis signum notatum erat*: Hæc Pierius. Id est duplicis Principis unicum Imperium, quod ex duobus serpentibus ab eodem cippo prodeuntibus insinuatur. Duæ parallelæ lineæ divisum orbis Imperium, unum permansisse indicant. T. vero non Centurionis, sed crucis signum esse arbitror, quod Principes tuetur: est enim salutis signum, *Ezech.* x. Ancile orbem Romanum à Principibus defendi significat. Idem ferè est insigne aliorum Cornutorum ex xviii. Auxiliis secundi Magistri militum Præsentalis in Oriente. A Cornuto oppido *Cornutos* vocatos fuisse diximus. Hi cum quinque sequentibus in Italia manebant.

ii. Brachati seniores, à Bracha, urbe Hispaniæ nominati. Vetustus codex pro his ubique legit *Brachiatos. In parma cærulea, bina cornua lutea*, ut superiores, *sed duplicata ex eodem cippo luteo prodeuntia habebant*: quæ sunt duplicis Imperii typus. *Rubeus circulus marginem complectitur.* Similis est clypeus Valentinianensium sub Magistro militum per Thracias. Apud Magistrum peditum resident. Brachati juniores in Oriente sunt ex xviii. Auxiliis Palatinis Magistri militum Præsentalis.

iii. Petvlantes seniores: *In parma lutea idem fermè insigne habent, cornua ex luteo cippo prodeuntia, & orbem item luteum alte complectentia.* Hoc solo differunt quod *horum cippus est albus, cornua item alba*, sed in manuscriptis cœrulea, & quem-

quemadmodum in Brachatis duplicia. Is duplicis Imperii unum orbem complectentis est typus. Petulantes juniores, sub Magistro militum Illyrici, inter sex auxilia Palatina in Oriente reperiuntur, in Occidente suum Magistrum peditum sequuntur. Hos, & sequentes, sæpe Marcellinus conjungit, ut mox dicetur.

IV. CELTÆ seniores, eodem modo *in rubro clypeo, duos luteos Dracones ex eodem cippo exeuntes, & capita in summo sibi admoventes tenebant.* Idem insigne gestabant Cornuti, sub Magistro militum Præsentali in Oriente. De Celtis, & sequentibus, ita Marcellinus lib. XX. cap. IV. loquens de Constantio: *Misit auxiliares Herulos, & Batavos, cumque Petulantibus Celtas.* Ex eodem loco: *Aliquis palatii Decurio signa Petulantium ingressus atque Celtarum.* Sunt Galli, quos *Celticos* Sozomenus lib. III. appellat, Cæsar, *Celtas.*

V. HERULI seniores, *in umbone lutei clypei*, vel ut in manuscriptis albi, *argenteum umbilicum rubro circulo inclusum habebant. Alius circulus rubens marginem circumibat:* Id uno imperio orbem Romanum contineri denotabat, quod sub diversis typis sæpissime significatur. Herulos fortissimam gentem in Sarmatia supra Istrum flumen habitasse Procopius *de bello Gothico* scribit. Cum Turingis sub Odoacre Rege, Italiam aliquot annis tenuere. Herulos, & Batavos, *velitare auxilium* Ammianus appellat, lib. XX. paulo post prin. *Moto ergo velitari auxilio Herulis scilicet & Batavis, numerisque Mæsiacorum Dux Bononiam venit.* Item lib. XXVII. cap. I. *Herulorum*, inquit, *Batavorumque vexillum direptum:* simul enim militabant.

VI. BATAVI seniores, in *rubra parma album gestabant cippum, qui orbem rubrum, in imo turbinatum sustinebat.* Vrsini codex, duplicem cuspidem, alteram alteri insitam ostendit. acutus turbo, Barbaros pungendos ab orbe Romano insinuat. Hi Comiti Italiæ obsequebantur. In Oriente quoque inter XVIII. auxilia Palatina primi Magistri militum Præsentalis militabant, sicut & sequentes.

VII. MATTIACI seniores: his *quatuor catena ex luteis orbiculis composita, in albo clypeo crucem formabant: Luteus item orbiculus in medio umbilicum luteum continebat.* Nobile inventum, quo per crucem utrinque connecti Romanum imperium, & in omnibus ejus partibus charitate conjungi significatur, sicut ex connexis orbiculis catena colligitur. Totum symbolum est concolor, ad eandem utriusque Principis ostendendam voluntatem. Luteus color seculi fœlicitatem insinuat. Hæc VII. auxilia, cum pluribus ex sequentibus sub Comite Italiæ merebant. Reperiuntur & in Oriente Mattiaci sub primo Magistro militum Præsentali.

VIII. ASCARII seniores, seu ASCERII, ab Ascera urbe Hispaniæ profecti, *idem* omnino *insigne* cum præcedentibus gerebant. Hi & sequentes cum Comite Hispaniarum militabant, ex copiis Magistri militum Orientalis Illyrici, inter sex auxilia palatina censebantur.

IX. ASCARII juniores, *purpureum aprum horrentibus setis supra pilam auream, in cærulea parma preferebant*: Id bellicam ferocitatem Principis orbem tuentis indicat. Ea est enim apri natura, ut provocatus non fugiat, sed pugnam ferox ineat: unde bellicæ ferocitatis est symbolum, Pierius lib. IX. Purpureus pingitur, quia hic color est Principis proprius. Idem ferè insigne infra tenent Batavi juniores. In Vrsini exemplari, pro apro canis rubeus hostibus allatrat.

X. JOVII seniores, *in cæruleo clypeo aureum orbem gestabant*, de quo, & horum nomine, supra dixi. Simile symbolum præferebant Sabarienses sub hoc Magistro: Hi, & sequentes, sub Comite Italiæ merebant. In Oriente non reperiuntur. De Joviis Marcellinus lib. XXVI. cap. VII. *Agminum*, inquit, *duo præcedere jussit, quibus nomina sunt Jovii, atque Victores.*

XI. CORNUTI juniores, *hominem viridem, & alatum, qui victoria est, in alba parma preferebant*, quemadmodum infra Bructeri. Triplici circulo, duobus rubris, & medio luteo margo circundatur: Id perpetuum est virentis victoriæ Principum symbolum. Duo rubei circuli, medium luteum tenentes, duorum Principum arctam, in unum & idem imperium perpetuamque conjunctionem insinuant: medius circulus imperii divisionem demonstrat. Verum Pierius lib. XXV. cap. XLVIII. hos milites Asionem prassini coloris, quod est noctuæ genus, in orbiculo luteo habuisse scribit, quem cœruleus ambitus latè complectebatur, à quo mox arctior, & ipse luteus, & alius circa marginem extremus ruber cingebatur. Hæc ales Minervæ sacra victoriam, prudentiamque significat. Cornuti Comitem Italiæ sequuntur, à Cornuto Illyrici oppido dicti, ubi Cornutensis scutaria fabrica exercebatur.

XII. SAGITTARII NERVII. Horum *parma coloris est prassini, rubro circumducta limbo, medium occupabat orbis luteus, in quo angues purpurei, rubro coaliti, fulcimento ad osculum in circuli formam se incurvabant:* prout describit Pierius lib. XV. *Hieroglyph.* cap. XXXIV. Hoc ipse habet pro dimidio caduceo pacem præ se ferente. Verum purpurei angues, sunt Romani Imperii duo concordes Principes referentes. Luteus in orbe color, ut sæpe dictum, sæculi fœlicitatem, & Imperii vigorem demonstrat. Purpureus vero est Imperatoris proprius. Hi Comiti Hispaniarum inserviebant. In Oriente non visuntur. Nervii erant Belgicæ Galliæ populi, de quibus hæc Marcellinus lib. XXXI. cap. II. *Inter hos, Nervii mediterranea incolunt loca, vicini verticibus celsis, quos praeruptos, geluque torpentes Aquilones astringunt.*

XIII. LEONES seniores, à ferocitate, vel à Leono Marmaricæ oppido vocati, idem ferè habent insigne, quod legio prima Flavia Constantia sub Magistro militum per Orientem, solum coloribus differunt: *Hi enim in parma viridi orbem item viridem, rubro circulo inclusum*, unionis utriusque Romani Imperii typum gestant: In cæteris conveniunt. In Galliis cum Magistro Equitum merebant, in Oriente non leguntur.

XIV. LEONES juniores, *in cæruleo clypeo duplicem purpureum orbem, duplici cippo ejusdem coloris prefixum tenent: supra est luteum hominis caput*, quod Principis, vel divinam providentiam in utrumque orbis Imperium demonstrat. Caput enim pro Deo poni Pierius tradit, & supra in armariis in medio utriusque Imperii repræsentatis id exprimitur. Hi & sequentes, cum Comite Italiæ merebant. In Oriente non sunt.

XV. EXCULCATORES seniores, sagittarii Tungri, & Exculcatores juniores infra in catalogo auxiliorum bis recensiti, hic in albo symbolorum omittuntur, *nullumque insigne* tenent: Infra verò alii Exculcatores juniores Britannicani post Batavos juniores sua quidem symbola gestant, sed ab his differunt. *Exculcatores* autem dicti, quasi calcantes & atterentes hostes, aut quasi exculcantes pulverem hostibus, ut apud Plautum in *Captivis* parasitus minitans pistoribus, ait:

Meis pugnis exculcabo furfures.
Hi saxa fundis in hostes jaculabantur, ense ac telis tantùm instructi, Vegetius lib. II. cap. XV. qui *Exultatores* vocat: *Post hos*, inquit, *erant ferentarii, & levis armatura, quos nunc Exultatores, & Armaturas dicimus:* quasi exultantes, aut hostibus insultantes.

XVI. SAGITTARII Tungri in Germania secunda post Tabudam, seu Scaldam fluvium, nunc *Brabants* dicti, contra Othonem pro Vitellio steterunt, Tacitus *Hist.* lib. II. *Aderant*, inquit, *legati coloniarum auxilium orantes: Duas Tungrorum cohortes misit.* Hi in Oriente non erant. Alii ejusdem nominis infra suum symbolum tenent.

XVII. EXCVLCATORES juniores, & hi *symbolo* carent, sed alii ejusdem nominis infra cum suo insigni referuntur post Batavos juniores, ut suprà dixi.

XVIII. TVBANTES, *idem ferè insigne, quod Leones juniores, ferebant, in alba parma geminatum albumque orbem rubro circulo cinctum, cui cippo item rubro est præfixus, supra est luteum caput humanum, pro barba, & capillis jubas Leonis emittens*, quod perpetuam Principis, vel Dei in duplex Imperium providentiam indicat. Leonis jubæ fortitudinem denotant, clypeum ruber circulus ambit. Hi sub Comite Hispaniarum merebant, sicut & sequentes. Alii Tubantes in Oriente inter decem septem auxilia Palatina primi Magistri Præsentalis militabant, de quorum nomine ibi dictum.

XIX. SALII sunt populi Sarmatarum. Alii sunt in Germanis pars Francorum. Marcellinus loquens de Juliano Parisiis egresso, lib. XVII. cap. VIII. *Petit*, sit, *omnium primos Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios appellavit, ausos olim in Romano solo apud Toxandriam locum, habitacula sibi figere prælicenter.* Hæc ille. A Saliis Germanis hæc auxilia contracta puto. *In cæruleo scuto geminum orbem, alterum cæruleum, alterum album, albo item loro vel*, ut in Vrsini exemplari, fune *circundatos*, & *infra arcto modo constrictos praferunt, cujus capita utrinque pendent, rubeus circulus marginem claudit.* In manuscriptis hoc symbolum clarius repræsentatur: Ingeniosum est commentum, utrinsque Romani Imperii arctam in orbem Roman. conjunctionem indicans: qui unico loro aut fune, id est, Imperio constringitur. funis enim pluribus contortis cordulis connectitur. In Galliis Magistrum equitum sequuntur. In Oriente quoque inter XVIII. auxilia, & ipsa palatina primi Magistri Præsentalis recensentur.

XX. GRATI, *dimidios canes erectos, pedibusque colludentes, in cæruleo clypeo gestabant.* Hoc enim animal nunquam beneficii est immemor, quod & Grati nomine milites se observaturos hoc symbolo promittere dici posset: Sed ego, duos referri Principes puto, duo dimidia Imperia tenentes, qui se complectentes amorem mutuum ostendunt. Clypei marginem albus circulus cingit. Hi & sequentes sub Comite Italiæ merebant. Non sunt in Oriente.

XXI. FOELICES seniores, *insigne præferunt, dimidium cattum rubei coloris in parma punicea, dilutiore colore, qui à margine rubro surrectus pedibus ad lusum compositis adblandiri videtur* · prout Pierius lib. XIII. cap. penult. describit. Per dimidium hoc animal, dimidium Occidentalis Principis Imperium intelligitur, qui ex se, ut felis mures, ita ipse absque alterius auxilio sua dexteritate hostes capiebat. Aliqui credunt, id animal ad vices Lunæ, oculos majores, aut minores habere, significarique idem Imperio Romano evenire, quod Lunæ exemplo plenum est, licet ob divisionem minus videatur; sed longè hæc interpretatio petita videtur. In meo codice viridis est parma, & cattus ferrugineus. In Madruciano est canis albus hostibus allatrans, qui dimidius apparet. Marginem rubeus circulus ambit. A Comite Hispaniarum hi regebantur. Alii in Oriente Fœlices ferè omnes juniores inter auxilia Palatina inveniuntur.

XXII. FOELICES juniores, *in cærulea parma album cippum junctis in spinam piscis fasciis sectum gestant, cui luteum humanum caput cum jubis leonis est præfixum*, quod firmam pro orbe Romano vigilantiam, prudentiamque Principis demonstrat. Leoninæ jubæ robur Imperii insinuant. Junctæ fasciæ quæ Regium diadema referunt, cippo additæ, firmam ac munitam Principum conjunctionem insinuant. Cippus soliditatis est typus. Madrucianus idem alio symbolo significat: Sol enim luteam catenam ex orbiculis compositam, ab imo sursum erectam irradiat, divinum numen Principum concordiæ, in orbem Romanum aspirare innuit: Extrema rubeus circulus claudit. Simile insigne est Victoribus, & Invictis aliis sub hoc Magistro auxiliis. His Fœlicibus Comes Italiæ imperabat, & sequentibus.

XXIII. GRATIANENSES seniores, à Gratiano vel Gratiana Mœsiæ primæ oppido appellati *in clypeo albo humanam faciem lutei coloris cæruleis fasciis circumvolutis cinctam gestabant, rubeus circulus marginem claudit:* quod & ipsum magnam Principum in orbem Romanum providentiam indicat. Fasciæ verò circumligatæ, diademata & vires utriusque Imperii conjunctas insinuant. In manuscriptis à fasciis jubæ pendent, quæ sunt roboris typus. In Madruciano nigra linea circularis capiti apposita orbem refert, in quem invigilatur. Hi sub Comite Italiæ militabant. In Oriente non visuntur.

XXIV. INVICTI seniores, & *ipsi in rubra parma album cippum præferunt, cui humanum caput prassini coloris, jubis leoninis*, ut supra, *circundatum præfigitur, tribusque circulis, albo, luteo, & rubro, margo est circumductus:* Id quoque ope divina, firmam perpetuamque in orbem Principis prudentiam portendit. Simile est insigne Fœlicium juniorum, & infra Victorum. Comiti Hispaniarum parebant. In Oriente sunt Invicti juniores, inter VI. auxilia Palatina Illyrici.

XXV. AVGVSTEIS ab Augusto cognominatis erat *Cattus prassini coloris in alba parma, quem ruber circulus ambibat, latè marginem circumplexus. Gestus felis est, ut currentis, reflexo in dorsum capite:* quemadmodum describit Pierius lib. *Hieroglyph.* XIII. cap. XLIII. Viridis color, vigentem dexteritatem Principis, ad invadendos hostes denotat, quod supra felis proprium esse ostendimus: suum Magistrum peditum sequuntur. His Oriens caret. legionem Augustam cognominatam hoc nomine appellari Agrippa vetuit, quod malè contra Hispanos pugnasset, ut libro LIV. auctor est Dion. Hæc vero fuêre auxilia Augustea dicta.

XXVI. JOVII juniores, suem vel *aprum coloris russi habitu quodam residentis in clunibus, ac reliquo corpore erecto in cæruleo clypeo habebant, cujus marginem ruber circulus ambit:* ita Pierius lib. IX. *Hieroglyphic.* cap. XXVI. Setæ in dorso horrescunt: Hæc est Principis purpureo colore nitentis bellica ferocitas, per aprum indicata, sedensque hostibus minatur, quasi eos etiam quiescens sit supe-

superaturus. Hi sub Comite Illyrici merent. In Oriente non sunt.

XXVII. VICTORES, *in viridi clypeo humanum caput rufum, cippo item rufo præfixum*, ut ferè Invicti seniores sub hoc Magistro gestant. Italiam sub Comite tuebantur cum sequentibus, qui inter XVIII. auxilia Palatina primi Magistri militum Præsentalis etiam in Oriente reperiuntur. Zosimus lib. III. cap. XXII. sub Juliano Apostata Victorum hanc cohortem fuisse scribit.

XXVIII. BATAVI seniores, *in parma tota rubra cæruleos tenent angues, in caducei morem flexos. Anguium verò album est pedamentum, veluti squammis acutis, quatuor altera super alteram scandentibus, quarum apices infernè submittebantur*: prout describit Pierius lib. XV. cap. XXXV. *Hieroglyph.* Similis cippus est supra in Fœlicibus junioribus, id non tam caduceum, quàm firmam duorum Principum in eodem Imperio concordiam denotare arbitror: Squammæ verò implicitæ, vel fasciæ in spinam piscis conversæ, arctam eorum conjunctionem indicant. Et per duos angues, duo Principes insinuantur. Impressus codex squammis caret, quæ sunt in Vrsiniano. Madrucianus transversas lineas cippum cingentes pro squammis habet.

XXIX. BRVCTERI sunt Germaniæ populi, ex quibus hi milites constant. Tacitus *Annal.* lib. I. cap. LI. *Excivit ea sedes Bructeros, Tubantes, Vsipetes.* Idem lib. XIII. cap. LVI. *Illi*, inquit, *Bructeros, Tencteros, ulteriores etiam nationes socias bello vocabant.* Item *Hist.* lib. IV. *Junguntur Bructeri, Tencterique & excita nunciis Germania ad prædam famamque.* Bructeros ad Rhenum à parte Septentrionali Germaniæ habitare Ptolemæus scribit, eos esse Æneas Sylvius in *Europa historia* putat, qui *Pruteni* appellantur. *In parma lutea juvenem purpureum alatum, triplici latiore circulo, medio cæruleo, aliis rubeis circumscriptum gestant.* Id victoriam Principum Roman. alatam, alteque volantem refert. Purpura Imperii Rom. Principum propria est. In Galliis cum Magistro equitum militabant. In Oriente non reperiuntur.

XXX. AMPSIVARII, fortè legendum *Angrivarii*, ut aliqui codices legunt, de quibus sæpè Tacitus, aut Ansibarii, quos Frisiorum agros occupasse Nerone imperante, idem lib. XIII. *Ann.* cap. LV. scribit. Ansuarios Marcellinus vocat lib. XX. cap. X. *Rheno*, inquit, *transmisso regionem pervasit Francorum, quos Ansuarios vocant.* ex his collecti sunt hi milites. *In alba parma, purpureum orbem cippo item purpureo præfixum, & albo limbo cinctum habent. alius purpureus limbus, clypei marginem circundat*, quod & ipsum firmi unitique in orbem Rom. Imperii est typus. Magistrum equitum in Galliis sequuntur. Si pro Ampsivariis Anglevarios substituamus, iidem erunt qui in Oriente leguntur sub primo Magistro militum Præsentali.

XXXI. XXXII. GRATIANENSES juniores, & VALENTINIANENSES juniores, ab ejus nominis Principibus, vel ejus nominis oppidis cognominati.

XXXIII. RETI ex Retiis collecti *omnes idem ferè gerunt insigne, nempe humanum caput pedamento præfixum*, quod vigilantiam, providentiamque Principis in subjectos ostendit. Sed ut in aliquo differant, *primi cæruleam parmam, cum cippo rubro: secundi albam, cum cippo cæruleo: tertii, cæruleam cum cippo albo tenent.* Comitem Italiæ sequebantur. In Oriente non sunt.

XXXIV. SEQVANI ex Galliarum populis desumpti, *orbem aureum rubro circulo inclusum, in viridi*

A *clypeo gestant*, cujus sensum supra in Sabariensibus, Cimbrianis, & Leonibus senioribus, sub hoc Magistro exposui. Cum Comite Illyrici militant. In Oriente non sunt.

XXXV. SAGITTARII Venatores, *accipitrem luteum in parma item lutea tenent*: ita Pierius lib. XXI. cap. XIX. *Hieroglyph.* Sed meum exemplar accipitrem ferrugineum habet. Is volatu alias aves superare fertur: sic & Romanus Princeps alias gentes & hostes vincit. Sed fortè symbolum ad ipsos milites aucupes, aut venatores, est referendum, qui hac ave venabantur. Vnde falsa esset Blondi opinio, qui Fridericum Ænobarbum, dum Par-
B mam obsideret, primum accipitre ad aucupandum usum fuisse autumat. Sub Comite Italiæ militabant, sicut sequentes. Nulli horum sunt in Oriente.

XXXVI. LATINI ex Latinis delecti, eodem modo *in parma lutea accipitrem habebant*, sed hoc discrimine, quod *Sagittariorum accipiter in alam lævam spectabat, Latinorum in dextram.* Pierius, in loco proximè supra citato, hos *Launos*, pro Latinis appellat: sed arbitror corruptum ejus codicem fuisse: Nam hos sequuntur Sabini milites, natione Latinis proximi, nec Launi populi facilè inveniuntur, nisi legamus *Lavinii*, qui & ipsi sunt Latino-
C rum populi.

XXXVII. SABINI, *in parma viridi, orbem album luteo, rubroque circulis cinctum tenent: Marginem alius luteus ambit*: Et hoc duplicis Romani Imperii arctam conjunctionem denotat. Duo enim circuli, duplex imperium conjunctum, unum orbem Romanum amplecti insinuant. Comiti Italiæ suberant. Neque hi sunt in Oriente.

XXXVIII. BRACHATI juniores, *nullum* hic *insigne* ostendunt, nec in toto albo symbolorum nominantur: fortè per errorem sunt omissi. Hi & sequentes cum Magistro equitum Gallias tuentur. Inter auxilia quoque XVIII. Palatina Orientalis Illyrici in-
D veniuntur.

XXXIX. HONORIANI ATECOTTI seniores, ex gente Atecottorum Germaniæ ab Honorio cognominati, *luteum orbem, in cærulei clypei umbone gestabant*, quemadmodum Sabarienses, & Cimbriani.

XL. XLI. HONORIANI MARCOMANNI seniores, & HONORIANI MARCOMANNI juniores, ex illis Germaniæ populis sunt contracti, qui nunc *Moravi* vocantur: *Illi in alba parma prassinas habent caducei colubres, quas luteus ambit circulus, rubra verò sedes erat pro fulcro supposita, cui applici-
E ti erant colubri. Hi verò in rubro clypeo albos præferebant angues, cujus marginem albus circumplectebatur circulus: album quoque erat pedamentum usque ad angues*: sic Pierius lib. XV. cap. XXXVI. & XXXVII. Sed in meo codice illorum duplex est pedamentum, & duplicati angues cœrulei: horum est simplex cippus, luteique & sine circulo sunt angues. In Madruciano pilam rubeam, id est, orbem in medio angues tueri videntur. Hi, ut sæpe dixi, non caduceum, sed duorum Principum unitatem præferebant & referebant. Albus color sinceritatem, rubeus imperium indicat, prassinus autem vigorem roburque, luteus florens ac fœlix imperium. Marcomanni neque in
F Oriente leguntur: neque in Occidente cum aliquo Comite aut Duce merent, sed resident apud Magistrum.

XLII. ATECOTTI HONORIANI juniores, ita in Comite Italiæ cui parebant, legitur. Erant & in VI. auxiliis Palatinis per Illyricum Orientis, *anguesque luteos tenebant, ex caduceo cum rubro pedamen-*

damento in parma cærulea dilutiore, quam margo ruber ambibat: Intra ambitum anguium, figura cordis erat coloris purpurei: Hæc Pierius lib. cit. cap. XXXVIII. Quod ardentem Principum inter se amorem exprimebat, vel prudentiam. In impresso duo dimidiati angues in summo cippi conjuncti sursum spectant, inter quos est lutei coloris geminus orbis ovali forma oblongus: Hic quoque duorum Principum conjunctorum, ad duplex orbis imperium defendendum, divinamque opem implorantium, est typus: oblonga forma geminatum Orientis, Occidentisque orbem, ut & alibi, insinuat. Hi Magistrum equitum per Gallias sequuntur.

XLIII. BRISIGAVI seniores, *in parma alba, luteam pilam cæruleo circulo cinctam præferunt: duplex circulus luteus, & rubeus, clypei marginem complectitur.* Idem insigne sub hoc Magistro Sequani habent, & Invicti juniores sub Magistro militum per Illyricum Orientis, qui Comitem Illyrici sequebantur. Brisigavi sunt Germaniæ populi, inter Helvetios & Suevos, quorum metropolis est Friburgum, ubi celebris Academia. Hi cum Comite Hispaniarum erant.

XLIV. BRISIGAVI juniores, *humanum caput cæruleum, in alba parma gestabant, cujus capilli quasi in duo cornua flectuntur: barba item est tripertita, ad aures quoque villi erecti, quasi cornua efficiunt. Margo clypei duobus circulis, luteo & albo cingitur,* qui & ipsi unam duplicis imperii conjunctionem, & in illud providentiam significant. Caput humanum prudentiam, qua orbis regitur, insinuare diximus. In manuscriptis rubens caput, circum jubas emittit. Cornua duorum Principum potestatem significare possunt. Hi in Italia manebant. In Oriente non reperiuntur.

XLV. XLVI. HONORIANI Mauri seniores, HONORIANIQVE Mauri juniores, *idem ferè insigne* ferunt: *Illi in parma rubra, hi in alba, à duabus lineis nigris se intersecantibus decussatum orbem, cujus duæ partes albæ, duæ sunt cæruleæ: illum cæruleus item circulus ambit. Margo verò clypei Seniorum duplici luteo circulo, Juniorum simplici rubro cingebatur:* significat orbem divisum, sincero tamen ardentique amore duorum Principum unitum manere. In Madruciano, Mauri juniores idem ferunt insigne, quod Tubantes. Hi à Comite Illyrici regebantur. Non sunt in Oriente. Mauros jaculatores fuisse Herodianus scribit in prin. lib. VIII. *Mauri*, inquit, *longius jacula torquent, suntque faciles ad incursus recursusque, utpote leves atque expediti, & sagittarii.*

XLVII. CELTÆ juniores, *in alba parma orbem album rubro, & cæruleo circulis cinctum præferunt. Extremitatem clypei rubens circulus cingit.* quod & ipsum duplici imperio connexo Romanum orbem regi insinuat. His Comes Africæ præerat.

XLVIII. INVICTI juniores Britanniciani, *in parma cærulea orbem luteum decussatum divisum gestant*, sicut & Mauri juniores sub hoc Magistro. Manuscripti, duas globi partes albas, reliquas rubras ostendunt. Marginem latior rubeus limbus circuit. Erant cum Comite Hispaniarum in Occidente, & inter sex auxilia Palatina Illyrici Orientalis.

XLIX. BATAVORVM juniorum *insigne est in cærulea parma setis horrescens aper purpureus, qui anterioribus, posterioribusque pedibus, luteum orbem, modo quo supra transversis lineis decussatum arctè complectitur. Marginem rubens circulus circumdat:* bellica est Principum ferocitas, unum orbis imperium, quod divisum videtur, tenens. Sub Magistro equitum Galliarum militabant.

L. EXCVLCATORES juniores Britanniciani, *duos instar caducei luteos angues auritos tenent, quorum terga cristis acutioribus inhorrescunt: alba est parma, quam margo ruber complectitur*: sic Pierius lib. XV. cap. XXXIX. *Hieroglyph.* qui pro Exculcatoribus, *Excultatores* scribit: Vegetius *Excultatores*: sic dicti, quòd exculcent hostes. sunt, qui legunt *scultotores*, pro *auscultatores*, quos pro exploratoribus Constantinus Porphyrogenneta ponit. Fortè legendum *excursatores*, quos ita nominat Marcellinus libr. XXIV. post prin. & libr. XXV. post prin. Simile insigne habebant Celtæ. Meum exemplar cæruleam habet parmam: & hic duorum Principum sincerus amor, & concordia indicatur. Comiti Hispaniarum parebant. Neque hi, nec sequentes sunt in Oriente. In catalogo auxiliariorum ter recensentur, sed hi ab illis diversi in tabula insignium semel[illegible]antium cum symbolo reperiuntur.

LI. FOELICES Valentinianenses, *in luteo clypeo ipsum Principem Valentinianum, corona regia caput redimitum ostendunt, qui sinistra hastam tenet, dextra indice elevato hostibus minari videtur se hasta ipsos confossurum. Purpuream tunicam ante clausam, & ad media crura demissam, cum latioribus manicis induitur, qui habitus ejus temporis Principum est notandus. Purpureus clypei circulus marginem cingit.* In Ursiniano auream tunicam reticulato opere elaboratam, ac dextra clavam, sinistra orbem tenet. In Madruciano totus purpureus, & lorica munitus, hastam dextra, læva orbem gerit. Cùm verò ultra Arcadii & Honorii tempora, hæc Notitia sit scripta, Valentinianus hic III. esse credendus est. Secundus enim ante Arcadium decesserat. Hi milites Comiti Illyrici parent.

LII. MATTIACI juniores Gallicani, *in rubra parma cæruleum orbem ejusdem coloris cippo conjunctum gestabant, quem circulus albus cingit.* Id orbem Romanum unico stabilique imperio contineri denotat, ut sæpe est dictum. Comitem Illyrici sequuntur. Mattiaci seniores inter XVIII. auxilia Palatina Magistri militum Præsentalis in Oriente merebant, ubi eorum origo est explicata. Juniores in Oriente non inveniuntur.

LIII. SALII Gallicani juniores, & ipsi *in albo clypeo album orbem rubro circulo inclusum præferunt. Extrema rubens circulus cingit.* Idem insigne habebat Constantia Flavia Thebæorum sub Magistro militum per Orientem, & Leones seniores, & alii Salii, sub hoc Magistro. Erant cum Comite Hispaniarum, sicut & sequentes. Salii inter XVIII. auxilia Palatina Magistri militum Præsentalis in Oriente connumerabantur. Hos à Francis profectos Zosimus l. III. cap. VI. scribit, Bataviamque occupasse, & inde ejecto Juliano Apostata, postea legionibus Romanis adscriptos.

LIV. SAGITTARII NERVII Gallicani, *in albo clypeo purpureum globum, cippo item purpureo præfixum ferunt, supra est humanum caput, purpurea corona ex fasciis cæruleis contorta, instar funis redimitum*, ut habent Gratianenses seniores sub hoc Magistro: *Circum extremitatem sunt duo circuli, luteus interior, & alter purpureus:* Rom. orbis imperii stabilitatem indicat, quod prudentia, arctaque concordia Principum, instar funis, aut fasciarum complicatarum regitur: Fasciæ enim funis instar contortæ diademata regia referentes, utriusque Principis connexitatem significant. Madrucianus, album glo-

globum duabus nigris lineis decussatum ostendit, quem circulus cœruleus claudit. Cum Magistro equitum Gallias tuentur. Non sunt in Oriente: nisi hos Sagittarios seniores, aut juniores Gallicanos intelligamus, qui sub primo Magistro militum Præsentali merebant.

LV. Jovii juniores Gallicani, *idem insigne gerebant, quod Salii Gallicani* sub hoc Magistro, nempe *in cærulea parma rubeum orbem cippo ejusdem coloris præfixum, & circulo luteo cinctum: purpureus circulus latè marginem circumplectitur.* Cum Comite Illyrici militabant, ficut sequentes. In Oriente non leguntur.

LVI. SAGUNTIENSES à Sagunto, Hispaniæ urbe nota famis tolerantiâ, dicti; *in cæruleo clypeo, duo purpurea navium gubernacula, transversè conjuncta, præferunt: marginem circulus purpureus ambit:* à duobus Principibus orbem conjunctim regi insinuat. In Ursiniano videntur duo angues purpurei, implicitis caudis conjuncti. Comiti Illyrici parebant. Neque hi, nec sequentes sunt in Oriente.

LVII. GALLIS VICTORIBUS *in alba parma est orbis albus luteo circulo inclusus*, quemadmodum Brisigavis senioribus: Manuscripti viridem clypeum ostendunt: Extrema rubeus circulus latè cingit. Sub Comite Italiæ merebant. In Oriente non leguntur.

LVIII. HONORIANORUM Victorum juniorum *idem ferè insigne erat, in lutea parma, luteus orbis, cæruleo circulo contentus: circulus rubeus marginem latè circumplectitur.* Comitem Illyrici sequuntur. In Oriente inter XVIII. auxilia Palatina Magistri militum Præsentalis primi recensentur.

LIX. HONORIANI ASCARII seniores, *in luteo clypeo purpureum globum, ferrugineo quadrangulo, lateribus introrsus curvatis, & in acutam cuspidem desinentibus, inclusum ferebant, qui externum purpureum circulum pertingunt:* Romani imperii firmum robur hostes confossurum indicat. Quadratum enim stabilitatis apud Pierium est typus. In Ursiniano videntur quatuor stipites orbem firmantes. Comiti Hispaniarum parent. Ascarii juniores inter sex auxilia Palatina Magistri militum per Illyricum in Oriente merebant.

LX. FOELICES juniores Gallicani, *in cæruleo clypeo purpureum juvenem alatum, luteo globo inclusum pro orbis victoria gerebant. Marginem rubeus ambit circulus.* Simile scutum habebant, sub eodem Magistro peditum, Cornuti. His, & sequentibus, Comes Italiæ præerat. In Oriente Fœlices Honoriani juniores inter XVIII. auxilia Palatina, primi Magistri militum Præsentalis inveniuntur: sed non Gallicani.

LXI. LXII. ATTACOTTI juniores, & TUNGRI: *illi in parma cærulea purpureum orbem, albo circulo inclusum: hi in rubra, album globum luteo inclusum circulo habebant. Marginem circulus rubeus ambit.* Idem ferè est insigne Honorianis Gallicanis sub hoc Magistro. In Madruciano, Tungris in umbone prassinæ parmæ luteus anguis globum album, luteo circulo cinctum, circundat. Prudentiam Principum, uno imperio orbem regentium indicat. Sed [illegible]arius hoc insigne cum Menapiis senioribus, qui primi inter legiones Comitatenses proximè sequentes connumerantur, permutavit. Tungri sunt cum Comite Illyrici. In Oriente non reperiuntur: bis scribuntur in catalogo auxiliarorum: sed hos à superioribus differre puto, quorum semel tantùm symbolum exprimitur. Atecotti inter sex auxilia Palatina Magistri militum per Illyricum militabant.

LXIII. HONORIANI Gallicani idem insigne gestant, quod Sequani, aut Salii, id est, *orbem cæruleum purpureo circulo inclusum.* In Oriente non inveniuntur.

LXIV. MAURITONANTES juniores, *in cæruleo clypeo album globum circulo luteo inclusum ferunt: supra & infra singulæ quadrangulares, & albæ tabulæ duplo longiores quam latæ, & utrinque aliæ duæ rhombi formam habentes, omnes purpureis limbis cinctæ circumstant: Margo clypei purpureo circulo cingitur:* Ostendunt leges quatuor utriusque orbis partibus à Principibus conjunctim dari: Rubeus enim limbus album cingens duorum consensum insinuat. Madrucianus tabellas puniceas ostendit. Globus verò circulo cinctus, orbem unico imperio contineri indicat. Hi, & sequentes, erant cum Comite Tingitanæ. In Oriente non sunt. In Manuscriptis legitur *Mauritoantes*, fortè legendum *Mauritonenses* à Mauritania. Mauritonantes verò sunt Mauri hostibus intonantes.

LXV. MAURITONANTES seniores *aureum orbem luteo circulo cinctum in alba parma ferebant. Marginem quatuor circuli, alternatim lutei & rubri cingunt:* Orbem Romanum connexo unicoque imperio contineri insinuant. In Madruciano aureus umbilicus duplici circulo luteo, & alio lato purpureo cingitur: Duplicis, sed connexi imperii orbis Rom. typum ostendit. Quatuor marginem ambientes circuli, quater annexa imperia esse indicant, id est, quæ dissolvi nequeunt. Ex prædictis auxiliis hic Magister XVII. Magistro equitum per Gallias impertiebatur, Comiti Hispaniarum XI. Comiti Illyrici XIIII. Comiti Africæ, id est, Comiti Tingitanæ II. Comiti Britanniæ I. ipse in Italia XXIII. retinebat. Quare aliquot abundare videntur, quod inde provenit, quia aliqua auxilia dividebat, quorum partem aliis dabat, partem sibi reservabat, aut error scribendo intervenit. Hæc de Palatinis auxiliis, sequuntur legiones Comitatenses XXXII.

CAP. XXII.

DE LEGIONIBUS COMITATENSIBUS XXXII. *Magistri peditum per Occidentem.*

I. MENAPII seniores, *anguem luteum pro insigni habens in parma viridi, cujus marginem rubeus ambit limbus. Umbilicus est argenteus luteo conjunctus: hunc circa serpens inferne terga habebat, caput & caudam sursum inflectens;* Hæc Pierius lib. XV. *Hieroglyph.* cap. XVII. qui hos *Menapes* appellat. Anguis in meo exemplari in alba parma est in funem effictus, qui circum album globum luteo circulo clausum inflectitur: Hi sunt duo Principes, qui funium instar ex pluribus funiculis complicatorum constricti, & se invicem arctè complexi, unum corpus efficiunt, & orbem eodem imperio prudenter administrant. Serpens enim prudentiæ, funis non solum connexionis, sed & fortitudinis est typus, & globus circulo cinctus, orbem uno rectum imperio refert; ingeniosum est insigne, cui simile præferunt Cortoriacenses infra sub hoc Magistro. Menapii verò sunt Belgarum populi, ex quibus constat hæc legio, quæ in Galliis cum Magistro equitum Galliarum militabat. Est inter legiones Comitatenses XXI. per Thracias in Oriente, de quorum nomine ibi dictum.

II. FORTENSES *insigne* gerebant *ut Atecotti juniores* sub hoc Magistro. Hæc legio & sequens parebant Comiti Hispaniarum. Fortensis in Oriente una

est ex VI. Palatinis sub Magistro militum Praesenti primo.

III. PROPVGNATORES seniores, *in alba parma internum orbem praeferebant*, quemadmodum Atecotti seniores. *Rubeus circulus marginem circundat.* Merebant & ipsi cum Comite Hispaniarum. Non sunt in Oriente. à propugnando & defendendo nomen habuerunt.

IV. ARMIGERI Defensores seniores, *in imo caerulea parma argenteum orbem gestabant: ad dextram supra cum eminet album navis gubernaculum: Extrema rubeus circulus latè circumplectitur.* à Principibus Roman. orbem regi denotat, quemadmodum navis à temone gubernatur. Id fuit Augusti inventum, ut ex ejus numismatis apparet. Manuscripti coloribus tantùm variant. In Galliis sub Magistro equitum pugnabant. Non sunt in Oriente.

V. SEPTIMANI seniores, *in caerulea parma aureum orbem duobus luteis circulis clausum praeferebant: inde circum circa XII. acuta cuspides exeunt*: Orbis Romanus est ex duobus connexis Imperiis in unum constrictus, qui acutis mucronibus munitus, cladem hostibus minatur. *Septimani* à VII. legione sunt dicti. Duae verò septimae legiones fuerunt, altera Gemina, Pia, Foelix, ab Augusto in Dalmatia locata: deinde à Nerone in Syriam traducta, ut ait Tacitus; altera ab eodem Augusto in Moesia posita, posteà à Claudio Imperatore Claudiana, Pia, Foelix, Fidelis, cognominata, quae à Vespasiani Ducibus contra Vitellium in Italiam vocata, demum in sua stativa discessit. Septimani seniores, ad juniorum & posteriorum differentiam vocantur. In Galliis cum Magistro equitum Galliarum militabant. Septima Gemina una est ex IX. Comitatensibus per Orientem, quae ex duabus dimidius conflata, nomen habuit.

VI. REGIIS est *in caerulea parma globus purpureus, quem quatuor semiorbes albi, velut propugnacula circumstant: Marginem latus rubeus circulus ambit*: Munitum adversus Barbaros orbem Romanum insinuat. Idem ferè insigne habent Armigeri propugnatores seniores sub eodem Magistro militum. Ursinianus habet album globum circulo rubro inclusum: Madrucianus decussatum, & quatuor albis triangulis, hisque geminatis munitum. aliis videtur crux coerulea purpureum globum in medio tenens, quae orbem Christi Domini sanguine tinctum tuetur. Regii, Ptolemaeo sunt Sarmatae, Graecè *Basilici* dicti, qui Regii Germaniciani vocati sub Comite Italiae merebant. His Oriens caret.

VII. PACATIANENSES *idem ferè* gestabant *insigne, quod Masiaci*, qui sunt una ex XII. legionibus Palatinis sub hoc Magistro: *Horum stipites aliquanto crassiores sunt, quam illorum, & rubri, orbemque aureum in umbone caerulea parma circulus albus continet, rubeus verò circulus marginem latè circundat*: Manuscripti coloribus variant. *Pacatianenses* à Phrygia Pacatiana, vel potius à Pacatiana Mauritaniae Tingitanae civitate, unde veniunt, sunt appellati. Regebantur à Comite Illyrici. In Oriente non inveniuntur.

VIII. VESONTES à Visuntio Heduorum oppido, nunc *Bisuntione*, appellati, *albam parmam habent quatuor caeruleis peltis insignitam, quae aequaliter inter se distantes, orbem rubro globo inclusum circumstant: is nigris lineis decussatus in quatuor partes dividitur, quarum dua alba & dua rubea permanent. Parma marginem limbus caeruleus cingit.* Ita Pierius lib. *Hieroglyph.* XLII. cap. XL. Unicum Roman. Imperium etsi divisum, undique à quatuor orbis partibus defendi, circum dispositae peltae indicant. Idem ferè insigne gestant Octavani sub hoc Magistro. Hi apud suum Magistrum manebant. Non sunt in Oriente.

IX. MATTIARII juniores, ita etiam eos Zosimus lib. III. cap. XXII. appellat, à Mattio Germaniae oppido dicti: sub Magistro equitum Galliarum merebant. *ejusmodi fere insigne* habent, sicut Armigeri juniores supra, & Pacatianenses sub hoc Magistro, *nisi quod his decussatum obliquis nigrisque lineis orbem tenent*, ut Vesontes: Id unum permanere Imperium, quanquam divisum, indicat, ut saepè dixi. Alii Mattiaci juniores Gallicani nuncupati, sub eodem Magistro Galliarum militabant, alii sub Comite Illyrici: seniores Mattiaci sub Comite Italiae: divisae enim erant hae legiones.

X. MAVRI Cetrati: qui cetrâ utuntur: est hoc breve loreum scutum, quo Afri Hispanique pugnabant. Hircius *de bello Civili* lib. I. *Scutati*, inquit, *citerioris provinciae, & Cetrata ulterioris Hispania cohortes.* Horum saepius Livius meminit. *In alba cetra purpureum umbilicum luteo circulo clausum gerebant. Marginem clypei duplex latiorque ambit circulus, luteus interior, alter caeruleus.* Manuscripti coloribus variant, & tres in margine circulos ponunt. Idem insigne ferunt Brisigavi, Fortenses, Honoriani Gallicani, & alii sub hoc Magistro. Hoc quoque conjunctum, & perpetuum duorum Principum in Rom. orbem imperium denotat. Sub Comite Illyrici militabant. Non sunt in Oriente.

XI. UNDECIMANI, *in parma caerulea album globum obliquis lineis decussatum praeferebant, purpureus limbus marginem latè circumplectitur.* Simile habent Britanniciani, Mauri seniores & juniores sub hoc Magistro peditum. Madrucianus his adscribit insigne Lancceariorum, de quo infra. Comiti Hispaniarum parebant. *Undecimani* ab XI. legione sunt dicti, quae ab Augusto in Moesia locata, postmodum Claudiana, Pia, Fidelis, à Claudio cognominata, quoniam Camillum Scribonianum nova molientem, cum septima legione deseruit, Dion lib. LV. pro Othone contra Vitellium in Italiam venit, & ad sua hyberna rediit, donec in Hispaniam est traducta. Una est ex VI. Palatinis Magistri Praesentalis in Oriente.

XII. SECVNDANI Italiciani, id est, secundae Italicae legionis milites, *luteam, & sanguine aspersam crucem gestabant, clypei extremitatem pertingentem, in cujus medio est orbis albus circulo rubro cinctus*: Id crucem Christi sanguine tinctam orbem Roman. qui uno imperio continetur, tueri significat. Marginem latus limbus purpureusque cingit. His Comes Africae praeerat. Non reperiuntur in Oriente.

XIII. GERMANICIANI juniores, *in albo clypeo argenteum globum circulo luteo inclusum ferunt: rubeus circulus marginem ambit.* Manuscripti coloribus variant: Multis hoc insigne sub eodem Magistro est commune, ut Gallis Victoribus, Jovianis junioribus, Honorianis Gallicanis, & aliis. Coloribus tantùm differunt. Germaniciani seniores una est ex octo Comitatensibus legionibus Illyrici in Oriente. *Germaniacenses* vocantur sub Magistro equitum per Gallias: sub Comite verò Italiae *Germaniciani*, fortè à Germanicia Syriae civitate. Vel à Germanico, quo defuncto, *Equester ordo*, inquit Tacitus *Ann.* lib. II. cap. LXXXIII. *Cuneum Germanici appellavit, qui Juniorum dicebatur*: idem & ordini peditum evenire potuit.

XIV. TERTIANI, sive tertia Italica legio, *in alba parma umbilicum argenteum albo circulo, & alio latiore*

latiore rubro inclusum gestant: Romanum orbem duplici Imperio contentum in unum & magnum exire latus, ultimusque circulus insinuat. Clypei marginem purpureus circulus ambit. Manuscripti orbem prasinum luteo limbo cinctum ostendunt. Hæc & sequens sub Comite Illyrici, & Africæ merebant. Tertia Augusta legio in Africa ab Augusto locata fuerat. Hi in Oriente non reperiuntur.

XV. TERTIA HERCULEA, à Maximiano instituta, *idem* habebat *symbolum*, *quod Germaniciani* sub hoc Magistro, *nisi quod hujus lutea est parma, & purpureus circulus luteum orbem includit.* In Ursiniano, rubeus globus luteo circulo cinctus, undique duplicibus stipitibus, id est, duplicis Imperii viribus munitur. Madrucianus album globum nigris lineis in cruce dispositis divisum ostendit. Herculani in Oriente sunt una ex VI. legionibus Præsentalis.

XVI. LANCEARII Gallicanis Honorianis, *in lutea parma orbem argenteum luteo limbo clausum octo albi stipites fulciunt:* quem adversus hostes munitum esse significant, prout in Lancearius senioribus, junioribusque Magistri militum Præsentalis Orientis retuli, qui simili utuntur insigni. Madrucianus stipites rubeos, & duplicatos habet. Hi in Galliis sub Magistro equitum morabantur. In Oriente non apparent, ubi alii Lancearii fuisse leguntur.

XVII. PROPUGNATORES juniores sub Comite Africæ merebant, *in parmaque cærulea argenteum globum octo acutis, purpureisque cuspidibus prominentibus munitum gerebant:* Romanum Imperium adversus hostes mucronibus jugulandos armatum esse portendit: purpura verò imperium insinuat. Manuscripti in globi colore variant. Funditores Orientis, & Martii in Illyrico simile scutum habebant. Non sunt in Oriente.

XVIII. BRITANNICI, sive LEGIO SECUNDA BRITANNICA, aut SECUNDANI, *in luteo clypeo album orbem rubro circulo inclusum præferebant, octo rubris trabibus fultum, in quorum summo singuli prominent orbiculi clavis confixi, quos rubeus circulus complectitur.* Id orbem Romanum undique adversus hostes munitum & firmatum esse portendit, quod orbiculi in summo clavis confixi rotunda propugnacula imitantes indicant. In Ursiniano globum album limbo rubro cinctum, albi stipites circumfulciunt. In Galliis sub Magistro equitum degebant, sicut sequentes. Inveniuntur sub Comite Africæ. Non sunt in Oriente.

XIX. SEPTIMANI juniores, *eandem*, quam Lancearii sub hoc Magistro, *parmam* ferebant: hoc tantùm differunt, quòd *illa luteos octo cippos habet: hæc purpureos novem, & album orbem lineis obliquis decussatum, duobusque circulis albis clausum:* Quod Romanum orbem, etsi divisum, à duobus conjunctis Principibus munitum esse denotat. Quatuor partes ex decussatione factæ, Orientem, Africam, Illyricum, & Occidentem, inter divisos Imperatores insinuant. Magistrum equitum per Gallias sequuntur. In Oriente non sunt.

XX. PRÆSICHANTIUM *purpurea parma globum album habet* XI. *cæruleis cuspidibus armatum. Marginem cæruleus ambit circulus.* Hostibus Romanum orbem impetentibus cladem minatur: ut in Septimanis, & Propugnatoribus sub hoc Magistro est dictum. Horum nominis rationem non invenio: sed Barbaros populos fuisse oportet. Ego eos esse puto, qui alibi à Notitia *Præsidianes* vocantur, à Præsidio Thraciæ oppido, aut aliis, quæ *Præsidea* vocantur: & ita Ursini codex appellat. Præsidienses sub Magistro equitum in Galliis appellantur. *Præsidiarios* Zosimus lib. III. cap. XXIV. vocat, qui extremum exercitus agmen tuebantur: *Persæ*, inquit, *cum agminis extremi Præsidiariis congressi, multos interfecerunt.* Et cap. XXVIII. *Turma Persarum extremi agminis Præsidio velites adorta, manus conseruerunt.*

XXI. URSARIENSES *ferè Præsichantium insigne tenent: sed horum luteus orbis duobus circulis, rubro & luteo includitur. Marginem alius luteus ambit.* Hi, & sequentes, cum Magistro equitum in Galliis merebant: Sed neque ipsi, neque superiores in Oriente inveniuntur. Ab Ursio civitate Hispaniæ, *Ursanenses* sunt dicti.

XXII. CORTORIACENSES vel Cortonenses ex Cortonensibus Hetruriæ populis delecti, *idem ferè insigne habent, quod Menapii seniores. Hi enim in rubra parma Draconem album ferebant, cujus umbilicus erat argenteus. In margine erant duo circuli, interior prasinus, albus exterior:* ita Pierius lib. XV. cap. XVIII. *Hieroglyphic.* qui legit *Cortonacenses*, pro Cortoriacensibus, & rectius. Meum exemplar interiorem circulum album, exteriorem luteum habet. Draconi pars caudæ abscissa, dimidiata Imperia insinuat, quæ tamen unum implent. Magistro equitum in Galliis serviebant. In Oriente non reperiuntur.

XXIII. GEMINIACENSES *in rubra parma orbem aureum gerebant, cui infixa aurata columella, auream item tabellam in summo præfixam sustinet, ejus longitudo triplo major est, quam latitudo, & utrinque in capitibus duobus clavis configitur:* Hæc est lex communi consensu à duobus Principibus orbi data, qui per duos clavos eam configentes insinuatur, & hæc summum in orbem indicat imperium. Vel fortè duo orbiculi duo Romani Imperii orbes pari concordia conjuncti esse denotantur. Madrucianus hoc insigne sequentibus attribuit, in quo & tabula alba, cum globo, & columna, velut duos codices rubros includit. A Gemina legione deduci *Geminiacenses* videntur: sed fortè *Germaniciacenses* à Germanicia oppido sunt nominandi, ut legitur sub Magistro equitum in Galliis ubi merebant. Alii volunt à Germaniaco in Belgis oppido denominatos fuisse, ut apud Itinerarium Antonini. In Oriente non reperiuntur.

XXIV. HONORIANI FOELICES Gallicani, *in albo clypeo tres aureos orbes gerebant, quorum medius magnitudine cæteros superat, purpureus circulus marginem clypei circundat;* quod Imperii Romani unionem significat: Duo minores orbes, duo Orientis Occidentisque Imperia portendunt, quæ divisa velut diminuta ostenduntur, sed conjuncta, in unum magnum conflantur, quod medius magnus globus insinuat. Manuscripti medium orbem prasinum, reliquos albos demonstrant. Hi in Oriente non visuntur: Cum Magistro equitum in Galliis militabant.

XXV. TERTIA Julia Alpina, *argenteum orbem in cærulea parma tenet, purpureo circulo margine clausam,* quemadmodum Atecotti seniores, Propugnatores, & alii. Sub Comite Italiæ circa Alpes excubabant, & ideo *Alpina* hæc legio est vocata. *Julia* verò, ab Augusto ejus auctore, qui plures Tertias legiones instituit, Augustam in Africa: aliam tertiam Cyrenaicam in Ægypto; aliam Gallicam dictam. Hæc legio in Italia retinebatur, quæ nec ipsa, neque sequentes in Oriente reperiuntur.

XXVI. PRIMA Flavia Pacis, *in hujus purpurea parma, crux cærulea, purpureum orbem medio infixum tueri videtur. Duo circuli, rubeus, albusque marginem ambiunt:* color crucis aereus crucem cœle-

ftem Dominum & Deum ſuſtinuiſſe inſinuat. Orbis, ob ſanguinem Chriſti pro eo effuſum, purpureus depingitur In Urſini exemplari ſimile eſt inſigne Regiorum, & Armigerorum Propugnatorum ſub hoc Magiſtro peditum. Madrucianus orbe caret. Tacitus lib. IV. *Hiſt.* Flavium Veſpaſianum ſecundam legionem inſtituiſſe ſcribit, quæ *Flavia* creditur vocata: & Vegetius lib. II. cap. VII. Flaviales à Veſpaſiano legionibus additos memorat. Sed fortè hæc, & ſequentes à Flavio Conſtantino *Flaviæ* ſunt dictæ. Hæc *Pacis* eſt appellata, à Pace Julia oppido Hiſpaniæ, unde eſt contracta. Sub Magiſtro equitum in Galliis degebat.

XXVII. SECVNDA Flavia Virtutis, *in viridi parma argenteum globum, circulis rubro & albo cinctum præfert. alii quatuor, duo lutei, & totidem rubri, parmæ marginem circumſcribunt*, qui conjunctum in quatuor orbis partibus unum Romani Principum Imperium ſignificant. Medius umbilicus duplici limbo circundatus, orbis Romaoi duplici Imperio recti eſt typus. Simile ſymbolum eſt Sabinis, & Celtis junioribus ſub hoc Magiſtro. A Virtute Hiſpaniæ oppido hæc legio nomen habet: quæ, & ſequentes apud ſuum Magiſtrum peditum degebant. Eſt & Virtutis oppidum in Galliis.

XXVIII. TERTIA Flavia Salutis, à Salute Julia alio Hiſpaniæ oppido dicta, idem ferè geſtabat inſigne, quod Solenſes Gallicani, & Grattanenſes ſub Magiſtro militum per Thracias Orientis, *nempe in lutea parma* XIII. *cæruleos aggeres, argenteum orbem in umbone circulo rubro inclusum fulcientes. Extrema clypei, alii duo, luteus rubenſque circundant.*

XXIX. FLAVIÆ Victrices Conſtantinæ, id eſt, Conſtantici: *In parma rubra cæruleam crucem geſtare videntur, quæ globum album limbo luteo circumſcriptum in medio ſuſtinet: Crux utrinque luteis limbis ornatur*, qui duorum Principum ſpem in cruce ſitam portendunt. Madrucianus quatuor cippos orbem fulcientes habere videtur. In Urſini exemplari alba eſt crux: luteuſque limbus marginem ambit. legendum eſt *Conſtantiaca*, vel *Conſtantiani* à Conſtantio inſtituti.

XXX. SECVNDA Flavia Conſtantiniani, *idem inſigne habent*, quod Undecimani, & Secunda Flavia Thebæorum in Oriente. Hæc eſt una ex IX. Comitatenſibus per Orientem.

XXXI. TERTIO AVGVSTANI, *in rubra parma album globum tenent. Marginem quatuor, unus albus, duo lutei, rubenſque circuli cingunt:* Coojunctum, unumque in quatuor orbis partibus imperium ſignificant. Manuſcripti tribus tantùm circulis marginem claudunt. Erant ſub Comite Africæ Auguſtani Tertio ad priorum differentiam dicti: vel potius, quòd tres eſſent eorum ſcholæ, quemadmodum equites ſecundi ſcutarii juniores inter vexillationes XXXII. Comitatenſes apud Comitem Africæ ſecundæ ſcholæ appellantur. In Manuſcriptis legitur Tertio Auguſtani, in impreſſo exemplari, dictio, *tertio*, præcedentibus Conſtantinianis conjungitur, minus rectè, ut puto. Hæc una eſt ex XXI. legionibus Comitatenſibus per Thracias io Oriente, qui vocantur Auguſtenſes. Nero ad V. millia equitum conſcripſit, quos *Auguſtanos* vocavit, & eos ſe plauſibus ſequi voluit. Tacitus *Annal.* lib. XIV. cap. XV. *Tunc primum*, inquit, *conſcripti ſunt equites Romani, cognomento Auguſtanorum, ætate ac robore conſpicui. . . . . . . Hi dies ac noctes plauſibus perſonare. Formam Principis vocemque Deûm vocabulis appellantes, quaſi per virtutem clari honoratique agere.* Idem Tranquillus in *Nerone* cap. XXV. *Sequentibus currum*, ait, *ovantium ritu plauſoribus Auguſtanoſque ſe milites triumphi ejus clamantibus.* Dion αὐγουστείους vocat, quos quinque millia fuiſſe ſcribit: interpres *Auguſtales* vertit. Hi pedites ab illis equitibus nomen accepiſſe videntur.

XXXII. FORTENSES, *in parma lutea argenteum orbem praſſino circulo inclusum geſtabant:* Principum unum in orbem Rom. imperium tenentium eſt typus Comiti Hiſpaniarum parebant. Alii Fortenſes in Oriente ſub Comite Africæ merebant. Ab oppido Sarmatiæ Fortia Mœuia dicto, *Fortenſes* appellatos puto. In Oriente una eſt ex VI. legionibus Palatinis Magiſtri Præſentalis. vetuſtus codex legit *Fontenſes.* Hæc de legionibus Comitatenſibus XXXII: quarum XI. hic Magiſter alii Magiſtro equitum per Gallias concedebat, Comiti Hiſpaniarum quinque, Comiti Illyrici quioque, Comiti Africæ VII. Tingitanæ II. In Italia ſibi IIII. retinebat. Hic etiam duæ legiones ultra numerum XXXII. abundare videntur: quia Propugnatores juniores inter Comites Illyrici, & Africæ diviſi infra in Notitia reperiuntur: item Secundani partim apud Magiſtrum per Gallias, partim penes Comitem Africæ merebant. Nunc ad XVIII. Pſeudo-Comitatenſes legiones eſt veniendum.

CAP. XXIII.

DE XVIII. LEGIONIBVS PSEVDO-
Comitatenſibus Magiſtri peditum Occidentis.

I. PRIMA Alpina ſeu Alpini, ab Alpibus Italiæ, quos tuebatur, dicta, ſub Comite Italiæ merebat, apud quem Julia vocatur, ſed hîc & ibi legendum *Julia Alpina*, quæ ab Auguſto eſt inſtituta, ut & ſequens. *In parma viridi cattum coloris puniceі diluti rectâ facie progredientem oſtendunt. Marginem albus circulus ambibat.* Sic Pierius lib. XIII. *Hieroglyph.* cap. ult. Id ſymbolum in Auguſteis auxiliaribus ſub hoc Magiſtro eſt expoſitum. Hæc legio & ſequentes io Oriente, niſi admodum paucæ, non inveniuntur.

II. SECVNDA Julia Alpina *idem inſigne* habebat *quod Jovii juniores, Germaniciani, Tertia Herculea & Fortenſes* ſub hoc Magiſtro. ſcilicet *in viridi parma orbem argenteum limbo puniceo cinctum, albus circulus extrema cingit.* ſub Comite Illyrici ejus Alpes tuebatur. Ab Auguſto ejus auctore *Julia* hæc legio eſt dicta. Erat & III. Alpinorum cohors, cujus ſub Severo Valerianus Centurio fuit, *l. 1. C. de veſt. milit.*

III. LANCEARII Lauriacenſes, vel Laurinenſes à Lauriaco Illyrici oppido, ubi Fabricam fuiſſe Notitia infra memorat: *aureum globum octo ferreis cuſpidibus munitum in rubro clypeo gerunt*, quemadmodum Propugnatores ſub hoc Magiſtro. Marginem albus limbus circundat. Hi & ſequentes à Comite Illyrici regebantur.

IV. LANCEARII Comagenenſes, à Syria Comagena nominati, *crucem viridem in viridi clypeo ferunt, quem rubens limbus circundat:* Io hoc venerabili ſigno. ſalutem Rom. Imperii ſitam eſſe inſinuant. Viridis color ſpei eſt index: Purpureum, imperii typum eſſe, ſæpe diximus. Manuſcripti coloribus variant.

V. TAVRVNENSES, à Tauruno Pannoniæ inferioris oppido profecti, vulgo *Belgradum* nominant: *In rubro clypeo orbem duabus lineis decuſſatum, quemadmodum Undecimani, & Conſtantiani* ſub hoc Magiſtro geſtabant: pars ſuperior, inferiorque eſt alba, aliæ virides. Hi ſuum Magiſtrum ſequebantur, ſicut & infraſcripti.

VI. ANTIA-

VI. ANTIANENSES, ab Antio Thraciæ oppido, postea *Apollonia* dicto, cognominati, *in puniceaparma argenteum globum albo cippo præfixum, & limbo item albo circumscriptum tenent. Quatuor circuli, luteus, & albus, & duo rubri exteriores extrema parma occupant*; Vnum, & firmum Rom Imperii orbem esse insinuantes. Manuscripti cippum cum exteriore limbo rubrum habent. Ubinam hi degerent, non apparet.

VII. PONTINENSES, à Pontina palude Campaniæ dicti, in qua XIII. urbes fuisse Plinius memorat. *Idem insigne ferebant, nisi quod duo tantum circuli, interior luteus, & albus exterior, prassini clypei marginem ambiunt, & cippum album tenent.* A Comite Italiæ regebantur.

VIII. PRIMA FLAVIA Gallicana Constantia, à Constantio ejus auctore, & à Galliis ubi degebat, denominata: *Huic rutilus in cœrulea parma equus, in medio viridis orbis consistebat, cui quadrupes toto inniti pectore videbatur:* ut Pierius lib. IV. cap. XIX. describit. Principem totum orbem victoriâ superasse indicat, siquidem equus victoriam denotat. Sed in meo codice, & Ursiniano, videtur lepus currens, qui vigilantiæ, & velocitatis est symbolum. Madrucianus aprum habere videtur. Sub Magistro equitum in Galliis degebat, sicut & sequentes.

IX. MARTENSES, seu Marteni, erant populi juxta Babyloniam, unde hi sunt extracti. *In parma cærulea orbem transversis lineis decussatum ferunt*, quemadmodum Taurunenses sub hoc Magistro: *Marginem rubeus limbus ambit.* Magistro equitum per Gallias parebant.

X. ABRINCATENI, Abringatui sunt Celto-Galliæ gentes, unde hi nomen traxerunt. Abrincates sub Duce Tractus Armoricani & Nervicani infra Notitia ponit inter copias, quæ recensentur intra Gallias. pro Abrincatenis, *Abrincateni* ponuntur. *In alba parma argenteum orbem circulo luteo inclusum gestabant, supra quem alius minor orbis purpureus pendet, parmæ extremum rubeus limbus circundat:* Ob separationem diminutum videri, sed integrum permanere Imperium portendit. Manuscripti coloribus variant. Cum suo merebant Magistro.

XI. DEFENSORES Seniores, *in albo clypeo argenteum globum octo acutas cuspides emittentem, gestant. Marginem clypei duplex albus ambit circulus. Simile* habent sub hoc Magistro *Lauriacenses.* Merebant sub Magistro equitum in Galliis.

XII. MAVRI Osismiaci, apud Osismios Celto-Galliæ Lugdunensis populos morabantur, *in viridi parma duo præferebant gubernacula invicem inversa, luteum, & prassinum. Viridis item limbus marginem ambit.* Unum orbem à duobus Principibus uno consensu regi significant. Hi quoque & sequentes cum Magistro equitum in Galliis militabant, apud quem legitur *Sismiaci*, pro Osismiaci.

XIII. PRIMA Flavia Metis, hoc est Belgiæ oppidum, vulgo *Metz* dictum, ubi hæc legio excubabat: *In rubro clypeo argenteum orbem duobus circulis, albo, & luteo cinctum gestant*, quod duplex in unum orbem duorum Principum imperium insinuat: Id duo limbi, luteus interior, & viridis, marginem clypei ambientes, confirmant. Duo enim circuli, duorum Imperatorum conjunctionem denotant: In Madruciano duo lutei circuli purpureum globum cingunt. Secunda Flavia Virtutis sub hoc Magistro simile habet symbolum.

XIV. SVPERVENTORES juniores, de quibus supra, Constantio imperante, cum Præventoribus sunt instituti. Marcellinus lib. XVIII. cap. X. *Superventores*, inquit, *atque Præventores, cum Æliano jam Comite, quos tyrones tum etiam novellos erupisse*

A *retulimus.* Erat tum annus salutis ferme CCCLXI. & XXI. Imperii Constantii, cum hæc scripsit. *Aureum orbem in medio rubra parma gerunt, ferè ut Tertia Julia Alpina*, & aliæ. In Ursini exemplari idem est insigne cum Taurunensibus sub eodem Magistro. Madrucianus purpuream pilam in viridi clypeo ostendit. Cum equitum Magistro in Galliis degebant.

XV. CONSTANTIACI, *in rubra parma duplicem orbem luteum ostendunt, ex quo duo item lutea cornua à lateribus prodeuntia, & sursum flexa sibi occurrere videntur:* Ii sunt duo ejusdem orbis Principes in unum concordes. Comiti Africæ parebant. A Constantio, vel B Constantia, quæ urbs est Mesopotamiæ, apud Marcellinum lib. XVIII. cap. IX. sunt appellati. Vel ab aliis Constantiis, quæ erant in Palæstina, Eusebius in *vita Constantini* lib. IV. cap. XXXVI. XXXVII. Sozomen. lib. II. cap. IV. lib. V. c. III. Nicet. lib I. c. IV. lib. VIII. c. XXXIII. Armoricanis, & alibi. Duas Constantiacas in Gallias à Juliano missas Marcellinus lib. XXI. cap. XI. scribit.

XVI. CORNIACENSES, à Corniaco Pannoniæ inferioris oppido denominati, *in rubro clypeo argenteum orbem alba columella præfixum gestant, à cujus medio utrinque album exit cornu, caprino simile, quod supra orbem inflectitur.* capram autem justitiæ symbolum esse C Pierius tradit. Id eandem habet interpretationem. Hæc legio fortè ab insigni cornuum nomen sumpsit. Apud Magistrum equitum Galliarum, cum quo erant, legitur Cornacenses.

XVII. SEPTIMANI, *in umbone albæ parmæ purpureum orbem habent, quemadmodum tertia Julia Alpina, aut Superventores* sub hoc Magistro. *Marginem purpureus limbus cingit.* Madrucianus globum decussatum in rubro clypeo ostendit: Cum Comite Hispaniarum merebant. Septimani verò juniores una ex XXXII. legionibus Comitatensibus sub Magistro equitum in Galliis militabant. Septima gemina legio inter novem Comitatenses Magistri militum per O- D rientem invenitur.

XVIII. ROMANENSES, peditum postremi, & ex urbe contracti, idem fere habent insigne, quod Britones seniores in Oriente, aut Tertia Flavia salutis sub hôc Magistro, coloribus tantùm differunt. *Hi enim in cœruleo clypeo circa orbem album, lato circulo purpureo cinctum, XV. purpureos cippos præferunt, quos purpureus limbus circumplectitur.* Ursini exemplar rubeum clypeum, & trabes cœruleas, Madrucianus album, & trabes geminatas, hinc rubras, inde cœruleas ostendit. Hæc legio sub Magistro equitum Gallias tuebatur: ex his enim legionibus illi IX. Magister peditum tradiderat, Comiti Illyrici III. E Comiti Africæ I. In Italia quinque apud se retinebat, ut infra Notitia ostendit. Hæc sunt insignia militum sub Magistro peditum in præsenti Occidentis, à me pro virium tenuitate explicata. Nunc alterius Magistri equitum Præsentalis copiæ sunt exponendæ.

CAP. XXIV.

DE COMITE ET MAGISTRO EQVITVM *Præsentali Occidentis, ejusque militibus, & eorum insignibus.*

COMMENTARIVM.

F EQVITVM Magister vexillationibus XLI. imperabat, quarum magnam & ipse partem Comitibus limitaneis & Ducibus committebat: Ex novem enim Palatinis Vexillationibus, quas habebat, VI. Comiti Italiæ, III. Magistro equitum per Gallias assignabat. Ex Comitatensibus XXXII. VI. Comiti Italiæ, XIX. Africæ, VI. Britanniæ, III. Tingitanæ,

gitanæ, VIII. Magiſtro equitum per Gallias, quæ excedunt numerum XXXII. ſed aliquæ ex his diſpertitæ variis Comitibus conceſſæ, eas plures eſſe videri faciunt: non enim ſemper integras vexillationes, ſed ſæpè cuneos, vel alas ipſis credebat. Præter hos alias alas, & cuneos equitum, cohorteſque & auxilia peditum in limitibus Comites & Duces apud ſe tenebant, quæ ſub Magiſtro non reperiuntur. Magiſter quoque per Gallias, præter prædictos Brachatos juniores & primos Gallicanos, proprios milites habebat. Hic Magiſter XLI. Vexillationes regebat, quarum IX. Palatinæ, & XXXII. Comitatenſes dicebantur, ut ex ſequente ſummario clarius apparebit. Is Comes & Magiſter vocabatur, quas diverſas dignitates fuiſſe ſupra oſtendimus. Officium habet, ut præcedens Magiſter peditum, excepto Primiſcrinio, quo ille caret. Hæc nomina in officio Magiſtri militum Præſentalis in Oriente ſunt explicata: Inſignia quoque eadem habet, ut ſuperior Magiſter, exceptis numerorum ſymbolis, in quibus differunt.

NOTITIA.

Sub diſpoſitione viri Illuſtris Comitis, & Magiſtri equitum Præſentalis.

Vexillationes Palatinæ IX.

COMITES ſeniores.
Equites Promoti ſen.
Equites Brachati ſeniores.
Equites Batavi ſeniores.
Equites Cornuti ſeniores.
Equites Cornuti juniores.
Comites Alani.
Equites Batavi juniores.
Equites Conſtantes Valentinianenſes ſeniores.

Vexillationes Comitatenſes XXXII.

Equites Armigeri.
Equites Prima Gallica.
Equites octavo-Dalmatæ.
Equites Dalmatæ Paſſerentiaci.
Equites Mauri alites.
Taifali juniores.
Equites Honoriani ſeniores.
Equites Mauri feroces.
Equites Conſtantiaci feroces.
Equites Scutarii.
Equites Stableſiani Africani.
Equites Marcomanni.
Equites Armigeri ſeniores.
Equites Sagittarii Clibanarii.
Equites Sagittarii Parthi ſeniores.
Equites primi Sagittarii.
Equites ſecundi Sagittarii.
Equites tertii Sagittarii.
Equites quarti Sagittarii.
Equites Sagittarii Parthi juniores.
Equites Cetrati ſeniores.
Comites juniores.
Equites Promoti juniores.
Sagittarii juniores.
Equites Cetrati juniores.
Honoriani juniores.
Armigeri juniores.

A Equites ſecundi Scutarii juniores.
Equites Stableſiani Italiciani.
Equites Sagittarii Cordueni.
Equites Sagittarii ſeniores.
Cuneus equitum Promotorum.
Officium ſupraſcriptæ Magiſteriæ poteſtatis.
Princeps.
Numerarius.
Primiſcrinius.
Commentarienſis.
Adjutor.
Regerendarius.
Exceptores, & reliqui Apparitores.

B VERUM PRIUS A NOBIS IN tabellam iis relatis, quibus Magiſter Equitum Præſentalis in Occidente imperabat, ad ſingula mox pro more noſtro explicanda accedemus.

C

Magiſter equitum Præſentalis in Occidente regebat
- *Vexillationes* XLI.
  - *Palatinas* IX. *quarum habebat*
    - *Comes Italiæ* VI.
    - *Magiſter equitum in Galliis* III.
  - *Comitatenſes* XXXII. *diſpertitas. Alias, præter has, erant cum Comitibus, & Ducibus. Ex prædictis habet*
    - *Comes Italiæ* VI.
    - *Magiſter equitum per Gallias* VIII.
    - *Comes Africæ* XIX.
    - *Comes Britanniarum* VI.
    - *Comes Tingitanæ* III.
- *Cuneum equitum promotorum.*
  - *Sub Duce Pannoniæ Ripartenſis.*

D

C AP. XXV.

E DE IX. VEXILLATIONIBVS PALATINIS *Magiſtri equitum Præſentalis Occidentis.*

COMITES ſeniores, *in parma cærulea album orbem decuſſatum gerunt:* ut *Martenſes* ſub Magiſtro peditum Occidentis. *Rubeus limbus marginem clypei circumplectitur.* Merebant & ſub Magiſtro militum ſecundo Præſentali in Oriente. Hi cum duobus numeris ſequentibus intra Italiam continebantur.

II. EQVITES Promoti ſeniores, *idem habent inſigne quod Taurunenſes ſub* Magiſtro peditum, *niſi quod duæ partes orbis decuſſati a dextra, & ſiniſtra ſunt cæruleæ.* Sub Magiſtro militum Præſentali primo in Oriente reperiuntur.

F III. BRACHATI ſeniores, *in parma praſſina albas præferunt colubres, cum pedamento itidem albo, inſtar caducei. Marginem ruber ambit limbus.* Ita recitat Pierius lib. *Hieroglyph.* XV. cap. XL. *Brachiatos* pro Brachatis appellans, à Bracha enim Hiſpaniæ oppido

NOTITIA INSIGNIA VIRI ILLVSTRIS MAGISTRI EQVITVM.









pido derivantur. Idem ſymbolum geſtant Marcomanni, & Atecotti juniores ſub Magiſtro peditum. Refert firmam duorum Principum in orbem Romanum ſincera fide, ardentique amore conjunctionem, quod per album rubrumque colorem innuitur.

IV. EQVITES Batavi ſeniores, quorum *nullum* in impreſſo Codice *inſigne* reperitur, oblivione, ut reor, prætermiſſum. In Manuſcriptis ſymbolum habent ferè ut Tertiani, Mauritonantes, Mauri Cetrati ſub Magiſtro peditum: nempe in rubra parma globum album, tribus circulis, albo, cœruleoque largioribus, & luteo arctiore cinctum, ſunt duo Imperia, in unum coeuntia, quæ totum Rom. orbem, ſeu tres ejus partes complectuntur: cum Magiſtro equitum per Gallias merebant.

V. CORNVTI ſeniores equites *in albo clypeo orbem argenteum, cæruleo & luteo circulis incluſum tenent, fermè ut* habent *Celtæ juniores, & Sabini* ſub Magiſtro peditum. In Manuſcriptis hoc ſymbolum ſequentibus vitio librariorum adſcribitur. Italiam tuebantur.

VII. EQVITES CORNVTI juniores idem ferè inſigne habent ut Fortenſes ſub Magiſtro peditum. *In alba parma argenteum orbem lato circulo cæruleo circumdatum.* Magiſtrum equitum per Gallias ſequebantur, apud quem per errorem legitur ſeniores pro junioribus.

VIII. COMITES ALANI, & ſequentes Batavi cum ſuis inſignibus in impreſſo per errorem infra inter ſequentes Comitatenſes ſunt tranſlati, quos Manuſcripti hic ponunt. *Eadem* horum erant *ſymbola*, quæ & ſequentium Conſtantium Valentinianenſium: *exceptis coloribus*, ſcilicet *columella rubra præfixus globus cæruleus, quem limbus albus veſtit. Marginem albus item circulus complectitur.* Duplicis Imperii conjunctio inſinuatur. Alani intra Italiam militabant, Batavi cum Magiſtro equitum per Gallias.

VIII. BATAVI juniores, & hi ipſorumque *inſignia*, ut dixi, *per errorem* inter ſymbola Comitatenſium equitum *tranſlata* inveniuntur: in Palatinorum verò catalogo ſcripti leguntur. In Manuſcriptis autem hîc ſuo loco cum ſymbolis repræſentantur. *Horum inſigne eſt in cærulea parma pila argentea*, vel ut in Madruciann, aurea, acutos mucrones emittens, ut apud Defenſores, Propugnatores, & Lauriacenſes ſub Magiſtro peditum. Batavi juniores ſub ſecundo Magiſtro militum in præſenti in Oriente merebant, aut horum pars, vel ejuſdem nominis alii.

IX. EQVITES Conſtantes Valentinianenſes ſeniores *in rubra parma argenteum orbem columellæ præfixum præferebant. Hanc cum globo cæruleus limbus veſtit.* Id ſupra expoſitum fuit. Hi in Italia manebant. Hæ ſunt IX. Vexillationes Palatinæ, quarum tres hic Magiſter alii Magiſtro equitum per Gallias tradebat, ſibi in Italia VI. retinens, ut infra Notitia explicat: ſequuntur Comitatenſes.

CAP. XXVI.

DE XXXII. VEXILLATIONIBVS COMITATENSIBVS.

ARMIGERI equites *in parma lutea octo rubeos cippos albo orbi inhærentes geſtant. Simile inſigne Pannoniciani & Septimani* habent ſub præcedente Magiſtro peditum. Hi cum duobus numeris ſequentibus erant cum Magiſtro equitum per Gallias.

II. PRIMA GALLICA *in viridi clypeo quadrangulum habet coloris lutei, aliud intra ſe album continens, acutoſque mucrones emittit, quemadmodum in Honorianis ſenioribus* ſub Magiſtro peditum eſt viſum. *Purpureus limbus marginem complectitur:* Duplicis Imperii firmum robur oſtendit. Cladem hoſtibus acutæ cuſpides minantur.

III. OCTAVO-DALMATÆ, equites octavo loco ex Dalmatia electi: vel potius in octava eorum ſchola deſcripti, in tot enim dividebantur, quemadmodum ſecundi Scutati juniores equites apud Comitem Africæ, ſecundæ ſcholæ appellantur, præferunt *in alba parma duplicem argenteum globum, quorum primum minorem ſex virides munitiones circumſtant: alter ſeptem acutas cuſpides emittit. Supra eſt quadrata tabella*, quæ unam legem duplici orbi Romano dari inſinuat: prominentes mucrones cædem hoſtibus nunciant. Tertio-Dalmatæ, Quinto-Dalmatæ, Sexto & Nono-Dalmatæ equites in Oriente inveniuntur. In catalogo ſequuntur equites Dalmatæ Paſſerentiaci, qui poſt tres ſequentes in tabula inſignium inferius ponuntur.

IV. MAVRI ALITES, à velocitate cognominati, *in parma viridi duos dimidios angues albi coloris ſe invicem inſpectantes gerunt, quos margo ruber ambit. Umbilicus parmæ tranſverſis lineis eſt decuſſatus, cujus duæ oppoſitæ partes albæ adverſæ ſunt cæruleæ*, ita Pierius lib. *Hieroglyph.* XV. cap. XXVI. Sed meus codex in alba parma argenteum orbem non decuſſatum habet, quem duo lutei & dimidii angues capita ſibi admoventes circumſtant. Sunt duo Principes dimidiis Imperiis unum orbem Romanum tuentes, quem decuſſatum inter ſeque diviſum tenent. Urſini exemplar coloribus differt, & his Paſſerentiacos ſubjungit, qui ſecundum catalogi ordinem erant præmittendi. Madrucianus album orbem inter duas tabellas ponit: leges ab utroque Principe uni orbi dari ſignificant.

HONORIANOS in Vexillationum Comitatenſium catalogo impreſſus Codex per errorem Mauris Alitibus adjungit: Sed hic in inſignibus repræſentandis rectè prætermittit: & ideo *nullum* eorum hoc in loco *ſymbolum* apparet, nam infra repetuntur, quatuor ſequentibus poſtpoſiti.

V. TAIFALI juniores *in alba parma cæruleum anguem geſtabant, terga lævam verſus porrigentem, in dextram verò caput, ad caudam abſciſſum incurvantem, qui geſtus in Cortonacenſibus diverſus erat. Umbilicus, ſive orbis, circa quem anguis vertitur, eſt argenteus, rubro circumductus circulo. Inter caput & caudam colubri alius eſt orbiculus violaceus.* Hæc Pierius lib. cit. cap. XIX. Hos equites *Taipſalos* appellans, credit tamen legendum *Theſſalos* Sed errat, ut ſupra in Magiſtro militum Præſentali Orientis oſtendi. Inſinuat Occidentis Imperatorem, etſi dimidius videtur, inſtar dimidii ſerpentis hic depicti, ſuum tamen orbem, qui Orientali conjunctus integer manet, tueri. Globus limbo cinctus unum Romani orbis Imperium eſſe indicat. Meus Codex variat coloribus, in quo albus circulus marginem circumplectitur. Hi Comiti Britanniæ erant adjuncti, ut infra videbitur. Sunt & in Oriente equites Taifali ſub Magiſtro militum Præſentali.

BATAVI juniores hic per errorem in exemplari impreſſo ſunt inſerti, qui ſupra inter Vexillationes Palatinas cum ſuo *inſigni* erant collocandi.

VI. PASSERENTIACI fortè à Paſſera Syriæ urbe dicti, *aureum orbem in cærulea parma quemadmodum Septimani* ſub præcedente Magiſtro peditum, & quidam alii gerebant. *Purpureus limbus marginem cingit.* Urſini Codex ſupra album globum, duplicem tabellam, leges orbi duorum Principum con-

consensu datas insinuantem ostendit. Madrucianus duos angues cœruleos ex albo pedamento prodeuntes habet, qui erecti ad osculum penè coëunt, orbemque album in medio decussatum tenent. Duo sunt Romani Principes orbem inter se divisum administrantes. In exemplari impresso ALANI per errorem his sunt adjuncti, qui inter Vexillationes Palatinas cum suo symbolo erant ponendi. Hi cum sequentibus vexillationibus Magistrum equitum per Gallias sequebantur.

VII. HONORIANI Seniores equites, *album ferebant clypeum, in quo aureus umbilicus a luteo circulo circumscribitur. Orbiculo insistunt duo porci dimidiati prasini coloris, pedibus anterioribus illi impositis, alter alterum spectantes.* ita Pierius lib. IX. *Hieroglyph.* cap. XXVII. Sed in meo Codice in rubra parma, sine circulo solus aureus visitur orbis, quem non duo sues, sed dimidiati ursi complecti videntur; facilè error impressoris esse potuit. Hi vim bellicam duorum Principum referunt, qui ob divisum Rom. orbis Imperium, dimidii ambo visi, illum totum ulnis amplectuntur. Prasinus color ipsorum vigorem: aureus, aureum sub ipsis seculum portendit. Hi etiam sub Magistro militum per Orientem militabant.

VIII. MAURORUM Ferocium simile sequitur insigne, scilicet *in alba parma duo rutili coloris dimidii equi sese quodammodo lacessentes, orbi viridi impositi, cujus luteus est umbilicus;* uti Pierius lib. IV. *Hieroglyph.* cap. XIII. describit. Sed in meo Codice luteo umbilico, quem albus circulus includit, pedes anteriores equi imponunt. Hocanimal Imperii, victoriæque & pugnacitatis est symbolum: Suntergo ii duo Imperatores, qui orbem Romanum quisque suam partem dimidiam pugnando fœlici victoria conservant, quod & viridis, luteusque color insinuant. Mauri vero equo præcipuè bellabantur, & ideo pro symbolo Mauritaniæ ponitur, ut vult Pierius. Impressum exemplar ursos, non equos ostendit. Ubique globus circulo inclusus, unum duorum Principum in orbem imperium denotat: id enim unicus circulus globum amplexus significat. Madrucianus rubeum clypeum ostendit. Hi Italiam tuebantur, ut infra Notitia ostendit.

IX. CONSTANTIACI Feroces *in parma alba, duplicem, & purpuream,* id est, Christi sanguine tinctam crucem gerunt, ut prima Flavia Pacis, & Regii. In hac uterque Princeps spem se posuisse testatur. *Duplex limbus, interior cœruleus, & alter albus marginem cingunt.* Manuscripti velo tegere crucem videntur Barbaris ignotam, cujus vim experientur. Hi apud Magistrum equitum per Gallias militabant.

X. SCUTARII equites *aureum orbem in umbone rubræ parmæ tenent.* Unum orbis imperium Romanum esse significantes. *Idem planè insigne est Superventorum* sub Magistro peditum. Apud Comitem Africæ cum XI. sequentibus merebant.

XI. STABLESIANI Africani *idem symbolum* habent *quod Prima Flavia Metis* sub Magistro peditum, nempe, *in rubra parma, orbem aureum, duobus luteis circulis cinctum, duo limbi, luteus interior, albusque parmæ marginem circumdant.* Orientis, Occidentisque unum esse Romani orbis imperium significant, ut sæpè est dictum. EQUITES secundi & tertii Stablesiani reperiuntur in Oriente, sub Magistro militum per Orientem.

XII. MARCOMANNI *dimidium serpentem coloris lutei præferunt in alba parma, cujus aureus est umbilicus. Inter segmentum serpentis, & caput, est lutea lunula dimidia:* sic Pierius lib. XV. cap. XXIV. Insigne Taifalorum huic simile pro Luna globum habet,

Hic etiam serpens duplicatus videtur, qui duos dimidios refert Principes orbem Romanum tuentes. Hæc enim omnia signa sunt duplicis dimidii imperii, quod a duobus velut dimidiis Principibus defenditur. Dimidia vero Luna aptius symbolum pingi non potuit, quæ in orbem completur: sic Imperium Romanum, quod dimidium videtur, plenum manet. Idem color luteus, in Luna & serpente utrobique seculi fœlicitatem promittit.

XIII. ARMIGERI seniores equites *in cœruleo clypeo duabus transversis lineis decussatum orbem habent*, quemadmodum Promoti, & Comites seniores sub hoc Magistro, superior, inferiorque globi partes sunt albæ, reliquæ rubræ. Hi equites sunt in Oriente sub primo Magistro militum Præsentali.

XIV. SAGITTARII Clibanarii *idem* ferebant *insigne, quod secunda Julia Alpina* sub præcedente Magistro peditum, scilicet *in lutea parma orbem luteum albo circulo cinctum. Marginem clypei viridis limbus ambit.* In Ursini exemplari duo circuli globum cingunt, quod indicat duos unum orbem Romanum tueri principatus.

XV. SAGITTARII Parthi seniores equites, *simili* utebantur *symbolo, quo Tungricani, ant. Divitenses*, sub præcedente Magistro peditum, scilicet *in parma viridi, globum luteum obliquis lineis decussatum, & duobus uno lato rubroque, & alio arcto luteo circulis cinctum,* quod & ipsum duplicis imperii, ut sæpè dictum est, unionem insinuat. Circuli duo lutei marginem clypei circundant: & ipsi duorum Principum conjunctionis indices. His militibus Commodum Imp. usum Herodianus scribit lib. I. cap. XLVII. *Erant*, inquit, *cum eo assiduè Parthorum lectissimi Sagittarii, & Numidæ jaculatores, quos ille tamen omnes longè artificio superabat.*

XVI. PRIMI Sagittarii equites *idem* ferebant *insigne quod Sagittarii Clibanarii*, nisi quòd *horum parma marginem duplex ambit limbus, luteus interior, & alius rubeus.* In Manuscriptis legitur, PRIMO SAGITTARII, & in sequentibus, secundo, tertio, & quarto loco lecti. Sed puto *primo Sagittarios* dictos, non quod prius lecti fuerint, sed quia in quatuor scholas erant divisi: nam & secundi Scutarii juniores una ex vexillationibus Comitatensibus apud Comitem Africæ secundæ scholæ appellantur. Hi etiam sub Magistro militum per Orientem merebant.

XVII. SECUNDI Sagittarii equites, *in albo clypeo orbem decussatum divisum ferunt, pars superior inferiorque globi alba, reliqua sunt rubra: supra orbem luna cælum cornibus sursum versis spectat: simplex luteo limbo margo clypei circundatur.* Id quoque unum duorum Principum imperium indicat, etsi divisum cernitur. Idem & dimidia luna portendit, quæ etsi tota non appareat, semper tamen solida integraque manet.

XVIII. TERTII Sagittarii equites, *eodem* utebantur *insigni*, quo primi Sagittarii, nisi quòd *horum parmam triplex circumplectitur circulus, albus lutei, & medius rubeus: In umbone purpureus globus luteo circulo includitur.* Una ex vexillationibus Sagittariorum a Cereali Magistro militum Honorii ad pedites translata fuit. Sinesius epistola CXXXII. *Adsunt*, inquit, *mihi milites ordinis Balagritarum.* Hi, priusquam Cerealis principatum obtineret, erant equites Sagittarii. Hoc autem Magistro constituto divenditis equis facti sunt solum Sagittarii. Mihi sufficiunt etiam sine equis.

XIX. QUARTI Sagittarii equites, *eodem* & ipsi erant *symbolo* insigniti *quo Parthi seniores*, hoc excepto, quod *horum clypeum simplex ambit luteus limbus:* illorum

illorum verò duplex, quorum est & alba parma: horum viridis. Manuscripti coloribus variant.

XX. SAGITTARII Parthi juniores equites, *ferè idem ferebant insigne, quod Promoti, aut Comites seniores sub* hoc Magistro, nisi quòd *horum rubea est parma: illorum cœrulea, quam luteus limbus cingit.*

XXI. CETRATI seniores equites, *idem ferè* gerebant *insigne, quod Brisigavi seniores* sub præcedente Magistro peditum, *exceptis coloribus, quos hi in globo & circulis luteos habent.* Madrucianus in parma lutea album umbilicum nigra linea per medium divisum, & lato cœruleo circulo inclusum habet.

XXII. COMITES juniores *simile Stablesianorum symbolo insigne* tenent: videlicet *in alba parma argenteum globum, duobus luteo & albo latiore circulis circumscriptum.* Manuscripti globum pluribus lineis divisum tenent, & coloribus variant. Vbi hi degerent, non apparet.

XXIII. PROMOTI juniores equites, *idem* gestabant *insigne, quod Parthi juniores,* nisi quòd *horum sine limbo & cœruleus est clypeus.* Hi & tres sequentes cum Comite Africæ merebant.

XXIV. SAGITTARII juniores, *argenteum globum albo circulo inclusum in parma rubea ferunt, supra quem dimidia Luna cornua sursum erigit.:* & id utrumque imperium conjunctum insinuat, quod eti dimidium videtur, instar lunæ in orbem impletur.

XXV. CETRATI juniores equites, *in nigra parma luteum ferunt serpentem, cauda truncum, orbi cœruleo circumvolutum, qui ad angulos rectos est decussatus, transversis lineis: partes duæ adversis angulis opposita sunt albæ. Alius orbiculus cœruleus, inter caput, & caudam serpentis incisionem collocatus est.* Hæc Pierius lib. XV. *Hieroglyph.* cap. XXV. qui hos equites *Curiatios* appellat. Sed mendosum habuit Codicem, legendum est enim *Cetrati juniores*, ad differentiam seniorum, de quibus paulò antè. Non multum ab hoc distans insigne ferebant Taifali, sub hoc Magistro. In meo Codice & Manuscriptis viridis est parma, & orbiculus geminatus, alius major est decussatus, totusque albus, id quoque significat Imperium Romanum, quod divisum, & dimidium videtur, unum esse, & Principum vigilantiâ, cujus typus est serpens, tutum conservari. Geminatus orbiculus duplex est Orientis Occidentisque principatus, qui in unum magnum coit, per majorem orbem significatus.

XXVI. HONORIANI juniores, *mutilati serpentis lutei frustum eodem modo ferebant, totam ferè parmam circumplexi. Inter caput & segmentum stat quadra & ipsa lutea angulis in os & cæsuram versis, in qua inspicitur tessela purpurei coloris. Intra anguem parma tota est rubra, extra tergum circulus albus ducitur, & umbilicus seu orbis in umbone positus, est argenteus,* ut Pierius lib. cit. *Hieroglyph.* cap. XXIII. describit. Meum exemplar habet parmam puniceam, & cœruleum umbilicum, quem duo dimidii luteique serpentes amplectuntur, in medio utero semicæsi, lutea tabella aliam puniceam inter capita & segmenta serpentum includit. Hi sunt duo dimidiatorum principatuum Imperatores, qui unum orbem Romanum magnâ vigilantiâ tuentur. In utero semicæsi, in tergo tamen integri manent; sic eorum imperium licet videatur cæsum, integrum relinquitur. Principum verò vigilantiæ typum esse serpentem supra dixi. In Manuscriptis orbis magnus parvum continet. Tessela legem orbi datam significat, quæ in tabula scri-

A bebatur. Duplex ostenditur, quia à duobus Principibus, una utrique orbi Romano datur. Luteus verò tabellæ & serpentum color eandem in his imperii vim indicat.

XXVII. ARMIGERI juniores gerebant *in umbone albæ parmæ luteum globum, luteo item circulo inclusum, qui longum, & acutum mucronem emittit,* quod armatum esse ad feriendos hostes orbem Romanum minatur. Similis mucro visitur in insignibus Magistri Officiorum Orientis in Fabricis: Manuscripti clypeum rubro depingunt. Hi erant cum Comite Africæ.

XXVIII. SECVNDI Scutarii juniores, *idem planè*

B *symbolum* habent, quod *primi Sagittarii, exceptis coloribus. Album enim globulum rubro circulo circumscriptum, in lutea parma gestant; cœruleus interior, aliusque rubeus circulus marginem circumplectitur. Scutati,* auctore Vegetio lib. II. cap. XVI. *sunt, qui plumbatis, vel gladiis, missilibusve armantur.* Merebant sub Comite Africæ, apud quem appellantur Scutati secundæ scholæ: erant enim in duas scholas divisi. In Oriente militant secundi Scutati sub secundo Magistro militum Præsentali. Hæc una est ex VI. ejus vexillationibus Comitatensibus.

XXIX. STABLESIANI Italiciani equites, *in*

C *umbone rubri clypei geminatum orbem, imum rubeum, superiorem cœruleum in acutam cuspidem desinentem preferunt.* Idem portendit, quod insigne Armigerorum juniorum sub hoc Magistro: orbem circumstant XIV. globuli, qui propugnacula referre possunt, quibus undique Roman. Imperium munitum esse indicatur. Fortè plumbatas seu martiobarbulos referunt, quibus hi equites hostes feriebant, quemadmodum in Scythis sub altero Magistro peditum Præsentalli est dictum: & hi sub Comite Africæ militabant, ut infra patebit.

XXX. SAGITTARII Corduenì equites, vel

D potius Cordubeni, à Corduba Hispaniæ oppido, *in alba parma globum duabus lineis decussatum, & luteo circulo clausum gestabant, ut Parthi seniores, & Promoti* sub hoc Magistro, & alii, *superior inferiorque globi partes sunt albæ, reliqua rubræ.* Cum Comite Tingitanæ merebant, ut & sequentes.

XXXI. EQVITES Sagittarii seniores in vexillationum catalogo prædictis subnectuntur, quorum hic *nullum* apparet *insigne:* Militabant & sub Magistro militum per Illyricum in Oriente.

XXXII. CVNEVS equitum Promotorum ultimo loco & ipse in eodem catalogo inter *insignia* omis-

E sus recensetur. Hæ sunt vexillationes Palatinæ IX. Comitatenses XXXII. Ex quibus VIII. Magistro equitum per Gallias concedebantur. Comiti Africæ XIX. Tingitanæ III. Comiti Britanniæ II. Ex his Stablesianorum dimidiam Magister sibi retinebat, alia dimidia Comiti Africæ serviebat. Omnia verò Occidentis militum insignia sunt CLXII. Orientis CIV. simul juncta sunt CCLXVI. præter bina Comitis domesticorum peditum, equitumque tam Orientis, quàm Occidentis, quæ efficiunt CCLXX. symbola. Hucusque copiæ utriusque Magistri Præsentalis in Occidente sunt expositæ: nunc provinciæ, in quibus stativa habebant, sunt

F declarandæ.

NOTITIA.

Qui numeri ex prædictis, per infrascriptas provincias habentur.

Intra Italiam.

IOVIANI seniores.
Herculeani seniores.
Divitenses seniores.
Tungricani seniores.
Pannoniciani seniores.
Mœsiaci seniores.
Cornuti seniores.
Brachati seniores.
Petulantes seniores.
Celtæ seniores.
Heruli seniores.
Batavi seniores.
Mattiaci seniores.
Jovii seniores.
Victores seniores.
Cornuti juniores.
Leones juniores.
Exculcatores seniores.
Grati.
Sabini.
Fœlices juniores.
Atecotti Honoriani juniores.
Brisigavi juniores.
Mauri Honoriani juniores.
Galli Victores.
Octavani.
Thebæi.
Mattiaci juniores.
Septimani juniores.
Regii.
Germaniciani.
Prima Julia.
Tertia Julia.
Placidi Valentinianici Fœlices.
Gratianenses juniores.
Marcomanni.
Pontennenses.

Intra Illyricum cum viro spectabili Comite Illyrici.

Sagittarii Tungri.
Jovii juniores.
Sequani.
Retii.
Sagittarii Venatores.
Latini.
Valentinianenses Fœlices.
Honoriani Victores.
Seguntienses.
Tungri.
Mauri Honoriani seniores.
Mattiaci.
Honoriani Gallicani.
Tertiani.
Tertia Herculea.
Pacatianenses.

A Mauri Cetrati.
Propugnatores juniores.
Lancearii Lauriacenses.
Lancearii Comagenenses.
Secunda Julia.
Valentinianenses.
Catarianenses.

Intra Gallias cum viro illustri Magistro equitum Galliarum.

Mattiaci juniores.
B Leones seniores.
Brachati juniores.
Salii seniores.
Gratianenses.
Bructeri.
Ampsivarii.
Valentinianenses.
Batavi.
Batavi juniores.
Britones.
Atecotti Honoriani seniores.
Sagittarii Nervii Gallicani.
C Jovii juniores Gallicani.
Mattiaci juniores Gallicani.
Atecotti juniores Gallicani.
Ascarii Honoriani seniores.
Armigeri defensores seniores.
Lancearii Honoriani Gallicani.
Lancearii Sabarienses
Menapii seniores.
Secundani.
Britones.
Vrsarienses.
Præsidienses.
D Germaniacenses.
Cortoriacenses.
Honoriani Fœlices Gallicani.
Prima Flavia Gallicani.
Martenses.
Abricanteni.
Defensores seniores.
Mauri Sismiaci.
Prima Flavia.
Superventores juniores.
Balistarii.
E Defensores juniores.
Garronenses.
Andereniciani.
Acincenses.
Cornacenses.
Septimani juniores.
Cursarienses juniores.
Musmagenses.
Romanenses.
Insidiatores.
Tricesimani.
Abulci.
F Exploratores.
Officium viri illustris Magistri equitum per Gallias.
Princeps ex officiis Magistrorum militum Præsentalium uno anno à parte peditum, alio à parte equitum.

Com.

Commentarienfis.
Numerarii ex viris, & officiis fingulares.
Adjutor.
Regerendarius.
Exceptores, & reliqui Apparitores.

Intra Hifpanias cum fpectabili Comite.

Afcarii feniores.
Afcarii juniores.
Sagittarii Nervii.
Exculcarores juniores.
Tubantes.
Fœlices feniores.
Invicti feniores.
Victores juniores.
Invicti juniores Britones.
Brifigavi feniores.
Salii juniores Gallicani.
Fortenfes.
Propugnatores feniores.
Septimani feniores.
Vefontes.
Undecimani.

Intra Tingitanam cum viro fpectabili Comite.

Mauritonantes feniores.
Mauritonantes juniores.
Conftantiniani.
Septimani juniores.

Intra Africam cum viro fpectabili Comite Africæ.

Celtæ juniores.
Armigeri Propugnatores feniores.
Armigeri Propugnarores juniores.
Secundani Italiciani.
Cimbriani.
Primani.
Secundani.
Tertiani.
Conftantiniani.
Conftantiaci.
Tertio-Auguftani.
Fortenfes.

Cum viro fpectabili Comite Britanniarum.

Victores juniores Britanniciani.
Primani juniores.
Secundani juniores.

Item vexillationes intra Italiam.

Comites feniores.
Equites Promoti feniores.
Equites Brachati feniores.
Equites Cornuti feniores.
Comites Alani.
Equites Mauri Feroces.
Equites Conftantes Valentinianenfes juniores.

A

Intra Gallias cum viro illuftri Comite & Magiftro equitum Galliarum.

Equites Batavi feniores.
Equites Cornuti feniores.
Equites Batavi juniores.
Equites Brachati juniores.
Equites Honoriani feniores.
Equites Honoriani juniores.
Equites Armigeri feniores.
Equites octavo-Dalmatæ.
B Equites Dalmatæ Pafferentiacenfes.
Equites Primi Gallicani.
Equites Mauri Alites.
Equites Conftantiaci Feroces.

Intra Africam cum viro fpectabili Comite Africæ.

Equites Stablefiani Italiciani.
Equites Scutarii feniores.
Equites Stablefiani feniores.
C Equites Marcomanni.
Equites Armigeri feniores.
Equites Clibanarii.
Equites Parthi fagittarii feniores.
Equites Cetrati feniores.
Equites primi fagittarii.
Equites fecundi fagittarii.
Equites tertii fagittarii.
Equites quarti fagittarii.
Equites Parthi fagittarii juniores.
Equites Cetrati juniores.
Equites Promoti juniores.
D Equites fcutarii juniores Comitatenfes.
Equites Honoriani juniores.
Equites fcutarii juniores fcholæ fecundæ.
Equites Armigeri juniores.

Intra Britannias cum viro fpectabili Comite Britanniarum.

Equites Catafractarii juniores.
Equites fcutarii Aureliaci.
Equites Honoriani feniores.
E Equites Stablefiani.
Equites Syri.
Equites Taifali.

Intra Tingitanam cum viro fpectabili Comite Tingitanæ.

Equites fcutarii feniores Comitatenfes.
Equites fagittarii feniores Comitatenfes.
Equites Carduceni Comitatenfes.

F

COMMENTARIUM.

ENUMERATIS utriufque Magiftri militum Præfentalis copiis, quia per diverfas provincias difperfæ erant, quæ ex his in quibufcumque regionibus effent, explicatur: ac primo de peditibus enunciatur, qui per feptem provincias difpofiti reperiebantur: Italiam, Illyricum, Gallias, Hifpanias,

panias, Tingitanam, Africam, & Britannias: Equites per quinque, Italiam, Gallias, Africam, Britannias, & Tingitanam. In Hispaniis enim & Illyrico non reperiebantur. In his erant & Numeri, quos Magister per Gallias habebat, à nullo prædictorum Magistrorum acceptos, ideo de eo & ipsius copiis aliquid est dicendum.

CAP. XXVII.

DE MAGISTRO EQVITVM PER GALLIAS.

TERTIVS in Occidente Magister fuit Equitum per Gallias, cujus nulla extant insignia, ob occupatam hoc tempore à Barbaris eam provinciam. Tantùm ejus officium, & copiæ militum recensentur, quæ non solùm ex equitibus, sed & ex pluribus peditibus constabant, quorum paucos ipse ex se habebat, plurimos verò à Magistris peditum, equitumque Præsentalibus accipiebat. Equitum tamen Magister dicebatur, fortè quòd in his præcipuum ipsius robur consisteret. In Hispaniis, ut dixi, aut Britanniis nullus Magister reperiebatur, sed duo in illis provinciis Magistrorum locum Comites implebant, *l.* 4. C. *T. de decur.* & infra in *Notitia*. Hic autem Magistris Præsentalibus paruisse videtur, quia non modò militum copias, sed & aliquot cohortales ab eorum officiis assumebat, quod illorum imperii in ipsum non leve erat argumentum, officium enim hoc modo habebat: *Principem ex officiis Magistrorum militum Præsentalium uno anno à parte peditum, alio à parte equitum, Commentariensem, duos Numerarios ex viris, & officiis singulares*, inquit Notitia: legendum est *singulis*, ut in Codice Vrsini, id est, unum Numerarium ex officio Magistri peditum, alium ex officio equitum accipiebat: item *Adjutorem*, *Regerendarium*, *Exceptores*, & *reliquos officiales*, de quibus supra est dictum. Habet autem tam ex legionariis, quàm auxiliariis numeros XLIX. quorum XI. à nemine accepti ab ipso Galliarum Magistro pendent: inter eos duas legiones fuisse puto, scilicet Defensores juniores, & Tricesimanos, cætera erant auxilia. Alias copias à Magistro peditum habebat, nempe XXI. Legiones, unam Palatinam, XI. Comitatenses, & IX. Pseudo-Comitatenses: Reliquæ erant auxilia XVII. Numeri, quos suo jure Magister per Gallias habebat, erant sequentes.

I. BALISTARII, balistis utentes, de quibus in Oriente est dictum.

II. DEFENSORES IVNIORES, hanc legionem fuisse puto; nam Defensores Seniores una sunt ex XXXII. legionibus Palatinis, de eorum nomine tractatum fuit in Oriente, ubi hi reperiuntur sub primo Magistro Præsentali:

III. GARRONENSES, fortè legendum *Garumnenses*, à Garumna magno Galliæ fluvio, apud quem castrametabantur.

IV. ANDERENICIANI, ab Anderedo Aquitaniæ oppido, rectiùs vocarentur *Anderediani*.

V. ACINCENSES, ab Acinco, unde sunt contracti, nomen habent. Acincum verò est civitas Valeriæ in Illyrico, ubi sub Magistro officiorum in Occidente fabricam fuisse Notitia scribit, quam *Acincensem Scutariam* vocat. ibidem legio secunda adjutrix excubabat.

VI. CVRSARIENSES IVNIORES, lego *Vrsarienses* ab Vrso Hispaniæ oppido: juniores autem sunt appellati ad differentiam aliorum Vrsariensium inter XXXII. legiones Comitatenses: si legamus, *Cursarienses*, à currendo derivabuntur, quod currendo fugientes hostes insequerentur. Constantinus Porphyrogenneta *de thematib.* ad fin. *Cursores* nominat.

VII. NVSMAGENSES. Vrsini codex habet *Rusmagenses*, quos ex Barbaris populis fuisse arbitror.

VIII. INSIDIATORES. Hos Constantinus Porphyrogenneta *de themat.* ad fin. ἰνσίδιοι appellat, qui in locis absconditis insidias hostibus tendebant.

IX. TRICESIMANI, à tricesima legione dicti.

X. ABVLCI, ex gentibus ignotis derivati.

XI. EXPLORATORES, qui res hostium explorabant, & Duci exercitus renunciabant, inquit Constantinus Porphyrogenneta *de thematib.* ad fin. quos etiam *Scultatores* pro *auscultatores* vocat. Hi erant proprii Magistri equitum per Gallias numeri. Qui sequuntur, à Magistro peditum Præsentali accipiebantur, & erant:

Ex XII. legionibus Palatinis, una scilicet.

LANCEARII SABARIENSES.

Ex XXXII. Comitatensibus XI. legiones:

ARMIGERI DEFENSORES SENIORES. LANCEARII HONORIANI GALLICANI. MENAPII SENIORES. SEPTIMANI IVNIORES. SECVNDANI. VRSARIENSES. PRÆSIDIANTES, aut Præsidentes. GERMANICIACENSES. CORTORIACENSES. HONORIANI FELICES GALLICANI.

Ex XVIII. Pseudo-Comitatensibus, IX. legiones sequentes:

PRIMA FLAVIA GALLICANA. MARTENSES. ABRINCATENI. DEFENSORES SENIORES. MAVROSISMIACI. PRIMA FLAVIA METIS. SVPERVENTORES IVNIORES. CORNIACENSES. ROMANENSES. quorum nomina supra sunt exposita. Legiones tempore Notitiæ in præfecturas dividebantur, quæ ex mille aut quingentis capitibus constabant, inquit Constantinus Porphyrogenneta *de themate Anatolico*. Vnde hæ XXI. legionum præfecturæ colligerent minimum decem millia & quingentos pedites.

Ex auxiliis verò LXV. ab eodem Magistro XVII. accipiebat, quæ sequuntur:

MATTIACI IVNIORES. LEONES SENIORES. BRACHATI IVNIORES. SALII SENIORES. GRATIANENSES. BRVCTERI. AMPSIVARII. VALENTINIANENSES. BATAVI. BATAVI IVNIORES. BRITONES. ATECOTTI. HONORIANI SENIORES. SAGITTARII NERVII GALLICANI. IOVII IVNIORES GALLICANI. MATTIACI IVNIORES GALLICANI. ATECOTTI IVNIORES GALLICANI. ASCARII. HONORIANI SENIORES. Statuendo ducentos pedites pro auxilio, hi essent 3400. Alia hujus Magistri auxilia XI. constituerent duo mille ducentos milites, qui simul omnes esse 16100. pedites, sed plures fuisse existimo, quia plerúmque legionis præfectura mille capiebat.

Vexillationes XII. habebat, duas à se, decem à Magistro equitum Præsentali, videlicet tres Palatinas, & septem Comitatenses. Ab ipso pendebant BRACHATI IVNIORES, & PRIMI GALLICANI.

Ex IX. Palatinis vexillationibus accipiebat à Magistro equitum tres sequentes.

BATAVOS SENIORES. CORNVTOS SENIORES. BATAVOS IVNIORES.

Ex XXXII. Comitatensibus VII. vexillationes habebat, scilicet:

HONORIANOS SENIORES. HONORIANOS IVNIORES. ARMIGEROS SENIORES. OCTAVO DALMATAS PASSERENTIACOS. MAVROSALITES. CONSTANTIACOS FEROCES. Constituendo autem vexillationem CC. equitum duo millia & quadringentos equites habuisset hoc tempore, quo

quo in angusta Galliarum parte hic Magister claudebatur. Nunc ad alios Illustres, id est, Palatinos est veniendum, inter quos primus est Præpositus sacri cubiculi, cujus ministrorum breviarium præfixi.

ILLVSTRIS PRÆPOSITVS SACRI CVBICVLI.

Præposito sacri cubiculi parebat

- *Primicerius, cui parebant* — *Decani.*
- *Comes Castrensis mensam & palatium curabat, sub quo*
  - *Primicerius mensorum.*
  - *Primicerius cellariorum.*
  - *Primicerius Pædagogiorum.*
  - *Primicerius Lampadariorum, quorum aliqui erant*
  - *Forma prima.*
  - *Forma secunda.*
  - *Forma tertia.*
- *Decuriones* III. — *Silentiariorum* XXX.
- *Chartularii sacri cubiculi* III. *scribebant.*
- *Comes domorum.*

CAP. XXVIII.

DE ILLVSTRI PRÆPOSITO SACRI CVBICVLI.

TERTIAM Classem Illustrium tenent Palatini, quorum præcipuus Præpositus sacri cubiculi censetur. Itaque primus inter eos Illustres in indice Notitiæ recensetur: verum nulla amplius ejus fit mentio, sed eodem modo se habebat, quo Præpositus sacri cubiculi Orientis. Cùm enim Valentinianus cum Valente fratre exercituum copias divisisset, Palatinos quoque cum eo est partitus, quarum auctus est numerus. Marcellinus lib. XXVI. cap. V. *Militares;* inquit, *partiti sunt numeri: & cùm ambo fratres Sirmium introissent, diviso palatio, Valentinianus Mediolanum, Constantinopolim Valens discessit.* Palatium pro Palatinis accipit, ut & alibi. Itaque ipsorum duplicatæ dignitates, ut quæ erant apud Principem Occidentalem, eædem essent apud Orientalem, unde duo facti sunt cubiculorum Præpositi: duo Magistri officiorum, totidem Comites largitionum, & privatarum, & sic de aliis. Præpositum cubiculi sequitur Magister officiorum, cujus ministrorum summarium præmittam.

Magister officiorum in Occidente præest

- *Scholis* VI.
  - *Scutariorum prima.*
  - *Scutariorum secunda.*
  - *Armaturarum seniorum.*
  - *Gentilium seniorum.*
  - *Scutariorum tertiæ.*
  - *Agentium in rebus, & deputatorum ejus schola.*
- *Admissionalibus.*
- *Cancellariis.*
- *Fabricis* XIX.
  - *In Illyrico* V.
    - *Sirmiensi scutorum, balistarum, & armorum.*
    - *Acincensi scutaria.*
    - *Carnuntensi scutaria.*
    - *Lauriacensi scutaria.*
    - *Salonitana armorum.*
  - *In Italia* VI.
    - *Concordiensi sagittaria.*
    - *Veronensi scutorum & armorum.*
    - *Mantuana loricaria.*
    - *Cremonensi scutaria.*
    - *Ticinensi arcuaria.*
    - *Lucensi spataria.*
  - *In Galliis* VIII.
    - *Argentoratensi armorum omnium.*
    - *Matisconensi sagittaria.*
    - *Augustodunensi loricaria.*
    - *Suessionensi scutaria, balistaria, & clibanaria.*
    - *Remensi spataria.*
    - *Triberorum scutaria.*
    - *Triberorum balistaria.*
    - *Ambianensi spataria & scutaria.*
- *Scriniis* IV.
  - *Memoriæ.*
  - *Dispositionum.*
  - *Epistolarum.*
  - *Libellorum.*

NOTITIA.

INSIGNIA VIRI

ILLUSTRIS MAGISTRI OFFICIORUM.



NOTITIA.

Sub dispositione viri illustris Magistri Officiorum.

SCHOLA Scutariorum prima.
Schola Scutariorum secunda.
Schola Armaturarum Seniorum.
Schola Gentilium Seniorum.
Schola Scutariorum tertia.
Schola Agentium in rebus, & deputati ejusdem scholæ.
Scrinium memoriæ.
Scrinium dispositionum.
Scrinium epistolarum.
Scrinium libellorum.
Admissionales.
Cancellarii.

Fabricæ infrascriptæ in Illyrico.

Sirmiensis Scutorum, Balistarum, & Armorum.
Acincensis Scutaria.
A Cornutensis Scutaria.
Lauriacensis Scutaria.
Salonitana Armorum.

Italiæ.

Concordiensis Sagittaria.
Veronensis Scutorum, & Armorum.
Mantuana Loricaria.
Cremonensis Scutaria.
Ticinensis Arcuaria.
B Lucensis Spataria.

In Galliis.

Argentoratensis Armorum omnium.
Matisconensis Sagittaria.
Augustodunensis Loricaria.
Suessionensis Scutaria, Balistaria, & Clibanaria.
Remensis Spataria.
Triberorum Scutaria.
C Triberorum Balistaria.
Ambianensis Spataria & Scutaria.
Officium autem infrascripti viri illustris Magistri Officiorum de Schola Agentium in rebus habetur hoc modo:

Adju-

Adjutor.
Subadjuvæ Adjutoris.
Subadjuvæ Fabricarum diversarum.
Curiosus cursus publici in præsenti.
Curiosi omnium provinciarum.
Interpretes omnium gentium.

CAP. XXIX.

DE MAGISTRO OFFICIORUM OCCIDENTIS.

COMMENTARIUM.

MAGISTRI Officiorum Occidentis officium est idem, quod alterius in Oriente, & *eadem* fermè *insignia*, videlicet *liber eodem modo erectus*; nisi quod *hic unus habet Principis vultum libri dorso insculptum*, *ille duorum*, infra verò *tres thoraces cum brachiali* visuntur, *quorum duo aureos habent limbos*, *bullis aureis distinctos*, item *scuta duo*, *quorum alterum inflexum*, *aureum orbem in umbone ostendit aureis quernis frondibus circumdatum*, *cujus marginem limbus aureus*, *aureis item bullis distinctus ambit*. *Alterum oblongum*, *& ipsum aureum ovalem globum tenet*, *nigris lineis divisum*, *& luteo limbo circumdatum*, *à quo undique acuta spicula exeunt*: *quernæ verò frondes id circumdant*, illa feriendorum Rom. Imperii hostium, hæc conservandorum civium sunt indices. *Tertius est clypeus aureum orbem circulo luteo cinctum in medio continens*, *quem* XIV. *columella sive balaustis fulciunt*. Subtus *aquas simulantes nigra* apparent *linea*. *Triplex circulus luteus marginem cingit*. Utriusque connexi Romani Imperii terra, marique firmitatem, & robur insinuant. Est *& cærulea buccula*, *cui quadrupes serpens pro crista insidet*, *duo acinaces*, *totidem enses*, *spicula*, *hastis præfixa secures*, *fuscina ferrea ferreis thoracibus immissa*, *tuba*, *cuspis*, *& alia* armorum *genera*, quæ internosci nequeunt, & pro usu militum fabricabantur. Hæc omnia insinuant fabricis, id est, fabricandis armis hunc Magistrum præfuisse, quæ præcipua ejus cura erat. Manuscripti clypeos ferme eosdem ostendunt, qui in Magistro officiorum Orientis impressi reperiuntur, aut parum differentes, in quo ibi dicta sufficiant. Hic Magister iisdem, quibus magister Orientis, præerat. In primis Scholaribus palatium custodientibus imperabat, sicut & ille. Sed hujus tantùm quinque erant scholæ, illius septem, quarum etiam nomina sunt mutata. Hic enim scholam armaturarum seniorum, & scutariorum tertiam habebat, quæ apud illum non inveniuntur. Item hic adduntur Cancellarii in Oriente omissi, ubi quæ de illis dicta sunt, hic non repetuntur.

CAP. XXX.

DE FABRICIS OCCIDENTIS.

FABRICIS quinque hic Magister in Illyrico imperabat, sex in Italia, octo in Galliis, eruntque omnes numero XIX. cùm fabricæ Orientis essent tantùm XV. Sirmii in Illyrico fabrica scutorum, balistarum, & armorum exercebatur, Sirmiensis nuncupata. Est hoc oppidum in Pannonia inferiore, inter Savum & Danubium, propè Mysiam superiorem, nunc *Simiade* vocatum, ubi etiam Procurator Gynæcii degebat, & Præfectus

A Prætorio Illyrici, cujus erat metropolis, ut ex Synodo Aquilejensi, Gratiano imperante celebrata, constat. Eam urbem maximam omnium ejus regionis Herodianus lib. VII. appellat. Sed ea provincia ab Attila Hunnorum rege devastata, & capta, ejus metropolis facta est Thessalonica, demum prima Justinianea. Valentinianum Sirmii Palatinos cum fratre Valente partitum fuisse Ammianus lib. XXVI. cap. V. scribit. Hic etiam multa Jura à Diocletiano, Constantinoque, & Gratiano condita fuere, *l.* 2. *C. fi. contr. jus vel util. pub. l.* 19. *l.* 22. *l.* 23. *cum seqq. C. de pact. l.* 4. *C. de palatin. sacr. larg. l.* 7. *C. de jur. fisc. l.* 3. *C. de vi*
B *bo. rapto. l.* 7. *C. de injur. l.* 12. *C. de quæstio.* cum infinitis aliis, præsertim sub titulis *restitutionum* in C. positis. Non omittam quod Jo. Baptista Fulgosius lib. I. c. VI. *de dictis*, *& fact. memorabil.* scribit, Sirmii in vitibus interdum capreolos verè aureos inventos fuisse, ex quibus aurea moneta est percussa, quæ ejus temporibus circumferebatur. In Manuscriptis pro Sirmiensis scutorum balistarum, est fabrica scutorum, Scordiscorum, qui sunt Pannoniæ populi, apud quos arma fabricata fuisse innuitur. Itaque secundum hanc lectionem VI. in Illyrico fabricæ fuissent, sed non discedo ab impresso exemplari. Erat & in eadem regione
C Acincensis scutaria, id est, scuta fabricabantur Acinci, quod est oppidum Illyrici, ubi etiam excubabat legio secunda adjutrix sub Duce Valeriæ. Hinc veniunt Acincenses milites, qui in Galliis sub Magistro equitum merebant.

Tertia erat fabrica Cornutensis scutaria: legitur oppidum Cornutum sub Duce Pannoniæ primæ, unde milites Cornuti.

Quarta Lauriacensis scutaria erat Lauriaci, ubi scuta fabricabantur, & inde veniunt milites Lauriacenses, una ex XVIII. legionibus Pseudo-Comitatensibus. Ibidem Constantius aliquot condidit Jura, *l.* 1. *C. de tabul. quæ est l.* 1. *C. T. eod.* est in
D Pannonia ad ostia Anasi fluminis, cujus & Itinerarium meminit.

Quinta Salonitana armorum. Ptolemæus Salonianam appellat inter flumen Brivum & montem Sardonium. Notitia infra in Comite largitionum hanc civitatem Dalmatiæ fuisse significat, ubi Præpositum thesaurorum locat: *Præpositus*, inquit, *thesaurorum Salonitanorum Dalmatiæ.* ibidem purpura tingebatur. Nam sub eodem Comite Procurator Baphii Salonitani Dalmatiæ ponitur. In ea urbe Julianus Apostata quandoque Jura condidit, *l.* 2. *C. de ponder. & aur. illat.* Hanc Justiniani patriam fuisse multi autumant, *Gl. in c. scripsit*, *in ver. prima.* 7.
E *q.* 1. de qua supra in P.P. Illyrici. Armorum autem nomine hic non gladii ut aliàs continentur, *l. armorum. de ver. sig.* sed cassides, cataphractæ pectus tegentes, ocreæ, manicæ ferreæ, & similia.

CAP. XXXI.

DE VI. FABRICIS IN ITALIA.

IN Italia verò hæ fabricæ exercebantur: Concordiensis Sagittaria. Concordia erat opulentum Venetiæ oppidum, ubi Valentinianus *l.* 11. *C. T. de fid. test. & inst.* & Theodosius *l.* 3. *C. de apo-*
F *stat.* aliquot Jura scripserunt. Id postea ab Attila Hunnorum Rege circa annum salutis CCCCLIII. solo æquatum. De eo loquens Paulus Diaconus lib. XV. *Plura præterea*, inquit, *ejusdem regionis castella*, *immanis hostis vel captivatis civibus succensis*, *ac diruit Concordiam*, *Altinum*, *& Patavinum vicinas Aquilejæ civitates*, *fulminis instar demolitionis*

solo

ſolo æquavit: unde patet hanc Notitiam ante prædictum tempus ſcriptam fuiſſe. .

Secunda Italiæ fabrica erat Veronenſis ſcutorum & armorum. Verona opulentiſſima Cænomannorum civitas fuit, ubi ſcuta, & arma fabricabantur. Eam, & Ticinum, ab igne & ferro abſtinens Attila diripuit, inquit Paulus Diaconus. Hic à Conſtantino, & aliis Principibus plurima condita reperiuntur Jura, *l. 3. C. ſi. regun. l. 2. C. communia de ſucceſ. l. 3. C. ad l. Jul. de vi pub.* & alia quamplura. ibidem erat præſidium Sarmatarum gentilium, de quo infra poſt Duces. Hic arma à ſcutis ſeparantur, & ſunt caſſidea ac cataphractæ, ut ſupra.

Tertia fuit fabrica Mantuana loricaria, inſignis eſt Italiæ civitas, & nobilis natalibus Virgilii.

Quarta Cremonenſis ſcutaria, cujus meminit Ammianus lib. xv. cap. v. *Ad Tribunum*, inquit, *miſeras Fabrica Cremonenſis nomine Sylvam.* Hic etiam ſtabat præſidium Sarmatarum gentilium.

Quinta Ticinenſis arcuaria. Ticini quandoque Valentinianus Jura condidit, *l. 11. C. T. de legat.*

Sexta Lucenſis ſpataria, ubi ſpatæ ſeu enſes fabricabantur. Sunt omnes inſignes Galliæ Ciſalpinæ civitates, & notiſſimæ.

Cap. XXXII.

DE FABRICIS VIII. IN GALLIIS.

IN Galliis quoque erat Argentoratenſis armorum omnium, nunc *Argentinam* vocant. Vrbs eſt ſecundum Rhenum clariſſima, in Germania prima. Hic armorum nomine non tantùm caſſides cataphractaſque contineri puto, ſed & enſes haſtaſque & ſcuta, *l. armorum de ver. ſig.* quia dicit *omnium*.

Secunda Matiſconenſis Sagittaria. Matiſcona Cæſari Heduorum civitas ad Ararim. *Matiſconenſe caſtrum* vocatur in Itinerario, ubi legio x. vulgo *Mâcon* dicitur.

Tertia Auguſtodunenſis Loricaria: Auguſtodunum eſt oppidum Heduorum celeberrimum, olim *Hedua* dictum in Cemenis ſitum montibus in provincia Lugdunenſi, nunc *Auguſtunūb* dictum. Marcellinus lib. xvi. cap. 11. magni ambitus civitatem olim fuiſſe ſcribit, loquens enim de Conſtantio Imperatore: *Comperit*, inquit, *Auguſtoduni civitatis antiqua muros ſpacioſi quidem ambitus, ſed carie vetuſtatis invalidos.* Hæc ille. Reſidebat hac in urbe etiam Procurator Gynæciorum.

Quarta Sueſſionenſis Scutaria, Baliſtaria & Clibanaria. Sueſſi ſunt Helvetiorum populi, Cæſari: Auguſta eſt Veſionum Ptolomæo, ubi legio xxv. apud Itinerarium, nunc *Suiſſeris* dicuntur.

Quinta Remenſis Spataria. Remi vel Remenſes ſunt juxta Sequanam fluvium in Belgica ſecunda. ubi Remus metropolis, ait Itinerarium. Ibidem Jura quædam à Valentiniano A. condita ſunt, *l. 1. C. de can. frum. urb. Ro. l. 1. C. T. de poſtlim.* Degebat ibi Præpoſitus argentariorum, qui auro argentoque arma ornabat.

Sexta erat Triberorum Scutaria. Vrbem Triveris *Tranſalpinarum gentium maximam* Zoſimus lib. iii. cap. vii. appellat. Hic etiam degebant Præpoſiti Theſaurorum, & Brambaricariorum, ſeu argentariorum, & Procuratores Gynæciorum, ac monetarum, quæ ibi cudebantur. Hic quoque multa condita ſunt Jura, *l. 5. C. de fid. & jur. haſt. fiſca. l. 1. C. de his, qui ex pub. ration. mut. pec. accep. l. 9. C. de excuſ. mun. l. 9. C. de profeſſ. & medic. l. 20. C. de adminiſtr. tut. l. unic. C. quando civil. act. crimin. præjud. l. 1. C. T. de privil. eor. qui in ſacr. palat. mil. l. 7. C. Th. de re milit.* cum multis aliis legibus.

Septima Triberorum Baliſtaria. Itaque duæ erant Triberis fabricæ, altera ſcutorum, altera baliſtarum.

Octava Ambianenſis ſpataria, & ſcutaria. Ambiani & ipſi ſunt in Belgica Cæſari, & Ptolomæo, ubi legio xxiii. Itinerario, vulgo *Amiens* dicitur. Inde Valentinianus ad Prætextatum P. V. ſcripſit, *l. 1. C. T. de inge. lib.* Hæ ſunt Occidentis fabricæ, ſub Magiſtri Officiorum cura.

Cap. XXXIII.

DE QVÆSTORE.

SEQVITVR Quæſtor, qui & ipſe eadem habet inſignia, quæ in Oriente ſunt expreſſa, exceptis quibuſdam chartis convolutis, quas hîc addunt Manuſcripti. Iiſdem etiam utitur adjutoribus, quibus Quæſtor Orientis, de quibus cum ibi ſatis dictum ſit, non repetentur.

NOTITIA.

Sub diſpoſitione viri illuſtris Quæſtoris.

Leges dictandæ, Preces:

Habet Subadjuvantes, Adjutores, memoriales de ſcriniis diverſis.

Vetus Codex pro *Subadjuvantes*, legit, *ſubaudientes.*

ILLVSTRIS Comitis ſacrarum largitionum; prius quàm narrationem ineamus, explicare brevi tabella placuit, quibus ille imperaret, ſingula deinde etiam de noſtro more proſequemur.

Comes largitionum Occidentis imperabat
- Comitibus VI.
  - *Comiti largitionum per Illyricum.*
  - *Comiti veſtiarii.*
  - *Comiti auri.*
  - *Comiti largitionum Italicianarum.*
  - *Comiti titulorum largitionalium per Africam.*
  - *Comiti commerciorum per Illyricum.*
- *Rationalibus* XI.
  - *Summarum Pannoniæ ſecundæ, Dalmatiæ & Saviæ.*
  - *Summarum Pannoniæ primæ, Valeriæ, & Norici.*
  - *Summarum Italiæ.*
  - *Summarum Vrbis Romæ.*
  - *Summarum trium provinciarum; Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ.*
  - *Summarum Africæ.*
  - *Summarum Numidiæ.*
  - *Summarum Hiſpaniæ.*
  - *Summarum quinque provinciarum.*
  - *Summarum Galliarum.*
  - *Summarum Britanniarum.*

Theſau-



Pag. 1868 C.



Pag. 1870 A.



Comes Largitionum Occidentis imperabat

Præpositis Thesaurorum XII.
- *Thesaurorum Salonitarum Dalmatiæ.*
- *Thesaur. Siscianorum Saviæ.*
- *Thesaur. Sabariensium Pannoniæ primæ.*
- *Thesaur. per Italiam Aquileiæ.*
- *Thesaur. Mediolanensium Liguriæ.*
- *Thesaur. Urbis Romæ.*
- *Thesaur. Augustæ Vindelicensis Rhetiæ secundæ.*
- *Thesaur. per Gallias Lugdunenses.*
- *Thesaur. Arelatensium.*
- *Thesaur. Hommasensium.*
- *Thesaur. Triberorum.*
- *Thesaur. Augustensium in Britannis.*

Præpositis brarubaricariorum sive argentariorum III.
- *Argentariorum Arelatensium.*
- *Argentariorum Rhemensium.*
- *Argentariorum Triberorum.*

Præpositis Bastagarum V.
- *Bastagæ primæ Orientalis, & quartæ.*
- *Bastagæ secundæ Orientalis, & tertiæ.*
- *Bastagæ tertiæ Orientalis.*
- *Bastagæ quartæ Orientalis.*
- *Bastagæ primæ Gallicanorum, & quartæ.*

Procuratoribus monetarum VI.
- *Monetæ Siscianæ.*
- *Monetæ Aquilejensis.*
- *Monetæ urbis Romæ.*
- *Monetæ Lugdunensis.*
- *Monetæ Arelatensis.*
- *Monetæ Triberorum.*

Procuratoribus Cynegii XV.
- *Cynegii Bassianensis Pannoniæ secundæ.*
- *Cynegii Sirmiensis Pannoniæ secundæ.*
- *Cynegii Joviensis Dalmatiæ à Spalato.*
- *Cynegii Aquilejensis Venetiæ inferioris.*
- *Cynegii Mediolanensis Liguriæ.*
- *Cynegii urbis Romæ.*
- *Cynegii Canusini, & Venusini in Apulia.*
- *Cynegii Carthaginensis Africæ.*
- *Cynegii Arelatensis provinciæ Viennensis.*
- *Cynegii Lugdunensis.*
- *Cynegii Rhemensis Belgicæ secundæ.*
- *Cynegii Tornacensis Belgicæ secundæ.*
- *Cynegii Triberorum Belgicæ primæ.*
- *Cynegii Augustoduni.*
- *Cynegii in Britannis Bentensis.*

Procuratoribus Linificii II.
- *Linificii Biennensis Galliarum.*
- *Linificii Ravennatium Italiæ.*

Procuratoribus Baphiorum IX.
- *Baphii Tarentini Calabriæ.*
- *Baphii Salonitani Dalmatiæ.*
- *Baphii Cissensis Venetiæ, & Histriæ.*
- *Baphii Syracusani Siciliæ.*
- *Baphiorum omnium per Africam.*
- *Baphii Girbitani provinciæ Tripolitanæ.*
- *Baphii insularum Balearium in Hispania.*
- *Baphii Telonensis Galliarum.*
- *Baphii Narbonensis.*

A

NOTITIA.

Sub dispositione Viri illustris Comitis Sacrarum Largitionum.



COMES Largitionum per Illyricum.
Comes Vestiarii.
Comes Auri.
Comes Largitionum Italicianorum.
B Comes Titulorum Largitionalium per Africam.
Rationales summarum Pannoniæ secundæ, Dalmatiæ, & Saviæ.
Rationalis summarum Pannoniæ primæ, Valeriæ, Norici Mediterranei & Ripensis.
Rationalis summarum Italiæ.
Rationalis summarum urbis Romæ.
Rationalis summarum trium Provinciarum, id est, Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ.
Rationalis summarum Africæ.
C Rationalis summarum Numidiæ.
Rationalis summarum Hispaniæ.
Rationalis summarum quinque provinciarum.
Rationalis summarum Galliarum.
Rationalis summmarum Britanniarum.
Præpositus Thesaurorum Salonitarum Dalmatiæ.
Præpositus Thesaurorum Siscianorum Saviæ.
Præpositus Thesaurorum Sabariensium Pannoniæ primæ.
D Præpositus Thesaurorum per Italiam Aquilejæ.
Præpositus Thesaurorum Mediolanensium Liguriæ.
Præpositus Thesaurorum Urbis Romæ.
Præpositus Thesaurorum Augustæ Vindelicensis, Rhetiæ secundæ.
Præpositus Thesaurorum per Gallias Lugdunenses.
Præpositus Thesaurorum Arelatensium.
Præpositus Thesaurorum Nemausensium.
Præpositus Thesaurorum Triberorum.
E Præpositus Thesaurorum Augustensium in Britannis.

Procuratores Monetæ.

Procurator Monetæ Siscianæ.
Procurator Monetæ Aquilejensis.
Procurator Monetæ Urbis Romæ.
Procurator Monetæ Lugdunensis.
Procurator Monetæ Arelatensis.
Procurator Monetæ Triberorum.

Procuratores Cynegiorum.

F Procurator Cynegii Bassianensis Pannoniæ secundæ translati Salonis.
Procurator Cynegii Sirmiensis Pannoniæ secundæ.
Procurator Cynegii Joviensis Dalmatiæ à Spalato.

Procurator Cynegii Aquilejensis Venetiæ inferioris.
Procurator Cynegii Mediolanensis Liguriæ.
Procurator Cynegii Urbis Romæ.
Procurator Cynegii Canusini & Venusini in Apulia.
Procurator Cynegii Carthaginensis Africæ.
Procurator Cynegii Arelatensis Provinciæ Viennensis.
Procurator Cynegii Remensis Belgicæ secundæ.
Procurator Cynegii Tornacensis Belgicæ secundæ.
Procurator Cynegii Triberorum Belgicæ primæ.
Procurator Cynegii Augustoduni translati Metis.
Procurator Cynegii in Britannis Bentensis.

Procuratores Linificii.

Procuratores Linificii Biennensis Galliarum.
Procuratot Ravennatium Italiæ.

Procuratores Baphiorum.

Procurator Baphii Tarentini Calabriæ.
Procurator Baphii Salonitani Dalmatiæ.
Procurator Baphii Cissensis Venetiæ, & Histriæ.
Procurator Baphii Syracusani Siciliæ.
Procurator Baphiorum omnium per Africam.
Procurator Baphii Girbitani Provinciæ Tripolitanæ.
Procurator Baphii insularum Balearium in Hispania.
Procurator Baphii Telonensis Galliarum.
Procurator Baphii Narbonensis.

Præpositi Brambaricariorum sive Argentariorum.

Præpositus Brambaricariorum sive Argentariorum Arelatensium.
Præpositus Brambaricariorum sive Argentariorum Remensium.
Præpositus Brambaricariorum sive Argentariorum Triberorum.

Præpositi Bastagarum.

Præpositus Bastagæ primæ Orientalis & quartæ.
Præpositus Bastagæ secundæ Orientalis & tertiæ.
Præpositus Bastagæ tertiæ Orientalis.
Præpositus Bastagæ quartæ Orientalis.
Præpositus Bastagæ primæ Gallicanorum & quartæ.
Comes Commerciorum per Illyricum.
Officium autem viri illustris suprascripti Comitis sacrarum Largitionum habet,
Primicerium totius Officii.
Primicerium Scriniorum Canonum.
Primicerium Scriniorum Tabulariorum.
Primicerium Scriniorum Aureæ Massæ.
Primicerium Scriniorum Auri. ad responsum.
Primicerium Scrinii Vestiarii Sacri.
Primicerium Scrinii ab Argento.
Primicerium Scrinii à Miliarensibus.
Primicerium Scrinii à pecuniis, & cæteros Scriniarios.
Secundocerium Officii, qui Primicerius est exceptorum.
Tertiocerium Officii, qui tractat Bastagas.

CAP. XXXIV.

DE ILLUSTRI COMITE SACRARUM LARGITIONUM.

COMMENTARIUM.

COMES Largitionum Occidentis ferè eodem modo se habet, quo Orientis, exceptis ministris, quibus hic quandoque pluribus utitur, & hic in Notitia latius clariusque distinguuntur, sigillatim enim inferiores Comites largitionum, Rationales, Procuratores diversorum negociorum, Præpositosque recenset, quod in Oriente non est observatum.

Comites Largitionum inferiores in Oriente sex erant, quot & Diœceses: hic verò quinque tantùm, ex quibus tres in totidem Diœcesibus pluribus stipendia solvendo largitionum officium exercebant, videlicet in Illyrico, Italia, & Africa. In Galliis, & Hispania nullus largitiones procurasse invenitur, quòd, ut puto, hoc tempore hæ Diœceses à Barbaris vexarentur, aut detinerentur: quidam tamen in his Præfecti & Procuratores, qui antè ibi esse consueverant, infra referuntur. Itaque duobus largitionum Comitibus, qui in Hispaniis, & Galliis esse solebant, prætermissis, alios referemus. Primus per Illyricum largitiones tractabat, ejusque Diœceseos tributa, ac vectigalia exigi, ac militibus ibi degentibus, magistratibus, aliisque stipendia persolvi procurabat. Secundus Comes Largitionum erat in Italia. Sed inter hunc & præcedentem à Notitia duo Comites interseruntur, scilicet vestiarii & auri, ille vestes Principis, lintea, stragulas, mantilia, aulæa, & hujusmodi alia custodiebat. In Oriente pro hoc Magister lineæ vestis, & privatæ ponitur, unde utriusque officio hic fungebatur. Ne verò illa harum vestium subtrahi vel perire posset, in officio Comitis Largitionum scrinium sacri vestiarii erat, in quo numerus omnium vestium sub Primicerio erat descriptus, *l. 2. C. de milita. veste.*

Alter Comes auri dicebatur, forsan qui argentum auro permutari, & in massam conflari curabat, unde in officio largitionum erat scrinium aureæ massæ, in quo hujus negotii rationes scribebantur. Fortè intelligitur, qui auri fodinis, & metallis præerat, aut qui tractabat aurum ad responsum, cujus scrinii scribas Gratianus Perfectissimorum titulo honestat, *in l. scriniar. C. de palatin. sacr. largit.* Quia verò vestiarii Comiti hic conjungitur, fortè is intelligitur, qui annulos aureos, coronas, torques, & alia Principis ornamenta custodiebat. In Oriente hic non legitur. Sed fortè ejus officio Præfectus thesaurorum, aut Comes metallorum fungebatur in Occidente omissi, quorum vices hic auri Comes implere poterat.

Secun-

Secundus Comes Largitionum Italicianarum, sed quartus in numero Comitum, largitionibus in Italia faciendis præerat, ubi stipendia militibus, aliisque persolvi curabat.

Ultimus sequitur Comes titulorum largitionalium per Africam, qui dona & salaria in ea provincia facienda tractabat. Hi omnes locum Comitis primi largitionum tenebant, ejusque mandata exequebantur.

Rationales quoque undecim in diversis provinciis canones arcæ largitionum debitos, & tributa, vectigaliaque exacta, & exigenda scribebant, eorumque rationes quisque in sua provincia notabat, qui *Rationales summarum*, id est, pecuniæ vocabantur. Id enim hic summa significat, ut sæpe in Jure scripitur, *l. scire debemus, l. 29. ff. de ver. ob.* Quandoque Rationales, aut Procuratores summæ rei appellantur, *l. 7. C. ubi caus. fiscal.* sic Julianus Apostata Verecundum Rationalem summarum nominat, *in l. 7. C. T. de jur. fisc.* id est, pecuniarum Principis. officium seu cohortales habebant, qui bona non solventium tributa sub hasta vendebant. Constantinus Faustino Præsidi Bæticæ, *in l. ult. C. si propt. publ. pensi.* *Si quis*, inquit, *fundum, aliamve rem ob cessationem tributorum, vel vestium, auri, argentique debitum, quæ annua exactione solvuntur, sub hasta distracta comparaverit, perpetuam emptionis obtineat firmitatem, nihil interest, utrum officium summæ rei procuratoris, an rectoris provinciæ, id quod debitum fuerit, proposuerit.* Hæc ille. Hi etiam officiales Rationales vocantur, *l. Officiales rationales, C. de episc. & cler.* quod etiam de omnibus rationes tractantibus potest intelligi. Iidem Procuratores appellabantur, Lampridius in *Alexandro* cap. XLV. *Ubi aliquos*, inquit, *voluisset procuratores, id est, Rationales ordinare, nomina eorum proponebat:* etsi quandoque pro diversis ponuntur. prædicti verò Rationales erant sequentes, viri perfectissimi nuncupati, *l. 2. C. de bon. vacan.* ita enim Symmachus lib. 1. *Epistola.* ad Theodosium scribens, Bassianum Rationalem appellat. Hoc nomine eos & Imperator ita honestabat, GRAVITAS TUA. *l. 1. C. de his, qui se defer.*

RATIONALIS summarum Pannoniæ secundæ, Dalmatiæ, & Saviæ.

RATIONALIS summarum Pannoniæ primæ, & Valeriæ, Norici mediterranei & Ripensis.

RATIONALIS summarum Italiæ, urbis Romæ, cujus sub Constantio Rationalis Victor fuit, *in l. 14. C. T. de appell.* qui, ut alii Rationales, de causis fiscalibus cognoscebat, *d. l. 14.*

RATIONALIS trium provinciarum, id est, Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ, quarum Constantino imperante Eufraxius Rationalis fuit, *l. 1. C. de susce. & arca. l. 2. C. T. eo. l. 1. C. de pond. & auri illat.* Cui Gerulus successit, *l. hi. C. T. com. divid.* mox Callepius, *l. 5. C. T. de petit. ultr. dat.* Ob vicinitatem his tribus insulis unus sufficiebat Rationalis.

RATIONALIS summarum Africæ, quo officio sub Constantino Maximus fungebatur, *l. 1. C. T. de metal. & metalla.* Hujus Rationalis meminit in *Gordianis* Capitolinus.

RATIONALIS summarum Numidiæ, cujus sub eodem Constantino Rationalis erat Juvenalis, *l. 4. C. Theo. de bon. vacan.*

RATIONALIS summarum Hispaniæ, qui proprium officium, quemadmodum alii Rationales, habebat, *l. 1. C. de his. qui se defer.* Constantinus Rationali Hispaniarum: *Is*, inquit, *cujus tacitè fidei commissa est hæreditas, officio gravitatis tuæ nunciet.*

RATIONALIS summarum quinque provinciarum, videlicet Hispaniæ ulterioris, trans Iberum, scilicet Carthaginensis, Lusitaniæ, Gallicicæ, Bæticæ Transfretanæ seu Tingitanæ, ut dividit Sext. Rufius.

RATIONALIS summarum Galliarum, & RATIONALIS Britanniarum, quæ regiones, etsi eo tempore magna ex parte à Barbaris occupatæ, suos tamen retinuere Rationales, qui ubi poterant officium exercebant. In Oriente unus nominatur Rationalis, & Comes summarum Ægypti. In aliis ejus provinciis Comites Largitionum per omnes Diœceses eorum fungebantur officio. In Occidente verò per XI. regiones erant dispositi, de quorum auctoritate, & officio in Oriente est dictum.

CAP. XXXV.

DE PRÆPOSITIS THESAURORUM.

EXACTA ex oppidorum vectigalibus pecunia in munitum provinciæ locum deferebatur, inde ad Comitatum mittenda, *l. 1. C. de can. larg. tit.* Locus ille *Thesaurus* vocabatur, ejus custodes *Thesaurenses*, & qui præcipuam eorum curam habebant, *Thesaurorum præpositi*, qui XII. hîc recitantur, quot erant Thesauri, seu loca, in quibus summa pecuniæ ex provincia exactæ conservabatur. Nullus verò Africæ aut Hispaniarum Thesaurus nominatur, etsi supra earum Rationales sint descripti. Quod occupatis tum his provinciis à Barbaris, sola prioris status vestigia permanebant. Præpositi igitur in provinciis Thesaurorum erant sequentes.

I. PRÆPOSITUS Thesaurorum Salonitarum Dalmatiæ. Hic degebat Salonæ, quæ est urbs ad mare Hadriaticum, ab Asinio Pollione, imperante Augusto, expugnata, ubi deposito Imperio Diocletianus in hortis a se consitis consenuit, Eusebius, Victor & Eutropius tradunt. Hic erat etiam fabrica armorum, & purpuræ baphium, & aliquot Jura ibi sunt condita, *l. 2. C. de ponderat. & aur. illat.*

II. PRÆPOSITUS Thesaurorum Siscianorum Saviæ, hic morabatur Siscis. Alii scribunt *Scissia*, ubi etiam moneta cudebatur, & est propè Albanum montem, citra Savum in regione Pannoniæ superioris, quam Notitia *Saviam* vocat.

III. PRÆPOSITUS Thesaurorum Sabariensium Pannoniæ primæ: pro Sabaria alii scribunt *Savaria*: est oppidum inter Danubium, & Savum flumen, ubi erat alius thesaurus. Ibi Constantinus & Valentinianus aliquot Jura scripserunt, *l. 6. C. The. de pet. & ultr. dat. l. 15. C. T. de suscep. & arcar. l. 3. C. Th. de auro coro.*

IV. PRÆPOSITUS Thesaurorum per Italiam Aquilejæ. Hæc fuit prima urbs post Romam in Italia, ubi Maximinus Cæsar est occisus: Eam Attila Anno salutis CCCCLIII. evertit, Paulus Diac. Cassiodorus, D. Prosper. Hic etiam plura Jura condita fuere, *l. 7. C. de anno. & tribut. l. 25. C. de decurio. l. 4. C. de malefic. l. 7. & 9. C. de murilegul. l. pe. C. de delat. l. 11. C. qui dar. tut. poss.* Secunda Roma est appellata, Leandri Cosmographus. Alii Romaniam seu Romantianam, Martyrologium XXII. *Junii*, vocant.

V. PRÆPOSITUS Thesaurorum Mediolanensium Liguriæ. Mediolanum inter urbes Galliæ Cisalpinæ Insubrum opulentissimum, olim in Liguria fuit, nunc caput Longobardiæ, ubi plura Jura fuere scripta, *l. 2. C. de bon. vacan. l. 3. C. de assessor. l. 7. C. de defensorib. civit. l. 1. C. de sportul. l. 5. C. de jurisd. om. jud. l. 9. C. de pig. act. l. 1. C. de tuto. vel curat. illustr. person. l. 2. C. quan. mul. tu. off. fung.* & alia multa.

VI. PRÆPOSITUS Thesaurorum urbis Romæ.

VII. PRÆPOSITUS Thesaurorum Augustæ Vindelicensis Rhetiæ secundæ. Augusta Vindelicorum vocatur prope Lycum amnem in Vindelicia posita.

VIII. PRÆPOSITUS Thesaurorum per Gallias Lugdunenses.

IX. PRÆPOSITUS Thesaurorum Arelatensium. *Arles* nunc dicitur, urbs opulentissima in Provincia ad ripam Rhodani sita. Hic cudebatur moneta, argentum armis inducebatur, & Procurator Gynæciorum degebat. Aliquot etiam Jura ibi condita reperiuntur, *l. 5. & 6. C. The. de appellat.* ejus & Jureconsulti meminerunt, *l. 34. de usufruct. leg. l. 19. de institor.*

X. PRÆPOSITUS Thesaurorum Nemausensium. Nemausum, nunc *Nimes* vocatur, est in Narbonensi inter Ararim & Monobium flumina. *Nemasia* à Valentiniano appellatur, *in l. ult. C. Th. de pond. & aur. illat.* sed mendosè, ut puto.

XI. PRÆPOSITUS Thesaurorum Triberorum: sunt in Gallis Belgica, ut in fabricis Galliarum est dictum. Hic etiam moneta cudebatur, fabrica exercebatur, argento arma ornabantur, & Gynæciorum Procurator degebat, pluraque Jura ibi condita fuere, ut supra in fabricis Galliarum dixi.

XII. PRÆPOSITUS Thesaurorum Augustensium in Britannia. Hi Præpositi cum ministris à Valentiniano A. appellantur Thesaurenses, *l. 2. C. de pal. sacrar. largit.* qui navibus necessarias ad largitiones species transvexisse creduntur, quia Thesaurensium classis à Leone appellatur, *in l. ult. §. item scrinii sacrarum epistolarum. C. de diver. offic.* Sed ego vereor, ne ibi Thesaurensium numerus ob multitudinem hominum classis vocetur, qui sine probatoria Principis, quæ ex scrinio epistolarum emanabat, creari non poterant. Nunc ad alios largitionum ministros, id est, Procuratores, est transeundum.

CAP. XXXVI.

DE PROCURATORIBUS MONETÆ.

TRIGINTA duo Procuratores eidem Comiti parebant, nempe VI. monetæ, XV. Gynæciorum, & IX. baphiorum. Monetam non civitates, non Præsides, Vicariive, aut P. P. cudebant, sed hæc facultas à Principe Magistro largitionum demandabatur, ut qui Principis pecuniam tractabat, eam quoque percuti curaret. In Occidente VI. tantùm in locis moneta signabatur, quibus totidem Procuratores præerant, videlicet:

I. PROCURATOR monetæ Sisciane. Sisciam urbem Saviæ in Pannonia secunda, seu inferiore Notitia in ejus Duce collocat, ubi degebat Tribunus cohortis III. Alpinorum, & ibidem stationem classis Ægentensium habebat.

II. PROCURATOR monetæ Aquilejensis: Aquilejæ enim tantùm moneta in Italia imprimebatur, & Romæ. *Aquileja*, inquit Herodianus lib. VIII. cap. IV. *urbs magna populo abundabat, ac velut Italiæ quoddam emporium ad mare sita, quasique terminus Illyria, copiam rerum è continente per terram, fluviisque convectam navigantibus suggerebat. ..... Ex quo factum, uti semper ingentem civium numerum, etiam magna vis hospitum ac mercatorum eam urbem frequentaret.* Hæc ille. Ad ipsam flumine adverso onerariis navibus, per Natisonem fluvium plus stadiis LX. navigabatur, vinum, oleum, mancipia, pelles, jumentaque eo ab Illyricis gentibus subvehebantur, inquit Strabo in quinto.

III. PROCURATOR monetæ urbis Romæ. In æde Junonis monetæ, quæ est in tertia urbis regione, pecuniam Romæ percussam fuisse auctor est Suidas in verbo μονήτα. *Cum Romani*, inquit, *pecunia indigerent in bello contra Pyrrhum & Tarentinos, Junoni supplicarunt, quæ respondit; non defuturam illis pecuniam, si armis juste uterentur, quod cum illis ex voto successisset, Junonem monetam sunt venerati, & ob consilium in ejus templo monetam cudi voluerunt.* Hæc Suidas. Livius lib. I. & Cicero in I. *Divin.* aliam Junonis monetæ originem tradunt.

IV. PROCURATOR monetæ Lugdunensis.

V. PROCURATOR monetæ Arelatensis, de qua urbe supra. Imperante Justiniano hic non vultus Principis, ut alibi, monetæ imprimebatur, sed ipsorum Arelatensium insigne. Procopius lib. III. de bello Goth. *Ut Gallias*, inquit, *Germani haberent, Justinianus permisit: ex quo tempore Principes Germanorum Massiliam, & cætera circa id mare loca tenuerunt, unde & Arelate resident. Aureum nummum nativo è Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris, ut cæteri solent, imagine, sed sua impressa, qui erat genius forma hominis alati percussus.* Hæc ille.

CAP. XXXVII.

DE PROCURATORIBUS CYNEGIORUM, *aut Gynæciorum.*

CYNEGIUM locum esse ait Suidas, in quo feræ conficiebantur, ut erat Amphitheatrum vel leporarium, à κυνὸς quod *canem* significat. Hanc κυνηγίαν Justinianus appellat, *in Novel. 105. §. 1. seu Auth. de Consulib.* si ita legamus, venatio intelligeretur, quâ feræ capiebantur ad Principis comitatum & mensam transmittendæ, & aliæ ad spectacula populo in Amphitheatro exhibendæ. Verum Cynegii lectionem non probo: nam huic studio non certi Procuratores, sed Duces in limitibus vacabant, qui ursos, leones, aliasque feras vivas ad Principem mittebant, nec ultra septem dies in civitatibus, per quas meabant, retineri poterant, ne cives, qui illis cibaria ministrabant, nimis onerarentur, *l. 2. C. Theo. de venat. ferar.* Deinde stultum, ut puto, fuisset tot Procuratores in provinciis venandi causâ aluisse, qui nec Comiti largitionum, sed potius Castrensi obsequi debuissent. His accedit, quòd in Oriente nulli Cynegiorum Procuratores leguntur. Quare scriptorum culpâ impressum exemplar depravatum fuisse non dubito, & pro CYNEGIO, GYNÆCIUM reponendum, ut habent Manuscripti, & Notitia Orientis. Postremò nulli in Occidente Gynæciorum Procuratores invenirentur; qui texendis tot Principis, militumve vestibus, navium velis, stragulis, linteis, & aliis ad instruendas mansiones erant necessarii. Quot essent in Oriente, non exprimitur: sed in Occidente XV. diversis in provinciis Gynæcia procurabant; duo in Illyrico, quatuor in Italia, unus in Africa, duo in Galliis, quinque in Belgis, & unus in Britanniis, præter alios duos linificii Procuratores. Erant autem sequentes:

I. PROCURATOR Gynæcii Bassianensis Pannoniæ secundæ translati Salonis. Hæc textrina consueverat esse Salonæ, quam diximus esse in Dalmatis, ad littus maris Hadriatici: Inde, ut credo, propter Barbarorum excursiones Bassianam est translata, quæ urbs est in Pannonia inferiore, sive secunda, prope Savum flumen ad radices montis Tarsii, ubi hic Procurator telas texi curabat.

II. PROCURATOR Gynæcii Sirmiensis Pannoniæ item secundæ. Sirmium Danubium versus propius Septentrionem non longè distat à Bassiana, de quo supra in Fabricis.

III. PROCURATOR Gynæcii Joviensis Dalmatiæ à Spalato. Hic fuit palatium Diocletiani propè Salonam, inquit Volaterranus, & quoniam se Jovem, vel Jovium appellabat, præter milites quos Jovianos dixit, etiam hanc regionem Spalato proximiorem à se *Joviam* nominavit, ubi hoc tempore à Spala-

Spalato propter vicinos hostes remotum Gynæcium exercebatur.

IV. PROCVRATOR Gynæcii Aquilejensis Venetiæ inferioris: superior enim Venetia est ultra Tilaventum flumen, alii dicunt Natisonem.

V. PROCVRATOR Gynæcii Mediolanensis Liguriæ.

VI. PROCVRATOR Gynæcii urbis Romæ, ubi præcipuè rerum pretiosarum textrina erat.

VII. PROCVRATOR Gynæcii Canusini, & Venusini in Apulia: Canusium est juxta Aufidum amnem propè Cannas, ubi memorabilem cladem ab Annibale Romani acceperunt, non longè abest à Venusia patria Horatii poetæ.

VIII. PROCVRATOR Gynæcii Carthaginensis Africæ. Hoc solum Gynæcium erat in Africa.

IX. PROCVRATOR Gynæcii Arelatensis provinciæ Viennensis. olim Vienna erat caput Allobrogum, unde Viennensis ad Rhodanum usque extendebatur, ac Arelate continebat. Hic erat etiam locus thesauri, & brambaricariorum, ubi & Jura Constantinus condidit, *l. 6. C. T. de appellat.* & moneta cudebatur. Ejusque meminerunt Jureconsulti, *l. 13. de instit. l. 34. de usufr. leg.*

X. PROCVRATOR Gynæcii Lugdunensis. Hic etiam erat thesaurus Principis, & moneta percutiebatur.

XI. PROCVRATOR Gynæcii Remensis Belgicæ secundæ. Remi non longe absunt Parisiis ultra Sequanam fluvium in Belgica secunda apud Itinerarium, ibi quoque erat fabrica spataria, præpositus brambaricariorum, ibidem Valentinianus quandoque Jura scripsit, *l. 1. C. de can. frum. urb. Rom. l. 1. C. de postlim.*

XII. PROCVRATOR Gynæcii Tornacensis Belgicæ secundæ, vulgo *Tornac.* Itinerarium legit *Turracum.*

XIII. PROCVRATOR Gynæcii Triberorum Belgicæ primæ. Triberi aliàs Trevirenses dicuntur: apud quos & Comes privatarum suum Gynæcium privatum habebat.

XIV. PROCVRATOR Gynæcii Augustoduni translati Metis. Augustodunum est in montibus Cemenorum in Burgundia, quo Metis translatum est Gynæcium: Metis autem non longe est à Tiberis.

XV. PROCVRATOR Gynæcii in Britanniis Dremtensis.

PRÆTERA hos erant & Procuratores Linificii ad comparandum linum instituti duobus in locis, in quibus magna colligebatur lini copia. Primus erat Biennensis Galliarum: puto legendum *Bernensis*, prope montes Pyrenæos in Galliis, vel Viennensis, quæ est metropolis Delphinatus in Allobrogibus inter Isaram & Rhodanum flumina: *Gallia*, inquit Plinius lib. XIX. cap. 1. loquens de lino, *hoc reditu censentur:* In Æmilia verò Italiæ Faventinum linum ibidem laudat. Alius erat in Italia Procurator Linificii Ravennatium, etiam nunc lini proventu celebratorum, qui linum ad lintea, mantilia, indusia, aliasque vestes ad usum Principis & aulæ excoli, conficique curabat. Ravennam, ut auctor est Zosimus, Imperii sedem Honorius transtulit, ubi plura ipse Jura, & alii sequentes Principes condiderunt, *l. 10. C. de jure fisc. l. 4. C. de bo. vacan. l. 2. C. ut intr. cert. temp. crim. act. l. fi. C. de requir. reis. l. 35. C. de adult. l. ult. C. de his qui accu. pos. l. 9. C. de revoc. donat. l. fin. C. de postlim. reverf.* *Ravenna*, inquit Zosimus lib. III. cap. XXVII. *est metropolis Flaminiæ, prisca civitas, colonia Thessalorum, Rhene dicta, quod eam aqua ab omni parte circumfluant, non autem, velut Olympiodorus Thebanus ait, quod Rhemus Romuli frater hujus urbis conditor fuerit. Hoc enim Quadrato relinquere debuerat, qui de hac urbe in historia Marci Principis id commemoravit:* Hæc Zosimus. Jornandes *de reb. Geticis* eam ad ostia Eridani amœnissimum portum habuisse scribit, CCC. naves tutissima statione continentem: is tum Justiniano imperante, in spaciosissimos, & speciosissimos hortos conversus erat: Urbs ipsa Trigemina tribus etiam nominibus appellabatur, *prima Ravenna, ultima Classis, media Cæsarea inter urbem & mare plena mollitie, arenaque munita, & vectationibus apta.* Hæc Jornandes.

CAP. XXXVIII.

DE PROCVRATORIBVS BAPHIORVM.

NOVEM alii sub eodem Comite largitionum Occidentis erant Procuratores Baphiorum, in quibus totidem in locis purpura ad usum Principis, lana, & sericum tingebantur, *l. 1. C. quæ res ven. poss. l. 3. & seq. C. de vestib. holob.* quod à privatis fieri primus Nero prohibuit, ut auctor est Tranquillus in *eod.* cap. XXXII. post quem alii Principes id capitali pœna imposita districtius vetarunt. Gratianus *in l. 1. C. quæ res ven. non poss.* ad Faustum Comitem largitionum: *Fucandæ*, inquit, *aut distrahendæ purpuræ vel in serico, vel in lana facultatem nullam habere posse privatus: sin autem aliquis supradictis muricis vellus vendiderit, fortunarum & capitis sciat se subiturum discrimen:* Cum ergo usus purpuræ ad solum Principem spectaret, pluribus in locis eoquebatur, & ejus vestes tingebantur. Baphiorum autem erant hi Procuratores.

I. PROCVRATOR Baphii Tarentini Calabriæ: nota est civitas, ubi purpura excoquebatur.

II. PROCVRATOR Baphii Salonitani Dalmatiæ, de quo supra.

III. PROCVRATOR Baphii Cissensis Venetiæ, & Histriæ, pro Cissensis, lego *Cistensis*, genus est tincturæ, florem cisti rosaceum vel puniceum imitans, auctore Plinio, & Dioscoride. *Rhodinum* Jura appellant, *l. 3. C. de vestibus holober.* colorem cissites gemmæ intelligit, *qua*, inquit Plinius lib. XXXVII. cap. XI. *in candido collucet, hederæ foliis similis.* Hoc Baphiom per totam ferè Venetiam Histriamque exercebatur: unde Cissensis loci nomen esse potest.

IV. PROCVRATOR Baphii Syracusani Siciliæ. Syracusis in Sicilia tingebatur lana & sericum.

V. PROCVRATOR Baphiorum omnium per Africam, quæ plura erant, sed eorum loca reticentur.

VI. PROCVRATOR Baphii Girbitani provinciæ Tripolitanæ.

VII. PROCVRATOR Baphii insularum Baleariom in Hispania, nunc *Majorica* & *Minorica* appellantur.

VIII. PROCVRATOR Baphii Telonensis Galliarum: lego *Tolonensis*, à Tolona prope Massiliam ad littus maris.

IX. PROCVRATOR Baphii Narbonensis in Galliis.

CAP. XXXIX.

DE PRÆPOSITIS BRAMBARICARIORVM, SEV ARGENTARIORVM.

ARGENTARIOS à Barbaricariis, tam Constantinus *l. 1. C. de excusat. artific.* quàm Gratianus *in l. servmit. 7. in fine. C. de pal. sacr. largit.* de officio Comitis largitionum agens distinguit. Notitia verò ferè pro iisdem ponit & *Brambaricarios* vocat. Leo A. *in l. 5. C. de agentib. in reb.* aliàs est *l. 1. C. de præpos. agent. in reb. tit. sequent.* *Barbarios* mendosè, ut puto, pro Barbaricariis appellat. Hic Argentarii sunt qui vasa argentea fabricant, quos Javolenus *in l. pen. ff.*

de aur. & arg. leg. fabros argentarios nominat. Justinianus *in l. ult. C. de pign. l. pen. §. ul. C. de const. pecu.* argenti distractores. Barbaricarii verò sunt, qui, ut ait Poëta in VII. *Æneid.*

— Thoracas ahenos,
Aut leves ocreas lento ducunt argento.

Donatus in II. *Æneid. Barbaricarii*, inquit, *dicuntur, qui ex auro coloratis filis exprimunt hominum formas, animalium, & aliarum specierum imitatam subtilitate veritatem.* Quod à Barbaris hæc opera emanarint, *barbarica* sunt appellata, & *Barbaricarii* eorum operatores. Valentinianus ad Tacianum Comitem Largitionum scribit, *in l. 1. C. T. de fabricensibus.* Antiochiæ octo cassides totidemque buculas auro tectas deauratasque singulis XXX. diebus solitas fabricari. Sub his ergo continebantur tam qui aurea argenteaque vasa, quàm qui vestes auratas signis conspicuas & alia hujusmodi faciebant. Hi in Oriente sub hoc Comite non inveniuntur, fortè quia in fabricis hæc ars sub Magistro Officiorum exercebatur, *l. 5. C. de agen. in reb.* Tribus verò in locis Occidentis pro Principe vasa & arma deaurata elaborabant, quibus sub Comite Largitionum tres sequentes imperabant.

I. PRÆPOSITUS Brambaricariorum, sive Argentariorum Arelatensium.

II. PRÆPOSITUS Brambaricariorum, sive Argentariorum Remensium.

III. PRÆPOSITUS Brambaricariorum, sive Argentariorum Triberorum, de quibus suis locis supra dictum fuit.

CAP. XL.

DE PRÆPOSITIS BASTAGARUM.

BASTAGAM onus esse transferendi res Principis, vel arma commeatumve ad milites in Orientali Imperio diximus: Hæc plaustris, equis, navibusque vehebantur. Sed hic fortè de nauticis tantùm intelligit, ubi octo nominantur Bastagæ, quarum quatuor diversis vicibus in Orientem, aliæ quatuor in Occidentem ibant, singulæque à suis Præpositis sollicitabantur, qui erant cohortales. Nam Valentinianus Apparitoribus Syriæ Bastagæ eumm remittit, quod aliorum cohortalium id onus fuisse indicat, *l. 3. C. de cohor.* Bastaga ad milites spectans à Præfecto Prætorio, *l. 2. C. de quib. mun. vel præst. nem. lic. se excu.* seu ejus officio, vel proximo Præside indicebatur, ut arma, annona, sarcinæ, & similia transferrentur. Militares verò vestes, vel pecunia transferenda, & alia hujusmodi, ad Comitem Largitionum pertinebant, Tertioceriusque ejus officii, quemadmodum in Oriente, rerum transvectarum tempus, numerum, & qualitates in codices referebat. At Bastagæ, quibus vestes Principis & ejus argentum, suppellex, & alia hujusmodi transferebantur, ad Comitem privatarum spectabant. Ut verò tutius irent, Bastagas pars legionis III. Italicæ sub duobus Præfectis comitabatur, qui singuli peditibus circiter mille imperabant. Aliæ tres partes hujus legionis sub aliis tribus Præfectis, limitem Reticum custodiebant, quemadmodum sub ejus Duce videbitur. Præpositi autem Bastagarum erant sequentes:

PRÆPOSITUS Bastagæ primæ Orientalis, & quartæ. Hæ transvectiones erant specierum, quæ ex Oriente quater quolibet anno navibus advehebantur, ut lana, sericum, byssus, purpura, & fortè frumentum ex Alexandria, saccarum, cinnamomum, & cætera, quæ à Marciano recensentur *in l. ult. §. species. ff. de publ.* Is Præpositus primam, & quartam transvectionem curabat, sed verendum ne delendum sit *Quarta*: Nam alius legitur infra Quartæ Orientali Bastagæ præfuisse.

ALIUS Præpositus curam habebat secundæ & tertiæ Bastagæ, seu transvectionis Orientalis, id est, rerum ex Oriente advehendarum. Hic etiam vereor ne superfluum sit verbum, *Tertiæ*, cui infra alius datur Præfectus.

TERTIUS igitur fuit Præpositus Bastagæ tertiæ Orientalis.

PRÆPOSITUS Bastagæ quartæ Orientalis: Hæc vitio librariorum bis repetitur, sicut & tertia. Itaque quælibet Bastaga suum habuit Præpositum. Hi erant Præpositi Orientali Bastagæ: Sequentes verò Occidentali, quæ tendebant in Occidentem, & Gallicana appellatur.

PRÆPOSITUS Bastagæ primæ Gallicanorum, & quartæ. Hic erat Præfectus transvehendis rebus ex Galliis, aut per Gallias. Sed cum quarta nominetur Bastaga Gallicana, oportuit esse secundam & tertiam, quæ hic reticentur: unde mendosum hunc codicem fuisse oportet, & secundæ tertiæque Bastagæ Præpositum desiderari. In Oriente Præpositi Bastagarum generaliter nominantur, nulla primæ, aut secundæ tertiæve facta distinctione.


Præter hos Comes unus commerciorum per Illyricum in Occidente, & non in aliis provinciis, sub generali Comite Largitionum reperiebatur, cum quatuor essent in diversis Orientis provinciis, quorum officium ibi est declaratum.


Comes Largitionum Occidentis eadem habebat insignia, quæ Comes Largitionum Orientis, idemque plane officium, in quo mendosè ibi scriptum est, *ab anularensibus*, hic rectè, *à milliarensibus*, qui sunt genus monetæ, ut ibi est explicatum. Hic etiam primis quinque Primiceriis, & cuique plura scrinia tribuuntur, in Oriente singula singulis. Item in copice impresso, mendosè legitur *Primicerius numerorum* pro *Numerariorum*, ut habent Manuscripti. in cæteris conveniunt. Ursini codex in insignibus præter grande scrinium claustris, ac ferreis laminis firmatum, aliud rotundum armarium ostendit rotundo hemisphærio tectum, & tres fibulas ad saccos claudendos & transfigendos. Madrucianus quoque duas arcas, luteam & coeruleam claustris firmatas habet, & quatuor fiscos operculo obseratos, & quintum aureos effundentem. Loculos præterea & fibulas, aliaque in Orientis largitione ostensa, & ibi declarata. Hæc de Largitionibus sufficiant, nunc ad Comitem rerum privatarum est veniendum, cujus ministrorum breviarium subjeci.

Comes rerum privatarum Occidentis imperat

- *Comitibus* II.
  - *Largitionum privatarum.*
  - *Gildoniaci patrimonii.*
- *Rationalibus* XI.
  - *Rerum privatarum per Illyricum.*
  - *Privatarum per Italiam.*
  - *Res privata per Italiam.*
  - *Res privata per urbem Romam, & suburbicarias regiones cum parte Faustina.*
  - *Res privata per Siciliam.*
  - *Res privata per Africam.*
  - *Res privata per Hispanias.*
  - *Res privata per Gallias.*
  - *Res privata per V. provincias.*
  - *Res privata per Britannias.*
  - *Res privata fundorum domus dominicæ per Africam.*

Procu-




LATERCVLVM
MAIVS
F L.
COMORD.

Procuratoribus XI.
- *Rei privata per Siciliam.*
- *Res privata per Apuliam, & Calabriam, sive saltus Carminiacenses.*
- *Res privata per Sequanicum, & Germaniam primam.*
- *Res privata per Dalmatiam.*
- *Res privata per Saviam.*
- *Res privata per Italiam.*
- *Rei privata per urbem Romam.*
- *Res privata per urbicarias regiones rerum Juliani.*
- *Res privata per Mauritaniam Sitifensem.*
- *Rei privata Cynegiorum Triberor.*
- *Cynegii Juvarensis rei privata Meti translata Anhelas.*

Prepositis II.
- *Bastaga rei privata Orientalis inferioris.*
- *Bastaga privatarum Galliarum.*

NOTITIA.

Sub dispositione viri illustris Comitis Rerum Privatarum.



COMES Largitionum privatarum.
C Comes Gildoniaci patrimonii.
Rationalis rerum privatarum per Illyricum,
Rationalis rerum privatarum per Italiam.
Rationalis rei privatæ per Italiam.
Rationalis rei privatæ per Urbem Romam, & Suburbicarias regiones cum parte Faustinæ.
Racionalis rei privatæ per Siciliam.
Rationalis rei privatæ per Africam.
Rationalis rei privatæ per Hispanias.
D Rationalis rei privatæ per Gallias.
Racionalis rei privatæ per quinque provincias.
Rationalis rei privatæ per Britannias.
Rationalis rei privatæ fundorum domus divinæ per Africam.
Rationalis, aliàs
Procurator rei privatæ per Siciliam.
Procurator rei privatæ per Apuliam, & Calabriam, sive saltus Carminiacenses.
Præpositus rei privatæ per Sequanicum & Germaniam primam.
E Procurator rei privatæ per Dalmatiam.
Procurator rei privatæ per Saviam.
Procurator rei privatæ per Italiam.
Procurator rei privatæ per urbem Romam.
Procurator rei privatæ per Urbicarias regiones rerum Juliani.
Procurator rei privatæ per Mauritaniam Sitifensem.
Procurator rei privatæ Cynegiorum Triberorum.
F Procurator Cynegii Juvarensis rei privatæ Meti translati Anhelas.
Præpositus Bastagæ rei privatæ Orientalis inferioris.
Præpositus Bastagæ privatarum Galliarum.
Officium autem suprascripti viri illustris Comitis rerum privatarum habet:

A Primicerium totius officii.
Primiscrinium Beneficiorum.
Primiscrinium rationum.
Primiscrinium securitatum.
Primiscrinium largitionum privatarum.
Scriniarios etiam reliquos suprascriptorum Scriniorum.
Secundicerium totius officii, qui tractat chartas officii.
Cæteros etiam Palatinos. Sed in Manuscriptis,
B Comes Gildoniaci patrimonii habet Procuratores, Præpositos, & Rationales per diversas provincias, ut Comes rerum privatarum, & Secundocerium totius officii, qui tractat chartas officii.

CAP. XLI.
DE ILLUSTRI COMITE RERUM *privatarum Occidentis.*

COMMENTARIUM.

C COMITIS Largitionum æmulus Comes rerum privatarum fuit, qui suos & ipse Comites privatarum II. Rationales XI. & Procuratores XI. atque duos Præpositos habuit. Primus Comes fuit privatarum largitionum, sicut alii erant per Illyricum, Italiam, & Africam sub Comite largitionum, qui salaria aulicis, & aliis quibusdam solvebant. Alter fuit Comes Gildoniaci patrimonii, quod Gildo in Africa Comes possederat. Is circa annum salutis CCCXCV. utriusque militiæ Magister in Africa fuerat, ut epistola Theodosii Magni ad eum scripta indicat. Constantinopoli scripta est *l. ult. C. ad l. Jul. de adulter.* Post cujus mortem tyrannide arrepta à fratre jussu Honorii profligatus, & necatus est, ejusque bona publicata,
D quæ Gildonis patrimonium sunt dicta. Paulus Diaconus lib. XIII. in prin. *Interea*, inquit, *Gildo Comes Africa cognita Theodosii morte, arbitratus minimam in parvulis spem fore, Africam jure proprio cupit usurpare. Hujus frater Mescelzer germani perfidiam perhorrescens, in Italiam redUt. Gildo duos ejus filios, quos pater reliquerat, dolo circumventos occidit. Ad hunc jam hostem insequendum Mescelzer frater missus est. Is jam à Theodosio sciens quantum viribus desperatissimis oratio hominis, per fidem Christi, Clementiam Dei impetraret, Caprariam insulam adiit, inde secum sanctos viros adducens, cum quibus, orationibus, & jejuniis dies aliquot continuavit, & noctes: ante triduum quoque quam hosti*
E *contiguus foret, cernit noctu Beatum Ambrosium defunctum, quo Victoriam caperet, diem sibi indicantem, ac locum, & tertio demum die post noctem orationibus, hymnisque pervigilem, cum quinque solummodo millibus, adversus octoginta millia hostium pergens, eos Dei nutu sine bello in deditionem accepit. Quo viso auxiliares Gildonis Barbari illico terga dedere, Gildo & ipse fugam arripiens, ascensa navi, cùm in Africam rediisset, post aliquot dies strangulatus interiit.* Hæc Paulus Diaconus. Idem Claudianus Marcellinus Comes, & Zosimus. Gildo gentilis seu paganus Salvinam filiam reliquit Nefridio ex sorore Placillæ Augustæ nato nuptam, quam viro amisso D. Hieronymus in epistol. IX. ad
F viduitatem hortans solatur. Gildonis bona sunt in Principis ærarium relata: Fuit is annus humanæ salutis CCCCI. quo Honorius tum ea bona Peregrino Comiti & Procuratori divinæ domus per Africam commisit, *l. 16. C. T. de bon. proscript.* quibus alia ejus Satellitum accessere, *dict. l. 16.* Tandem cùm peramplum hoc esset patrimonium, & plu-

& plures in regiones dispersum, proprius ei datus est Procurator, *Gildonis* appellatus, qui Rationales, Procuratores & Præpositos illi præfecit, propriumque officium velut ipse Comes privatarum habebat. Unde in Manuscriptis additur hæc clausula, quæ in impressis desideratur: *Comes Gildoniaci patrimonii habet Procuratores, Præpositos, & Rationales per diversas provincias, ut Comes rerum privatarum, & Secundocerium totius officii, qui tractat chartas officii.* Hunc esse arbitror, qui in indice Præfecti Italiæ Præfectis fundorum patrimonialium appellatur.

Rationales quoque XI. Comes privatarum habebat, qui rationes redituum bonorum Principis scribebant: quandoque Rationales summæ rei appellantur, scilicet privatæ. Sic Constantinus Bulephorum vocat, *in l. 7. C. ubi caus. fiscal.* sed plurimum Rationales rei privatæ dicuntur, ut Constantinus Æmilium appellat, *in l. 2. Cod. de bon. vacantib.* Hi erant XI.

I. Unus privatarum per Illyricum, qui bonorum ibi publicatorum, & aliarum Principis rerum curam habebat.

II. RATIONALIS rerum privatarum per Italiam, qui rationes ibi Principis redituum scribebat.

III. RATIONALIS rei privatæ per Italiam: quemadmodum enim plures erant in Italia rei privatæ Procuratores, unus per Italiam, alius per Apuliam & Calabriam, & tertius per Urbicarias regiones rerum Juliani, præter eum, qui res Romæ curabat, ita duo in Italia erant Rationales rerum privatarum rationes in Codices referentes: Procuratores verò bona ipsa administrabant, & reditus exigebant. Madrucianum exemplar hic unum Rationalem ponit, quem infra repetit.

IV. RATIONALIS per urbem Romam, & suburbicarias regiones cum parte Faustinæ. Pars hic pro substantia ponitur. D. Gregorius lib. XII. ep. XXX. *Ornamenta*, ait, *de Antoninæ parte vel substantia tecum defer.* Quinque verò Faustinas fuisse invenio. Rupiliam Faustinam, aviam paternam M. Aurelii Antonini: Galleriam Faustinam Augustam, uxorem Pii Antonini: Anniam Faustinam, ejus filiam, & uxorem M. Aurelii Antonini: & aliam uxorem Maxentii, quæ D. Catharinæ martyrio, & prodigiis commota, & ipsa Christiana facta, martyrque Alexandriæ fuit: Ultima fuit Faustina Constantii Principis filii Magni Constantini uxor. Marcellinus lib. lib. XXI. cap. VI. *Constantius*, inquit, *eodem tempore Faustinam nomine sortitus est conjugem, amissa jampridem Eusebia, cujus fratres erant Eusebius, & Hypatius viri Consulares, corporis morumque pulchritudine pluribus antistante.* Hæc ille. Unam de prioribus Faustinis intelligit, postrema enim Romæ habitasse non legitur. Hæc prædia per manus in posteriores Principes transierunt, quæ *pars Faustina* appellantur. Suburbicariæ autem regiones Picenum & Tuscia significantur. Honorius, & Theodosius *in l. 12. C. Th. de indulgen. debitor.* *Picenum*, inquiunt, *& Tusciam suburbicarias regiones septimam tributorum jubemus agnoscere.* Valentinianus etiam Picenum suburbicarium nominat, *in l. 9. C. T. de anno. & tribut.* Rufinus quoque suburbicarias ecclesias, ut puto, Tusciam & Picenum nuncupat, lib. *Historiar.* I. cap. VI. Fortè quòd deficientibus urbicariis regionibus, de quibus infra, annonam urbi subministrarent.

V. RATIONALIS rei privatæ per Siciliam.

VI. RATIONALIS rei privatæ per Africam. Constantino imperante Severus Rationalis Africæ erat, *l. 2. C. Theod. de jure fisci.* cui Maximus successit, *l. 1. Cod. Theod. de metallis.* Hic ejus provinciæ reditus in Codices referebat. Alius Magister rei privatæ per Africam dictus, prædia Principis administrabat: qualis fuit Domitius Bracuntius Magister rei privatæ per Africam nuncupatus, *l. 4. C. Theo. de ju. fisci.* qui etiam Procurator vocabatur: ferè enim omnes provinciæ, ubi privatum erat Principis patrimonium, Rationalem & Procuratorem habebant.

VII. RATIONALIS rei privatæ per Hispanias. Citeriorem Hispaniam intelligit: nam alius erat Rationalis quinque provinciarum ultra Iberum, ad quos Constantinus quandoque scripsit, *l. 1. Cod. Theo. de his qui se defer.*

VIII. RATIONALIS rei privatæ per Gallias.

IX. RATIONALIS rei privatæ per quinque provincias in ulteriore Hispania, de quibus supra.

X. RATIONALIS rei privatæ per Britannias.

XI. RATIONALIS rei privatæ fundorum domus divinæ per Africam. Hæc erant prædia Tamiaca nuncupata, *tot. tit. C. de præd. Tamiac.* ad impensas in domo Principis faciendas destinata, quæ latifundia ob amplitudinem proprium habuere Rationalem, & proprium administratorem; qui Comes ac Procurator divinæ domus vocabatur. Fungebatur autem hoc officio Peregrinus, Honorio imperante, *l. 16. C. The. de bon. proscript.*

XII. RATIONALIS rei privatæ per Siciliam: qui per errorem hîc est repetitus: aut duo in Sicilia erant Rationales, quod non puto. Quare fortè pro Rationali, legendum est *Procurator.* Alius fuit Rationalis trium provinciarum, id est, Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ, qui publicorum tributorum, & aliorum ad largitiones pertinentium rationes tractabat, nec ad res privatas spectabat. Et quia trium insularum bona publicata omnia cum rebus Siciliæ computabantur, & forsan in Sicilia tantùm, & non in aliis duabus insulis prædia Princeps possidebat, solùm Sicania rei privatæ Rationalem & Procuratorem habuit: qui bona emphyteutica, aliasque res Principis curabant, generaliter Palatini vocabantur, *l. 8 C. de offic. Com. sacr. patrim.* Cum verò in provinciis Rationales exactæ pecuniæ rationes scriberent, Procuratores verò reditus Principis, & bona administrarent, hi pari numero XI. illis subnectuntur.

I. PROCVRATOR rei privatæ per Siciliam.

II. PROCVRATOR rei privatæ per Apuliam & Calabriam, sive saltus Carmiuiacensis: nomen proprium illius nemoris, quod erat in Calabria seu Apulia.

PRÆPOSITVS rei privatæ per Sequanicum, & Germaniam primam, idem est qui & Procurator in Orientali etiam Notitia appellatur, *l. 14. C. The. de indulg. debitor.* Præpositus gregum & stabulorum, qui erat Procurator saltuum.

III. PROCVRATOR rei privatæ per Dalmatiam.

IV. PROCVRATOR rei privatæ per Saviam.

V. PROCVRATOR rei privatæ per Italiam.

VI. PROCVRATOR rei privatæ per urbem Romam.

VII. PROCVRATOR rei privatæ per urbicarias regiones rerum Juliani. Urbicarias regiones non XIIII. Romæ, quæ urbanæ appellantur, significari puto, sed alias, quæ certam annonam ad urbem conferebant, & videntur in Africa fuisse. Constantius *l. 9. C. Th. de extraor. seu sordid. mun.* *Non per Italiam*, inquit, *tantùm, sed etiam per urbicarias regiones, & Siciliam patrimonialium fundorum vires servandas esse perspeximus.* Item Gratianus *in l. 1. C. T. si per obreptio.* *Sinceritas tua id ipsum per omnem Italiam, tum etiam per urbicarias Africanasque regiones, ac per omne Illyricum præclara oraculi hujus authoritate firmavit.* Ita etiam Arcadius & Honorius in quodam rescripto intelligunt. Didiam credo Julianum intelligit, qui creatus Imperator Didiæ Claræ filiæ emancipatæ patrimonium, quod habebat, opulentum dedit, & Augustam appellavit, sed ipso occiso, & Severo Imperatore declarato, ea cum nomine Augustæ patrimonium est ademptum, & in

& in fiscum relatum, ut in *eo* auctor est Spartianus: & quia amplum fuit id patrimonium proprium habuit Procuratorem. Fuit & Julianus Licinius, ab Opilio Vlpiano in insulam deportatus, & ab Antonino Caracallo honoribus quidem ordinique restitutus, sed bona nunquam recepit, *l. 1. & 5. C. de sentent. pass.* de quo vix potest intelligi, cum non appareat eum tot bona possedisse, ut proprium Procuratorem habere meruerint.

VIII. PROCVRATOR rei privatæ per Mauritaniam Sitifensem, de qua in ejus Præside.

IX. PROCVRATOR rei privatæ Gynæciorum Triberorum, qui sunt in Belgica prima, in privatis saltibus Principis, in quibus venationes exercebantur, & hoc si legamus Cynegiorum, sed Manuscripti rectius habent *Gynæciorum*, loca ubi mulieres lanificia exercebant, & vestes texebant; neque enim opus fuit Comiti privatarum Triberis venationi aliquem præficere. Hic etiam Gynæcium Comes largitionum ad usum militum & publicum exercebat, & Comes privatarum aliud ad usum proprium Principis.

X. PROCVRATOR Cynegii Juvarensis rei privatæ Meti translati Anhelas: & hic legendum Gynæcii. Juvarensis autem nomen est loci Juvara dicti, in Belgica propè Anhelas, quo Gynæcium Meti velut in locum opportuniorem fuerat translatum. Exemplar Vrsini legit *Vivatensis*. Juvense oppidum in Pannonia Notitia infra statuit, de quo non puto hic intelligi. Beatus Rhenanus lib. 1. *de Francia* cap. VII. A Juvariam ex Itinerario Augustano appellat, & vulgo *Saltemburgum*.

XI. PRÆPOSITVS Bastagæ rei privatæ Orientalis inferioris, hæc erat pro transvehendis rebus privatis Principis, ut pecunia ex privato patrimonio exacta, & aliis hujusmodi, quæ hic Comes ære Principis privato, in ejus & Augustæ atque aulicorum usum emebat. Quemadmodum & alia ad usum publicum, & militum transvehi curabat Comes sacrarum largitionum. Inferiorem verò Bastagam hanc Orientalem fortè appellat, tanquam minorem, ad aliarum differentiam, quas Comes largitionum procurabat, quæ erant majores.

XII. PRÆPOSITVS Bastagæ privatarum Galliarum, B quæ ex prædiis Principis inde transvehebantur, aut species privata ejus pecunia emptæ conducebantur.

Officium verò Comes rerum privatarum Occidentis, & insignia habet, quemadmodum dictum est in Orientali. Hi sunt duo magistratus, ad quos universa tributa, & quicquid à populis, vel aliunde exigebatur, deferri consueverat. Codex Vrsini clausulam addit hujusmodi. Habet Comes iste & Rationales, & Præpositos, ac Procuratores, ut supra scripti, scilicet rerum privatarum per diversas provincias, & ultimo Secundocerium totius officii, qui tractat chartas officii, & subdit. Multa desunt usque ad hoc signum *. quod est infra sub Primicerio Notariorum, unde multa videntur desiderari. Quæcunque tamen sunt in impresso, in eo reperiuntur.

NOTITIA.

COMES DOMESTICORVM PEDITVM.	COMES DOMESTICORVM EQVITVM.



NOTITIA.

Sub dispositione virorum Illustrium Comitum domesticorum equitum, sive peditum.

Domestici Equites.
Domestici Pedites.
Deputati eorum.
Sub dispositione viri spectabilis Primicerii sacri cubiculi.

CAP. XLII.

DE COMITIBVS DOMESTICORVM *peditum, & equitum.*

COMMENTARIVM.

EODEM modo se habent Comites domesticorum peditum, & equitum Occidentis, quo Orientis. Insignia verò hæc habet Comes domesticorum peditum. *In rubra parma umbilicum decussatum; cujus partes superior & inferior albæ sunt, reliquæ purpureæ, & tribus circulis rubro, alboque, & ultimo lateore, luteo, cinguntur. Inde octo acuta cuspides luteæ emanant, inter quas octo lutea corda prominent; Rubens limbus marginem ambit.* Alter Comes equitum *idem ferè gestat insigne, nisi quod quatuor circuli, duo albi, & alii lutei globum amplectuntur*, ad indicandam arctissimam utriusque Imperii conjunctionem, quod bini duplicatique circuli insinuant. *Luteus item limbus clypeum ambit*: Portendit utrumque symbolum orbem Rom. qui videtur divisus, esse unum, & ad feriendos atrociter hostes munitum. Mucro enim cladem minatur, cor animum ad invadendum, aut consilium prudentiamque, ut Pierius docet. Manuscripti cœruleam parmam habent. In Madruciano equitum corda flammas emittunt, quæ ardentes esse ad pugnandum animos militum pro Principe innuunt. Peditum flammæ in duas partes scinduntur, ut ardentem in duos Principes amorem indicent. In cæteris quæ dicta sunt de Comitibus domesticorum Orientis, hîc repetita intelliguntur. Huc usque illustres dignitates Occidentis, nunc spectabiles sequuntur.

NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Castrensis.

PÆDAGOGIA, Ministeriales Dominici, curæ Palatiorum.
Officium autem viri spectabilis Castrensis habet,
Tabularium Dominicum.
Tabularium Dominæ Augustæ.
Adjutorem.
Chartularium, & Scrinium ipsius, & cæteros Palatinos officiorum.

CAP. XLIII.

DE PRIMICERIO SACRI CVBICVLI, *& Castrensi palatii Occidentis.*

COMMENTARIVM.

INTER Spectabiles primus est sacri cubiculi Primicerius, qui in impresso exemplari omittitur, in manuscriptis verò hæc leguntur. SVB DISPOSITIONE PRIMICERII VIRI SPECTABILIS SACRI CVBICVLI, nec aliud sequitur, unde aliqua necesse est desiderari, quemadmodum & in Oriente.

Secundus Spectabilium est Castrensis sacri palatii, qui mensam Principis, & totum palatium curabat. Notitia impressa eadem hujus refert insignia, quæ sunt Castrensis Orientis. Manuscripti codices altum & cœruleum armarium ostendunt, in summo lagenis plenum, quemadmodum est in impressa. Duas præterea mensas panibus onustas: insuper verò duo repositoria vasa cibis plena sustinent, ea Madrucianum tectu ostendit, Vrsini exemplar apertæ, & epulis refertæ. prope astat liber mandatorum auro terga tectus, & super abaco cœruleo, surrectoque tapeto instrato erectus, in cujus dorso inscriptæ sunt notæ, quas habent Comites & Duces limitanei. Huic alter junctus est liber, quem rationum de impensis in familiam factis esse puto. Parebant Castrensi palatii pædagogia, ministeriales dominici, & curæ palatii, quemadmodum in Castrensi Orientis est dictum, idemque, quod ille habebat officium.

NOTITIA.

Sub cura viri Spectabilis Primicerii Notariorum.

NOTITIA omnium dignitatum, & administrationum tam civilium quam militarium.
Officium autem non habet, sed Adjutores.

CAP. XLIV.

DE PRIMICERIO NOTARIORVM OCCIDENTIS.

COMMENTARIVM.

INSIGNIA Primicerii Notariorum Occidentis in impressa Notitia in nullo ab Orientalibus differunt. Manuscripti ejus librum mandatorum viridi corio tectum, iisdemque notis inscriptum habent, ut Comites limitanei & Duces, nempe F.L. IN TALL. COM. OR. PR. Non est autem hic codex mandatorum, qui ipsi detur, sed quem ipse magistratibus tradit, quem ad indicandum præcipuum suum officium præfert. Sequuntur alii Spectabiles palatii.

NOTITIA.

MAGISTER Memoriæ annotationes omnes dictat, & emittit. Respondet tamen & precibus.
Magister Epistolarum legationes civitatum, & consultationes, & preces tractat.
Magister Libellorum cognitiones & preces tractat.

CAP.


MEMORIÆ
LIBELLORUM
Pag. 1838 F.



CAP. XLV.

DE MAGISTRIS SCRINIORUM OCCIDENTIS.

COMMENTARIUM.

MAGISTRI quoque ſcriniorum Occidentis eodem modo ſe habent, quo & Orientales: Sed hic Magiſter epiſtolarum (Græcarum) deeſt, quod pro more ſuo Romanus Princeps omnia Latinè ſcriberet. Quin olim Jure cautum erat, ut Latinè tantùm decreta interponerentur, *l. decreta.* 48. *ff. de re jud.* quæ ſicut & ſententias Græci Imperatores Græcè ferri poſſe, poſtmodum ſanxerunt, *l. judices.* 12. *C. de ſent. & interloc. omn. jud.* Impreſſa Notitia eadem in hoc repræſentat inſignia, quæ in Oriente poſuit: Manuſcripti verò codices ſex librorum terga, alternatim cœrulea, & lutea ordine diſponunt, alternis item notis inſcripta. cœruleorum hæ notæ ſunt, F. L. INTALL. COMOR. PR. Luteorum iſtæ, F. L. VALE. MAG. E. P. IVSSI. D. quas ita interpretor, *Fœlix liber veniens à laterculo Magiſtri epiſtolarum juſſione divina.* Hæ notæ in Oriente omittuntur. Sunt verò hi codices exempla librorum mandatorum, qui ipſis Magiſtris ſcriniorum, à Primicerio Notariorum tradebantur, ſed memoriæ & libellorum libris omiſſis, epiſtolarum tantùm pro exemplo demonſtrantur. Infra hos codices alii quatuor cum loris rubro tecti cernuntur, quorum unus eſt apertus, alii clauſi: quaterni item ſpectantur colligati chartarum faſciculi, qui libellos ſupplices, epiſtolas, probatoriaſque referunt, quemadmodum in ſcriniis Orientis eſt dictum. Hæc de ſpectabilibus Palatinorum dignitatibus. Nunc ſpectabiles provinciarum magiſtratus ſequuntur, quos ſecundum Notitiæ ordinem explicaturi, à Proconſule Africæ incipiemus: Sed prius breviarium magiſtratuum, qui Præfecto Prætorio parebant, præmittemus, ut omnes ſimul repræſentari clarius conſpiciantur.

Præfectus Prætorio Italiæ provinciis XXIX. Vicariis IV. imperat, ſub quo

Proconſul			*Africa.*
Vicarius Romæ habet ſub ſe provincias X.	*Conſulares* IV.		*Campania.*
			Tuſcia, & Vmbria.
			Picenum ſuburbicarium.
			Sicilia.
	Correctores II.		*Apulia, Calabriaque.*
			Brutii, & Lucania.
	Præſides IV.		*Samnium.*
			Sardinia.
			Corſica.
			Valeria.
Vicarius Italiæ habet provincias VII.	*Conſulares* IV.		*Venetia, & Hiſtria.*
			Æmilia.
			Liguria.
			Flaminia, & Piceni annonarii.
	Præſides III.		*Alpes Cottiæ.*
			Rhetia prima.
			Rhetia ſecunda.
Vicarius Africæ V.	*Conſulares* II.		*Byzantium.*
			Numidia.
	Præſides III.		*Tripolitana.*
			Mauritania Sitifenſis.
			Mauritania Cæſarea.
Vicarius Illyrici VI.	*Conſularis* I.		*Pannonia ſecunda.*
	Corrector. I.		*Savia.*
	Præſides IV.		*Pannonia prima.*
			Noricum Mediterraneum.
			Noricum Ripenſe.
			Dalmatia.

Claſſis Africana à Commodo inſtituta. Lampridius in *eod.* cap. XVII.

CAP. XLVI.

DE PROCONSULE AFRICÆ, *& ejus inſignibus.*

CAPTA à Scipione minore, atque incenſa per XVII. dies Carthagine, Decemviri eo miſſi, Africam in provinciæ formam redegerunt, ut Appianus ait: Decretumque eſt ut eo Prætor quotannis mitteretur, qui poſtea Proconſul fuit, *l. 1. §. Deo itaque. C. de offic. P. P. Africa.* ac primo ea provincia facta eſt Proconſularis, auctores Sext. Ruffus & Juſtinianus, *§. 2. Novel.* 30. *de proconſule Cappadociæ.* ſtatutumque ut Proconſulem ſemper haberet. Vnde cum Proconſularis provincia alio non adjecto, vel Proconſul ſimpliciter nominatur, Africæ intelligitur, *ut in l. debitoribus.* 31. *ff. de re jud.* Primus Marcellus Claudius in Africam miſſus eſt Proconſul. Nam Scipio antea non ut magiſtratus, ſed Dux militum ibi bellum geſſit, Livius lib. XXXVIII. Carthaginem poſtea Auguſtus inſtauravit, ſed ſubmiſſiorem quam antea fuerat, ut Appianus in fine *belli Libyci*, & Tertullianus *de pallio* paulo poſt prin. memorant. Quare hic Proconſul Carthagini, & tractui ubi propriè Africa dicitur, imperans, ſub ſe Conſularem habuit, qui præerat regioni ultra Bagradam fluvium, ubi eſt Vticenſis: & ideo in Notitia impreſſa legitur, *Sub diſpoſitione ſpectabilis Proconſulis Africa provincia Conſularis*, ſcilicet eſt. In Manuſcriptis legitur, *provincia, & Conſularis.* Duos hic legatos ducebat propter amplam provinciam & auctoritatem illi datam: Sed Sext. Ruffus ſuo tempore totam eam ſub Conſularibus fuiſſe refert, qui omnes cum Proconſule Præf. Præt. Italiæ parebant. olim Proconſul Africæ legionem cum auxiliis regebat, ſed C. Caligula eum timens proprium legioni Legatum præfecit, Tacitus *Hiſt.* lib. IV. cap. XLVIII. *Legio*, inquit, *in Africa auxiliaque tutandis imperii finibus ſub D. Auguſto, Tiberioque Principibus Proconſuli parebant. Mox C. Cæſar turbidus animo, M. Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam Proconſuli legionem, miſſo in eam rem Legato tradidit. Æquatus inter duos beneficiorum numerus, & mixtis utrinſque mandatis, diſcordia quæſita auctaque: pravo certamine Legatorum jus adolevit diuturnitate officii, vel quia minoribus major æmulandi cura. Proconſulum ſplendidiſſimus quiſque ſecuritati magis quam potentiæ conſulebant.* Hactenus Tacitus. Qui pro mandatis libros mandatorum

 utriſ-

utrisque traditos intelligit: quod verò ait æquatum inter eos fuisse beneficiorum numerum, legendum est *beneficiariorum*, id est, cohortalium & apparitorum, ut appellant Jura, *l.* 4. *C. de episc. & cler. l.* 17. *C. T. de cohortalib.* Verum Aureliano imperante Proconsul Africæ etiam Dux limitis Africani fuit. Vopiscus in *Firmo tyranno* cap. III. *Et tempore tres Firmos fuisse plerique Græcorum ignorant, unum Præfectum Ægypti, alterum Ducem limitis Africani eundemque Proconsulem, tertium istum Zenobiæ amicum ac socium.* Hic P. P. Italiæ tantùm parebat, non illius Vicario in Africa, sicut nec

A Proconsul Asiæ vel Achajæ Orientis Vicariis. Africa præter Proconsulem quinque Rectores habuit, duos Consulares, & tres Præsidiales. Constantinus enim in quinque provincias Africam divisit, Numidiam, Byzatium, quæ Consulares fuêre, Mauritaniam Cæsariensem, & Tripolim Præsidiales, sed Proconsul Carthagini tantùm, & illi provinciæ, quæ, ut dixi, speciali nomine Africa dicebatur, imperabat, inquit Sext. Ruffus, fœcundissima verò hominum est Africa ait Herodianus in septimo, quæ plurimos agrorum cultores habebat.

N O T I T I A.

PROCONSVL AFRICAE
CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Proconsulis Africæ.

PROVINCIÆ Consularis (aliàs Provincia) & Consularis & Legati ejus duo.
Officium autem habet ita:
Principem de schola Agentium in rebus Ducenarium.
Cornicularium.
Numerarios duos.
Primiscrinium.
Commentariensem.
B Adjutorem.
Ab actis.
Subadjuvas.
Exceptores.
Singulares, & reliquum Officium.

COMMENTARIVM.

MVLIERIS *Africam simulantis effigies* pro insigni Proconsuli præferebatur, quam de spica loquens Pierius lib. LVI. cap. IV. ita describit: *Mulier quædam inspicitur pileo inprimis cooperta caput, cærulea palla hinc inde ab utroque humero rejecta, eaque ad humum usque fusa: Interiore verò tunica rubra, imo limbo ad unius pedis altitudinem albo, cujus superiorem inferioremque margi-*

marginem aurea fibra dua circumeunt: Brachia nuda utrinque exporriguntur, binas utraque manu spicas ostentantia. Sub pedibus naves dua frumento onusta, depicta sunt littera superne, PROC. AFRICÆ. Hæc Pierius, qui aliter vestes, earumque colores exprimit, atque in meo, & aliis exemplaribus reperiantur. Vbi mulier purpureum pallium supra dextrum humerum rejicit: subtus prassina, breviore que tunica, supra auream pallam ad nudos pedes demissam induta. In Madruciano sub albo pallio cœruleam, talaremque tunicam gestat. Vrsini codici Pierii descriptio convenit, sed quem ipse imum limbum vestis esse credit, est longior palla interior, quæ sub breviore tunica ad pedes descendit. Alia insignia sunt à sinistra *duo Principes in summo aurata pila dextrarum indices simul attollentes*, quod mutuæ fidei indicium est. Ad dextram est *liber ferrugineo colore tectus, & supra abacum albo tapeto instratum erectus*. Item tres naves frumento onustæ velis, remisque actæ, curam significant, quam habet Proconsul frumenti ex Africa Romam mittendi: Nam propter hoc potissimum Carthago restaurata fuit, ad quod alludit Prudentius lib. II. *adversus Symmachum:*

Respice num Lybicis desistat ruris arator
Frumentis onerare rates, & ad ostia Tibris
Mittere triticeos, in pastum plebis acervos?

Et titulus est in Codice Theodosiano, de frumento Carthaginensi. Horatius quoque *Carmin.* lib. I. ode I. de Africæ fertilitate ait:

Quicquid de Libycis verritur areis.

quod ex Pindaro desumptum est, qui πυρόφορον Λιβύαν in *Isthmiis* dixit. Propter magnum commodum, quod ex frumento Africæ percipiebatur, gravius ibi messium incensores quàm alibi plectebantur, *l. aut facta. §. ult. ff. de pœnis.*

Proconsul Africæ officium habebat, ut Proconsul Asiæ, & Achajæ, Apparitorum aliqui nomine tantùm differunt: Nam qui vocatur Scriniarius Proconsulis Asiæ, & Quæstor Proconsulis Achajæ, Primiscrinius Proconsulis Africæ dicitur, qui re sunt iidem, de quo in Subadjuva Præfecti Prætorio Orientis est dictum. Nunc ad alios spectabiles provinciarum magistratus, inter quos Romæ Vicarius primum locum tenet, est transeundum.

NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Vicarii urbis Romæ Provinciæ infrascriptæ.

Consulares.


AMPANIÆ.
Tusciæ, & Vmbriæ.
Piceni Suburbicarii.
Siciliæ.

Correctores.

Apuliæ, & Calabriæ.
Brutiorum, & Lucaniæ.

Præsides.

Samnii.
Sardiniæ.
Corsicæ.
Valeriæ.

A Officium autem supradictus vir spectabilis Vicarius habet ita:
Principem de schola Agentium in rebus Ducenarium, aliàs ex Ducenariis.
Cornicularium.
Numerarios duos.
Commentariensem.
Adjutorem.
Ab actis.
Curam epistolarum.
Subadjuvas.
B Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. XLVII.

DE VICARIO VRBIS ROMÆ.

COMMENTARIVM.

SEX in Occidente erant Vicarii, quorum tres P.P. Italiæ vices agebant. Reliqui P. P. Galliarum: Notitia impressa in Indice est mendosa, C in qua legitur, *Proconsul Africa, cujus Vicarii sex*: delenda est enim dictio, *cujus*, quæ in codicibus manuscriptis rectè deest: Vicarii enim vices Præfectorum gerebant, non Proconsulum, qui in Notitia etiam ante illos recensentur. Tres ergo P. P. Italiæ Vicarii fuere, unus Vrbis, alius Italiæ, tertius Africæ. Primus Romæ Vicarius appellabatur, qui causas in x. Italiæ provinciis appellatione suspensas audiebat, Principisque jussu judicabat, etsi Præfecti Prætorio Vicarius vocabatur, ut ait Cassiodorus in *formula Vicarii Vrbis*, qui etiam Prætorianos advocatos coram eo patrocinatos fuisse dicit: Causas itaque civiles & criminales vi- D ce sacra, id est, jussu Principis judicabat non tantùm in urbe, sed etiam extra, inter quadragesimum lapidem. Cassiodorus in *for. Pref. urb.* Quare cum in marmoribus legitur, *vice sacra judicans*, Vicarius fuisse significatur. Idem Senatoria dignitate honestatus chlamyde militari induebatur, & carpento vehebatur. Cassiodorus lib. VI. in *form. Vicar. urb. Rom. Vices*, inquit, *agentium mos est, sic judicum voluntatibus obedire, ut suas non habeant dignitates. Splendent mutuato lumine, nituntur viribus alienis, & quadam imago in illis videtur esse veritatis, qui proprii non habent jura fulgoris. Tu autem Vicarius diceris, & tua privilegia non relinquis;* E *quando propria est jurisdictio, qua datur à Principe. Habes enim cum Prefectis aliquam portionem, partes apud te sub Pretoriana advocatione confligunt. Vice sacra sententiam dicis, & quod maxima fidei signum est, in inscriptionibus vita tibi committitur hominum, quod inter mortales constat esse pretiosum. Additur, quod nec salutari te sine chlamyde Jura voluerunt: scilicet, ut sub veste militari semper visus nunquam crederetis esse privatus. Sed hac omnia ad Prefecturæ gloriam judicamus esse concessa, ut qui tanta sedis Vicarium dicerent, umbratile nihil viderent...... Ad similitudinem summorum carpento veheris. Intra quadragesimum sanctissima urbis Jura custodis, Preneste* F *ludos edis: invicem consulis in honore positus, dignitatemque Senatoris acquiris, & illa tibi panduntur atria, qua summatibus probantur esse collata:* Hæc ille. Ammianus sæpè & ipse Vicarii Romæ meminit. Nam lib. XVII. cap. XI. *Artemius*, inquit, *curans Vicariam prafecturam pro Basso quoque agebat, qui recens promotus urbis Prafectus, fatali decesserat forte.*

forte. Et lib. XXVIII. cap. I. *Maximus regens quondam Romæ Vicariam Præfecturam.* Vicarii Romæ Claudio juniore imperante fuisse leguntur, siquidem in Actis Martyrum Musejanus sub eo Romam Vicarius rexisse dicitur, apud Surium XXIV. *Februar.* & sub Diocletiano Flavinianus, apud Cæsarem Baro. an. CCXCVIII. in *Anna.* Sub Constantio post Volusianum, Artemius Vicariam urbis præfecturam administravit, *l.* 2. *C. T. de incest. nupt.* cui Juliano imperante Hymetius successit, *l.* 21. *C. T. de appellat.* huic Probus sub Valentiniano, *l.* 77. *C. T. de decurion.* deinde Benignus, *l.* 11. *C. de suscept. & arcar. l.* 16. *C. T. eod. l.* 162. *C. T. de decurionib.* mox sub Valentiniano Z. Oruntius, *l.* 6. *C. T. ad l. Jul. de adult. collatio legum Romana. cum Moysis legib. tit.* 5. Sed præter ditionem, quam in urbe habebat, ex XVII. Italiæ provinciis, ipse X. imperabat, nempe quatuor consularibus, scilicet Campaniæ, Tusciæ, Vmbriæque, Piceno suburbicario, ac Siciliæ, & duobus Correctoribus, Apuliæ, Calabriæque, Brutiorum, & Lucaniæ: & quatuor Præsidibus, Samnii, Sardiæ, Corsicæ, & Valeriæ: Reliquæ Vicario Italiæ parebant. Ejus desiderantur insignia nescio qua ratione omissa. Officium habebat ut alii Vicarii, Principem de schola Agentium in rebus, Ducenarium, Cornicularium, Numerarios duos, & reliquos eademque insignia. Primiscrinii Numerarii vocabantur, *in offic. pref. urb.* ad quorum curam spectabat præter alia munera exigere millenos denarios, à Campanis, Lucanis, Brutiis, pro larido debito populo Romano pendendos, quod munus pariter ad Primiscrinium Præfecti urbis spectabat, *ut l. ult. C. T. de suariis.* Romæ quandoque judicabat cum Præfecto urbi, & quandoque per se cognoscebat. Credo fuisse in arbitrio litigantium, apud quem agere mallent, & locum præventioni factum. Nunc Italiæ Magistratus, qui huic Vicario parebant, ordine recensebimus, cum de his pauca præmiserimus.

CAP. XLVIII.

DE ITALIÆ MAGISTRATIBVS.

OLIM Italia Æsi fluvio in Senonibus ad Mare superum, Macra verò ad inferum terminabatur: postmodum victis Gallis Senonibus, usque ad Rubiconem processit. Demum Triumviri Reipublicæ constituendæ, ne ullus Proconsul intra Alpes cum exercitu esset, totam Galliam Cisalpinam Italiam fecerunt, & usque ad Alpes protulerunt, Dion. eam Augustus, à C. Mœcenate persuasus, in XI. regiones divisam, Strabo lib. IV. Dion lib. XLIX. Plinius lib. II. cap. V. ad Polam usque extendit, singulisque Prætorem præfecit, quibus vir Consularis imperabat. Romæ verò intra stadia DLXX. Præfectus urbi judicabat, Dion lib. LII. Cæterùm Hadrianus nova magistratuum forma inventa, Italiam quatuor Consularibus regendam commisit. Spartianus in *eod.* cap. XXII. *Quatuor*, inquit, *Consulares per omnem Italiam Judices constituit.* Julius Capitolinus in *Pio* cap. II. *Ab Hadriano*, ait, *inter quatuor Consulares, quibus Italia committebatur, Antoninus Pius electus est ad eam partem Italiæ regendam, in qua plurimum possidebat.* Et in *Marco* cap. XI. *Datis*, inquit, *Juridicis Italiæ consuluit, ad exemplum quo Hadrianus Consulares viros reddere jura præceperat.* Postmodum unus totius Italiæ Corrector usque ad Constantinum fuit. Tetricus enim ab Aureliano Italiæ Corrector factus est, & à Diocletiano Numidius, *l.* 3. *C. quib. non objicit long. temp. præscrip.* quem Julianæ scribens, amicum suum nominat, *in l.* 4. *Code in. & fall. ignor.* Sed & sub Constantino Rufius

A Volusianus, annis octo Italiam Corrector rexit, in *marmore* Romæ apud Massæos. Demum in decem & septem provincias ab eo Principe divisa Italia totidem Rectores accepit, quorum octo Consulares, duo Correctores, septem Præsides fuerunt. Consulares quatuor Vicario Romæ parebant, videlicet, Campaniæ, Tusciæ & Vmbriæ, Piceni suburbicarii, & Siciliæ, quæ & ipsa pars Italiæ censebatur, *l. nationem lib.* 1. *de verb. signif.* Correctores prius tres fuerunt, duo Apuliæ & Calabriæ, Brutiorum & Lucaniæ: Tertius Venetiarum, & Histriæ, quarum Cæcilianus Placidus in *marmore* Neapoli Corrector fuisse legitur: Is est qui sub Constan-
B tio etiam urbi præfuit, *l.* 37. *C. Th. de decurionibus.* sed hæ provinciæ postea Consularem habuerunt, unde duo Correctores in Italia permanserunt: Præsides vero quatuor Samnii, Sardiniæ, Corsicæ, & Vmbriæ: De his igitur sigillatim, & primo de Consulari Campaniæ tanquam digniore est dicendum.

CAP. XLIX.

DE CONSVLARI CAMPANIÆ.

CAMPANIA inter Lirim fluvium, nunc *Garilianum* dictum, & Sarnum continetur,
C ubi est Capua ejus metropolis, & Neapolis: Nunc *Terra laborie* dicitur à campis Laborinis, vel quod ille ager ob fertilitatem sit elaborandus. De hoc ita Cicero *de lege Agraria contra Rullum: Campani semper superbi bonitate agrorum & magnitudine fructuum, salubritate aeris, & pulchritudine regionis.* Eam cunctis terris Dionysius Halicarnasseus lib. I. Plinius cum Livio, Polybius lib. III. cap. V. Virgiliusque præferunt, quod vini, frumenti oleique copia cæteris antecellat, unde *Felix* est cognominata. *Omnium*, inquit Jornandes *de regnor. & temp. success. non modò Italiæ, sed penè toto orbe terrarum pulcherrima Campania plaga est: nihil*
D *mollius cœlo: bis floribus vernat: nihil uberius solo; ideo Liberi Cererisque certamen dicitur.* Hæc ille. idem L. Florus, & plura Strabo. Itaque assignata cuique oppido certa frumenti quantitate pro alimentis reliquum Romanis horreis inferebatur. Symmachus lib. I. epist. XXXIX. *Puteolanis*, ait, *municipibus D. Constantinus* CL. M. *modiorum in alimoniam civitatis indulsit, qua summa à D. Constante regente Rempublicam media parte mutilata est: post quem Constantius annonam Puteolani populi* XXV. M. *modiorum adjectione cumulavit, atque ita factum est, ut* C. M. *modiorum ejusdem populi victus acciperet: sed Juliano moderante Rempublicam, cum Lupus*
E *Consulari jure Campaniæ præsidens Terracinensium contemplaretur angustias* V. M. & DCC. *mod. Puteolanis municipibus deregans, Terracinensium usui deputavit.* Addit Symmachus, Terracinenses lavacris publicis Romæ ligna, & calcem reparandis mœnibus subministrasse: magnam quoque suum copiam fortè duas decimas Campani quotannis Romanis debebant *l.* 3. *cap. ult. de suariis.* pro quibus tandem mille nongentos quinquaginta solidos solverunt, *Novel. Valent. de suariis. tit.* 37. Hanc pecuniam primo Consularis Campaniæ, postea P. P. exegit, *l.* 3. *C. Theo. de suariis.* Nec poterant ludum equorum Curulium Campani exercere, nisi prius
F duo millia modiorum fabæ, pro singulis factionibus ad alendos equos currentes Romæ contulissent, *d. Novel. Valent.* sub Domitiano Memmius Rufius Consularis Campaniæ in pios sæviit, *l. ult. C. T. de de equis curuli.* Constantino imperante Pompejanus Consularis Campaniæ fuit, Martyrolog. VII. & XII. *Maii.* mox Lupus, ut ait Symmachus, deinde Bule-

Bulephorus, *l. 4. C. si contra jus vel util. pub.* huic Felix successit, *l. 1. C. ut armor. usus sit interd.* deinde Amphilocius, *l. 10. C. T. de liber. causa.* & alii.

Notitia in Consulari Campaniæ hæc insignia ostendit: Imaginem mulieris pro tribunali sedentis, à cujus dextro humero cingulum suspensum ad sinistrum latus obliquè descendit, sinistra scutum, dextra hastam tenet, in cujus summo præfixa est tabella, ubi scriptum est CAMPANIA. Ipsa in capite tutulum cum prominentibus pinnis gerit Nuda pedes, Albaque palla succincta. Viride pallium à parte sinistra brachio retenta ad genua fluere permittit. Ad dextram abacus albo tapeto, ut in aliis, instratus, librum luteo tegmine tectum sustinet. In Codice Vrsini supra rubram pallam albo pallio induitur. Madrucianus pro muliere, virum eodem modo indutum, & pro tribunali sedentem ostendit. Ad dextrum liber mandatorum luteo tectus, albo ac surrecto tapeto abaco instrato inhæret: unde apparet jus dicentes propè se hunc librum semper habuisse. Tribunalis, seu, ut tum appellabant, Secretarii forma hæc visitur: Locus amplus sellam in medio continet, cui jus dicens insidet: supra purpureæ cortinæ annulis suspensæ, & à lateribus convolutæ tribunalis faciem aperiunt, id ita deductum & complicatum, *velum levatum* vocabatur, *l. 181. C. Th. de decurionib.* Cum vero de causis decidendis, vel reis torquendis, aut condemnandis consultabant, illud obducebant. Clemens *Constit.* lib. II. cap. LVI. *Aspicite*, inquit, *mundana judicia, quorum potestati videmus tradi homicidas, adulteros, veneficos, sepulchrorum perfossores, latrones, de quibus cum quæsiverunt, Præfecti judicio interrogant reos, an illa ita se habeant, quibus affirmantibus non continuo eos ad supplicium mittunt, sed per plures dies quæstiones exercent, cum multo consilio & velo interjecto.* Hoc idem in Actis martyrum apparet apud Surium XXIII. *August. Lysias*, inquiunt, *introgressus obduxit velum, postea exiens ex tabella recitavit sententiam.* Et in aliis Actis S. Euplii: *Cum esset*, ajunt, *extra velum secretarii Euplius, Calvisianus Consularis intra velum interius ingrediens, sententiam dictavit, & foras egressus afferens tabellam legit: Euplium Christianum edicta Principum contemnentem, & Deos blasphemantem gladio animadverti jubeo.* Idem ferme D. Basilius epist. LXXIX. *Qui rerum*, ait, *in hoc mundo potiuntur, quando facinorosum hominem mortis pænis adjudicaturi, cortinas obducunt, & expertissimos quosque ad causæ transactionem advocant*: Hæc ille. Secures etiam cum fascibus, & vultus Principum Consularis præmittebat, curruque argenteo vehebatur, ut ait Cassiodorus lib. VI. *Variar. in formula Consularis.*

Clarissimus est, officiumque habet hujusmodi: *Principem de officio P. P. Italiæ, quem solum ex ejus Apparitoribus accipiebat, item Cornicularium, Tabularios duos pro Numerario, Adjutorem, Commentariensem, Ab actis, Subadjuvam, Exceptores, & reliquos Cohortalinos, quibus non licet ad aliam transire militiam, sine annotatione clementiæ principalis. Cæteri omnes Consulares ad similitudinem Consularium Campaniæ officium habebant*, inquit Notitia.

Officia Consularium ac Præsidum Orientis in hoc ab Occidentalibus differebant, quòd in illis unus erat Numerarius, in his pro uno Numerario duo erant Tabularii. Valentinianus enim & Valens, eos primis nominibus mutatis instituerunt, *in l. 2. C. de Nume. Qui*, inquiunt, *Numerarii appellari consueverant, Consularium atque Præsidum duntaxat Tabularii post hanc nostram sanctionem vocabuntur.* Mox Gratianus eos duos esse voluit, quorum alterum fisci res, alterum largitiones tractare jussit, his verbis, *in l. 4. In provinciis duo Numerarii, qui & Tabularii collocentur, quo ad unum fiscalis arcæ ratiocinium. Ad alterum largitionales pertinere tituli jubeantur.* Hæc ille. Idem Arcadius confirmavit duobus susceptoribus additis, *in l. duos. C. de susceptor. Duos*, inquit, *Tabularios seu Numerarios, & Susceptores totidem per universas provincias oportere constitui clementiæ nostræ præcepit.* Hæc jura in Occidente recepta, in Oriente nunquam observata fuisse videntur. Gravis verò pœna his Tabulariis ac Susceptoribus imminebat, si quis suæ arcæ rationes in alterius scrinium transtulisset, *d. l. 4. & d. l. duos.* M. Antoninus Tabularios & ipse in provinciis instituerat, apud quos nomina natorum ingenuorum scriberentur, ut ait Capitolinus, qui a prædictis sunt diversi. Ab hoc Consulari & cæteris Consularibus, Correctoribus, & Præsidibus Italiæ ad P. P. appellabatur, *l. 27. C. Th. de appel.* Cassiodorus lib. VI. *Variar.* Comitem Neapolis, qui illam Vrbem regebat, Consulari obsecutum fuisse scribit. Alii Italiæ Consulares sequuntur.

CAP. L.

DE CONSVLARI ANNONARIÆ *Tusciæ, Vmbriaque.*

HETRVRIA seu Tuscia ab Oriente fluvio Tibri à Latio, ab Occidente Macro flumine à Liguribus separatur. Ad Septentrionem Appennino, ad Meridiem mari Tyrrheno clauditur. Vmbria verò à Meridie Hetruscos, ab Occidente Picenos, ab Oriente Sabinos & Picentes, ac mare Hadriaticum à Septentrione habet. Trecenta ejus oppida fuisse Plinius memorat, quorum metropolis fuit Spoletum. His duabus regionibus unus præerat Tusciæ Consularis, *l. 5. C. Th. de denunc. & edit. rescript.* Vnde non abs re hæ duæ provinciæ à Scævola connectuntur, ac proximo Piceno aggregantur, *in l. uxorem. 41. §. codicillis. ff. de leg. 3. Epistola*, inquit, *testator ab hæredibus petiit, ut regionem Vmbriæ Tusciæ in Piceno, cohæredi uxori suæ restituerent, cum omnibus, quæ ibi essent, & mancipiis rusticis, & urbanis: quæsitum est, cum Eros & Stichus servi in diem vitæ testatoris in Vmbria, in Piceno actum administraverint: Sint autem Damæ, quem testator vivus manumiserat, filii naturales, utrum eidem Romæ ex codicillis præstandi sint, & respondit esse.* Hic Vmbriæ Tuscia connexa, ob vicinitatem Piceno adjungitur, & utraque ab eodem Rectore administrabatur, qui prius Corrector fuit. Sub Constantino enim Jovius Julianus Tusciam, & Vmbriam Corrector rexit ex *marmore.* Juliano Apostata imperante, solius Tusciæ Ausonius, *l. 6. C. T. de numerar.* sub Joviano Terentius, *l. 61. 65. C. T. de decurion, l. 4. C. T. de jurisd.* sub Valentiniano Maximinus, *l. 8. C. T. de accusat.* sed paulo post Tusciæ Consularis Olybrius fuit; *l. 72. C. T. de decur.* in quo statu pluribus annis permansit; Valentiniano enim secundo, & Theodosio imperantibus Claudius Tusciam Consularis rexit, *l. 5. C. T. de denunc. vel edit. rescript.* quæ postea Vmbriæ juncta, utraque ab uno Consulari est administrata. Tuscia, adjacensque regio à copia tritici, vini, casei, & carnium, quas producit, & Romæ suppeditabat, *Annonaria* est appellata: Spartianus in *Tetrico Seniore tyranno: Aurelianus*, inquit, *Tetricum, quem triumphaverat, Correctorem totius Italiæ fecit, id est, Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Hetruriæ, atque Vmbriæ, Piceni, & Flaminiæ, omnisque annonariæ regionis.* Ammianus quoque lib. XXVII. cap. III. Hetruriam *Annonariam* appellat: *Hoc tempore*, inquit, *vel paulo ante, nova portenti species per Annonariam apparuit Tusciam.* Nec solum ad victum necessaria, sed & nongentas vehas calcis ad formas aquæductuum reparan-

parandas in urbem mittebat, *l. 3. C. Th. de calc. coctor.* Quod & Symmachus prodit epist. XXXIX. lib. I. Vmbriæ quoque magna fuit fertilitas. Aristoteles enim lib. *de admirabilibus auditionibus*, si is liber non est insititius, scribit in Vmbria ter animalia parere, arbores bis anno fructus, eosque laudatissimos producere, & mulieres plerumque geminos parere. Idem & Stephanus. De hac regione sensisse fertur Poëta, cum dixit *Georg.* II.

Bis gravida pecudes, bis pomis utilis arbos.

Auctor quoque est Plinius l. XVII. c. IV. Cæsarem Vopiscum cum apud Censores causam ageret, dixisse, *Campos Rosia*, qui sunt in Vmbria, *Italiæ sumen esse, in quibus perticas pridie relictas gramen operiret.* Polybius lib. II, hanc regionem & Galliam Cisalpinam in omnia frugum genera fœcundam esse scribit, ut sæpenumero modius frumenti Siculus non amplius quatuor obolis venierit; hordei non amplius duobus, dolium vini tantumdem, mellis, & farris tantam fuisse copiam, ut hominum opinionem superaret: Infinitam verò pecudum multitudinem Italici generis homines aluisse, & ad privatos usus, & ad necessarium exercitibus apparatum abundè alimenta administrasse: Hospites viatoribus honorificè exceptis, & omnibus ad victum necessariis abundè subministratis, non amplius quàm siliquam, id est, tertiam oboli partem accepisse. Quare cum populo Rom. affatim annonam exhiberent, jure *annonariæ* hæ regiones sunt appellatæ. In indice verò XXII. Consularium, ubi habetur annonarii Tusciæ, & Vmbriæ, lego *annonariæ*, Consularis enim ipse *annonarius* non vocabatur, sed *provincia*.

CAP. LI.

DE CONSVLARI PICENI SVBVRBICARII.

PICENVM vulgo *Marchia Anconitana* dictum Pentapolis provincia vocatur à Synodo VI. Constantinopoli habita sub Constantino Pogonato. hanc Piceni denominationem Festus tradit: *Picena*, inquit, *regio, in qua est Asculum, dicta quod Sabini, cum Asculum proficiscerentur, in vexillo eorum Picus consederit.* Duplex Picenum fuisse Notitia significat, Annonarium, & Suburbicarium, utrumque à suo Consulari rectum. Valentinianus *in l. 9. C. T. de anno. & tribut.* *Per suburbicarias*, inquit, *regiones vir Clarissimus Anatolius pabula ad mutationes, mansionesque singulas animalibus cursui publico deputatis pro longinquitate itineris ab unoquoque oppido certo ac denunciato tempore devehi ordinabit.* Anatolio Valentinus Consularis Piceni successit, *l. 1. C. de exhib. reis. l. pen. C. T. quib. equo. us. concess.* aliàs Valentinianus, *l. 17. C. Th. de per. publ. l. 5. C. T. de pact.* mox Sophernius, *l. 71. C. Th. de decurion.* Ante hos sub Constantio Patruinus Piceni Consularis fuerat, ut Ammianus lib. XV. c. VII. scribit. In porta Arimini Actæus V. C. Flaminiæ & Piceni Corrector, Augusto imperante, fuisse legitur, quod falsum fuisse supra redarguimus. Codex Vrsini habet *suburbicanum*, quam lectionem non improbo, quia dicitur suburbicanum sicut rusticanum: Cicero *pro Gn. Plancio* Tusculanos, Atinates, Arpinates, aliosque vicinos, municipes Romæ *Suburbanos* vocat. Quod tempore belli Punici cum Annibale Piceni sensissent, illos vicatim habitare Romani coegerunt, & militiæ loco Tabellariorum, ac Viatorum officio fungi, uti Strabo in fi. l. V. *Geograph.* memorat, legemque à C. Flaminio Tribuno pleb. latam fuisse de eorum agro viritim dividendo, Cicero in *Catone* refert. Quia ergo in formam suburbiorum redactum est Picenum, & mœnibus desolatum, suburbicanum potuit appellari. Alii ita dictum volunt quod ea pars Romæ propior esset, ac ferè urbis suburbiis conjungeretur: nam Plinius lib III. cap. V. scribit Romam *per directum efficere passuum triginta millia* DCCLXV. *Ad extrema verò tectorum cum castris Prætoriis a milliario*, (quæ erat columna aurata in foro, ut auctor est Plutarchus) *per vicos omnium viarum mensuram colligere paulo amplius* LXX. *millium passuum. Quo si quis altitudinem tectorum addat, dignam profectò æstimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari.* Hæc Plinius. Postea cum Trajanus, deinde Aurelianus urbis pomœrium protulissent, ut Vopiscus, Eutropius, & Zosimus referunt, constat usque ad Tiberis ostium suburbia pervenisse, quod & Aristides Smyrnæus in *Panegyrico urbis* affirmat: *Descendit hæc*, inquit, *usque ad mare, ubi commune emporium communisque omnium, quæ terra proveniunt, dispensatio. Quicquid nunc Italia restat, complectitur universa mihi videtur, unaque futura urbs perpetua in Jonium mare protensa.* Hæc ille. Itaque tam longe se extendentibus suburbiis, non mirum si Piceni pars suburbicaria dici potuit. His concinit Symmachus epist. LXXX. lib. II. *Tum P. V., Spoletum*, inquit, *suburbanitas nostra est.* A suburbanis enim provinciis ad P. V. appellabatur. Valens A. *in l. 13. C. Th. de accus.* *Referant*, ait, *judices de suburbanis provinciis ad præfecturam sedis urbanæ, de cæteris ad Præfecturam Prætorianam.* His in locis multa prædia Princeps possidebat, inter quæ & bona Faustinæ, unde constitutus erat Rationalis rei privatæ per urbem Romam, & suburbicarias regiones, cum parte Faustinæ sub Comite rerum privatarum. Picenum verò erat, quod inter Æsim & Aternum fluvium continebatur. Exceptis decurionibus & his majoribus, per Picenum olim nemo uti equo poterat, *l. 1. & ult. C. Th. quib. equor. usus conce.*

CAP. LII.

DE CONSVLARI SICILIÆ.

INSVLÆ Italiæ adjacentes ejus pars esse censentur, sicut & aliæ provinciæ, inquit Vlpianus *in l. insula. 9. ff. de jud.* Sed & provinciam, idem ait, Siciliam magis inter continentes accipere nos oportet, quæ modico freto ab Italia dividitur, *l. notionem. 99. ff. §. 1. ff. de verb. signif.* Addunt Jurium interpretes, ut Paul. Castren. & alii in *d. l. insula. 9. Bar. de insula.* insulas modò non ultra centum millia passuum ab Italia & provinciis distent, earum partes censeri. Sicilia itaque modico freto separata ab Italia ejus pars erit. Item Corsica, quæ & ipsa non plus centum millibus passuum ab ora Ligustica distat, illius pars censetur: Sic & Sardinia, quæ augusto freto quinque millium passuum à Corsica distinguitur, Italiæ attribuetur, quæ nunc Hispaniæ adscribitur. Sicilia ergo tanquam pars Italiæ, Consularem habet Vicario Romæ parentem.

Hanc primam Romanorum provinciam factam Cicero, Sex. Ruffus. & alii volunt: aliqui Sardiniam fuisse malunt, ut Pomponius *in l. 2. §. capta. ff. de orig. jur.* Primumque in eam C. Flaminium Prætorem missum Solinus memorat. Verum tamen est partem Siciliæ primo provinciam factam, totam verò post Sardiniam fuisse subactam: Tam sub Repub. quàm Principibus diu Prætoria mansit. Inter alios Sext. Biduceus Quæstore M. Tullio Cicerone ibi Prætor jus dixit, mox C. Sacerdos, deinde C. Verres eam per triennium tenuit, quod Arrhejus, cui ea provincia decreta erat, eò non venisset. Verri Metellus successit. Deinde Proconsulem Sicilia obtinuit. Severus enim Imperator, ut auctor est Spartianus, Siciliam Proconsularem sorte meruit. Deinde à posterioribus Principibus

pibus commissa est Præsidibus, ait Sex. Ruffus: *Et nunc*, inquit, *à Consularibus administratur.* Eo enim tempore sub Valentiniano Donnus Siciliæ Consularis erat, *l. 29. C. T. de curs. publ.* ultimo verò Justinianus illi Prætorem dedit, ut indicat ejus *Novel.* 104. quæ non extat, sed id tit. argumentum Latinè conscriptum indicat, qui etiam impensarum, quæ in milites fiebant, curam habebat. ejusdem decreto defensores & partes civitatum Siciliæ confirmabantur, *Nov.* 75. quæ deest.

Vigente Repub. duo Quæstores, unus Lilibetanus, alter Syracusanus, ejus insulæ tributa exigebant, auctores Cicero *in Verrem* & Asconius. sub posterioribus Principibus ad Comitem privatarum Italiæ hoc onus est devolutum. Unus vero trium provinciarum, scilicet Siciliæ, Corsicæ, & Sardiniæ Rationalis vectigalium rationes scribebat, *l. 1. C. de suscep. & arcar. l. 1, C. Th. commun. dividun.* Ab hoc Consulari ad P. P. Italiæ olim appellabatur, *l. 27. C. Th. de appell.* postea ad Quæstorem palatii ab eo est provocatum, *d. Novel.* 104. Aratores Siciliæ, id est, qui ibi agros possidebant, decimam frumenti quod colligebant, Romanis pensitarunt: rursusque alteram decimam ternis H-S. in singulos modios vendebant, Cicero in v. *actione in Verrem* & Asconius *in divinationem*. Cassiodorus lib. vi. *de Comite qui militib. praerat.* Plinius in *Panegyrico*. Hæc erat summa DCCC. millium modiorum, qui efficiunt plus sexaginta sex millibus nostrorum saccorum tritici. Cum ternos itaque H-S. in modios pro hac decima Respublica, ex vectigalibus vel ærario, solveret, penderetque modius libras xx. efficiebat hæc summa circiter libras quatuor, solidos xi. nostræ monetæ in saccum. Verum, quia hoc frumentum populo Romano, aut militibus non sufficiebat, æqualiter omnibus Siculis tertia decima imperabatur, datis in modium H-S. quatuor, erat fermè summa librarum sex cum dimidia in nostrum saccum. Cicero in v. *in Verrem actione*, loquens de hoc frumento à Sicilia præstando: *Emundi*, inquit, *duo genera fuerunt, unum certarum decumarum, alterum, quod præterea civitatibus æqualiter esset distributum. Illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset, tritici mod.* DCCC. *millia: pretium autem constitutum decumano in modios singulos H-S. terni: imperato H-S. IV. Ita in frumentum imperatum H-S. duo de tricies in annos singulos Verri decernebatur, quod aratoribus solveret. In alteras decumas ferme ad nonagies, sic per triennium ad hanc frumenti emptionem Siciliensem propè centies & tricies erogatum est.* Ex verbis Ciceronis tres decimæ videntur à Siculis solutæ, prima sine pretio, altera empta tribus H-S. in modium, tertia quatuor. Prætori verò Siciliæ concedebatur, ut frumentum in cellam, id est, in suum & familiæ victum sumere posset, quod æstimabatur quaternis H-S. in modios tritici, binis in hordei, & ex ærario hæc pecunia numerabatur: postea verò non decima ab aratoribus, sed quinquagesima, aut quadragesima, ut ab aliis provinciis exigi cœpit, *l. modios. 9. C. de susceptoribus & arcariis.* Naves præterea suo ære instructas, nautas, & milites, Siculi præstabant. Cicero in *actione* VI. *in Verrem*: *Navem*, inquit, *imperare ex fœdere debuisti, remisisti in triennium; Militem nullum unquam poposcisti per tot annos.* Et in VII. *actione*: *Superiorum Prætorum consuetudo cum hæc fuisset, ut naves civitatibus, certusque numerus nautarum, militumque imperaretur, maxima & locupletissima civitati Mamertinæ, nihil horum imperavisti.* Et rursus: *Sumptum omnem in classem frumento, & stipendio ceterisque rebus suo quæque navarcho civitas semper dare solebat.* Et paulò post: *Erat hoc, ut dico, factitatum semper, non solum in Sicilia, sed in omnibus provinciis, etiam in Sociorum, & Latinorum stipendio ac sumptu, tum cum illorum auxiliis uti solebamus*: Hæc ille. Septemdecim populos Siciliæ fuisse idem Cicero ibid. scribit, cujus metropolis fuere Syracusæ, ubi Prætor, seu Præses per hyemem degebat, quod ea esset maxima pulcherrimaque omnium Græcarum urbium. Cicero in VI. *actione*: *Urbem*, inquit, *Syracusas maximam esse Græcarum urbium pulcherrimamque omnium sæpe audistis. Est Judices ita, ut dicitur*, easque quatuor maximis urbibus *constitisse* scribit. Hic erat Baphium Syracusanum Siciliæ appellatum, ubi vestes Principis purpura tingebantur: Vere autem Prætores insulam circuibant, *Cujus*, inquit Cicero, *hic situs, atque hæc natura esse loci cœlique dicitur, ut nullus unquam dies tam magna turbulentaque tempestate fuerit, quin aliquo tempore Solem ejus diei homines viderent: Deinde æstate summa*, inquit, *ceteri Prætores obire provinciam, & circumcursare consueverunt, aut etiam in tanto prædonum metu, & periculo ipsi navigare*: Hæc ille. Siculis jus Latii C. Julius Cæsar dedit: M. Antonius Consul civitatem, Cicero in IV. *ad Atticum*. Hi sunt quatuor Italiæ Consulares, qui Vicario Romæ suberant: Nunc ad duos Correctores, qui eidem parebant, veniemus.

CAP. LIII.

DE CORRECTORIBUS APULIÆ *& Calabriæ, item Brutiorum & Lucaniæ.*

A SILARI flumine ultra Campaniam usque ad Laum flumen tenuere Lucani, ut Plinius refert, nunc *Basilicatam* vocant: inde usque ad Leucopetram promontorium sequuntur Brutii, à Brutia regione, inquit Jornandes, olim nominati, nunc Calabri dicuntur. Antiquitus hæc regio Oenotria nuncupata ubi Græci resederunt, quæ peninsulam efficiens Tarentum usque ejus metropolim circumvolvitur: Inde ad Tarentum erat Calabria, mox usque ad Garganum montem Apulia; sed nunc tota à Lao flumine Tarentum usque est Calabria, cujus illa civitas erat metropolis; ubi purpura vestes Principis tingebantur. His quatuor regionibus duo dati sunt Correctores, alter Apuliæ & Calabriæ, alter Lucaniæ & Brutiorum: Constantino imperante Claudius Plotianus harum Corrector extitit, *l. 1. C. T. de relat. l. 1. C. T. de appellat.* mox Mechilius Hilarianus, *l. si quis Decurio. 21. C. de falsis. l. universos. 15. C. de Decurion. l. 1. C. T. ad l. Flaviam.* deinde Octavianus, *l. 2. C. T. de episco. & cler.* sub Valentiniano Symmachus, *l. 25. C. T. de cursu publico.* Correctoris Apuliæ & Calabriæ insignia in calce operis Notitia ostenduntur, ut inde velut in simulachro aliorum Correctorum insignia & officium conspiciantur. Sunt autem in summo auratæ columnæ, duo aversi, sed ita connexi Principes, ut in unum desinant: Ingeniosum inventum ad miram duorum Imperatorum concordiam ostendendam: Nigra tenuisque linea utriusque caput & corpus dividit, ut fermè ex invisibili hac divisione ipsorum unitas minimè tolli posse videatur. Prope est abacus albo tapeto instratus, qui librum rubro corio tectum sustinet, infra imago est oppidi cum hac inscriptione, PROVINCIA APULIA ET CALABRIA. Unus enim Corrector utrique præerat regioni. In Manuscriptis vultus tantùm duorum Principum apparent. Liber auro tectus cœruleo surrectoque tapeto nititur, in cujus dorso hæ notæ leguntur, FL. VAL. CORR. IUS. DD. quas ita interpretor, *Fælix liber vendicandus à latercula Correctoris jussu dominorum.* Impressi notis carent. Meus codex tergum libri purpura tectum ostendit. Officium habebat ut Consularium, excepto Principe, qui ex eodem officio acci-

Mm mm mm pie-

pinebatur, videlicet *ipsum Principem; Cornicularium, Tabularios duos pro Numerariis, Commentariensem, Adjutorem, Ab actis, Subadjuvam, Exceptores, & cæteros Cohortalinos, quibus non licet ad aliam transire militiam sine annotatione clementiæ principalis.* Cæteri Correctores ad similitudinem Correctorum Apuliæ & Calabriæ officium habent. Ab his ad P. P. appellabatur. Constantius ad Taurum P. P. *in l. 27. C. T. de appell. De Sardinia*, inquit, *Sicilia, Campania, Calabria, Brutiis, & Piceno, Æmilia, & Venetia, cæterasque interpositas appellationes laudabilis sublimitas tua more solenni debebit audire, competenti appellatione terminandas. Præfectus enim Urbi nostra responsione prædictis cognitionibus sibi temperandum esse cognovit.* Symmachus verò epist. XXXVII. lib. 1. refert à Correctore Apuliæ, quem *Moderatorem* appellat, ad Præfectum urbi provocari. Lucani Romanis sues pendebant: unde Lucanica. Brutii dabant boves, sicut in quarto Strabo scribit. Dimidias quoque decimas suum & pecorum quæ alebant, & aliquot millia amphorarum vini tradidisse videntur, *l. 4. C. Theo. de suariis.* Cassiodorus lib. XI. *Variar. ad Vitalianum Cancellarium Lucaniæ & Brutiorum* epist. XXXIX: *Hinc*, inquit, *montuosa Lucania sues pendet: hinc Brutii boum pecus indigena ubertate præstant. Fuit nimirum utrumque mirabile; ut & provinciæ tanta civitati sufficerent, & ampla civitas earum beneficiis victualium indigentiam non haberet.* & subjicit, *justum his statutum fuisse pretium:* Hæc ille. Inde Princeps plebi & prætorianis militibus carnes suillas clargiebatur, certo viro ad hoc munus destinato. Zosimus lib. II. cap. IX. *Maxentius*, ait, *administris Marcelliano & Marcello tribunis militum, & Luciano suillæ carnis præbitore, quam fiscus populo Romano largiebatur, & aulicis præterea militibus, quos prætorianos vocant, in regium ab his solium collocatus est.* Vopiscus in *Aureliano* cap. XLVII. *Statuerat*, inquit, *vinum gratuitum populo Romano dare, ut quemadmodum oleum & panis & porcina gratuita præberentur, sic etiam vinum daretur*: quod tamen non fecit. Lucani ad evitandas difficultates quæ oriebantur, 6400. solidorum nomine suum permittente Principe solverunt, *Novel. Valentiniani tit. 37. de suariis.* Vicarii Romæ Præsides sequuntur.

Cap. LIV.

DE PRÆSIDIBUS SAMNII ET VALERIÆ.

SAMNITES ab Occidente, Truento, ab Oriente, Aterno fluminibus: à Meridie, Appennino, Campanisque clauduntur: à Septentrione mari Hadriatico, nunc *Aprutios* vocant. *Hos quinquaginta annis*, inquit Jornandes, *Fabii ac Papirii patres ac liberi ita domuerunt, atque urbes diruerunt, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec facile appareat materia* XXIIII. *triumphorum*: Hæc ille. Juxta hos est Valeria regio, à via, & civitate Valeria dicta, quæ, ut tradit Strabo, à Tiburtinis initium capiens, ad Marsos, & Corfinium Pelignorum metropolim extenditur, & partem Latii continet. In ea Latii urbes sunt, Valeria, Bonifacii IV. Pontificis Patria, nunc extincta, Arseoli, & Alba, prope quam est civitas Cuculum. In Romæ verò conspectu sunt Tibur, Præneste, & Tusculum. Valeriæ metropolis erat Amiternum, hodie *Aquila* dicta: Harum Præsides Vicario Romæ parebant, sicut & sequentes.

Cap. LV.

DE PRÆSIDIBUS SARDINIÆ ET CORSICÆ.

SARDINIAM à Sardo Herculis filio, qui primus eam occupavit, vocatam ferunt. Prima populi Romani provincia à M. Pomponio est facta anno Urbis DXXI. & biennio post Corsica à C. Papirio, sed utraque ab uno Prætore regebatur, primusque M. Valerius utranque administravit, sub posterioribus verò Augustis sunt divisæ, & singulæ singulis Præsidibus commissæ. *Nunc*, inquit Sex. Ruffus, *à suis Præsidibus reguntur.* Constantino enim imperante Festus Sardiniæ Præses fuit, *l. 3. C. T. de pœnis.* cum Felix esset Corsicæ, *l. 2. C. T. de tempor. cursu.* sub Constantio etiam Constantini successore Bibulenius Restitutus solam Sardiniam Præses rexit, *l. 2. C. de capiend. & distrab. tribut. causa.* sub Valentiniano & Valente Laodiceus, *l. antepe. C. de his qui accus. non pos. l. 12. C. T. de accusat.* sub Gratiano Matronianus, *l. 1. C. ad l. Jul. repetandar. l. 2. C. T. eodem.* & id usque ad Notitiæ tempora permansit. Postremo recepta à Vandalis Africa, Justinianus illius Præfecto Prætorio Sardiniam tribuit. Itaque non amplius Italiæ, sed postea Africæ provincia est habita, *l. 1. §. Deo itaque. C. de offic. P. P. Africæ.* Nunc verò Hispaniæ annectitur. Frumentum & ipsa Romæ pendebat, cui, Hircius *de bello Africo*, item Livius, Julius Cæsar præ decumis octavas frumenti imperavit: Prudentius lib. II. *advers. Symmachum:*

Nec dat vela fretis, Romana nec horrea rumpat
Sardorum congesta vehens granaria classis.

Symmachus lib. II. epi. CXIV. *Benignus*, inquit, *rei frumentariæ negocium pervigili animo executus, nihil de Sardinia reportavit, nisi bonam conscientiam, & malam valetudinem. Horreis autem tantum frugis invexit, quantum illi provinciæ anni fortuna contulerat.* Corsica verò modico freto à Sardinia discreta, aliquanto minor CCCXC. milliaria circumit, prius Cirna, à Cirno Herculis filio dicta. Vinum producit optimum, alumen, & ferrum. Et ipsa suum habebat Præsidem, *l. 2. C. T. de tempor. curs.* Ab his Rectoribus ad P. P. Italiæ appellabatur, *l. 27. C. T. de appell.* quod Constantius statuit, cum antea ad P. V. provocaretur.

Horum Præsidum insignia erant, duorum Principum velut unius viri effigies, duos vultus, & pectora exprimens, nigra enim linea utriusque caput, & totum corpus dividit: Unum esse ob communem consensum duorum Principum Imperium, melius exprimi non poterat. Abacus purpureo tapeto tectus, erectum librum sustinet, infra oppidi effigiem habet, supra nomine suæ provinciæ inscripto, ut apud notitiam in Præside Dalmatiæ visitur. Officium habebant ut Correctores. Unus Rationalis trium provinciarum tributa exigebat, Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ, uti apud Jura legitur, *in l. 1. C. de suscep. & arcar. l. 1. C. T. commun. dividun.* & Notitia interpretatur. Hi sunt Italiæ Magistratus, qui Romæ Vicario obtemperabant: Nunc de aliis, qui Vicario Italiæ suberant, est disserendum, etsi à Notitia sint omissi.

Cap. LVI.

DE VICARIO ITALIÆ.

PRÆTER Vicarium Romæ, alium habebat P. P. Italiæ, cui quatuor parebant Consulares, unus Venetiæ, Istriæque, alii Æmiliæ, Liguriæ,

guriæ, & Flaminiæ, cum Piceno. Tres verò Præsides, Alpium Cottiarum, Rhetiæ primæ, & Rhetiæ secundæ. Vicario enim Romæ regiones ad Orientem velut antiquæ Italiæ committebantur. Huic aliæ ad Occidentem, quæ ante Triumviros Reipub. constituendæ extra Italiam censebantur, scilicet, Galliæ Cisalpinæ, & Liguriæ. à quibus omnibus ad hunc Vicarium provocabatur. Reperitur Romæ quoddam epigramma, quo Cranio Eusebio Vicario Italiæ ob singularem ejus virtutem addita est Æmilia, quæ prius Vicarii Romæ fuerat. Constantino imperante Julius Verus Italiæ Vicar. extitit, *l. 4. C. T. de privil. eor. qui in sacr. palat. milit.* cui Septimus Bassus successit, *l. 1. C. si quis eam cujus tut.* huic sub Valentiniano Faventius, *l. 3. C. de agricol. & censit.* mox Catafronius, *l. 3. C. T. de cursu publico*, deinde Italicus, *l. 10. C. T. de lustr. collat.* Hic Vicarius in primo indice Notitiæ recensetur, nulla postea ejus insignium, officii, aut magistratuum fit mentio, vel quod aliqua folia sint deperdita, vel quòd tum à Barbaris hæc regio vexabatur. Æmiliam enim & adjacentes provincias se devastatas vidisse, & civitates semidirutas D. Ambrosius deplorat. Hanc cladem prius Alaricus, deinde Attila Hunnorum Reges intulerunt. Verùm insignia & officium, ut alii Vicarii, habebat. Ejus verò Magistratus ex juribus collectos explicabimus, à Consulari Venetiæ & Istriæ auspicati.

CAP. LVII.

DE CONSVLARI VENETIÆ ET ISTRIÆ.

VENETIA à flumine Athesi usque ad Timavum extenditur, vulgo *Marchiam Trevisanam* vocant, quæ à Longobardis Marchionibus Trevisii sedem habentibus nomen habuit, quemadmodum alius in Piceno Anconæ degens, Marchiæ Anconitanæ nomen dedit. Venetiæ metropolis erat Aquileja, prima post Romam Italiæ civitas, ubi provinciæ thesaurus conservabatur, etsi imperaote Augusto, extra Venetiæ fines censebatur, ut lib. v. auctor est Strabo. A Timavo autem usque ad Arsiam fluvium non longè à Pola est Istria, cujus caput est Justinopolis. His duabus regionibus unus Consularis, sub Vicario Italiæ, præerat. Imperante Constantino hæ provinciæ Correctorem habuere Cæcilianum Placidum, ut ex marmore Neapoli constat, quod est sequens:

M. MÆCIO MEMMIO BALBANO CÆCILIANO PLACIDO C. V. PONTIFICI MAIORI AVGVRI XV. VIRO SACRIS FACIVNDIS CORRECTORI VENETIARVM, ET ISTRIÆ, PRÆFECTO ANNONÆ VRBIS SACRÆ CVM IVRE GLADII, COMITI ORDINIS PRIMI, COMITI ORIENTIS, ÆGYPTI, ET MESOPOTAMIÆ, IVDICI SACRARVM COGNITIONVM TERTIVM CONSVLI ORDINARIO PATRONO PRÆSTANTISSIMO REGIO PALATINA POSVIT.

Postea hæ provinciæ Consularem habuere, ut sub Valentiniano Florianum, l. 1. *C. T. de exact.* quæ repetita est *in l. 10. C. T. de execut. & exact.*

In Venetis, & Istria erat Cissense baphium, ubi sericum & lana Principis tingebantur.

CAP. LVIII.

DE CONSVLARIBVS ÆMILIÆ, FLAMINIÆ, ET PICENI.

GALLIA togata erat tota ea regio, quæ est intra Padum, Apenninum, Rubiconem, ac Trebiam, ut Plinius, Ptolemæusque referunt: ita dicta, quod civitate donati, toga Romana ejus incolæ uterentur. Totus hic tractus in duas regiones dividitur, Flaminiam, & Æmiliam. Nam M. Æmilius Lepidus, & C. Flaminius Coss. devictis Liguribus Apuanis, ne in ocio milites tenerent, alter Roma per Thusciam & Umbriam Ariminum usque viam à se Flaminiam dictam stravit, Strabo lib. v. Alter Placentis ad Ariminum, Æmiliam. Itaque Flaminia est appellata, quæ Ariminum ducit, cujus metropolis fuit Ravenna. Æmilia verò est, quæ inde Placentiam tendit. Nos tamen ita dividemus, ut quod est ab Æsi ad Aternum fluvium, sit Picenum, seu Marchia Anconitana: ab Æsi ad Rubiconem Flaminia, quam *Romandiolam* appellant; Inde Placentiam usque, aut ad flumen Trebiam Æmilia. M. enim Æmilius Lepidus ibi Proconsul, totam eam provinciam reformavit: inter alias civitates Regium dirutum instauravit, quod etiam ostendit hæc antiqua inscriptio, M. LEP. CIV. REG. INST. quam Valerius Probus ita interpretatur, *M. Lepidus civitatem Regii instauravit*, ibique forum causarum habuit, unde *Regium* Lepidi forum appellatur. Hæc regio ab ipso *Æmilia* est dicta, quæ prius Aurelia vocabatur, sed hodie tota Longobardia Bononiam usque censetur. Flaminiam verò Carolus Magnus Ecclesiæ tradens, tanquam territorium ad Romam spectans *Romandiolam* appellavit. His duabus regionibus duo præfuere Consulares, alter Æmiliæ, alter Piceni, & Flaminiæ. Æmilia post Diocletianum semper Consularem habuit: Constantino enim imperante, ejus Consularis Ruffinus fuit, *l. 1. C. T. de vectig. & commis.* deinde sub Constantio Dulcitius, *l. 2. C. de agricol. & censit.* Reperitur tamen Æmilia cum Liguria quandoque Consulari commissa. Constantinus enim Ulpio Flaviano utramque regendam tradidit, *l. 2. C. T. de extraord. sive sord. muner.* Valentinianus secundus & Theodosius Romulo, *l. 4. C. T. de denunc. vel edit. rescr.* pro arbitrio namque Principum varii statuebantur magistratus.

CAP. LIX.

DE CONSVLARI LIGVRIÆ.

DVBIVM non est Ligures nunc eos esse, qui ab Apennino inter Macram, & Varum, & mare Tyrrhenum continentur, quorum caput est Genua, sed olim ulterius etiam per Apenninum ad eos Subalpinos, qui vulgò *Pedemontani* vocantur, & Vercellas protendebantur; Astamque Coloniam, Dertonam, Statellamque complexi usque ad montem Balistam in Regiensi agro, nunc montem *Valestrum* nominatum, ac montem Lætum seu Sancti Peregrini perveniebant, & Pisas usque extensi fuisse videntur, Livius lib. x. *de bello Macedonico & Asiatico*, seu Decade IV. His ergo populis, ut numerosis, latamque regionem tenentibus proprius datus est Consularis, qui sub Arcadio Arrianus fuisse legitur, *l. 4. C. T. unde vi.* Quandoque tameo Æmiliam & Liguriam unum Consularem rexisse, supra diximus, *l. 2. C. T. de extraord. sive sord. muner.* Liguriæ caput tum erat Mediolanum, ubi totius provinciæ pecunia publica condebatur, cui Præfectus

thesaurorum Mediolanensium Liguriæ vocatus sub Comite Largitionum residebat. Hi sunt quatuor Consulares, qui Vicario Italiæ parebant; nunc de ejus Præsidibus est tractandum.

CAP. LX.

DE PRÆSIDIBVS ALPIVM COTIARVM, RETIÆ I. ET II.

COTIÆ Alpes sunt, ubi nunc mons Cinesius dicitur, à Cotio Rege appellatæ, qui XII. ibi civitates condidit, uti Plinius lib. III. cap. XX. memorat. Is, Marcellino teste lib. XV. cap. X. Cæsari Augusto amicissimus fuit, sed eo, & filiis extinctis, hæc regio à Nerone in potestatem Imperii Romani redacta, & Latii jure donata, Tacitus lib. III. *Annal.* proprium Præsidem accepit, Eutropius lib. VII. cap. VI. Vopiscus in *Aureliano*. Incipiunt hæ Alpes, ut ait Marcellinus loco cit. à Segusione oppido, quod nunc *Susam* vocant, ubi Cotii ipsius sepulchrum memorabile visebatur, aliaque oppida usque ad Navolessam continebant. Alpes Gallicum vocabulum, & pro altis montibus accipi Servius scribit: Goropius lib. I. *Gallicorum* glaciem montium significari suâ linguâ affirmat. Retia verò, ut Stephanus, & Ptolemæus lib. II. referunt, etiam ipsa est in Alpibus, quæ Galliam Cisalpinam, à Germanis dividunt, ab Occasu montem Adulam fontesque Danubii habet, ab Oriente Lycum flumen, quod Danubium influit, Retiamque à Vindelicia separat: ad Septentrionem Danubio, ad Meridiem Alpibus clauditur, & hæc Retia prima seu superior vocatur. Ultra Lycum usque ad Oenum fluvium Orientem versus, & Vindeliciam, Retia secunda, seu inferior est dicta. Hodie hunc tractum Sueviam nominant: Hujus metropolis fuit Augusta Vindelicorum, ubi pecunia Principis à Procuratore thesaurorum Augustæ Vindeliciensis Retiæ secundæ nuncupato servabatur. Hæ duæ regiones à duobus Præsidibus administrabantur, & Italiæ Vicario parebant: Olim utraque regio ab uno Prætore regebatur, Tacitus *Hist.* lib. IV. *Infesta Retia, cui Porcius Septiminus Prætor erat incorrupta erga Vitellium fides.* P. quoque Ælius Pertinax, qui postea imperavit, sub. M. Antonino Prætor Retias gubernasse fertur, sed idem Tacitus eas quandoque à Procuratoribus administratas fuisse scribit *Hist.* lib. I. Cassiodorus lib. VII. *Variar. in formula* IV. *Ducatus Retiarum*, ipsas *munimina* Italiæ, & *claustra provinciæ* vocat, *quæ* inquit, *non immeritò sic appellata esse judicamus, quando contra feras, & agrestissimas gentes sunt velut quædam plagarum obstacula.* Retia Italiæ eas esse significat: Alii à Reto Duce derivant: In his limiti Rom. Imperii erecto, Dux cum militaribus copiis præerat. Hi sunt Magistratus provinciarum, qui Vicario Italiæ ejusque Præfecto obtemperabant. Præter hos Comes rei militaris cum XVI. fermè præsidiis Italiam custodiebat. Nunc ad Illyrici provincias est veniendum.

CAP. LXI.

DE VICARIO ILLYRICI OCCIDENTALI.

TERTIVS in Occidente fuit Vicarius Illyricianæ Diœceseos, etsi à Notitia omissus, quod ea regio tum à Barbaris teneretur. Illyricum prius C. Julio Cæsari cum Gallia Cisalpina est demandatum, Tranquillus in *C. Julio* cap. XXII. deinde sub posterioribus Principibus Italiæ annexum. Id olim Claudio Juniore imperante Thracas, Mysos, Dalmatas, Pannonios, & Dacos, continebat, ut Pollio scribit in *Claudio*. postea quicquid est circa Danubium usque ad Pontum Euxinum, Illyricum est dictum, inquit Zonaras. Duplex Arcadio & Honorio imperantibus est factum, ut in P. P. Orientalis Illyrici exposuimus, alterum Orientale, alterum Occidentale, quod Herodianus lib. VI. cap. XV. dicit Italiam à Germania dividere, ad Præfectumque Prætorio Italiæ pertinebat, cujus sex provincias Notitia recenset. Duas Pannonias, primam, & secundam, Noricum Mediterraneum, & Ripense, Saviam, & Dalmatas, ex quibus sola Pannonia secunda Consularem habebat. Quare cum ad Elpidium Pannoniæ Consularem Constantinus scribit, *l. 6. C. T. de veteran.* de secunda est intelligendum. Savia Correctorem, reliquæ Præsides habuere. Huic Illyrico & Africæ P. P. Italiæ imperabat. Marcellinus lib. XXVI. cap. V. *Valentinianus*, inquit, *Mediolanum*, *Valens Constantinopolim discessit. Et Orientem quidem regebat potestate Præfecti Salustius, Italiam vero cum Africa & Illyrico Mamertinus.* Hæc ille. Illyrici regiones ita se habebant, ultra Oenum fluvium, à quo Retiam secundam terminari diximus, Orientem versus erat Noricum, quod usque ad Cecium montem perveniebat, à Meridie & Alpibus usque ad Danubii ripas versus Septentrionem extendebatur; & ob id hujus regionis pars Ripense Noricum vocabatur, hodie *Bavaria* dicitur. Aliud Noricum Mediterraneum dicebatur, cujus Præses, Constantino imperante, erat perfectissimus, ut apparet ex sequenti inscriptione apud Celejam Stiriæ in pariete templi Franciscanorum:

D. N. FL. CONSTANTINO CLEMENTISS. ATQVE VICTORI AVG. MARTINIANVS V. P. (*vir perfectissimus*) PRÆSES PROVINCIÆ NORICI MEDITERRANEI.

Ultra montem Cecium ad Orientem usque ad fluvium Ænonem inter Alpes Liburniæ, & Danubium est Pannonia prima seu superior, nunc *Austria* vocata, quæ à Præside regebatur.

Ultra Ænonem Drava, & Danubio, Pannonia inferior clauditur, ubi Ister Drava miscetur. Nunc *Bossina* & *Servia* nominatur, cui Consularis præerat. Inter Savum verò & Dravam Savia est, nunc *Croatia* dicta, cui præerat Corrector. Aliqui existimant, ubi nunc est Servia & Bossina, Saviam fuisse, quod ego non affirmo. Præsidis Valeriæ, quæ nunc *Stiria* dicitur, iisdem finibus clausæ, Notitia non meminit, cùm tamen proprium infra illi Ducem assignet, fortè à Consulari Pannoniæ secundæ regebatur. Tres ergo diœceses P. P. Italiæ parebant, Italia, Illyricum & Africa, cujus solius Vicarii insignia, cum suis Consularibus, Correctoribusque, & Præsidibus, eorumque imaginibus Notitia ostendit, Illyrici verò Consularem unum, & Correctorem, quatuorque Præsides in Indice tantum recenset, sed nullum ejus Vicarium nominat, aut Præsidum insignia, vel officia repræsentat, quæ tamen quemadmodum Vicarii Africæ, & aliorum olim cum suis magistratibus exercitata fuisse constat. Sub Valentiniano enim III. & Theodosio ea regione ab Hunnis devastata, ut auctores sunt D. Prosper & alii, Rectores eò mitti desiere. Paulus Diaconus lib. XIV. *Per hæc tempora*, inquit, scilicet Theodosii Junioris, *Hunnis Thracias, & Illyricum populatione vastantibus, exercitus, qui Siciliæ morabatur, ad defensionem Orientalium provinciarum revertitur.* Et lib. XV. *Sub Martiano, & Valentiniano Juniore,*

Rex

Rex, ait, *Hunnorum Attila*, *dum regnum intra Pannonias*, *Daciamque gereret*, *Macedoniam*, *Mysiam*, *& Achajam*, *utrasque etiam Thracias*, *immanissima nube devastabat.* Alii, ut Jornandes, volunt Valentinianum Placidiæ Theodosio socero Illyricum cessisse, ut Eudoxiam ejus filiam uxorem haberet. Nullus ergo ibi tum Occidentis Vicarius, aut Præses, sed nec ullus Comes aut Dux rei militaris fuit. Antea vero Vicario Illyrici sex provinciæ paruerunt, quas, à Consulari Pannoniæ secundæ ut digniore incipiens, pro viribus restituere conabor.

CAP. LXII.

DE CONSVLARI PANNONIÆ SECVNDÆ,

& Correctore Savia, *ac Præside Pannonia prima*, *& utriusque Norici.*

PANNONIA intra Savum fluvium & Danubium clausa, à Tiberio Cæsare vivente Augusto biennio est subacta. Peoniam appellari Appianus scribit, quam Zonaras, & aliqui diversam faciunt, & in Macedonia ad Axium flumen constituunt. Ptolemæus in duas Pannoniam dividit, superiorem, seu primam, ubi nunc est Austria, & inferiorem, seu secundam Narbone fluvio à prima separatam, nunc *Ungaria* dicitur. Prius Proconsularis fuit, siquidem Severus A. ut scribit Spartianus, Pannonias Proconsulari imperio rexit. Mox hæc diu Consularis fuit. Ejus enim, Constantio imperante, Africanus, Marcellinus lib. XVI. cap. VIII. mox Elpidius Consulares extitere, *l. 6. C. Thc. de veteran.* cui sub Juliano Apostata Sex. Victor Historiographus successit, qui postea etiam urbi præfuit, ut Marcellinus lib. XXI. cap. X. scribit. Hunc Fortunatus sub Valentiniano in eodem magistratu sequutus est, *l. 27. C. Th. de cursu public.*

Superior verò seu Pannonia prima Præsidem habebat. Hujus metropolis erat Sabaria, ubi provinciæ thesaurus sub Præposito thesaurorum Sabariensium servabatur. Pannoniæ annis L. ab Hunnis retentæ, anno salutis CCCCXXIX. sub Valentiniano secundo sunt receptæ, ac rursus amissæ, ut auctor est Marcellinus Comes. Ostrogothi enim, qui Hunnis superatis circa Danubium resederant, cum Illyricum vastare cœpissent, eas à Leone primo A. cum Mysia acceperunt, & illi Theodoricum Theodomiris ex Asilona concubina filium obsidem dederunt, Blondus decad. I. lib. I.

Savia citra Savum, à quo nomen accepit, sita, ubi est Liburnia, Correctorem habuit, cujus sub Constantio Rectorem fuisse Africanum Marcellinus lib. XV. scribit, sed Correctorem intelligit. Hujus metropolis erat Sciscianа, ubi provinciæ thesaurus reponebatur, cui præerat Præpositus thesaurorum Scíscianorum Saviæ nuncupatus. Hic etiam Procurator monetæ Scíscianæ sub Comite largitionum monetam percuti curabat. Saviam, & Pannoniam secundam limites Rom. Imperii unus Dux cum pluribus numeris tuebatur, & alius Pannoniam primam.

Noricum Cecio monte ad Orientem à Pannonia dividebatur, ab Occidente Oeno fluvio à Vindelicia, & usque ad Danubium Septentrionem versus extendebatur. Duplex erat Noricum, Ripense ultra Narabonem, secundum Danubii ripam tendens, & illud quod est citra, Mediterraneum vocatum. utrumque suum Præsidum habebat. Prius à Procuratoribus, Galba imperante, administrabatur. Tacitus *Hist.* lib. I. cap. XI. *Dua* inquit, *Mauritania*, *Rætia*, *Noricum*, *Thracia*, *& quæ alia Procuratoribus cohibentur.* Dalmatiæ Præses sequitur.

CAP. LXIII.

DE PERFECTISSIMO PRÆSIDE DALMATIÆ.

DALMATIA à monte Sardonio versus Septentrionem ad mare Hadriaticum, & Meridiem contra Apuliam protenditur: ab Occasu habet Liburniam, ab Oriente Macedoniam, à qua Drilone fluvio divisa, antiquum nomen retinet. Quatuor habebat metropoles, Ladram, Salonam, quæ alio nomine *Spalatum* dicitur, ubi erat Præpositus thesaurorum Salonitarum, Dalmatiæ, sub Comite largitionum, & Baphium Salonitarum Dalmatiæ vocatum, ubi sericum, & lanæ Principis purpurà tingebantur. Hic etiam arma fabricabantur. Aliæ metropoles fuere Antibarus, & Ragusa, Latinum habentes idioma: reliquæ Sclavono sermone, & habitu utebantur, ut ait Guilielmus Tyri Archiepiscopus lib. II. *belli sacri* cap. XVII. Dalmatia olim Proconsuli Macedoniæ paruisse aliquibus videtur: Ulpianus enim scribit se ab Herennio Modestino Proconsule de Dalmatia consultum, *in l. si quis uxori 52. §. si quis asinum. ff. de furt.* sed illa dictio, *Proconsule*, in Florentina lectione deest: Ei certum est Præsidem imperasse, non Clarissimum, ut alii, sed Perfectissimum: neque enim ex Senatoribus, sed ex inferioribus eligebatur, aut equitibus, quos dignitate Perfectissimi anteibant, ut & Constantinus ad Verrinum Præfectum urbi significat, *in l. 1. C. T. de his qui veniam ata. impetr. Senatores*, inquit, *qui veniam ætatis impetrant*, *apud P. V. officium de suis moribus*, *& honestate perdoceant*; *Perfectissimi apud Vicariam Præfecturam: Equites Romani apud Præfectum Vigilum.* quæ verba in Codice Justiniani *in l. 2. C. de his qui veni. ata. impetra.* sunt immutata. Itaque positi sunt Perfectissimi supra equites, qui non primum, sed secundum post Clarissimos locum habebant, & in Jure à Perfectissimis separatis tractatibus distinguuntur, *tit. C. de perfectissimatus dignitate. & C. de equestri dignitate.* & post eos locantur.

Insignia Magistratus Perfectissimi sunt duo Principes, in summo auratæ pilæ, in unum uterum desinentes, ut supra in Correctore Apuliæ, & Præside Cappadociæ exposui: Item abacus rubro tapeto instratus, qui librum viridi corio tectum regit: infra est forma oppidi cum hac inscriptione, PROVINCIA DALMATIA. In Manuscriptis dorso libri insunt hæ notæ, LFLG. P. PRVM. JVSSV DD. quas ita sum interpretatus, *Liber falix legendus Præsidibus provinciarum jussu dominorum.* In Madrucimo littera *G.* est minuscula.

Officium habet Principem ex eodem officio, Cornicularium, Tabularios duos, Commentariensem, Adjutorem, Ab actis, Subadjuvam, Exceptores, & cæteros Cohortalinos, quibus ad aliam non licet transire militiam sine annotatione clementiæ principalis. Cæteri Præsides, ad similitudinem Præsidis Dalmatiæ, officium habent. Hæc sunt, quæ de Vicario Illyrici & ejus Magistratibus, scribere necessaria existimavi. Nunc ad Vicarium Africanæ Diœceseos, & ejus judices est veniendum, quod de novis Africæ magistratibus disserendi occasionem dabit.

Cap. LXIV.

DE VICARIO AFRICÆ, ET EJUS *Consularibus, ac Præsidibus.*

PRæter Romæ, Italiæque, atque Illyrici Vicarium: Quartum Africæ P. P: Italiæ habuit, ut sub Diocletiano Aurelium Agricolaum, ut ex Actis D. Marcelli martyris constat, apud Surium XXX. *Octobr.* sub Constantino Eubulidem, *l. 2. C. de lucris advocator.* Constantio Aconium Catulinum, *l.* 24. 26. *C. T. de decurionib.* mox Anatolium, l. 28. *C. T. eod. de decurionib.* deinde Petronium, *l. pen. C. de dilationib.* & Maximianum, *l.* 44. *C. T. eod. tit.* sub Juliano Apostata Vitianum, *l.* 7. *C. de adsfic. privat.* sub Valentiniano Dracontium, *l.* 10. 11. 13. & 16. *C. T. de anno. & tribut. l.* 6. *C. eo. tit.* l. 8. *C. de jure fisci. l.* 9. *C. T. de susceptorib.* & Crescentem, *l.* 17. *C. T. de anno. & tribut.* Gratiano Comenium, *l.* 84. *C. T. de decurionib.* Arcadio Dominatorem, *l.* 35. *C. T. de haret.* Quinque regebat provincias, duas Consulares, Byzatium & Numidiam, tres Præsidum, Tripolitanam, Mauritaniam Sitifensem, & Mauritaniam Cæsaream, quam in Indice Notitia tanquam à Duce rectam prætermittit: sed insignia repræsentando, eam quintam provinciam Vicarii ponit. Sext. verò Rufius sex provincias, inter quas & Tripolitanam Consularem facit, & Africam propriè dictam, qui est tractus Carthaginensis, cui Proconsul præerat, sextam provinciam ponit. Universam igitur Africam in sex provincias ita dividit: *Proconsularem, in qua*, inquit, *est Carthago. Numidiam, Byzatium, Tripolitanam Consulares, ac duas Mauritanias, Cæsariensem, & Sitifensem Præsidales.* Aliter Ptolomæus dividit, sed nos Notitiam sequimur. Numidia ab Ampsaco ad Ortum tendens, usque ad Sisaram fluvium pervenit, cujus caput est Cirtha, Antonino Pio imperante, Legatum seu Præsidem habuit Tuscium Fuscianum, *l. nam secundum.* 7. *ff. de leg. præst. contra tab.* sub Diocletiano Concordium Proconsulem, *l.* 28. *C. T. de adul. l. ita nobis* 28. *C. eo. tit.* Postea sub Constantino Valentinum Consularem, *l.* 7. *C. T. de episc.* sub Arcadio Jannarium, *l.* 17. *C. T. de lustra. collat.* In hac provincia Rationalis summarum Numidiæ appellatus, sub Comite largitionum residebat.

In mediterraneis inter Bragadam, & Tritonem fluvios, & Byzatii regio Consularis omnium fertilissima. Plinius lib. XVIII. cap. X. *E modio*, inquit, *in Byzatio Africæ campo centeni quinquageni modii redduntur. Misit ex eo loco D. Augusto Procurator ejus ex uno grano, (vix credibile dictu) quadringenta paucis minus germina, extantque de ea re epistola. Misit & Neroni similiter* CCCLX. *stipulas ex uno grano.* Hæc ille.

In Byzatio est urbs Adrametum, quam olim magnam & metropolim Justinianus muro munivit, & a se *Justinianam* appellavit, Procopius lib. VI. *de ædifi. Justiniani.* Nunc *Macomedia* dicitur. Adrimetinam coloniam D. Cyprianus appellat epist. XLV. de qua in *Actis Apost.* cap. XXV. Juliano Apostata imperante, Aginarius Byzacenæ Consularis fuit, *l.* 1. *C. T. de colla. don. vel relat.* sub Valentiniano Honoratus, l. 1. *C. de offi. com. rer. privat.* Ad Byzacenos est Valentiniani rescriptum, *l. curialis* 25. *C. de decur.* Byzancenos legit Stephanus.

Mauritania, quæ ultima pars Africæ, ad Oceanum vergit, & ab Hispaniis freto Herculeo, seu Gaditano dividitur, ab Ortu Ampsaco fluvio à Numidia secernitur. Eam C. Julius Cæsar, Juba Rege victo, in provinciam redegit, ubi Crispum Salustium Proconsulem reliquit, Cæsar lib. V. *de bello civil.* Appianus lib. II. *belli civilis: Cæsar*, inquit, *Jubæ regnum Romanis sub tributo contulit, cui Crispus Salustius Proconsul præfuit.* Ac Romanis usque ad ann. humanæ salutis CCCCXLI. paruit, quo Gensericus Vandalorum Rex, à Bonifacio Magistro militum accitus, eam cum tota Africa occupavit, Marcellinus Comes, *l.* 1. *in prin. C. de offic. præf. præt. Africæ.* & cum per triennium vario præliorum eventu pugnatum esset, tandem inter eum, & Valentinianum III. pax firmata est, & certis spaciis Africa inter utrumque divisa, ut auctor est D. Prosper in *Chronicis.* sed quæ partes utrique obvenerint, non aperit. Verum ex ejusdem Valentiniani constitutione ad Albinum P. P. *Novel.* 1. *The. de tributis fiscalib. tit.* 22. & *Novell. Valentin. de prædiis pistoriis tit.* 38. apparet, Numidiam, & utranque Mauritaniam, & Tripolitanam ipsum habuisse, & cum eos populos à Barbaris attritos invenisset, octava soluti tributi parte contentus, reliquum remisit, ut scilicet Numidæ, si mendosa non est constitutio, ex XXXIII. millibus aureorum & DC. pendi consuetis, IIII. millia tantùm & CC. solverent, & mille ducentos militares annonas, quæ antea erant IX. millia & DC & CC. capita, id est, equorum pabula, quæ prius MDC. fuerant, singulasque annonas solidis quatuor per annum jussit æstimari. Justinianus tanti & ipse capitationem, sed solidis quinis singulas annonas adærari seu compensari mandat, *in l.* 1. & 2. *C. de off. Præf. præt. Afr. in Notitia.* Alia præterea Numidæ tribuebant, ut salem, alumen, linum maceratum, siliquas pro quibus duo millia solidorum pendebant, *Novel. Theodos. tit.* 38. *de prædiis pist.* herbam Rubiam, & alia, quæ ob corruptum Codicem legi nequeunt, & hæc pro numero hominum, & cujusque facultate largitionibus inferri præcepit. Rubia à Græcis Erythrodanum dicta, ad tingendas lanas maximum vendentibus quæstum præstabat, ut Dioscorides scribit. Plinius lib. XIX. cap. III. *In primis*, inquit, *Rubia tingendis lanis, & coriis necessaria.* Cum verò diminuto in hac diœcesi Imperio, nullus amplius ibi Vicarius judicaret, sanxit Valentinianus, ut ab illius Præsidibus, qui sub Romanis principibus remanserant, ad Præf. urb. provocaretur, *d. Novel.* 1. In hoc statu Africa usque ad annum CCCCLVII. mansit, quo occiso Valentiniano, Gensericus non modò Numidiam cum Mauritania recepit, sed Roma etiam omnibus ornamentis spoliata, Eudoxiam Valentiniani uxorem cum duabus filiabus abduxit. Occidentaleque occidit Imperium. Verum Justinianus post annos XCV. quam à Vandalis occupata fuerat, Africam recepit.

Mauritaniam C. Caligula, inquit Plinius, in duas divisit, Mauritaniam Tingitanam, quæ alluitur Oceano, & antea Sitisensis à loco nominabatur, & Cæsariensem ita à se dictam. Ipsas interfluens Malua dividit. Dion verò lib. LVIII. id à Claudio factum scribit, & utranque provinciam à duobus equitibus administrari jussam. Sub Galba à Procuratoribus regebantur. Tacitus *Hist.* lib. 1. *Duæ*, inquit, *Mauritania, & quæ alia Procuratoribus cohibentur*: Tingitana à Tingi civitate appellata, nunc regnum *Fessa*, & *Marochi* nuncupatur, ubi limite Rom. Imperii constituto, Comes VIII. oppida custodiebat.

Mauri Sitifenses Valentiniano à Genserico ex pacto relicti, pro XL. millibus solidorum, quos annui tributi nomine pendere solebant, octavam & ipsi, id est, quinque millia solverunt, præter annonas & capita, quæ Ducibus, ac militibus præstabant, *d. Novel.* 1. *tit.* 22. Ad Mauros Sitifenses est Valentiniani epistola, *l. privilegio.* 27. *C. de decurion.*

Cæsariensis verò Mauritania est regnum Tremisscenæ sive Telesin. Tempore Notitiæ Mauritaniæ Cæsa-

Cæsariensis Præses, idem & Dux militibus imperabat. Is Justiniano imperante insignia à cæteris diversa gerebat, nempe sceptrum argenteum, pileum loris, & calceos auro ornatos. Procopius lib. 1. *de bello Vandal. Lex*, inquit, *Mauritanis erat, præfectum nullum esse oportere, qui Romanis sit adversus, qui ve non insignia prius magistratus à Romanorum ferat Imperatore. Sunt autem insignia hæc, baculus argenteus, supraque auratus, pileus argenteus non totum obtegens caput, sed veluti corona loris argenteis circumpendentibus ornatus, vestis vilis admodum, & alba, variisque distincta. Arbyta* (genus id est soleæ) *aurata.* Hæc Procopius. A Tritone usque ad aras Phile-

A niorum, inter duas Syrtes est Tripolitana, à tribus urbibus nominata, quæ sunt Leptis magna, eadem Neapolis vocatur, ortu Severi Imperatoris nobilis, teste Procopio, quam desertam Justinianus restauravit. Taphra, & Abrotana, ut vult Solinus. Tripolitanam Notitia Præsidialem facit. Hic erat Baphium Garbitanum, à loco appellatum, ubi sericum Principis, & lanæ purpura tingebantur. Proprius quoque Comes XIIII. limites Africæ cum totidem castrorum Præpositis tuebatur. cum in Numidia, & utraque Mauritania, & Tripolitana Vicarius esse desiisset ab earum Rectoribus ad P. V. appellari Valentinianus concessit, *Novel. Valentinian.* 1. *tit* 22.

N O T I T I A.

VICARIVS AFRICÆ, ET EJUS INSIGNIA.



N O T I T I A.

Sub dispositione viri spectabilis Vicarii Africæ.

Consulares.

BYZACII. NUMIDIÆ.

Præsides.

TRIPOLITANÆ.
Mauritaniæ Sitifensis.
Mauritaniæ Cæsariensis.
Officium autem habet idem vir spectabilis hoc modo:
Principem de schola Agentum in rebus Ducenarium.
Cornicularium.
B Numerarios duos.
Commentariensem.
Abactis.
Curam Epistolarum.
Adjutorem.
Subadjuvas.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

COMMENTARIUM.

INSIGNIA habet hic Vicarius, Librum & imagines Principum, ut alii Vicarii: In manuscriptis *codex auro textus* notas habet, quæ in aliis Vicariis tam C Orientis quam Occidentis repræsentantur. *Principum quoque vultus aurata pila præfixos præfert.* Infra *quinque mulierum effigies vasa aureis plena gestant, coronis capita, & colla monilibus circundata*: Quinque provincias huic Vicario subjectas simulant: His supra

pra inscriptum est, BYZACIVM, NVMIDIA, TRIPOLITANA, MAVRITANIA SITIFENSIS, MAVRITANIA CÆSARIENSIS. Tripolitanæ Honorio imperante Simplicius Præses fuit, *l. 59. C. Theo. de appella.* Cæterum Theodosio Juniore & Valentiniano III. imperantibus, cùm Africam Aetius & Bonifacius Comites tenerent, contra hunc ab illo proditionis accusatum, aliquot missi Duces sunt profligati. Deinum Bonifacius Africam se tueri posse diffisus, an. salutis CCCCXXXIX. Vandalos vocavit, qui eam per annos XCV. occuparunt, *l. 1. in princ. C. de off. P. P. Afr.* donec Justinianus per Belisarium illis profligatis Africam recepit, *d. l. 1. in princ.* Nicephorus lib. XIV. c. XVI. & lib. XVII. cap. XII. & Procopius; cui, Vicario abolito, proprium Præfectum constituit. Hic Vicarius officium, ut alii Vicarii, habuit; & duobus Præfectis annonæ & fundorum patrimonialium imperavit, qui nullam in Provinciis ditionem exercebant: sed quia in Indice sub Præfecto Italiæ instar duorum Præsidum ponuntur, de ipsis aliquid est dicendum.

CAP. LXV.

DE PRÆFECTIS ANNONÆ AFRICÆ, ET PATRIMONIALIVM FVNDORVM.

CAJVS Julius Cæsar XX. myriades, id est, CC. millia medimnorum Atticorum frumenti, & olei librarum myriades CCC. id est, ter decies trecentena millia ad alendum populum Romanum advehi jussit, Plutarchus in *C. Julio Cæsare.* duosque Prætores, & totidem Ædiles instituit, qui ejus rei curam haberent, *l. 2. §. deinde Cornelius Sylla. ff. de orig. jur.* Sed & ex Alexandria Romam frumenta vehebantur, quæ cum maris tempestate quandoque retardarentur, Commodus Imperator, inquit Lampridius, Classem Africanam instituit, quæ subsidio esset, si fortè Alexandriæ frumenta cessarent, & hanc classem Commodianam Herculeam appellavit, ut ex Africa annonam in urbem transferret: cujus rei gratia, præter eum, qui Romæ erat, alius in Africa annonæ Præfectus creabatur, qui frumenti illic colligendi, & Romam transmittendi curam haberet. Hujus minister vel adjutor fuit, quem Symmachus epist. XVII. lib. I. *ad Theodos.* Notarium appellat: *Oro*, inquit, *perennitatis vestræ salubra præsidium, ut judices Africanos, & Notarium, cui æternitas vestra mandavit frumentarios commeatus, severiora scripta stimulent*: Idem curam habebat olei ex Africa Romam mittendi: Symmachus *ad eundem* epist. XXXIV. lib. I. *Olei*, inquit, *species victum plebis tenuiter invecta sollicitat: quare oramus, ut quam primum judices Africanos super hac specie Romanis horreis inferenda divinus sermo stimulet.*

Alius sub eo Præfectus fundos patrimoniales Principis, quos plurimos habebat, in Africa curabat, olim Africæ Procurator vocatus, ita enim Constantinus Proculum appellat, *in l. 1. C. de collat. fund. patrim. & emphyteut.* qui res Africæ procurans, Præfectus patrimonialium est dictus; Gildonis enim amplum patrimonium, aliaque Principis latifundia administrabat, & Comitis titulo honestatus, officium instar Comitis rerum privatarum habebat, ut in eo est declaratum: & de hoc in indice sub P. P. Italiæ intelligi arbitror. Hic etiam prædia, quæ alendis militibus non erant addicta, vendebat, vel locabat, aut in emphyteusim dabat, *l. 1. 4. & seqq. C. de fund. rei privatæ.* & precium Comiti rerum privatarum repræsentabat. Tanti verò erant hi Præfecti, ut in Indice Præfecti Italiæ pars dioeceseos Africæ habeantur Præsidibus æquati: In hac Dioecesi residebat & Rationalis summarum Africæ, qui Comiti Largitionum parebat. Hæc Notitiæ nostræ tempore sic se habebant. Postea verò recepta à Vandalis Africa, ejus proprius Præfectus Prætorio est creatus. Hic longe antea à Constantino aliquibus institutus fuisse videtur, cum ad Catulinum P. P. Africæ scribat, *l. 2. C. de colla. fundo. patrimo.* sed suspecta est ea lectio. In Codice enim Theodosiano *lib. 11. tit. 16. l. 1.* habetur *ad Catulinum P. V. Africæ*, quas notas interpretor, *provinciæ Vicarium Africæ*, quam ipse Eubulide Vicario illi dato, *l. 2. C. de lucris advocat. l. 26. C. T. de decurio.* dioecesim P. P. Italiæ fecit: antea enim nullus Africæ P. P. fuisse apparet: sed ea à Barbaris cum Italia occupata, cum ejus Præfectus esse desiisset, demum Justinianus circiter annum salutis DXXXIII. Africæ receptæ proprium Præfectum constituit, qui abolitis Vicario, & Proconsule, Carthagini sedem habuit, *l. 1. §. Deo itaque. C. de offic. P. P. Africæ.* primoque Archelao ad eum honorem provecto, pristinos magistratus renovavit: duabus tantum ex Præsidialibus in Consulares mutatis, & una ex Consulari Præsidiali facta. Mauritania enim, Tingitana, & Africa, ubi degebat Proconsul, Byzacium, & Tripolitana, Consulares dictæ, Numidia & Mauritania Cæsariensis Præsidiales; quibus, Sardinia *d. §. Deo itaque.* & ipsa Præsidialis est addita, quæ prius juris Italici fuerat. Horum singuli Apparitores quinquaginta habuere: Pro codicillisque magistratus Laterculensibus solidos sex, scrinio P. P. XII. solvebant, *d. l. §. pen.* salarium quoque illis præstitutum in Notitia quadam seu brevibus Justinianus explicat, *d. l. 1. in fin.* sed ob mendas vix aliquis sensus inde percipi potest: Ego tamen eam Constitutionem pro virium tenuitate restituere conatus, alibi sum interpretatus, quam hic tanquam Notitiæ minus necessariam omisi.

Officium ejusdem Præfecti erat virorum CCCXCVI. *d. §. Deo itaque.* sed fortè legendum CCCLXXXVIII. Ipse Laterculensibus pro expediendis codicillis magistratus XII. solidos seu aureos pendebat, *l. 2. §. fi. C. eod.* Illi verò libræ centum auri, id est, ultra decem millia & DCCC. nostri aurei sunt præstituti: Cancellario auri libræ septem, quæ fermè DCCL. nostros aureos efficiunt. Nunc ad Præfecti Prætorio Galliarum Vicarios est veniendum, quibus ante summarium eorum magistratuum præfixi.

Præfect. Prætorio Galliarum provinciæ XXIX. parent, Vicariis III.
- *Vicarius Hispaniarum, cujus provinciæ VII.*
  - *Consulares III.*
    - *Bætica.*
    - *Lusitania.*
    - *Gallecia.*
  - *Præsidum IIII.*
    - *Tarraconensis.*
    - *Carthaginensis.*
    - *Tingitana.*
    - *Insula Baleares.*
- *Vicarius XVII. provinciarum, cujus sunt*
  - *Consulares VI.*
    - *Viennensis.*
    - *Lugdunensis.*
    - *Germania prima.*
    - *Germania secunda.*
    - *Belgica prima.*
    - *Belgica secunda.*
  - *Præsidum XI.*
    - *Alpes maritimæ.*
    - *Alpes Penninæ & Grajæ.*
    - *Maxima Sequanorum.*
    - *Aquitania prima.*
    - *Aquitania secunda.*
    - *Novem populi.*
    - *Narbonensis prima.*
    - *Narbonensis secunda.*
    - *Lugdunensis secunda.*
    - *Lugdunensis tertia.*
    - *Lugdunensis Senonia.*

Vica-

Vicarius Britanniarum V.	*Consulares* II.	*Maxima Cæsariensis.*	
		Valentia.	
	Præsidum III.	*Britannia prima.*	
		Britannia secunda.	
		Flavia Cæsariensis.	

CAP. LXVI.

DE VICARIO HISPANIARUM, *& earum magistratibus.*

TRES Præfecti Galliarum erant Diœceses, Hispaniarum, Galliarum, & Britanniæ, quibus singulis singuli præerant Vicarii; præmittitur autem qui Hispaniam regebat, ut puto, quia hæc prima continentis populi Rom. facta est provincia, ut ait Sext. Rufius. Nam antea duæ solæ insulæ Sicilia, & Sardinia provinciæ factæ fuerant, *l. 2. §. capta. ff. de orig. jur.* Verum Q. Ælio, & M. Junio Coss. quemadmodum lib. LV. Livius recitat, Hispania in duas provincias est divisa, citeriorem cis Iberum, & ulteriorem, etsi quandoque ultra id flumen multæ urbes citerioris fuisse videntur. Citerior Prætorem habuit, Livius lib. V. deca. V. Prætorum sortes fuere Gn. Fulvii Hispania citerior, ulterior autem à Proconsule regebatur, Livius lib. IX. deca. IV. *L. Manlius*, inquit, *Proconsul ex Hispania redierat.* Cæsar lib. IV. *belli civilis: Litteris*, ait, *ad Marcellum Lepidum Proconsulem in Hispaniam ulteriorem mittit.* Augustus verò totam Hispaniam à se sub jugum missam, in tres provincias divisit, Bæticam, Lusitaniam, & Tarraconensem. Bæticam populo Romano reliquit, in quam Prætor mittebatur, in alias Legati. Strabo, *Bætica*, inquit, *populo Romano attribuitur, ad quam Prætor mittitur, qui legatum habet, & Quæstorem. Reliqua Hispania est Cæsaris, qui duos mittit legatos, Prætorium & Consularem, Prætorius Legatum habet, qui Lusitanis vicinis jus dicit.* Hæc ille. Sed Tiberius Cæsar Bæticam cum aliis provinciis in se transtulit, Tacitus *Ann.* lib. I. & illi Proconsulem Vibium Serenum præfecit, quem postmodum damnavit, Tacitus ibid. lib. IV. cap. XIII. *Vibius*, inquit, *Serenus Proconsul Ulterioris Hispaniæ de vi publica damnatus, in insulam Amorgum deportatur.* Is magistratus usque ad M. Antonium continuavit, *l. 4. §. 1. ff. de sicar. l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alieni jur.* postea Hispaniam Præsides rexerunt, *l. fin. C. si propter public. pensitat.* & Severo imperante, à solo Mæcio Probo Præside est administrata, *l. relegatorum 7. §. interdicere. ff. de interdic. & relegat.* Cæterum Constantinus septem provincias, Hispaniæ fecit: Lusitaniam, Bæticam, Galleciam, Carthaginensem, Tarraconensem, Tingitanam, & Balearem. Sextus Rufius in sex provincias dividit, Tarraconensem, Carthaginensem, Lusitaniam, Galleciam, Bæticam, Transfretanam Insulam terræ Africæ, seu Tingitanam. Notitia addit insulas Baleares, à Sexto Ruffo omissas. Itaque factæ sunt septem provinciæ, quarum Bætica, Lusitania, & Gallecia erant Consulares, reliquæ Præsidales, inter quas Rufius etiam Galleciam ponit. Sulpitius verò Severus vult eam à Proconsule rectam fuisse: *Qui*, inquit, *sub Gratiano esse desiit, ultimusque fuit Volventius, qui donis corruptus, Gnosticis hæreticis favit, postmodum solum Vicarium & Præsides habuit.* Hæc ille. Id sub Gallieno evenisse puto, quo imperante Franci Hispaniam sunt ingressi, Aurelius Victor & Eutropius. postea verò à Diocletiano Viator, Martyrol. XXIII. *Octobr.* Hispanis Vicarius est datus. Constantinus titulo Comitis illi concesso, modò Vicarium, modò Comitem vocat, Octavianum enim Comitem Hispaniarum anno salutis CCCXVIII. creavit, *l. 1. C. ubi Senator. vel clariss. l. 4. C. Theo. de decurion.* mox Tiberianum, quem Comitem, *l. cum servum. C. de serv. fugit.* eundemque Vicarium Hispaniarum appellat, *l. 16. si à sponso. C. de donat. ante nupt.* Huic ab eodem, non Diocletiano, ut male scriptum est, suffectus est Severus, *l. 14. scriptura. C. de fid. inst.* ita emendanda hæc lex ex *C. T. l. 2. eo. l. 27. d. ea C. de donat.* Sub Valentiniano Valerianus, *l. 3. C. T. de offi. rector. prov.* mox Arthemius, *l. 1. C. de defen. l. 2. C. de tabu.* deinde Arcadio & Honorio imperantibus Petronius Vicarii Hispaniam rexerunt, *l. ult. C. quor. bonor.* Demum irruentibus in eam provinciam Barbaris, iidem Principes, circa annum humanæ salutis CCCXCIX. Macrobium Præfectum Prætorio Hispaniarum, & Proclianum Vicarium quinque provinciarum constituerunt, *l. 3. C. de paga.*

Erant hi loco Magistri militum, ibi ad hostium vim arcendam collocati.

Bætica mari Ibero ad Meridiem cingitur, à Septentrione Asia fluvio à Lusitania separatur, illi Bætus fluvius interfluens nomen dedit. Nunc à Cocco, quod ibi plurimum nascitur, *Granata* nominatur. Domitiano imperante Bebium Massam, Plinius *Epist.* lib. IX. mox Cæcilium Classicum lib. IV. utrumque repetundarum damnatos, Proconsules habuit. Deinde Calestrium Tyronem, Idem episto. XVI. lib. VII. sub Hadriano Ignatium Taurinum, *l. 4. in prin. ff. de sicar.* sub Pio Ælium Marcianum Jureconsultum, *l. 2. ff. de his, qui sunt sui vel alieni jur.* sub Constantino verò Præsidem Egnatium Faustinum, *l. ult. C. si propr. pub. pensit. l. 2. C. Theo. de distrac. pignor.* & sub Constantio Cælestinum, *l. 3. C. Theod. de bon. proscript.* Hæc postea Consularis est facta.

Lusitania Ana & Buria fluviis, Oceanoque clauditur, nunc *Portugaliam* nominant, cujus caput est Vlissipone, vulgo *Lisbona* dicta. Hæc quoque Consularis fuit. Vltra Buriam usque ad Neriam promontorium, quod nunc est *caput S. Mariæ finis terræ*, tertia est provincia Gallecia, nunc *Gallicia* vocata, cujus metropolis est Flavium Brigantinum, hodie *Compostella* nuncupatum. Quidam volunt hanc olim vocatam Bracharam Augustam. Hæ tres provinciæ erant Consulares.

Tarraconensis verò est ulterior, & quarta Hispania, cui quinta Carthaginensis additur, quæ duos Præsides etiam Constantino imperante habuere, sub quo Julianus Præses Tarraconensem rexit, *l. 1. C. Theo. de cursu temp.*

Sexta Hispaniæ provincia à Ruffo Transfretana insula recensetur, à Notitia Tingitana dicta. Hæc est insula Gadira, sub qua Tingus Mauritaniæ pars continebatur.

Septima Hispaniæ provincia sunt insulæ Baleares, nunc *Majorica* & *Minorica* appellatæ, ad quas Præfectum missum fuisse *de bello Philipp.* Livius scribit. Hæ quatuor ultimæ provinciæ Præsidales cum aliis tribus Consularibus Vicario Hispaniarum parebant. Sed cum Vandali & Alani Hispanias invasissent, Arcadio Honorioque imperantibus, proprius, ut dixi, Hispaniarum Præfectus Macrobius, cum Procliano Vicario est creatus, *l. 3. C. de paga. l. 15. C. T. eo,* cui cum quinque tantum provinciæ essent relictæ quinque provinciarum Vicarius dicebatur, *d. l. 3. & 15.* Orosius & Marcellinus Comes, Barbari, inquiunt, ad aratra conversi, divisis sedibus, residuos Romanos, ut socios, & amicos fovent. Sed missus eo Constantius citeriorem Hispaniam recepit, ulteriorem inter se Barbari diviserunt. Vandalis, & Suevis

Gallecia, Alanis Lusitania, Turcilingis Bætica sub diversis Regibus evenit, quod fuit circiter an. salutis CCCCXIII. Mox Honorius eunsensit, ut Vandali, & Gothi in Hispania habitarent. Cassiterides insulas, quarum nulla hic fit mentio, ab iisdem occupatas fuisse puto. Eas P. Crassus aviditate metallorum subegerat, Strabo lib. III. Vicesimas frumenti Pop. Rom. Hispanos tributi nomine solvisse Livius scribit, M. Marcellus tributum ex Celtiberia exegit C. talentorum, Strabo loco citato.

A Plinius lib. XXXIII. cap. IV. recitat quosdam tradidisse Asturiam, Gallecíam, & Lusitaniam vicena millia pondo singulis annis, ex Aurifodinis præstitisse. Excederet hæc summa duos milliones nostrorum aureorum. Strabo lib. III. ex Polybio narrat, argentifodinas circa novam Carthaginem XXV. millia drachmarum per singulos dies Pop. Rom. exhibuisse. Essent mille aurei illius temporis singulis diebus. Vnde reditus, quos ex fodinis Romani ex Hispania percipiebant, possunt intelligi.

NOTITIA.

VICARIVS HISPANIAE, AC EJVS INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Vicarii Hispaniarum.

Consulares.

BETICÆ. LVSITANIÆ. GALLECIÆ.

Præsides.


ARRACONENSIS.
Carthaginensis.
Tingitanæ.
Insularum Balearium.

Officium autem habet idem vir spectabilis hoc modo:

Principem de schola Agentium in rebus ex Ducenariis.

B Cornicularium.
Numerarios duos.
Commentariensem.
Ab actis.
Adjutorem.
Subadjuvas.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

COMMENTARIVM.

C INSIGNIA Vicarii Hispaniarum sunt *duo Principes invicem complexi. Abacus alba mappa instratus, qui librum viridi corio tectum sustinet*, ut in aliis Vicariis est dictum. Continebat hic codex ad hujus Vicarii officium spectantia. *Trium mulierum imagines infra visuntur, reticulo & coronis aureis caput ornata*, quod quamlibet earum regnum continere insinuat, *vasaque aurea plena gestant.*

stant. Referunt tres provincias Consulares Hispaniarum tributum Imperatori pendentium. Inscriptum est, BETICA, LVSITANIA, GALLECIA. Reliquarum quatuor Præsidalium nulla apparet imago, fortè quod tum Imperatori non parerent. In Manuscriptis codicilli magistratus libro mandatorum auro tecto inhærent, cui inscriptæ sunt notæ,

A quæ in aliis Vicariorum codicibus cernuntur, F. L. IN TALL. COM. ORD. PR. Mulieres supra tunicas palliis indutæ, capillos post terga spargunt, ut tum moris fortè fuit.

Officium habebat Principem de schola Agentium in rebus ex Ducenariis, Cornicularium, & reliquos, ut cæteri Vicarii.

NOTITIA.

VICARIVS SEPTEM PROVINCIARVM, EIVSQVE INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Vicarii septem Provinciarum.

Consulares.

VIENNENSIS.
Lugdunensis.
Germaniæ primæ.
Germaniæ secundæ.
Belgicæ primæ.
Belgicæ secundæ.

Præsides.

Alpium Maritimarum.
Alpium Penninarum & Grajarum.
Maximæ Sequanorum.
Aquitaniæ primæ.

B Aquitaniæ secundæ.
Novem Populorum.
Narbonensis primæ.
Narbonensis secundæ.
Lugdunensis secundæ.
Lugdunensis tertiæ.
Lugdunensis Senoniæ.

Officium autem habet idem vir spectabilis Vicarius hoc modo:
Principem de schola Agentum in rebus ex Ducenariis.
Cornicularium.
C Numerarios duos.
Commentariensem.
Ab actis.
Curam Epistolarum.
Adjutorem.
Subadjuvas.
Exceptores.
Singulares, & reliquum officium.

CAP. LXVII.

DE VICARIO GALLIARUM, *seu* XVII. *Provinciarum, earumque Magistratibus.*

COMMENTARIUM.

SECUNDUS Præfecti Galliarum Vicarius XVII. provincias, in quot Gallia scindebatur, regebat. Gallia à Pyrenæis montibus usque ad Rhenum fluvium extenditur, & nostris Alpibus Oceanoque clauditur. Galliam Cæsar in tres partes divisit, Aquitaniam, Lugdunensem, & Belgicam. Augustus in quatuor his addita Narbonensi, quæ diu Proconsulem habuit, ut auctor est Tacitus *Hist.* lib. I. qui T. Junium Proconsulatu Galliam Narbonensem severè, integrè rexisse scribit: & Capitolinus de Maximo Augusto loquens, ita scribit in *Maximo & Balb.* cap. V. *Inde Proconsulatum Bithyniæ egit, ac deinceps Græciæ, ac tertio Narbonæ.* Constantinus verò Galliam in XVII. regiones partitus est. Hæc divisio nostræ Notitiæ tempore observabatur, quæ tamen tam hic quàm in indice semper VII. provincias pro Galliis nominat, ut tunc vocari videbantur, etsi re essent XVII. Nam Lugdunensibus, Germaniis, Belgicis, Alpibus, Aquitaniis, tum Novempopulana, & Narbonensibus, quibus Viennensis adscribebatur, pro unis positis, ad numerum VII. provinciarum rediguntur. Quædam etiam ad Agricolaum P. P. Galliarum Fl. Constantini Constitutio, qui, Honorio imperante, ibi tyrannidem exercebat, Arelate, ubi ipse residebat, VII. Galliarum Præfectos quotannis convenire jussit. Verùm Sextus Ruffus XVIII. provincias fecit: Alpes maritimas, Aquitaniam, Ambianensem, Viennensem, Narbonensem, Novempopulanam, Aquitanias duas, primam & secundam, Alpes Grajas, Maximam Sequanorum, Germanias duas, primam & secundam, Lugdunenses duas, & Belgicas duas, & his addidit Britannias duas, primam & secundam. Notitia in XVII. dividit, scilicet Viennensem, Lugdunensem primam, Germaniam primam & secundam, Belgicas duas, Alpes maritimas, Penninas, Maximam Sequanorum, Aquitanias duas, Novempopulos, Narbonensem primam & secundam, alias Lugdunenses duas, & quartam Senoniam. Ex his Viennensis, & Lugdunensis prima, duæque Germaniæ, & duæ Belgicæ sunt Consulares, aliæ Præsidiales. Viennensis in Provincia apud Allobroges inter fluvios Isaram & Rhodanum sita est, cujus caput est Vienna, nunc *Delphinatus* vocatur. Ejus urbes XIV. Itinerarium recenset: Metropolim Viennensium, Genavensium, Gratianopolitanorum, Albensium civitatem seu Vivario, Decensium, Valentinorum, Avenicorum, Arelatensium, Carpentoracensis, Massiliensium, Ricartinorum, Vasionensium, Arausinorum, Cabellicorum.

Universa Lugdunensis à Lugduno metropoli est appellata: ad Occasum Ligeri fluvio, vel ut alii volunt, Garumna dividitur, ab Ortu Sequana à Germania superiore separatur: ad Meridiem Tisara fluvio à Narbonensi: ad Septentrionem Oceanum Britannicum habet. Hadriano imperante huic Vitrasius Pollio præfuit, *l. Spadonem 15. in fi. alias incipit si quis. ff. de excusa. tuto.* qui M. Antoninum Grammaticam docuit, & Cos. iterum urbem Præfectus rexit. Cum verò Constantinus plures Lugdunenses fecisset, prima Præsidem habuit, inter alios Antoninum Marcellinum, *l. 1. C. Th. sine censu vel reliq.* Sed postea Consularis est facta. Ab Ortu Jura monte, ab aliis partibus Gebeno & Arari fluvio cingitur, ubi Præfectus Araricæ classis degebat. Civitates V. habebat, inquit Itinerarium, Lugdunum metropolim, civitatem Eduorum, Lingonum, Castrum Caballionense, & Matisconense.

Germania antiquitus duplex fuit, Æmilius Macer *in l. 3. ff. de offic. assesso.* *Si eadem*, inquit, *provincia postea divisa sub duobus Præsidibus constituta est, velut Germania Mysia, ex altera ortus, in altera adsidebit.* Hæc ille. Domitiano imperante L. Antonius superiorem Germaniam administrabat, Tranquillus in *Domitiano* cap. VI. *Bellum civile*, inquit, *motum à L. Antonio superioris Germaniæ Præside confecit absens, felicitate mira.* Demum Consularis fuit. Altera Germania superior seu prima super Rhenum sita, ubi est Moguntia, à Meridie habet Burgundos, & montem Juram: ab Ortu Rhenum: ab Occasu Lugdunenses Senones. Civitates quatuor continet, ut refert Itinerarium. Metropolim civitatem Moguntiacensium, quos Dux cum valido præsidio tuebatur.

Argentoratensium, in quorum tractu Comes rei militaris castrametabatur, Nemetum, id est, Spiram, Vangionensium, id est, Wormensium. Hic Consularis Germaniæ primæ ab Eumene Rhetore in *Panegyrico* vocatur perfectissimus.

Inferior seu secunda Germania, ubi est Agrippina, inter Mosam & Rhenum, ad Germanicum Oceanum porrigitur. Duas tantum ejus urbes Itinerarium ponit. Metropolim Agrippinensem, id est, Coloniam, & Tungrorum civitatem. Inter Mosam verò & Sequanam est Belgica, & ipsa Consularis, quæ in flumine Erhudo dividitur, & Belgica prima dicitur: Civitates quatuor continet, inquit Itinerarium, Metropolim Treverorum civitatem, Mediomatricorum, id est, Metis, Leucorum, id est, Tullo, & Veredonensium.

Belgica secunda sive inferior, ubi nunc est Flandriæ pars ad Oceanum pertinens, & transitus ad Britanniam & Remos, XII. civitates continet, secundum Itinerarium. Metropolim civitatem Remorum, Suessionum, Catalaunorum, Veromanduorum, Atrebatum, Cameracensium, Turnacensium, Silvanectum, Bellovacorum, Ambianensium, Morinorum, id est, Ponticum Bononiensium. Hic Dux cum tribus præsidiis castrametabatur. Hæ sunt sex Galliarum provinciæ Consulares, reliquæ verò Præsidales sunt XI. inter quas est Lugdunensis secunda, tertia, & quarta, à quibus auspicabimur, ne contiguæ & ejusdem nominis provinciæ longius quærantur.

Secunda Lugdunensis Præsidalis vergit ad Oceanum Britannicum, ubi est Rotomagus metropolis in Normandia, habet civitates VII. inquit Itinerarium, Rotomagum metropolim, Bojocassium, Abricantum, unde Abricanteni milites, Ebroicorum, Salarum, id est, Sajorum, Loxoviorum, Constantiam, unde Constantiaci milites.

Tertia Lugdunensis versus Occidentem, ubi est Turonus in Britannia, inter Argenam & Ligerim fluvios, Præsidalis. IX. continebat civitates secundum Itinerarium: Metropolim civitatem Turonum, Cenomannorum, Redonum, Ancjubeorum, Nannetum, Coriospium, Cianctium, id est, Venetum, Oiismiorum, unde Oiismii milites, Diablinum.

Ultra Gemenum est Lugdunensis IV. seu Senonia, inter Sequanam & Ligerim, ubi nunc est Lutetia, & morabatur Præfectus classis Anderetianorum, quæ stationem habebat Parisiis. Hujus provinciæ caput erat Senis, & septem habebat civitates secundum Itinerarium: Metropolim civitatem Senonum, Carnorum, Altisiodorum, Tricassium, Aurelianorum, Parisiorum, Melduorum.

Alpes Maritimæ, ubi eft mons Adula, inter Genuenses, & Provinciam, & ipfæ Præfidem habebant. Alpes verò Liguſticæ dicuntur propè Niciam, & Villam francam. Harum apud Itinerarium VIII. funt urbes. Metropolis civitas Ebreduno, Dinienſium, id eft, Dina, Rigomagenſium, Sollinenſium. Sanicienſium, id eſt, Sanicifio, Glanatenna, Cemelenenſium, Venſicienſium, id eſt, Venno.

Poſt has ſunt Alpes Penninæ & Grajæ, ultra montes Cotios feu montem Cinifium, ubi ſunt Allobroges, five Sabaudi, & Tarantaſia, ac pars Helvetiorum. Itinerarium duas harum civitates ponit. Metropolim Centronium, id eſt, Tarantaſium, & Valenſium, id eſt, Octodorum, quibus Præſes jus dicebat.

Sexta Præſidalis eſt Maxima Sequanorum, in qua eſt Veſontienſis. Hæc & Maxima Cæſarienſis in Britannia à Clemente Maximo tyranno ſunt denominatæ, quemadmodum Arcadia in Ægypto ab Arcadio, & Valeria à filia Diocletiani. Fuit Maximus genere Hiſpanus, & Theodoſii Magni commilito, qui copiarum Comes in Britannia an. ſalut. CCCLXXXIII. Auguſtus eſt appellatus, in Galliaſque irrumpens per Andragathium Gratianum A. interfecit. ac coofors Imperii cum Valentiniano II. & Theodoſio factus, per quinquennium imperavit. Sed cum rupto fœdere Hiſpanias, & Africam invaſiſſet, in Italiam quoque irruit, inde in Pannoniam trajiciens à Theodoſio profligatus, & occiſus eſt, Auctores D. Proſper, Paulus Diaconus, Sulpitius Severus, & alii. Cum diu igitur in Britannia, & Galliis, Maximus imperaſſet, duas utrobique provincias à ſe *Maximas* appellavit. Maximæ Sequanorum Sext. Ruffus meminit, qui à C. Julio Cæſare latius extenduntur. Hi ſunt Burgundi, quorum caput eſt Viſontium vulgo *Beſançon* dictum. Habent à Meridie Ararim: ab Ortu Helvetios: ab Occaſu Lugdunenſes, à Septentrione Germaniam ſuperiorem, & montem Juram. IX. oppida ſecundum Itinerarium continet, Metropolim Viſontienſem, civitatem Equeſtrium, id eſt, Neviduno, Eluntiorum, id eſt, Aventicum, Noidenolex Aventicum, Baſilienſium, id eſt, Baſileam, Caſtrum Vindonenſe, Ebrodunenſe, Argentarienſe, Rauracenſe, id eſt, portum Abucinæ. Hic limite Romani Imperii poſito Dux cum militibus excubabat.

Aquitania & ipſa Præſidalis, olim, auctore Plinio, Aremorica nuncupabatur, ab Occidente cingitur Oceano; à Septentrione & Oriente Ligeri fluvio, ubi à Lugdunenſibus ſeparatur; à Meridie Pyrenæo, & Gallia Narbonenſi. Sed ipſa quoque in duas regiones dividitur, in primam, & ſecundam Aquitaniam: Quæ inter Garumnam & Pyrenæos montes clauditur, Aquitania prima vocatur, in qua eſt Bituricum. VIII. civitates apud Itinerarium habet. Metropolim Bituricum, aliàs Beturicum, Arvernorum, Retenorum, Abigenſium, Cadurcorum, Lemovicum, Gabalum, Vellavorum. Imperante Anthemio in Aquitania prima ſolum Arvernum ſub Imperio Romano retinebatur. Sidonius epiſto. v. libr. VII. *De urbibus*, inquit, *Aquitaniæ primæ ſolum oppidum Arvernum Romanis reliquum partibus bellum fecit.* Ejus Epiſcopus erat Sidonius Apollinaris, qui in ſeq. epiſtola deplorat Euaricem Regem Gothorum plurimas occupaſſe civitates, quæ deſolatis eccleſiis paſtore carebant.

Inter Ligerim verò & Garumnam eſt ſecunda Aquitania, nunc *Guaſtonia* dicta, & ipſa Præſidalis, in qua eſt Burdegala, & VI. civitates continet, Burdegalenſium, Agenenſium, Etoliſnenſium, Santonum, Pictavorum, Petrocoriorum. Tota Aquitania etiam antequam divideretur à Præſidibus regebatur, *l. mulieres. 12. ff. de cuſt. reor.* Hic Armoricano, & Nervicano limitibus Dux præerat.

Novem populi ſunt propè Aquitaniam, aut in Aquitania, ubi degunt Auſci, Marcellinus lib. XV. cap. XI. ubi Galliæ provincias deſcribit: *Novem, aut, populos Auſci commendant, & Oſata*: D. Hieronymus in XI. epiſtola *ad Acheruchiam*: *Aquitania*, inquit, *Novemque populorum Lugdunenſis, & Narbonenſis provincia præter paucas urbes populata ſunt cuncta.* Regio eſt, ubi ſunt Vibiſci, Vaſates, Meduli, Boii, Auſci, Conveni, Conſuarani, Bigerriones, Tarbelli, qui novem ſunt populi in tertia Aquitania. Itinerarium XII. ejus urbes recenſet. Metropolim Auſcorum, Aquenſium, Laſtoracium, Convenorum, Conſantanorum, Boatum, quod eſt Bot, Beranenſium, id eſt, Benainas, Aturenſium, Vaſaticam, Turſaubicam, Tralugorram, Elloronenſium, Elloſaticum. ſed quædam ex his oppida poſtea ſunt adjecta. IX. enim tantum populi erant.

Duæ quoque Narbonenſes fuere Præſidales: prior quæ à Varo flumine incipiens uſque ad Rhodanum ad Ortu in Occaſum, Meridie verſus ad mare Gallicum extenditur: Huic Itinerarium VIII. civitates attribuit. Metrop. Narbonenſium, Toloſatium, id eſt, Toloſam, Beterrenſium, Agatenſium, Nemauſenſium, Magalonenſium, Lutenſium, id eſt, Lutavam caſtrum, Vcetienſe. Narbonenſis Gallia prius *Braccata*, Plinius l. III. cap. IV. à Braccis dicta, in provinciæ verò formam à Q. Fabio redacta, & deducta Narbonem colonia Narbonenſis eſt vocata, Paterculus, & Eutropius. cætera Gallia trans Alpes *Comata* eſt appellata, Plinius lib. IV. cap. XVII.

Secunda uſque ad Pyrenæos montes, & Gemenum montem extenditur, à quo ad Septentrionem cingitur, & Toloſam complectitur, mare Gallicum ad Meridiem habet. Hæc Alexandro imperante à Juliano Proconſule adminiſtrabatur, *l. Gracchus. 4. C. ad l. Jul. de adult.* poſtea Præſidalis eſt facta. Hanc ultimam Galliarum provinciam Roman. Imperium amiſit, quam primam Q. Fabius provinciam fecerat. Geruandus à Valentiniano illi præfectus uſque ad Anthemii Auguſti tempora defendit, donec tyrannus effectus, & prælio fuſus in exilium actus eſt. Fuit is annus ſalutis CCCCLXVIII. Blondus lib. II. decad. primæ. Bilimir Viſigotus ei ſuffectus dum Anthemio opem laturus venit, à Rimicero eſt occiſus. Itinerarium huic VII. civitates adſcribit. Metrop. Aquenſium, civitatem Abtenſium, Retenſium, id eſt, Rejas, Forojulienſium, Appencenſium, Segeſterorum, Antipolitanam. Omnes vero Galliarum civitates ab Itinerario numerantur CXXVI. quibus fortè plures eo tempore non reperiebantur.

Hæ provinciæ numero XVII. Vicario Galliarum parebant, etſi in Notitia mendosè ſcriptum eſt VII. provinciarum, pro XVII. Hæc erant ante Notitiam, anno enim ſalutis CCCCVIII. Vandali & Alani Rheno trajecto intrarunt Gallias, & ſexennio poſt exacto. Gothi ſub Rege Ataulpho, quibus Honorius Aquitaniam conceſſit, auctore D. Proſpero. Hos ſecuti ſunt Burgundiones; demum Franci, quorum Dux Faramundus primus ſe Franciæ Regem appellavit, anno CCCCXX. Tandem Clodoveus Syagrio Ægidii filio P. P. occiſo, Imperii Romani milites, & magiſtratus, è Galliis penitus expulit, quibus ſubactis, quadringenties ſextertiûm C. Julius Cæſar impoſuerat, inquit Eutropius: Tantum ab Auguſto Pop. Rom. legatum fuiſſe Tranquillus ſcribit, Dion interpretatur fuiſſe CCCC. millia aureorum. Sed hæc ſumma poſtmodum eſt aucta. Cum verò tractaretur de imponendo ſuperindicto Galliis, Florentius P. P. Juliano imponendi oneris auctori reſtitit: *Factumque eſt*, inquit Marcellinus lib.

lib. XVII. cap. III. *ut præter solita nemo Gallis quidquam exprimere conaretur.*

Insignia Vicarii Galliarum erant, ut aliorum, *aurea Principum effigies: Abacus albo tapeto instratus, qui rubro corio tectum librum sustinet.* Infra sunt XVII. *mulierum effigies, reticula, coronasque in capite, & vasa aureis referta gestantes*, quæ memoratas provincias referunt. Ex his Germania secunda, & Lugdunensis

A

tertia sunt velatæ, sola Aquitania secunda togam gerit. In Manuscriptis liber auro tectus notis inscriptus est, quemadmodum in Vicario Hispaniarum, & aliis est dictum, codicillique magistratus libro adhærent. *Mulieres omnes palliis supra tunicas aut prasinis, aut cæruleis sunt indutæ.* Hic Vicarius, & ipse spectabilis, officiumque habebat, quemadmodum & alii Vicarii.

NOTITIA.
VICARII BRITANNIARVM,
EORVMQVE INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Vicarii Britanniarum.

Consulares.



AXIMÆ Cæsariensis.
Valentiæ.

Præsides.

Britanniæ primæ.
Britanniæ secundæ.
Flaviæ Cæsariensis.
Officium autem habet idem vir spectabilis Vicarius hoc modo:
Principem de schola Agentum in rebus ex Ducenariis.

B

Cornicularium.
Numerarios duos.
Commentariensem.
Ab actis.
Curam Epistolarum.
Adjutorem.
Subadjuvas.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. LXVIII.

DE VICARIO BRITANNIÆ, *& ejus Magistratibus.*

C

COMMENTARIVM.

SVPEREST Vicarius *Britanniæ insulæ, quæ* à Notitia repræsentatur *oblonga, & forma velut triangulari, lateribus inæqualibus, ac tribus erecta promontoriis*, Cantio, Heleno, & Orcha, & ob id in tria regna secundum tres angulos olim fuit

fuit divisa. Primus eam C. Julius Cæsar ingressus, posteris ostendisse potius, quàm tradidisse dicitur. Claudius Cæsar proximam continenti partem Imperio subjecit, quam Consularium primus A. Plancius administravit, Tacitus *Ann.* lib. XIII. & in *Agricola.* Idem *Hist.* lib. I. eandem sub Vitellio Consularem habuisse scribit, loquens enim de Britannia: *Quies*, inquit, *provincia, quanquam remoto Consulari mansit.* Et in *Agricola*: *Brevi deinde Britannia Consularem Petilium Cerealem accepit.* Postea Præsides eam rexerunt, ut sub Alexandro Virius Lupus, *l. 2. §. prim. ff. de vulg.* Hadrianus illius insulæ partem, quæ nunc *Scotia* dicitur, muro exclusit, auctor post Dionem & Eusebium Spartianus, in *eod.* cap. XI. *Murum*, inquit, *per octoginta millia passuum primus duxit, qui Romanos Barbarosque divideret.* neque enim Caledonia seu Scotia Romanis parebat. Hunc murum vetustate collapsum Severus restituit. Idem Spartianus, in *eod.* cap. XVIII. *Britanniam*, inquit, (*maximum ejus Imperii decus*) *muro per transversam insulam deducto, ad finem Oceani munivit: unde etiam* Britannici *nomen accepit*: Hæc ille. Hoc fuit vallum ex cespitibus extructum, non muris: Beda *Ecclesiastic. histor. gent. Anglor.* lib. I. *Severus*, ait, *genere Afer, Tripolitanus receptam partem insulæ, à cæteris indomitis gentibus, non muro, ut quidam existimant, sed vallo distinguendam putavit. Murus enim de lapidibus: Vallum verò, quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur, fit de cespitibus, quibus circumcisis, è terra velut murus extruitur altus super terram, ita ut ante fiat fossa, de qua levati sunt cespites, supra quam sudes de lignis fortissimis præfiguntur. Itaque Severus magnam fossam firmissimumque vallum, crebris insuper turribus communitum, à mari ad mare duxit*: Hæc ille. Constantinus verò Magnus quinque ejus provincias fecisse dicitur: Eam, quæ postea Maxima Cæsariensis est dicta, Valentiam, Britanniam primam, Britanniam secundam, quæ antea fuerant, & Flaviam Cæsariensem, à se, qui Flavius Constantinus vocabatur, appellatam: prima verò dicitur, vel quod prius subjecta, aut prima venientibus ex Galliis occurrat. Sext. Rufius: *In Britannia*, inquit, *est Maxima Cæsariensis, Britannia prima, Britannia secunda*: ea olim Caledonia, nunc Scotia dicitur, & à reliqua Britannia seu Anglia, arduis montibus, & duobus Euripis maris est divisa. Alii, ut Volaterranus ex Ptolemæo, & Sext. Ruffo, Britanniam minorem appellant, quam Sext. Rufius Britanniam II. vocat. sed verius est Britanniam minorem Hiberniam esse, & ut Ptolemæus in secundo operis magni nominat. Præter I. & II. Britanniam, tertia pars versus Hiberniam Vicalia vocatur, ubi est Helenum promontorium, ab Helena Constantini matre nuncupatum, ibi olim Brigantes populi fuere. Sabrina fluvio à reliquis Anglis ab Ortu dividitur, & quasi peninsula Oceano circundatur: Hanc esse arbitror quam Notitia Valentiam appellat. Theodosius dum Britannias corrigeret in honorem Valentis Principis ita hanc provinciam nominasse videtur. Marcellinus lib. XXVIII. cap. III. *Recuperatam*, inquit, *provinciam quæ in ditionem concesserat hostium*, Theodosius *ita reddiderat statui pristino, ut rectorem haberet legitimum, & Valentia deinde vocaretur arbitrio Principis.*

Quarta pars Cornubia dicitur, & est velut Chersonessus, brachium in mare extendens, cornuque formam habet, quæ in undas protensa latius excurrit. Hanc esse arbitror, quæ Flavia Cæsariensis à Notitia nuncupatur.

Quinta circa Humbrum fluvium Gallias spectat, ubi est Condivum, quam Maximam Cæsariensem vocari puto. Hæc à Clemente Maximo, qui in Britannia Comes Augustus est appellatus, nomen habuit, sicut & Maxima Sequanorum in Galliis, ut supra est dictum: His quinque provinciis sub Vicario Britanniarum, totidem præerant Rectores, duo Consulares, & tres Præsides. Consulares provinciæ erant, Maxima Cæsariensis, & Valentia seu Westphalia. Præsidales Britannia I. Britannia II. quæ est pars Scotiæ, & Flavia Cæsariensis, quam puto esse Cornubiam. Sub Constantino Pacatianus, fortè primus, Vicarius Britanniarum fuit, *l. 2. C. T. de exactorib.* sub Constantio Martinus, qui casu se ipsum interfecit, Marcellinus lib. XIV. cap. V. Imperante Valentiniano, Civilem Britanniæ Vicarium, & Dulcitium scientia rei militaris insignem Ducem fuisse Marcellinus scribit, lib. XXVII. cap. VIII. Officium habebat Principem de schola Agentium in rebus ex Ducenariis, Cornicularium, Numerarios duos, Commentariensem, Ab actis, Curam epistolarum, Adjutorem, Subadjuvas, Exceptores, Singulares, & reliquos Officiales. Insignia verò præfert *librum clausum, & viridi corio tectum.* Manuscripti aureum codicillis ejus tegumentum ostendunt: notas dorso inscriptas habet, ut Comites & Duces, quibus in exemplari impresso alii carent Vicarii, nullos Principum vultus, nec mulierum imagines, ut alii Vicarii, præfert, sed *quinque oppidorum typis* provincias sibi commissas indicat, his inscriptum est, MAXIMA CÆSARIENSIS, VALENTIA, BRITANNIA PRIMA, BRITANNIA SECUNDA, FLAVIA CÆSARIENSIS. Insulam duo Comites, & unus Dux à Barbaris tuebantur. Hi sunt spectabiles civiles Magistratus in Romani Occidentalis Imperii provincias missi: Nunc reliquos Spectabiles, qui Imperii limitibus excubabant, ordine referemus.

NOTI-

NOTITIA.

COMES AFRICÆ, AC EJUS INSIGNIA.

NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Comitis Africæ Limitanei.

PRÆPOSITUS Limitis Thamallensis.
Præpositus Limitis Montensis in castris Leptitanis.
Præpositus Limitis Bazensis.
Præpositus Limitis Gemellensis.
Præpositus Limitis Tubunensis.
Præpositus Limitis Zabensis.
Præpositus Limitis Tubusubditani.
Præpositus Limitis Thamallomensis.
Præpositus Limitis Balaretani.
Præpositus Limitis Columnatensis.
Præpositus Limitis Tablatensis.
Præpositus Limitis Caput Cellensis.
Præpositus Limitis Secundanorum in Castris Tillibarensibus.
Præpositus Limitis Taugensis.
Præpositus Limitis Bidensis.
Præpositus Limitis Badensis.
Officium autem habet idem vir spectabilis Comes hoc modo:

A Principem ex officio Magistri militum Præsentalium, uno anno à parte peditum, alio anno à parte equitum.
Cornicularium.
Adjutorem.
Commentariensem ex officio Magistri militum Præsentalium alternis annis.
Numerarios duos ex utrisque officiis, Magistri militum Præsentalium, singulos.
Subadjuvam.
Regerendarium.
Exceptores.
B Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. LXIX.

DE COMITE AFRICAE.

COMMENTARIUM.

QUEMADMODUM in Oriente, ita hic quoque Ducibus Comites præponuntur, qui octo fuere, Italiæ, Africæ, Tingitanæ, Tractus Argentoratensis, Britanniarum, Littoris Saxonici per Britanniam, Illyrici & Hispaniarum. Sed his duabus provinciis à Barbaris occupatis, sex tantùm Comites permansere. Aliorum nomina duntaxat, non insignia, nec officium à Notitia repræsentantur: nec illorum

jum quicquam aliud apparet, præter quorundam militum numeros, qui apud eos esse consueverant. Vandali enim, & Alani, sub Honorio Hispanias, circa annum salutis CCCCIX. invaserant. Possidonius in *vita D. Aug.* deinde Theodosio juniore, Valentinianoque III. imperantibus, Attila Illyricum occupaverat, ut Paulus Diaconus lib. VII. cap. XL. & D. Prosper tradunt. Itaque duabus his provinciis Imperio Romano ablatis, sex tantùm aliarum regionum relicti sunt Comites, inter quos primum Italiæ Comitem Notitia in indice nominat. postmodum in ipsis explicandis, omisso ejus officio solo, insignia inter ultimos Comites ostendit. Primusque inter limitaneos Comes Africæ recensetur *cum XVI. Præpositis*, ita vocabantur, qui *singulis munitionibus* aut castris *præerant*, ùt Diocletianus ad Pompejanum Francum P. Præt. significat, *in l. quamvis.* 19. *C. de adult. Non putavimus*, inquit, *Viatorem Præpositum ab excubiis limitis revocandum.* Castri Præfectum Præpositum nominat, ut & Theodosius ad Salustium Quæstorem, *in l.* 1. *C. de offic. Quæstor.* Valentinianus ad Severum Magistrum militum, *l.* 1. *C. de diver. offic.* scribens, & Leo A. ad Joannem Magistrum, *in l. viros.* 8. *C. eo, tit.* quod latius in Oriente est demonstratum.

IN OCCIDENTE ERANT PRÆSIDIA CCLXIX. cum totidem Præpositis seu Præfectis hoc modo.

In Africa	XVI.
Tingitana	VIII.
Littore Saxonico per Britanniam	IX.
Italia	XVII.
Argentorato	I.
Mauritania	VIII.
Tripolitana	XIIII.
Pannonia II.	XXVI.
Valeria	XXXV.
Pannonia I.	XXVII.
Retia	XIX.
Sequanica	I.
Armorica	X.
Belgica II.	III.
Britannia	XXXVII.
Moguntiacensi	XI.
Gallis, & Belgica I.	XXI.
Hispaniis	VI.

INSIGNSA gestabat Comes Africæ, librum, quemadmodum alii Comites, cum iisdem notis libri dorso inscriptis, ac Magistratus codicillis. Præterea XVI. munitiones, quæ exceptis quatuor rotundis, formam exagonam ostendunt. Portæ duabus turribus hic inde muniuntur: in Manuscriptis alia forma repræsentantur. Spectabilis appellabatur hic Comes.

Ita verò officium habebat, *Principem ex officio Magistri militum Præsentalium, uno anno à parte peditum, altero à parte equitum.* In Manuscriptis legitur, *ex officiis Magistrorum*, & rectius. Item *Cornicularium*, *Adjutorem*, qui loco Cornicularii plerisque Ducibus erat, *Commentariensem ex officio Magistrorum militum Præsentalium*, ita legendum ex Manuscriptis, *alternis annis*, id est, uno ab eo qui est peditum, altero ab eo qui est equitum. *Numerarios duos, ex utrisque officiis Magistri militum Præsentalium singulos*, id est, unum illorum à singulo officio extrahebat. In Manuscriptis pro Magistri legitur *Magistrorum*. Item *Subadjuvam*, *Regerendarium*, *Exceptores*, *Singulares*, *& cæteros Officiales*, qui supra sunt declarati. Sexdecim præsidiorum Præpositis imperabat, qui quot numeris præessent, sciri non potest: sed dando CC. pedites cuique limiti, fuissent 4800. iisdem L. equites tribuendo efficerent DCCC. A Magistro verò peditum Præsentali accipiebat auxilium unum, Legiones Palatinas tres, Comitatenses VII. Pseudo-Comitatensem unam. Item à Magistro equitum Præsentali Vexillationes Comitatenses XIX. sed ipsum ut cæteros Comites alias copias habuisse credendum est. Nunc XVI. ejus Præpositos explicabimus, quorum primus erat

I. PRÆPOSITUS limitis Thamallensis à Thamalla oppido, fortè legendum *Thamissensis*, qui non longè abest à sequenti limite. In Itinerario legitur *Turre Tamallens*, ubi erat mansio. Infra alius limes Thamallomensis simile nomen habet.

II. MONTENSIS in castris Leptitanis, erant in propria Africæ regione; ubi erat Carthago, & Leptis montana, seu parva: sed credo significari limitem, à monte, quem occupabat, *Montensem* appellatum, quem scheda Velseri *Montem* vocat. Præter hæc alia erant castra Leptitana, quæ sub Duce Tripolitanæ à Fortensibus defendebantur prope Leptim magnam in Tripolitana eundo ad aras Phileniorum, de quibus infra. Fortè hæc sunt, quæ in scheda posteriore Velseri *castra* alio non adjecto vocantur.

III. BAZENSIS limitis in Marmarica, ubi est Bazium promontorium, & Bazenum oppidum.

IV. GEMELLANSIS limitis Præpositus Gemellis degebat, quod oppidum nomen dedit limiti, ubi quoque mansio erat cursus publici. Itinerarium *Lemelense* castellum appellat. Martyrologium VIII. *Id. Febr. In Africa*, inquit, *in castello Lemelenso S. Martyrum Primi, & Donati diaconorum, qui cum altare in ecclesia tutarentur à Donatistis occisi sunt.* sed credo legendum *Gemellense*. Erat Gemelle urbs Africæ propriæ, inquit D. Augustinus.

V. TUBUNENSIS ab oppido Tubanis Africæ propriæ, de quo etiam D. August.

VI. ZABENSIS. Herodotus in *Melpomene* ad finem, Zabeces in Africa inter Maxyes & Zugantes ponit. unde legendum esset *Zabecensis*.

VII. TUBUSUBDITANI limitis, Tubusuptum appellat Sitifensis Mauritaniæ oppidum Marcellinus lib. XXIX. cap. V. loquens de Theodosio: *Tubusuptum*, inquit, *progressus oppidum Ferrato contiguum monti.* In Mauritania Cæsariensi collocat Ptolomæus. Ejus meminit & Plinius: inde limes nomen habuit.

VIII. THAMALLOMENSIS, à Thamallomo oppido in Africa propria. Itinerarium *Themellamum* appellat, quod est diversum à Thamalla, de qua supra. vetus codex habet, *Thamallonensis*.

IX. BALARETANI, ab oppido Balareto in Africa propria.

X. COLUMNATENSIS, à Columnato oppido, Hic limes, & sequens, longius se extendentes, duos habebant Præpositos, hunc scilicet, & alium sub Duce Mauritaniæ Cæsariensis, qui fortè ad eundem locum castra jungebant.

XI. TABLATENSIS, à Tablata oppido. *Tablata* legit Itinerarium, ubi mansio cursus publici fuit. *Thasbalum* D. Cyprianus, & Augustinus appellant. Africæ propriæ urbs fuit.

XII. CAPUT CELLENSIS, aliàs Celmensis. *Calama* Ptolomæo est oppidum Africæ: Itinerarium *Celasuicum* nominat, & caput Cillanum Mauritaniæ Cæsariensis oppidum, unde limes nomen habet.

XIII. SECUNDANORUM in castris Tillibarensibus à loco ita vocatis. *Tillabarum* oppidum Africæ propriæ Itinerarium ponit, unde castra nomen habent. Sub Duce Tripolitanæ alius Præpositus limitem Tillibarensem tuebatur. Equites Secundani Italiciani supra inter numeros Africæ à Notitia recensentur:

Secundanos populos in Gallia Plinius locat. Italiciani equites in Secundis oppido Pannoniæ II. infra sub ejus Duce ponuntur, unde hi derivati videntur. Vetus codex legit, *secundum forum*.

XIV. TAUGENSIS, à Tauga urbe hic limes deducitur.

XV. BIDENSIS. *Bidil* municipium Itinerarium in Mauritania Cæsarienſi ponit, unde *Bidilensis* limes eſſet vocandus. quod eſſet longior hic limes alium

A


ſub Duce Mauritaniæ Præpoſitum habuit *Videnſem* vocatum, pro *Bidenſem*.

XVI. BADENSIS, à Bada Mauritaniæ Cæſarienſis oppido, de quo apud D. Cyprianum in *Concilio Carthaginensi*. caput *Bada* Procopius vocat. Multa ex præfatis nominibus vel nova ſunt, vel poſtea mutata. Hic limites, non oppida nominantur ubi hi numeri degebant, quod ſecus in aliis Comitibus & Ducibus eſt actum, fortè quia in caſtris hi ſtativa habebant.

NOTITIA.

COMES TINGITANÆ,

CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub diſpoſitione Viri illuſtris Comitis Tingitanæ limitanei.

PRÆFECTUS Alæ Herculeæ, Tamuco.

Tribunus cohortis ſecundæ Hiſpanorum, Duga.

Tribunus cohortis primæ Herculeæ, Aulueo.

Tribunus cohortis primæ Ityræorum, caſtro Barienſi.

Tribunus cohortis Pacatianenſis, Pacatiana.

Tribunus cohortis tertiæ Haſtatorum, aliàs Haſtorum, Tabernis.

B

Tribunus cohortis Friglenſis, Friglis.

Officium autem habet idem vir ſpectabilis Comes hoc modo:

Principem ex officio Magiſtri militum Præſentalium, uno anno à parte peditum, alio anno à parte equitum.

Commentarienſem ut ſupra.

Numerarios duos, ſingulos ex officio ſupradicto.

Cornicularium.

Adjutorem.

Subadjuvam.

C

Regerendarium.

Exceptores.

Singulares, & reliquos Officiales.

CAP.

A

CAP. LXX.
DE COMITE TINGITANÆ.
COMMENTARIUM.

TINGITANA ultima est Africæ pars, ultra Numidiam, Oceanum versus, ut supra in ejus Præside est declaratum: ubi Limitaneus Comes cum VIII. Præpositis excubabat. Idem officium, eademque insignia, quæ superior gerebat, scilicet *librum, codicillos*, & VIII. *castra*, sed VII. tantùm Præfecti, aut Tribuni recensentur, unde aliquid desit, necesse est. B Erant autem locis præsidio ala equitum una, cohortes VI. quæ efficiebant circiter 3000. peditum, & Equites 100. Præter hos hic Comes duo auxilia Magistri peditum Præsentalis regebat, scilicet Mauritonantes seniores, & Mauritonantes juniores; item duas legiones ex XXXII. Comitatensibus, nempe Constantinianos, & Septimanos juniores, item Magistri equitum Præsentalis vexillationes III. ex XXXII. Comitatensibus, videlicet equites Scutarios seniores, Sagittarios seniores, & Corducnos, quemadmodum Notitia infra explicat. Hic verò non recensentur, quia proprii hujus Comitis milites non erant, sed velut commodati. Præfecti sunt sequentes.

I. C PRÆFECTUS Alæ Herculeæ Tamuco præsidebat, quod erat nomen vici. *Thamudat* appellat Itinerarium. Ala verò *Herculea* ab Herculeo Maximiano est dicta. Videntur autem qui alæ, id est, majori turmæ equorum præerant, Præfecti dicti. Qui verò cohorti, Tribuni. Sed & legionis Præfecti quandoque Tribuni vocabantur, *l. 2. in princ. ff. de his, qui not. infa l. Titius. 25. ff. de testa. mili.*

II. TRIBUNUS cohortis secundæ Hispanorum Dugæ degebat. Dugam in Africa Ptolomæus ponit.

A III. TRIBUNUS cohortis primæ Herculeæ in Auluco morabatur, Mauritaniæ Tingitanæ oppido.

IV. TRIBUNUS cohortis primæ Ityræorum in castro Bariensi excubabat. Barin oppidum Tingitanæ fuisse Stephanus scribit, unde castrum Bariense. Ityræos in Syria Plinius, & Josephus collocant, quibus & Strabo lib. XVII. adstipulari videtur. Probus Scythas esse dicit, Servius Parthos in illud carmen Poetæ:

— *Ityræos taxi curvantur in arcus.*

Verius est regionem Judeæ conterminam fuisse, ex Josepho, *Luca* cap. XIII. Tacitus lib. XII. *Ann.* cap. XXIII. Hi milites ex illis populis constabant.

V. TRIBUNUS cohortis Pacatianensis Pacatianæ reB sidebat, à quo loco nomen habuit, aut fortè à Phrygia Pacatiana est dicta. Procopius lib. VI. *de aedific. Justin.* scribit Maurusios Pacatos vocari, quia cum Romanis fœdera inviolata semper tenuerunt.

VI. TRIBUNUS cohortis tertiæ Hastatorum Tabernis manebat. Hic erat mansio cursus publici apud Itinerarium. *Hastati* hi milites sunt dicti, quod hastis pugnarent. In Manuscriptis legitur *Hastorum* ex Hasta civitate, quod magis placet.

VII. TRIBUNUS cohortis Friglensis residebat Friglis, à quo loco nomen hæc cohors habuit. *Frigilos* Itinerarium in Mauritania Tingitana, inter Baccatam & Lixum ponit. Hæ sunt copiæ Comitis TinC gitanæ, qui non diu permansit, anno enim Salutis CCCCXLVII. Bonifacius Africæ Comes apud Placidiam Valentiniani III. matrem proditionis insimulatus, Gensericum Vandalorum Regem ex Hispania in Mauritaniam Tingitanam vocavit, qui cum LXXX. millibus hominum totam eam provinciam, mox Cæsariensem, ac deinde Numidiam, reliquasque Africæ provincias tenuit. Reliqua Africæ in ejus regionis Ducibus infra exponentur. Nunc alios Comites percurremus.

NOTITIA.
COMES LIMITIS
SAXONICI PER BRITANNIAM, EJUSQUE INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione Viri spectabilis Comitis limitis Saxonici per Britanniam.



PRAEPOSITVS numeri Fortensium, Othonæ.
Præpositus militum Tungricanorum, Dubris.
Præpositus numeri Turnacensium, Lemanis.
Præpositus equitum Dalmatarum Branodunensis, Branoduno.
Præpositus equitum Stablesianorum Gariannonensis, Gariannono.
Tribunus cohortis primæ Vetasiorum, Regulbio.
Præpositus Legionis II. Aug. Rutupis.
Præpositus numeri Abulcorum, Anderidæ.
Præpositus numeri Exploratorum, portu Adurni.
Officium autem habet idem vir spectabilis Comes hoc modo:
Principem ex officio Magistri Præsentali à parte peditum.
Numerarios duos, ut supra ex officio supradicto.
Commentariensem ex officio supradicto.
Cornicularium.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. LXXI.

DE COMITE LIMITIS SAXONICI
per Britanniam.

COMMENTARIVM.

PICTI assumptis ex Hibernia Scotis, cum sæpè Britanniam vexassent, tandem auxilio Romanorum destitutam invenientes, subactam extremam insulæ partem inhabitarunt, nec ultra exinde, inquit Paulus Diaconus lib. XIV. ad fin. valuerunt expelli. Idem Beda *Eccles. Hist.* lib. I. c. XII. tradit. Quare Britanni Anglos Saxones Germaniæ populos cum Rege Vertergeno, ad defendendam insulam vocaverunt, qui cùm hostes abegissent, in Britannos arma converterunt, stipendia sibi promissa non solvi causati: Itaque aliam insulæ partem & ipsi occuparunt, unde limes contra eos à Comite creato erectus Saxonicus est dictus. Hic apparet non ita primum ab Anglis Saxonibus totam insulam, ut multi credunt, occupatam, quam postea cum Scotis divisam tenuerunt. Hi Aquilonari parte potiti, Scotiam: Illi reliquam tenentes Angliam appellarunt. Verum Saxones ab Anglis Beda dividit. Polyd. Virgilius lib. IV. *Anglic. histor.* Orientalem Britanniæ partem circiter ann. salutis CCCCL. ubi est Londinum, eos occupasse autumat: quod si sequimur, Valentiniano III. & Martiano imperantibus, hanc Notitiam scriptam fuisse oportet, quo tempore Barbari insulæ parte capta, limiti Saxonico jam nomen dederant. Sed Beda aliud sentit, & Marcellinus lib. XXVII. cap. VIII. qui hunc Comitem maritimi

A tractus appellat, scribitque Nectaridum Comitem & Fullofaudem Ducem Valentiniano I. imperante à Britannis occisos. Itaque longè ante Comes maritimi tractus fuisse videtur. Præter hunc Comitem, erat & alius Comes Britanniæ dictus, cujus nullæ propriæ apparent copiæ. Item Dux Britanniarum, qui pluribus præsidiis, ac Tribunis, Præfectisque præerat.

Hic Comes eadem, quæ & alii Comites, gestabat insignia, scilicet, *librum purpureum*, vel luteum, ut habent Manuscripti, cum notis sæpe relatis aliorum Comitum inscriptum, & *codicillos insulamque*
B *cum novem oppidis*, quæ infra referentur.

Officium habet hoc modo, *Principem ex officio Magistri Præsentalium à parte peditum.* ex *Officiis Magistrorum* legunt Manuscripti. Item *Numerarios duos ex officio supradicto, Commentariensem ex officio supradicto, Cornicularium, Adjutorem, Subadjuvam, Regerendarium, Exceptores, Singulares, & reliquos Officiales.* Sub ejus dispositione erant VII. Præpositi, & Tribunus unus, infrascripti.

I. PRÆPOSITVS Numeri Fortensium Othonæ degebat. Hæc legio inter Comitatenses Magistri peditum recensetur, ex qua Numerum Præpositus Othonæ tenebat. Cohortem à Latinis Numerum
C vocari, auctor est D. Chrysostom. *hom.* XXII. *in Act. Apost. Cohors*, inquit, *erat qua vocatur Numerus.* quod & Oecumenius *in c.* X. *Act. Apost.* recitat, & Tripart. lib. I. cap. IX. sentit, & *l. ult. C. de test. milit.* innuere videtur. Sed quandoque pro quibuscumque militum copiis Numeri accipiuntur.

II. PRÆPOSITVS militum Tungricanorum Dubris excubabat. Hic portus erat: nam Itinerarium ad portum Dubris hunc locum appellat. Tungri sunt Germaniæ secundæ apud Itinerarium populi, nunc *Brabanti* vocati, ex quibus constabant cohortes, prius *Tungra*, postea *Tungricana* dictæ. Tacitus de Fabio Valente Vitellii legato loquens *Hist.* lib. II.
D cap. XIV. *Duas*, inquit, *Tungrorum cohortes, quatuor equitum Turmas, universam Trevirorum alam cum Julio Classico Præfecto misit.* Idem in *vita Agricolæ* cap. XXXVI. *Tres Batavorum cohortes, ac Tungrorum duas cohortatus est.* Tungricanorum & Marcellinus lib. XXVI. & XXVII. meminit.

III. PRÆPOSITVS Numeri Turnacensium Lemanis manebat. Ad portum Lemanis, hunc locum vocat Itinerarium. *Lemavio* legitur in quibusdam schedis Augustæ inventis, & à clariss. viro Marco Velsero in lucem emissis. Est Tornacum urbs ejusdem Galliæ Belgicæ secundæ, nunc *Tornay* dictum, unde hi milites sumpti.

E IV. PRÆPOSITVS equitum Dalmatarum Branodunensis Branoduno præsidebat: ita ipse à loco ubi degebat, vocabatur. Branogenium in Britannia oppidum Ptolemæus ponit, & Dunum situm, quod fortè huic loco nomen dedit.

V. PRÆPOSITVS equitum Stablesianorum Gariannonensis in Gariannono residebat: De his equitibus supra in copiis Orientis dixi. præcedentes puto auxiliis & equitibus præfectos fuisse: Sequens cohortis Tribunus inter Præpositos legionarios equitibus postponitur.

TRIBVNVS cohortis primæ Vetasiorum Regulbio insidebat, fortè legendum *Vetarasiorum*, à Vetarasia
F Galliæ Belgicæ urbe, aut *Vetusiorum*, qui sunt Plinio Italiæ Alpinæ populi, lib. III. cap. XX. Sequentes sunt legiones, aut pars earum.

VI. PRÆPOSITVS legionis secundæ Augustæ Rutupis excubabat. Rutupiæ est oppidum Britanniæ, & Rutupe portus, vulgò *Sandovic* dictus, de quo Ptolemæus. Marcellinus lib. XX. cap. I. *Lupicinus*, inquit, *Bononiam venit; quæsitisque navigiis, & omni impo-*

posi-

posito milite . . . . . ad Rutupias sitas ex adverso defertur Londinum versus. Idem lib. XXVII. c. VIII. Rutupias *stationem* Britanniæ *tranquillam* vocat. Hunc portum nominat etiam Tacitus in *vita Agricolæ* cap. XXXVIII. *Et simul*, inquit, *classis secunda tempestate ac fama Rutupensem portum tenuit.* Ad portum Rutupis vocat Itinerarium. ejus meminit Lucanus in VI.

—— *Rutupinave littora fervent.*

Ausonius *de urbibus* VI. Juvenalis *Satyr.* IV. sub fin. & alii. Locus est superioris Britanniæ: nam Dion lib. LV. recensens legiones Imperii, ait, Secundam Augustalem vocatam in superiore Britannia hyemasse, & partem secundæ Victricis in inferiore. Hæc legio secunda Britannica est vocata, & erat una Comitatensium. Vetustus codex legit, *Præfectus legionis*, & rectius.

VII. PRÆPOSITUS Numeri Abulcorum, Anderidæ. Anderido aliud oppidum ejusdem nominis in Celto-Gallia Ptolemæus nominat. Abulcorum Zosimus lib. II. cap. LI. meminit: *Arcadius*, inquit, *Dux ordinis Abulcorum cecidit.*

VIII. PRÆPOSITUS Numeri Exploratorum portus Adurni. *Madurnum* habet codex manuscriptus, ita etiam se legisse in membranis scripsit Ortelius. *Exploratores* hi sunt appellati, quod explorandi res hostium officium haberent, ut Constantinus Porphyrogenneta tradit *de thematibus*. Sub hoc Comite erat una legio fortè M. peditum, & seni Numeri, fortè MCC. & duo ordines equitum fermè CC. Summa est peditum fermè MMCC. & equitum CC. Præfecturam enim mille peditum hoc tempore fuisse Constantinus Porphyr. scribit lib. cit.

NOTITIA.

COMES BRITANNIÆ

EJUSQUE INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione Viri Spectabilis Comitis Britanniæ.

ROVINCIA Britanniæ.

Officium autem habet idem vir spectabilis Comes hoc modo;

Principem ex officio Magistri militum Præsentalium alternis annis

Commentariensem, ut supra.

Numerarios duos singulos ex utroque officio supradicto.

Adjutorem.

Subadjuvam.

Exceptores.

Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. LXXII.

DE COMITE BRITANNIÆ, COMMENTARIUM.

VALENTINIANO primo imperante, duo scilicet Comes Britanniæ, & Dux, ille maritima tueba-

tuebatur, hic mediterranea, Marcellinus lib. xxvii. cap. viii. *Britannias*, inquit, *indicabat Barbarica conspiratione ad ultimam vexatas inopiam. Nectaridumque Comitem maritimi tractus occisum, & Fullofaudem Ducem hostilibus insidiis circumventum.* Et lib. xxviii. cap. iii. scribit, Theodosium, qui postea imperavit, ibidem Ducem fuisse: sed tota ferè insula in Barbarorum potestatem redacta, sine præsidiis, & copiis hic Comes cum sola insulæ imagine repræsentatur. Transrhenanis enim populis insulam invadentibus circa annum salutis ccccxi. Britanni ejectis Romanis Præsidibus & Comite, in libertatem se vendicarunt. Zosimus lib. vi. cap. v. & vi. *Transrhenani*, inquit, *Barbari cuncta pro libitu invadentes, eò tum incolas insulæ Britanniæ, tum quasdam Celticas nationes redegerunt, ut ab imperio Romano deficerent, & Romanorum legibus non amplius obedientes, arbitratu suo viverent. Itaque Britanni sumptis armis, & pro salute sua periclitati, civitates suas a Barbaris imminentibus liberarunt ...... ejectis Romanis Præsidibus, & propria quadam Republica ex arbitratu suo constituta. Hac Britanniæ rebellio, quo tempore Constantinus regnum usurpabat, accidit.* Hæc ille. Non tamen omnes tum simul defecerunt, sed aliqui in fide Romani Imperii remanserunt, ut ex Beda liquet. Demum cum prius Aquilonaris insulæ pars à Scotis, & magna Orientalis occupata esset, postmodum Australis ab Anglis & Saxonibus subacta, tota insula est amissa. Interea alius Comes limitis Saxonici in suis munitionibus se tuebatur, & Dux Britanniæ reliquam Romano Imperio parentem insulæ partem cum suis militum copiis retinebat. Comes Britanniæ in inferiori & secunda Britannia olim degebat cum sexta legione, quam ab Augusto in Syria locatam, deinde in duas divisam, & alteram in Britanniam missam fuisse Dion scribit lib. lv. *Altera*, inquit, *Victrix appellata in inferiore Britannia excubabat.* Hi sunt qui à Notitia *Victores juniores Britanniciani* inter lxv. auxilia Palatina Magistri peditum in præsenti vocantur, & supra post Catalogum vexillationum sub hoc Comite militasse dicuntur. Merebant sub eodem Comite aliæ duæ legiones, prima junior, sive primani juniores, qui nullibi in Catalogo militum Magistri peditum reperiuntur, nisi sint prima Flavia, aut prima Maxima à Maximo Clemente ibi Augusto creato appellata. Altera legio erat secunda Britannica, sive Secundani, una ex legionibus Comitatensibus xxxii. sub Magistro peditum. Aliam Pictis Britannos infestantibus legionem militum ab Honorio missam hostes repulisse Paulus Diaconus scribit, quæ ibi non mansit. Equitum quoque vi. Vexillationes hic Comes regebat, videlicet equites Cataphractarios juniores, qui non reperiuntur in albo Vexillationum Magistri equitum in præsenti. Equites Scutarios Aureliacos, qui erant una ex xxxii. Vexillationibus Comitatensibus ejusdem Magistri, sicut & sequentes, videlicet Honoriani seniores, Stablesiani & Syri, qui in Catalogo Vexillationum Magistri equitum non leguntur, & suprà sub hoc Comite meruisse scribuntur. poterant esse equites dc. peditum tria millia.

Eadem planè insignia habebat, quæ & alii Comites, scilicet *librum cum codicillis* magistratus inscriptum, & *insulam unius tantùm urbis effigiem tenentem.* Præsidia enim, quæ amiserat, omittuntur; supra scriptum est BRITANNIA.

Hic Officium, ut Africæ & Tingitanæ Comes, habebat. Cornicularius tamen & Regerendarius, qui apud alios Comites erant, incuriâ fortè librarii, hic desunt. in Oriente nullus Comes aut Dux eum habebat.

NOTITIA.

COMES ITALIÆ, CVM INSIGNIBVS.



Sub dispositione Viri spectabilis Comitis Italiæ, tractus Italiæ circa Alpes.

CAP. LXXIII.

DE COMITE LIMITUM ITALIÆ.

COMMENTARIUM.

HIc Comes in Notitiæ indice cæteris præmissis in insignibus repræsentandis post Comitem Britanniæ, & fermè omnes alios collocatur, quia, ut puto, nullæ ipsius militum copiæ aut præfecturæ, officiumve ostenditur, quòd cum vires Imperii universæ contra hostes in Galliis essent conversæ, Italia undique mari & Alpibus cincta, alios limites quàm ipsas Alpes non habebat, quibus cum militibus hic spectabilis, *l. ult. C. de silentia. l. 1. C. de castrensia. l. 1. C. de privileg. schola.* Comes præerat. Pro insigni *librum erectum in tergo notis inscriptum habebat*, ut alii Comites. his Madrucianus errore scriptoris caret. *Sub libro depicta sunt Alpes cum tribus oppidis*, inscriptumque est ITALIA, & infra subscriptum, SUB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS COMITIS ITALIÆ, TRACTUS ITALIÆ CIRCA ALPES. Ejus officium non scribitur, quòd fortè suis limitibus ab incursantibus Barbaris Valentiniano III. imperante esset expulsus. Quot copias haberet non exprimitur; sed legiones XIIII. intra Italiam merebant. peditum auxilia XXII. erant fermè peditum XVI.M.CC. Equitum Vexillationes VII. poterant constare DCC. equitibus. Imperante Galba, Mennius Rufinus cum Ala equitum Hadriæ præsidebat, ut Tacitus *Hist.* lib. III. cap. XII. recitat: *Bassus*, inquit, *Liburnicis navibus Hadriam provectus, à præfecto ala Mennio Rufino, præsidium illic agitante, vincitur:* Ex prædictis XIIII. Legionibus, VIII. erant ex numero XII. Legionum Palatinarum, nempe Joviani seniores, Herculiani seniores, Divitenses seniores, Tungricani seniores, Pannoniaci seniores, Mœsiaci seniores ex Mœsia, sed in Catalogo Magistri peditum vocantur *Mœsiciani*, corruptè, ut puto, Octaviani ex Legione VIII. Augusta in Pannonia, ab Augusto olim constituta, & Thebæi. Nona Legio erat Pontinensium una ex XVIII. pseudo-Comitatensibus. Reliquæ sequentes quinque erant ex XXXII. Legionibus Comitatensibus, videlicet Mattiaci juniores, qui in Catalogo Ministri peditum vocantur Mattiari juniores, sed mendosè, quia infra sunt Mattiaci seniores, Septimani juniores à Septima Gemina, Pia, Fœlici, in Dalmatia ab Augusto locata, Regii Germaniciani, Prima Julia, Secunda Julia, ab Augusto ita vocatæ, à quo illa in Germania inferiore, hæc in Numidia est collocata. Prima Julia non legitur in Catalogo Magistri peditum.

Quæ verò sequuntur auxilia XXII. *erant ex* LXV. *auxiliis Palatinis sub eodem Magistro in Italia militantia, scilicet:*

Cornuti seniores.
Brachati seniores.
Petulantes seniores.
Celtæ seniores.
Heruli seniores.
Batavi seniores.
Mattiaci seniores.
Jovii seniores.
Victores seniores.
Cornuti juniores.
Leones juniores.
Exculcatores seniores.
Grati.
Sabini.
Fœlices juniores.
Atecotti Honoriani juniores.
Brisigavi juniores.
Mauri Honoriani juniores.
Galli Victores.
Placidi Valentinianici Fœlices, à Placida matre Valentiniani III. dicti.
Gratianenses juniores.
Marcomanni.
Notitia legiones, & auxilia commiscet.

Ex VII. *verò Vexillationibus Italiæ, sex erant ex Palatinis, scilicet:*

Comites Cornuti seniores.
Equites Promoti seniores.
Equites Brachati seniores.
Equites Cornuti seniores.
Comites Alani Constantes Valentinianenses seniores.

Item Vexillatio una Comitatensis, id est, MAURI FEROCES. Itaque erant fermè omnes simul peditum sexdecim millia cc. & equites circiter DCC. Præter hos erant in Italia XVI. præsidia aliquot Legionum præter Classes; Præfectus enim juniorum Italicorum Ravennam custodiebat. Præfectus Sarmatarum Gentilium Apuliæ & Calabriæ oram tuebatur. Alius eorundem Sarmatarum Gentilium aliam regionem per Brutios, & Lucaniam. Præfectus Sarmatarum Gentilium Forofulviensi, seu Valentiæ propè Padum præerat. Alii Præfecti Sarmatarum Gentilium Opitergio, Patavio, Veronæ, Cremonæ, Taurinis Aquis, sive Tertonæ, Novariæ, Vercellis, regioni Samniti, Bononiæ in Æmilia, Quadratis seù Eporizio, Polentiæ in Liguria. Hæ legiones Sarmatarum per tot loca dispersæ, continebant fortè XII. millia peditum. In Flaminia quoque Ravennam tuebatur Præfectus militum juniorum Italicorum fortè M. Erant & quatuor classes in Italia, Venetûm Aquilejæ, Comensis, Misenatium, & Ravennatium; de quibus infra tractabitur.

NO-

N O T I T I A.

COMES ARGENTORATENSIS,

E J V S Q V E I N S I G N I A.



N O T I T I A.

Sub dispositione Viri spectabilis Comitis Argentoratensis tractus Argentoratensis.

Cap. LXXIV.

DE COMITE ARGENTORATENSI.

COMMENTARIVM.

ARGENTORATVM civitas est in Germania prima, inquit Itinerarium, secundum Rhenum, nunc *Argentina* dicta, Marcellinus, Aurelius Victor, cum Paulo Diacono, *Argentariam* vocant. Habet Germania prima Maguntium metropolim, & Argentoratum, quibus praeter Ducem provinciae, datus est huic Comes, illi Dux, ut plures irruentibus in agrum Rom. hostibus cum suis copiis occurrerent. Huic igitur urbi, & ejus tractui proprius Comes cum manu militum praeerat, Argentoratensis nuncupatus. Nulli sub eo numeri recensentur: sed legionem VIII. Sebastam, id est, Augustam Ptolemaeus hic collocat, quae minimum continet M. pedites. Ejus insignia sunt *liber* eodem modo dorso inscriptus, & codicilli, ut in aliis Comitibus est dictum. *Munitionem magnificè extructam* habet, supra scriptum est ARGENTORATENSIS. & infra, SVB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS COMITIS ARGENTORATENSIS TRACTVS ARGENTORATENSIS: In quo erant Vagiones & Treveri secundum Rhenum siti. In indice hic Comes quartum locum tenet, hic

A postremum. Officii etiam illius aut militum nulla fit mentio, quod ea loca tum ab hostibus tenerentur. Gothi enim antea Gallias ingressi, rursus ab Ataulpho Rege circiter annum salutis CCCCXIII. eas repetierunt: Ac biennio post Burgundiones partem Galliae Rheno conjunctam tenuerunt, quae ab illis nomen accepit. circiter annum verò CCCCXXX. Aetius Comes Belgicae partem Rheno proximam, quam Franci occupaverant, recepit: sed illi rursus irruentes post multa & varia praelia, tandem eam obtinuerunt, auctores Cassiodorus, D. Prosper, & Paulus Diaconus.

B

Cap. LXXV.

DE COMITE ILLYRICI.

DEFVNCTO Theodosio Magno, relictis Arcadio & Honorio adolescentibus, Barbari à Stilicone nova moliente acciti Illyricum invaserunt, D. Hieron. *epistola* III. *Viginti*, inquit, *& eo amplius anni sunt, cum Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Achajam, Epirum, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomannus vastant, rapiunt.* Haec D. Hieronymus.

C Alaricus enim circa annum sal. CCCC. multa in Illyrico occupavit. Demum Valentiniano III. in Occidente, & Martiano in Oriente imperantibus, circa annum salutis CCCCLII. Attila Hunnorum Rex Illyricum devastavit, Daciaque, Macedonia, Achaja, Mysia, ac Pannoniis occupatis, utrasque etiam Thracias foedè deformavit, ut Paulus Diaconus & alii scribunt.

Itaque

Itaque tempore hujus Notitiæ amissis Illyrico & Hispaniis, eorum Comites esse desiisse arbitror. Nam etsi in numerorum catalogo eorum pluribus præfuisse dicantur, in indice tamen aut insignibus Comitum repræsentandis, nulla illorum fit mentio, quod & in civilibus Illyrici magistratibus actum fuit. Jornandes verò auctor est, Valentinianum Placidiæ, ut Eudoxiam Theodosii filiam uxorem haberet, Illyricum socero cessisse. Ego tamen quantum licuit, ejus Comitem restituere sum conatus.

Insignia & officium, ut alii Comites, habuisse censendus est. Equitum, quos secum aliquot habuisse verisimile est, hic nulla habetur mentio. Peditum verò aliquot millia sub eo meruisse inveniuntur. Nam ex auxiliis Palatinis LXV. sub Comite Illyrici auxilia XV. sequentia Notitia post Magistri equitum copias recenset. Et sunt

Sagittarii Tungri, & Jovii juniores.
Sequani, & Rhetii.
Sagittarii Venatores, & Latini.
Honoriani Mauri seniores
Mattiaci.
Honoriani Gallicani.
Valentinianenses fœlices.
Honoriani victores juniores.
Tungri.
Seguntienses.
Valentinianenses juniores.
Caterianenses, hi non reperiuntur sub Magistro peditum; fortè legendum,
Gratianenses, aut,
Catarienses, ut in Codice Ursini.

Ex legionibus Comitatensibus XXXII. *sub eodem Comite sunt legiones* V.

Tertiani, sive tertia Italica.
Tertia Herculea, Pacatianenses.
Mauri Cetrati, & Propugnatores juniores.

Ex Pseudo-Comitatensibus XVIII. *legiones* III.

Lancearii Lauriacenses.
Lancearii Comaginenses.
Secunda Julia Alpina.
De quibus supra in Magistris peditum est dictum. Poterant efficere circiter decem millia peditum, de quibus supra dictum fuit.

CAP. LXXVI.

DE COMITE HISPANIARUM.

HONORIO & Theodosio Juniore imperantibus, circa annum salutis CCCCXI. ut dixi, Vandali Hispanias occuparunt, ab Honoriacis militibus acciti, & prodita Pyrenæi custodia intromissi, eas, multis commissis præliis, tandem obtinuerunt, ut Cassiodorus, D. Prosper, Paulus Diaconus, & Orosius memorant. Hanc itaque ob causam, ut puto, Notitia in catalogo Comitum Hispanias prætermittit, nec aliqua earum Comitis insignia, aut officium ponit, quem tamen certum est extitisse. Constantinus enim circiter annum CCCXVIII. ad Octavianum, *l. 4. C. T. de decurionib.* Severum, *l. 14. C. de fid. instr. l. 27. C. de donat.* & Tiberianum, *l. 6. C. de serv. fugit.* Comites Hispaniarum scribit: in catalogo quoque copiarum Magistri equitum Præsentalis Notitia Comitis Hispaniarum & Tingitanæ omissis insignibus, & officiis numeros recenset, scilicet XI. auxilia, ex LXV. Palatinorum Magistri peditum Præsentalis. Legionum Præfectos V. item V. cohortium Tribunos, & præsidia VI. quæ infra post Duces ponentur. Efficere poterant circiter septem millia peditum. Numeri equitum non apparent. Auxilia verò erant sequentia:

Ascarii seniores.
Ascarii juniores.
Sagittarii Nervii.
Exculcatores juniores.
Tubantes.
Felices seniores.
Invicti seniores.
Victores juniores.
Invicti juniores Britones.
Brisigavi seniores.
Salii juniores Gallicani.

Legiones verò V. *erant ex* XXXII. *Comitatensibus, scilicet:*

Fortenses.
Propugnatores seniores.
Septimani seniores.
Vesontes.
Undecimani.
Septimani juniores.

Hi sunt legio septima, Gemina, Pia, Fœlix ab Augusto in Dalmatia locata, Dion lib. LV. Hæc legio infra in Notitia in catalogo copiarum post Duces locatur in Hispania Gallecia.

Vesontes à Visuntio oppido sunt nuncupati. Undecimani, legio XI. postea Claudiana, Pia, Felix nuncupata ab Augusto in Mœsia constituta fuerat. Ex Mœsia in Dalmatiam à Claudio, inde in Italiam pro Othone transducta, & suis sedibus restituta. Demum in Hispanias venit.

Præter has in Gallecia erat Præfectus Legionis septimæ geminæ legiones. TRIBUNUS cohortis secundæ Flaviæ Pacatianæ Pætaonio Præfectus. TRIBUNUS cohortis secundæ Gallicæ ad cohortem Gallicam degens, ita castra vocabantur. TRIBUNUS cohortis Lucensis Luco præsidens. TRIBUNUS cohortis Celtiberæ, Brigantiæ, nunc Juliobrigæ, excubans. In provincia Tarraconensi TRIBUNUS cohortis primæ Gallicæ Velejæ manebat, quæ loca cum Tribunis recitantur infra post Ducum explicationem. de his ibi tractabitur.

Hæc de VIII. Comitibus Occidentis: nunc de XII. Ducibus sub Magistro peditum Præsentali dicturi, à Duce Mauritaniæ exordium sumemus.

N O T I T I A.

DVCIS ET PRÆSIDIS

PROVINCIÆ MAVRITANIÆ INSIGNIA.



N O T I T I A.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis & Præsidis provinciæ Mauritaniæ Cæsariensis.

PRÆPOSITVS Limitis Columnatensis.
Præpositus Limitis Videnſis.
Præpoſitus Limitis inferioris.
Præpoſitus Limitis Fortenſis.
Præpoſitus Limitis Muticitani.
Præpoſitus Limitis Audienſis.
Præpoſitus Limitis Caput Cellenſis.
Præpoſitus Limitis Auguſtenſis.
Officium autem habet idem vir ſpectabilis Dux, & Præſes hoc modo:
Principem ex officio Magiſtri militum Præſentalium alternis annis.
Numerarios duos, ſingulos ex officiis ſupra ſingulis.
Commentarienſem ex officiis ſupra ſingulis alternis annis.
Cornicularium.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
A Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. LXXVII.

DE DVCE ET PRÆSIDE MAVRITANIÆ CÆSARIENSIS.

COMMENTARIVM.

DVÆ erant Mauritaniæ, inquit Ptolemæus, B Tingitana, quæ Comitem, & Cæſarienſis, quæ Ducem habebat, & Malua fluvio dividebatur. Itinerarium: *flumen Malua*, inquit, *dirimit Mauritaniæ Duces*. Sed Tingitanæ poſtea Comes factus eſt. Spectabiles utrique erant, *l. pen. C. de appellat. l. viros. 8. C. de div. Offic.* Primus autem inter Duces, qui præerat Mauritaniæ, recenſetur, quia idem Præſes populis jus dicebat, & ideo ab hoc ad præfecturam provocabatur, *l. præcipimus. §. quod ſi C. de appellat.* non ad Magiſtrum officiorum, & Quæſtorem palatii, ut in ſimplici Duce juſſum eſt obſervari, *l. pen. C. de appellatio.* Eadem quæ & Comites inſignia habebat, ſcilicet *librum* iiſdem notis *purpureo tegumento* inſcriptum, cum codi- C cillis magiſtratus, & VIII. *caſtra*, quæ totidem præſidiorum præfecturas referunt. Et quoniam non tantùm pedites, ſed & equites hic Dux regebat, officium hoc modo habebat: uno anno Principem ex officio

officio Magistri peditum, alio ex Magistri equitum accipiebat, quemadmodum & sequentes Duces. Unde Principem non nisi uno anno in officio fuisse patet. Habebat & Numerarios duos, singulos ex officiis Magistrorum alternatim ut supra acceptos, sicut & Commentariensem. Cornicularium verò, Adjutorem, Subadjuvam, Regerendarium, Exceptores, Singulares, & cæteros Officiales ipse statuebat. Præpositi itaque limitibus VIII. quibus imperabat, sunt hi:

I. PRÆPOSITVS Limitis Columnatensis, fortè ab aliquibus columnis, vel à loco ita appellatus. Hic limes cum latius se extenderet, alium sub Comite Africæ Præpositum habuit, sicut & Caput Cellensis, & Bidensis, de quibus infra.

II. PRÆPOSITVS Limitis Videnfis. Hic limes, in longum protensus, alium & ipse sub Comite Africæ Præpositum habuit, ubi Bidensis pro Videnfis appellatur, fortè ab aliquo ejus nominis oppido ita vocatus. Vetustus Codex habet, *Indensis*.

III. PRÆPOSITVS Limitis inferioris Oceanum versus.

IV. PRÆPOSITVS Limitis Fortensis, quem milites Fortenses cognominati tuebantur.

V. PRÆPOSITVS Limitis Muticitani, quod nomen non invenio. Codex membraneus Ortelii, & alter vetustus, habent, *Mauricitani*, ut puto, rectius.

VI. PRÆPOSITVS Limitis Audiensis, est in Mauritania Cæsariensi. Audum promontorium, & Audus fluvius, nunc *Balassa* dictus, unde Audiense castellum, & Audiensis limes nomen habuere. Marcellinus lib. XXIX. cap. V. *Duces*, inquit, *suos incolumes reducit ad Audiense castellum.* sed idem ibidem *Addense municipium* appellat. Ejusdem etiam nominis est mons in Africa, qui ad hunc locum non pertinet.

VII. PRÆPOSITVS Limitis Caput Cellensis, fortè ubi Celaniam ponit Ptolemæus, ut pro Celaniensi dictum sit Cellensis. Alius Præfectus sub Comite Africæ hunc limitem longius se extendentem tuebatur, ut in Columnatensi & Centum Cellensi limitibus fiebat.

VIII. PRÆPOSITVS Limitis Augustensis, fortè hic limes à tertia legione Augusta denominatus est, quam Dion lib. LV. in tres divisam fuisse memorat, scilicet Gallicam, quæ in Phœnicia; Cyrenaicam, quæ in Arabia; & Augustalem, quæ in Numidis degebat: & inde in Mauritaniam est translata. Est & Augustum oppidum in Africa, sed ab hoc limite distans. Hæc sunt VIII. præsidia Ducis Mauritaniæ. quot numeros haberet, non constat, sed ponendo CC. pedites pro præsidio, & equites L. essent pedites MDC. equites verò CCCC.

NOTITIA.

DVX PROVINCIÆ

TRIPOLITANÆ EJVSQVE INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Provinciæ Tripolitanæ.

Præpositus Limitis Talalatensis.
Præpositus Limitis Teuchitani.
Præpositus Limitis Bizerentani.
Præpositus Limitis Tillibarensis.
Præpositus Limitis Madensis.
Præpositus Limitis Maccomadensis.
Præpositus Limitis Tintiberitani.
Præpositus Limitis Bubensis.
Præpositus Limitis Mamucensis.
Præpositus Limitis Balensis.
Præpositus Limitis Varensis.
Milites Fortenses in castris Leptitanis.
Milites Munifices in castris Madensibus.
Præpositus Limitis Sarcitani.
Officium autem habet idem vir spectabilis Dux hoc modo:
Principem ex officiis Magistrorum militum Præsentalium alternis annis.
Numerarios utrosque.
Commentariensem utrunque.
Cornicularium.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. LXXVIII.

DE DUCE TRIPOLITANÆ PROVINCIÆ.

COMMENTARIUM.

TRIPOLITANA regio, ut supra dictum est, ab Africa minore Tritone fluvio divisa, usque ad aras Phileniorum extenditur, à tribusque urbibus, Lepti magna seu Neapoli, Taphna, & Abrotana, *Tripolis*, id est, triplex civitas vocatur, cui cum XIIII. præsidiis Dux præerat, & eadem insignia, quæ Dux Britanniæ, gestabat, nempè *librum iisdem notis tergo inscriptum*, & XIIII. *mansiones*, totidem præsidia repræsentantes. Officium etiam fermè eodem modo, quo Duces alii, habebat. Principem ex officiis Magistrorum militum Præsentalium alternis annis, Numerarios utrosque, ex utriusque Magistri officiis nempè singulos ex singulis, & utrunque Commentariensem. Lego *utrunque*, id est, ex utroque Magistrorum militum officio alternis annis, ut apud alios Duces, neque enim unquam duos Commentarienses inveni. Cornicularium verò, Adjutorem, Subadjuvam, Regerendarium, Exceptores, & Singulares, ac reliquos Officiales ipse constituebat. Præter hunc & præcedentem Ducem & alium Belgicæ secundæ nullus in Occidente nec in Oriente Dux Cornicularium habuit, sed alius Officialis ejus vice fungebatur. Hujus limitis Silvanus Dux & Corrector fuisse invenitur, *l. 6. C. Theo. de defens. & protector.* Unde idem Ducis, & Præsidis officio functus esse videtur. XIIII. ejus limitum Præpositi sunt sequentes:

I. PRÆPOSITUS Limitis Talalatensis, quod nomen à Tala fluvio, quem in Marmarica proxima regione Ptolemæus ponit, potest derivari. Hic limes latius se extendens, alium sub Comite Africæ Præpositum habuit.

II. PRÆPOSITUS Limitis Teuchitani, vel Teuchirani à Teuchira oppido, quod etiam Arsinoe dicebatur, vulgò *Trochera*. A Ptolemæo in Cyrenaica ponitur.

III. PRÆPOSITUS Limitis Bizerentani, fortè *Bizacenans* à Bizacena provincia: *Bizacia* Procopio & Valentiniano dicta, *l. 1. C. de offic. com. rer. privat.* vel à Bezereo Africæ loco, ut apud Itinerarium.

IV. PRÆPOSITUS Limitis Tillibarensis. Etiam sub Comite Africæ in castris Tillibarensibus Secundanorum alius Præpositus residebat, latius enim hic limes se extendebat.

V. PRÆPOSITUS Limitis Madensis, vel Madiensis à Madia hujus regionis oppido. Madiam Libyæ insulam fuisse Stephanus scribit. Milites Munifices extra oppidum in Madensibus castris infra fuisse dicuntur.

VI. PRÆPOSITUS Limitis Maccomadensis, à Maccomada Africæ oppido, nunc *Macres* nominato: ad Syrtim majorem Itinerarium ponit, Maccodamam ad Syrtim minorem Ptolemæus in propria Africa, cujus D. Augustinus meminit, sed in castris Madensibus hic Præpositus degebat.

VII. PRÆPOSITUS Limitis Tiotiberitani, quod nomen inventum fuisse noviter existimo.

VIII. PRÆPOSITUS Limitis Bubensis, fortè legendum *Butensis* à Butta oppido, quod in hac regione Ptolemæus collocat: aut dicti sunt à Bubejis Africæ inferioris populis, à Corn. Balbo superatis.

IX. PRÆPOSITUS Limitis Mamucensis, quod nomen non invenio.

X. PRÆPOSITUS Limitis Balensis. Balim Libyæ civitatem prope Cyrenem esse Stephanus scribit, à Baleo nominatam, cujus etiam ibi erat templum, de quo sæpè in sacris Litteris.

XI. PRÆPOSITUS Limitis Varensis, à Vari oppido, vel Bari, cujus Stephanus meminit.

XII. MILITES Fortenses in castris Leptitanis. Tripolitanam regionem Leptim magnam habuisse dixi, ubi militum castra à Fortensis legionis militibus custodiebantur: aliis castris Leptitanis in montibus alius sub Comite Africæ Præpositus præerat.

XIII. MILITES Munifices in castris Madensibus, prope Madam oppidum, non enim in ipso oppido, manebant. *Munifices* autem vocabantur, qui nullo fulti privilegio, omnia necessaria munera exequebantur, nec tantùm vigilias agebant, sed ligna, aquam, & alia hujusmodi in castra portabant. Vegetius lib. II. cap. XIX. *Fascicularia tamen*, inquit, *id est, lignum, fœnum, aquam, stramen, etiam legitimi milites in castra portabant. Munifices enim ex eo appellantur, quod hæc omnia munera faciunt.* Hæc ille. Alii verò ab his immunes principales milites Candidati vocabantur. Idem Vegetius eod. lib. II. cap. VII. in fi. *Candidati*, ait, *sunt milites principales, qui privilegiis muniuntur. Reliqui Munifices appellantur, qui propter munera militiam facere coguntur.* Hactenus ille. Hi milites fortè quod nunquam immunes essent, *Munifices* sunt vocati.

XIV. Ultimus est PRÆPOSITUS Limitis Sarcitani. Erant hæc omnia XIV. limitanea præsidia sub hoc Duce. Quot verò ea equites aut pedites tuerentur non apparet, statuendo tamen CC. milites in singulis præsidiis, essent peditum duo M. DCCC.

Verùm imperante in Occidente Valentiniano, anno salut. CCCCXLI. Marcellinus Comes, *l. 1. in prin. C. de*

de offi. Pref. Pret. Afr. Vandali à Bonifacio ex Hispania in Africam acciti, eam plus centum annis tenuerunt. Tandem Valentinianus III. diu à Genserico vocatus an. sal. CCCCXLIIII. ut auctor est D. Prosper, pace inita barbaro Africæ partem reliquit. Sed eo extincto rupto fœdere illi omnia occuparunt, donec Belisarius Barbaris attritis eandem recepit: cujus antiquis limitibus renovatis, Justinianus quatuor Duces constituit, *l. 2. §. 1. & seq. C. de offic. P. P. Afric.* Unum in Tripolitana provincia, & in Lepti magna, Lepti Magnensi vocata; alium in Bizacena; tertium in Numidia in urbe Constantinatensi; quartum in Cæsariensi Mauritania, *d. l. 2. §. 1.* In trajectu quoque freti Gaditani prope Abilam, in loco, qui *Septa* dicitur, Tribunum cum cohorte, ac dromones, id est, levia navigia, *fregatas* vulgo dictas collocavit, qui exploraret, quid Barbari in Hispaniis, quidve in Galliis agitarent. Quintum præterea Ducem in Sardinia creavit, qui eam ab hostibus tueretur, *d. l. 2. §. jubemus.* In his limitibus clausuras, seu burgos muniri præcepit. Duces verò eos appellat qui limites custodiunt, Comitatenses, qui longiùs à limitibus in castris degunt, non multum tamen ab ipsis distant, *d. l. 2. §. pro limitaneis.* His eorumque

A officiis stipendia pro annonis, & capitibus Calendis Septembris ex tributis Africanis persolvi jussit: hac inita ratione, ut pro singulis annonis solidi quinque, & pro singulis capitibus quatuor solverentur, etsi codex ubique mendis scateat. Singulis igitur Ducibus pro ipsis, & officii hominibus loco annonarum CXC. solvebantur solidi DCCCCL. Item pro capitationibus, seu pabulis equorum CLVIII. sol. DCXXXII. qui aliis juncti efficiunt solidos ejus temporis M. DLXXXII. Ex his annonæ CVII. erant Ducis, pro quibus percipiebat solidos DXXXV. & CVI. capitationes, seu solid. CCCCXL. quæ tota summa efficiebat solidos DCCCCLIX. annonæ VIII. seu solidi XL. & capitatio-

B nes quatuor, seu solidi sexdecim dabantur Assessori, si codex est integer, qui ad solidos quinquaginta sex ascendunt. Reliquum erat officii Apparitorum. Singuli verò Duces habebant Assessorem jurisperitum, qui erat extra officium. In singulis officiis erant viri XL. hoc modo: Primicerius seu Princeps dictus, Numerarius unus, Ducenarii quatuor, qui antea Commentariensi parebant. Centenarii sex, qui sub Adjutore esse solebant. Biarchi VIII. pro Regerendariis. Circitores IX. seu Exceptores, & reliqui homines XI. Singulares, qui efficiunt homines XL.

NOTITIA.

DUX PANNONIÆ,

ET EJUS INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Provinciæ Pannoniæ secundæ Riparensis, sive Saviæ.



CVNEVS equitum Scutariorum, Cornaco.
Cuneus equitum Dalmatarum, Teutoburgio.
Cuneus equitum Constantianorum, Burgenæ.
Cuneus equitum promotorum, Cuccis.
Cuneus equitum Constantium, Aciminci.
Cuneus equitum Italicianorum, Secundis.
Equites Dalmatæ, Novis.
Equites Dalmatæ, Albano.
Equites promoti, Teutoburgio.
Equites Dalmatæ, Cornaco.
Equites Sagittarii, Cuccis.
Equites Dalmatæ, Bononiæ.
Equites Dalmatæ, Cusi.
Equites Sagittarii, Aciminci.
Equites Dalmatæ, Ricti.
Equites Dalmatæ, Burgenæ.
Equites promoti, Tauruno.
Auxilia Herculis, ad Herculem.
Auxilia Novensia, Arsaciana, sive Novis.
Auxilia Augustensia contra Bononiam in Barbarico in Castello Onagrino.
Auxilia præsidentia, in castris Herculis.
Auxilia Ascarii, Tauruno, sive Marsonia.
Præfectus Legionis quintæ Joviæ cohortis quintæ partis superioris, Bononiæ.
Præfectus Legionis sextæ Herculeæ cohortis quintæ partis superioris, Aureo monte.
Præfectus Legionis quintæ Joviæ, Burgenis.
Præfectus Legionis sextæ Herculeæ, Teutoburgio.
Præfectus legionis quintæ Joviæ sextæ Herculeæ, in Castello Onagrino.
Præfectus militum Calcariensium, Sirmii.
Præfectus Classis primæ Flaviæ Augustæ, Sirmii.
Præfectus Classis secundæ Flaviæ, Grajo.
Præfectus Classis Istricæ, Mursæ.
Tribunus cohortis tertiæ Alpinorum Dardanorum.
Ala Sirmiensis, Sirmii.
Præfectus Classis primæ Pannoniæ servitii Classis Ægetensium, sive secundæ Pannoniæ, nunc Sisciæ.
Tribunus cohortis tertiæ Alpinorum, Sisciæ.
Tribunus cohortis primæ Joviæ, Leonatæ.
Tribunus cohortis primæ Thracum civium Romanorum caput Basensis.
Officium autem habet idem vir spectabilis hoc modo:
Principem de eodem officio.
Numerarium.
Adjutorem.
Commentariensem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
A Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. LXXIX.

DE DVCE PANNONIÆ SECVNDÆ *Riparensis, sive Savia.*

COMMENTARIVM.

PANNONIA secunda seu inferior ultra Æmonem fluvium, ab Oriente Drava & Danubio clauditur, ubi Dravæ Ister miscetur, nunc *Bossina* & *Semia* vocatur. B Inter Savum verò & Dravam flumina Savia est, nunc *Croatia*, eademque olim Riparensis dicta: quia ad ripam Danubii & inter ipsa flumina est sita. Hadrianus Ælium Verum, quem adoptavit, Pannoniis Ducem & Rectorem imposuit, ut in *eo* auctor est Spartianus. Huic Dux, cum cuneis VI. & alis equitum XI. auxiliis V. Præfectis legionum V. aliis Classium IIII. Tribunis cohortium item IIII. præerat, præsidiis XXVI. quorum XVIII. tantùm repræsentantur. Eadem insignia ferebat, quæ alii Duces, scilicet, *librum* ut supra inscriptum & XVIII. *munitiones*, cum tamen XXVI. tueretur, quarum VIII. non apparent. *Officium habebat*, C *Principem ex eodem officio*, *Numerarium*, *Adjutorem*, *Commentariensem*, *Subadjuvam*, *Regerendarium*, *Exceptores*, *Singulares*, *& reliquos Officiales*, qui gradu carent. Corniculario, quemadmodum & alii Duces, paucis exceptis, carebant. Hi numeri ab illo regebantur.

I. CVNEVS equitum Scutariorum Cornaco præsidebat, quod Ptolemæo est oppidum propè Teutoburgium, nunc *quinque ecclesias* vocant, cujus meminit & Itinerarium, & sequentium. Hic etiam equites Dalmatæ sub hoc Duce degebant.

II. CVNEVS equitum Dalmatarum Teutoburgium incolebat, quod est ad ripam Danubii: olim hic erat D saltus, Tacitus *Ann.* lib. I. cap. LXI. *Ductum*, inquit, *agmen ad ultimos Bructerorum: quantumque Amisiam, & Luppiam amnes inter, vastatum: haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiæ Vari legionumque insepultæ dicebantur.* Hæc ille. Eodem in loco alii sub hoc Duce, promoti nuncupati, excubabant, & legio sexta Herculea.

III. CVNEVS equitum Constantianorum Burgenæ manebat, à Constantio vel Constantia oppido sunt denominati. Burginatium in Germania ponit Itinerarium, ubi legio VI. Hic etiam erant equites Dalmatæ sub hoc Duce.

IV. CVNEVS equitum promotorum Cuccis stativa E habebat: apud Itinerarium *Cucci* legitur. Hic alii equites Sagittarii sub hoc Duce degebant.

V. CVNEVS equitum Constantium Aciminci morabatur: ita & Itinerarium. *Acumincium* vocat Ptolemæus, infra Cornacum, ad Danubii ripam, ubi legionem olim fuisse dicit. *Acimincum* est apud Marcellinum lib. XIX. cap. XI. Hic & alii equites Sagittarii sub hoc Duce residebant, de quibus infra.

VI. CVNEVS equitum Italicianorum Secundis; unde fortè Secundani milites, supra sub Comite Africæ.

I. EQVITES Dalmatæ Novis stativa habebant. Novæ sunt etiam non longè hinc in Mœsia prima & secunda sub ejus Ducibus in Oriente.

F II. EQVITES Dalmatæ Albano insidebant, qui est mons dividens Pannoniam ab Illyrico.

III. EQVITES promoti manebant apud Teutoburgium ultra Danubium in ejus ripa. Hunc locum etiam Cuneum equitum Dalmatarum, sub hoc Duce tutatum fuisse supra vidimus. Est secundum Danubium apud Ptolemæum.

IV. EQVI-

IV. EQUITES Dalmatæ Cornaro præerant, in ripa Savi non longè à Teutoburgio. Hic & Cuneus Scutariorum manebat sub hoc Duce.

V. EQUITES Sagittarii Cuccis præsidebant, ubi alius Cuneus equitum Promotorum sub hoc Duce morabatur.

VI. EQUITES Dalmatæ Bononiæ manebant, quam Ptolemæus in Pannonia inferiore collocat. Notitia Orientis in Dacia, ultra Danubium eam Marcellinus lib. XXXI. cap. XI. ponit, loquens enim de Valente: *Permeato*, inquit, *Danubio delatus Bononiam, Sirmium introiit.* Hæc ille. Fortè duo utriusque Imperii Duces hic propè castrametabantur, Constantinus Bononiæ ad Italicum scripsit, *l. 1. C. de privileg. dom. Aug.* Hic etiam cohors VI. Legionis VII. Joviæ sub eodem Duce residebat.

VII. EQUITES Dalmatæ Cusi residebant.

VIII. EQUITES Sagittarii Acimnici manebant. In hujus oppidi medio mansionem Itinerarium collocat. Hoc oppidum bis Notitia repræsentat. Quare id diversum est à superiore Aciminco; ubi Cuneus equitum Constantium sub hoc Duce morabatur, nisi idem bis dicamus per errorem repetitum.

IX. EQUITES Dalmatæ Ricti degebant, Ptolemæus legit *Rictu*, qui est locus propè Aciminicum, vulgò dicitur *Orsans*.

X. EQUITES Dalmatæ Burgenæ præerant. Hic etiam erat Legio V. Jovia, de qua infra, & Cuneus equitum Constantianorum sub hoc Duce.

XI. EQUITES Promoti Tauruno præsidebant, est propè Ritium, ubi Drinus in Savum confluit. Ptolemæus *Taurunum* appellat, Plinius *Albam Græcam*, vulgò *Belgradum* dicunt.

Hi sunt VI. Cunei & XI. Turmæ equitum, quæ in XII. munitionibus excubabant. Nunc sequuntur quinque ejusdem Ducis Auxilia.

ITEM AUXILIA.

I. AUXILIA Herculis ad Herculem excubabant, unde nomen habuerunt. Hæc & sequentia plura ejusdem nominis auxilia fuisse videntur. Erat & tertia legio, vel cohors cum Comite Illyrici, ad castrum Herculis. Equites Dalmatæ, sub Duce Valeriæ, & ipsi ad Herculem residebant. Fortè limites ad illum locum conjungebantur, vel erant diversa ejusdem nominis oppida. Jornandes castrum Herculis propè villam Ulpianam in Pannonia locat. Huc usque sub hoc Duce in Notitia depictæ præsidiorum munitiones reperiuntur, quæ sunt XVIII. Sequentium nulla oppida repræsentantur.

II. AUXILIA Novensia sive Arsaciana Novis, quod in hoc oppido residerent Novensia sunt dicta, quia verò ex oppido Arsacia sunt contracta, Arsaciana vocantur. Arsacia Ptolemæo, & Ammiano est urbs Mediæ, unde Arsacidæ.

III. AUXILIA Augustensia habitabant contra Bononiam in Barbarico, in castello Onagrino. Hæc ab Augusto nomen habent, in agroque Barbarorum, id est, hostili excubabant, quod *Barbaricum* vocabatur. Gratianus A. *in l. 2. C. de commer. & mercat.* *Si aurum*, inquit, *ad Barbaricum fuerit translatum à mercatoribus suppliciis subjugantur.* Lampridius in *Alexandro*: Expeditio Barbarica est nunciata. Valens A. *in l. 1. C. quæ res expor. non deb.* *Ad Barbaricum transferendi vini, olei, & liquaminis nullam quisquam habeat facultatem.* Castellum verò Onagrinum situm erat è regione Bononiæ, ab asinis agrestibus, quibus abundabat, vocatum. Ibidem degebat legio V. Jovia, & VI. Herculea, de qua infra.

IV. AUXILIA Præsidentia in castris Herculis, à Præsidio oppido, unde extracta, nomen habent: sunt autem plura oppida Præsidia nuncupata, in Sardinia, Hispania, & alibi. Castra Herculis civitatem à Juliano Apostata in Germania occupatam Marcellinus scribit, lib. XVIII. cap. II.

V. AUXILIA Ascarii præfecta Tauruno sive Marsonia; forte legendum *Ascanii*, qui sunt populi Ponti, propè Ascanium flumen, & Ascaniam paludem. Nomen hoc erat Auxiliariorum. *Marsoviam* pro Marsonia Ptolemæus in Pannonia inferiore locat. Idem Dux, præter equites memoratos, & auxilia, etiam X. legionum Præfectos, & IV. cohortium Tribunos regebat, qui sequuntur.

ITEM PRÆFECTI.

I. PRÆFECTUS Legionis quintæ Joviæ cohortis quintæ partis superioris Bononiæ, ita à Diocletiano, qui se Jovem nominabat, est vocata; vel à Jovia civitate Valeriæ, quæ & ipsa ab illo nomen habuit. Hic Præfectus legionis vocabatur, etsi non amplius quàm uni cohorti, id est, quintæ imperaret. Præerat verò superiori parti Bononiæ, ubi etiam equites Dalmatæ stativa habuisse diximus.

II. PRÆFECTUS cohortis quintæ legionis sextæ Herculeæ, à Maximiniano, qui Herculem se faciebat, denominatæ. Hæc superiorem partem Aurei montis tuebatur, quod erat oppidum Mœsiæ primæ, ubi utriusque Imperii Duces ad fines prope castra habuisse videntur. Divisa hæc legio Noviodunì, & Teutoburgi castrametabatur.

III. PRÆFECTUS Legionis quintæ Joviæ Burgenis degebat, supra Burgenam: ibi etiam equites Dalmatæ, & Cuneus equitum Constantianorum morabantur. Hujus legionis quinta cohors, in superiori parte Bononiæ excubabat: partem hujus legionis hic Præfectus regebat, aliam alius.

IV. PRÆFECTUS Legionis sextæ Herculeæ Teutoburgio præerat, ubi Cuneum equitum Dalmatarum fuisse vidimus, & equites Promotos sub hoc Duce. Hujus legionis quinta cohors degebat in Aureo monte.

V. PRÆFECTUS Legionis quintæ Joviæ sextæ Herculeæ in castello Onagrino, ubi etiam erant auxilia Augustensia. Hic duæ legiones congeruntur, Jovia & Herculea, quas diversos Præfectos habuisse vidimus, unde corruptum codicem esse puto, & pro Herculeæ substituendum *cohortis*. Aut duos legionum Præfectos cum earum partibus eidem loco præfuisse oportet, quod rarò legitur.

VI. PRÆFECTUS Militum Calcariensium Sirmii stativa habebat. *Calcaria* Itinerario est locus inter Massiliam, & Fossam Marconam: est etiam oppidum in Britannia.

Sirmium est civitas Probi Imp. natalibus nobilis, vulgò *Simads* dicitur, est prope Tarsium inter Rimum & Cornacum apud Danubium. Pæonum civitatem esse Stephanus scribit, aliquot Jura ibi scripta extant, *l. 15. cum 5. ll. seqq. & l. 27. C. de jure dot. l. 7. C. de jure fisci.* Sequentibus etiam IIII. Classibus hic Dux imperabat, quibus infrascripti præerant.

VII. PRÆFECTUS Classis primæ Flaviæ Augustæ Sirmii stationem habebat. Strabo lib. VII. scribit, Augustum Cæsarem in bello contra Dacos suscepto, duas in Savo Classes instruxisse, alteram ad Segestam, ad Sirmium alteram. Posteriores verò Principes Classes quatuor in Danubio tenuerunt, quæ fuere Flavia Augusta, fortè à Flavio Vespasiano, aut Constantino cognominata, quæ apud Sirmium manebat, ubi etiam ala Jormiensis degebat. Aliæ tres in Danubio Classes cum suis Præfectis sequuntur.

VIII. PRÆFECTUS Classis secundæ Flaviæ ad Grajum residebat. *Grajam* alii appellant.

IX. PRÆ-

IX. PRÆFECTVS Classis Istricæ Mursæ applicabat, urbs est secundum Danubium, ubi Constantinus quandoque Jura condidit, *l. 46. C. Th. de decurionib.* ita etiam Itinerarium appellat, Coloniam Ptolemæus facit, aliàs Musia Colonia, nunc *Mutrovuza* dicitur. Est secundum ripam Dravæ Istrum influentis. *Istrica* verò Classis vocatur, quia per Istrum navigabat. Tribunum cohortis, & alam equitum classibus Notitia hic interserit, ego infra aptius locandos censui.

X. PRÆFECTVS Classis primæ Pannoniæ servitii Classis Ægetensium, sive secundæ Pannoniæ, nunc Sisciæ stationem habet. Supra sub Comite largitionum à Procuratore monetas Sisciæ percussas fuisse vidimus. Urbs est non longè à Savo, in quo hæc Classis navigabat, in superiore Pannonia, ut tamen deserviret Ægetensium Classi, sive secundæ Pannoniæ. Ægetenses credo accolas Savi fuisse, de quibus Itinerarium. Fortè est, quam Ptolemæus mendosè *Etetam*, pro Ægeta vocat.

ALA SIRMIENSIS quæ Sirmii morabatur infra post sequentem Tribunum ponitur, sed ne Tribunis intermisceretur hìc aptius locandam censuimus. Tribunis etiam IIII. sequentibus idem Dux præerat, qui sunt.

I. TRIBVNVS cohortis tertiæ Alpinorum Dardanorum: hi sunt populi Mœsiæ superiori contigui secundum Orosium & Volaterranum, nunc *Serviam* & *Rasciam* appellant, ex quorum Alpibus extracta est hæc cohors. Eidem Duci suberat ALA Sirmiensis Sirmii, à loco ubi residebat, appellata, hìc ponitur, quæ supra ante hunc Tribunum magis congruè visa est locari. Cohortis Alpinorum Antoninus A. meminit *in l. 1. C. de vestit. milit.*

II. TRIBVNVS cohortis tertiæ Alpinorum degebat Sisciæ, quæ est propè Albanum montem, & ideo cohors Alpina vocatur.

III. TRIBVNVS cohortis primæ Joviæ Leonatæ morabatur, quæ Saviæ urbs est Itinerario, ubi hæc cohors degebat.

IV. TRIBVNVS cohortis primæ Thracum civium Romanorum caput Basensis: fortè legendum *Bassinensis*, siquidem Bassina est oppidum Pannoniæ inferioris, Ptolemæo apud Tarlium, vulgo *Bachia* dictum. Vocabatur autem locus, ubi residebat hic Tribunus, *Caput Bassinensis*, sicut Caput Cellensis, fortè quòd ea loca in limitibus Saviæ essent præcipua. Hæc cohors erat ex colonia civium Romanorum, quemadmodum Apulejenses in Dacia, quorum cohors Apuleja civium Romanorum sub Duce Armeniæ merebat. Plinius in Thracia quatuor nominat Colonias, Philippos, Fluviopolim, ubi antea Zeta fuit, Apros, & Parium, ex quarum aliqua hæc cohors Thracum fortè est extracta. Hujus Ducis erant præsidia XXVI. Equitum Cunei VI. Ala I. Turmæ XI. Peditum Auxilia V. Legiones III. in VI. præfecturas divisæ, Tribunatus IIII. Erant equitum fermè M. DCCC. peditum quinque millia, & Classes IV. Nunc ad Ducem Valeriæ veniemus.

NOTITIA.

DVX PROVINCIÆ

VALERIÆ, ET EJVS INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Provinciæ Valeriæ Ripensis.

Cuneus equitum Scutariorum, Solvæ.
Cuneus equitum Dalmatarum, Intercisæ.
Cuneus equitum Constantianorum, Lussonio, nunc Intercisa.
Cuneus equitum Stablesianorum, Ripa alta, nunc Conradeuza.
Cuneus equitum Fortensium, Altino.
Equites Dalmatæ, Odiabo.
Equites Promoti, Crumero.
Equites Mauri, Solvæ.
Equites Dalmatæ, ad Herculem.
Equites Dalmatæ, Cirpi.
Equites Dalmatæ, Constantiæ.
Equites Dalmatæ, Camponæ.
Equites Promoti, Matricæ.
Equites Dalmatæ, Vetussalinæ.
Equites Sagittarii, Intercisæ.
Equites Dalmatæ, ad Nammantia.
Equites Dalmatæ, Lussonio.
Equites Dalmatæ, Ripa alta.
Equites Dalmatæ, ad Statuas.
Equites Dalmatæ, Florentiæ.
Equites Sagittarii, Altino, nunc in Burgo contra Florentiam.
Equites Flavianenses, ad Militare.
Auxilia Herculensia, ad Herculem.
Auxilia Vrsarensia, pone Navata, nunc ad Statuas.
Auxilia Vigilum, contra Acinco trans in Barbarico.
Auxilia Fortensia, Cirpi.
Auxilia Insidiatorum, Cardabianca.
Præfectus Legionis primæ adjutricis cohortis quintæ partis superioris, Bregetione.
Præfectus Legionis secundæ adjutricis cohortis partis superioris, Alisca.
Præfectus Legionis secundæ adjutricis partis inferioris, Florentiæ.
Præfectus Legionis secundæ adjutricis tertiæ partis superioris, Acinco.
Præfectus Legionis secundæ adjutricis, in castello contra Tautantum.
Præfectus mil. secundæ adjutricis, Cirpi.
Præfectus Legionis secundæ adjutricis, Lussonio.
Præfectus Classis Histricæ, Florentiæ.
Tribunus cohortis, Vincentiæ.
Tribunus cohortis, Quadriborgio.
Tribunus cohortis, Joviæ.
Tribunus cohortis, ad Borgum Centenarium.
Tribunus cohortis, Alescæ.
Tribunus cohortis, Marinanæ.

A Præfectus Legionis, Transacinco.
Officium autem habet idem vir spectabilis Dux hoc modo:
Principem de eodem corpore.
Numerarium.
Commentariensem.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

B

CAP. LXXX.

DE DVCE VALERIAE RIPENSIS.

COMMENTARIVM.

DVPLEX est Valeria, altera in Italia apud Abrutios, altera Pannoniæ, de qua Ruffus ita scribit: *Marcomanni & Quadi de locis Valeriæ, quæ sunt inter Danubium, & Dravum, pulsi à Tiberio sunt, & limes ab Augusto inter Romanos, & Barbaros,* C *per Vindelicam, Noricum, Pannoniam, & Mœsiam est constitutus.* Idem Jornandes. Hanc partem hodie Croatiam aliqui esse volunt. Æneas Sylvius in *Europa* c. I. in princ. Stiriam esse autumat. Valeriam à Valeria Diocletiani filia, Galerio Cæsari nupta, dictam fuisse Marcellinus lib. XIX. cap. XI. tradit. Huic limitaneus Dux præerat, vir spectabilis, qui sub Valentiniano primo fuit Marcellianus Maximini P.P. filius, Ammianus lib. XXIX. cap. VI. Eadem quæ & alii Duces gestabat insignia, cum *typo* XX. *castrorum.* XV. etiam alia tuebatur, quorum nulla extat imago.

Officium habebat ut alii, nempè Principem de D eodem corpore, Numerarium, & alios. Quinque equitum Cuneos regebat, XVII. alas aut turmas, quina auxilia, novem Præfectos, & sex Tribunos, & erant sequentes:

I. CVNEVS equitum Scutariorum Solvæ habitantium, aliàs *Sola.* Solvense oppidum in Norico collocat Plinius lib. III. c. XXIV. propè Claudiam fluvium: Itinerarium habet *Salva mansio*, ibi enim erant animalia cursus publici cum hospitio. Hic etiam erant Mauri equites, de quibus infra.

II. CVNEVS equitum Dalmatarum Intercisæ stativa habebat. Hujus, & sequentium, meminit Itinerarium, quod Intercisam in Pannonia inferiore E locat.

III. CVNEVS equitum Constantianorum, olim Lussonio, nunc Intercisæ præest. Hic Cuneus equitum Lussonio Intercisam translatus fuit. Est autem Lussonium Ptolemæo in Pannonia inferiore. Hic etiam erant Dalmatæ proximè nominati equites, & alii.

IV. CVNEVS equitum Stablesianorum in Ripa alta degebat, nunc Conradeuzam est tanslatus. Equites etiam Dalmatæ sub hoc Duce Ripam altam tenuerunt, ut infra dicetur.

V. CVNEVS equitum Fortensium Altino insidebat: oppidum est in Foro Julii hujus nominis. Sed F hic aliud intelligit, quod erat in Valeria. Hoc fortè est Altinum ubi Valentinianus & Valens, defuncto Joviano degentes, plura Jura mense Octobri condiderunt, *l. 1. C. ut armor. usus insci. Princ. l. 1. & 2. C. Th. quib. equor. usus concess. l. 7. C. T. de pœnis.*

I. EQVITES Dalmatæ Odiabo loco Valeriæ præerant.

II. EQVITES Promoti Crumero præsidebant. Crumerum ad Savum in Pannonia inferiori Itinerarium locat, ubi etiam legio prima adjutrix manebat, cujus Jura meminerunt, *l. ult. C. de castr. pecul. l. ult. C. de appar. præfect. prat.*

III. EQVITES Mauri Solvæ, ubi etiam Cuneus equitum Scutariorum degebat, de quibus supra.

IV. EQVITES Dalmatæ ad Herculem. Viginti nomine Herculis urbes Stephanus recenset, quarum una erat in Thessalia, aliam in Pannonia inferiore supra posuit Notitia, ubi sub ejus Duce degebant auxilia, ab eo loco Herculis appellata.

V. EQVITES Dalmatæ Cirpi stativa habebant. Cirpi castra io Pannonia locat Itinerarium, fortè Carpi, quod oppidum apud Istrum Ammianus, & Ptolemæus ponunt, à Diocletiano subactum Eutropius scribit: ejus etiam Capitolinus in *Balbino*, & Vopiscus in *Aureliano*, meminerunt. Hic erant & Auxilia Fortensia sub hoc Duce.

VI. EQVITES Dalmatæ Constantiæ manebant; à Constantio id oppidum est nominatum.

VII. EQVITES Dalmatæ Camponæ stativa habebant: *Camponiam* vocat Itinerarium; *Campona*, inquit, *in medio è Quinquo leg.* II. Legionem secundam adjutricem honc locum tutatam, & Camponiam in medio itinere, à Quioquo discedentibus fuisse significat.

VIII. EQVITES Promoti Matricæ morabantur: ita & Itinerarium.

IX. EQVITES Dalmatæ Vetussalinæ excubabant. Aliter Itinerarium: *Vetussalinas*, inquit, *in medio a Matrica*, scilicet itinere. Disjungenda ergo est hæc dictio, & legendum *Vetus Salina.*

X. EQVITES Sagittarii Intercisæ residebant, de qua supra; ibi erat alius Cuneus Equitum Dalmatarum sub hoc Duce.

XI. EQVITES Dalmatæ ad Nammantia, scilicet castra habitabant.

XII. EQVITES Dalmatæ Lussonio: hinc Cuneus equitum Constantianorum sub hoc Duce Intercisam est translatus, & fortè eorum loco hi sunt substituti. Legionis secundæ adjutricis pars sub eodem Duce hîc excubabat.

XIII. EQVITES Dalmatæ Ripam altam loco Cunei Stablesianorum tenuerunt, quos inde Contradeuzam transmissos fuisse supra sub hoc Duce vidimus. De Ripa alta, loco ad Statuas, & Alisca, ita apud Itinerarium scriptum reperitur: *Ad Statuas, in medio Alisca, ad latus Ripa alta. Deinde, ad muros & ad statuas, in medio ad Robona.*

XIV. EQVITES Dalmatæ ad Statuas degebant, locos ita vocabatur, quòd fortè ibi aliquæ statuæ essent, de quibus supra.

XV. EQVITES Dalmatæ Florentiæ morabantur. Diversa est à Florentia Italiæ; unde Valentinianus ad Maximinum Tusciæ Correctorem scribit, *l.* 8. *C. T. de accusat.* Hic etiam pars legionis adjutricis sub hoc Duce excubabat. Hucusque Notitia hujus Ducis munitiones aliis omissis depingit, quòd fortè charta omnibus describendis non sufficeret, vel quòd hæc ad insignia hujus Ducis satis esse crediderit.

XVI. EQVITES Sagittarii Altino præsidebant: nunc sunt in Borgo contra Florentiam, id est, ex adverso seu è regione Florentiæ, sed antea Altini esse consueverant.

XVII. EQVITES Flavianenses ad Militare, ita locus vocabatur. Hæ sunt turmæ equitum: Auxilia sequuntur, quæ non singula, sed plura ejusdem nominis simul juncta erant.

I. AVXILIA Herculensia ad Herculem, ubi etiam equites Dalmatæ sub hoc Duce excubabant, & alia Auxilia sub Duce Pannoniæ secundæ. In Itinerario legitur, *ad Herculem castra*, credo illa esse quæ castra Herculis sub Duce Pannoniæ secundæ appellantur.

II. AVXILIA Vrsarensia pone Navata, nunc ad Statuas. Vrso est oppidum Hispaniæ Plinio, & Vrsentini populi Lusitaniæ, unde hæc Auxilia desumpta erant, quæ antea degebant ad locum Navata dictum, nunc ad Statuas sunt translata, de quibus supra sub hoc Duce. Vetustus codex legit, *pone Vata.*

III. AVXILIA Vigilum contra Acinco, vel è regione Acinci degebant trans in Barbarico, scilicet trans Istrum fluvium in solo Barbarorum & hostili. Est autem Acincum oppidum Illyrici ad Danubium, Marcellinus lib. XXX. cap. V. *Valentinianus*, inquit, *Acincum prope castra commovit: navigiisque ad repentinum casum conjunctis, & contabulato celeri studio ponte, per partem aliam transiit in Quados.* & subdit eum ibi moratum per Autumnum. Hinc Acincenses milites, qui sub Magistro equitum per Gallias merebant. Acinci erat fabrica Scutaria, ut in Magistro officiorum est visum. Sub hoc Duce erat & cohors tertia legionis secundæ adjutricis in superiori Acinci parte. Vetus codex habet *Acincotras*, infra reperitur, *trans Acinco.*

IV. AVXILIA Fortensia Cirpi manebant, ubi etiam equites Dalmatæ sub hoc Duce, & pars legionis secundæ adjutricis, de qua infra. Itinerarium, *Cirpi*, inquit, *mansio seu locus publici cursus.*

V. AVXILIA Insidiatorum Cardabiancam incolebant. fortè legendum *Cannabiaco*, qui est locus Pannoniæ primæ ubi etiam cohors excubabat. *Insidiatores* verò, quòd insidias clam hostibus tenderent, sunt dicti. ἐνέδρους Constantinus Porphyrogenneta appellat *de Thematibus*. Hæc erant sub Duce Valeriæ Auxilia.

Sequuntur Præfecti X. Legionum, aut earum cohortium.

I. PRÆFECTVS Legionis primæ adjutricis cohortis quintæ partis superioris Bregetione. ita etiam Itinerarium, & Aurelius Victor. *Bregetium* vocat Ptolemaeus, *Bregetionem* Ammianus, Paulus Diacoous *Brigionem*: *Valentinianus*, inquit, *anno Imperii sui* XI. *dum apud Brigionem oppidum Quadorum legationi respondet, anno ejus* LV. *subita effusione sanguinis, qua Græcè ἀποπληξία vocatur, voce amissa, sensu integer expiravit.* Id Ptolemæus in Pannonia superiore cum legione prima adjutrice collocat, quam interpres *auxiliariam vertit*, sed Notitiæ tempore tantum cohors quinta ipsius legionis hîc manebat.

PRÆFECTI appellabantur, qui toti, aut parti legionis præerant, qui cohortem regebant TRIBVNI. Hîc verò Præfectus vocatur tanquam legionis partem regeret, etsi verè non nisi quintæ legionis cohorti imperabat. Hanc legionem ab Othone Cæsare institutam fuisse Tacitus lib. I. *Hist.* memorat. fortè adjutrix est dicta, quod alteri, ut illi opem ferret, sit adjuncta, hujus legionis meminit & Theodosius, *in l. fi. C. de castr. pecul. & l. ult. C. de apparitor. P. P.* in Jure civili.

II. PRÆFECTVS Legionis secundæ adjutricis cohortis partis superioris. In codice impresso deest nomen oppidi, sed ex manuscripto reponendum est, *Alisca*. In cujus soperiore parte una cohors hujus legionis excubabat, cujus etiam numerus deest, sicut & sequentis. Hic locus infra repetitur Ejus meminit & Itinerarium. Hujus legionis Tribunus fuit Hadrianus, qui postea imperavit, ut auctor est Spartianus, ejusque mentionem Antoninus Caracalla facit, *l.* I. *C. de professor. & medic.*

III. PRÆFECTVS Legionis ſecundæ adjutricis partis inferioris Florentiæ: hic pars legionis degebat, quam ex præcedentibus, ſequentibuſque per varia loca diſperſam fuiſſe apparet. fortè cohortis hic locandæ nomen, & numerus deſideratur. Eodem in loco degebant & equites Dalmatæ ſub hoc Duce.

IV. PRÆFECTVS Legionis ſecundæ adjutricis tertiæ partis ſuperioris Acinco præerat, & hic fortè deeſt dictio, *cohortis*, quia hic erat Præfectus tertiæ cohortis, ſecundæ legionis adjutricis, ſicut alius ſupra quintæ cohortis, primæ adjutricis, hic in ſuperiori parte Acinci morabatur, ubi erant & Auxilia vigilum, & equites Dalmatæ ſub hoc Duce. Itinerarium quater Acinci meminit. Marcellinus loco ſupra cit. hoc oppidum ad ripam Hiſtri locat.

V. PRÆFECTVS Legionis ſecundæ adjutricis in Caſtello contra Tautantum: & hic arbitror vocem *cohortis* deeſſe, io ſex enim præſidia hæc legio diviſa reperitur. Pro Tautanto, fortè legendum *Taurunum*, quod eſt Ptolemæo ſecundum Savum.

VI. PRÆFECTVS militum ſecundæ adjutricis Cirpi excubabat. & hic aliquid deſideratur, qui non exprimitur, quot hic eſſent milites, nec cujus cohortis. Hunc locum etiam Auxilia Fortenlia, & equites Dalmatæ ſub hoc Duce tuebantur.

VII. PRÆFECTVS Legioois ſecundæ adjutricis Luſſonio præerat, ubi etiam equites Dalmatæ reſidebant. Hic quoque *cohortis* nomen omiſſum fuiſſe cenſeo.

VIII. PRÆFECTVS Claſſis Hiſtricæ Florentiæ navigabat per Hiſtrum, & Floreotiæ degebat. Io Notitia hic Tribuni commiſcentur Præfectis; ſed ad evitandam confuſiooem eos ſeparatim expediam.

IX. PRÆFECTVS Legionis trans Acinco, id eſt, ultra Acincum caſtrametabatur, quod trans Iſtrum in Barbarico eſſe vidimus. hic & *legionis* nomen deſideratur; & fortè *cohortis*. Hunc Præfectum Notitia poſt Tribunos ab aliis Præfectis disjunctum locat, nos aliis Præfectis commodius adjungendum cenſuimus. Hi legionum Præfectorum titulum ferebant, etſi ſolam legionis cohortem regerent.

Sequuntur cohortium Tribuni.

I. TRIBVNVS cohortis Vincentiæ reſidebat. *cohortis* nomen deſideratur. Vincentiæ aliquot Jura condita fuere, *l. 12. C. de juris, & fact. igno.* neſcio an Vincentiæ Valeriæ vel Venetiæ in Italia.

II. TRIBVNVS cohortis Quadriburgio præerat: ita vocatur oppidum, quod quatuor burgis conſtabat. *Quadriburgium* in Germania inferiore Ammianus ponit lib. XVIII. cap. II. neque hic *cohortis* nomen exprimitur.

III. TRIBVNVS cohortis, Joviæ ſtativa habebat, quæ erat civitas Valeriæ, à Diocletiano, qui ſe Jovem nuncupabat, appellata. quæ cohors hæc fuerit non ſcribitur.

IV. TRIBVNVS cohortis ad Borgum Centenarium: fortè legendum *Burgum centenarium*. Eſt enim burgum, vicus aut caſtrum, *l. 2. §. 1. C. de of. P. P. Afric.* Centenarius autem fortè vocatus eſt, à centum militibus ibi morantibus. Nam *Centenarii* vocabantur centum militibus Præfecti, ait Vegetius lib. II. cap. XIII. & Modeſtinus in lib. *de vocab. re militar.* Neque hujus *cohortis* nomen apparet.

V. TRIBVNVS cohortis, Aleſcæ excubabat, ubi etiam Præfectus legionis ſecundæ adjutricis ſub eodem Duce morabatur. Hujus quoque *cohortis* nomen deſideratur.

VI. TRIBVNVS cohortis, Marinanæ excubabat, locus erat Valeriæ, de quo Itinerarium; *cohortis* nomen deeſt, ut & ſuperiorum. Hi ſunt Præfecti præſidiorum Ducis Valeriæ, io qua erant præſidia XXXV. equitum Cunei VI. Turmæ XVII. Auxilia peditum V. Legiones III. quarum una in VI. Præfecturas ſcindebatur, & omnes erant VIII. Præfecturæ, ſingulæ fortè millenos pedites continentes. Cohortes VI. Claſſis I. credo fuiſſe minimum equitum duo millia, peditum ſex mil. Sequitur Dux Pannoniæ primæ.

NOTITIA.

DUX PANNONIÆ PRIMAE, ET EJUS INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Pannoniæ primæ, & Norici Ripensis.

Cuneus equitum Dalmatarum, Flexo.
Cuneus equitum Stablesianorum, Arrabonæ.
Equites promoti, Arrabonæ.
Equites Sagittarii, Quadriburgio.
Equites Dalmatæ, ala Nova.
Equites Dalmatæ, Æquinoctiæ.
Equites Dalmatæ, ad Herculem.
Equites Sagittarii, Gerolatæ.
Equites promoti, Flexo.
Equites Mauri, Quadrato.
Tribunus gentis Marcomannorum.
Præfectus Legionis decimæ, Vindomanæ.
Præfectus Legionis quartæ decimæ Geminæ militum Liburnariorum cohortis partis superioris, Carnunto.
Præfectus Legionis decimæ, & quartæ decimæ Geminatæ militum Liburnariorum, Arrabonæ.
A Præfectus Classis Histricæ, Carnunto, sive Vindomanæ à Carnunto translatæ.
Tribunus Cohortis, Arrianis.
Tribunus Cohortis Caratensis.
Equites promoti, ad Mauros.
Equites Sagittarii, Lentiæ.
Equites Sagittarii, Laeufelicis.
Equites Dalmatæ, Ariape.
Equites Dalmatæ, Augustianis.
B Equites promoti, Comagenis.
Præfectus secundæ Italicæ militum Liburnariorum, Joviaco.
Præf. Legionis Italicæ partis inferioris, Lentiæ.
Præfectus Legionis secundæ, Lauriaco.
Præfectus Legionis primæ Noricorum militum Liburnariorum Cohortis quintæ partis, ad Juvense.
C Præfectus Legionis Liburnariorum primorum Noricorum, Fasianæ.
Præfectus Classis Arlapensis & Maginensis.
Præfectus Classis Lauriacensis,
Tribunus Cohortis, Bojodoro.
Tribunus Cohortis, Austuris.

Tribu-

Tribunus Cohortis, Cannabiaca.
Officium autem habet idem vir ſpectabilis
Dux hoc modo:
Principem de eodem corpore.
Numerarium.
Commentarienſem.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. LXXXI.

DE DVCE PANNONIAE PRIMAE ET NORICI RIPENSIS.

COMMENTARIUM.

DVAS Pannonias Ptolemæus ponit, ſuperiorem ſeu primam, & inferiorem ſive ſecundam, de qua ſupra dictum fuit. Prima terminatur ab Occaſu monte Cetio: à Meridie parte Iſtriæ & Illyridis: à Septentrione Danubio: ab Ortu Pannonia inferiore. Nunc *Auſtria* dicitur. Noricum autem eſt ſecundum Danubium: ab Occaſu Oenum fluvium: à Meridie Æmum montem habet: ab Ortu Cetium: à Septentrione Danubium, vulgò *Bavariam* vocant. aliqui addunt Stiriam Carinthiamque. His regionibus præerat Dux, qui aliorum Ducum habebat inſignia, ſcilicet *librum purpureo tegumento* notis inſcriptum, cum codicillis magiſtratus, & *typo caſtrorum decem*: Idemque quod alii Duces officium tenebat, videlicet Principem officii de eodem corpore, Numerarium, & alios Officiales. Præſidia habebat XXVII. quorum decem tantùm repræſentantur. Equitum Cuneos duos, Turmas XIV. Cohortes VI. Legiones IV. Claſſes IV. efficere poterant equites MD. peditum ſeptem mill. quos Hunnis opponere oportuit. Equites erant ſequentes:

I. CVNEVS equitum Dalmatarum Flexo præſidebat. Ptolemæi Interpres ſcribit *Phlexum*, ubi ponit legionem Germanicam XIII. Itinerarium *Flexum* vocat. eſt ſecundùm ripam Danubii citra.

II. CVNEVS equitum Stableſianorum Arrabonæ manebat. Hujus loci meminit Itinerarium. Ab Arrabone fluvio eſt dictus. *Narabo* eſt apud Ptolemæum.

I. EQVITES Promoti in eodem Arrabonæ loco excubabant.

II. EQVITES Sagittarii Quadriburgio præerant, ubi etiam Dux Valeriæ cohortem habebat.

III. EQVITES Dalmatæ Alam Novam incolebant, nomen Oppidi in Notitia & Itinerario: non autem intelligendum eſt, hos Equites Alam novam fuiſſe, quia hujus nominis oppidum hic repræſentatur.

IV. EQVITES Dalmatæ Æquinoctiæ præerant: in Itinerario legitur *Æquinoctio*: *Ala nova*, inquit, *in medio Vindebona*, *Legio X. Gemina* Hactenus Itinerarium. Hanc legionem Notitia Arrabonæ locat.

V. EQVITES Dalmatæ ad Herculem: *Herculeam* vocat Itinerarium. Hoc in loco & Dux Pannoniæ ſecundæ auxilia habebat, & Dux Valeriæ alios equites: Vterque enim ad ſui limitis fines caſtra juncta habebat, non longè ab hoc oppido, & ideo ſemper ſcriptum eſt ad Herculem, id eſt, propè Herculem eos caſtrametatos fuiſſe.

VI. EQVITES Sagittarii Gerolatæ degebant. *Gerulatam* vocat Itinerarium: *Vbi*, inquit, *legio* XIV. GG. id eſt, Gemina, quam Notitia Carnunti locat.

VII. EQVITES Promoti Flexo præerant, ubi idem Dux cuneum equitum habebat: In Itinerario legitur, *Quadratis in medio Flexo*.

VIII. EQVITES Mauri Quadrato præſidebant. *Quadrata* legit Itinerarium, ubi hi equites ex Mauritania contracti morabantur.

I. TRIBVNVS gentis Marcomannorum, quos nunc *Moravios* vocant, ſub eodem Duce merebat: ſed deeſt nomen loci ubi reſidebat, unde aliquid deſiderari oportet. Hic Tribunus etiam ab aliis eſt ſejunctus. Sequuntur enim Præfecti legionum & claſſium, quibus alii Tribuni & equites intermiſcentur, prout in limitibus, ut puto, reperiebantur diſpoſiti.

I. PRÆFECTVS legionis decimæ Vindomanæ præerat. *Vindomanam* vetus codex: *Vindomonam* Itinerarium appellat. Aurelius Victor *Vendobonam*, & oppidi inſcriptio vocat. Vulgo *Viennam* eſſe putant. Dion lib. LV. auctor eſt legionem decimam Geminam eſſe cognominatam, quod ex duobus connexis, & confuſis exercitibus conflata eſſet, & in ſuperiore Pannonia, quam Pæoniam vocat, locatam. Ptolemæus verò legionem decimam Germanicam nuncupat, apud quem fortè legendum Geminam.

II. PRÆFECTVS legionis quartædecimæ Geminæ militum Liburnariorum cohortis in parte ſuperiori Carnunti ſtativa habebat, ita etiam appellat Itinerarium, Ptolemæus Carnus. Carnuti meminit Paterculus, Ammianus, Plinius lib. XXXVII. cap. III. Paulus Diaconus, *Carnuntum*, inquit, *corruptè Carantanum vocant*, *unde nummus Carantanus*: Ptolemæus legionem XIV. Germanicam in Pannonia ſuperiore ſtatuit, & Dion qui lib. cit. eam duplicem, id eſt, geminam nominat. Pars hujus legionis, & aliquot ſequentis X. cohortes ex Liburnariis militibus conſtabant, unam titulo Præfecti legionis XIV. hic Præfectus regebat: Ipſa verò quòd eſſet ex Liburnia contracta, *Liburnaria* eſt nominata, aut à Liburna, civitate Italiæ, ubi primum liburnas inventas, & à loco nominatas fuiſſe Zoſimus lib. V. cap. XX. ſcribit, vel fortè quòd in liburnis triremibus pugnare conſuevissent. Cum enim Auguſtus liburnarum præcipue auxilio M. Antonium ſuperaſſet, ad earum ſimilitudinem plures triremes fabricavit. Liburnas D. Hieronymus *in* XI. *Daniel.* & Vegetius lib. V. cap. III. & VII. naves longas vocant: quarum forma in libro *de rebus bellicis* huic Notitiæ adjecto, oſtenditur, quam tamen ab antiquis diverſam eſſe puto.

III. PRÆFECTVS Liburnariorum militum Legionis X. & XIV. Geminatæ, ſeu Geminæ, manebat Arrabonæ, ubi etiam equites Promoti ſub hoc Duce degebant. Superior Præfectus cohortem tantum Liburnariorum legionis XIV. regebat. Hic reliquos ejuſdem legionis Liburnarios, & alios legionis X. item Liburnarios dictos, qui circa Arrabonam caſtrametabantur. Hic ergo militibus ex duabus legionibus extractis velut uni cohorti imperabat: legiones enim hoc tempore in præfecturas, quæ ex mille aut D. militibus conſtabant, diviſas fuiſſe Conſtantinus Porphyrogenneta ſcribit *de Thematibus*. Ego Præfecturas mille peditum, Tribunatus D. fuiſſe puto. Itinerarium Geminas oppidum ponit in Hiſpania, ſed inde hanc legionem non derivo.

IV. PRÆFECTVS Claſſis Hiſtricæ Carnunto ſive Vindomanæ Carnunto tranſlatæ præſidebat. Cùm enim prius Carnunti ſtationem haberet, poſtea Vindoma-

domanæ resedit. Carnuntum Illyriorum erat oppidum. Marcellinus lib. xxx. cap. v. *Exinde*, inquit, *cùm Carnuntum Illyriorum oppidum* Valentinianus *introisset, desertum quidem nunc, & squalens, sed ductori exercitus perquam opportunum ...... è statione proxima reprimebat Barbaricos appetitus.* Hæc ille. Ibi Diocletianus deposito Imperio mansit. Zosimus lib. II. cap. x. *Maximianus*, ait, *ad Diocletianum, id temporis Carnunti (oppidum id Celticum est) degentem, venit, eique persuadere nititur, ut Imperium resumat.* Hactenus Zosimus. Ibi etiam tribus mensibus æstivis Valentinianus moratus pridie Id. Augusti legem ad Laodicium Sardiniæ Præsidem, *l. 12. C. The. de accusat.* scribit. Nunc ad alios Tribunos, & Equites transeamus.

II. TRIBVNVS cohortis Arrianis stativa habebat. locus est Pannoniæ superioris ab Arrianis hæreticis derivans: nomen cohortis non legitur.

III. TRIBVNVS cohortis, Caratensis, à loco unde sumpta, nomen est sortita. Catarianenses leguntur sub Comite Illyrici Occidentalis. Locus ubi resideret hæc cohors desideratur.

IX. EQVITES Promoti ad Mauros scilicet morabantur. Norici oppidum est: *ad Muros* apud Itinerarium legitur.

X. EQVITES Sagittarii Lentiæ degebant. *Lentudum* appellat Ptolemæus. *Loncium* Itinerarium, vulgò *Lenz*: vetus codex legit, *Lantia*. In parte inferiori hujus loci erat legio Italica sub hoc Duce.

XI. EQVITES Sagittarii Lacufelicis manebant: *Lacofelice* vocat Itinerarium: alio in loco *Lacofelicu*.

XII. EQVITES Dalmatæ excubabant Arlapæ, ita & Itinerarium. Hic etiam degebat Classis sub hoc duce Arlapensis nuncupata.

XIII. EQVITES Dalmatæ Augustianis scilicet castris præsidebant. Itinerarium habet *eAugustis Noricæ*, ubi hodie Aurifodinæ. Augustam Vindelicorum intelligit in Retia, ubi etiam equites Stablesiani castrametabantur: *Augustanis* videtur legendum pro Augustianis.

XIV. EQVITES Promoti stativa habebant Comageni: *Comagenum* habet Itinerarium, Norici oppidum, *ubi legio*, inquit, *decima Gemina*. Hic Notitia ab Equitibus ad Præfectos legionum revertitur.

V. PRÆFECTVS legionis secundæ Italicæ militum Liburnariorum Joviaco præerat. In Itinerario *Jovavicum* cum asterisco vocatur. Inter hujus legionis milites Liburnarii reperiebantur, & ideo appellat legionem Italicam Liburnariorum.

VI. PRÆFECTVS legionis Italicæ partis inferioris Lentiæ excubabat, ubi sub hoc Duce degebant & equites Sagittarii. Hæc legio inter hunc, & præcedentem Præfectum videtur fuisse divisa, ut & aliæ in plures Præfecturas erant dispertitæ.

VII. PRÆFECTVS legionis secundæ Lauriaci manebat, cujus Itinerarium meminit. Oppidum est ad ostia Anasi fluminis. Hæc legio nomen non habet, sed puto Italicam secundam fuisse, quæ in tria præsidia sub totidem Præfectis dividebatur, & legio secunda Italica militum Liburnariorum nuncupabatur. Classis quoque Lauriacensis sub hoc Duce hoc in loco residebat: & Lauriacensis legio Pseudo-Comitatensis. In Illyrico Lauriaci erat fabrica scutaria, in quo oppido Constantius quandoque Jura condidit, *ut l. 1. C. de tabul. scrin. logogr.*

VIII. PRÆFECTVS legionis primæ Noricorum militum Liburnariorum cohortis quintæ partis superioris ad Juvense stativa habuit. Hæc legio inter hunc & sequentem Præfectum erat divisa, iste titulo Præfecti tantum cohorti quintæ præerat, & in parte superiori prope Juvense excubabat: fortè legendum *Jovense*, ubi erat Gynæcium in Dalmatia. Vetus codex legit, *ad Juvense*.

IX. PRÆFECTVS legionis Liburnariorum primorum Noricorum Fasianæ manebat: vel Liburnis triremibus præerant hi milites, vel ex his constabant, qui ex Liburnia & Noricis populis erant delecti: sunt pars legionis præcedentis. Vetus codex pro Fasianæ habet *Fasiena*.

X. PRÆFECTVS Classis Arlapensis & Maginensis: Arlapæ etiam equites Dalmatæ sub hoc Duce degebant, ubi & hæc Classis stationem habebat, alia Maginis. Stephanus Magiam Illyrici civitatem esse tradit, & fortè legendum *Magiensis*, aut *Comagenensis*, Comagena enim erat urbs Pannoniæ, ubi sub hoc Duce equites Promoti merebant.

XI. PRÆFECTVS Classis Lauriacensis, quæ Lauriaci, de quo supra, stationem habebat: sunt hæc loca secundum Danubium. Nunc ad Tribunos Notitia revertitur.

IV. TRIBVNVS cohortis Bojodoro præerat: nomen hujus cohortis desideratur. *Bolodero* in Itinerario, *Bojodurum* est Ptolemæo, urbs Vindeliciæ ad ostium Oeni fluvii, ubi Danubio miscetur.

V. TRIBVNVS cohortis Austuris residebat, Mysiæ est oppidum: *Asutas* Stephanus vocat, & hîc cohortis nomen reticetur.

VI. TRIBVNVS cohortis Cannabiacæ manebat, fortè *Cardabianca*, ubi erant auxilia insidiatorum sub Duce Valeriæ. Neque hujus cohortis nomen apparet. fortè præcedenti legioni est adscribenda. Vnde multa desiderantur in Notitia. Sequitur Dux Retiæ.

NOTITIA.

DVX RETIÆ PRIMÆ ET SECVNDÆ, EJVSQVE INSIGNIA.

NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Comitis provinciæ Retiæ primæ & secundæ.

EQVITES Stablesiani seniores, Augustanis.
Equites Stablesiani juniores, Ponteœni, nunc Febianis.
Equites Stablesiani juniores, Submontorio.
Præfectus Legionis tertiæ Italicæ partis superioris, castra Regina, nunc Vallato.
Præfectus Legionis tertiæ Italicæ partis superioris deputatæ Ripæ primæ, Submontorio.
Præfectus Legionis tertiæ Italicæ pro parte media prætendentis à Vimania Cassiliacum usque, Cambiduno.
Præfectus militum Vrsariensium, Guntiæ.
Præfectus Legionis tertiæ Italicæ transvectioni specierum deputatæ, Fœtibus.
Præfectus Legionis tertiæ Italicæ transvectioni specierum deputatæ, Teriolis.
Præfectus Alæ primæ Flaviæ Rhetorum, Quintanis.

A Tribunus cohortis Novæ Batavorum, Batavis.
Tribunus cohortis tertiæ Brittorum, Abusina.
Præfectus Alæ secundæ Valeriæ singularis, Vallato.
Tribunus cohortis sextæ Valeriæ Rhetorum, Venaxamodoro.
Tribunus cohortis primæ Herculeæ Rhetorum, Parroduno.
Tribunus cohortis quintæ Valeriæ Frigum, Pinianis.
B Tribunus cohortis tertiæ Herculeæ Pannoniorum, Cœlio.
Tribunus Gentis per Retias deputatæ, Teriolis.
Præfectus Numeri Barbaricariorum, Confluentibus, sive Brecantiæ.
Præfectus Alæ secundæ Valeriæ Sequanorum, Vimania.
Tribunus cohortis Herculeæ Pannoniorum, Arbore.
Officium autem habet idem vir spectabilis Dux hoc modo:
Principem ex officiis Magistrorum militum Præsentalium alternis annis.
Numerarios duos ex utriusque officiis Præsentalibus singulos. Com-

Commentarienſem ex utriſque officiis alternis annis.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. LXXXII.

DE DVCE RETIAE PRIMAE ET SECVNDAE.

COMMENTARIUM.

RETIAE ſitæ in Alpibus Italiam à Germania dividunt, quibus Dux præfuit, inter quos Fulvius Boius ſub Valeriano Vopiſcus in *Aureliano*, & Bonoſus unus ex XXX. tyrannis Aureliano imperante, Vopiſcus in *eod.* (de eo Caſſiodorus lib. VII. *Variar.*) recenſentur. Annonam, quæ equis hujus limitis militibus deportabatur, *Reticam* vocatam fuiſſe, quia ad Retios ferebatur, D. Auguſtinus tradit *de civitat. Dei* libr. XVIII. cap. XVIII. Hic Dux præſidia XIII. tuebatur, quorum X. tantum delineantur, cum Alis III. equitum, Turmis item III. Præfecturis peditum VII. Cohortibus VIII. Qui minimum efficiebant equites circiter D. peditum circiter octo millia.

Eadem inſignia, quæ alii Duces, gerebat, *librum* eodem modo inſcriptum *cum* X. *caſtris*, alia IX. non ſunt deſcripta. Ita verò habet officium, *Principem ex officio Magiſtrorum militum Præſentalium alternis annis*, uno anno ex officio Magiſtri equitum; alio ex officio Magiſtri peditum; *Numerarios duos ex utriſque officiis Præſentalibus ſingulos*, unum ex uno, alterum ex alio. *Commentarienſem ex utriſque officiis alternis annis*, *Adjutorem*, *Subadjuvam*, *Regerendarium*, *Exceptores*, *Singulares*, *& cæteros Officiales*, ut habent Comites Occidentis, & Duces Mauritaniæ, & Tripolitanæ. Ejus milites ita erant diſpoſiti.

I. EQVITES Stableſiani ſeniores, qui degebant in caſtris Auguſtanis. De his ſupra in præcedenti Duce. Itinerarium habet, *Auguſtis*, Auguſtam Vindelicorum intelligit, quæ eſt in Retia; Auguſtana verò appellat caſtra; ſicut & Febiana infra.

II. EQVITES Stableſiani juniores olim Ponteceni, nunc Febianis degunt. Hi in Oeni fluminis, quod *Salſam* vocant, Ponte habitabant, ubi nunc eſt Oenopons, vulgo *Inſpruch* dictus, poſtea ad Febiana caſtra ſunt tranſlati. Ptolemæus Pheniana, nunc *Lambianum* apellant. Sunt inter Danubium, & Lycum fluvium, *Oenus*, ait Tacitus *Hiſt.* lib. III. cap. V. *Rhetos Noricoſque interfluit.*

III. EQVITES Stableſiani juniores Submontorio præſunt. Itinerarium legit *Summuntorio*. Nunc ad Præfectos legionum Notitia tranſit.

I. PRÆFECTVS Legionis tertiæ Italicæ partis ſuperioris olim caſtra Regina, nunc Vallato inhabitat, cujus meminit & Itinerarium, & pro Regina habet *Regia*. Hæc legio in quinque Præfecturas erat diviſa, tres tuebantur caſtra, duæ ad tranſvehendas ſpecies erant deſtinatæ, ut ſubjicitur.

II. PRÆFECTVS Legionis tertiæ Italicæ partis ſuperioris deputatæ Ripæ primæ Submontorio præerat. Hæc tuebatur primam ripam Danubii, apud Submontorium in parte ſuperiori, & erat pars præcedentis legionis.

III. PRÆFECTVS Legionis tertiæ Italicæ pro parte media prætendentis à Vimania Caſſiliacum uſque Cambiduno inſidebat, nunc *Munghen* vocant. *Campodunum* legunt Strabo, Itinerarium, & Ptolemæus. A Duno Mœſiæ ſecundæ oppido nomen eſt compoſitum, ſicut Noviodunum, Parrodunum infrà ſub hoc Duce. Sunt hæc loca inter Lycum & Oenum flumina, non longè à Pæonius Alpibus. Excubabat hæc legio in caſtris à media parte itineris à Vimania Caſſiliacum uſque.

IV. PRÆFECTVS militum Vrſarienſium Guntiæ degebat. De qua Itinerarium. Hæc erat pars legionis, non tota legio, quæ hoc tempore in plures Præfecturas dividebatur, & ideo hic dicit Præfectus militum. Vrſa verò Picenorum eſt civitas, & urbs in Hiſpania, unde hi milites ſunt extracti.

V. PRAEFECTVS Legionis tertiæ Italicæ tranſvectioni ſpecierum deputatæ Fœtibus degebat. Hæc legio comitabatur annonarias ſpecies, id eſt, frumentum, vinum, veſtem, laridum, acetumque, & ſimilia quæ pro alendis militibus tranſvehebantur in caſtra, hæ enim *ſpecies* vocabantur, *l. 1. C. de navicular. ſeu naucle. publ. ſpec. tranſportan.* Continebantur in his & ſericum, purpura, gemmæ, & alia Principum ornamenta. Id onus publicum appellatur, *in l. unic. C. ne quid oneri publico.* & Baſtaga, *in l. 3. C. de cohort. princip.* Qui verò Baſtagas tranſvehi curabant, Præpoſiti Baſtagarum, ſub Comite Largitionum, dicebantur.

VI. PRAEFECTVS Legionis tertiæ Italicæ & ipſius tranſvectioni ſpecierum deputatæ Teriolis manebat. legionem in Præfecturas, quæ ex mille aut D militibus conſtabat, diviſam fuiſſe ſæpè diximus. Hic & Tribunus Gentis diſpoſitæ per Retias ſub hoc Duce morabatur.

VII. PRAEFECTVS Alæ primæ Flaviæ Retorum Quintanis ſcilicet caſtris præerat. Quintana via erat Feſto & Vegetio in caſtris ubi forum rerum venalium, & in qua milites exercebantur ad palum. Hinc ludus Quintanæ prodiit, quo haſta equites exercentur, *l. ult. Græca. l. 1. C. de aleatorib.* & hodie frequens eſt in Galliis & Italia. Inde fortè hic locus eſt denominatus. *Quintianis* legit Itinerarium. A Retiis, ubi excubabat, hæc ala eſt denominata. Sequentes non habent depicta caſtra.

I. TRIBVNVS cohortis Novæ Batavorum Batavis præſidebat. Conſtat Bataviam eſſe inſulam, quam in Oceanum fluens Rhenus efficit, nunc *Hollandia* vocatur, unde erat hæc cohors delecta, quæ loco ubi reſidebat nomen dedit. Batavos enim tanquam Batavorum ſtationem appellarunt; vel fortè ipſa ab hoc loco eſt denominata.

II. TRIBVNVS cohortis tertiæ Brittorum, Abuſina: Hujus etiam Itinerarium meminit. Pro Brittorum lego *Britonum*, qui ſunt populi Galliæ, aut inſulæ Britanniæ, ſeu Angliæ.

VIII. PRAEFECTVS Alæ ſecundæ Valeriæ ſingularis Vallato præerat, quod ex Valeria regione eſſet contracta. Valeria ala eſt dicta & *ſingularis*, fortè quia erat inſignis, vel quia ſola, & nulli permixta, per ſe militabat. Alæ equitum Singularium Tacitus meminit *Hiſt.* lib. IV. cap. LXX. *Acceſſit*, inquit, *Ala Singularium excita olim à Vitellio, deinde in partes Veſpaſiani tranſgreſſa.* Hic etiam reſidebat pars legionis tertiæ Italicæ ſub hoc Duce.

III. TRIBVNVS cohortis ſextæ Valeriæ Rhetorum Venaxamodoro præſidebat.

IV. TRIBVNVS cohortis primæ Herculeæ Rhetorum Parroduno præerat.

V. TRIBVNVS cohortis quintæ Valeriæ Frigum Pinianis degebat. Ex Frigibus Valeriam incolenti-

colentibus erat hæc cohors contracta. Hos credo esse unde Frisii descendunt.

VI. TRIBUNUS cohortis tertiæ Herculeæ Pannoniorum Cœlio immorabatur. *Celiam* vocat Ptolemæus, vulgo *Cilam* dicunt, quæ est in Norico.

VII. TRIBUNUS Gentis per Retias deputatæ Teriolis præsidebat. Hi erant gentiles seu pagani, & idololatræ, id enim significat vox gentis, *l. ult. C. de off. milit. judic. l. ult. C. de off. Magist. milit. l. 8. C. de vect. & commiss. l. cum anterioribus ff. C. de temp. app.* & prout opus erat locis per Retias succurrebant: sed Teriolis Tribunus commorabatur. Præfectus legionis III. Italicæ ad transvehendas species deputatæ, & ipse hic degebat, ut supra vidimus.

IX. PRÆFECTUS numeri Barbaricariorum Confluentibus, sive Brecantiæ excubabat. In Rheni ripa inter lacum Acronium & Basileam Bricantium Strabo, & Ptolemæus locant. *Brigantiam* vocat Marcellinus lib. XV. cap. IV. *Rhenus*, inquit, *lacum invadit rotundum & vastum, quem Brigantiam accola Rhetus appellat, perque quadringenta, & sexaginta stadia longum; parique penè spacio latè diffusum, horrore sylvarum squalentium inaccessum Barbaris, & natura locorum, & cæli inclementia refragante*: Hæc ille. Barbaricarii verò sunt, juxta Donatum *in* II. *Æneid.* qui ex auro coloratis filis hominum, aut brutorum, aliarumve rerum imaginem, veritatem imitati ex-

A primunt: ita hos appellavit Constantinus *in l. 1. C. de excus. artific.* Aliàs sunt milites qui cassides, vel buculas eodem modo auro, vel argento exornant. Valentinianus ad Taurum Comitem sacrarum largitionum, *l. 1. C. T. de frabricensib. Octona*, inquit, *singulis mensibus cassides, totidem bucula, a Barbaricariis argento tecta deaurantur, & auro argentoque condecorantur.* Ab armis quæ hoc modo ornata gestabant hi milites *Barbaricarii* potuerunt vocari, vel fortè quod ex Barbarico loco Romanis minimè subjecto essent collecti; cum verò instar legionis essent, eis imperans Præfectus est appellatus, qui etiam legionis partem regentis est titulus.

B X. PRÆFECTUS Alæ secundæ Valeriæ Sequanorum Vimaniæ castra tuebatur. Hæc ala erat equitum Sequanorum, qui nunc sunt pars Burgundiæ, & ala ipsa *Valeria* vocabatur, fortè quod diu in Valeria esset morata. De Vimania sub hoc Duce in Præfecto legionis Italicæ est dictum.

VIII. TRIBUNUS cohortis Herculeæ Pannoniorum in Arbore oppido manebat. Una ex Pannonum legione erat hæc cohors, à Maximiano Herculea vocata, ut sæpe dictum fuit. *Arborem Felicem* Ammianus & Itinerarium vocant Helvetiæ oppidum ad Brigantium. Arborem Illyrici oppidum esse Stephanus scribit. Sequitur Dux Sequanici.

NOTITIA.

DUX PROVINCIÆ

SEQUANICI, EJUSQUE INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Provinciæ Sequanici.



MILITES LATAVIENSES, OLINONE.
Officium autem habet idem vir spectabilis Dux hoc modo:
Principem ex officiis Magistrorum militum Præsentalium à parte peditum.
Numerarium utrunque.
Commentariensem ut suprà.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. LXXXIII.

DE DVCE PROVINCIÆ SEQVANICI.

COMMENTARIVM.

SEQVANI à Meridie Arari fluvio, à Septentrione Jurasso monte, ab Occasu Lugdunensi, ab A Ortu Rheno clauduntur. Hic Dux limitaneis præerat militibus, qui LATAVIENSES, à Latavia Bithyniæ civitate apud Stephanum. Hi, ut puto, trecenti Olinoni degebant: Olinam fluvium Ptolemæus in alia parte Galliæ statuit. Hic Olino est nomen vici prope Basileam cum nemusculo.

Insignia habet *librum* eodem modo inscriptum, ut alii Duces, & *castrum magnificè extructum*; supra scriptum est *Olino*. In Manuscriptus *Olinone*.

Officium habebat, *Principem ex officiis Magistrorum militum Præsentalium a parte peditum*. Si à Magistro peditum Principem accipiebat, legen-
B dum est *ex officio Magistri militum*; & cùm pedites tantùm haberet, verisimile est à Magistro equitum neminem accepisse: sed si legimus *ex officiis Magistrorum*, subaudiendum est, *& alterius annis*, & delenda essent verba, *à parte peditum*: anno enim uno ex officio Magistri peditum, altero ex officio Magistri equitum, *Principem*, *Numerarios*, *& Commentariensem* accipiebat, quemadmodum & Dux sequens, qui eodem modo peditibus tantùm imperabat. *Adjutorem* verò, *Subadjuvam*, *Regerendarium*, *Exceptores*, *Singulares*, *& reliquos Officiales* ipse constituebat. Dux Tractus Armoricani sequitur.

NOTITIA.

DVX TRACTVS ARMORICANI, EJVSQVE INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Tractus Armoricani, & Nervicani.


RIBVNVS cohortis primæ novæ Armoricæ, Grannona in Littore Saxonico.

Præfectus militum Carronensium, Blabia.

Præfectus militum Maurorum Venetorum, Venetis.

Præfectus militum Maurorum Osismiacorum, Osismiis.

Præfectus militum superventorum, Mannatias.

Præfectus militum Martensium, Aleto.

Præfectus militum primæ Flaviæ, Constantia.

Præfectus militum Ursariensium, Rothomago.

Præfectus militum Dalmatarum, Abrincatis.

Præfectus militum Grannonensium, Grannono.

Extenditur tamen Tractus ARMORICANI, ET NERVICANI LIMITIS PER PROVINCIAS QVINQVE.

Per Aquitaniam primam & secundam, Senoniam, secundam Lugdunensem, & tertiam.

Officium autem habet idem vir spectabilis Dux hoc modo:

Principem ex officiis Magistrorum militum Præsentalium alternis annis.

Numerarium à parte peditum uno anno.

Commentariensem de officiis alternis annis.

Adjutorem.

Subadjuvam.

Regerendarium.

Exceptores.

Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. LXXXIV.

DE DVCE TRACTVS ARMORICANI, ET NERVICANI.

COMMENTARIVM.

ARMORICVS Tractus in Galliis, nunc Normandia, ac Britannia dicitur. Cæsar Card. Baron. in Codice Vaticanæ Bibliothecæ de rebus Britannis se legisse scribit, Maximum tyrannum, cum Gallias invasisset, ac vicinos Britanniæ Armoricos expulisset, vacuam provinciam inter Britannos milites novos colonos factos divisisse. Unde illa provincia minor Britannia est dicta à Baron. in Martyrol. xxi. *Octobr.* ea est inter Sequanam & Ligerim. Hic est Maximus Clemens, qui Maximam Sequanorum, & Maximam Cæsariensem à se denominavit. Sed tempore hujus Notitiæ jam Maximo extincto, hæc regio Britannia minor erat appellanda. Fortè cum latius extenderetur, antiquo nomine Armorici est A nuncupata. Apud Ptolemæum legitur etiam Aquitaniam olim Aremoricam vocatam, continet Lexovicos, & Turones ad mare Britannicum, *extenditurque*, inquit Notitia, *in alias quinque provincias, Aquitaniam primam & secundam*, quæ ab Occasu clauduntur Oceano: à Septentrione, & Ortu Ligeri fluvio: à Meridie Pyrenæo, & Gallia Narbonensi. Eam Garumna interfluit. Quæ ab ea, & Ligeri clauditur, est prima Aquitania. Ultra Ligerim verò est Senonia, quæ & Lugdunensis quarta vocatur, cujus metropolitæ sunt Senones, inter eos sunt Parisii, apud Itinerarium. Hæc citra Sequanam fluvium, & ad secundam tertiamque Lug- B dunensem porrigitur. secunda Lugdunensis est ad Oceanum Britannicum ultra Sequanam, ubi est Picardia, cujus caput est Rothomagum. Tertia versus Occidentem, ubi est Britannia, seu Britones & Normandi, inter Argenam & Ligerim fluvios extenditur, quorum metropolitæ sunt Rothomagenses. Nervii autem sunt populi inter Belgas Atrebatibus vicini, nunc *Tornacenses* vocant, quorum Tractus Nervicanus appellatur.

Habet Dux harum regionum insignia, quæ alii Duces, scilicet *decem oppida*, cum earum Præfectis. Officium verò hoc modo, *Principem ex officiis Magistrorum militum Præsentalium alternis annis*, *Nume-* C *rarium* à parte equitum uno anno intelligo, & alio à parte peditum: *Commentariensem de officiis alternis annis*, sequentes ex suo officio ipse eligit, scilicet *Adjutorem*, *Subadjuvam*, *Regerendarium*, *Exceptores*, *Singulares*, *& reliquos Officiales.* Imperat præsidiis decem, scilicet Tribuno unius cohortis, & IX. Præfectis legionum, quæ non erant integræ: poterant omnes esse ad novem mil. peditum. Equitibus verò carebat. Tribunus, & Præfecti sequuntur.

I. TRIBVNVS cohortis primæ Novæ Armoricæ nuncupatæ, & ea in provincia contractæ, Grannonæ in littore Saxonico degebat, quod est contra Britanniam, quia id littus Saxones occuparant, quem- D admodum & Britannicum. Sub eodem Duce erant & hi Præfecti.

I. PRÆFECTVS militum Carronensium Blabiæ excubabat: Hi ex Carronio Hispaniæ urbe apud Plinium erant contracti. Blaviam locum Aquitaniæ Ausonius in *epistolis* ponit in Garumnæ ripa, non longe ab ejus ostio, vulgo *Blan* dicitur: *Blavetum* est Itinerario. *Blavia* in scheda posteriore Volseri. fortè legendum *Carnutorum Blesia.*

II. PRÆFECTVS militum Maurorum Venetorum in Venetis stativa habebat, propè Ænum flumen ad Oceanum Aquitanicum. Sunt Veneti apud Cæsarem in Gallia Lugdunensi, de quibus ita Ptole- E mæus: Occidentale autem littorale latus ab Osismiis tenent Veneti. Hi ergo milites genere Mauri, *Veneti* sunt appellati, quia, in Venetis morabantur, sicut sequentes Mauri *Osismiaci* sunt nuncupati, quia apud Osismios habitabant. Hos & Venetos in tertia Lugdunensi Itinerarium locat, quam regionem sub Nervicanis Notitia complecti videtur.

III. PRÆFECTVS militum Maurorum Osismiacorum degebat Osismiis. Id erat Galliæ oppidum ad mare Britannicum, ita vocat Strabo; *Osisinos* Cæsar. *Osismios* Plinius & Mela.

IV. PRÆFECTVS militum Superventorum Mannatias incolebat. Is erat globus militum hostibus cœpto F jam prælio repente superveniens. Superventum incursiones appellat Vegetius lib. III. cap. XIX. Horum meminit Marcellinus lib. XVIII. cap. penult. & Præventorum.

V. PRÆFECTVS militum Martensium Aleto in Nervicano littore manebat. alii *Aletham* scribunt.

VI. PRÆFECTVS militum Flaviæ primæ scilicet legionis à Flavio Vespasiano, vel Constantino vocatæ, Constantiæ excubabat. Constantia Itinerario urbs erat Lugdunensis secundæ apud Lixovios in littore è regione Britanniæ. Constantia castra in Normandia Ammianus vocat.

VII. PRÆFECTVS militum Ursariensium, de quibus supra, Rothomago insidebat, quod est oppidum celebre in Belgia, nunc *Roan* dictum. Aliud est in Normandia eodem nomine appellatum, non longè à Sequana fluvio prope Lexubios, de quo hic intelligit. *Ritumagum* vocat Itinerarium in Lugdunensi inter Juliobonam, & Lutetiam. Multa in *magus* oppidorum nomina desinunt, ut Noviomagus infra, quæ cognationis pretium significat. Goropius lib. I. *Galicorum*.

VIII. PRÆFECTVS militum Dalmatarum Abrincatis præsidebat, fortè locus est *Abrigiatus* apud Ptolemæum dictus, in Nantibus. *Abrincatui* Plinio sunt Lugdunensis populi. Itinerarium in secunda Lugdunensi ponit. Hinc Abrincateni Pseudo-Comitatenses milites.

IX. PRÆFECTVS militum Grannonensium Grannono præerat. Milites ab hoc loco nomen habuerunt, de quo supra dictum fuit.

EXTENDITVR, inquit Notitia, TRACTVS ARMORICANI, ET NERVICANI LIMITIS PER PROVINCIAS QVINQVE supra memoratas, scilicet, Aquitaniam primam & secundam, Senoniam, secundam Lugdunensem & tertiam.

Horum præsidia Notitia non recenset, quia totus hic tractus Britanniam respiciens à Transrhenanis Barbaris vexatus, Romanorum jugo excusso, in libertatem se receperat. Zosimus lib. VI. cap. V. *Transrhenani*, inquit, *Barbari cuncta pro libitu invadentes, eo tum incolas insula Britannia, tum quasdam Celticas nationes redegerunt, ut ab Imperio Romano deficerent, & Romanis legibus non amplius obedientes arbitratu suo viverent. Itaque Britanni sumptis armis, & pro salute sua periclitati civitates suas a Barbaris imminentibus liberarunt. Itidem totus ille tractus Armoricus, cæteraque Gallorum provincia Britannos imitata, consimili se modo liberarunt, ejectis Romanis præsidibus, & propria quadam Republica arbitratu suo constituta.* Hæc ille. Id fuit circa annum salutis CCCXI. Unde cum in hoc tractu non amplius essent Duces Romani, nec Præpositi, his omissis satis fuit quinque provincias in Armorico tractu & Nervicano nominasse. Josephus Scaliger *in Ausonium* monet, pro Nervicano legendum *Eburicano: In duabus*, inquit, *Belgicis erat unus Dux Saxonici littoris ad Sequana ostia. Ab illis ad Garumnam Dux erat tractus Eburicani & Armorici, per Eburicanos intellige Aulercos, nam in Notitia Imperii perperam legitur Nervicanos.* Hæc ille: cui Vulserus in prioris schedæ interpretatione cap. V. non assentitur; & fortè rectè. Nam etsi Nervii ab Armoricis distent, utrisque tamen aliqui Duces præfuerunt, ut Diocletiano imperante, Charausius, quemadmodum Eutropius libro IX. memorat.

Hic etsi nullus indicetur Præfectus, in fine tamen operis, fortè ne eorum intercideret memoria, aliquot Galliarum Præfectos Notitia recenset. In Aquitania prima Præfectum Lætorum Gentilium Suevorum Avernis collocat, vel Averni, vulgo *Auvergne* dicti. In Aquitania secunda statuit Præfectum Sarmatarum & Taifalorum Pictavis. In Senonia verò Lugdunensi seu quarta Præfectum Lætorum Teutonicianorum Carnunti locat, & Præfectum Classis Andereciancorum Parisiis, Præfectum Sarmatarum Gentilium in castris à Chora Parisios usque. In prima Lugdunensi Præfectum Classis Araricæ Caballaduni, vel Cabilumni, ut in Itinerario Præfectum Sarmatarum Gentilium Lingonis, inter Heduos. Præfectum Sarmatarum Gentilium Augustoduni. Præfectum Sarmatarum Gentilium per tractum Segolaunorum, *Segovellaunos* appellat Plinius lib. III. c. IV. in Narbonensi: & Præfectum Muscularioum Massiliæ. Præfectum Lætorum Batavorum & Gentilium Suevorum Bajocis, & Constantiæ Lugdunensis secundæ, Præfectum Lætorum Gentilium Cenomannis Lugdunensis tertiæ, Præfectum Lætorum Francorum Rhedonis Lugdunensis tertiæ. Hæ erant Legiones XI. in Galliis eo tempore à Barbaris devastatis, sub totidem Præfectis ibidem præerant & Tribuni duo, alter cohortis primæ Flaviæ Sapaudiæ Calaronæ degens; alter cohortis Novempopulanæ Lapurdi morans. Eodem in tractu excubabant & XII. præsidia, videlicet peditum circiter sex mil. præter Classes IV. primam in Rhodano, quam XXIV. navium fuisse Tacitus *Hist.* lib. IV. scribit, secundam in Sapaudia, tertiam in Ararica Caballoduno, quartam Parisiis. Hæ cum suprascriptis non sunt connumerandæ, sed infra post Duces separatim statuentur.

NOTITIA.

DVX BELGICÆ

SECVNDÆ, CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Belgicæ secundæ.

EQVITES Dalmatæ, Marcis in littore Saxonico.

Præfectus Classis Sambricæ, in loco Quartensi, sive Hornensi.

Tribunus militum Nerviorum, Portuæ patiaci.

Officium autem habet idem vir spectabilis hoc modo:

Principem ex eodem corpore.
Cornicularium.
Commentariensem.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

A

CAP. LXXXV.

DE DVCE BELGICÆ SECVNDÆ.

COMMENTARIVM.

BELGICÆ regio inter Mosam & Sequanam flumina clauditur, quam Phrudis interfluit. A Mosa usque ad eum fluvium est Belgica prima sou superior, nunc *Brabantia* dicta, cujus metropolis est Treveris: inde ad Sequanam est Belgica secunda, nunc *Flandria* vocata, cujus metropolitæ erant
B Remi, quibus sub Galba Valentinus Dux præfuit, Tacitus *Hist.* lib. IV. Alius Dux Belgicæ primæ forte tum à Barbaris detentæ non nominatur. Hic Dux *librum* ut supra inscriptum *cum tribus oppidis* pro insignibus præferebat, quorum uni inscriptum est LITVS SAXONICVM. Alii QVARTENSIS. Tertio, PORTVÆ PATIACI. Officiumque hoc modo habebat: *Principem ex eodem corpore*, *Cornicularium*, *Commentariensem*, *Adjutorem*, *Subadjuvam*, *Regerendarium*, *Exceptores*, *Singulares*, *& reliquos Officiales.* Loco Numerarii, qui hic desideratur, habebat Cornicularium, quo ferè omnes alii Duces carebant. Sequentes milites ei parebant.

1. EQVITES Dalmatæ Marcis stativa habebant. Hi
C littus Saxonicum & Marcis, quod erat oppidum è regione Britannorum, tuebantur. Erat hoc aliud littus Saxonicum ab illo diverso, quod supra in Comite littoris Saxonici in Britannia fuisse vidimus, hoc in Belgica è regione illius jacebat. Sequitur in impressa Notitia, SAMBRICÆ in loco Quartensi, sive Hor-

Hornenſi, ubi Lacuna interjecta, quæ ex manuſcriptis ita eſt implenda, & reſtituendum.

Præfectvs Claſſis Sambricæ in loco Quartenſi, ſive Hornenſi. Quartenſis etiam inſcriptum eſt munitioni. Pro Sambrica *Samarobrigam* Ptolemæus legit, quod eſt oppidum apud Phrudim fluvium. Cæſar in Commentariis, Cicero ad Trebatium lib. VII. *epiſt.* XI. & XIII. & Itinerarium *Samarobrinam*, Scheda Volſeri *Sammarobrinam* appellant, vulgo, ut aliqui volunt dicitur *Cambray*, ſeu Cameracenſis. Tertium, oppidum Portus Æpatiaci, quid eſſet, non apparet. Tres legiones Triceſimam Ulpiam, & primam ſive Trajanam, & Octavam Auguſtam in Belgica fuiſſe Ptolemæus ſcribit: Sed hic Dux ſolam alam Equitum Dalmatarum in oppido littoris Saxonici Marcis vocato, & ſub Tribuno Nervios pedites, atque unam claſſem regebat, præter V. Præfectos, qui infra poſt Duces limitaneos recitantur: Eſſe poterant circiter centum equites, & D. pedites. Primi ergò ſub eo erant.

Eqvites Dalmatæ Marcis in littore Saxonico, de quo ſupra.

Præfectvs Claſſis Sambricæ in loco Quartenſi, ſive Hornenſi.

Tribvnvs militum Nerviorum, qui ſunt populi Galliæ Belgicæ, prope Atrebates, ubi nunc ſunt Picardi, Portum Æpatiacum tuebatur. Fortè locus eſt quem *Portumviaco* Scheda Volſeri appellat. Hic deſunt V. Præfecti cum totidem præſidiis, qui infra poſt Ducem Moguntiacenſem, cum aliis recenſentur, videlicet, Præfectvs Lætorum Nerviorum, Fanomantis Belgicæ ſecundæ. Scheda Volſeri *Fanomartem* vocat non longe à littore contra Britanniam. Præfectvs Lætorum Batavorum Nemetacenſium Atrebatis Præfectvs Batavorum Contraginenſium Noviomago ad Rhenum in Scheda Volſeri. Regina verò caſtrum eſt prope Fannorum in præfata Scheda, inde hi milites poſſent derivari. Præfectvs Lætorum Gentilium Remos & Silvanectas. Præfectvs Sarmatarum Gentilium inter Remos & Ambianos, qui infra explicabuntur. Belgicam ſecundam primo Clodius Francorum Rex invaſit, mox eo ab Ætio repulſo, Meroveus ejus filius univerſam eam regionem, & Galliam interiorem, permittente Valentiniano III. circiter annum ſalut. CCCCXLVIII. tenuit. Sequente anno Attila Huonorum Rex in Belgica prima pridie Paſchatis Metis, & in Belgica ſecunda Atrebatum ſuccendit, quod poſtea Vedaſtus Epiſcopus reſtituit. Germaniæ quoque ſecundæ oppida, Tungros, Coloniamque metropolim, & alia delevit. Unde nulla ejus Ducis, ſicut nec Germaniæ primæ apparent veſtigia.

Belgicæ item primæ, cujus metropolitæ ſunt Triveri, nullus in tota Notitia Dux apparet, quod illa provincia ab hoſtibus eſſet detenta. Tantum poſt Ducum oſtenſa inſignia duæ Legiones, ſeu præfecturæ in ea fuiſſe dicuntur, ſcilicet Præfectvra Lætorum Lingonenſium per diverſa diſperſorum, & Præfectvra Lætorum Actorum Epuſo, de quibus illo in loco agetur. Hi erant ferme duo millia peditum.

Cap. LXXXVI.

DE DVCE GERMANIÆ PRIMÆ.

Qvatvor Germaniæ primæ civitates Itinerarium recitat, Maguntium, cujus tractus Comes præerat, Argentoratum, quod Dux tuebatur, Nemetum, nunc Spiram, & Vangiones, nunc Wormatienſes, quibus Præfectus erat hic Dux, quem in Indice Notitia prænominatis annectit: Sed ejus inſignia, officium, militeſque prætermittit. Prius enim Franci eam regionem vaſtaverant: itaque ceſſante hoc Duce, vix Dux tractus Maguntiacenſis, & Comes Argentoratenſis in ea provincia hoſtibus reſiſtebant. Demum circa annum ſalutis CCCCL. ſuccenſo ab Attila Hunnorum Rege Maguntio Germaniæ primæ metropoli, atque Argentorato, etiam eorum Comes & Dux eſſe deſierunt. Quare hujus quoque provinciæ Ducis cum inſignibus, officia, & numeri omittuntur.

Germaniam ſuperiorem, ſeu primam Ptolemæus à fontibus Rheni ad Vangiones, ſeu Wormatienſes uſque extendit, inde ad Oceanum inferiorem Germaniam ultra Rhenum ſtatuit.

Auguſtus in Germania ſuperiore ad Danubium IV. legiones locaverat, XI. Auguſtam, XIV. Geminam, Piam, Fidelem, XIIII. Geminam Martiam Victricem, & XVI. Claudius XI. Auguſtam in Britanniam à ſe ſubactam tranſtulit, quæ cum bello civili Vitellio adhæſiſſet, à Veſpaſiano per Illyricum diſperſa XIII. Gemina in Pannoniam traducta, primò & ipſa pro Vitellio pugnavit, deinde pro Veſpaſiano contra Vitellium, demum in ſua caſtra remiſſa, poſtremò à Trajano in Daciam tranſmiſſa fuit, XIIII. Gemina Martia, & ipſa à Claudio in Britanniam ducta fœliciter pugnavit. Exinde à Nerone in Dalmatiam deducta, pro Othone in Italiam venit: quo occiſo in Britanniam reverſa, demum in ſuperiorem Germaniam rediit. XVI. ſcum pro Vitellio pugnaſſet, tandem in ſua caſtra eſt remiſſa, Dion lib. LV. Harum fortè pars uſque ad Notitiæ tempora in Germania prima permanſit; ſed ea à Barbaris tota penè occupata, ejus Dux cum militibus eſſe deſiit. Quatuor Legiones ſub Auguſto minimum XXIIII. millia peditum, & ferè tria millia equitum continebant, ſed poſtea exhauſtæ Legiones fuerunt, Vegetius lib. II. cap. III. Germaniæ ſecundæ nullus Dux in univerſa Notitia nominatur: vel quod unus Dux utramque Germaniam tueri olim conſueviſſet, vel quod tota ea provincia à Barbaris detineretur. Tantum in fine poſt explicatos Duces Notitia Præfectvram Lætorum Langentium prope Tungros in Germania ſecunda locat, de qua ibi tractabitur. Hujus metropolis fuit Agrippinenſis Colonia, & Tungri apud Itinerarium, quos Attila delevit.

NOTI-

NOTITIA.
DVX BRITANNIARVM,
CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Britanniarum.

PRÆFECTVS Legionis sextæ.

Præfectus equitum Dalmatarum, Præsidio.

Præfectus equitum Crispianorum, Dano.

Præfectus equitum Catafractariorum, Morbio.

Præfectus Numeri Barcariorum Tigrisiensium, Arbeja.

Præfectus Numeri Nerviorum Dictensium, Dicti.

Præfectus Numeri Vigilum, Concangios.

Præfectus Numeri Exploratorum, Lavatres.

Præfectus Numeri Directorum, Veterum, aliàs Veneris.

Præfectus Numeri Defensorum, Braboniaco.

Præfectus Numeri Solensium, Maglovæ.

Præfectus Numeri Pacensium, Magis.

Præfectus Numeri Longovicariorum, Longovico.

Præfectus Numeri Derventionensis, Derventione.

A *Item per lineam Valli.*

Tribunus cohortis quartæ Lergorum, Segeduno.

Tribunus cohortis Cornoviorum, Ponte Ælii.

Præfectus Alæ primæ Astorum, Conderco.

Tribunus cohortis primæ Frixagorum, Vindobala.

Præfectus Alæ Savinianæ, Hunno.

Præfectus Alæ secundæ Astorum, Cilurno.

B Tribunus cohortis primæ Batavorum, Procolitia.

Tribunus cohortis primæ Tungrorum, Borcovico.

Tribunus cohortis quartæ Gallorum, Vindolana.

Tribunus cohortis primæ Astorum, Æsica.

Tribunus cohortis secundæ Dalmatarum, Magnis.

Tribunus cohortis primæ Æliæ Dacorum, Amboglanna.

Præfectus Alæ Petrianæ, Petrianis.

Præfectus Numeri Maurorum Aurelianorum, Aballaba.

Tri-

Tribunus cohortis secundæ Lergorum, Congavata.
Tribunus cohortis primæ Hispanorum, Axeloduno.
Tribunus cohortis secundæ Thracum, Gabrosenti.
Tribunus cohortis primæ Æliæ Classicæ, Tunnocelo.
Tribunus cohortis primæ Morinorum, Glannibanta.
Tribunus cohortis tertiæ Nerviorum, Alionæ.
Cuneus Armaturarum, Bremetenraco.
Præfectus Alæ primæ Herculeæ, Olenaco.
Tribunus cohortis sextæ Nerviorum, Virosido.
Officium autem habet idem vir spectabilis Dux hoc modo:
Principem ex officiis Magistrorum militum Præsentalium alternis annis.
Commentariensem utrunque.
Numerarios ex utrisque officiis omni anno.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

Cap. LXXXVII.

DE DVCE BRITANNIARVM.

COMMENTARIVM.

PRAETER duos Comites rei militaris, quos in Britannia fuisse diximus, erat & Dux, qui pluribus, quàm illi, equitibus ac peditibus imperabat, pluresque munitiones, & latiorem regionem tenebat. Eadem, quæ alii Duces, insignia gerebat, videlicet *librum purpureo tegumento* inscriptum, *cum* XIIII. *munitionibus.*

Hoc modo habebat officium: *Principem ex officiis Magistrorum militum Præsentalium alternis annis, Commentariensem utrunque, Numerarium ex utrisque officiis omni anno, Adjutorem, Subadjuvam, Regerendarium, Exceptores, Singulares, & reliquos Officiales.* Item Præfectos XIIII. per Britanniæ limites dispositos, qui sequuntur.

I. PRÆFECTVS Legionis sextæ: locus deest, ubi hæc legio excubabat: vel ipsius legionis nomen & numerus, si Sextam pro oppido ponamus ubi degebat, & illud Notitia repræsentat. Ptolemæus Sextam legionem apud Eboracos collocat. *Eboracum*, inquit, *legio sexta Victrix.* Alii codices habent sexta Nicephori, quod Græcè est idem. Dion lib. LV. scribit sextam legionem postea in duas divisam, quarum altera Victrix appellata, erat in inferiore Britannia: altera Ferrea in Judæa, unde hæc legio Victrix dimidia permansit. Ptolemæus alias duas legiones in Britannia ponit, Vicesimam Victricem, & II. Augustam, quarum Notitia non meminit, fortè alio translatæ, aut in cohortes erant transfusæ.

II. PRÆFECTVS equitum Dalmatarum præerat Præsidio, oppido Britanniæ ita dicto. Alia erant hujus nominis in Hispania, Palæstina, & Corsica, à præsidiis, quæ ibi tenebantur, ita appellata.

III. PRÆFECTVS equitum Crispianorum Dano præsidebat. Crispiana est Pannoniæ oppidum apud Itinerarium, à quo hi potuerant denominari. Sed fortè legendum *Crepstinorum*, qui in scheda Volseri populi sunt è regione Dorilaniæ in Belgica secundùm Rhenum, ex quibus hi facilè contrahi potuerant. Dano penes Vallum Itinerarium collocat, vulgo *Daneaster* dictum.

IV. PRÆFECTVS equitum Catafractariorum Morbio imperabat.

V. PRÆFECTVS Numeri Barcariorum Tigrisiensium Arbejæ residebat, fortè legendum *Barcaniorum*, qui sunt populi Hircanis contermini Stephano, & Q. Curtio: vel *Bracariorum*, qui sunt gentes Hispaniæ. *Tigrisusam* verò oppidum apud Tigrim Plinius lib. VI. commemorat, unde fortè hi milites *Tigrisienses*, vel *Tigrisissienses* sunt vocati.

VI. PRÆFECTVS Numeri Nerviorum Dictensium Dicti stativa habebat. unde *Dictenses* vocati. Nervios Belgicæ secundæ populos fuisse diximus, ex quibus hi milites sunt contracti.

VII. PRÆFECTVS Numeri Vigilum incolebat Concangios, quòd vigilias obire consuevissent sunt denominati. Congos interiorem Walliæ partem ad Occidentem incoluisse Tacitus refert, & Polydorus lib. *Angl. histor.* II. à quibus Concangios oppidum derivatur.

VIII. PRÆFECTVS Numeri exploratorum incolebat Lavatres, ita Itinerarium, quod hostium consilia, & itinera explorarent, hoc nomen habuere. Zosimus in lib. III. cap. XIV. *Mille quingentos*, inquit, *præmittendos statuit, Lucilliano Duce, qui explorent an hostile aliquod agmen, vel palam, vel per insidias irrueret.* Et paulo post; *Misso Lucilliano cum exploratoribus mille, quibus præerat, castellum obsedit.* Et infrà cap. XVI. *Statuit mille quingentis, qui sub Lucilliano militabant, & explorabant itinera, significandum esse, hostes à tergo adorirentur.* Hæc ille. Hanc ob causam cæteros anteibant. Nam idem Zosimus subjicit cap. XIX. *Surenas Romani exercitus exploratores, qui cæteris anteibant imprudentes aggressus, unum de Tribunis tribus interemit.* Et infrà: *Exploratores*, inquit, *exercitum præcedebant.* De iis idem Constantinus Porphyrogenneta *de Thematibus* ad fin. tradit. *Speculatores* Marcellinus appellat lib. XIV. & XVI.

IX. PRÆFECTVS Numeri Directorum Veterum, legendum *Verteris*, quemadmodum inscriptum est oppido, & habent manuscripti, & Itinerarium. Duroctorum legionem in Mœsia inferiore ponit Ptolemæus, cujus partem esse puto huc translatam. Ab oppido sunt denominati, quod *Durocortum* vocat Cæsar, unde sumpta est hæc legio.

X. PRÆFECTVS Numeri Defensorum Brahoniaco præsidebat, Brovonacis, & Brocovonacis, Britanniæ oppida Itinerarium ponit.

XI. PRÆFECTVS Numeri Solensium, à Sole Ciliciæ oppido, Maglovæ degebat.

XII. PRÆFECTVS Numeri Pacensium, à Pace Julia urbe Lusitaniæ dicti, nunc *Badajor* vocatur, vel à Foro Julio Octavianorum Colonia Pacensi dicta, quam Plinius lib. III. c. IV. in Gallia Narbonensi collocat. Hi Magis morabantur. Itinerarium *Magium Vinium* Britanniæ urbem esse dicit.

XIII. PRÆFECTVS Numeri Longovicariorum Longovico præsidebat, rectius *Longovicio*, ut habent emendati codices, unde hi appellati sunt milites.

XIV. PRÆFECTVS Numeri Derventionensis Derventioni degebat. Inter Vallum & Prætorium, Derventionem Itinerarium ponit. In manuscripto Ursini legitur, *Numeri Bonensium*, *Peturiense Deversione*,

sium, sed legendum *Dervventio*, quæ Itinerario, & Bedæ est civitas Britanniæ, ubi milites castrametabantur, & inde nomen habuerunt: Forte hi numeri *Bonenses* à Bonio, Britanniæ oppido apud Itinerarium, sunt appellati. Petuaria verò est urbs Albionis Ptolemæo. Hos ergo numeros Bonenses in oppido Deversione Petuariensi degisse significatur. Hæ sunt munitiones XXIII. quibus præerant Præfecti sub Duce Britanniæ. Omnes sunt legio I. numeri X. equitum ordines III. efficiebant circiter sex millia peditum, equites CCC. prout computat Constantinus Porphyrogenneta *de Thematibus*.

ITEM PER LINEAM VALLI
excubabant sequentes.

Subacta à Claudio Cæsare Britannia, plures Legati, Procuratoresque in eam insulam ab Imperatoribus missi fuere, qui illam in officio continerent, ut Tacitus lib. XIV. *Ann.* & in *vita Julii Agricolæ*, latè explicat. Cumque sæpè Britanni defecissent, Agricola penitus eos pacavit: postea imperante Hadriano cum rursus rebellassent, ipse eo profectus multa correxit, & neglecta Transmedana regione, quæ est Scotia, vallum per octoginta millia passuum primus duxit, qui Barbaros à Romanis divideret: Eundem collapsum à Severo Imperatore restitutum fuisse Spartianus memorat in *eod.* cap. XVIII. *Britanniam*, inquit, *quod maximum ejus Imperii decus est, muro per transversam insulam ducto, utrinque ad finem Oceani munivit, unde etiam* Britannici *nomen accepit:* Hactenus ille. Hic autem murus à Tinæ fluminis ostio ad alterum amnem, qui Esca appellatur, usque ad Hibernicum Oceanum est perductus, ut ait Polydorus Virgil. lib. *historia Anglica* II. & ex Goldæ annalibus subdit: Id vallum primo non tam ex lapidibus, quam cespitibus factum, & propterea parum adversus incursus Barbarorum profuisse, quare hortatu legionis eò missæ postea lapidibus extructum, & turribus æquis spaciis interpositis munitum fuit; nam prius maceries potius fuit, quam murus. Quod factum est Scotis & Pictis Angliam invadentibus: sed quia totam hanc historiam Beda lib. I. *Ecclesiastic. histor. gent. Angl.* exactè recitat, ejus verba hîc apposui: *Ob harum ergo infestationem gentium, Britones legatos Romam cum epistolis mittentes, lachrymosis precibus auxilia flagitabant, subjectionemque continuam, dummodo hostis imminens longius arceretur, promittebant. Quibus mox legio destinatur armata, quæ ubi in insulam advecta, & congressa est cum hostibus, magnam eorum multitudinem sternens, cæteros sociorum finibus expulit, eosque interim a dirissima depressione liberatos, hortata est instruere inter duo maria trans insulam murum, qui arcendis hostibus posset esse præsidio: sicque domum cum triumpho magno reversa est. At insulani murum, quem jussi fuerant, non tam lapidibus, quam cespitibus construentes, utpote nullum tanti operis artificem habentes, ad nihil utilem statuunt. Fecerunt autem eum inter duo freta, vel sinus (de quibus diximus) maris per millia passuum plurima, ut ubi aquarum munitio deerat, ibi præsidio valli fines suos ab hostium irruptione defenderent. Cujus operis ibidem facti, id est, valli latissimi & altissimi usque hodie certissima vestigia cernere licet. Incipit autem duorum ferme millium spacio à monasterio Æbercurnig ad Occidentem, in loco qui sermone Pictorum* Peanuahel, *lingua autem Anglorum* Penueltum *appellatur, & tendens contra Occidentem terminatur juxta urbem Alcluith. Verum priores inimici, ut Romanorum militem abiisse conspexerant, mox advecti navibus irrumpunt terminos, cæduntque omnia, & quasi maturam segetem obvia quæque metunt, calcant, transeunt. Unde rursum mittuntur Romam legati, flebili voce auxilium implorantes, ne penitus misera patria deleretur, ne nomen Romanæ provinciæ, quod apud eos tamdiu claruerat, exterarum gentium improbitate abrutum vilesceret. Rursum mittitur legio, quæ inopinata tempore autumni adveniens magnas hostium strages dedit, eosque qui evadere poterant, omnes trans maria fugavit, qui prius anniversarias prædas trans maria nullo obsistente cogere solebant. Tum Romani denunciavere Britonibus, non se ultra ob eorum defensionem tam laboriosis expeditionibus posse fatigari, ipsos potius monent arma corripere, & certandi cum hostibus studium subire, qui non ob aliam causam, quam si ipsi inertia solverentur, eis possent esse fortiores: quinetiam quia & hoc sociis, quos derelinquere cogebantur, aliquid commodi allaturum putabant, murum à mari ad mare recto tramite inter urbes quæ ibidem ob metum hostium factæ fuerant (ubi & Severus quondam vallum fecerat) firmo de lapide locarunt. Quem videlicet murum hactenus famosum atque conspicuum, sumptu publico privatoque adjuncta secum Britannorum manu construebant, octo pedes latum, & duodecim altum, recta ab Oriente in Occasum linea, ut usque hodie intuentibus clarum est. Quo mox condito, dant fortia segni populo monita, præbent instruendorum exemplaria armorum, sed & in littore Oceani ad Meridiem, quo naves eorum habebantur, quia & inde Barbarorum irruptio timebatur, turres per intervalla ad prospectum maris collocant, & valedicunt sociis tanquam ultra non reversuri. Quibus ad sua remeantibus, cognita Scoti Pictique reditus denegatione, redeunt confestim ipsi, & solito confidentiores facti, omnem Aquilonarem, extremamque insulæ partem pro indigenis ad murum usque capessunt.* Hæc Beda.

Denique circiter annum salut. CCCCLV. Martiano imperante, cum amplius hostium impetum Britanni sustinere nequirent, Anglos & Saxones ad sui tutelam vocaverunt, qui Vitos secum adducentes, cum tribus longis navibus vecti Orientalem insulæ partem tenuerunt, cumque fœliciter contra Pictos Scotosque pugnassent, in socios Britannos arma sumpserunt, & insulam tenuerunt. Beda lib. I. *eccles. histor. gent. Anglic.* cap. XV. & Zosimus. Itaque ejectis Præsidibus & militibus Romanis, tota insula est amissa post quingentos annos, quum eam C. Cæsar adiit. Valli autem, per cujus lineam infrascripti milites excubabant, etiam nunc vestigia extare memorantur. Itinerarium Vallum Imperii limitem appellat, in cujus linea excubabant XXIII. tum cohortium Tribuni, tum legionum Præfecti, cum equitum Cuneo, videlicet,

I. TRIBUNUS cohortis quartæ Lergorum præerat Segeduno: Præter hoc aliud duplex est Segedunum, alterum in Celto-Gallia, alterum in Germania. Goropius lib. I. *Gallicor.* scribit, *Dunum* lingua Imbrica collem significare. Lergones verò qui sint non constat. Infra nominatur cohors Lergorum: fortè legendum, aut *Lersorum*, à Lerso oppido Hispaniæ Appiano in *Ibericis*, aut *Lernorum* à Lerna Laconiæ urbe Ptolemæo. Est & secunda Lergorum cohors sub hoc Duce infra.

II. TRIBUNUS cohortis Cornoviorum, pontem Ælii tuebatur; legendum *Cornubiorum*. Est enim Cornubia una ex quatuor partibus Britanniæ, quæ Hispaniam versus extenditur, ac velut peninsula mari circumdatur, instar cornu, primo angustè, postea latius se extendit, idcirco *Cornubia* est vocata, vulgo *Cornowallia*, à quo loco nomen milites acceperunt. Excubabant autem ad partem pontis Ælii, quem super Tinam, aut Escam amnes fuisse verisimile est, & ab Ælio Hadriano, qui multa in Britannia correxit, est ædificatus. Pontem Itinerarium inter Londinum, & Lindum, collocat, & vocat *ad Pontem* Tribunis Præfectos Notitia intermiscet, prout per valli longitudinem dispositi reperiebantur.

I. PRÆFECTVS Alæ primæ Astorum Conderco præerat, ab Asta colonia Ligurum civitate derivantur.

III. TRIBVNVS cohortis primæ Frixagorum Vindobalæ degebat. *Vindoladiam* vocat Itinerarium, Angliæ oppidum: aliqui legunt *Vindolana*, ut infra.

II. PRÆFECTVS Alæ Savinianæ Hunno præsidebat. A Saviensi regione in Pannonia inferiore fortè hæc ala est denominata: aut legendum *Sabiniana* à Sabinis. Hunnum verò ab Hunnis insulam ingressis dici potuit.

III. PRÆFECTVS Alæ secundæ Astorum Cilurno insidebat.

IV. TRIBVNVS cohortis primæ Batavorum Procolitiam tuebatur.

V. TRIBVNVS cohortis primæ Tungrorum præsidebat Borcovico, qui est quasi vicus Borci, vulgo *Barwich*. Tungri in Belgica secunda erant.

VI. TRIBVNVS cohortis quartæ Gallorum Vindolanam custodiebat.

VII. TRIBVNVS cohortis primæ Astorum Æsica, fortè legendum Æsca, qui est fluvius tendens Hiberniam versus in Oceanum.

VIII. TRIBVNVS cohortis secundæ Dalmatarum Magnis excubabat: Locum esse arbitror, qui à Ptolemæo *Magnus portus* dicitur: Inter Muridonum, & Viroconiorum hunc locum Itinerarium locat. Multi verò ordines peditum Dalmatarum esse consueverant, qui robur erant exercitus Romani, ferè omnes ab Alarico Hunnorum Rege sunt occisi, ut vix centum evaserint. Zosimus lib. V. cap. XLV. *Visum est*, inquit, *Honorio quinque Dalmaticos militum ordines de suis excitos sedibus, ad urbis custodiam arcessere. In his ordinibus erant hominum sex millia, qui tum audacia, tum robore corporum exercitus Romani, quasi caput erant.* Et paulo post: *Eorum Dux Valens ..... cunctos in hostium manus sua culpa conjecit, vix centum fugâ delapsi sunt, quorum in numero & ipse Dux erat:* Hæc ille. Aliis ergo extinctis hæc sola peditum cohors postea aucta permansit, cum tamen plurimi equites Dalmatæ superfuerint.

IX. TRIBVNVS cohortis primæ Æliæ Dacorum Amboglannæ residebat. Ab Ælio Hadriano ex Dacis extracta fuit

IV. PRÆFECTVS Alæ Petrianæ Petrianis morabatur: à loco ubi manebat hæc ala est denominata, nunc *Penul* vocatur.

V. PRÆFECTVS Numeri Maurorum Aurelianorum Aballabæ præerat. Hi ab Aureliano Imperatore cognominantur.

X. TRIBVNVS cohortis secundæ Lergorum Congavatæ stativa habebat: Erat & quarta cohors Lergorum sub hoc Duce supra.

XI. TRIBVNVS cohortis primæ Hispanorum Axeloduno insidebat.

XII. TRIBVNVS cohortis secundæ Thracum Gabrosenti degebat. Gabrantanicum in hac insula Ptolemæus collocat.

XIII. TRIBVNVS cohortis primæ Æliæ Classicæ Tunnocelo: Ab Ælio Hadriano forte hæc cohors restituta *Ælia* est nuncupata. Nero ex classe legionem conscripsit, *classicam* dictam. Tacitus *Hist.* lib. I. cap. VI. *Inducta*, inquit, *legione Hispanica, remanente ea, quam è classe Nerò conscripserat.* Hæc tum erat Romæ, quam idem Tacitus deinde *classicam* his verbis nominat cap. XXXI. *Legio classica nihil cunctata Prætorianis adjungitur.* Vel *classica* hæc cohors est dicta, quia classem Britannicam comitabatur, cujus meminit Javolenus *in l. Sejus Saturninus. 46. ad S. C. Treb.* *Sejus*, ait, *Saturninus Archicubernus ex classe Britannica filio Sejo Oceano restitui jussit hæreditatem:* Hæc ille. Reperitur & *legio prima Classicorum*, de qua ita Tacitus *Hist.* lib. II. cap. LXVII. *Prima*, inquit, *classicorum legio in Hispaniam missa, ut pace & ocio mitesceret:* hujus pars fortè hæc cohors fuit. Idem *Hist.* lib. I. c. XXXI. *Legioni*, ait, *Classica diffidebat.* Et *Hist.* lib. II cap. XIV. *Acie ita instructa, ut pars Classicorum permixtis paganis in colles mari propinquos exurgeret.* Rursus: *Intercepti centum equites, ac mille Classici.* Classiarios milites vocat Lampridius in *Commodo* cap. XV. qui vela comitabantur: *Cum illi*, inquit, *sæpe pugnanti, ut Deo, populus favisset, irrisum se credens, populum Romanum a militibus classiariis, qui vela ducebant, in amphitheatro interfici jussit.* A Classica etiam Galliæ Narbonensis colonia hæc cohors posset derivari.

XIV. TRIBVNVS cohortis primæ Morinorum, qui Ptolemæo, Cæsari, & Straboni sunt populi Belgarum Glannibantæ excubabat.

XV. TRIBVNVS cohortis tertiæ Nerviorum Alionæ manebat: *Lancaster* nunc dicitur.

CVNEVS Armaturarum Bremetenraco præerat. *Bremetonaci* est in Itinerario. *Brementum* oppidum Britanniæ nominat Ptolemæus, unde hoc nomen derivatur: Armaturarum equites sunt totis armis tecti etiam Armigeri vocati, de quibus supra.

VI. PRÆFECTVS Alæ primæ Herculeæ Olenaco insidebat.

XVI. TRIBVNVS cohortis sextæ Nerviorum in Virosido oppido excubabat. Hæc sunt præsidia XXXVII. cohortes XVI. quæ cum unis Numeris Maurorum continent fermè peditum octo mil. Alæ verò quinque & Cuneus Clibanariorum minimum sunt equites DC. Extra lineam Valli per Britanniam erat legio VI. continens milites circiter M. Numeri X. quos interpretor fuisse partes legionum sub præfecturis, omnes poterant esse sex mil. peditum. Tres equitum ordines fermè CCC. Pedites omnes sunt fermè XIV. mil. Equites DCCCC. qui merebant sub Duce in Britannia, præter eos, qui in eadem insula regebantur à Comitibus, & erant circiter peditum IX. mil. & mille equites, qui simul juncti efficiunt fermè XXIII. mil. peditum & equitum duo mil. DCCCC. qui universam Britanniam tuebantur. Hic nulla classis Britannica nominatur, cujus Jureconsf. *in d. l. Sejus. 46. ad Trebell.* & Tacitus *Ann.* secundo meminerunt.

NOTITIA.

DUX MOGONTIACENSIS,

EJUSQUE INSIGNIA.



NOTITIA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Mogontiacensis.

PRÆFECTUS militum Pacensium, Saletione.
Præfectus militum Menapiorum, Tabernis.
Præfectus militum Anderecianorum, Vico Julio.
Præfectus militum Vindicum, Nemetes.
Præfectus militum Martensium, alta Ripa.
Præfectus militum secundæ Flaviæ, Vangiones.
Præfectus militum Armigerorum, Mogontiaco.
Præfectus militum Bingensium, Bingio,
Præfectus militum Balistariorum, Bodobrica.
Præfectus militum Defensorum, Confluentibus.
Præfectus militum Acincensium, Antonaco.
Officium autem habet idem spectabilis Dux hoc modo:
Principem ex officiis Magistrorum militum Præsentalium alternis annis.
A Numerarium à parte peditum semper.
Commentariensem à parte peditum semper.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

CAP. LXXXVIII.

DE DUCE MOGONTIACENSI.

COMMENTARIUM.

B MOGONTIACUM, nunc *Maguntia* nuncupata, Itinerario metropolis est Germaniæ primæ secundùm Rhenum, cui & ejus tractui præerat Dux Mogontiacensis. Reliquæ Germaniæ primæ alius Dux præfuit, & alius Argentorato, quæ & ipsa ejusdem provinciæ erat urbs clarissima. Ob incursum Hunnorum tot in eadem provincia copiarum Duces esse oportuit, ut hostium furori facilius occurrerent, cum unus tam multis in locis sufficere non posset. Marcellinus lib. XIV. cap. V. sub Constantio Principe Gerontium, quem in exilium egit; sub Valentiniano Florentium Maguntiaci Ducem C fuisse scribit, lib. XXIX. cap. IV.

Insignia habet eadem, quæ & alii Duces *cum* XI. *oppidis*, quot erant & Præfecti. Officium verò hoc modo:

modo: *Principem ex officiis Magistrorum militum Præsentalium alternis annis. Numerarium & Commentarensem a parte peditum semper, Adjutorem, Subadjuvum, Regerendarium, Exceptores, Singulares, & reliquos Officiales.*

Itinerarium in hoc tractu VII. alas, & III. legiones locat. Sed Notitia XI. legionum Præfectos, sine equitibus recenset, & sunt sequentes.

I. PRÆFECTVS militum Pacensium Saletione residebat. *Sulissona* in Itinerario. Est prope Argentoratum. *Salisonem* Marcellinus vocat, de quo & sequentibus ita scribit lib. XVI. cap. II. *Audiens Argentoratum, Brotomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas, Vangiones, & Maguntiacum civitates Barbaros possidere, ... primum omnium Brotomagum occupavit.* Hæc una est ex legionibus XXXII. Comitatensibus.

II. PRÆFECTVS militum Menapiorum Tabernis habitabat. Hujus loci Itinerarium meminit, vulgo *Tabern:* in agro Argentoratensi Tabernas, & tres Tabernas Marcellinus lib. cit. cap. XI. nominat, quas dirutas à Juliano Apostata restauratas fuisse scribit: *Julianus*, inquit, *ad reparandas tres Tabernas, munimentum ita cognominatum, haud ita dudum obstinatione subversum hostili, quo ædificato constabat ad intima Galliarum, ut consueverant, adire Germanos arceri, & opus spe celerius consummavit.* Hæc ille. Menapii sunt populi Galliæ Belgicæ, vulgò *Geldrenses* dicti. Hæc una est ex XXXII. legionibus Comitatensibus.

III. PRÆFECTVS militum Andereciariorum Vico Julio præsidebat. Andes Celtarum populi, à Cæsare Andegavenses appellantur, ex quibus & Renis hos milites constare arbitror. Vico Julium verò est Vicus Julii oppidi in Belgis vulgò *Julach* dicti, propè Maguntiam. Itinerarium legit *Juliacenum*.

IV. PRÆFECTVS militum Vindicum Nemetes incolebat. Nemetes non longè sunt à Maguntia ad Rhenum siti, ubi est Spira. *Nemetacum* corruptè est in Itinerario. *Vindices* à Cajo Julio Vindice Gallo dicti, qui Galbam Imperatorem creavit cum Galliis præesset, Dion in *Nerone*. à Verginio verò Rufo profligatus se ipse interfecit. Tranquill. in *Nerone*, & *Galba*, Plutarchus, Plinius epist. XXIV. lib. VIII. Tacitus *Ann.* lib. XV. & *Hist.* lib. I.

V. PRÆFECTVS militum Martensium altam Ripam incolebat. Erat etiam Ripa alta in Valeria, ubi equites Dalmatæ excubabant. *Martenses* verò ex Martia oppido Belgicæ videntur deducti, & sunt una ex XVIII. Pseudo-Comitatensibus Occidentis.

VI. PRÆFECTVS militum secundæ *Flaviæ* Vangiones tuebatur: nunc *Vormatium* dictum, & ipsi sunt ad Rhenum propè Treviros. Hi milites sunt pars legionis Flaviæ secundæ virtutis, quæ est una ex XXXII. Comitatensibus: hæ omnes erant sub Præfectis legionumque partes.

VII. PRÆFECTVS militum Armigerorum Mogontiaco præerat. Tacitus & Ammianus *Magontiacum*, Ptolemæus *Mocontiacum*, *Mogontiam* Eutropius, & Itinerarium appellant, quo nomine nunc vocatur. Ea est sedes Archiepiscopi ad Rhenum, ubi ostia Oeni fluminis. Armigeri, una erat ex XII. legionibus Palatinis.

VIII. PRÆFECTVS militum Bingensium Bingio præsidebat, à quo milites nomen tulerunt. Itinerarium legit *Vingo*. Ejus Tacitus, & Marcellinus meminerunt, vulgo *Bing* dicitur, hanc Julianus Apostata acquisivit, Marcellinus lib. XVIII. cap. II. *Civitates*, inquit, *occupata sunt septem, Castra Herculis, Quadriburgium, Stricensium, Nemesium, Bonna, Antennatum, & Bingio.*

IX. PRÆFECTVS militum Balistariorum Bodobricam incolebat. *Baudobrico* legit Itinerarium, Germaniæ oppidum est ad Rhenum.

X. PRÆFECTVS militum Defensorum Confluentibus, ubi, inquit Ammianus, Mosella Rhenum influit, unde *Confluentes* nomen habuerunt. Hujus loci meminit Itinerarium. Legionem primam seu Trajanam ibi olim collocatam Ptolemæus scribit. Defensorum Armigerorum legio una ex XXXII. Comitatensibus.

XI. PRÆFECTVS militum Acincensium Antonaco præerat. *Antunnaco* in Itinerario. Antonaco apud Ammianum lib. XVIII. Antenocense Castellum nominat Fortunatus lib. X. *de navigio suo.* oppidum est ad Rhenum, vulgo *Andernach* dictum. Ab Acinco verò, quod oppidum Valeriæ Notitia supra ascribit, *Acincenses* hi milites sunt appellati. Sicut & *Acincensis* fabrica ibi sita.

Horum militum numerus non ponitur, sed legionibus in præfecturas divisis, singulæ millenos, & quandoque quingenos, secundum Constantinum Porphyrogennetam capiebant, neque enim hoc tempore legiones, ut olim, erant sex & septem millium, quas etiam suo seculo exhaustas fuisse Vegetius lib. II. cap. III. conqueritur. Poterant omnes milites esse sex millia.

Hæc sunt quæ ad Comites, & Duces limitaneos Occidentis pertinent. Sequuntur aliæ peditum Præpositurae, quas nulli Duci aut Comiti, sed soli Magistro militum in præsenti, ut docet inscriptio paruisse puto. De bis igitur tractabimus, ab Italia auspicati, quemadmodum in Notitia recensentur.

NOTITIA.

Item Præpositura Magistri militum Præsentalium à parte peditum in Italia.

In Provincia Venetia inferiore.

Præfectus Classis Venetum, Aquilejæ.

In Provincia Flaminia.

Præfectus militum juniorum Italicorum, Ravennæ.

Præfectus Classis Ravennatium cum curis ejus de Civitate, Ravennæ.

In Provincia Liguria.

Præfectus Classis Comensis cum curis ejusdem Civitatis, Comi.

In Provincia Campania.

Præfectus Classis Misenatium, Miseno.

In Provincia Gallia Riparensi.

Præfectus Classis fluminis Rhodani, Viennæ, sive Arelati.

Præfectus Classis Barcariorum, Ebruduni Sapaudiæ.

Præfectus militum Musculariorum, Massiliæ Græcorum.

Tribunus cohortis primæ Flaviæ, Sapaudiæ Calaronæ.

In Provincia Novempopulana.

Tribunus cohortis Novempopulanæ, Lapurdo.

In Provincia Lugdunensi prima.

Præfectus Classis Araricæ, Caballoduno.

In

In Provincia Lugdunensi Senonia.

Præfectus Classis Anderecianorum, Parisiis.

In Provincia Hispaniæ Gallecia.

Præfectus Legionis septimæ geminæ, Legione.

Tribunus cohortis secundæ Flaviæ Pacatianæ, Pætaonio.

Tribunus cohortis secundæ Gallicæ, ad cohortem Gallicam.

Tribunus cohortis Lucensis, Luco.

Tribunus cohortis Celtiberæ, Brigantia, nunc Juliobriga.

In Provincia Tarraconensi.

Tribunus cohortis primæ Gallicæ, Veleja.

Præfectus Lætorum Teutonicianorum, Carnunto Senoniæ Lugdunensis.

Præfectus Lætorum Batavorum & Gentilium Suevorum, Bajocas, & Constantiæ Lugdunensis secundæ.

Præfectus Lætorum Gentilium Suevorum, Cenomannos Lugdunensis tertiæ.

Præfectus Lætorum Francorum, Redonas Lugdunensis tertiæ.

Præfectus Lætorum Lingonensium, per diversa dispersorum Belgicæ primæ.

Præfectus Lætorum Actorum, Epuso Belgicæ primæ.

Præfectus Lætorum Nerviorum, Fanomantis Belgicæ secundæ.

Præfectus Lætorum Batavorum Nemetacensium, Atrebatis Belgicæ secundæ.

Præfectus Lætorum Batavorum Contraginensium, Noviomago Belgicæ secundæ.

Præfectus Lætorum gentilium, Remos, & Silvanectas Belgicæ secundæ.

Præfectus Lætorum Lagensium, prope Tungros Germaniæ secundæ.

Præfectus Lætorum Gentilium Suevorum, Arvernos Aquitaniæ primæ.

Item in Provincia Italia.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Apuliæ & Calabriæ.

Præfectus Sarmatarum gentilium, per Brutios & Lucaniam.

Item in Provincia Italia Mediterranea.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Foroful-viensi.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Opitergio.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Patavio.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Veronæ.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Cremonæ.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Taurinis.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Aquis, sive Tertonæ.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Novariæ.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Vercellis.

A Præfectus Sarmatarum gentilium, Regionis Samnitis.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Bononiæ in Æmilia.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Quadratis & Eporizio.

Præfectus Sarmatarum gentilium, in Liguria Pollentiæ.

Præfectus Sarmatarum, & Taifalorum gentilium, Pictavis in Gallia.

B Præfectus Sarmatarum gentilium, à Chora Parisios usque.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Inter Remos, & Ambianos Provinciæ Belgicæ secundæ.

Præfectus Sarmatarum gentilium, per tractum Segolaunorum.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Lingonas.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Augustodunum.

COMMENTARIUM.

C POST Comitum & Ducum Limitaneorum copias, Notitia quasdam Italiæ, Galliarum, & Hispaniæ Præposituras, hic summatim colligit, quibus nec Comites Italiæ, aut Hispaniarum, sed solus, ut videtur, Magister peditum imperabat, & ideo ultimo loco hi explicandæ sunt reservatæ. Sunt autem Præfecturæ Classium VIII. militum XXXVI. Tribunatus VII. Præfecturæ, inquit Constantinus Porphyrogenneta *de Thematib.* erant mille, & aliquando D. milites, unde cum tribunatibus fortè efficiebant circiter millia peditum XXX. His aliæ Lætorum & Sarmatarum Præfecturæ subnectuntur.
D Videntur autem prima fronte confusè & sine ordine disponi, cum primo Italiæ, deinde Galliarum, mox Hispaniarum, rursus Galliarum, Belgicæque atque Italiæ, ac denuo Galliarum Præfecturæ recitentur. Verum nihil temerè, sed cuncta suo ordine narrantur. Italiæ enim ut dignioris IV. Classium Præfecturæ præcedunt, & una militum Italicorum Ravennæ, ubi Imperator residebat, degentium. His subnectuntur quæ in Galliis & Hispaniis merebant, demum Lætorum & XXI. Sarmatarum legiones latè per præfatas provincias dispositæ, ne separentur, unico recensentur contextu. Prius igitur Lætorum, prout in Galliis, Belgicaque prima & secunda & Germania
E prima dispositæ erant; deinde Sarmatarum, prout per Italiam, & Gallias, Belgiasque & ipsæ divisæ reperiebantur, Præfecturæ explicantur. Non ergo per saltus, sed hoc ordine cuncta traduntur. Læti ex Lætis Galliæ populis contracti in sua provincia merebant. Zosimus lib. II. cap. LIV. *Magnentius*, inquit, *vix erat apud Latos, quæ Gallica natio est*: Hæc ille. Sarmatas notum est Polonos, & his proximas gentes esse: Hæ copiæ nullibi suprà sunt nominatæ, ibi enim sub Magistris legiones, auxiliaresque atque equitum turmæ in Occidentis provinciis extra præsidia militantes recitantur. Hic præsidiorum aut legionum Præfecturæ sub solo Magistro pedi-
F tum, non cum Comitibus, aut Ducibus merentes numerantur; quæ omnes erant numero XLIIII. & Tribunatus VII. Hoc modo: Præfecturæ Italiæ XX. Galliarum XXIII. & Tribuni cohortium II. Hispaniarum Præfectura I. & Tribuni cohortium V. qui omnes sunt, Præfecti XLIIII. & Tribuni VII. Ac simul LI. Præposituras constituebant. Ex XX. verò Italiæ Præfectis, quatuor totidem Classibus præ-

In Provincia Lugdunensi Senonia.

Præfectus Classis Anderecianorum, Parisiis.

In Provincia Hispaniæ Gallecia.

Præfectus Legionis septimæ geminæ, Legione.

Tribunus cohortis secundæ Flaviæ Pacatianæ, Pætaonio.

Tribunus cohortis secundæ Gallicæ, ad cohortem Gallicam.

Tribunus cohortis Lucensis, Luco.

Tribunus cohortis Celtiberæ, Brigantia, nunc Juliobriga.

In Provincia Tarraconensi.

Tribunus cohortis primæ Gallicæ, Veleja.

Præfectus Lætorum Teutonicianorum, Carnunto Senoniæ Lugdunensis.

Præfectus Lætorum Batavorum & Gentilium Suevorum, Bajocas, & Constantiæ Lugdunensis secundæ.

Præfectus Lætorum Gentilium Suevorum, Cenomannos Lugdunensis tertiæ.

Præfectus Lætorum Francorum, Redonas Lugdunensis tertiæ.

Præfectus Lætorum Lingonensium, per diversa dispersorum Belgicæ primæ.

Præfectus Lætorum Actorum, Epuso Belgicæ primæ.

Præfectus Lætorum Nerviorum, Fanomantis Belgicæ secundæ.

Præfectus Lætorum Batavorum Nemetacensium, Atrebatis Belgicæ secundæ.

Præfectus Lætorum Batavorum Contraginensium, Noviomago Belgicæ secundæ.

Præfectus Lætorum gentilium, Remos, & Silvanectas Belgicæ secundæ.

Præfectus Lætorum Lagensium, prope Tungros Germaniæ secundæ.

Præfectus Lætorum Gentilium Suevorum, Atvernos Aquitaniæ primæ.

Item in Provincia Italia.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Apuliæ & Calabriæ.

Præfectus Sarmatarum gentilium, per Brutios & Lucaniam.

Item in Provincia Italia Mediterranea.

Præfectus Sarmatarum gentilinm, Forofuliensi.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Opitergio.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Patavio.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Veronæ.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Cremonæ.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Taurinis.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Aquis, sive Tertonæ.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Novariæ.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Vercellis.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Regionis Samnitis.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Bononiæ in Æmilia.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Quadratis & Eporizio.

Præfectus Sarmatarum gentilium, in Liguria Pollentiæ.

Præfectus Sarmatarum, & Taifalorum gentilium, Pictavis in Gallia.

Præfectus Sarmatarum gentilium, à Chora Parisios usque.

Præfectus Sarmatarnm gentilium, Inter Remos, & Ambianos Provinciæ Belgicæ secundæ.

Præfectus Sarmatarum gentilium, per tractum Segolaunorum.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Lingonas.

Præfectus Sarmatarum gentilium, Augustodunum.

COMMENTARIUM.

POST Comitum & Ducum Limitaneorum copias, Notitia quasdam Italiæ, Galliarum, & Hispaniæ Præposituras, hic summatim colligit, quibus occ Comites Italiæ, aut Hispaniarum, sed solus, ut videtur, Magister peditum imperabat, & ideo ultimo loco hi explicandæ sunt reservatæ. Sunt autem Præfecturæ Classium VIII. militum XXXVI. Tribunatus VII. Præfecturæ, inquit Constantinus Porphyrogenneta *de Thematib.* erant mille, & aliquando D. milites, unde cum tribunatibus fortè efficiebant circiter millia peditum XXX. His aliæ Lætorum & Sarmatarum Præfecturæ subnectuntur. Videntur autem prima fronte confusè & sine ordine disponi, cum primo Italiæ, deinde Galliarum, mox Hispaniarum, rursus Galliarum, Belgicæque atque Italiæ, ac denuo Galliarum Præfecturæ recitentur. Verum nihil temerè, sed cuncta suo ordine narrantur. Italiæ enim ut dignioris IV. Classium Præfecturæ præcedunt, & una militum Italicorum Ravennæ, ubi Imperator residebat, degentium. His subnectuntur quæ in Galliis & Hispaniis merebant, demum Lætorum & XXI. Sarmatarum legiones latè per præfatas provincias dispositæ, ne separentur, unico recensentur contextu. Prius igitur Lætorum, prout in Galliis, Belgicaque prima & secunda & Germania prima dispositæ erant; deinde Sarmatarum, prout per Italiam, & Gallias, Belgiasque & ipsæ divisæ reperiebantur, Præfecturæ explicantur. Non ergo per saltus, sed hoc ordine cuncta traduntur. Læti ex Lætis Galliæ populis contracti in sua provincia merebant. Zosimus lib. II. cap. LIV. *Magnentius,* inquit, *vix erat apud Latos, quæ Gallica natio est*: Hæc ille. Sarmatas notum est Polonos, & his proximas gentes esse: Hæ copiæ nullibi suprà sunt nominatæ, ibi enim sub Magistris legiones, auxiliaresque atque equitum turmæ in Occidentis provinciis extra præsidia militantes recitantur. Hic præsidiorum aut legionum Præfecturæ sub solo Magistro peditum, non cum Comitibus, aut Ducibus merentes numerantur; quæ omnes erant numero XLIIII. & Tribunatus VII. Hoc modo: Præfecturæ Italiæ XX. Galliarum XXIII. & Tribuni cohortium II. Hispaniarum Præfectura I. & Tribuni cohortium V. qui omnes sunt, Præfecti XLIIII. & Tribuni VII. Ac simul LI. Præposituras constituebant. Ex XX. verò Italiæ Præfectis, quatuor totidem Classibus præ-

erant; itaque XVI. ibi præsidiorum Præfecti remanebant. Ex XXIII. quoque Galliæ Præfectis itidem quatuor totidem Classes regebant; unde XIX. Præfecti præsidiariis legionibus, seu earum partibus imperabant: Quare præter octo Classes quatuor Italiæ, & Galliarum quatuor, in Italia erant XVI. præsidiorum Præfecturæ; in Galliis & Hispania XX. quæ junctis Tribunis VII. faciunt præsidia XLIII. & circiter XXX. millia peditum effecisse diximus. Ita verò hæ copiæ erant dispositæ.

In Provincia Venetia inferiore.

I. PRÆFECTVS Classis Venetum Aquilejæ stationem habebat. Venetiæ regio ab Athesi usque ad Timavum extenditur, & hæc in superiorem & inferiorem dividitur, à Natisone, vel, ut alii volunt, Tilia vento citrà superior vocatur, ultrà inferior Venetia, ubi classis cum Præfecto Aquilejæ morabatur, quam Augustus victo apud Actium promontorium M. Antonio instituit. Ejus enim triremes captas, cum valido remige ad Forum Juliense misit, ut Tacitus lib. IV. *Ann.* scribit. Præter has, centum & amplius navium erat Classis in Danubio seu Limite Mysiaco, & Scythico, *l.* I. *C. T. de lusoriis Danub.* & alia in Britannia: Aquileja verò civitas, ubi Venetum classis morabatur, est in foro Julii, olim post Romam prima in Italia, nunc diruta, de qua Plinius, Ptolemæus, Strabo, & alii. *Aculejam* vocat Stephanus, colonia est in Vespasiani nummo.

In Provincia Flaminia.

II. PRÆFECTVS militum juniorum Italicorum Ravennæ degebat. erant pars legionis Italicæ.

III. PRÆFECTVS Classis Ravennatium cum curis ejus de civitate Ravennæ. Augustus præter Venetam alias duas classes, alteram apud Misenum, alteram apud Ravennam instituit, ut ea maria tuerentur, præter rostratas naves: quæ Galliæ litus defendebant. Tranquillus in *August.* cap. XLIX. *Classem,* ait, *Miseni, & alteram Ravennæ ad tutelam superi & inferi maris collocavit:* idem Tacitus latius iis verbis explicat *Ann.* lib. IV. cap. V. *Italiam, utroque mari duæ classes Misenum apud & Ravennam, proximumque Galliæ littus rostratæ naves præsidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Forojuliense miserat valido cum remige.* Hæc ille. Hanc illustrem Forojuliensium coloniam idem appellat, in *vita Julii Agricolæ.* unde ortum scribit Julium Agricolam, & Valerium Paulinum *Hist.* lib. III. Flaminiæ Consularem, Martyrolog. XXVIII. *Apr.* XIX. *Julii.* sed in pios sævum. Eam coloniam à C. Julio Cæsare deductam tam ejus nomen quàm nummi indicant.

Quod verò Notitia subjicit, cum curis de civitate Ravennæ, intelligit veredarios, quibus ad classem necessaria ex civitate Ravennæ celeriter extrahebantur. curas enim cursum publicum vocat Constantinus, *in l.* I. *C. de off. mag. offic.* *Ad curas,* inquit, *agendas, & cursum illi exeant, quos ordo militia vocat.* Idem A. ad Taurum P. P. *in l.* 2. *C. de curiosis: Agentes,* ait, *in rebus in curis agendis, & evectionibus publici cursus inspiciendis, nostrorum memores præceptorum esse credimus.* Hic igitur curæ pro cursu publico accipiuntur. Huic enim classi Præfectus equis & rhedis cursus publici civitatis Ravennæ ad expedienda classis necessaria utebatur. unde *curiosi* vocantur qui præsunt cursui publico, *toto tit. C. de curiosis.* posset etiam curas appellare curatores, qui commeatum, & necessaria ad classem procurabant, vel ipsas classis necessitates, prout accipiuntur in Actis martyrum sub Diocletiano Imperatore, apud Cæsarem Card. Baron. *an.* CCXC. *Vincito,* inquiunt, *ferro manus ac pedes illius, nec dimissitatis aliquem curam ei apponere.*, id est, ad victum necessaria. De hac classe & altera in portu Miseno ita Vegetius lib. V. cap. I. *Apud Misenum,* inquit, *& Ravennam singulæ legiones* Romani nominis *cum classibus stabant, ne longè à tutela urbis abscederent, & cum ratio postulasset, sine mora, sine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent. Nam Misenatium classis Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo. Classis autem Ravennatium, Epirum, Macedoniam, Achajam, Propontidem, Pontum, Orientem...... petere directa navigatione consueverat: quia in rebus bellicis celeritas plus solet prodesse, quam virtus.* Idem seq. cap. *Liburnis autem, quæ in Campania stabant, Præfectus classis Misenatium præerat. ea verò, quæ in Jonio mari locata erant, ad Præfectum classis Ravennatium pertinebant. sub quibus erant deni Tribuni per cohortes singulas constituti.* Hæc Vegetius. Ex quibus verbis liquet Liburnas à classibus divisas in Campania, & Jonio mari navigasse.

In Provincia Liguria.

IV. PRÆFECTVS Classis Comensis cum curis ejusdem civitatis Como præsidet. Hæc classis per lacum Larium vulgò Comi vocatum navigabat. Novum Comum à Tranquillo nominatur in *C. J. Cæsare* cap. XXVIII. Colonia Romanorum est apud Strabonem: Curæ civitatis Comi sunt, equi, & rhedæ currentes in ea urbe dispositæ, vel alia ad classem necessaria, ut suprà de curis Ravennæ est dictum, *in l.* 2. *C. de curiosis.* Huic ergo classi Præfectus præest in Comi civitate, quæ tum erat in Liguria.

In Provincia Campania.

V. PRÆFECTVS Classis Misenatium Miseno, qui est mons circa Neapolim, in cujus magnifico portu tunc classis stationem habebat. Misenum oppidum vocat Joseph. lib. XIX. *Antiq. Jud.* cap. I.

In Provincia Gallia Riparensi.

VI. PRÆFECTVS Classis in flumine Rhodani Viennæ sive Arelati residebat: hoc dicit quia utrobique stationem habebat: Vienna est in superiori parte Rhodani, non longè à Lugduno: à Cretensibus, inquit Stephanus, ædificata, & à virgine Vienna, quæ ibi saltans obiit, appellata. Legitur in Neronis nummo VIENNA LEG. VII. CLAVDIA. *Viennensem* Galliam vocat Ammianus lib. XV. cap. XI. in qua Massilia est & Arelate urbs, vulgò *Arles* vocata, in ostio fluminis Rhodani, ubi mare ingreditur: in Jure nominata, *in l. habebat. ff. de instit. l. patronus, §.* 2. *ff. de le.* 3. *l.* 5. *&* 6. *C. Th. de appell.* Colonia Romanorum est Ptolemæo. Arelatena Sextanorum Plinio. Vetus est inscriptio COL. IVLIA PIA ARELATE. A ripis verò horum fluminum, ubi classes stabant, Gallia *Riparensis* est appellata, unde *Ripenses* milites, *in l.* 4. *C. T. de veteranis.*

VII. PRÆFECTVS classis Barcariorum (fortè legendum Braccariorum, à Bracca urbe Lusitaniæ) residebat Ebruduni Sapaudiæ: *Eborodunum* Ptolemæus Caturigum oppidum in Alpibus Grajis appellat. *Ebrodunum* Itinerarium. Hæc classis Eburoduni, vel, ut hic scribitur, Ebruduni stationem habebat, & per Rhodanum, & Lacum Lemannum excurrebat, qui nunc Losannæ vocatur, & est in Sabaudia, ubi olim Allobroges. Si legimus *Barcariorum*, hanc classem ex barcis constituisse dicemus. Est autem

barca

barca genus minoris navigii, quod onerariis navibus inservit. Isidorus *Etymol.* lib. XIX. cap. I. *Barca est*, inquit, *qua cuncta navis commercia ad littus portat. Hac merces in pelago propter nimias undas suo suscipit gremio. Ubi autem appropinquaverit portus, reddit vicem barca navi, quam accepit in pelago.* L. Greg. Gyral. *de re nauti.* De hac ita Paulinus his versibus:

Ut mox salubri barca perfugio foret,
Puppi superstes obruta.

In Actis S. Afræ rogaverunt descendentes de barca, ut se transferrent, ubi hæc Volserus annotavit.

VIII. PRÆFECTUS militum Muscularìorum degebat Massiliæ Græcorum. *Muscularii* dicti sunt à Musculo machina, quâ tecti fossas oppidorum complanabant, cujus sæpè Cæsar meminit. Hi pedites Massiliæ morabantur, quæ urbs est citra ostium Rhodani in ora maris. Massilia Græcorum Phocensium à Plinio appellatur, quia ab his condita fuit. D. Hieronymus *in epist. ad Galatas*, Massiliam & ipse à Phocensibus conditam scribit, quos trilingues fuisse, id est, Græcè, Latinè, & Gallicè locutos M. Varro refert. Gymnasium Græcarum literarum nobile secundum Athenas ibi floruisse Strabo memorat. Nomen urbi navis gubernator, inquit Stephanus, dedit: qui eò appellens, piscatori jussit, ut funem navis ligaret, μάσσειν enim Æoles dicunt ligare, & ἁλιεὺς est piscator. Massaliam verò pro Massilia, Ptolemæus, & Eustathius nominant.

I. TRIBUNUS cohortis primæ Flaviæ Sapaudiæ Calaronæ stativa habebat.

In Provincia Novempopulana.

II. TRIBUNUS cohortis Novempopulanæ Lapurdo præsidebat. De Novempopulis Pyrenæi radices incolentibus supra dixi.

In Provincia Lugdunensi prima.

IX. PRÆFECTUS Classis Araricæ, Ararim *Sône* vulgo dicunt. Is supra Allobroges ad Occidentem fluens Rhodano, ubi est Lugdunum, conjungitur, Classis Caballoduni stationem habebat: Ptolemæus *Caballinum* ponit in Lugdunensi oppidum. Cæsar lib. VII. *belli Gall.* Cabilonum, vulgo *Châlons*. Itinerarium hic legionem XIIII. locat.

In Provincia Lugdunensi Senonia.

X. PRÆFECTUS Classis Anderetianorum Parisiis. Hæc provincia est ultra Hemenum montem, inter Sequanam, & Ligerim. Classem verò Parisiis stationem habentem, & Anderetiani milites tuebantur, de quibus supra dixi: ipsa per Sequanam fluvium, *Seine* vulgo nuncupatum, navigabat.

In Provincia Hispania Gallecia.

XI. PRÆFECTUS Legionis septimæ Geminæ Legione: Itinerarium habet *ad Gallecias ad Legionem VII. Geminam.* Gallecia est ultra Duriam amnem, usque ad Nerium Promontorium, quod caput finis terræ vulgo vocatur, ubi Septima Gemina legio cum suo Præfecto residebat. Ptolemæus *Germanicam* legionem septimam pro Gemina appellat: Unde urbs Legio dicitur prope Augustam Asturicam, vulgo *Leonem* appellant, quasi Legionem. *Legisa* est Itinerario.

III. TRIBUNUS cohortis secundæ Flaviæ Pacatianæ, à Pacatia urbe Mauritaniæ appellata, Pætaonii morabatur. Ptolemæus & Itinerarium *Petavonium* vocant, urbem in Hispania Tarraconensi.

IV. TRIBUNUS cohortis II. Gallicæ ad cohortem Gallicam, ita locus ab ipsa cohorte est dictus.

V. TRIBUNUS cohortis Lucensis Luco præsidebat, propè Flavium Brigantum. Lucus Augusti urbs est opulenta, nunc *Lucensis* dicta, undè hæc cohors denominatur. Est etiam Lucus Asturum Oceano propinquior.

VI. TRIBUNUS cohortis Celtiberæ, ex Celtiberis conflatæ, stativa habebat Brigantiæ, nunc *Juliobriga*. Coloniam Ptolemæus & Plinius appellant. Celtiberi Hispaniæ populi, quasi ex Celtis, & Iberis commixti, nunc *Biscaini* vocantur.

In Provincia Tarraconensi.

VII. TRIBUNUS cohortis primæ Gallicæ degebat Velejæ, *Veljam* nominat Ptolemæus. Itinerarium *Beliam*, Stephanus *Belonem*, olim *Julia*, nunc *Belia* dicitur Caristorum oppidum, *Helna* Plinio: Situm est ad mare Balearicum prope Cordubam. Notitia præsidiis Hispaniarum expositis, ad Gallias revertitur, ne duas legiones disjungat, Lætorum scilicet & Sarmatarum, qui cum plurimi essent proprium catalogum meruerunt. Lætos verò prius recenset.

In Provincia Lugdunensi secunda, & tertia.

XII. PRÆFECTUS Lætorum Teutonicianorum præerat Carnunto Senoniæ, seu IIII. Lugdunensis. Ex Lætis Galliæ populis Lætos milites extractos fuisse diximus. *Teutoniciani* verò sunt nuncupati, quia Teutonicis mixti erant, ut & sequentes Læti Batavi, & alii hujusmodi. Zosimus lib. IV. scribit Valentinianum maximam juvenum multitudinem, tum de Barbaris Rheno accolis, tum de subjectarum Imperio Romano gentium agricolis collegisse, & Numeris militaribus adscripsisse.

XIII. PRÆFECTUS Lætorum Batavorum, & Gentilium Suevorum Bajocas, & Constantiæ Lugdunensis secundæ excubabat. Bajocensium civitas à Ptolemæo statuitur ad Sequanam: *Bajocasses* vocat Ausonius, *Bajocas* Sidonius IV. epist. *ad Luconium.* vulgò *Bayeux*, nec longè ab ea est Constantia, à Constantio cognominata in secunda Lugdunensi. Constantia castra in Galliis ponunt Marcellinus & Itinerarium. Duobus his in locis ex diversis gentibus collecti hi milites sub uno Præfecto stativa habebant. Gentiles verò dicebantur Barbari, qui non erant Imperio Romano subjecti, & Idololatræ, *ut in l. a legatis.* 8. *C. de vectigal. & commiss.* Theodosius A. *in l. fin. C. de offic. milit. judic.* *Duces*, inquit, *militum, & præcipuè quibus gentes, quæ maximè cavendæ sunt, appropinquant, in ipsis limitibus commorari præcipimus.* & Valentinianus *in l.* I. *C. T. de nupt. Gentil.* *Nulli*, inquit, *provincialium cum Barbara sit uxore conjugium, nec ulli Gentilium provincialis fœmina copuletur.*

XIV. PRÆFECTUS Lætorum Gentilium Suevorum Cenomannos Lugdunensis tertiæ incolebat. Cenomannos in Lugdunensi Gallia Plinius, & Ptolemæus ponunt, apud quos hi milites degebant. Vetus codex legit, *Suevorum & Genomannos*, fortè Cenomannorum.

XV. PRÆFECTUS Lætorum Francorum Redonas Lugdunensis III. tuebatur, à Cæsare & Ptolemæo inter Armoricos juxta Ligerim fluvium Redonæ ponuntur. Franci erant Germaniæ populi, qui Rhætiam incolebant, & demum Gallias occuparunt, ex quibus hi milites sunt lecti. Auctor est Tacitus *Ann.* lib. III. cap. XLI. cohortem Lugduni præsidio fuisse, cujus nulla in Notitia mentio habetur. *Andegavos*, inquit, *Acilius Aviola excita cohorte, quæ Lugduni præsidium agitabat, coercuit.* Et *Hist.* lib. I. cap. LXIV. Italicam legionem cum ala Taurina, in Lugdu-

Lugdunensi fuisse scribit, & cohortes XVIII. Lugduni hiberna habuisse; *Legio*, ait, *Italica*, *& ala Taurina abducta. Cohortes XVIII. Lugduni solitis in hibernis relinqui placuit.*

In Provincia Belgica prima & secunda.

XVI. PRÆFECTUS Lætorum Lingonensium per diversa dispersorum Belgicæ primæ. Ligonei olim Ligones nominabantur, populi Belgicæ primæ, quemadmodum scribit Ptolemæus, qui *Longones* appellat. Cæsar inter Celtas locat. Itinerarium in prima Lugdunensi.

XVII. PRÆFECTUS Lætorum Astorum Eposo Belgicæ primæ præerat. Hi ex Galliis, & Astorum Hispaniæ oppido, quod nunc *Handix* dicitur, erant collecti, & in loco Belgicæ primæ Epuso dicto, habitabant. *Epussius* vicus est Itinerario. *Asta* Plutarcho in *Demetrio*, est nomen regionis in Peloponnesso: unde hi possent esse contracti.

XVIII. PRÆFECTUS Lætorum Nerviorum Fanomantis Belgicæ secundæ degebat. De his militibus supra est visum. Fanomartis est apud Itinerarium, schedam Volseri, & alios, ad Scaldim fluvium, ita ut hanc lectionem veriorem putem.

XIX. PRÆFECTUS Lætorum Batavorum Nemetacensium Atrebatis Belgicæ secundæ residebat. Batavi seu Hollandi erant cum Nemetanis ex Germania prima delectis militibus permixti. Unde Batavi Nemetacenses vocabantur, Atrebatum verò regio nunc *Artois* dicitur.

XX. PRÆFECTUS Lætorum Batavorum Contraginensium Noviomago Belgicæ secundæ præsidebat. *Aginnum* Ptolemæo, Itinerario, & Ausonio est in Belgis oppidum. *Contra Aginum* habet Itinerarium, sed credo legendum *contra Aginnum*: unde milites Contraginenses sunt appellati. A Reginea etiam oppido Belgicæ in scheda Volseri possent derivari. Noviomagus verò est oppidum Belgicæ inter Suessam, & Ambianos Itinerario, quod hic legionem decimam octavam locat. Scheda Volseri ad Rhenum ponit.

XXI. PRÆFECTUS Lætorum Gentilium Remos & Silvanectas Belgicæ secundæ, seu Remos Belgas, juxta fluvium Sequanam tuebatur.

XXIII. PRÆFECTUS Lætorum Lagensium propè Tungros Germaniæ secundæ degebat. Lagæ sunt populi Mysiæ inferioris, ex quibus, & Lætis hi milites sunt contracti, apud Tungros excubabant, qui sunt in Belgica Ptolemæo. Sed Itinerarium locat eos in Germania secunda, ut Notitia, quæ ab his ad reliquos Lætos in Aquitania degentes digreditur.

XXII. PRÆFECTUS Lætorum Gentilium Suevorum Arvernos Aquitaniæ primæ tuebatur. Arvernos inter Aquitaniæ populos Plinius recenset. Cæsar, & alii inter Garumnam, & Pyrenæos montes. Ptolemæus legit *Avernos*. Stephanus *Arvernos*, vulgo *Auvergne*. Suevi maximam Germaniæ partem obtinent, auctore Tacito & Strabone, *Suebos* Ptolemæus vocat, & *Sueviam* eorum regionem Eutropius. Tacitus *de moribus Germanorum*: *Gens*, inquit, *magna in plures populos divisa.*

Explicatis Lætorum copiis, & præsidiis, Notitia Sarmatas Gentiles recenset, ab Italiæque tanquam dignioris præsidiis auspicatur, & primo à maritimis.

In Provincia Italia.

XXIV. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium Apuliæ & Calabriæ. Hic Præfectus certum non habens locum, per totam Apuliam, & Calabriam versabatur.

XXV. PRÆFECTUS aliorum Sarmatarum Gentilium & ipse per Brutios, & Lucaniam agebat, nullo certo loco ei destinato.

In Provincia Italia Mediterranea.

XXVI. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium præerat Forofulviensi. Forum Fulvii est vicus ad Padum, quem Plinius *Valentinum* nominat, hodie est *Valentia*, ubi hi milites degebant.

XXVII. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium præsidebat Opitergio, vulgus *Oderzum* vocat: est in Tarvisinis seu Venetia, de quo Ptolemæus. Ab Attila dirutum, postea est instauratum.

XXVIII. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium Patavio præerat. Notissima est urbs prope Venetias, & omnium disciplinarum gymnasio nobilissima.

XXIX. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium Veronæ stativa habebat: est urbs opulentissima, quam Athesis interfluit, & Venetiam à Longobardia dividit, ibi scutorum & armorum erat fabrica. Audio esse antiquam de ea inscriptionem,

COLONIA AVGVSTA VERONA NOVA GALLIENIANA.

eò à Gallieno deducta fuit.

XXX. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium Cremonæ excubabat: est urbs splendidissima ad Padum, & notissima, ubi scuta fabricata fuisse Notitia tradit. Cenomanum urbem appellat Ptolemæus.

XXXI. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium Taurinis præsidebat: est Augusta Taurinorum Ptolemæo propè Padum, nunc Serenissi. Sabaudiæ Ducis sedes. Taurasium Appianus in *Punicis* appellat. Alam Taurinam in Lugdunensi fuisse Tacitus *Hist.* lib. I. cap. LXI refert, quam ex Taurinis contractam puto.

XXXII. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium Aquis, seu Tertonæ residebat. Ptolemæus *Dertonam* Taurinorum appellat. Legitur ibi, COLONIA IULIA TERTONA. Hic Aquas Statyellas, non procul à Tanaro flumine intelligit, vulgo *Aiqui* dictas. Præfectus utrique oppido præerat.

XXXIII. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium Novariæ morabatur, quæ est urbs notissima in ditione Mediolani, nunc Serenissimis Ducibus Farnesiis subjecta.

XXXIV. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium Vercellis residebat, quæ & ipsa Serenissi. Sabaudiæ Duci paret, & est prope Novariam. Opulentissimam olim Liguriæ civitatem fuisse D. Hieronymus *de muliere septies icta*, testatur.

XXXV. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium regionis Samnitus, ubi nunc sunt Abrutii.

XXXVI. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium Bononiæ: Æmiliæ urbs est opulentissima, ubi vetustum disciplinarum omnium Gymnasium.

XXXVII. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium præsidebat Quadratis & Eporizio, credo *Eporediam* intelligi, nunc *Iveream* dictam, quam à Romanis jussu carminum Sibyllinorum conditam fuisse Plinius memorat, & ita appellatam, quod ibi optimi essent equorum domitores, quos illi sua lingua *Eporedios* vocabant. Colonia Romanorum est apud Paterculum. Quadratis millibus passuum XVI. Taurino distat apud Itinerarium.

XXXVIII. PRÆFECTUS Sarmatarum Gentilium in Liguria Pollentiæ præerat, ubi Gn. Plancus à M. Antonio est occisus. XVI. millibus hodie XL. passuum Novaria distabat, nunc est parvum castrum.

In

In Gallia.

XXXIX. PRAEFECTVS Sarmatarum & Taifalorum gentilium Pictavis in Gallia, seu apud Pictavenses degebat, qui sunt Aquitaniæ secundæ populi prope Canentellum fluvium ad Oceanum, olim Pictones dicti Plinio, Straboni, & Ptolemæo, Pictavi sunt Marcellino, hodie *Poictiers*, Sarmatæ verò seu Poloni Taifalis erant commixti, ut de aliis est dictum.

XL. PRAEFECTVS Sarmatarum Gentilium à Chora Parisios usque. Choram parvum flumen in Belgis propè Rhenum Plinius lib. IV. ponit. Hic ergo Præfectus ab hoc flumine Parisios usque per longa castra milites dispositos habebat.

XLI. PRAEFECTVS Sarmatarum Gentilium inter Remos & Ambianos provinciæ Belgicæ secundæ stativa habebat. Hi sunt in Belgis propè Morinos inter Tamudam & Phrudim flumina, hodie sunt *Flandri*, & *Piccardi*.

XLII. PRAEFECTVS Sarmatarum Gentilium per tractum Segolaunorum castrametabatur. *Segovellaunos* Plinius lib. III. cap. IV. in Narbonensi Gallia statuit propè Allobroges.

XLIII. PRAEFECTVS Sarmatarum Gentilium Lingones tuebatur, de quibus supra.

A XLIV. PRAEFECTVS Sarmatarum Gentilium Augustodunum custodiebat; est oppidum propè Lugdunum in Comenis situm montibus, hodie *Autun* dictum. Itinerarium *Augustudum* vocat. Hoc præsidium erat in Lugdunensi.

Hi sunt Comites, Duces, Tribuni, Præfectique limitanei Occidentalis Imperii, supra in Ducibus prætermissi. Erant hæc ultimo loco recitata præsidia XLIII. Classes VIII. Numerus horum militum circiter tria mil. Vt verò omnium summam colligamus in toto Occidente, quæ in Notitia nominantur, erant præsidia CCLXIX. quæ custodiebantur à peditum 109700. & equitum 8300. Classes quoque XVIII. per diversa Occi-
B dentis loca navigabant, quæ vix minus sexaginta millibus hominum capere poterant. Sub Magistro verò peditum erant legiones LXII. Auxilia LXVI quæ circiter 68000. fuisse conjicio. Equitum vexillationes XLI. quas octo millia equitum excessisse puto. Reliquum est ut ad Clarissimorum insignia ultimo loco repræsentata veniamus, quæ etsi supra in suis magistratibus sunt explicata, cum hic pro omnium exemplo ostendantur, prætermittenda non esse existimavi.

NOTITIA.

CONSVLARIS

CAMPANIÆ, CVM INSIGNIBVS.



NOTITIA.

Sub dispositione viri Clarissimi Consularis Campaniæ.

Provincia Campaniæ.



OFFICIVM autem habet ita:
Principem de officio Præfecti Prætorio Italiæ.
Cornicularium.
Tabularios duos pro Numerario.
Adjutorem.
Commentariensem.
Ab actis.
Subadjuvam.
Exceptores, & reliquos Cohortalinos, quibus non licet ad aliam transire militiam sine annotatione clementiæ principalis. cæteri omnes Consulares ad similitudinem Consularium Campaniæ Officium habent.

A

CAP. LXXXIX.

DE INSIGNIBVS CONSVLARIVM.

COMMENTARIVM.

EXPLICITIS Spectabilibus, Notitia ad Clarissimos digreditur, inter quos primum locum Consulares tenent, quorum insignia in Campaniæ Consularis exemplari repræsentantur, aliorum enim symbola Consularium eodem modo se habent. Hæc autem sunt *amplum tribunal, in cujus medio mulier provinciam referens, folio insidet.* Virum habet Madrucianus codex, ut supra in Consulari B Campaniæ explicui. Hic verò, ut dignior, pro aliorum exemplari est positus, quod inter Consulares emineat: est enim Campania omnium Italiæ, & totius ferè Orbis fertilissima & opulentissima, ut supra est dictum. Romani Capuam, quòd à se ad Annibalem Pœnum defecisset, jure Curiæ privarunt, Præfectumque eo loco Duumvirum jus dicturum mittebant, ut auctor est Festus in *ver. præfectura.* sed postea Principes illi Decuriones cum magistratibus municipalibus restituerunt. Vlpianus *in l. Labeo scribit; de contrah. empt. Labeo scribit, si mihi bibliothecam ita vendideris, si Decuriones Campani mihi locum vendidissent, in quo eam ponerem, per te stet, quo minus id à Campanis impetrem, præscriptis verbis, & ex vendito agere potero.*

CONSVLARIS

NOTITIA.

CORRECTOR APVLIAE

ET CALABRIÆ, CVM INSIGNIBVS.



NOTI-

NOTITIA.

Sub jurisdictione viri clarissimi Correctoris Apuliæ & Calabriæ.

Provincia Apuliæ & Calabriæ.

OFFICIUM autem habet ita:
Principem ex eodem officio.
Cornicularium.
Tabularios duos.
Commentariensem.
Adjutorem.
Ab actis.
Subadjuvam.
Exceptores, & cæteros Cohortalinos, quibus non licet ad aliam transire militiam sine annotatione clementiæ principalis.
Cæteri Correctores ad similitudinem Correctorum Apuliæ & Calabriæ officium habent.

CAP. XC.

DE INSIGNIBUS CORRECTORUM.

COMMENTARIUM

POST Consulares inter clarissimos sequuntur Correctores, qui nullum tribunal, aut provinciæ imaginem habent, sed *oppidum* tantùm *eam referentis effigiem. Librum* quoque mandatorum, & *vultus Principum* præferunt, quemadmodum suprà in Correctore Apuliæ & Calabriæ exposui, cujus insignium formam cæteri omnes Correctores retinent. Hic enim Corrector, qui solus est in Occidente, tanquam dignior pro aliorum Correctorum exemplari ponitur: cum Apulia & Calabria soli fertilitate, & populorum frequentia nobilior habeatur. Liber mandatorum notas inscriptas habet, quibus Consulares carent.

NOTITIA.

PRÆSES DALMATIÆ,

CUM INSIGNIBUS.



NOTITIA.

Sub jurisdictione viri perfectissimi Præsidis Dalmatiæ.

Provincia Dalmatia.



OFFICIVM autem habet hoc modo:

Principem ex eodem officio.
Cornicularium.
Tabularios duos.
Commentariensem.
Adjutorem.
Ab actis.
Subadjuvam.
Exceptores, & cæteros Cohortalinos, quibus non licet ad aliam transire militiam sine annotatione clementiæ principalis.
Cæteri Præsides ad similitudinem Præsidis Dalmatiæ officium habent.

A Cap. XCI.

DE INSIGNIBVS PRÆSIDVM.

COMMENTARIVM.

PRÆSIDVM insignia se habent, ut Correctorum. Meum exemplar horum *Codicem mandatorum* *viridi dectum* sine notis ostendit. Manuscripti dorsum auratum cum aliis habent, quas in Præside Dalmatiæ sum interpretatus, nec in aliis a Correctoribus, quàm in notis Præsides differre videntur. Credo autem insignia Præsidum a Dalmatiæ B Præside desumi, quia is est perfectissimus, & clarissimis inferior. Si ergo Correctorum insignia gerunt perfectissimi, magis alii Præsides clarissimi gestabunt.

De Dalmatiæ fodinarum fertilitate adjiciam, quod Plinius lib. XXXIII. cap. IV. scribit, inventas fuisse principatu Neronis aurifodinas in Dalmatia singulis diebus quinquagenas auri libras fundentes. efficerent nostros aureos quinque mill. D.

C His Notitiam Imperii Romani pro ingenii mei tenuitate interpretari sum conatus, quod opus cùm sit omnium obscurissimum, & ignotis antiquitatibus plenum, mihi fortè erranti ignoscendum erit, nec votum ardua audendi damnandum. Nam si aliud non effecero, saltem aliis probabiliora dicendi occasionem præbebo.



NOTITIA ET SVMMA

exercituum per limites & provincias Occidentis.

Magister peditum in præsenti Occidentis imperabat.
- *Legionibus Palatinis* XII.
- *Auxiliis* LXV.
- *Legionibus Comitatensib.* XXXI.
- *Pseudo-Comitatensibus* XVIII.

Quæ omnia simul possunt efficere numerum $\frac{68}{M.}$ D. id est, 68500.
His accedunt XXXVI. *Præfecturæ, &* VII. *Tribunatus, qui efficiunt* $\frac{39}{M.}$ D. id est, 39500.
Et omnes simul juncti constituerent peditum $\frac{108}{M.}$ id est, 108000.

Magister equitum per Gallias habet.
- *Legiones* XXI.
- *Auxilia* XVII. *seu*
- *Peditum* $\frac{16}{M.}$ C. id est, 16100.
- *Equitum* $\frac{2}{M.}$ CCCC. i. 2400.

Comes Africæ limitan.
- *Præsidia* XVI. *seu*
- *Peditum* $\frac{4}{M.}$ i. 4000.
- *Equites* DCCC.

Comes Tingitaniæ limitan.
- *Præsidia* VIII. *seu*
- *Peditum* $\frac{3}{M.}$ i. 3000.
- *Equites* C.

Comes Littoris Saxonici.
- *Præsidia* IX. *seu*
- *Peditum* $\frac{2}{M.}$ CC. i. 2200.
- *Equites* CC.

Comes Britanniæ.
- *Peditum* $\frac{3}{M.}$ i. 3000.
- *Equites* DC. i. 600.
- *Equitum vexillatio, & legio non est sub Magistris.*

Comes limitum Italiæ. *Pedit.* / *Equit.* — *supra relati.*

Comes Argentoratensis.
- *Præsidium* I. *seu*
- *Pedites* M. i. 1000.

Comes Illyrici.
- *Pedites* $\frac{10}{M.}$ i. 10000. *de quibus suprà.*

Comes Hispaniarum. *Præsidia* / *Pedites* — *infrà ponentur.*

Dux, & Præses Mauritaniæ.
- *Præsidia* VIII. *seu*
- *Peditum* $\frac{1}{M.}$ DC. i. 1600.
- *Equites* CCCC.

Dux Provinciæ Tripolitanæ.
- *Præsidia* XIV. *seu*
- *Peditum* $\frac{2}{M.}$ DCCC. i. 2800.

Dux Pannoniæ II.
- *Præsidia* XXVI. *seu*
- *Equit.* MDCCC. i. 1800.
- *Peditum* $\frac{5}{M.}$ i. 5000.
- *Classes* IV.

Dux Valeriæ Ripensis.
- *Præsidia* XXXV. *seu*
- *Equitum* MM. i. 2000.
- *Peditum* $\frac{6}{M.}$ i. 6000.
- *Classis* I.

Dux Pannoniæ primæ, & Norici Ripensis.
- *Præsidia* XXVII.
- *Classes* IV.
- *Equitum* MD. i. 1500.
- *Peditum* $\frac{7}{M.}$ i. 7000.

Dux Rætiæ primæ, & secundæ.
- *Præsidia* XIX. *seu*
- *Equites* D. i. 500.
- *Peditum* $\frac{8}{M.}$ i. 8000.

Dux Provinciæ Sequanici.
- *Præsidium* I. *seu*
- *Pedites* CCC.

Dux Tractus Armoricani.
- *Præsidia* X. *seu*
- *Peditum* $\frac{9}{M.}$ i. 9000.

Dux Belgicæ secundæ.
- *Præsidia* III. *seu*
- *Equites* C.
- *Pedites* D.
- *Classis* I.

Dux Germaniæ primæ.
- *Præsidium* I. *seu*
- *Pedites* D.

Dux Britanniarum.
- *Præsidia* XXXVII. *seu*
- *Peditum* $\frac{14}{M.}$ i. 14000.
- *Equites* DCCCC. i. 900.

Dux Mogontiacensis.
- *Præsidia* XI. *seu*
- *Peditum* $\frac{6}{M.}$ i. 6000.

Præpositura Magistri militum Præsentalis à parte peditum in Italia.
- *Classes* VIII.
- *Præsidia* XLIII. *quæ sunt infrascripta.*

In Italia.
- *Præsidia* XVII. *seu*
- *Peditum* $\frac{8}{M.}$ i. 8000.

In Gallia Ripariensi.
- *Præsidia* II. *seu*
- *Pedites* C.

In Provincia Novempopulana.
- *Præsidium* I. *seu*
- *Pedites* CCCC.

In Provincia Lugdunensi.
- *Præsidia* XVII. *seu*
- *Peditum* $\frac{9}{M.}$ i. 9000.

In Hispania.
- *Præsidia* VI. — *Præfecturæ* I. / *Tribunatus* V.
- *Peditum* $\frac{7}{M.}$ i. 7000.

M A R M O R
P I S A N V M
DE HONORE BISELLII.

Parergon inseritur de Veterum Sellis,

Synopsis appenditur de Re Donatica antiquorum, quam brevi spondet

A V C T O R

VAL. CHIMENTELLIVS I. C.

In Pisano Lyceo Eloq. & Politic. Professor.

ACCEDIT MYIODIA,

Sive de Muscis odoris Pisanis

E P I S T O L A.

SERENISSIMO
COSMO III.
Etr. PRINCIPI.



Loriosum Etruriæ nostræ, & ad memoriam posteritatis præclarum Romanos rerum dominos universi penè orbis subjectis gentibus imperiosam legem dicentes, ejusdem imperii ornamenta, ac potestatis insignia quasi sub lege, ac præscripto ab hac una nostrate gente accepisse. Ab eisdem nempè Etruscis, quibus religionum mysteria, sacrorumque observationes debebant: egregio veluti documento, nullum sine cultu, sensuque Numinis stabile Regnum esse. Fasces, Lictores, Prætextam, Sellam præcipuè regnandi Symbolum, iis acceptam tulere: Omnia denique decora, & insignia, quibus imperii dignitas eminet; *unius ut loquar Flori testimonio. Tibi igitur SERENISS. PRINCEPS Etrusci Regni Candidate, jure, meritoque sacra esto qualiscunque commentatio hæc: cujus pars multo maxima, Etrusci inventi, Sellæ nimirum, Sedendique honorem, & majestatem respicit. Sique inter munera olim amplissima, ac veluti stata, & solennia, Regibus (ut de Porsena, ac Massinissa præter alios legimus)* Sellæ *mittebantur: accipe Tu COSME SERENISSIME, qua soles probi oris dignitate, & candidi cordis indulgentia non Sellam, sed* Bisellium *meum è monumento saxeo, quod in urbe itidem Etruriæ vetustissima, atque olim potenti, Pisis inquam Tuis asservatur. Debeo enimverò Tibi criticum hoc schediasma, ceu donarium quoddam; cùm cæteris illis tam multis, tum hoc potissimum nomine, quoniam scitamentis hisce antiquitatum, & venerandi ævi cognitionibus Adolescentiam Tuam, vel me parario oblectare non renuisti. Quid Adolescentiam? Hanc ipsam, qua flores, Juventutem nobilitare pergis, atque instruere literatis elegantiis, & numerosa comprehensione artium,* quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur; *quod Servio Regi historicorum summus olim tribuit. Sed nullius jam monitoris indigus monere alios (ô rarum!) ac docere, idem qui imperare potes: sacris; profanis paratus: temporum, & populorum acta vetera, nova callens: terrarum situs, fines, intervalla, si quid aliud, scientissimè tenens. Vasto nimirum illo fidelis memoriæ sinu, Magni Parentis Æmulator complecteris; ac servas quicquid uspiam, vel assidua lectione, vel multiplici adloquio prudentium virorum cumulaveris. Verè namque Tragicus monuit.*

Lib. 1. c. v.

Liv. 1.

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.

Sapiunt reges sapientum congressu.

Eurip. apud Stob. Ser. XLVI.

Jam enim quid Tibi tam in deliciis, quàm vel eximius aliquis liber, quem Macedonis more in Narthecio condas? Vel πολυμαθέστατος Vir, quem intra laureata penetralia ad longi sermonis commercium admittas? Ac mirari profectò subit, quemadmodum in isthoc Principalis Fortunæ splendore (cum Plinio dicam Nepote) Amas studia ut solent pauperes: *in Aulæ maximæ rerum agendarum contextu lucu-*

Epist. lib. VII. ep. XXII.

bras, ut ociosus: in vere annorum de literis maturè judicas, expeditè differis, ut natu grandis Polyhistor. Ante diem Sapientia sese Tibi explicuit: Tuique præcellentis ingenii gloriam, si quo in alio,

Stat. 1. Achil. Vis festina parat, tenerosque supervenit annos.

Quid mihi tandem promptius, aut brevius, quàm Probitatem Tuam cum Fortuna Tua litigantem *dicere? Sæculum herclè nostrum prorsus inauras, atque illuminas; verè* ΚΟΣΜΟΣ, *&* Princeps Juventutis *regnaturæ. cui non ad exemplar tantùm doctrinæ per amœna hæc, & multijuga studia præluces: sed prudentia, consilio, gravitate, religione ad heroicæ immortalitatis culmen viam planè Regiam demonstras. Meritò itaque*

Sen. de Clem. lib. 11. cap. 1.

Pædo ad Liv. ...... Per Te virtutum exempla petemus.

ac nemo facilè non pernoscet.

Mart. de Spect. 2. Quos decet esse hominum tali sub Principe mores.

Quales Tibi sunt, inculpatos summus servet rerum omnium Custos Deus ad populorum felicitatem, & bonum; ad Christianæ Reipublicæ ornamentum, & amplitudinem, ad ejusdem Divini Numinis honorem, & gloriam.

Quando autem vera illud fide colis, & solida pietate curas.

Ovid. 11. Fast. Sit superis oro mutua cura Tui.




CAPUT

CAPVT PRIMVM.

Ingressus ad scriptionem. Antiquitatum laudata cognitio. Pisarum nobilitas. Marmorei monumenti locus, vultus, epigraphe.
Honor Bisellii
à nemine hactenus visus, auditus, enarratus: conjecturis ad eum itur investigandum nulla certi fiducia.


VETULENUS quidam Ægialus, tametsi ignobilem villam, ne dicam solitudine horrentem paludem in agro Linternino possidens; lautè tamen, atque jucundè sese habitare fatebatur, quoniam Scipionis secessum, reverendâ sibi fortissimi civis illic exulantis imagine, ac memoria in animum recurrente, incolebat. *Magna fama*, magnus inquit Naturæ Consultus, *& Vetuleno Ægialo perinde Libertino fuit in Campania rure Linternino, majorique etiam favore hominum, quoniam ipsum Africani colebat exilium*, Plinius lib. XIV. cap. IV. Planè idem mihi, ac multis aliis, quibus ullus antiquitatis amor pertentat animum, usu venire arbitror, quoties veneranda aliqua veteris ævi monumenta, cæteroquin pulvere obsita, situ exesa, ignoratione, ac neglectu deserta (cùm tamen rari sint in Philologia pretii) reperire, ac tractare liceat. Quid autem aliud sunt hæc ἀνάθημα ære, aut saxo constantia, nisi quædam exilia Græci, aut Romani decoris pulsi; & à communi, ac vulgari hominum fastidio, tamquam relegatæ eruditionis secessus quidam, ac solitudines? Hoc ipso igitur placent, magnâque sui æstimatione sensibus illabuntur; quoniam priscæ ætatis, majorumque gentium deportatæ ad nos reliquiæ, suo ipso squalore, atque immeritâ desertione, perinde ac Scipionis Linterninum exilium Vetulenos, vetustatis nempè studiosos delectant. Si quæ autem urbs in Hetruria nostra, cùm ævi antiquitatem, tum rerum gestarum magnitudinem jactat, inter plerasque egregias Pisana est. Sed commune Italiæ fatum, dominantis scilicet barbariei lasciviem, ac furorem passa; an temporis cuncta sensim emolientis venenum experta, suum ipsa senium, atque edentulam (ita vocabo) potentiam caduco narrat præconio. Inter pauca illic Romanæ ætatis vestigia, basis, seu arula servatur è candido marmore, suam præ se candidè elegantiam, ac sinceritatem ferens; quam nulla aut imperiti scriptoris supinitas, aut invidiosa vetustatis labes corrupit. Utinam indocti nunc Enarratoris (quod summoperè vereor) oscitantiam pessimo omnium fato sortita non sit! Ea visebatur apud Ronciomos vico S. Mariæ, qui ad maximam Ædem perducit. In horto delitescebat plurimùm clauso, quem angustus, atque ignotus limes per posticum à domo sejungit. Hoc autem ipso (quantum opinari licet) paucis visa, aut observata inscriptio. Quamquam enim summæ viæ hortensis, conspicuo alioquin loculamento, & ingressuris statim obvio conderetur: adnascentibus tamen illic fruticibus, nonnunquam aut [illegible], aut obsessis, vix ullum sui indicium, ac pretium faciebat.

Sed migravit tandem lapis suum dominum, quasi Orpheum secutus Illustrissimum Dominum Ballivum Cæsarem Roncionium, qui pulcherrima totius urbis parte magnificentissimam propter Arnum insulam nunc habitans, secum illuc saxea Cimelia traduxit, atque in atrio disposuit cuivis facilè inspicienda. Eam igitur, qualis est, literarum epigrapheri suo vultu, suisque ductibus subjicimus.



Dignam sanè judicamus, quæ ociosos non dimittat, atque aliud agentes inspectores, vel *ob Honorem Bisellii* unum, à nemine hactenùs, nisi fallor, animadversum, aut explicatum. Quin etiam nec alibi apud scriptores lectum, vel in marmoribus adnotatum. Hoc igitur *Bisellium* bis sedere, atque ampliùs multò in ejus eruenda notitia nos fecit; nec supersedere posthac nostris promendis conjecturis nunc admonet. Conjecturis, inquam, puris putis, nulla certi, atque explorati fiducia. Periclitamur, divinamus, sortimur; more eorum, qui tenebras inter, & lucem tentabundi potiùs repunt, quàm gradiuntur. Omnino de secta σκεπτικῶν id unum non dubitamus, dubitare, ambigere, ἐπέχω.

Atque hoc saltem doctioribus viris imputabimus, quod fuerimus odorisequi; delitescentis prædæ vestigia, ac cubile indicantes; quam ii mox feliciter excutiant, ac deprehendant, quorum ineluctabili, & capacissimo ingenio nulla se subducit eruditio in saltibus tum æstivis, tum hybernis disciplinarum.

In hac igitur indagine collustranda, dum prædam concupitam insequimur, non possumus, quod Venatores faciunt, non aliis quoque advertere animum, quæ incidant, & occurrant irrequisitæ. Pisana scilicet hæc inscriptio, aliis quoque lucem dabit; quod non erit ἐν παρέργῳ, sed ἔργῳ ferè necessarium.

Et quoniam vara vibiam sequitur (sumus enim in venatione) si quando ad pluscula egredi videbimur, non, tamen præter rem, aut gustum eruditionis id factum voluimus. Sed ne longiori, ac molesto præludio (quod Plautinus succenset Megadorus) *loquamur lapides*, ad ipsa lapidis verba aggrediamur.

CAP. II.

Q. Largennius: *à largo anno dictus: nihil de eo liquet. Lux temporum, & fax historiæ anquirere in nomina. Saxea movere verba, aut ex ingenio corrigere, impudens, & violentum. Invectiuncula, & morsus in temeratores.*

Q. LARGENNIO.

DE hoc Quinto Largennio tam scio, quàm qui penitus nesciunt. Nihil reperire licuit inter priscas literas: at neque libuit quidem obstinatè perquirere. Quis enim persuadeat sibi posse omnium nominum, quæ uspiam leguntur, origines nosci, ac tempora dijudicari? Operosa ineptia, atque irritus labor ubique, ac semper, id conari. Nonnunquam, fateor, ingentis præsidii ad eliciendam ejus, de quo quæritur, veritatem, aut conjecturam: Sed mihi nullius usus ad eum, quem collimamus *Bisellii honorem* indagandum. Neque tamen omninò fuimus incuriosi in historiis, ac monumentis: nihil autem profecimus; quoniam & pro nostra quantulacumque, ac perfunctoria diligentia, non vola, aut vestigium apud Veteres comparet. Expectabimus sagaciorem, qui moneat, ac digitum intendat. Sexcenta eo modulo, flexu, aut productione *Nesennius*, *Herennius*, *Pescennius*, &c. Sic *Largennius*, fortè a largitate, seu largo anno. In hac namque compositione, quæ anni vocem extremo verbo recipiebat, primam vocalem in secundam reformabant. Gruteriani operis DXLIII. pagina apparet idem prænomen *Quintus*, quod in nostro marmore; dein *Gargennius*, quod nolim temerè movere, descriptorem incusans, & de Gargennio in Largennium transcribere. Potius enim cohibenda est, quàm nutrienda hæc mala prurigo, quæ jam diù serpit saxeas literas pro lubitu recudendi. Quæ hæc audacia est plus, quàm ferrea, quà gratuiti quidam Asclepiades medicas manus lapidibus admovent, quos nec viderunt, nec tetigerunt? Ac si ulterius hic cancer proserpat, expecto, ut animosus quispiam Criticus variantes marmorum lectiones edat ad meliorum Codicum fidem; quos non Vaticana, aut Medicea Bibliotheca, sed Paria, aut Lunensis Latomia saxeis benè instructa membranis præferat. Quasi equidem pugillares lapideos præpetibus Amanuensium notis impressos, eosque multiplici exemplo descriptos apud se habuerint Veteres. Veteres inquam, sed Opici, & saxei, quales Deucalion in aquas dejecit, durum genus, nondum in hominum naturam, ac rationem reformatos. Sed ad *Largennium* redeamus; in quo Latina se prodit origo à largo anno, sicuti & Largiorum creberrima mentio in Latinis historiis; cum tamen, quid boni contrà ex Gargennio eruamus? Quamquam & *Gargilius*, & *Gargettius*, & alia parilis initii reperire est. Sed suo loco, & nomine stet Gargennius. Quis enim nobis Jupiter id permittit, ut non homines in lapides instar Gorgonum, sed in lapidibus homines nostro jure mutemus? & Gorgonia tamen hæc truculentia non est insolens apud nostros Antiquarios.

CAP. III.

Quisque civis suam tribum professus. Censoris munus eam assignare. Movere Tribu. *Non omnes* Gentiles, *iidem* Tribules. *Unde tribubus nomina. Duplex unius Tribus. Integri populi, ac civitates in suam tribum transcripta. Pisani è tribu Galeria. Florentini è Scaptia.*

GAL. SEVERO.

NVLLUS ambigo, quin literæ *GAL.* tribum demonstrent, in quam descriptus Largennius.

A Hoc enim plerisque usitatum eam inserere post nomen, ut centies adnotare est in veteribus saxis. Sicut igitur carere tribu, aut servile, aut peregrinum habebatur, moveri autem eâ ignominiosum: ita necessium erat, ut quicumque civitate Romana gauderet, tribum quoque suam profiteretur? Stabat ergo arbitrio, & descriptioni censoriæ, in quam quisque allegaretur. Equidem inter eas una magis, quam alia illustrior, atque honestior censebatur: omninò autem rusticæ urbanis antehabitæ: quare tribu ille movebatur, qui ex honestiori in minus honestam migrabat. Nil mirum igitur, si ambitionis causâ suam nonnulli indicarent, quod B & distinctionis ergo factum opinor haud raro. Siquidem non quicumque erant Gentiles, ii etiam erant Tribules; hoc est, non qui ex eadem gente, camdem quoque tribum pariter sortiebantur. Imò vel ipsi inter se fratres, non tamen tribules subinde audiebant; quod eruditè observavit Thomas Reines. in epist. XXXV. p. CCXXXVI. Ergo ex tribu dignoscebatur non numquam cujus gentis, quæ domus foret. Numerosæ namque familiæ in plura capita, aut domus latius extensæ; prout olim partem, aut regionem urbis incolerent, ita quoque in aliam, aut aliam tribum cooptabantur. Sed fermè tamen id factum, ut integræ gentes statam tri- C bum fideliter retinerent, imo nomen ipsæ darent tribui; quæ origo plerisque tribubus fuit, quod viri docti autumant; quos inter Sigonius lib. II. cap. III. *de Jure Civ. Rom.* Panvinius lib. II. *Comm. Reip. Rom.* Doctissimus Gruchius sparsim lib. *de Comitiis*, Rosin. lib. VI. cap. XV. *Antiq. Rom.* Neque illud inobservatum duas tribus eodem tempore ab eodem cive fuisse retentas, quod in *Octaviano Augusto* cap. XL. tradit Suetonius, Goltz. in eo Principe pag. CXCIII. ex veteri lapide Brixiano, & Panvinius in *Civit. Rom.* ubi de tribu Scaptia:

D

C. IVLIO	C. F.
FAB.	SCAPT.

CÆSARI
AVGVSTO

Affert etiam Gruter. CCXXVI. III. Fabia, scilicet, & Scaptia tribus memorantur: hæc tamquàm gentilis, & nativa familiæ Octaviæ: illa propria Juliorum, in quorum nomen, & gentem per jura adoptionis pertransiit. Id tamen ego puto rarissimum: quippe in una certa tribu unusquisque civis erat censendus propter comitia, & suffra- E gia, cæteraque perfunctiones publicas: nec verò licebat desultorie, aut promiscuè munia occupare. In hac autem inscriptione honori posita Cæsaris Augusti, non miror, si utraque tribus nominatam se voluit gloriæ causâ, ut neutra mortalium tunc maximi, ac felicissimi altricem, & parentem sese reticeret.

Sed & Vrbes, populi, nationes, cùm civitatem primo acciperent, in aliquam tribum, quantæ quantæ erant, referri gaudebant, quam per petuò sequebantur. Prout verò eas beneficii alicujus origo devinxerat, aut summi civis auctoritas traxerat (aliis etiam de causis) ita studebant illi tribui nomen dare. Sic Circumpadani in Fabia, Lugdu- F nenses in Stellatina, in Galeria tribu Hispani censebantur, quod idem Reines. epist. XXXV. monuit, p. CCXXXVI. Licet tamen conjicere Pisanos ad hanc maximè tribum pertinuisse; quod inscriptiones monent, tum hæc nostra, tum alia apud eosdem Roncionios:

V. F.
Q. ANQVIRINNIVS SEC
VNDVS. OCCIA. AGILE
VXOR. Q. ANQVIRINNIO
GAL. SEVERO &c.

Fragmentum in agro Pisano repertum, in horto Francisci Spigliati Florentiæ servatum:

CONIVGI SVO C. . . . .
GAL. PISIS. Q. V.
A. N. . . . . .

Commune mihi fecit Illustrissimus Senator Carolus Strozza, Vir multis nominibus, antiquitatis potissimum studio, ac diligentiâ, moribusque prorsus antiquis mihi semper suspiciendus.

Apud Grut. DLVIII. XVI. ex Appiano:

P. RANFANIVS
P. F. GAL
CYRINICVS
PISIS

Hæc ipsa igitur tribus Galeria in nostro marmore intelligenda est, in quam adscitus Largennius. Inter antiquissimas eam institutam à Servio Rege autumant: meminit hujus, tum Livius lib XXVII. Plinius lib. VII. cap. XLVIII. tum Plutarchus, atque in opere Gruteriano perscriptis verbis, pag. CCCCXVIII. VII. CCCCXXXI. I. DXVI. IV. centies verò compendiosè *Gal.*

Quod si vera est Panvinii lib. II. *Comm. Reip. Rom.* conjectura, à Fluvio Hetruriæ Galeso desumpsit nomen: primò *Galesia*, deinde *Galeria*, solemni olim mutatione S. in R. Non prætermittam apponere nobis Florentinis tribum Scaptiam placuisse. Eadem monent Epigrammata apud Grut. p. DXXXVII. III. DLVII. I. DXLII. VIII. & V. ubi de Q. Gargennio, & MXVIII. III. quæ in ædibus Salviatorum legebatur:

Q. TERSINA Q. F.
SCAP. LVPVS.

Alia apud Bonarrotios Florentiæ visitur:

Q. SEPTIMO Q. F.
SCAP. PRIMO &c..

In omnibus his & Florentiæ Vrbis, & Scaptiæ tribus conjuncta mentio. Plerasque affert Borghinius noster lib. *de origine Florentiæ* pag. CCLXXXVII. & seq. Honorificum planè habeatur huic tribui Scaptiæ potuisse inter suos alumnos, ac tribulibus inter collegas censere Octavianum Augustum, quod allata superius monet inscriptio. Aricià autem oriundi fuerunt Octavii, quod Cicero, & Suetonius produnt.

CAP. IV.

Magistratus in Coloniis, ac municipiis sæpè Ædiles vocati. Alnubi Dictatores, Prætores. *Plurimum* Duumviri, *&* IIViri Præfecti I. D. Potestas *pro Magistratu: dissensum à Brissonio, & aliis.* Μεσοτεσάς, *&* Ποτεσάτ@, Potestaria. Ἄρχοντες, *&* στρατηγοὶ τῶν πόλεων. Quatuorviri. Quatuorviralis. Tres Viri. Sexviri. Duumviralitii. Duumvirales, Duumvirates, Duovirates. *Simpliciter* Magistratus, *&* ἄρχοντες.

A *ÆDILI PISAS.*

DE Ædilibus, eorumque honore, ac muniis in Vrbe rerum domini, multi dicere occuparunt; quorum scrinia compilare importunum foret, & ἀπεροδίσουσαι: aut toties apposita repetere, molestius, quàm δὶς κράμβη. Non verebor de municipali, aut colonico ædilatu quædam inspergere; tum, ut lapidi nostro lux aliqua accedat, alterique itidem Pisanæ inscriptioni; tum ut tricas quasdam eludam, quas obtrudi video etiam à Viris doctis super hoc honore exponendo.

Ædilitium hoc munus in quibusdam civitati-
B bus, aliter ac Romæ, excelluisse tamquam summum non ignoro; prout populis Magistratum suum, penes quem annua recurreret dignitas, & cura Reipublicæ, libuit, vel Dictatorem, vel Prætorem, vel Duumviros, vel Ædilem, vel alio nomine revereri. Videatur Cujac. *ad l.* 18. *C. de Decur.* Gothofr. *ad l.* 4. *D. de damno inf. §.* 4. Alciat. *ad l. Decuriones de V. S.*

Dictatorem præfuisse Lanuvinis, vel unus Ciceronis locus in oratione illa verè dictatoria cunctis eloquentiæ fascibus inclyta *pro Milone* ostendit *Dictatoris Lanuvini stata sacrificia.* Item apud Ce-rites ex veteri lapide Grut. p. CCXIV. *M. Pontio*
C *Celso Dictatore*, &c. Spartianus de *Adr.* cap. XIX. *Per Latina Oppida Dictator, & Ædilis, & Duumvir fuit.* Capuani Prætorem habuerunt eodem Tullio teste in *Agraria* secunda: *Nam primum id, quod dixi, cum cæteri in coloniis Duumviri appellantur, hi se Prætores appellari volebant*; Campanam superbiam veluti notans. Sed in Hetruscis Oppidis Prætura. Spartianus ibid. *In Hetruria Præturam Imperator egit*; ac vetus inscriptio *Prætor Hetrur. XV. populorum.* Quod nonnulli in lapidibus *P. R. II. Vir.* exponunt, *Prætores Duumviros*, frustra esse ego quoque sentio cum Velsero lib. V. *rerum August.* p. CI. & malim *Præfecti Duumviri*, sicuti
D alibi *Duumviri Præfecti I. D.* Fundanis quoque Prætores; quare Flaccus I. Satyr. V.

— *Fundos Aufidio Fusco Prætore libenter*
Linquimus, &c.

Ad quem locum vetus Interpres *Prætorem* pro Duumviro explicat: more Græcorum, qui Duumviros στρατηγὺς, hoc est, *Prætores* vocant. Neque est tamen, quòd Scholiastes hunc morem advocet, ut infra ostendemus. Gabii, ac Fidenæ *Potestatem* vocarunt. Juvenalis Satyr. X. vers. C.

An Fidenarum, Gabiorumque Potestas?

Neque hic necesse est *Potestatem* pro Ædili in-
E terpretari, cùm duobus proximè carminibus rem diversam & nominet, & describat Poeta:

Et de mensuris jus dicere, vasa minora
Frangere pannosus vacuis Ædilis Vlubris.

Cum enim tot aliis nominibus suum Magistratum municipia renunciaverint, non est absonum, si Fidenæ, & Gabii *Potestates* dixere: genericam scilicet appellationem imperii, atque Jurisdictionis, peculiarem sibi faciendo. Saltem mihi æquus permittat id Lector, non tàm Ædilem, quàm alium quemvis Magistratum *Potestatis* voce subaudi-ri. Nobis quoque in municipiis, & pagis inferiores quidam Præfecti Juridicundo *Potestates* hodie
F vocantur, ac si diversum quiddam à dignioribus Magistratibus. Quo sensu, puto, & Juvenalis de Gabiis, ac Fidenis scripsit; quippe deserta ea oppida, an potiùs vici, Horatius lib. I. epist. XI.

— *Gabiis desertior, atque*
Fidenis Vicus — —

Omninò Suetonius *Claudii* cap. xxiii. Potestates à Magistratibus distinctas voluit, tamquam infra hos: *Atque etiam per Provincias Potestatibus demandavit*, &c. *l.* 1. § 1. *D. quod quisque Juris*, &c. *Qui Magistratum, potestatemve habebit*, &c. Adi Lipsium cap. 1. *de Magistrat.* Græcis ævo sequiori Μαΐστορες, & Ποτεστάτοι: Vide Meursii *Gloss.* in utroque verbo. Eadem barbarie seculorum *Potestaria* pro Vicaria Jurisdictionis apud Petrum de Vineis, quem laudat Vossius lib. iii. *de Vitiis serm.* cap. xxxvi.

Alioquin *Potestas* pro summo Imperio apud J. C. *l.* 215. *de V. S.* Suetonius in *Julio* cap. xvii. *Compellari apud se majorem potestatem passus esset*; loquitur de Consule, etiam *Calig.* cap. xxvi. *Fuitque per triduum sine summa Potestate Respublica.* Nota in utroque loco adjunctum: nunc vocat *majorem* Potestatem, nunc *summam*: de Magistratus, & Potestatis differentia, vide quæ colligit Illigerus *ad Donell.* lib. xvii. cap. vii. Tenuit ea vox apud scriptores semi-barbaros. Vide Voss. *de Vitiis serm.* Radevicus *de rebus Friderici* lib. ii. cap. x. *De Principibus, quorum ad ordinandos Civitatibus Consules, seu Potestates alium alio demittit.* Sed ut ad Juvenalem redeam, non tanti mihi est natio audax Poetarum, ut in illorum verba jurare velim. Prout enim causæ suæ servientes exaggerare aliquid, aut elevare cupiunt, ita voces recudunt, ac formant: atque adeò satyricus Aquinas, ut magis extenuet eam Gabiis, Fidenis, Viubris præfecturam, & honorem, Ædilatum, aut Potestatem substituit; etsi forsitan non eo speciatim nomine appellaretur. Omninò autem Duumviri, ordinarius ferè Magistratus singulis annis colonias, ac municipia regebant; instar nempè duorum Consulum, qui Romæ præerant. Græcis nunc ἄρχοντες τῆς πόλεως, ut in *l.* 1. 5. § 9. *de excusat. tut.* hoc est, *Consules*, aut *Principes Civitatum*: nunc στρατηγοὶ *Prætores*, *l.* 6. § 16. *eodem tit.* quomodo sup. Horatius lib. 1. sat. v. At de Duumviris passim testimonia, quorum uno, atque altero simus contenti: Cicero *de Agr.* ii. Apul. *Apolog.* 1. *In qua Colonia patrem habui loco Principe Duumviralem, cunctis honoribus perfunctum*, &c. Cæsar *de bello civili* lib. 1. *Duumviris omnium municipiorum imperat, ut navem conquirant*, &c. Pro suprema Potestate accepit, etiamsi fortè alio nomine nonnumquam affecti: hi ipsi, & cum adjuncto, *Præfecti Duumviri*, etiam *Duumviri Præfecti I. D.* ut adnotavimus, & simpliciter *I. dicundo à Decurionibus creati.* Gruter. cxcv. iv. In Pisano decreto *IIViri Præfectis*, &c. quasi junctim pro eodem Magistratu. De hoc politissimo, & quantivis pretii lapide Pisano, ubi annua funebria memorantur Cajo, & Lucio Cæsaribus Augusti Nepotibus publico consensu decreta dicemus inferiùs. Scio Præfectos fuisse Româ missitatos ad jus dicendum in ea loca, quæ nec Coloniæ essent, nec municipia; mulctata autem legibus, ac magistratibus *Præfecturarum* nomen retinebant. Sed istis Præfectis (quos ne magistratus quidem dixere) nihil commune cum nostris municipalibus. Et quidem hæ Præfecturæ sublatæ post annum V. C. DLX. Erat ubi pro IIViris, Quatuor gubernarent, facit *l.* 1. *de solut. & liberat.* & in Gruterianis ccccxxvi. iii. *Decurio Municipii*, &c. *IIIIViralis*, hoc est, qui IIIIViratum gesserat. Notat etiam Reines. Epist. p. clxxvi. sic Pistorii præfuisse Quatuor Viros juri dicundo monet inscriptio ibi reperta, quæ in magna Aula Palatii legitur:

L. BOEBIO P. F.
VEL.
IIIIVIR. I. D. PISTOR.

Sæpè occurrit in lapidibus *IV. Vir. I. D. Quatuorviros Neapolitanos, Cumanos*, &c. nominat Cicero, & in saxis obvii, sicuti *Tresviri, Sexviri.* De Tresviris Bovillanis Inscriptio haud ita pridem reperta propè Albanum:

L. MANLIO L. F. PAL. SEVERO
REGI SACRORVM FICTORI PONTIFICVM P. R. IIVIRO BOVILLENSI &c.

Lapis cognobilis ob mentionem quoque fictoris Pontificum. Et quidem in eadem Colonia, quandoque simul IIIViri, & IIIIViri, cum IIViris. Hinc suspicabatur doctissimus Velserus *rerum Augustan.* lib. v. p. c. Duumviros tunc fuisse principe loco: Quatuorviros, aut Tresviros inferiori, ac dicto audientes: quam conjecturam neque vanam, neque felicem ajo. At *Duumviralitas, Duumvirales, Duumviratus*, qui abierunt eo honore; *Duumvirates*, & *Duovirates.* Adi Inscriptiones Vett. & Cujac. *Cod. lib.* 10. *tit. de Decurionibus l.* 18. & passim lapides. Brisson. lib. iv. *select. Antiq.* cap. xiii. Scipio Gentil. *de J. Dictione* lib. ii. cap. v. Pancirol. *de Magistrat. Municip.* cap. viii. sed & laxiori Collegarum numero Sexviri uspiam administrarunt. Huc spectant verba J. C. *ad municipal. l. magistratus* 25. *Magistratus Municipales, cum unum Magistratum administrent, etiam unius hominis vicem sustinent.* Ad hos scilicet intendit Vlp. Duos, Quatuor, Sex, *quorum officium individuum, ac periculum commune*; quomodo Antonius rescripsit Lentulo Vero, *l.* 9. *dicto tit.* Simpliciter quoque & ἀρχαὶ nullo adjuncto, *Magistratus* pro Duumviris, aut aliis, qui summo loco gererent, *l.* 1. & 2. *C. de Magistrat. Municip.* & *l.* 8. *C. Th. de Decurion.* & in saxis sæpè, ἄρχοντες.

CAP. V.

Duumviri Coloniæ, aut Municipales simulacra Consulum Romæ: & Consules *quandoque appellati! Asserta ea appellatio contra Reinesium, & Velserum. Duumvirorum* Fasces. *Scipionis Gentilis submota interpretatio. Duumviris vindicata Jurisdictio. Bulengeri securitas.* Quinqueviri. Quinquennales. Quinquennalitii. Quæstores *in municipiis. Jacobi Gothofredi laus.*

ILLIBENTER prætermitterem, quòd sicuti frequentiori usu Magistratus suos Duumvirorum nomine gaudebant appellare extra Vrbem urbes; dominantis scilicet (quod supra dicebam) Reipub. imitatione suos veluti Consules domi reputantes: ita haud tam absurdum puto, si quod fortè Municipium, aut Colonia (ut Neapolis, Tusculum, &c.) *Consules* nominarint eos Duumviros, quos regimini annuo præfecisset. Nullo modo id admittit doctiss. Reines. ep. xxxi. quæ est *ad Cor. Rupert.* pag. clx. & clxi. & *Variarum* lib. iii. cap. xvi. pag. dciii. in cujus eruditissimi viri sententiam, qui alioquin sua Auctoritate me frangit, gradior, sed non curro; loripes sum, & Mulciberis assecla.

Scimus namque, præsertim de Coloniis, quod omni cultu usque ad ambitionem imitari, ac spirare studebant Vrbem parentem; cujus ex utero incolæ traduces ad alias inhabitandas terras mittebantur. Hinc Decuriones, alter veluti senatus, ac simulacrum quoddam amplissimi ordinis in Vrbe; de quibus infra pleniùs. Ex hoc corpore lecti Duumviri, quot Romæ Consules, eorumque potestas æquo annui spatii cursu diffusa; quidquid Pancirol. de

de Magistrat. Municip. cap. VIII. moneat, dum Quinquennales cum Duumviris confundit, aut alii aliter opinentur. Quod si isti Duumviri consilio, auctoritate, prudentia totidem quasi Consules in ea Republica praeerant; quid vetat, ut ambitiosa aliqua Civitas eodem nomine Consulari Duumviros nuncupasset? En Burdigala apud Ausonium *de Urb.* XIII.

Diligo Burdigalam; Romam colo; civis in hac sum,
Consul in ambabus ——

Nimis elatè, ut censet Velserus d. lib. v. pag. CI. qui & πρωθυστερολογίας usus remedio mutavit:

—— —— *Consul in hac sum*
Civis in ambabus —— ——

Sed ore poetico locutum Ausonium censuit Reines. ego nihil vatem redarguo. Atqui obstat, inquis, consularis apicis augustissimum decus, quod una Roma domina, mater, ac princeps caeterarum sibi adsciverat, tamquam peculium suum, quod nulla sibi è viliori civitatum grege Civitas usurparet. Sed placet interrogare: non ne Dictaturae nomen, (scio esse extraordinarium) longè augustius, atque excellentius Consulari? non ne Potestas sanctior, major, formidabilior? non ne hic unus Magistratus periculosissimis, ac difficillimis Reip. temporibus, ubi primum affulsit, caeteri honores connivebant, ut exorto Sole minora sidera sepeliuntur? & tamen permittimus Lanuvio tenui alioquin oppido, ut Magistratum suum vocet Dictatorem, neque ullius ἀκυρολογίας arguimus Tullium, quòd ita vocarit. Vocavit autem, quia is populus Lanuvinus, vel usu antiquo, vel ambitione, vel alio respectu ita appellari maluit. Jurisconsultis itidem *Consules* pro Duumviris, ut *in l. cum quidam 32. de acq. hered. Divus Pius rescripsit Consulibus*, &c. Consules, hoc est, Magistratus, aut Duumviri alicujus civitatis, qui de incerto jure, (ut saepè factum) imperatorium culmen consulebant. Hotomano tamen placuit lib. VII. *Observat.* cap. ult. vocem *Consulibus* reformare in *Consulentibus*. Neutiquam verò movendam censuit Scipio Gentil. *de J. dictione* lib. II. cap. V. Consulem hunc municipalem non invitè agnoscens. Scio itidem quod afferri solet, praeter alia ornamenta, de fascibus, ac Lictoribus, quos Duumviris olim tributos putant. *Duumvirorum impunè non liceat extollere potestatem fascium extra metam Territorii*, &c. Arcadius cum collegis l. 53. *C. de Decurion. lib.* 10. Cicero *Agr.* II. de Campanis, etsi indignanter. Apulejus *Miles.* lib. III. dat virgas Pytheae Aedili; quiquennalibus quoque tribuit lib. X. ubi de Thyali; quamquam olim Bacilli, non fasces fuerint: atque ea *lege* 53. καταχρηστικῶς vocari fasces doceat Cujacius; uti & Apulejo. In fragmento Petronii Traguriano (de quo infra erit judicium) *Inter haec triclinii valvas lictor percussit*, &c. *Habinna sevir est*. At Seviri, aut Augustales infra Duumviros. Fateor tandem, quòd haec argumenti acies ab Insignibus ducti non tam firma est, quin facile obtundatur. Neque tamen adprobo, quod idem Gentilis ex *d. l.* 53. Fasces ad Jus ludorum, aut editionis transtulit, ne tesseram faceret jurisdictionis. Si namque verba Imperatorum expendo, ubi *potestatem fascium* vocant, ac *territorii* mentionem injiciunt, spectasse eos auctoritatem, atque jus in Duumviris, non inanem, aut ludicrum splendorem facile adducor ut sentiam. Sed quod idem Reinesius omnem Duumviris jurisdictionem abjudicat, ac solam relinquit notionem, non tam purum, atque illime est, quin aliter alii judicent. Praeit Paulus, ac turbam submovet, ut jurisdictionem vindicet Duumviris, *l. 26. D. ad Municip. Ea, quae magis imperii sunt, quam jurisdictionis, Magistratus Municipalis facere non potest*. Ergo ea, quae purae sunt jurisdictionis, aut quae magis sunt jurisdictionis, quàm Imperii, omninò faciet. Sic Municipalis jurisdictio, *l. incola 29. D. ad Municip.* Hanc quoque opinionem affirmat Cujac. *ad. l.* 1. 2. 3. 4. *de jurisdictione*, Illigerus *ad Donell.* lib. XVII. cap. VII. Gothofr. *ad l. 4. de damno infecto*, specimina afferens jurisdictionis; praesertim usque ad certam quantitatem, de quo Paulus v. *sent.* Item pignoris capionem, legis actionem, servorum castigationem, & curatoris dationem, de quibus idem Cujac. *ad d. l. 53. C. de Decurion.* Bulengerus lib. VII. *de Imperio Rom.* cap. IX. Scipio quoque Gentilis lib. I. cap. VII. *de J. dictione* eidem favet Duumvirali potestati, ut & lib. II. cap. VI. Adi & Berter. *pithan.* lib. I. cap. X. Vizzanum novissimè erudito opere *de mandat. Princip.* cap. I.

Passim quoque in lapidibus *II. III. IIII. Vir*, &c. *juridicundo*. Sic *Aedilis juridic.* quod patet Gruterianum indicem percurrentibus. Non video interim, cur Gentilis moneat, nunquam *juridicundo praeesse* dictum de his Magistratibus. Quid enim aliud signat *II. III.* &c. *I. D.* nisi Juri praeesse? Alibi *Duumviri praefecti I. D.* (ut protulimus supra) qui autem praeficitur, idem praeest juridicundo. Expressè omninò in tabulis Pisanis (quas commendavimus) aevo Augustaeo dignissimis. *Neque IIVir, neque Praefecti er . . . . o, neque quisquam juridicundo praeerat*, &c. De Magistratu municipali loquuntur.

Ab hisce Duumviris, summis Coloniarum, & Municipiorum custodibus diversos fuisse *Quinquennales* meritò existimat Velserus d. lib. p. CI. prolatis saxorum testimoniis. Nec patiatur interim ullus (moneo) ut ei Bulengerus imponat lib. v. cap. XVIII. *de Imperio Rom.* ex Plinio lib. II. epist. I. quam ibi *ad Trajanum* scriptam apponit, cùm *ad Voconium Romanum* sit; tum quia in ea epistola non *Quinquennios*, sed *Quinqueviros* legitur; tum quia Magistratum hunc Quinquevirorum sumptibus minuendis constitutum opinor Romae tantùm, atque extra ordinem. Sed *Quinquennales* extra Romam Censoribus quibusdam similes in suis civitatibus praefuere: sic & Quinquennii spatium censioni faciendae, unde nomen Quinquennali huic honori. Vide Rein. *Variar.* lib. III. cap. XVI. p. DCII. Census namque etiam extra Romam habitus munerum saltem publicorum gratia: sic Decurionibus praefinitus centum millium, de quo Plinius *ad Trajanum*. Inde *Censuales*, & *Lustrum* in iis civitatibus. Thyalis apud Apulejum X. *Metamorph.* Quinquennalis erat. De Adriano Spartianus in *eod.* cap. XIX. *Apud Neapolim Demarchus, & in patria sua Quinquennalis.* Ac saepe in lapidibus *Quinquennalis*, & *Quinquennalitius*. Non desunt, qui eosdem faciant cum *Defensoribus*, sed novissimè reprehenduntur à consultissimo viro Jacobo Gothofredo magni parentis inclyta prole in opere lucubratissimo, ac diu expetito *ad Cod. Theodos.* tom. I. p. LXII. & *ad l. 7. ejusdem Cod. de profess. & med.* Ut autem ad Duumviros, seu Consules Municipales, aut Colonicos revertamur; disertè scripsit Magnus Casaubonus in *notis ad Apulejì apologiam secundam*, quòd etiam Magistratus Municipales, Consules appellari non erubuerint, ac Graecis potissimùm testimoniis utitur, apud quos verbum ὕπατος de Municipalibus toties legitur. Has notas nec dum à se visas fatetur Reines. Scipio Gentilis (ut innuimus) posse Consulum nomine, tum Romanos, ac dignissimos, tum Municipales Magistratus intelligi. De Romanis propriè, ne dicam semper, usurpari debere ego sentio. Sed & ab aliqua Civitate potuisse assumi id nomen ad Magistratum suum decorandum simul opinor; ut quandoque, si

ros

res postulat, etiam apud Auctores non sit ineptum interpretari. Ex usu namque illius populi, aut Civitatis loquitur nonnunquam scriptor; nec tamen verum non erit (quod sapienter judicat Reinesius) eam Consulum appellationem apud quosdam populos tantùm domi regnasse; ab ipsa interim Romana loquendi consuetudine abhorruisse. A consuetudine, inquam, non tamen, quin aliquando (etsi rarissimè) Consularis appellationis fastigio Duumviratus claruerit; & quidem eo scribentium usu, ac proprietate, qua nunc Dictatores, nunc Prætores, nunc Ædiles vocantur (nomina scilicet Romanorum Magistratuum) summas rerum gerendarum habenas in Municipiis, ac Coloniis gerentes. Scitè prorsus, quis abnuat? & accuratè loquutus est summus dicendi Magister Cicero, cùm Dictatorem Lanuvinum, aut Prætorem Capuanum dixit. Spartianus ibid. de Adriano protulit: *Per Latina oppida Dictator, & Ædilis, & Duumvir fuit.* Pro varia nempè populorum consuetudine, qua Magistratum suum hic Dictatorem vocabant, hic Ædilem, hic Duumvirum; non verò quod Adrianus eodem in loco, omnes illos honores sustulerit. Theanum Sidicinum Quæsturæ titulo Magistratus suos insignivisse ex Gellio x. III. conjicimus; sicuti & Ferentini habuere; sed duos, ut constat ex narratione Graccbiana apud eundem *Noctium* scriptorem.

Cap. VI.

Ædilis unus, pluresve in Municipiis, & quandoque summo loco. Ædilitas cur Italus honor? *Juvenalis illustratus.* Ædil. IIVir; Ædil. IIIVir; Quæstor IIVir. *Ædiles infra IIViros.* Episcopi. *Diversa Magistratuum nomina in Municipiis, & cur? Non semper summus, aut unicus illic Ædilis: abitum à Cujacio.* Ædil. Juridic. Ædil. Annonarius. Magister municipii. *Pisa ab antiquo splendore laudata.* Decaprotia.

AD ipsum Ædilem, propiusque ad rem nostram gradum facimus. En ut nonnullæ civitates *Ædilis* nomine suum Magistratum nuncupabant; quod Spartianus tradidit, sed magis disertè Tullius de suo Municipio Arpino: *Hoc anno Ædilem filium meum fieri volui, & fratris filium, & M. Cæsium hominem mihi maximè necessarium (is enim Magistratus in nostro Municipio, nec alius ullus creari solet) quos*, &c. lib. XIII. epist. XI. *ad Brutum.* Tres interim illic creatos Ædiles adnoto. Et *Epist. ad Atticum* lib. xv. ep. xv. *Tu nummos Arpinatum si L. Fadius Ædilis petet*, &c. De Ædili tantum loquitur, quoniam unus hic honor præsidebat. Meminit & in II. *Agrar.* Quod verò is unus ædilitius Magistratus, nec alius Arpini, ab Arpinate oratore dicitur creatus, de majoribus expono, aut de summo, cui id nomen *Magistratus* nullo adjuncto convenit. Novariæ tribuit Suet. *de clariss. Rhet.* cap. VI. C. *Albutius Silus Novariensis, cum ædilitate in patria fungeretur, cum forte jus diceret, ab iis, contra quos pronunciabat, pedibus è tribunali dejectus est.* En juridicundo præerat tamquam princeps; en quoque tribunal; contra ac municipali Magistratui denegatum asseverabat nimiùm securè Scipio Gentilis lib. II. cap. VI. & XXIV. *de J. dictione.* Idemque Juvenalis sat. III. vers. CLXXIX. summos Ædiles vocavit in municipiis:

Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.

& sat. x. vers. CII. Ulubris dat Ædilem Latii oppido:

Frangere pannosus vacuis Ædilis Ulubris.

Aretio nostro in Tuscia, sive Ereti in Sabinis Persius sat. I. vers. CXXIX.

—— Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti Ædilis iniquas.

Alphenus J. C. *l.* 30. §. 1. *D. locati. Ædilis in municipio balneas conduxerat*, &c. quem locum vulgo afferunt, ut & *l.* 13. §. 8. *eodem tit.* ad quæ Jura Gothofr. ex Briss. III. *Select.* II. & ex Duaren. I. *Disput.* XXVI. Sed locus ille Alpheni non satis aptè probat unicum fuisse Magistratum in municipio Ædilis appellatione, ut inferiùs explicabimus. Ipsa verò *l.* 13. magis respicit Ædilem Urbanum, quàm Municipalem. Addatur potius *l.* 2. C. *si serv. aut libert.* & passim antiqui lapides præferunt. Hinc illa nota *A. P.* hoc est, Ædilitia Potestate; sed & cum adjuncto, atque expressè *Ædiles municipales.* Gruter. CLXIII. II. nihil ut mirum sit, si ea fortasse mente *Italum honorem* vocet Persius ob frequentem ejus usum, & appellationem in oppidis. Juven. quoque sat. III. vers. CLXXI.

Pars magna Italiæ est, &c.

& d. vers. CLXXIX.

Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.

Summis, quoniam ii ferè præerant in Italiæ oppidis. Velserus lib. v. p. CII. imitatione Urbis matris binos, quaternos nonnunquam in Coloniis fuisse censet Ædiles; quod & inscriptiones suadere videntur; neque ego penitus improbo; sed hoc interim ajo *Ædil. IIVir*, vel *Ædil. IIIvir*, &c. posse etiam exponi, quod per honorum gradus fuerit quispiam primo Ædilis, dein verò Duumvir; aut IIIVir, diversisque temporibus, diversos Magistratus adeptus fuerit. Tres Arpini fuisse Ædiles locus superius allatus à Cicerone evincit: in saxis inscriptis *Æd. IIVir.* & *AED. IIVIRAL.* sic *AED. IIIVir.* & *Ædilis, Quæstor. IIVir.* Quæ lapidea quidem testimonia, ac proinde gravis, & immotæ fidei illud, ut libentius credam, efficiunt; duos alicubi, pluresve Ædiles fuisse; quod sentit Cujacius *ad l.* 18. C. *de Decurion.* Gothofr. *ad d. l.* 2. *C. si serv. aut libert.* Quocirca cùm occurrit *IIVir, IIIVir, Ædil.* &c. in eo municipio, non unum, sed duos, aut tres fuisse Ædiles publicis curis præfectos intelligere licebit. Hos ipsos generali nomine *Primatum* fuisse comprehensos non dubito, quales appellantur *lib.* 7. *tit.* 17. *C. Theod. de Desertoribus l.* 13. *quod ad notitiam primatium urbium, vicorum, castellorum*, &c. Atque his ergo Ædilibus, quos toties legimus, adjungitur nostrum quoque Pisanum; in qua Urbe talem viguisse honorem nuspiam, quod sciam, perhibent monumenta, excepto hoc nostro Marmore. Quod autem Velser. lib. v. pag. XCVI. *rerum Augustanarum* Dictatores solum Municipiis, non Coloniis præfuisse scripsit, uti apud me ἐπίψηφος δῶται, ita illud assentior, in Coloniis Ædiles infra Duumviros extitisse. Sin aliquis à me quærat, unde hæc nomenclaturæ diversitas, quâ suos honestabant Magistratus in Coloniis, ac Municipiis, pronum est dictu, non tam facile est certi aliquid dicere. Pro ipsa fortè populorum consuetudine, ac veteri instituto, sive ante, sive post Romanæ Civitatis jus impetratum; aut quia Græcam, aut alienam originem profitebantur, ita crediderim varia nomina usurpasse in suis rectoribus designandis. Illud quoque adjungere haud foret incongruum, pro vario gradu Romanorum Magistratuum, nunc inferioris, nunc altioris ordinis sibi quoque adscivisse: quia Civitatis amplitudo, aut tenuitas postulare videretur; atque id permissu Præsidis, aut Ro-

Romani Senatus fuisse factum non ineptè crediderim: prout quoque ambitionis titillanti illecebra, dum magna nonnulli, & illustria de se jactare gaudent, buccas inflando insolentiores, & quidem nonnullos, etsi tenuibus impositos oppidis, aut municipiis, altè, & arroganter spirasse comperimus. Quare Salvianus *de gubern. Dei* lib. v. *Quæ sunt non modo urbes, sed etiam municipia, atque vici, ubi non quot Curiales fuerunt, tot Tyranni sunt?* Alioquin municipia, & municipales non raro contemptui; præsertim ipsis Romanis. Cicero III. *de Legib. Homines municipales, & rusticani*, & sæpe alibi. Juven. sat. VIII. CCXXXVII.

— Ignobilis, & modo Romæ
Municipalis eques.

Sidon. lib. I. cap. II. *Non eminentiùs, quàm municipaliter natus.* Sic *Schola municipalis* apud Auson. & *Oratores municipales* eidem Sidonio: quomodo ad exercuandum *municipalis adulter* Tacito lib. IV. *Annal.* Hinc & municipali magistratui objecta humilitas. Suetonius in *Calig.* cap. XXIII. *Etiam ignobilitatis quondam ad Senatum epistola arguere ausus est, quasi materno avo Decurione Fundano ortam.* Et *Aug.* cap. II. *Municipalibus magisteriis contentus.* Juven. loco cit.

— Pannosus vacuis ædilis Ulubris.

D. Augustin. de cura pro mort. ger. *Vix illum inter Dumpropinos sua patria ad bellum*, &c. Haud aliter nobis municipes, *Castellani.* Quo sensu Tacitus, ut obscuritatem argueret *Ann.* lib. VI. *Oppidanum genus* vocavit. E diverso municipia ipsa, Coloniæ, Civitatesque inferiores suarum solicitæ dignitatum ita Quæstorem, Ædilem, Prætorem, Consulem, Dictatorem; Duumviros habere voluerint; quatenus comitum, opibus, splendore, superbia etiam, & opinione retinere illos in honoris auctoritate, & fastigio potuissent. Et (quod verius existimo) prout munerum publicorum, civilisque procurationis ratio magis verum, quàm aliud magistrandi nomen, atque officium flagitasset. Ædilibus autem præcipuè, quoniam tecta tecta servare, popellumque pascere, Lentisque & ludis ducere ordinaria cura apparuisset. Atque hæc fortean causa, cur tam frequens id nomen Ædilium in municipiis (quod superius adnotabam) quoniam, quæ imperii essent, atque altioris regiminis, deque graviore rerum gerendarum forent Consilio, ad Prætores, Præsides, Proconsules; cæterosque Provinciales Magistratus pertinebant, quos Roma misisset. At verò ea, quæ copiam, & domestica (ut ita vocem) negotia, populisque nutrimenta, ac lætitiam, Urbisque securitatem, aut munditiem spectarent, Municipali Magistratui, qui patriam suam præsens, acvidens tueretur, servabantur. Vere enim populus duas tantum res anxius optat,

Panem, & Circenses.

Juvenalis Sat. x. vers. LXXXI. Ille apud Apulejum *Milesi. Annonam curamus*, ait, & *ædilem gerimus.* Erat autem Ædilis Hypatæ in Thessalia. Quo sensu, & *Episcopi* alio nomine in Municipiis, qui ea munia obibant rerum venalium, ceu quidam Ædiles, pretium, sanitatem, copiam, panis, ac cibariorum curantes. De his Arcadius *l. fin. §. item Episcopi de muner. & honor.* & ibi Gothofr. Pancirolus cap. XIII. *de Magist. Municip.*

Neque tamen in ea opinatione versor Ædilem in Civitatibus, sive extra Romam pro summa potestate Municipali semper accipi debere; aut semper unicum fuisse Magistratum, qui in eo municipio crearetur, nunc Ædilis, nunc Triumviri, &c. nomine, quod Cujacius docuit *ad l. 18. C. de Decur.* Scipio Gentilis lib. II. cap. V. *de J. dictione*, à quibus viris liceat etsi cum verecundia recedere. Immo namque præter Ædilem eodem tempore habuere Duumviros, Censores, Defensores, Quæstores, aliosque Præfectos: aut duos, inquam, aut plures Magistratus; penitus autem evincitur ex fragmento fastorum municipalium, quos profert Goltz. in *Aug.* pag. CCXIII. & Grut. CCXCIX. ubi in eadem civitate, & in eodem anno legitur, qui fuerint *Duumviri*, qui *Ædiles*, aliquando *Quæstores* additi, prout creati fuerant eo anno, nonnunquam generico nomine *Magistratus*, pro Duumviris, aut Summatibus. Haud secus Pisis fuere, & Duumviri, & Ædiles, tamquam diversi, & alii Magistratus, ut dicemus. Item apud Cærites Grut. p. CCXIV. Scio extra Urbem, quin etiam Romæ, vix accenseri honoribus Quæsturam; nec ignoro quod scripsit J. C. *l. 18. de muner. & honor. Quæstura in aliqua civitate inter honores non habetur.* Est igitur tamen ubi honor audiverit; ubi vero Ædilis in aliquo Municipio, aut Colonia primas tenebat *Æd. juredicundo*, merito vocari poterat, ut in antiquo lapide municipii Cæritum d. p. CCXIV.

At *Ædil. Anno* ibidem; quasi a Superiore distinguatur, qualem possumus Pisanum hunc agnoscere, cæterosque in iis Coloniis, ubi digniori loco alii præessent Magistratus. Immo namque ædilitas quandoque gradus ad Curiam: adeo alicubi Ædiles, non modo summum locum non obtinebant, sed infra Decuriones habebantur, nisi testimonio decipior veteris J. C. municipalis apud Grut. CCCLVIII. *Ii absque censu per Ædilitatis gradum in Curiam nostram admitterentur*, &c. Aliarum Civitatum alios Ædiles Gruterianus index voluminibus prodit; ac de ædilibus municipalibus quædam Bulengerus lib. VII. *de Imperat. Rom.* c. XV. Non placet tamen, dum Magistros municipii pro Duumviris exponit ex loco Suet. in *Augusto* cap. XIV. *Municipalibus magisteriis contentus.* Est enim Magisterium idem, ac Magistratus, aut Præfectura: non verò quia eo nomine *Magistrorum* IIViri vocarentur. Sic & *Magisterium Sacerdotis* pro dignitate. Suet. *Calig.* cap. XXII. Confusaneam ejusdem Bulengeri eruditionem, & quandam velut auctoritatum *συνσωρείαν* male digestam tu vide. Dum verò sellam Curulem Ædilis, & immunitatem à Tutela expendit, parum mihi videtur distinxisse Ædilem Curulem a non Curuli, & Romanum à Municipali. Hoc itaque pacto *Ædilem* Pisanum interpretor: non pro unico, & summate; sed qui, Magistratibus altioris ordinis majora curantibus, ædilitia ipse munera obiret: quod quidem arguit Pisanæ Coloniæ olim magnitudinem, ac splendorem. Duumviros enim Pisis præfuisse docent eximiæ illæ tabulæ marmoreæ Decreti funebris, ubi & *Decemprimi* apponuntur; qua quidem Decaprotia docemur numerosum fuisse Senatum, aut Curiam, virisque refertam dignissimis, è quibus illi *Decemprimi* legebantur. De hac Primorum decem excellentia vide Velserum *rer. August.* l. V. pag. XCV. Reinesium *Epist.* CCCXCIV. & nos inferius cap. XXXVII. Disertè in eo decreto legimus; *Quicumque postea in Colonia IIVir, Præfecti, sive qui alii Magistratus erunt*, &c. quibus verbis plures Magistratus domesticos Pisis consedisse liquido constat. Usque ad tria enim, aut quatuor illorum genera Ulpianus J. C. *l. 1. & 2. de Decur.* in Coloniis, aut Municipiis non veretur simul admittere.

CAP. VII.

Sepulcreti Pisani magnificentia. Tabula illae marmorea de inferiis Caji, & Lucii Caes. elegantissima. Praefectus aerario Pisanus. Quaestor ad aerarium. Quaestor ab Aerario. *Pancirolus reprehensus. ἀγορανόμος οἰκονόμος τῆς πόλεως.* Arcarius. Curator Reip. Curator Calendarii. *Florentini, non Fluentini. Pisana inscriptio restituta de Curatore Calendarii Florentinor. Pisa municipium, Colonia. Pisani* Coloni Julienses: *in domum Augustam obsequentissimi.* Flamen Augustalis *Pisis. Praefectus aerar. Romae; & qualis Pisis? Lapidis nostri tempora indagata.* Pisas *gignendo casu.*

IN aere suo me tenet Praefectus aerarii Pisanus, quem nobis ingerunt eaedem tabulae marmoreae de inferiis Caesareis. Servantur parieti infixae, in conditorio, aut sepulcreto ad Aedem maximam operum omnium, quae Christiana unquam teotavit magnificentia, ac pietas pro ea aetate pulcherrimo. Illae sic habent in eo decreto, quod ad Cajum Augusti Nepotem attinet. *Quando eo casu* (cùm nunciatus esset decessus Caji Caesaris) *in Colonia. Neque IIVir, neque Praefecti Er. . . . e* (aerario) *neque quisquam Juredicundo praeerat.* Et infra, *IIVir, Praefecti, sive qui. ali. Magistratus*, &c. Hos enim posteriores Praefectos praecipuè refero ad aerarium, quos paulo ante nuncupatim nominarat lapis. Curam iis injunctam fuisse publicae pecuniae nemo non videt: qui in aliis lapidibus nunc Quaestores, nunc Arcarii vocantur. Non enim puto Praefectus hic aerarii Pisani Romà mittebatur, tamquam Magistratus Provincialis, aut susceptor; tùm quia nondum in Urbe repertus erat hic honor, ut infra dicemus; tùm etiam, quoniam in Pisano decreto agitur de Magistratu Colonico. Quo auctore, & praesente Decuriones majorem suis Consultis vim, ac firmitatem adstruerent, & obsequium Pisanae Coloniae adprobarent in domum Augustam, parentali eâ lege quotannis servanda ad augendos honores Caji, & Lucii, quos immatura mors, & acerbum Romano Imperio fatum abstulerat. Municipalis ergo fides, ac devotio à Municipali Magistratu memoriae illorum Caesarum exprimebatur. Inter Municipales Magistratus neutiquam hunc Praefectum aerario agnovit Pancirolus, cui noster lapis invisus, sed poterat alium vidisse ex inscriptione Gruter. CCXIV. de Municipio Caeritum: *C. Suetonio Claudiano aedili Juredicundo. Praefecto aerarii.* At meo judicio fatiùs fuisset si cap. XIX. *de Municip. Mag.* talem nostrum intellexisset, qui pecuniam exigeret, collocaret; aerario, aut arcae inferret, promeret, conderet; publicos redditus, rationesque dispensaret. Reperio in hac ipsa Urbe Pisana *Quaestorem ad aerarium*, ut exprimit lapis Lucae servatus, à Cyriaco Anconitano in suo itinerario, nisi fallor, productus.

Decurioni Pisis Quaest. ad arar. II. Haeredes, &c. Sicuti vocatur hic *Quaestor ad aerarium*, ita dixerunt *Quaestorem ab aerario*, ut apud Grut. CCCCXXXVII. II. MXXVI. IX. Alius est autem ἀγορανόμος, hoc est, Aedilis, de quo Pancirolus d. cap. & alius (quem tamen confundit) est οἰκονόμος τῆς πόλεως, ut ex D. Pauli epist. *ad Rom.* quem Hieronymus, seu vetus interpres *Arcarium* vertit, ac forte suppar est Praefecto aerarii, qualis hic Municipii Pisani. De Arcariis quaedam notat è veter. epigramm. Reines. *Var.* lib. III. pag. DXCV. Vide & Samuel. Petit. III. *Observ.* VII. Fuisse tamen Pisis Quaestores Provinciales eadem tabula ostendit extrema. *Coram Pro. Quaestoribus primo quoque tempore*, &c. Hoc est, Provinciae Quaestoribus, ut ego malim exponere, quàm Proquaestores huc advocare. Caetera hunc Praefectum aerar. Pisani non absimilem statuimus *Curatori Respub. vel Curatori Calendarii*, de quibus idem Panc. & magis huic secundo; cujus erat non praedia, sed pecunias curare foenoribus, ac nominibus. Habebant enim Corpora, & Collegia: habebant & Civitates suos Calendarii Curatores, qualis nostrae Florentiae fuisse legitur in veteri marmore itidem Pisis apud eundem Roncionium. Placet verba lapidis afferre, quoniam nobis Florentinis vindicias dat litterae *R*. Scimus enim nos quoque hirrire, & litteram caninam exerere praesertim adversus sciolos; ne quis obstinatè Fluentinos nos velit, quasi fluxos, vel fluidos. Aedepol! in hac ipsa nostra Civitate *R*. amisisse contumeliosum est: ita enim ludere solet plebecula, aliquem notans temulentiae, & *ψελλότητος*, cui ob offensantis linguae, & vino insuccatae tumorem non benè exprimitur. Ea sunt verba inscriptionis malè exscripta à Borghinio nostro, malè recepta à Grut. CCCCXLIV. V. ex qua prava lectione nescio quid comminiscuntur de Prima Ala Florentinorum. Uti optima maxima fide sic habent.

Q. OBSEQVENTIVS SEVERINVS
AVG. PISIS
CVR. KAL. FLORENTINORVM.

Cum verò in littera K. duae lineae, quae cuneatim objacent, paululum deletae per aetatem fugere incepissent (manifestissimum tamen earum vestigium in marmore adhuc eminet) putarunt esse litteram I. numeralem lusciosi exscriptores. Mox in fine syllabae *AL.* gratuitâ audaciâ somniatam E, apposuerunt, ut conficerent I. ALE. hoc est, primae Alae. Sed verò *Cur. Kal.* sculptum fuit, id est, Curatori Calendarii. Illud interim mihi subolet Pisanos Cives omni industriâ, omnique arte studuisse, ut Octavio Augusto adularentur; seque, ac suam Coloniam inter addictissimas eidem Principi, summisque devinctam beneficiis profiterentur. Olim Pisae Municipium vetustissimum, ut expressè eas numerat Paulus ex Festo in verbo *Municipium*. Sed ducti postmodum Coloni teste Livio V. C. DLXXII. Ptolem. Πίσα Κολωνία. Vide Cluver. *Antiq. Ital.* II. II. *Coloni Julienses* appellari voluere, ut urbs ipsa *Colonia Julia Pisana*, cui & cognomen obsequentis addidere in Decreto Pisano. *Uti Colonis Juliensibus. Colonia obsequentis Julia Pisana*, &c. sic etiam Octavii Augusti nepotes hinc Cajum compellant, *Coloniaeque nostrae unicum Praesidium*. Lucium illinc in altera tabula *Patroni Coloniae nostrae* titulo demonstrant. Aut quia magnis beneficiis affecti fuerint Pisani ab Augusto, & ejus domo; aut (quod multae tunc fecerunt Coloniae) ad splendorem, & opinionem dignitatis aucupandam, nomen Juliae, & Juliensis Coloniae affectarunt. Cum enim in Gentem Juliam transierit Augustus, in hanc ipsam appellationem migraverunt Coloniae addictiores, quod Goltzius pridem observavit, & Velserus lib. VI. *rer. August.* pag. CXVII. Neque enim puto iterum Pisas sub Augusto scriptos fuisse Colonos; nec finerent historiae id à nobis ignorari. Ad haec, vivente quoque Augusto, templa dedicarunt in foro. Eadem tabula, quae ad Lucium attinet *In Foro. In Augusteo.* Qua de causa & Flamen Augustalis Octavio decretus ex Principibus Coloniae. *Statuimus. Juncus. Princeps. Coloniae. nostrae.*

Fla-

Flamen Augustalis. Semel, atque iterum in altera tabula, quæ de Caji honoribus est. Quos quidem honores funebres tum in allato nuncio utriusque nepotis defuncti, tum in annuis parentalibus servandis, quanta maxima publici doloris testatione, quæsitissimaque inferiarum pompa, & apparatu decreverunt Pisani Cives; tabulisque marmoreis in spem æternitatis inscripserunt, quas hodie legimus: omnino legi dignissimas, & Augustei ævi excellentia, & Latini sermonis candore, & funebrium officiorum ritu præstantes. Utinam non illarum alteram, quæ de Lucio Cæsare agit fœdi vulneris hiatu invidiosa vetustas, an barbarorum temporum incuria violaverit! irreparabili, ut opinor, damno, quod perpetuò Musæ defleant, solus illarum parens, divinandi peritus explere possit. Sed id tamen solatio, quod verba desiderantur, sententia commode excerpitur. Altera tabula magis rimosa, quàm imminuta est; eamque accurate exscripsit, doctum nescio quid φιλολόγημα in utramque concoquens, amicissimus noster Franciscus Maria Eques Cessinius in Pisana Academia Cl. Antecessor, qui scientiam Juris æquissimis moribus probat, amœnioris autem litteraturæ cultu affatim exornat. Joannes quoque Pagnius Medicus Pisanus eruditione nobilis pares humeros huic moli suffecit. Vulgarunt easolim Abbas Porgbinius in suis dissertationibus, Abbas Ughellius, ubi de Urbe Pisana Tom. III. p. CCCLXXXIX. Curtius Pichena *ad Tacitum* lib. I. meminit Reinesius in epist. LXV. p. DLXXXII. quæ est C. A. Ruperti *ad Reines.* & p. CLXXIX. & CCCXCIV. novissime Reverendiss. Octavius Boldonius Antistes Reatinus p. LVII. *Epigraphicorum*; quem virum uti religione, gravitate, senio, doctrina venerabilem judico, ita benigniorem exoptarem in ea censura, quam exercet in sui sæculi monumentum. Quod verò pronuper in iis tabulis *Augusteum* legimus, non indignum est aliqua examinis cura. Potest namque *Augusteum* exponi forum. Αὐγουστεῖον Suidæ in Αὔγουστος, & ab Augusto sic forum vocatum tradit. Medii ævi scriptoribus γουστεῖον: quod forum cupedinarium explicant. Sunt enim *Gusta* cupediæ. Sed abludit hæc interpretatio à Pisana inscriptione. Narratur enim ubi factum, aut scriptum fuerit id decretum: & statim incipit *XIII. K. Octobr. Pisis. in foro in Augusteo.* Si forum jam dixerant, cur Augusteum repetere? nisi discriminis gratia, ut ab aliquo alio foro secernerent. Sed τὸ *in* supervacaneum. Secundo Augusteum, hoc est, Prætorium, vel Augustale, & Domus publica, in quam de more conveniunt Decuriones ad consulta facienda. Sed hoc *Augusteum* vix digna vox eo seculo Augusteo. Tertio templum (& puto verius) à cultu Augusti sic dictum; ut Serapeum, Heracleum, & multa id genus. Quin Σεβάσειον, sive *Augusteum* reperio ita appellatum templum Alexandriæ in honorem ejusdem Principis apud Philonem lib. *de Legatione ad Cajum* accuratè descriptum. At repugnat quod Dio scribit lib. LI. à vivente Augusto nemini permissum condere templum suo nomini dicatum in Italia. Indulsit provinciis, ut de Tarraconensi testatur Tacitus lib. I. *Ann.* & de Pergameno lib. IV. Suetonius tamen in *vita* cap. LII. ita scripsit. *Templa quamvis sciret etiam Proconsulibus decerni solere: in nulla tamen Provincia, nisi communi suo, Romæque nomine recepit: nam in urbe quidem pertinacissimè abstinuit hoc honore.* At Aurel. Victor etiam *Romæ*, &c. *vivo, mortuoque templa, sacerdotes, & collegia dicata* refert. Non est igitur cur Dionis auctoritas nos deterreat: adstruente præsertim lapidis nostri testimonio viventis ætate Augusti inscripto; in quo *Flamen*, etiam *Augustalis* memoratur; argumento templis, ac religionibus cultum Pisis Augustum. Ac fortasse hic Princeps Pisanis permisit, ut delubrum construerent suo nomini; quo pacto in provinciis fecerat. Hæc obiter, sed non invitè nobis expressa; etsi parum obsecundantia magnorum virorum adnotationibus ad ea loca tum Suetonii, tum Cornelii. Eò interim spectant, quo tendebamus, ut Pisanæ Coloniæ splendor, quin etiam charitas, & obsequium in Domum Augustam magis innotesceret.

Sed ut revertamur, unde digressi fuimus, quòd Præfectos ærarii in Colonia Pisana nobis exhibent lapides hæc Monumenta, non eò trahendus (quantum opinor) locus Livii lib. XXXIV. V. C. DLVIII. *Litteræ M. Cincii (Præfectus is Pisis erat) allatæ: Ligurum*, &c. Potiùs enim hic Cincius Roma missus, & à Senatu impositus Pisanæ Civitati, ut curam gereret rerum præsertim bellicarum periculoso tempore, cùm Ligures Alpini excursionibus vastarent agrum. Hinc & Sedes Prætoris aliquando Pisis statuta adversus eam gentem, quæ subinde è suis saltibus ad prælia, & populationes erumpebat; ægrè tandem, tandemque perdomita. Possumus tamen & Præfectum Colonicum interpretari, quo nomine Præfecti usus Livius, ut quemcumque demonstraret Magistratum, penes quem Reip. Pisanæ cura, ac juris dicendi fors. Non est ergo Præfectus Ærarii, qualem in his lapidibus legimus; nulla namque ærarii mentio; imò nec dum eo tempore inventum id nomen Præfecti ærario. Ad Quæstores tunc attinebat ea procuratio, quæ dein Prætoribus injuncta. Vide Lipsium *in excurs. ad* XIII. *Annal. Tacit.*, C. A. Rupert. *ad Enchirid. Pomponii* cap. VIII. Brisson. *Select. Antiq.* lib. III. cap. XIX. Augustus quidem primus induxit Præfectum, ærarii militaris in Urbe, quod contigit an. V C. DCCLIX. teste Dione lib. LV. at è Decretis Pisanis, unum post mortem Lucii factum est; altero anno in obitu Caji alterum. Omnino antequam Romæ Præfectus ærario sub hoc nomine institutus fuerit. Expressè autem, si quando Præfectus ærarii in saxis compareat, legitur cum eo adjuncto *Militaris.* Profert Lipsius *ad Tacit.* I. *Ann.* lapidem in Samnio repertum. Cæterum deinceps & nomen, & cura ærarii Præfectis attributa extra hoc militare, ut sæpè in libris J. Consultorum *l. 82. de his, qui ut indig. l. 15. & 42. de J. Fisci.* At noster Pisanus suæ Civitatis, & Colonicus mea opinione est: quod & textus, atque junctura sermonis satis probat, qui hunc Præfectum ærario post IIViros nominat, & cum aliis adnectit Magistratibus pro ius. Quando igitur plures eodem tempore Magistratus fuisse in Col. Julia Pisana ostendimus, Duumviros, ac Præfectum hunc ærario; non est quod Ædilem Largennium nostrum quasi unicum (sicuti in nonnullis aliis oppidis) interpretemur, vel Summatem, ac Principem Reipub. clavo assidentem exponamus. Ergo complures hi Magistratus, suis quippe muniis incumbebant; ac Ædilis quidem, perinde ac Romæ minutus quidam Censor, pusillusque morum Magister, annonam, forum, res venales, locaque illum metuentia explorabat. Quod & in aliis municipiis idipsum ab Ædilibus factum crebris monemur testimoniis scribentium, quos prudens omitto, ac superiùs delibavi. Sed jam præverto ad illud, quod mihi ullus haud ineptè objiciat; potuisse alio tempore aliter regi Pisanam Civitatem, ac diverso itidem nomine Magistratum suum appellare. Habuerit illa sub Augusto Duumviros, totidem veluti Consules, binos Curiæ oculos, bina Reipub. capita: alios etiam Magistratus habuerit. Sed verò cùm inscriptus fuit hic lapis Q. Largennium Ædilem repræsen-

tum, quis spondere audeat eo tempore Pisanos sub Ædilatu, tanquam summo, aut unico Magistratu non paruisse? libenter ajo, nec diffiteor id contingere potuisse. Cùm tamen superiùs ostenderimus, vel in multis aliis tenuioribus oppidis præter Duumviratum, saltim Ædilem præsedisse: quid est quod Pisanam civitatem, vel Augusti ævo ita opulentam, ac splendidam (quod decreto illo toties laudato comprobatur) unico Magistratui addictam velimus, solique Ædili pannoso (qualem vocat Juvenalis) audientem statuamus?

Sed quidquid alii hac in re diversum sentiant, haud repugnarim; utcumque enim, ad examen semper proficiet nostri lapidis. Quòd si de ætate quæratur, quâ vixit Largennius, quâque manum sensit, & scalprum Pisanus hic lapis; equidem non ausim statuere. Neque licet nobis tam esse occultis ad hæc τὰ ἄπορα definienda, præsertim obscuro, & ignoto (quod ego sciam) in scriptis Auctorum Q. Largennio: si quid tamen liceat pingui conjecturâ στοχάζειν, ad tempora Antoninorum, aut præter propter referrem. Species ipsa, ac forma florens literarum, tam politè, tam affabrè ad amussim ducta antiquitatem negat aurei seculi, sed potius arguit quam diximus. Honor Bisellii conjecturam fulcit, nisi ex asse fallimur, de quo inferius; sed & verbum *Pisas* more Græco usurpatum non abludit ab eo seculo. Vix est enim, ut hunc errorem impingere velimus marmorario, qui *Pisas* per injuriam scripserit pro *Pisæ*, vel *Pisarum*, cum literæ omnes literatè, & ad exquisitam deliniandi regulam sint effictæ. Sed credimus potiùs Dorico inclinamento scriptum fuisse *Pisas* in paterno casu; quanquam & Latinis ea figura usurpatur contra Analogiam, ut *Paterfamilias* pro *Paterfamiliæ*. Varro lib. VII. *de L. L.* &c. In antiquis autem lapidibus haud semel *Dux vias, terras, filii*, &c. Vide indicem Gruteri; ac Boldonius p. XCI. repetiit, & animadvertit ante illum Lauremberg. antiquario in *As*, & *Vias*. Et quidem nonnullæ Urbes Græcam jactantes originem, qualis Pisana, in Græcis licenter exultare quandoque deprehenduntur, ut marmora sæpè nos docent. Græcis autem numero singulo Πίσα, & quandoque Πίσαι. Præcipuè sub Antoninis invecta quædam insolentia loquendi; cùm Analogia mutare cœpit, & puritas illa aurei seculi à suo splendore desciscere. Vide Reines. epist. p. CCXC. quin & verba Latina Græcis literis scripta, idem Reines. p. CCLXXXIX. quod nescio petulantiâ, an lusu fabrili factum fuerit, vel ambitione Græcitatis, quæ tunc irreperet. Quod enim demum translato in Orientem Imperio Græco, Latinas tam sæpè lineamentis Græcis referrent, non adeo demiror. Idem & in nummis observatum fuit sub Antoninis M. AVP. ANTONINOS AVG. quem profert idem Reines. p. CCCCXXXIV. epist. inter suas XLVIII. quæ est C. A. Ruperti ad *Reinesium*. Contrà verò voces Græcanicæ Latinâ formâ descriptæ, & quidem sub ea potissimum tempora: quâdam utriusque linguæ inter se communione, atque hospitalitate, dum altera alteri aut voces, aut characteres commodat. Quod in nummis factum indicare non destitit Ezechiel Spanhemius dissertatione erudita *de veterum numismatum usu, ac præstantia* pag XLVIII. In lapidibus specimen esto apud Grut CCCXXXIX. II. *Aramanti nica* ad latus cippi utrinque recto ordine inscriptum, hoc est, *Aramanti Vince*. Inter acclamationes scil. quibus agitatores ad victoriam excitabantur, quod & in nummis eâ formulâ observatum: quæ variè ab aliis exponitur; & Boldonius fecit pag. LXXXI. *Epigraphic*.

CAP. VIII.

Chresimus, Χρήσιμος. Libertis fausta nomina bonæ fœlicique gratia. *Pancarpus, Onesimus.*

Q. LARGENNIUS CHRESIMUS PATER.

CONSTAT ergo lapidem hunc, sive basim, aut arulam dicatam, aut positam fuisse Q. Largennii Severi Ædilis Pisani manibus a Patre suo Q. Largennio Chresimo.

Quod verò Chresimum patrem spectat, suo se cognomine prodit, ceu alienigena, non Latinæ, aut Italicæ origine; nisi quod Græco urbs Pisana fonte nata Græcis gaudere poterat appellationibus; est enim Chresimus Χρήσιμος: ac fortè hic Chresimus Civitatem Romanam, & ingenuitatem adeptus in familias Largenniorum transiit, quorum beneficio jus togæ impetrasset. Retinuit autem Græcum, aut peregrinum Chresimi bonæ scævæ gratia, quoniam Χρήσιμος utilem, & commodum indicat; ac ferè Liberti talia cognomina non abdicaverunt rem gratam facturi patronis. Eundem Chresimi cognomen C. Ticio Augusti liberto, Grut. CCCCLXXXV. II. *Cajo Ticio Chresimo Augusti ll.* &c. quam inscriptionem non possumus infra non expendere, saltem ἀκροθιγῶς, utpote affinem nostro marmori, & unde mutuam sibi lucem commodent; & DCCVI. XVIII. *Chresimus Cleopatra filio dulcissimo*, &c. Apud Senatorem Strozam in suburbano rutis cæsis antiquitatum instructo. *L. Murdius Chresimus annos natus*, &c. atque in alio, *Ti. Julius Chresimus, & C. Furnius Pancarpus*, &c. Chresimus, & Pancarpus fausta planè nomina. Neque in alio significatu κατ᾽ ἐυφημίαν alicubi *Onesimi* cognomen legitur. In iisdem epigrammatibus, ut inter alia apud Grut. DCCCC. XIII. pariter in liberto. *C. Postumius, C. L. Onesimus.* Sirmondus sine lacuna vidit, atque exhibuit; cùm tamen in Gruterianis sub eo numero vastum ulcus appareat. Est autem Ὀνήσιμος, idem ac Χρήσιμος.

Ac de servo DCCCCLXXXVII. VIII. *Onesimus Stati Busi. Ser.* In Etrusca nostra S. Miniatis urbe apud equitem Antonium Rossiam, *Cimarulma. fecit. Onesimo. benemerenti.* Senator Car. Stroza mihi dedit atque aliam sui suburbani inscriptionem. *A. Hernulejo Eutychio. A. Hernulejus Onesimus lib. suo B. M.*

Addantur & inscriptiones Basilicæ S. Pauli ad viam Hostiensem DLXXXI. DXLI. DLIX. Alii itidem lapides Florentiæ, *D. M Julionesimo M. Julius Marinus fecit Patrono b. m.* Et in alia, *D. M. Ulpio Venerio*, &c. *Cannesius Onesimus filio dulcissimo.* Et, *D. M. Albiæ Dorcadis Plotia Onesimi filia matri pissima.* In horto visuntur Illustrissimi Marchionis Bartholomæi Corsinii, quem aliis fortunarum amplitudo, sanguinis, ac ministerii dignitas invidendum, mihi semper spectabilem ingenii elegantia, ac morum suavitas faciet.

CAP. IX.

Honor Bisellii; nusquam legitur. De sellis Veterum instituta digressio. *Sella, Sedda. Subsellium, Subseddium. Bisellium:* quòd duos capit, vel duabus constat sellis. Varro leviter tentatus, & accuratè explicatus. Δίφρος, διέδρος, δί... Lat. *Bisellium.* Athenæo addita lux. Bisellium λαμπρὸς καθέδρα Hesychio. Ambitiosæ leges sedendi. quæ majora, eo ... honestiora. *Duabus sellis sedere*: omissa à collectoribus adagialis forma.

QUI OB HONORE BISELLI.

SI unquam aliàs, optanda nunc mihi foret Accii Navii auguris miraculosa manus, ac culter, quo cotem olim secuit; ut ego quoque Pisani lapidis abditum

ditum, ac penetralem sensum; quasi facta sectione educens; quid ex veritate critica magis conveniat, augurari subinde possem. Sed ab initio monui, solis conjecturis me progredi, qui nunquam aut Navii ipsius, aut Tagis arteni condidici. Vel quadratarius igitur insigniter nobis imposuit ita sculpendo: vel qui sit hic *Honor Bisellii*, accuratè quærendum est; cujus unica (quantum creditur) mentio in hoc marmore Pisano. Nequaquam igitur desideramus, ut de sedendi, sedium, que, aut sellarum usu, forma, ratione, discrimine leviter saltem, expendamus: si hinc aliqua fortè lux ad Honorem Bisellii investigandum affulserit. Congeremus veluti per Satyram, ac lege miscella, quæ in Veterum scriptis, monumentisque observare μυχομαθῶς; ac desultoriè licuit. Cura longior, & adnotatio intentior requireretur in hanc partem antiquitatis excutiendam, ad quam veluti ex inopinato, ac penè imparati accedimus: quippe nihil tale ab initio cogitantibus obrepsit libido, ut hic tanquam in suo loculamento emblema hoc philologicum insereremus. Aliàs, si divino Numini visum erit, totam impensè dabimus; enixèque operam Veterum sedibus indagandis, depromendisque. Nunc solum in transcursu sedemus; tota nunc erit sedentaria exercitatio.

A Bisellio incipientes ne pigeat cum Literatoribus aliquantulum sapere, atque in eorum pergulis parumper detineri. Minuta, inquis, ac levidensia sunt ista. Sed ad seria nos ducunt; sique ignorentur, aut negligantur, ad majora nunquam gradus. Isidorus lib. xx. cap. xvi. *Sella à sedendo, quasi Sedda.* & cap. xi. *Sella, quasi sedda dicta est; & subsellia, quasi subseddia:* Festi *solliquastra, sedilia cujusque generis appellantur. De littera D. L. conversa, ut etiam in sella factum est, & subsellio, & solio, quæ non aliunde à sedendo dicta sunt.* Terent. Scaur. *de orthogra. Seddam dixere, quam nos sellam.* Mar. Victor. in lib. I. *Sella à sede;* ubi de commutatione literæ D. & L. sic Dii *Novensiles* quasi *Novemsides*, quod novem una assideant, Πάρεδροι, & Adsessores apud eundem Victorinum: cujus Grammatici verba veluti conturbantis nimium prudenter sollicitat Salmas. *ad Spartiani Adr. cap. xxv.* mihi tamen pura sunt, & aprica. Videat ullus meum, atque judicet; sed nunc omitto. Sic *Dius Fidius*, hoc est, *Diovisfilius*, sive *Jovis filius*; quod de Hercule exponunt. Fidius nempè pro filius; & Pomp. Festo, *Impedimenta Impelimenta dicebant.* Eundem vide in *Ancasa, Delicata, Dacrymas.* Servius viii. *Aeneid.* ad illud.

—Solio medium consedit avito.

Solium —— quasi sedium: ut sella pro sedda. Ut mihi videtur, solium, dein sodium, mox sedium. Sic Festo *soldales, quod una sederent.* At unicus Varro in tota veterum scribentium cohorte lib. iv. *de L. L.* bisellii meminit: *Ab sedendo appellatur sedes, sedile, solium, sella, solliquastra. Deinde ab his subsellium; ut subsipere, quod non planè sapit: sic quod non planè erat sella subsellium dictum, ubi in ejusmodi duo bisellium dictum.* Quæ postrema verba (si ulcus subsit, ac vitium, quod subvereor) hoc mihi explanant: *Ubi in ejusmodi* (sella) *duo* (supple, sedent, quiescunt, capiuntur; vel sedere capi, & quiescere possunt) *Bisellium dictum.* Quare verborum fartinatores ex hoc loco Varronis, ut auguror, bisellium exponunt sellam, quæ capit duos. Sed non inconcinniter etiam dixerimus, *Ubi duo* sellæ quasi junctæ, & compactæ fuerint, Bisellium dictum: ac levissima detractione *in*, Varronem ita monentem inducere: *Ubi ejusmodi duo*

A (sellæ) *Bisellium dictum*, aut si magis placet; *Ubi in ejusmodi* (nempe subsellio) *duo* (capiuntur, & considunt) *Bisellium dictum.* Proximè enim de Subsellio Varro loquebatur; ergo ad Subsellium referenda videntur, quæ consequuntur. Græcis δίφρος quandoque pro sede, quæ capit duos παρὰ τὸ δὶς φέρειν, & hoc sensu, atque usu sedendi Etymologus accepit in δίφρος, Menandrum advocans, ἐκαθήμεθ' ἐπὶ δίφρῳ μήτηρ τε, καὶ παρθένος, *& sedebamus in diphro aut Bisellio, Mater, & Virgo.* Sed δίεδρος, vel δίεδρον magis exquisitè Latinis sonat *Bisellium.* Præter Eustathium *in Iliad.* meminit Hesychius & Suidas, ad quem Æmilius Portus, *Δίεδρος idem ac*
B *δίφρος, Bisellium; sella duos recipiens.* At illa sunt Athenæi in Philadelphi pompa describenda. παρέκειντο δὲ καὶ τρίποδες τοῖς κατακειμένοις χρυσοῖ διακόσιοι τὸν ἀριθμόν, ὡς τε εἶναι καθ' ἑκάστην κλίνην ἐπὶ ἀργυρῶν διέδρων, lib. v. cap. vi. p. mihi cxcvii. edit. Commelin. Vertit Dalecamp. *Accumbentibus Mensæ tripodes aureæ admotæ sunt numero ducentæ ad lectos singulos, duæ argenteis fulcris constabilitæ.* δίεδρον, fulcra, aut pedes mensarum exponit. Non (puto) tam acutè vidit, ac Casaubonus, qui *Repositoria* tripodum maluit, quæ binos capiebant. Adderem ego figuratè vocari δίεδρα, quoniam tum tripodes, præter genus mensarum, sed etiam sedilium, (ut hodie quoque rustici,
C ci, & paupertini utuntur, nobis *Trespoli*) tum quia & ipsi tripodes à Vatibus insideri solebant, qui Deum illinc concipientes, mox fata redderent. Quoniam igitur duo tripodes, aut sediculæ illic reponebantur; aut quia illic velati sedebant aptè recondita, δίεδρα appellarunt. Atque his postremis intellectibus Varronem enarrantes, magis ad compositionis Latinæ flexum, aut melius meum accedimus. Sic namque bicliniium, quod duos habet lectos, seu κλίνας; bipennis, quæ duas pinnas, aut acies; bipalium, bisaccium, birotium, & alia id genus. Sic bisellium potius à duabus sellis, quàm à duobus, qui illic sedeant. Quæcunque ea sit veriloquii ratio,
D aut structuræ forma; ex ipsa bisellii laxitate, qua vel duos capit, vel duas complectitur sellas, dignitatem quadantenus arguere quis possit. Omnino autem pro sella splendida, atque honesta acceperunt Græci: quos inter Hesychius (qui auctor argumentum honoris in bisellio spectavit, ac notus esse tum debuit illius usus) disertè inquit, *Δίεδρον, διάφορος, ἢ λαμπρὰ καθέδρα. Bisellium* (ita verterem) *conspicua, aut splendida sedes.* Nempe omni ævo blandita sibi in tantum est ambitio, ut etiam in hisce rebus, quæ exteriùs refulgent, pro earum materiæ amplitudine, ne dicam luxu, de utentium præstantia judicaverint homines: quod præcipuè in vestibus, at-
E que ornamentis observatum fuit. Ac in sellæ, qua de agimus, exemplo, illustrem, ac præpotentem ut notaret fœminam Seneca lib. II. *de Tranquillit.* cap. xiv. *Quid refert quantum habeat, quot lecticarios, quam onerata aures, quam laxam sellam?* Lecticarii autem tam ii, qui sellæ, quàm qui lecticæ subjungebantur; quod Lipsio assentior I. *Elect.* xix. Sic quoque super usum, aut necessitatem ad pompæ, aut magnificentiæ speciem; coronæ, quæ olim capitibus victorum imponebantur, dein capite ampliores factæ, quod Festus tradit: *Donatica corona, quod his victores in ludis donabantur, quia postea magnificentiæ causa institutæ sunt super modum aptarum capitibus, quasi amplitudine sunt,*
F *cum laræ vendantur.*

Quo respectu Plinius *Paneg.* ut beneficii, aut lætitiæ magnitudinem exaggeret, *Angustioribus atris, & grandioribus vultibus invocaretur*, &c. Ne hic addam de clavo lato, aut angusto, de ollis majoribus, aut minoribus; non de rogis, aut pyris; quæ

omnia pro eorum magnitudine, ac modo, ita existimationem ejus demonstrabant, cui tributa erant.

Haud planè statuerem, huc respexerit, an non Sarcasmus ille, quo aliquem *duabus sellis sedere* dixerunt; quasi ad bisellii usum, ac formam retulerint. Scopticus tegitur sensus, sedetque acumen in hisce verbis, quibus lubricam nonnullius fidem, & mobilis animi inconstantiam carpebant. Exprobratum id Ciceroni à Laberio, de quo Macrob. II. *Saturn.* cap. III. Præstat integram narrationem exscribere, ne invideamus urbanitatem, & salem dictorum: *Cum Laberius in fine ludorum annulo aureo honoratus à Cæsare, è vestigio in quatuordecim ad spectandum transiit violato ordine, & cum detractatus est eques Romanus, & cum Mimus remissus: ait Cicero prætereunti Laberio, & Sedile quærenti, recepissem te, nisi angustè sederem, simul & illum respuens, & in novum Senatum jocatus, cujus numerum Cæsar supra fas auxerat: nec impune. Respondit enim Laberius: Mirum si angustè sedes, qui soles duabus sellis sedere; exprobrata levitate Ciceroni, qua immeritò optimus civis male audiebat.* Repetitque lib. III. cap. VII. ubi dicterii vim exponit, *objiciens tanto viro lubricum fidei.* Ante illum Seneca parens *Declam.* III. lib. VII. & *Controv.* XVIII. lib. III. *Laberius ad Ciceronem remisit: atqui soles duabus sellis sedere. Quia Cicero male audiebat, tanquam nec Pompejo certus amicus, nec Cæsari, sed utrique adulator.*

Qui igitur bisellio insidet, facili transitu, si lubeat à dextra in sinistram migrat, aut contrà remigrat sellam, nunc uni, nunc alteri incumbens parti. Quo pacto homines sublestæ fidei, & versatilis animi, quâ vocat spes, blanditur lucrum, aut occasio invitat; ita ex usu versoriam regunt, ac temporibus insidiando, nunc uni, nunc alteri vento rudentes laxant; undeque stat fortuna, illic adhæresceunt; quod viro consulari, ac diserto objecerunt. Et quoniam hoc scommate ii præcipuè asperguntur, qui uno, eodemque tempore duabus rerum agendarum opportunitatibus mobilem, atque obnoxiam fidem oppignorant; perbellè hoc dictum à bisellii forma petitur, ubi insessor duabus eodem tempore incumbit sedibus, cum tamen unicam videatur tenere. Sed duabus sellis etiam ille sedet, qui quam commodiorem sibi putat, eam disjuncto & tempore, & loco subinde obtinet, relicta, ac mutata priori; quod ad partium sequelam in Republica dein transtulere. Nisi malimus ad morem Veterum referre, cum pedibus in sententiam discedentes, alio sessum ibant, atque eo pacto prodebant quid eligerent.

Atque hanc adagialem loquendi formam *duabus sellis sedere* eruditissimi proverbiorum collectores cur volentes præterierint, aut nimium securi non viderint, minimè video. Nobis tamen quadantenus est affine vernaculum illud, *Tenere il piede in due staffe*, de homine occasionum segni, qui sibi unam, atque alteram prospexerit; ut si fortè primâ exciderit, secundam arripiat: quomodo pes innixus duobus suppedaneis, si unum elabatur, alteri insistit. Posset quoque metaphora duci à cursu equestri, cum quis ex uno in alium equum currendo se trajiciebat; ea enim erat desultoris ars in equum πάρωρον velociter transilire, ac mox in priorem sellam resilire. Periculosum autem est rem habere cum equis currentibus, quos nudos tunc fuisse puto, ac sine sella. Omnino igitur tutius erit à consessu, & concione deducere, quod tum Seneca, tum Macrobius disertè narrant.

CAP. X.

Bisellii indagata forma: prolatum specimen; aut affine aliquid. *Seliquastrum. Antiquum. Antiqui moris*: lux Tacito. *Lecti archaici*: all'antica. *Sellæ rusticanæ.* Cassiopeja *mulier seliquastri.*

SED cujus omninò formæ, aut structuræ fuerit Bisellium nostrum (ut eò revertamur) nescivi hactenus è veterum reliquiarum figuris certo deprehendere. Eam autem sellam in usu aliquo extitisse ambigendum non est, alioquin cur ejus mentio, aut descriptio Varroni? Quod si ullum tamen monumentum, aut monumentorum iconismus, quem nobis reliquum fecit vetustas, ac elegantium hominum industria servavit, bisellium meo judicio, aut videri, aut dici potest; unus est, quem subjicio: Vide in calce libri num. I. Si quis transversum secet medium hoc sedile, duo erunt sellæ curules disjunctæ: quæ ita compactæ bisellium, sive binas sellas conficiunt; & quidem honorifica illic sessio, quoniam curulibus innixa. Extat hæc figura inter antiquitatum paradigmata, quas collegit Fulvius Basterus: possidet hodie Vaticana Bibliotheca. Cujus Cimelii pararius mihi fuit apud Illustrissimos Puteos D. Vincentius Vivianus nuper redux ab Urbe, vir mihi suavissimæ amicitiæ lenocinio conjunctus: orbi autem notus ob præstantiam subtilissimi molimims editi, quod de sectionum conicarum *Maximis*, & *Minimis*, maximum semper Auctorem demonstrabit. Nec tibi invideo sellam, aut thronum duos capientem ex antiquo, atque eleganti Cimelio onychino apud Tristanum tom. I. pag. C. Vide *Icon.* num. II. Attende & apud Goltz. in *Aug.* LXXI. v. ubi duo pro rostris in eodem sedili; vulgavit & Ursinus in *fam. Sulpicia* p. CCLIV. qui Augustum, & Agrippam sedentes exponit: Vide num. III.

Quod si quis nimiùm anxiè hæc à nobis inquiri existimabit, per veterum saxorum reliquias, atque iconica vestigia monumentorum, ad honoris, aut dignitatis aliquod illinc expiscandum documentum; hunc velim meminisse, qualia fuerint omni ævo id genus commenta, ac symbola honorum externis hisce nitentia adspectibus. Qualia etiam hodie, cum plura sint insignia virtutum, quàm virtutes ipsæ, quæ virum demonstrent, & magna cuique laus est larvam callidè gerere! Inter prima ut jam Sapientiæ mysteria habeatur, & rituales morosæ ambitionis nugas novisse, quis, coram quo, quantum, quoties, qua sede, loco, tempore, sedeat. Deque his omnibus non ignoramus constitutionem editam ab Impp. Arcadio, & Honorio in *Cod. Theod.* 15. 13. tit. *De Usu sellarum*: quam infra producemus. Nihil ergo miremur de bisellii honore. Sed cum sedibus pergere juvet, quod apprime commodum erit. Utinam dum calamo, quasi sella fertoria progredimur, *animus* quoque (quod ajebant) *sedendo fiat melior.* Ab eadem sella *Seliquastrum* deducunt tum Varro, tum Festus, cujus illa sunt verba superiùs allata. *Seliquastra sedilia antiqui generis appellantur.* Arnobius lib. II. enumerans supellectilem *Pollubrum, Siliquastrum, Trulla*, &c. qui Auctor per I. effert, ut & Hyginus, de quo infra. Promiscuè autem & *Siliquastrum* dixere, & *Seliquastrum*: quamquam & Siliquastrum genus herbæ hortensis. Pariter meminit hujusce sedis inter instrumenta domus, & in supellectilis censione Juris Consult. *l.* 4. *de supell. legata*; nisi magis placet ex Pandect. Flor. legere, *Sedularia*, quod Ant. Augustinus conatur; pro

pro pulvillis exponens, quibus lecticæ sternuntur. Vide Gothofr. *ad d. l. 4.* Erit igitur *Seliquastrum* non tam ornatæ structuræ, aut artificiosi operis sedes; Festi verbis: *Sedilia antiqui generis appellantur.* Sic enim antiqua dixerunt, quæ rudia magis, ac simplicia; ad usum, ac necessitatem, non ad luxum, aut munditiem inutilem. Qua similitudine egregiè, atque ingeniose Tacitus *Ann.* XVI. cap. V. *Qui remotis e municipiis, severam adhuc, & antiqui moris retinentes Italiam,* &c. qui nondum scilicet viderant luxuriosas illius opes, ac intima illic voluptatum, ac theatrorum certamina, de quibus ibi Tacitus. Sic viros, sic mores antiquos Ennius.

Moribus antiquis stat res Romana, Virisque.

Ut sedilia antiqui generis, ita Horatio *Lectis Archaicis* lib. I. epist. V. nobis *All'antica:*

Si potes Archaicis conviva recumbere lectis.

Turnebus *Adverf.* I. XVIII. maluit *Archiacis* ab artificis nomine. Mihi perplacet *Archaicis*, & Nannius antè statuit *Miscell.* IV. XVIII. Quod non penitùs desita, aut antiquata fuerint ea sedilia, ostendit legatum in *d. l. 4.* si *Seliquastra*, non *Sedularia* verior nos lectio reposcit. Vocamus enim antiqui generis etiam ea, quorum usus adhuc duret; sed ut demonstremus formam, & fabricationem. Mulierum ergo Sellæ ea *Seliquastra*; talesque fuisse, atque adopertas, quarum domi usus, putavit Casaubonus *ad Suet. Othon.* C. VI. Nostrates dixerimus vulgares, ac minores, ubi fœminæ lanipendio, & acui operantur. Indusimiles crediderim, quas *sellas rusticanas* Sulpit. Severus appellavit de B. Martino loquens; quarum tamen nihil puduit sessorem maximum. Vates, aut Mythastronomi lo[...]runt Cassiopejam Seliquastro impositam. Hyginus *Astronom. poet.* II. in Cassiopeja: *Inter sidera sedens in Seliquastro constituta est.* & *de signis* lib. II. *Cassiopeja sedens in Seliquastro collocata est.* adnotavitque Grotius pag. XLVII. ad has imagines. Nisi mihi res cum Poetis, aut Mythologis foret, genere licentioso, quibus Judæus credat apella; abundè esset, quod Seliquastrum supra omnes bisellii honores dignissimam sedem reputarem, quando illic Reginam incumbentem tot siderum satellitio undequaque stipatam locarunt. Contra autem commune, & cuique parabile id sedile statuimus, Formaturam, & Schema Seliquastri hujus Cassiopejæ variè pro lubitu exhibent artifices in mappa cœlesti; domesticum, ut apparet, & muliebrem ad usum: Arabibus proinde Astronomis *Mulier Seliquastri* appellatur Cassiopeja.

Productio hæc aut incrementum, quod in *aster* pangebant Latini, nescio quam extenuandi, aut despiciendi vim habuit, ut recalvaster, surdaster, parasitaster, &c. Sic plantas depretiat, aut sylvaticas facit, ut pinaster, oleaster, &c. Quid, si vilitatem, aut contemptum ita ducant à sellis Seliquastra? quomodo serpenastra, vel alia id genus. Sed obsoletum, aut vile seliquastrum paritæ mox sedis nitore, ac dignitate pensemus.

CAP. XI.

Sella curulis. Tuscorum inventum: à Curibus, non à curru dicta. Hinc *Magistratus curules* κουρουλίδι θρόνῳ: δίφρῳ βασιλικῷ. Sella *quadriga*, alia. Sella *Consularis*, *Regia* ἡγεμονικὸς, ἀρχικὸς. Ducum, & Magistratuum. ἐλεφάντινος: *eburnea*: *eburata.* ἀγκυλόπους. Curvipes. Franciscus Gottifredus antiquitatum diligentissimus. Serenissimi Leopold. ab Hetr. heroicæ virtutes. Curulium non una forma producta, & in nummis explorata. Coronæ desuper, fasces, rami, nubiæ: circumque & ad pedes erecta hujusmodi. Curulis *perversè collocata.* *Sella aversa.* Faldistorio Episcopor. similis.

CURULEM sellam quantam honoris significationem, quantumque decoris instar secum ferat, nemo, vel in Romana antiquitate balbutiens ignorare potest. Tusciæ nostræ inventum id insigne. At si fides Silio Italico lib. VIII. è Vetulonii oppido (hodie *Viterbo*) primum advecta in Urbem Curulis. De ea sic loquitur Civitate:

Hæc altas eboris decoravit honore Curules.

Vide Macrob. I. *Saturn.* cap. VI. & Dionys. lib. III. Ἀρχαιολογ. qui ab Hetruscis accepisse Priscum Tarquinium refert. Livius lib. I. *Me haud pænitet eorum sententiæ esse, quibus apparitores, & hoc genus* (lictores) *ab Etruscis finitimis, unde sella Curulis, unde toga prætexta sumpta est.* Nihil tam dictum, ac de ea Sella. Tu videsis è propè innumeris, quos veluti edecumatos delibo, Lipsium ad II. & IV. *Annal. Tacit.* Brissonium *select. Antiq.* lib. III. cap. XV. Passerat. *ad Propert.* lib IV. eleg. XII. Cerda *ad* XI. *Æn.* vers. CCCLXXXIV. Lazium *Resp. Rom.* XI. III.

Conspirant Grammatici ut à curru deducant. Festus in *Curules*, Isidorus XI. XX. Bassus apud Gell. lib. III. cap. XVIII. Servius ad idem Maronis carmen CCCLXXXIV.

Et sellam regni, trabeamque insignia nostri.

Sed meritò reprehenduntur à doctioribus, quos Grammatistarum argutiæ parum afficiunt. Inter hos Lipsius, qui non à curru, sed à Curibus deducit: hunc vide cap. XII. *de Magistratibus.* Cui opinioni favet modulus syllabæ primæ in curulis. Ergo ab hac sella, & illius usu Magistratus *Curules*; quorum mentio *l. I. §. 26. de origin. Juris. l. I. de adil. edict. §. 7. Instit. de J. nat.* &c. Livius lib. VI. Hinc Ædiles Curules à plebejis distincti, quoniam (quod est apud Theophilum *§. proponebant de J. nat. gent. & Civ.*) [...] *utebantur sella Consulari, seu Curuli.* Nihil proinde mirum, si ab hisce ornamentis, seu insignibus, nomina quoque, & honorum gradus desumantur, ut in nostro Honore Bisellii. Sed plura inferiùs. Alio nomine igitur hæc sella dicta *Consularis.* Theophilus super. Glossæ, *sella Curulis* κουρουλίδι θρόνῳ, δίφρῳ βασιλικῷ *sella Consularis*, *sella regia*, quoniam eâ usi quondam Reges, deinde Imperatores, qui a Græcis Reges; ideo βασιλικός. Eam ob causam Plutarcho ἡγεμονικὸς *Sella Ducum*, Magistratuum, ac Principum. Dionysio Halicarnass. fermè semper ἐλεφάντινος θρόνος *Sella Eburnea* à materie, sive ebore. Neque confundenda cum alia, quæ ἁρμάτειος δίφρος Polluci X. XI. (plura suo loco) quam rectè vertunt *Sellam curulem.* Est enim sedes in curribus; non tamen sedes honoris; quæ Magistratibus Romanis attributa, & quæ efferri debet literâ non caninâ minùs.

Materia olim ex ebore, diuque tenuit. Eam ob rem ἐλεφάντινον δίφρον ubique vocat Dionys. hoc est, Consularem, & passim scriptores de ebore curuli. *Eboratam* Vopiscus in *Aurel.* Proprium Romanorum agnoscit hoc ebur Athenæus lib. V. cap. IV. ubi de Antiocho Epiphane, qui nonnunquam sedebat, [...] *In sella eburnea more Romanorum.* Ex Polybio autem narrat Athenæus; apud quem Polybium lib. VI. ἐλεφάντινος itidem δίφρος appellatur. Vide P. Fab. *ad tit. de Orig. J.* p. XXXIX. XL. & Passerat. eo loco *ad Propertium*, Dempst. *ad Rosin.* lib. X. c. XI. Orleans *ad Tacit.* pag. DCCLXXXIII. Imò Diis ipsis, Deorumque parenti Jovi ex ebore dican-

candam reperio apud Vopiscum in *Firmo* cap. III. ubi de Aureliano Imperatore loquitur: *E duobus dentibus elephantinis pedum denum, additis duobus aliis dentibus, constituerat sellam facere Jovi.* Conjice sellæ magnitudinem ex dentium quatuor proportione, ac mole; si modò alii duo pedibus denis extendebantur. Sed gliscente luxu, opibus, vitiis, tum bracteata, tum ex auro, argento, &c. accedente industriâ, labore, operâ artificum: dicemus non-nihil infra. Formam ostendunt marmora, ac nummi. ἀγκυλόπους Plutarcho dicitur in *Mario*, hoc est, *curvipes*; quòd quatuor lignis incurvis, ac decussatis constaret, atque ordinaria ea species: observatque Casaubonus *ad Suet. Aug.* cap. XLIII.

Quandoque autem visitur pluribus compacta lignis, quales nobis sedes totæ ligneæ (*cascranna* dictæ) ad vulgarem usum. Nihil tam frequens in antiquis saxis; nihil tam obvium in nummis tam exteris, quàm Romanis; præcipuè autem ubi congiarium, aut alia largitio à sedente Principe erogatur. Vide interim productam superius Iconem in Bisellio: est enim duplex juncta sella curulis octo suffulta pedibus recurvis, sed minimè plicatilis. Frequentiori igitur forma; quadrupes sella camuris, & obversis lignorum capitibus; quorum quatuor solum tangunt; quatuor loramentum obtensum, aut sedile sustinent.

Unde verò exemplaria justiùs deducemus, quàm ex ævo omnium nobilissimo Cæsaris, & Augusti? En primò transversis pedibus cancellata apud Lud. Nonn. *in Golcz. num. Cæs.* tab. XXVII. num. VII. corona desuper jacens, fasces utrinque ad pedes erecti. Vide in fine num. IV. & V. Consimilis alia Coloniæ Apameæ sub Augusto cum fascibus, & corolla: sine fascibus altera.

Utramque è suo Cimeliarcheo Româ misit diligentissimus antiquitatum vindex, & elegantiarum spirans Amalthea D. Franciscus Gottifredus, quos tibi non inviden lector, atque inspector humanissime; curavitque Serenissimus Princeps Leopoldus ab Hetr. cui debeo quidquid meæ constitur literulæ. De summo Heroe, ac Mæcenate quantumvis dixero magnum, infra erit semper. Quòd ad omne genus artium nobiliorum favore, ac patrocinio impellat, Principis est: quòd suo ipse labore exornet, ac tueatur, omnium pene compos, supra Principes est, sed non Mediceos. Nullus dubito cancellatis hisce sudibus compactas sellas è genere curulium fuisse, quidquid fateatur se ignorare Lud. Nonn. *ad numismata Cæsaris*. At frequentior, & communior forma Curulium, quin etiam illustrior, ea quadrupes è lignis recurvis. Vide passim apud eundem Nonn. *Cæsar.* tab. XV. num. XXII. & XXIV. tab. XXXVII. & *August.* XXII. IV. Vide in fine libri VI. VII. VIII. in quibus tamen locis non unicam, sed duas sellas exponit Nonnus. Verè una tantùm est. Non negarim tamen sibi parumper indulsisse artificem, vel invitâ optice; quippe in fronte sellam prospicimus; quatuor autem illi pedes non tam diducti, ac patentes ex lege visionis apparere deberent, sed anteriores posteriorem luminibus officere. Neque id tamen novum quandoque in nummis demonstrationis gratiâ, ubi neque color, neque umbra iconismum adjuvant. In his autem sellis notare est coronas impositas, vel singulas, vel binas, quandoque ternas; nunc jacentes, nunc erectas; sic fasces, sic ramos utrimque humi adstantes, aut frumenti spicas, ut in *Lepido* XXVII. IX. eidem Nonno: ubi & Jovis manubiæ impositæ. Vide & Cæs. XXXV. V. Vide num. IX. X. XI. in calce libri. *Aug.* XXII. IV. & VI. hic pedes curulis vario fabri lusu tornatiles, aut cælati, & in cuspidem concinnè desinentes: qua verò crassescunt, & sedile sustinet (si oculorum arbitrio credere est) corollis, aut lemniscis ornati apparent. Adde Ursini nummos, quos proferimus inf. cap. XXXI. Sed cum fastiore ubi occurrit sella *August.* XLVI. XX. apud eundem Nonn. Vide num. XII. in ejusdem calce, ex qua manifestè deprehendes eam pedum figurationem, aut positum quem nuper indicavimus. Ni satis numismata, adi opus anaglypticum in arcu Constantiniano Romæ, ubi Trajanus sedens in Curuli: iterumque sedentem illic cerne, sed aliâ sedis formâ. Vide num. XIII.

Non admodum à sede Episcoporum (quam vocant *Faldistorium*) diversam Curulem assentimur; quoniam utraque humilis, ac repositilis, ut portare, ac ponere possis, ubi opus sit; sine anaclinterio plurimùm, aut fulcro ad dorsum reclinandum.

Quòd si quis interim sciscitetur, utrum eadem fuerit facies sellæ Curulis tam anterior, quàm posterior, sicut in Faldistorio; nihil ut referret, quâ fronte statuatur; esset quòd in Curuli diversitatem aliquam suspicaret ex Suetonii loco in *Galba* cap. XVIII. ubi inter alia, quæ imperium Galbæ, vitamque amittendi dedere omen, refert Historicus fuisse, *in Senatu curulem perversè locatam*, quod nobis esset *à rovescio*. Alius ergo Curuli aspectus in antica, alius in postica esse potuit. Nisi perversè intelligamus, quasi latera sellæ exposita fuerint, ubi frons, aut aditus obverti debebat. Notavi *in l.* I. *D. de postulando*: *Publium cæcum Asprenatis Nonii patrem aversa sella à Bruto destitutum, cum vellet postularet.* Sed eam partium, ante, aut secus disparem formam imagines non præferunt. Illud duntaxat quandoque observare est, præsertim in nummis, ligna posticæ partis paulo altius extare, ac proniorem sellam in anterius reddere; quod antiqua numismata lustrantibus facilè apparebit. Nonnulla alia, quæ ad curulis structuram spectant, vide inferius cap. trigesimo, ubi de anaclinterio, nobis *spalliera*, & cur eo caruerit hæc sedes.

CAP. XII.

Sella curulis cognominibus data magistratibus: flaminibus: munerum editoribus: fortasse Vestalibus. Dubitatur an omnibus Senatoribus. Berneggeri affirmantis suspecta opinio. *Subsellia Senatoria.* Ludovico Aurelianensi impacta censura. Tullius explicatus. Lud. Cerda sub examen; & laudatus. Proconsulum Curulis, Prætorum, Pr[illegible]æ, & Lycaoniæ. dissensus à P. Fabro. *Le[illegible]sca consulares.* Dictatoribus, Interregib. Præff. V. Magistris eq. debita Curulis. Patres in Consistorio sedentes. Curulis domi detenta; sæpius imposita currui.

UBI materiam Sellæ curulis, speciem quoque, ac figuram obiter inspeximus; quibusnam tributum fuerit id honoris insigne, pari compendio, aut excursu adnotemus.

Liquet autem omnibus Magistratibus Majoribus, domi forisque adhibitam, hinc ἀρχικὸς δίφρος, & ἡγεμονικὸς Græcis. *Sedile dignitatis amplissimæ* Mamertino in *Paneg.* vocatur. Sic *Ædilitia*, *Prætoria*, *Consularis* Sella. Non dubitarim Dictatori usurpatam, quippe ille Magistratus omnium in se potestatem involvebat, affirmatque Lipsius *de Magistratibus* cap. II. De Principibus, aut Imperatoribus non est ambigendum, ac nos infrà. Nec Sacerdotibus negata, Livius lib. XXVII. de C. Flacco Flamine Diali *Vetustum jus sacerdotii repetebat datum id cum toga prætexta, & sella curuli Flamonii esse.* & lib. I. de Numa: *Flaminem Jovis assiduum creavit, insignique eum veste, & curuli regia sella adornavit.* Ubi sellam curu-

curulem vocat regiam. Vide & exempla apud eundem Livium de Urbe a Gallis capta lib. v. & Valer. III. II. de Romanis in curuli sedentibus.

Nummus Cottæ Pontificis hanc sedem exprimit promptus a doctissimo Jacobo Gutherio *de Vet. J. Pontif.* pag. cxx. Neque ab hoc more abire videntur verba Taciti, *sedes curules Sacerdotum Augustalium locat*, lib. II. *Annal.* Munerum editoribus inter ludos, & solemnia datam fuisse opinarer, etiamsi privati essent: de Magistratibus quis dubitet? Omnino tribunal ad podium iis parabatur. Suet. *August.* cap. XLIV. *Virginibus Vestalibus locum in theatro separatum, & contra Prætoris tribunal*: explicat autem Lipsius *Prætoris* vocem pro quocumque editore; tu vide cap. XI. *de Amphit.* Addo Festum in *sella curuli*, quomodo eam expletò ναῷ Scaliger. Imò tam propria videtur ludos edentium, ut aliis cæteroquin habentibus tunc negaretur, quod infra conjicimus ex Dione lib. XLIV. Quare προεδρία, & *Præsidere* de iis dicebatur, sicuti ἐν προεδρίᾳ adesse. Vide infra c. XXXII. sed quid planius? Datur editori tribunal, à tribunali numquam sella, & quidem curulis in Urbe sejungitur. Stat sella quidem sine tribunali; hoc autem haud sine ea. Cicero II. *Verr. Palam de sella, ac tribunali pronuntiat.* Martialis lib. XI. epigr. XCIX. *ad Bassum*:

Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et è curuli jura gentibus reddas,

Dantur editori cætera insignia, ac decora Magistratuum, & quidquid maximè splendidum est ad pompam, & auctoritatis indicium: quid est quare illi Curulem abjudicemus? Inter Consules medium editorem locat Boeth. imò Sapientia ipsa lib. II. *de Consol. Cum in circo duorum medius Consulum*, &c. Eodem argumento ad opinandum me comparo Virginibus Vestalibus potuisse dari. En ad podium ipsæ quoque sedebant, & quidem eadem metatura, qua editores; Sueton. sup. ac Prudentius de iis hymno *de D. Hippolyto*:

— Podii meliore in parte sedebant.

Sacerdotes Vestæ, & Antistitæ omnium dignissimæ censebantur; lictores habebant; pilento, aut carpento vehebantur; iisque cæteri magistratus fasces suos submittebant, nulloque non genere sanctitatis, atque honestamenti mactas Romana gens venerabatur. Quare ut dignatio glisceret Vestalis Sacerdotii decretum olim *quoties Augusta theatrum introisset, ut sedes inter Vestalium consideret.* Tacitus lib. IV. *Ann.* cap. XVI. quod si hæ sedes Augustam ipsam manebant, non levis conjectura me ducit, eas saltim in theatro, aut per aliquam occasionem fuisse Curules. Nihil tamen certi statuo, ac multò minus, quoniam Lipsius pulcherrimo illo opusculo *de Vestalibus*, ne γρῦ quidem super hoc ritu; & poterat ille tamen perquirere. Omitto interim Præsidis illarum Vestæ solemne fuisse donarium, & ἀνάθημα sedem, eamque sæpius curulem in vestibulis templorum positam, quod exhibent nummi a Lipsio producti: eo simul valebant, ut stabilitatem Vestæ, seu terræ denuntiarent. Atque his testimoniis abundè satis edocemur, quibusnam clara hæc sedes honoris contigerit, quantumve in ejus usu initar dignitatis inesset. Illa nunc me dubitatio exercet, num Senatores hanc ipsam Curulem adhibuerint? quippè tam egregii consessus inclyti Proceres, rerumque toto orbe Romano maximarum auctores, quos merito totidem Reges Cyneas videns, veneratusque appellavit, exsortes fieri non debuere tam honesti decoris. Disertè Cl. Berneggerus *ad Sueton. Cæs.* cap. LXXVIII. occupatas fuisse indiscriminatim à Patribus Curules monet. Sed multa, ne huic fidam sententiæ, urgent validius; & quidem Senatoribus assignata fuerunt subsellia, non igitur Sellæ Curules. Sueton. in *Aug.* cap. XLIV. *Facto igitur decreto Patrum, ut quoties quid spectandum publicè ederetur, primus subselliorum ordo vacaret Senatoribus.* Quod autem de primo subselliorum ordine tradit, id ex lege injunctum puto Senatoribus, si veste senatoria adfuissent: sine ea, ubi libuerit sedere poterant, teste Dione lib. LX. p. DCLXIX. editionis Hanovianæ Gr. Lat. M. DCVI. quod semel sit præmonitum toti libro. Quo spectat Plin. IX. *Epist.* de Tacito Senatore: *Narrabat* (Tacitus) *sedisse se se Circensibus proximum equiti Romano veste privata.* Clarè autem narrat Dio ibid. fuisse à Claudio assignata Senatoribus Subsellia, quæ tempore ipsius Dionis in usu erant, ἕδραν τινὰ τῶν θεῶν appellat: sessionem scil. aut locum; sed nulla mentio Curulium. Omninò clarius lib. LIX. pag. DCXLV. ubi de Caligula, qui primus instituit, ut Senatoribus pulvilli subjicerentur, ne ἐπὶ γυμνῶν τῶν σανίδων *in nudis asseribus* sederent; quid autem hi nudi asseres, nisi mera subsellia? Idem lib. XLIV. pag. CCXLII. de Cæsare, cui honoris ergo Καθίζεσθαι ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου πανταχῇ, πλὴν ἐν ταῖς πανηγύρεσιν ἐψηφίσαντο. τότε γὰρ ἐπί τε τοῦ δημαρχικοῦ βάθρου, καὶ μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων θεᾶσθαι ἔλαβε; *sedere in curuli sella omni loco exceptis ludis permiserunt, tunc enim & in tribunitio subsellio, & cum iis, qui quoque tempore tribuni forent, sedere obtinuit.* Privilegio id datum Cæsari, non ergo solemne cunctis Patribus. Imò verò si cum temperamento eidem Cæsari, *exceptis ludis*; minus multo vulgatum id Senatoribus. Cur autem in ludis non sella Curuli, sed tribunitio subsellio uti debebat Cæsar? Fortè quia ea tunc propria, & prærogativæ indicio servata editoribus. Omnem tandem profligat dubitationem, ac sententiam nostram mirificè fulcit, quod idem Dio scripserat lib. XLIII. p. CCXX. de aliis honoribus antea decretis eidem Cæsari. καὶ προσέτι ἐπί τε ἀρχικοῦ δίφρου μετὰ τῶν ἀεὶ ὑπατευόντων ἐν τῷ συνεδρίῳ καθίζειν. *Ut insuper Consulibus cujusque temporis in Senatu assideret super sella curuli.* συνέδριον vero *Senatum*: non itaque anteà in Senatu utebatur Cæsar. Sed redeamus ad subsellia Senatoria. Cicero *in Catilinam* I. *Quidquid ab adventu isto tuo ista, subsellia vacua facta sunt*, &c. *Inter subsellia Senatus.* Idem *in Salust.* Asconius ex ejusdem Cic. *pro C. Corn.* orat. I. *A populari consessu Senatoria subsellia separari.* Spartianus in *Caracal.* cap. II. *Cum armatis militibus curiam ingressus, hos in medio inter subsellia duplici ordine collocavit.* Sidonius Apollin. lib. I. epist. VII. de Tonantio Ferreolo: *Verecundè, ac leniter in imo subselliorum capite consedit, ita ut non minus legatum se, quam Senatorem reminisceretur.* Indico tibi, & Donatum Marcellum *ad Suetonii Neron.* cap. XVII. Ni mea igitur prorsus aberrat opinio, neutiquam sellæ curulis honestas universis vulgata Senatoribus fuit: ac multo minùs iis, qui è Magistratibus majoribus nullum, aut gessissent, aut gererent. Quinimo si Prætoribus quoque ipsis data subsellia (ut infra dicemus) mirabimur, si purus Senator à curuli exclusus, conquiescere in iis debuerit? Delicias prorsus facit Vir alioquin cum primis eruditus Orleans *ad x. Ann. Tacit.* p. DCCLXXXIII. qui civibus benè de Repub. meritis in præmium, ac mercedem, sellæ curulis usum tradit: ego dicerem magistratus, honores, imperia: hæc autem cum sella curuli jungebantur. Vide & Dempsterum *ad Rosin. Antiq. Rom.* lib. X. cap. XXIX. scio alioquin honoris causâ nonnullos, aut socios, aut externos sella curuli fuisse donatos, præ-

cipuè autem Reges; qua de re Brissonius lib. II. *Form.* p. mihi CCXXXIV. sed nos loquimur de usu illius publico inter cives, non de munere secum adsportando, aut retinendo ad memoriam, & insigne honestatis. Neque ad rem facit locus Ciceronis *Verrina* IX. n. XXXVI. *Ob earum rerum laborem, & sollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem*, &c. Non de simplici Senatore Orator loquitur, sed de Ædili Curuli; cui omnino convenit ea sella, unde & agnomen desumpsit. Sicuti & in *Cluentiana* n. CXCIV. *Toga prætexta, Sella Curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, provinciæ*, &c. non eum habent sensum, ut quivis Senator sella utatur curuli; alioquin & unusquisque esset Imperator, & provinciam gereret, si Tullii verba nos movent. Sed hoc volunt, è Senatu, amplissimo scil. illo ordine, civiumque lectissimorum consessu prodire viros, quibus imperia credantur, & populorum regimina, provinciæ, exercitus, potestates tradantur: ac proinde illos consequitur auctoritas, ac domi splendor, apud exteros nomen, & gratia: illis toga prætexta, illis sella curulis, fascesque, & cætera insignia, quæ cum imperio cohærent. Fateor interim, aut saltem suspicor, multum interfuisse ad rationem, modumque sedendi, quo in loco Senatores adessent; utrum in templo, aut curia, in foro, in theatro, in judiciis, in domo Principis, &c. ac fortasse aliud alicubi magis conveniebat. Utrum autem ad sedium quoque discrimen ea loci differentia procurreret, non audeo nunc statuere. Observamus certè apud Scriptores, ubi de sedendi ratione, aut sellæ usu pertractant, apponi etiam locum, ac tempus, & occasionem. Fortè enim erat ubi parum commodè ob loci habitum; ubi minus reverenter in conspectu Principis; ubi nequaquam aptè, rebus mœstis, atque afflictis (dum cultum, nitoremque majestatis ponerent.) esset Patribus adhibenda curulis. Sed quanti habita sit hæc regula sedendi in usu politiæ Romanæ, non est quod vel hoc uno prætermittam docere; peculiarem scil. constitutionem fuisse ab Imperatore Arcadio evulgatam A. D. CCCLXXXXVI. quæ est in *lib.* XV. *tit.* 13. *C. Theod. de Usu Sellarum*: ubi personas, locum, atque jus sedendi, & quibus illud in publico permissum statuunt; ne rem tralaticiam, temereque confundendam, ac vulgandam opinaremur. Ante ipsum Quintilianus lib. III. cap. VI. Tertullianus *de Spectacul.* cap. XXII. ubi *Honoribus* succenturiat, & coaptat Sessionem ipsam. Verba legis Arcadii ea sunt: *Exceptis plebejis, scenicis, & qui spectaculo suo præbent populo materiam voluptatis, & tabernariis; cæteris omnibus usum sellarum, & sedendi, ac conveniendi in publicum tribuimus facultatem.* Vide istic illustramenta doctissima Jacobi Gothofredi; non vacat nunc particulatim exquirere, qui delibamus dumtaxat, ac Velitum more evagamur: statariam suo tempore curam admovebimus. Quod si clarissimus idem Berneggerus *ad loca Suet.* cap. LXXVI. & LXXVIII. in *Cæs.* occupari scripsit Curules à Patribus respiciendo occasionem triumphi, aut spectaculi (de quo ibi) tanquam si in luce publica, communique populi gaudio explicanda magis esset majestas Senatus, dignissimo, atque honestissimo sessionis genere; cupiebam ut non modo distinctius loqueretur vir doctissimus, sed distinctionem quoque ipsam dein cum teste sanciret. Sed illi fundus fortasse, & fons hujus opinionis Justus Lipsius, quem laudat ex cap. XI. *Amphitheatr.* sed verè idem Lipsius ait quosdam Patres spectasse, creditque Consules, Prætores, aliosque, quibus id jus in sellis curulibus ad podium spectandi; non tamen omnes Senatores; neque juratus affirmat, sed credit, reperitque nonnullos ita consedisse. Huc ego quoque libenter judicio inclinarem; iis patribus, qui magistratum curulem gererent, datam quoque fuisse cognominem sedem in curia, aut alicubi. In suis vero dicasteriis, tribunalibus, foris nullus ambigerem. Sicuti vero Berneggerus nimium liberaliter vulgat usum Curulis: ita nimis deparcus, ac restrictus meo sensu Ludovicus Cerda ad locum Vatis maximi superiùs allati *Æneid.* XI. vers. CCCXXXIV. qui solis vindicat Consuli, Prætori, Ædili: cæteris omnibus negat: Festum itidem coangustans in verbo *Curules*; quod de his dumtaxat tribus sit exponendus. Sed cur repellit Flamines, & Sacerdotes, saltem quosdam? Cur Vestales, cur ludorum præsides, si quando è curulibus Magistratibus non fuerint? Non Dictatorem usum credemus, qui cæterorum in se potestatem, atque jura complectebantur? Non interregem, non eos, qui pro Prætore, aut Consule gererent extra urbem? Ac multo magis Romæ Tribunos consulari potestate? Proconsulibus omnino tribuit P. Fab. *ad tit. de orig. j.* sed & eorumdem legatis; id tamen mihi non est adeò planum. Quod enim Spartiani testimonium advocat in *Septimio Severo* cap. II. fasces legatis datos, atque in vehiculo sedisse, qui ante pedibus ambulabant; hoc narratur dumtaxat; nil de curuli, ac ne colligi quidem indidem potest. Non dissentior *Legatum P. R.* illic, non pop. Romani, sed *P. R.* hoc est, Proconsulis esse exponendum, ut ex narratione constat. Prætoribus Pisidiæ, & Lycaoniæ δίφρον ἐξ ἀργύρου, & ἀπήνην ἀργύρεον, tribuit Justinianus *Novella* 24. & 25. *Lecticam argenteam* vertit idem Faber. Ego δίφρον libentius, ac tutius *Sellam* interpretor: ἀπήνη autem est rheda, aut vehiculum, non sella. Sed viro magno in animo fuit toties curulem datam exponere, quoties in curru sederetur. Non desino interim mirari, cur Mamertinus in *Paneg.* nova appellatione Lecticas consulares invexerit? *Pæne intra ipsas Palatina domus valvas lecticas consulares jussi conferri*, &c. Lecticæ usus ad jacendum, non ad sedendum, ut notum est; & mox tamen has lecticas vocat *sedile dignitatis amplissimæ*; quare aut oratorem excqueam, lecticas pro curulibus posuit; aut eo tempore Lecticæ, quales nostræ hodie ad sedendum, non quomodo Veteres utebantur, repertæ jam fuerant. Cæterum rectè Servium castigat Cerda, eos solos curuli usos monentem, qui triumphali curru veherentur.

Prorsus autem Præfectis urbis, omninò Magistris equitum debitam Curulem, quoniam hi à dictatoria potestate manabant, clarè tradidit Dio lib. XLIII. pag. CCXXXVIII. in ea narratione, quam sic Latinè efferimus: *Præfecti urbis cuncta in urbe cum Lepido magistro equitum procurarunt: accusatique quod lictoribus, veste, ac sede curuli, ac si magister equitum usi essent* (est magistri equitum propria) *lege se defenderunt, qua usus earum rerum iis permittitur, quibus magistratus a Dictatore est commissus.* Hæc Dio: nobilis lex de sede curuli, & aliis insignibus: atque inde colligendum, multo magis Dictatori tributam Curulem augustioris potentiæ, atque honestatis significatione.

Pertinet autem ad amplitudinem, aut decus sedendi, quod consultissimus inter eruditos vir quærit Janus Langlæus, Patribus licuerit olim, an non in consistorio Principis, aut Imperatoris sedere? Sed ne pluribus te morer, lector, ad illum te remitto scribentem *seu semestria* lib. VII.

cap.

cap. XV. cui placet licuisse affirmare. Videatur lex I. & 2. *C. de Comit. Consist.* & ibi Cujacius. Neque minus Romani Senatus conscriptos Patres sedendi jure, atque honestate donat ibidem Langlæus, si peregre proficiscentes, sive in Italia, sive in Provinciis aliarum civitatum Buleuteria ingredi, aut censere voluerint. Vix est enim, ut amplissimi consilii Principibus, quorum auctoritati universus pæne stabat orbis, negata fuerit ea sedes, ac potestas dicendæ sententiæ.

Colophonem addo huic capiti, locum explorans, stationemque, aut sedem ejusdem sedis curulis. Tanquam necessariam supellectilem domi quoque detentam opinor à magistratibus; non modo ad usum, & opportunitatem J. dicendi; sed fortè ad memoriam honoris, commendationemque posteritatis, etiam exacto Magistratu. Livius lib. V. *Qui eorum curules gesserant magistratus; ut in fortunæ pristinæ, honorumque, aut virtutum insignibus morerentur, quæ augustissima vestis est thensas ducentibus, triumphantibusque, ea vestiti medio eburneis sellis sedere*, &c. Vide & Valer. Max. III. II. n. VII. inter Rom. in eadem narratione. Gellius VI. IX. ex annalibus L. Pisonis: *Cn. Flavius Annii filius dicitur ad collegam venisse visere ægrotum: & in conclavi, postquam introivit, adolescentes ibi complures nobiles sedebant contemnentes eum: assurgere ei nemo voluit. Cn. Flavius Annii filius Ædilis id arrisit. Sellam curulem jussit sibi afferri: eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset: utique ii omnes inviti viderent sese in sella curuli sedentem.* Adi & Valer. Max. lib. II. cap. V. eamdem sellam dum procederent portari jubebant, sique opus fuisset ex inopinato dicendi Juris causa utebantur. Vide §. 2. Instit. *quibus manumitti*, &c. ubi de Consule manumittente, cum in balneum iret, aut theatrum. Juvant loca Isidori lib. XX. cap. XI. & Gellii III. XIX. ex Gabio Basso, Festus in verbo *Curules.* Si domi, aut privatim à curuli sede minimè abscedebant magistratuum compotes; multò id minus in conspectu populi, & ad publica officia, in quibus, aut promendæ justitiæ auctoritas, aut patrii honoris vindicanda Majestas. Notabilis est etiam locus Ammiani lib. XXV. cap. ult. morem vel sua ætate prodentis, ubi de Varroniano infante ad Consulatum evecto, *Vagitu pertinaciter reluctans, ne in curuli sella ex more veheretur.* Currum repono inter præcipua loca, ubi Curulis poneretur, quoniam tum eo usi magistratus dum irent in curiam, aut ad publica ministeria (quod voluerunt auctores nuper laudati) tum triumphantes curulem illic locabant Servius ad lib. XI. *Æneid.* vers. CCCLXXXIV. quare Dionysius Halicarnassensis lib. V. Menenium devictis Sabinis ducit triumphatorem *ἐφ᾽ ἁρματίου δίφρου βασιλικοῦ*, *in sella curuli regia:* quomodo & Livius supra, *curuli regia sella.*

Si ad exercitus ibant, aut in Provincias, secum habuisse Curulem nullus dubito. Hinc mentio sellæ castrensis: hinc militaris, aut Imperatoriæ, seu strategicæ. Talem vocat Dionys. Halicarn. ἀρχικὸν. lib. VIII. qualem habuere Consules egressi ad exercitum; sed de his proximo capite. Romanæ hujus sessionis ritum, ac morem servatum fuisse à P. Æmilio in Macedonia, postquam debellasset ex Livio constat: *Assuetis regio imperio, tamen novum formam terribilem præbuit tribunal, summotor aditus, præco, accensus, insueta omnia oculis, auribusque, quæ vel socios, ne dummodo hostes victos terrere possent.* Vide lib. XLV. & quæ de Marcio Coriolano apud Volscos refert Dionys. Halicarn. lib. VIII. ac de P. Scipione in Hispania oppidum Badiam circumsedente, Val. Max. III. VII. n. I. *Rom.* sed ubicumque staret, migraret Curulis; privatim, an publicè; domi, forisve; præcipua illius mansio, ac metatio plurimum suggestus, & locus editior, seu tribunal, aut solium. Quod quoniam augustam Principis Majestatem potissimum decet, de sede principali, aut Imperatoria placet aliquid subtexere, ut mox ad tribunalia provehamus.

CAP. XIII.

Sella *Imperatoria* ἀρχικὸς, ἡγεμονικὸς, στρατηγικὸς, non alia à curuli. Sella *Castrensis.* Tribunal in castris prætoriis. δίφρος βασιλικός. Thronus. θρόνος. *Sedes regia.* ἁρμάτιος δίφρος. Dionysius Halicarn. expensus. Sedes *Herilis*, *Regalis.* Sella *aurea* Cæsaris. Suetonius declaratus. Leonardus Augustinus. Elegantiorum sellarum prompta specimina. Nefas privatis sellam Principis occupare. Majestas sellæ regiæ apud Persas. Regis διφροφόρος. Xerxis ἀργυρόπους: quæ αἰχμάλωτος dicta. Aliæ & aliarum gentium sellæ aureæ.

IMPERATOR olim, ut notum est, idem ac Dux exercitus, & rei bellicæ summus antistes. Hinc sella *Imperatoria*, quæ Dionysio Halicarn. στρατηγικὸς (ubi de Consulibus loquitur) quasi Prætoria, sive Imperatoria; est enim στρατηγὸς, quicumque Præfectus, aut Princeps; etsi propriè in exercitu. Eadem & ἡγεμονικὸς à Ducatu; & ἀρχικὸς ab Imperio. *Castrensem* quoque reperio, cujus meminit Suetonius in *Galba* cap. XVIII. *Adoptionis die, neque milites alloquuturo castrensem sellam de more positam pro tribunali, oblitis ministris, & in Senatu curulem perverse collocatam:* quasi equidem castrensis à curuli differret, quas distincto nomine Suetonius demonstrat. Sed id magis est, ut locum, non formam in hisce sellis diversam declarare velit. Utramque puto curuli specie fuisse: sed castrensis magis expedita, ac veluti in procinctu, more militum. Ostendunt nummi, & probant historiæ. De Vitellio apud exercitum Tacit. *Histor.* II. cap. LIX. *Valentem, & Cæcinnam pro concione laudatos curuli sua circumposuit.* de Cæsare Dio lib. XLIV. pag. CCXLIV. καθίζεσθαι ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου πανταχῇ, *Ut ubique sella curuli sederet.* Servius ad XI. *Æneid.* vers. CCCXXXII. *Romanorum Imperatorum insigne fuit sella curulis*, &c. Sic quoque Romæ in Castris Prætoriis Tribunal. Tacit. I. *Hist.* cap. XXXVI. *In suggestu, in quo paulo ante aurea Galbæ statua fuerat, medium inter signa Othonem collocarunt;* loquitur de Prætorianis militibus; & lib. XV. *Ann.* cap. XXIX. *medio Tribunal, sedem curulem*, &c. Apud Armenos absenti Neroni id positum fuerat.

Deletâ Republicâ, atque urgente dominatu Imperator fuit, qui Princeps; cujus sella (equidem credo) operosior; cultuque aucto, paulatim ex ebore in aurum, ac pretiosum quidvis refecta. Curulis tamen plurimum, aut non admodum diversa, nisi qua luxus, lususque artificis ornatu, sumptuque novam faciem appinxisset. Vide Icones supra productas Imperatorum sedentium. Hinc δίφρος βασιλικός, & θρόνος: respicientes thronum, aut solium, in quo sedes: sed & θρόνος Hesychio, ἀνάκλιτος δίφρος, *sedes cum anaclinterio*, quod sanè decebat. Vocat & *quadrupedem*, & ἱερὸν δίφρον, καὶ ἐκπεποικιλμένον. *Sacram sedem, atque exornatam.* Vide inf. cap. XXVII. Herodianus lib. IV. in honorem Pertinacis: θρόνους τε τρεῖς καταχρύσους αὐτῷ εἰσκομίζεσθαι, *Sellas tres inauratas ei deferri.* Vide & lib. II. cap. X. & XI.

Neque minùs Latinis *sedes regia*, quia olim usi Reges Romani ante statum libertatis, detinuerunt-que dein Consules. Maro XI. magni operis vers. CCCXXXIV.

Et Sellam regni, trabeamque insignia nostri.

Vide Cerdam, & quæ nos supra.

Sic Etrusci afferunt ad Tarquinium Priscum sellam eburneam. Sic Romani mittunt ad Porsenam Regem teste Dionysio III. & V. *ἀρχαιολ.* & iterum lib. V. de Menenio in triumpho de Sabinis, *ἐφ' ἁρματείῳ δίφρῳ βασιλικῷ, in curuli sella regia*; quam *ἁρματεῖον* vocat, quippe in curru quæ posita erat; alioquin regia, & curulis hîc eadem est. Sed quoniam Menenius tunc in curru sedem occupabat, ideo vocat *ἁρματεῖον*: ne quis *ταυτολογίας* arguat diligentissimum historicum. *Sedes Herilis* Corippo Africano II. & IV. *de laud. Justin.* *Regalis* Ammiano Marcellino lib. XIX. *Sella Regalis cum aureo pulvinari nullo vetante direpta est.* Spart. *Adr.* cap. XXIII. *Sedile regium.* Ubicumque Imperator, fermè ibi sedes, ac thronus, sive in palatio, sive alibi, publicè-que, aut intra lares. Apud Romanos initium a Cæsare, cui Romana gens jam prolapsa ad servitium, & antiquæ indolis immemor ampliora humano fastigio illi decrevit Dio lib. XLIV. sup. laudatus. Suet. in vita c. LXXVI. *Sed & ampliora humano fastigio decerni sibi passus est: sedem auream in Curia, & pro Tribunali*, &c. quæ Suetonii verba quamdam, ut ut levem, mihi exprimunt observationem. Nonne satis erat dixisse *In Curia pro Tribunali?* Cur addidit conjunctionem, *& pro Tribunali?* An quia duplex ibi sella, alia inferiori loco, alia pro tribunali, ut pro occasione, aut opportunitate, qua vellet, quave opus esset, sederet? An Tribunal, non curiam ipsam, sed forum intelligemus, ubi judicia habebantur? Sic habuisset in Senatu, sic in foro habuisset. An tandem ad *αὔξησιν* honoris dictum à Suetonio; quasi non tantùm in curia, sed, quod amplius est, in tribunali ejusdem curiæ? Decus quoque crescebat, & excellentia, quoniam non vulgarem, sed auream illi sedem decreverunt. Dio lib. XLIV. pag. CCXLIII. *δίφρον ἐπίχρυσον* vocat. Cic. II. *Philipp.* LXXXV. *Sedebat in rostris collega tuus amictus toga purpurea in sella aurea coronatus.* & I. *de Divin.* CXIX. *Quod paulo antè interitum Cæsaris contigit: qui cum immolaret eo die, quo primum in sella aurea sedit*, &c. Claudianus in IV. *Consulatu Honorii*:

Portatur juvenum cervicibus aurea sedes.

Sic igitur descitum à prisca curulis simplicitate: cœpitque ebur aurescere, quia mores quondam aurei vitiis lotari. Prout ingenium Principis, aut sæculi intemperies provocabat, varia prorsus in iis sedibus elaborandis cura, atque ars. Tapetes insuper, pulvilli, stromata picta, auro limbata, paragaudis, institis, gemmis sumptuosa, sigilla, ac toreumata; si quod ebur, scissile, aut anaglypticum; lapidum tessellæ; auri, atque argenti laminæ, crustæ, segmenta, aut bractearum subtilis litura. Sellam honestissimo cuique præbitam clavis argenteis distinguens Homerus *Odyss.* Θ. columnæ innixam refert in speciem throni:

—— θρόνον ἀργυρόηλον
μέσσῳ δαιτυμόνων πρὸς κίονα μακρὸν ἐρείσας.
—— sedem argenteis clavis
Medio convivarum longa apposuit columnæ.

Sed hic locus me admonet, ut specimina quædam sedium apponam tùm Romanarum, tùm exterarum, quas aut ornamento, aut dignitate, aut artificii raritate magis visendas existimavi. In Veterum monumentis adhuc sedent, ac sine dolo malo tibi, Lector, repræsento. Nonnullæ sunt Numinum, Deo-

A rumque (ut vocabant) immortalium. Sed & Imperatores suos cœlestibus adscribebant, Deorumque, etiam dum viverent, cognominibus venerabantur, religionibusque invocabant: imò & sellæ ipsæ Principum in templis adoratæ. Illud interim non oscitanter aspexi fœminis plurimùm cum reclinatorio, & ornatiores positas sedes in Nummis, aliisque vetustatis reliquiis; quoniam molliorem sexum decebat molliori cultu conquiescere. Sic Deabus, aut Virtutibus id genus positæ sellæ, ut Concordiæ, Saluti, Pietati, Paci, &c. Fermè autem sub harum imaginibus Principales, & Augustas fœminas exponebant. Animadverto demum in iis nummis,
B quos Provinciæ, aut Græcæ, aut Asiaticæ cudebant, elaboratas magis, atque artificiosas sedes apparere: quod earum gentium, aut luxum, aut industriam facilè arguit. Miscellum sedium rariorum apparatum oculis lustra, & boni consule.

In horto Principis Ludovisii. Vide in fine libri (n. XIV.) In horto Principis Justiniani (n. XV.) In Sanctæ Mariæ Transtyberinæ (n. XVI.) singulas marmoreas, quarum exempla Româ misit ad Serenissimum Principem Leopoldum Leonardus Augustinus Vir (dicam cum Gellio) *memoriarum veterum exequentissimus*. Apud Boissard. par. III. CXXIX. (n. XVII.) Apud eumdem parte VI. V. ubi duo utrinque seden-
C tes Fortunæ (n. XVIII.) ibid. XXII. (n. XIX.) ibid. CXXVII. (n. XX.) Apud Goltz. in Aug. XXIII. V. & Cæs. XXII. V. (n. XXI.) Apud Erizz. CCLXXI. in Domitiano (n. XXII.) ibid. CCCXXXVII. in Trajano (n. XXIII.) ib. CCCCXXI. in Ælio (n. XXIV.) Tristano tom. II. CCLXXXV. (n. XXV.) ibid. CCCCLXIX. (n. XXVI.) ib. DX. (n. XXVII.) ib. DLXVII. (n. XXVIII. Numeri XXIX. & XXX.) typos mihi fecit communes Serenissimus idem Leopoldus Româ missos ab Augustino. Liberaliùs prompsi figurationes, præcipuè ob varietatem fulcrorum, quibus dorso incumbitur, quoniam infra de iis agendum erit.

Sed ad Cæsaris sellam auream redeamus: memi-
D nit Plutarch. in *Cæs.* Cicero XV. *ad Atticum* epist. III. *de Sella Cæsaris bene Tribuni*, &c. ubi de sella aurea docti adnotatores rectè explicant. Mera autem divinatio, dum ajunt respondere Tullium Attico suo, bene factum fuisse à Tribunis plebis, quod Cæsari necato sellam auream poni vetuerint in ludis. Nusquam (quod ego repererim) tradunt historici id factum fuisse plebiscito, aut Tribunorum, sed potius Antonii Consulis interdicto, ut Appianus lib. III. Dio lib. XLV. p. CCLXXIII. Uterque sellam auream memorat, ac coronam desuper, quam & gemmis ornatam facit Dio, qui pariter refert lib. LVII. sellam hanc auream à Vibio Rufo fuisse privatim ad-
E hibitam, nescio qua ambitionis voluptate, & luxus ostento: licuitque impunè facere; cùm tamen non sine piaculo Imperatoria sedes à privatis occuparetur, ut mox dicemus. Sed rudi adhuc dominatu, aut fortè ob invidiam Cæsaris non anquisitum in Vibium, qui nihil alioquin, præter leges fecerat, dum sedem Cæsaris recens extincti, & hostis Reip. tunc judicati omni majestate (ut ita loquar) exutam in privatum usum convertit. Cæterum in ea sella possidenda delicias fecisse Vibium, tanquam Imperii omen, advertit idem Dio *ὡς διὰ τὸν δίφρον Καῖσαρ ἐσόμενος*. *Vel propter sellam Cæsar futurus*; ac veluti
F admiratur. *οὐ μὴν ὅτι αἰτίαν ἐπὶ τούτῳ ἔσχε*, *neque ob id causam dixit.* Peculiarem igitur quamdam sanctitatem in hac sede Principali stetisse, quam non liceret nisi impietatis crimine privatim occupare, multa Veterum testimonia nos docent. Dio nuper allatus, qui insuper lib. LXXIV. sive potiùs abbreviator ex eo inter ostenta, & prodigia Imperii Severo oblata, *ὡς τὸν βασιλικὸν δίφρον ἐφθακὼς ἐν τῷ συ-*

γνοίᾳ

γνώμη ἰσηλθόντα, *adhuc ephebus in sella Imperatoria per imprudentiam sedit.* Spartianus in hac ipsa narratione *Severi vitâ* cap. primo: *Sedit & in sella Imperatoria temerè a ministro posita ignarus, quod non liceret.* Idem auctor in *Adriano* cap. XXIII. *Servianum quasi affectatorem Imperii*, &c. *quod in sedili regio juxta lectum posito sedisset.* Nunc *Sedile Regium*, nunc *Sellam Imperatoriam* vocat Spartianus. In cubili, in triclinio, in templo, in curia, in theatro, in via, in castris, ubique sua Principis erat sella, quam nefas, ac piaculum usurpare. Vide Casaub. *ad Spartian.* d. cap. XXIII. Torrent. *ad Sueton. Galbam* cap. XVIII. Lud. Orlean. *ad Tacit.* p. DCCLXXXIII. Inter cætera Judææ regum decora, quibus dignitatem suam asserebant, id cautum, ne quis alius Sella eorum uteretur, quod ex auctore Aruch tradit Casaubonus. Nostris moribus in argumentum segregis, atque intactæ Majestatis sella regnantis obversa parieti sub umbellis locatur, ut nemini non innotescat, non licere privato salva Principali fortuna eam occupare. Capitale id olim apud Persas. Valerius Max. V. I. n. I. inter extera: *Id ei salutare futurum dicens, quod apud Persas capitale extitisset solium regium occupasse.* Frontinus lib. IV. *Stratag.* cap. VI. exemplo III. *Si in Persis natus esses, in regia sella resedisse tibi capitale foret.* Curt. *Hist.* lib. VIII. c. IV. *Intelligis miles quanto meliore sorte, quàm Persæ, sub Rege vivatis. Illis enim in sella Regis consedisse capitale foret, tibi saluti fuit.* Adde Diodorum Siculum lib. XVII. qui *βασιλικὸν θρόνον* appellat: Omnes isti humanitatem tam dicti, quàm facti in Alexandro narrantes, quod apud eos legere est. Omninò ex iisdem Brissonius lib. I. *Regn. Pers.* p. XX. qui alia observat.

In Leone Augusto Marcellin. Chron. ad annum CCCCLXII. loquens de quodam Jacobo medico, *statimque regia in sella juxta torum Imperialem posita sine ullo Augusti nutu consedit.* Quasi nimium mansuetus fuerit hic Leo, temeritatem medici nec nutu quidem coarguens. Quanti suam sedem fecerint Parthorum, sive Persarum Reges, vel eo constat, quod à Trajano inter prædas captivam sollicitè, nec semel repetierint. Romani autem contra veluti pignus partæ gloriæ apud se retinuerint, postulata illorum eludentes. De Adriano Spartianus in *vita* c. XIII. *Toparchas, & Reges ad amicitiam invitavit, invitato etiam Cosdroe Rege Parthorum, remissaque illi filia, quam Trajanus ceperat, ac promissa sella, qua itidem capta fuerat.* Neque tamen fidem præstitit, maluitque filiam, quàm sellam reddere. Vide Casaub. hic, & Briss. *de Reg. Pers.* p. mihi 2. Neque aliter Antoninus Pius, qui repetenti Regi postmodum pernegavit. Lamprid. in *eo* cap. IX. *Sellam regiam Parthorum Regi repetenti, quam Trajanus ceperat, pernegavit.*

De hac Sella Regia illud quoque scriptum reperi, inter cætera ministeria comitatus Regii fuisse *βασιλέως διφροφόρον Selligerulum Regis*; cùm enim descendentem è curru Persarum Regem puderet stare pedibus, vel manibus suorum in ipso descensu fulciri, admovebant illi sellam, in quam desiliret: perpetuusque aderat ea de re comes, & bajulus sellæ: quod ex Dione refert Athen. lib. XII. cap. II. in ea verba desinens, *καὶ ὁ βασιλέως διφροφόρος εἵπετο αὐτῷ, & ob id Regis Diphrophorus* (sellæ portitor) *sequebatur*: Briss. I. *de Regno Pers.* p. mihi CXXXII. maluit apud Athenæum legere *δορυφόρος*; ego retineo libentiùs *διφροφόρος*. Quis non videt quanto satiùs ad Persicam magnificentiam ostendendam, si peculiari quis officio, ac nomine sellam Regiam gestaverit, quàm si uni è cæteris stipatoribus injunctum id muneris fuerit? Celebre apud Scriptores Cyri solium, de quo Horatius l. II. Od. II.

Redditum Cyri solio Phraatem.

Curtius lib. VI. *Cyri sedem* appellat, quam Plutarchus *Κύρου θρόνον* II. *de fort. Alex.* quasi ea sede regali tota staret Majestas, & amplitudo Persici Imperii. Claudianus IV. *Honor. Cons.*

Si Tibi Parthorum solium natura dedisset.

Sed ab hisce sellis aureis oculos nondum revocemus, quos ita flavi fulgor metalli delectat. *Χρυσοῦς δίφρος* vocatur ea Persarum Athenæo d. lib. XII. Artaxerxem in auspicio Regni sedisse *θρόνῳ χρυσῷ διαλίθῳ*, *sede aurea gemmata* tradit Josephus I. *Bell. Jud.* c. XVII. Talem auguror fuisse, in qua Xerxes Naumachiam spectavit, sed argenteis pedibus. Hinc *ἀργυρόπους δίφρος* vocata, hoc est, *Sella argentipes*: quam & Athenienses *αἰχμαλωτον* dixerunt, quoniam post Xerxis fugam, in eorum potestatem venit. Vide Harpocrationem, atque ex eo Suidam in *ἀργυρόπεζα*. Catullus nupt. Pelei, ac Thet.

Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro, atque argento,
Candet ebur soliis ——

Pertinacis Imp. *θρόνους τρεῖς καταχρύσους Sellas tres inauratas* observavimus sup. apud Herodian. lib. IV. Corn. Nepos de sella Alexandri in Eumenis vita: *Sellam auream cum sceptro*, &c. De argentea, aut argentata Lampridius in *Heliogab.* c. IV. ubi de probroso Senatus Cons. quo Princeps probrosior probrosissimis fœminis senaculum dedit, condendique jus Senatus Consulti. In quodam eorum, præter alia decretum, *qua sella veheretur, & utrum pellicea, an ossea, an eborata, an argentata.* Corippus *Afric.* lib. II.

Auratum scandens solium, sedemque paternam
Constructam plumis, pulchrisque tapetibus aptam.

Vide Barthium *Adversf.* lib. IX. cap. XII. De sedibus aureis apud alias gentes, quæ notat Bulengerus *de Imperio Romano* lib. II. cap. XIX. qui & de Sella Imperatoris lib. I. cap. XIX. sed, ut solens est, ad alia egreditur, ac nihil minus ibi, quàm quæ *περὶ δίφρων*; sellamque, ac lecticam sæpius confundit.

CAP. XIV.

Absentibus, aut defunctis positæ sellæ in honorem. Coronæ super iis ex lauru, auro, &c. Sceptra, rami, fasces. Quandoque effigies locatæ. Ad Principum sellas habitæ consultationes tanquam præsentium: oblatæ pecuniæ, victimæ cæsæ. Sella aurea nonnunquam pro inaurata, aut imbracteata: non *ὁλόχρυσος*: quandoque tota ex auro; quomodo statuæ, & alia donaria. Auro *imbractears*, indè nostrum *Imbrattare*.

NOTATU dignum est tum absentibus, tum defunctis vita Principibus positas fuisse sedes in argumentum honoris, majestatis simulacrum, præsentiæ imitamentum, jucunditatemque ac solatium memoriæ. Quasi equidem suo ipsorum numine, ac cælesti vultu, nusquam non desini, ut providentiam commodent, impertiantque auxilium tuendæ Reip. Suetonius in *Cæs.* sup. c. LXXVI. *Sedem auream in curia, & pro tribunali*, &c. Dio lib. XLIV. & XLV. Appian. III. de quibus sup. Tacitus lib. XV. *Medio tribunal, sedem curulem, & sedes effigiem Neronis sustinebant.* Et lib. II. de Germanico: *Ut nomen ejus saliari carmine caneretur, sedes curules Sacerdotum Augustalium locis, superque eas querneæ coronæ statuerentur.* Vide hic Lipsium, quem laudat etiam Casaubonus *ad Suet. Cæs.* cap. LXXVI. superiùs adducti, sellasque in theatrum mortuis illatas pariter animadvertit. Ampliùs observo ita positam mortuis sedem, ut apud eam reverentiæ, & obsequii causa quasi erga viven-

viventes assiderent, quod Dio narrat, sive ejus Abbreviator lib. LXXI. pag. DCCCXIII. de Faustina defuncta: Καὶ ἐς τὸ θέατρον χρυσῆν εἰκόνα τῆς Φαυστίνης ἐπὶ δίφρου, &c. καὶ περὶ αὐτὴν τὰς γυναῖκας τὰς δυνατὰς προεχούσας συνκαθίζεσθαι. *Et in theatrum auream imaginem Faustinæ super sella*, &c. *& circa eam illustriores fœminas assidentes*, &c. De Pertinacis imagine, sedibusque tribus aureis eidem decretis ab Imperatore Severo, ut in theatrum inferrentur, plurifariam ex Herodiano diximus. Coronæ autem & his sedibus impositæ; Tacitus superiùs, ac nummi, quos protulimus tum Græcos, tum Romanos cap. XI. Simulque super sellas rami laurei, aut fasces, vel ad pedes earum utrinque positi in iisdem nummis. Corn. Nepos in Eumene de sede Alexandri: *In sellam auream cum sceptro, ac diademate*, &c. Vide & Appianum lib. III. Dionem lib. XLIV. p. CCXLIII. de sella aurea Cæsaris cum corona gemmis distincta, quam in spectaculis ponerent: Τὸν δίφρον αὐτοῦ τὸν ἐπίχρυσον, καὶ τὸν στέφανον τὸν διάλιθον καὶ διάχρυσον ἐξ ἴσου τοῖς τῶν θεῶν, *Auream ejus sellam, & coronam gemmis, & auro insignem, parem illis Deorum*. Vide infra cap. XXXVI. Nec corona tantùm, sed effigies locata sedentis Principis super Curuli Tacitus *Ann.* lib. XV. *Medio Tribunal, sedem curulem, & sedes effigiem Neronis sustinebant*. Dio in *eclog*. καὶ ἐπ' αὐτοῦ εἰκόνες Νέρωνος ἐστάθησαν, *ac super eo* (suggestu) *imagines Neronis statutæ*. Vide & I. *Hist.* ubi de Galbæ, & Othonis statuis in suggestu. De Domitiano Plinius *Panegyr. Jamdudum illi radiatum caput, & media inter Deos sedes auro staret, atque ebore.* Observat Lipsius. Puto autem huc spectare *Sellisternium*, de quo alibi. Neque minus commemorabile ad eamdem Principis sedem tanquam viventis, videntisque habita de gravissimis belli, pacisque negotiis consilia: illic res arduas, ac difficiles fuisse agitatas: in cujus conspectu oborta statim reverentia, ac fidei pudore, iram, studium, æmulationem posuerint cives, deque publico bono, ac salute egregiè statuerint. Ptolemæus apud Curtium lib. X. cap. VI. post Alexandri mortem in ea altercatione de substituendo Rege: *Mea sententia hæc est, ut sede Alexandri in Regia posita, qui consiliis ejus adhibebantur, coeant quoties in commune consulto opus fuerit: eoque, quod major pars eorum decreverit, stetur.* Eumenes deinde hunc ipsum morem vaframenti loco habuit, ut Argyraspidas tumultuantes in obsequium pertraheret; sed coronam, sceptrumque sellæ adjunxit, quo augustiorem objiceret speciem auctoritatis, ad continendos in officio milites. Corn. Nepos in Eumene: *In principiis nomine Alexandri statuit tabernaculum, in eoque sellam auream cum sceptro, ac diademate jussit poni, eoque omnes quotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia caperentur*, &c. Vide & Plutarchum in eadem vita. Polyænus *Stratag.* lib. IV. in Eumene, Diodorus Sic. lib. XVIII. cap. LX.

Adoratam Caligulæ sellam Dio scribit lib. LIX. p. DCLIX. imò tanquam præsenti Principi argentum ex more, qui sub Augusto invaluit, oblatum. Τὸν Γαΐου δίφρον τὸν ἐν τῷ ναῷ κείμενον προσεκύνησαν, καὶ ἔτι καὶ ἀργύριον κατὰ τὸ ἐπὶ τοῦ Αὐγούστου ἰσχῦσαν, ὡς καὶ αὐτῷ ἐκείνῳ διδόντες κατέθεσαν, *Caji sellam in templo positam adorarunt, & argentum ex more, qui sub Augusto invaluit, tanquam præsenti obtulerunt.* Victimas cæsas ante illam Neronis à Tiridate refert Tacitus lib. XV. *Annal.* Quod si tam magnum vel humanæ decus auctoritatis, vel divinitatis etiam opinio hisce sedibus tribuebatur; mirari desino, quod impietatis accerseretur, si qui Imperatoriam sellam occupare, non publicè tantùm positam (quod sanè gravius) sed vel intra palatium, ac domesticam foret ausus. Vide quæ supra disseruimus; atque hoc ipsum est, quod

A Dio notavit lib. LVII. de Vibio Rufo, cui contigit impunè sellam Cæsaris domi, & ad privatos usus adhibuisse. Sed id consulto Vibius fecerat, simulque Ciceronis uxorem in Matrimonio habebat: utroque gloriabundus, & vanus; aut oratorem se propter conjugem; aut Cæsarem propter sellam ostentaturus.

Mantissæ loco non abstinam apponere memoratam toties sedem auream apud Historicos, non de solido auro semper intelligi: quasi totæ ex eo, & ὁλόχρυσοι. sed vel inauratas, ac distinctas, principisque metalli bracteis opertas, eo tamen pacto vocarunt; sic cervical, pulvinar, vestem auream, quæ texta, variegata, nitens auro foret. Græcis κατάχρυσος, διάχρυσος, ἐπίχρυσος. Non negarim quandoque potuisse è solido auro conflari, apud Reges præsertim Persas, aut Barbaros, de quibus supra.

B

Talis omnino extitisse debuit, quam Magus in cubiculo habebat, cujus sedis pedem arripuit, eoque pugnavit adversus percussores suos: cui namque usui ad pugnandum, nisi è solido metallo pes ille constiterit? Vide Brisson. d. lib. *de regn. Pers.* p. L. lib. I. Χρυσοῦς δίφρος, *aurea sella* Alexandri M. sub eo tabernaculo immanissimi luxus memoratur Athenæo lib. XII. cap. IX. Nonnunquam id Romanis consentirem factum. Aureæ sellæ sæpiùs meminit Cicero XV. *ad Attic.* epist. III. *Verrina* IV. & primo *de Divin.* Certè de statuis scimus è solido auro, argento, &c. fuisse positas tum Principibus, tum privatis. Non loquor de donariis, aliisque, quæ sacrabant Numini alicui; tunc enim & sedes, & signa, & vasa è solidis ducta, flata, sculpta metallis haud pauca fuerunt. Statuas ex auro solidas legimus multas apud Scriptores, ac refert Figrelius cap. XVI. eruditi operis *de statuis illust. Rom.* quæ verò non totæ ex auro, ex dictæ Auratæ, auro illustres, sub auro, ex ære auratæ, &c. ut in antiquis sæpè inscriptionibus, notatque idem Figrelius tacitum sequens ducem Salmasium *ad Trebellii* XXX. *Tyrannos in Tito*. Sic *auro imbracteari* dicuntur eædem statuæ Ammiano lib. XVI. laminis nempè, bracteisve obduci tenuissimis. Inde nostrum *Imbrattare*. Sidonius Apollin. lib. VIII. cap. VIII. *eboratas curules, & gestatorias bracteatas*. Vide Savaronem ad hunc locum, ne exscriptorem agam. Hujus artificii, aut luxus nimiùm quantùm exquisita quotidie serpit industria magno cum auri detrimento, quod omnigenæ supellectili superfunditur, atque illinitur. Adeò tam pauca sunt, quæ è solido sint bona, & non adscito fuco resplendeant.

C

D

CAP. XV.

E

Tribunal, Suggestus, Bema, &c. Fastigium in domo, ἀκρίβασις. Auditorium. Pro Tribunali ἐπὶ τοῦ βήματος. In jure. De plano; Levato velo; χαμόθεν. Pro Rostris: *curules illic sellæ. Tribunalium descriptio, atque icones. Asinus Pistorum tribunal ascendens. Solia Veterum illustriora.* θρόνος: Trono, Seggio. *Pro tribunali jus dictum. Principes medii sedentes.*

CUM sedibus istis Imperatoriis (dum mihi quoque, ut Vibio Rufo fraudi ne sit) sensim & aptè devehor; imò extollor, & assurgo Tribunal. Celsus hic, atque editus locus digna statio sedis tùm Principum, tùm Magistratuum. De Principali nunc: sed nihil tam vulgatum, ac detritum: delibo quæ in rem nostram magis. *Suggestus, Pulpitum, Tribunal, Bema, Thronus, Solium*, aliisque nominibus haud multum disparibus notabatur. Sed nihil his immoror, neque vocum originationes sollicito. Vide Isidor.

F

Isidor. lib. xv. cap. iv. Flor. iv. ii. de honoribus in Cæsarem congestis: *Suggestus in Curia; fastigium in domo; mensis in Cœlo*, &c. quæ apposui ob mentionem Fastigii, hoc est, ἀκρωτήριον supra ædes. Non parco admonere *Tribunal* vocitari tum pegma, aut tabulatum, vel molem, ubi sedebatur, ac sternebatur, tum forum ipsum, auditorium, judicium, vel dicasterium, ubi sedes dispositæ. Sed Auditorium tamen quid diversum à Tribunali; in eo namque agentium causas postulata audiebantur; in Tribunali jus promebatur. Solemne, ac judiciarium *Pro Tribunali sedere*, quod Græci πρὸ, vel ἐπὶ τοῦ βήματος. *Bema*, pro Jure, sive judicio Græcis J. Consultis; ἐν βήματι. *In jure* Basilic. 70. *tit. 5. de noxal. act.* Festi Epitomator *Pro* significat *In*, ut *pro rostris, pro æde, pro Tribunali*. Idemque Festus, *pro censu*, &c. *accipi debet in censu; ut ait M. Varro in lib.* vi. *rerum humanarum. Sicuti pro æde Castoris, pro Tribunali, pro testimonio.* Alii exponunt *Pro*, hoc est, *ante*, sic *pro Rostris, pro curia*, &c. Opponitur τῷ *Pro tribunali*, quod J. Consultis est *De plano*, & aliter *Levato velo* l. 1. §. 8. D. ad Turpilianum: *Item pro Tribunali, non de plano*, & l. 1. de constit. Princip. *Vel de plano interlocutus est*; ac fermè *Interlocutiones* dictæ, quæ ita pronunciabantur, & *Interloqui*: sicuti *Edicere*, & *edicta interponere*.

Nonnulla namque genera, quin etiam partes causarum (quippe gravioris dijudicationis) strepitum, atque æstum forensis jurgii flagitabant; neque de plano, ut multa alia, sed pro tribunali exitum sortiebantur. Huc traho verba elegantissima veteris J. Consulti in lapide Gruteriano ccccviii. 1. *quibus munera Decurionatus, ut paucis jam onerosa, honestè de plano compartiamur.* Compendiosè, ac summariè, ac sine perquisitione censûs (ut opinor) est illud *de plano*. At ad rem nostram. Suetonius in *Tiber.* cap. xxxiii. *è plano, aut è quæstoris tribunali.* Vide hic doctissimum Torrentium. Est igitur de plano χαμόθεν, cum sedetur inferiùs, nec ascenditur. Gradus namque ad tribunalis fastigium, ubi sella posita Plin. Paneg. *ascendere curulem, induere prætextam.* Editum hunc locum forsan respexit Juven. Sat. x.

—— —— summas donare curules.

Lucanus lib. v.

Lentulus è celsa sublimis sede profatur.

Silius lib. viii.

Hæc altas eboris decoravit honore Curules.

Cassiodorus *Variar.* lib. vi. iii. *in form. Præf. Prætorio. Tribunal tuum ideò tam excelsum factum noveris, ut locatus ibi nihil humile, abjectumque cogitares.* Spissa sunt testimonia, sed interjungimus: dum ne indictum relinquamus omnium celebratissimum Tribunal, aut suggestum apud Rom. Id. *Rostra* toties memorata, in quæ conscendebant concionis habendæ causa, ubi orabant, jurabant, magistratus, & imperia auspicabantur. Protuli tibi iconem ex nummo Augusti apud Goltz. p. lxxi. n. v. sup. cap. x. & in calce libri Icon. n. ii. Vides duos sedentes, & rostra navium basi præfixa, de quibus Plin. xvi. iv. & Dio vi. Togati apparent Consules pro Rostris in curuli, an potius subsellio, vel bisellio, quod capit duos. Sed curules fuisse illic compositas non ambigo ad usum capessendi honoris, præsertim Consulibus. Quare ad Stiliconem Claudian. in ejus consulatu lib. iii.

Circumfusa tua conscendant rostra Curules.

Et in Pan. vi. Cons. Honorii:

—— —— Agnoscunt rostra curules.

Suetonius in *Ner.* cap. xiii. *Curuli residens apud Rostra*. Malim Curules legere, quam secures. Græci ἐπὶ τῶν ἐμβόλων, *Pro rostris*. Et βῆμα δημηγορικὸν, suggestum ipsum. Sic Ammian. lib. xvi. veluti peculiare Consulum agnoscit, elatum, & scansile nominans, *elatosque vertice scansili suggestus Consulum*, &c. Aliorum Bematum, aut suggestorum figuras

A suppeditant frequentissimè nummi; ii præsertim, in quibus congiaria, & liberalitates exhibentur. Visitur Imperator in edito sedens super curuli, alius quoque præfectus frumentarius, aut administer largitionis in extremo suggestu, quà gradus scalarum desinunt, ad munera dividenda, & explorandas tesseras: alii pone, circùm, infra stantes; nonnunquam duo, tresve Cæsares consedentes. Ex innumeris specimen, aut gustum tibi damus; propter ea potissimùm suggesta, quæ ornatiora nobis visa sunt, emblematis, segmentis, clavis, parergis, & sculptili opere variegata. Talia præferunt nummus Nervæ apud Erizz. p. ccxcvii. B & Trajani, p. ccclxvii. & Severi, dclxiii. Duo simul Principes Marcus Antoninus, & Commodus apud eundem Erizzum, p. cccclxxv. Balbinus, Pupienus, Gordianus, dcxc. 1. Septimius Sever. cum Geta, & Aurel. Anton apud Tristan. Tom. 1. pag. xcvi. Gordianus Pater, & filius, cccclxviii. Severus cum filiis, cclxii. Philippi Pater, & filius, dlxix. ubi sedes cum scamno, aut suppedaneo. Vide imagines à n. xxi. usque ad xxxix.

Tribunalis descriptionem, ac mensuram habes apud Latinæ architecturæ magistrum lib. v. cap. primo. *Tribunal est in ea æde hemicyclii schematis minore curvatura formatum*; loquitur de Tribunali in æ- C de Augusti. *Ejus autem Hemicyclus in fronte est intervallum pedum XLVI. introrsus curvatura pedum XV.* Cæterum major, aut potiùs ordinaria curvatura, sive spatium dimetiens erat pedum xxiii. ad arcus proportionem, ut ideo docet.

Cogito interim, ac splen mihi salit, non tam arduum, ac difficilem fuisse ascensum illum per gradus ad tribunal, qualem descripsimus: aut saltem pro locorum usu, populorumque institutis, mitiorem alibi, & mollioris aditus, si fides Amm. Marcellino lib. xxvii. cap. iii. in ea facti narratione mihi lepida, tunc ominosa, quod in nostræ Etruriæ urbe Pistorio contigit; cùm non iniquæ D mentis asellus (quippe jus jam jam rudituꝫ dicturus) tribunal ascendit: *In oppido enim*, inquit, *Pistoriensi prope horam diei tertiam spectantibus multis asinus tribunali ascenso audiebatur destinatiùs rugiens: & stupefactis omnibus, qui aderant, quique didicerant, referentibus aliis*, &c. tu vide eventum; conveniunt Luciliana illa:

—— rudet è rostris, atque ejulitabit

Concursans velut ancarius, clareque quiritans.

O superstitiosos Veteres, ac nimium religentes! Quid nos hodie in tali re? Non adeò miraremur.

Illius admirandi, atque omnium splendidissimi tribunalis, quod sapiens Rex sibi struxit, ut Po- E pulum divini promissi hæredem judicaret, descriptionem habes lib. iii. *Reg.* cap. vii. Intra prætorium suum Olophernem invenies *sedentem in Conopæo, quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum*, &c. in *Judith.* cap. x. Ditissimum aliud, in quo Rex Parthorum jus dicebat, ac legatorum postulata excipiebat, refert Athenæus lib. xi. cap. ii. Ac de celebri illo Persarum formâ platani aureæ, ac vitis aureæ, confectâ illic è gemmis uvâ; itidemque de Alexandri Magni tabernaculo, ubi sella aurea, ac suggestus ad easdem imperii artes lib. xii. cap. ix. De Cyri solio diximus capite proximo. Totus F autem hic suggestus editior, & scansilis apparatus regum, nobis, *Trono, Seggio, Soglio*, ut Græcis θρόνος, σκηνή, Thronus, scena: *Tabernaculum* quoque, & χρυσόστεγον, cui umbellæ non deerant, & uranisci, quibus tegerentur (*Baldacchini*) aliaque non pauca ad enormem luxus speciem, pudendumque assumptæ Divinitatis fastum. Vide Lipsium *de Amphit.* cap. xi. Bulengerum lib. iii. cap. iii. *de Imperatore*,

ratore, ubi de tribunali, & lib. II, cap. XIX. sed thronus etiam, θρόνος, sola ipsa sedes Græcis, quoniam in throno, aut solio collocabatur. Pro tribunali igitur jura reddita. Suet. *Vitellio* cap. IX. *Viennæ pro tribunali jura reddita.* Et *Aug.* XXXIII. *Ipse jus dixit assidue, & in noctem nonnunquam si parum corpore valeret, collocata lectica pro tribunali.* De Tiberio Tacitus: *Judiciis assidebat in cornu tribunalis, ne Prætorem curuli depelleret*, lib. I. *Annal.* cap. LXXV. Suet. hac ipsa in re cap. XXXIII. *Magistratibus pro tribunali cognoscentibus se offerebat consiliarium, assidebatque mistim, vel ex adverso in parte primori: & si quem reorum elabi gratia rumor esset, subitus aderat, judicesque aut è plano, aut è quæsitoris tribunali*, &c. Dio itidem hæc narrans l. LVII. p. DCVI. ἐπὶ τοῦ βάθρου τοῦ κατάντικρυ αὐτῶν πολλάκις καθίζων, ἔλεγεν ἃ οἱ ἐδόκει αὐτῷ. *In subsellio è regione ipsorum* (magistratuum) *posito sententiam suam promebat.* Fermè autem adverti Principes medios Consulum sedisse, aut aliorum, quos cohonestatos volebant; aliquando filiorum, aut Cæsarum, ut ostendunt nummi superiùs producti c. XIII. De Tiberio Suet. in *vita* c. XVII. *Positumque in septis tribunal, Senatu adstante conscendit: ac medius inter duos Consules cum Augusto simul sedit.* Marcello defuncto sella curulis ponitur in theatro media inter præfectos ludis Magistratus. Vide Dionem lib. LIII. De Claudio idem cap. XXIII. *De majore negotio acturus in Curia medius inter Consulum sellas Tribunitio subsellio sedebat.* Dio lib. LX. p. DCLXXV. in hoc ipso facto ἐν μέσῳ τῶν ὑπάτων ἐπὶ δίφρου ἀρχικοῦ, καὶ ἐπὶ βάθρου (lego ἢ ἐπὶ βάθρου) καθήμενος, &c. *medius Consulum in sella Curuli, vel Subsellio*: quod *Tribunitium* vocat Suetonius. Nunc igitur subsellio, nunc sellà utebatur: sed illo ad modestiam, ac civilitatem, ut mox dicemus. De Caligula idem Dio l. LIX. p. DCXLIX. ἐπὶ τοῦ βήματος ἐν δίφρῳ μεταξὺ τῶν ὑπάτων καθεζόμενος, &c. *Pro Tribunali in sella inter Consules sedens*, &c. Vitellius apud Tacitum *Hist.* l. II. c. LIX. *Valentem, & Cæcinnam pro concione laudatos Curuli sua circumposuit.* Boethius *de Consol.* l. II. *Cum in Circo duorum medius Consulum circumfusæ multitudinis expectationem triumphali largitate satiasti*, &c. Verba sunt Philosophiæ alumnum suum consolantis, ne prioris fortunæ desiderio intabesceret.

CAP. XVI.

Quandoque Impp. minus digno loco sedentes. Consul Præsidere dicebatur. Tiberii moderatio. Assidere in cornu tribunalis. Ritus exploratus assurgendi, aut sede migrandi in Senatu ad Principem alloquendum. Dionis versor notatus. Principes Consulibus assurgens. Ave Consul. *Adriani, & Augusti comitas: Julii Cæsaris, & Carini fastus. Coriolani in matrem reverentia tribunal ascendentis.*

QUANDOQUE, ut dicebam, moderationis, & æqualitatis laude non erubescebant Principes minus digniori loco sedere, ut eum honorem præcipuè haberent Consulibus, & antiquæ Reipublicæ imaginem retinerent; quod multo magis tum factum, cùm Princeps Consul non esset: præsidebat enim tunc Senatui Consul; quod notavit ex Plinii *Paneg.* Gutherius *de off. D. A.* lib. I. cap. XII. Verùm neque eo tantùm fine, neque perpetua lege id factum, etiam à modestissimis opinor, ut allatis afferendisque testimoniis patebit. Tiberius sanè quo rebus agendis foret intentior; judicii, justitiæque fidem promptiùs specularetur, ac litigantium postulatis vindex, & inspector adesset; non pro tribunali, atque honestissimo loco (qui est medius in ea forma semirotunda) sed assidebat *in cornu*, ut inquit Tacit. d. lib. I. *Ann.* quod Suet. cap. XXXIII. ita expressit; *assidebatque mistim, vel ex adverso in parte primori.* Si formam tribunalis spectamus, idem est in cornu, ac in parte primori ex adverso Magistratus. Placet quoque pro *mistim* legere *juxtim*; ut quandoque scil. assideret, quandoque alibi, ut ex adverso interesset. Claudius magnam præ se moderationem tulit: qui ubi medius Consulum sedens aliquid de Republica egerat, in suum locum redibat, Consulibusque curules ponebantur. Dio lib. LX. pag. DCLXXV. μετὰ δὲ τοῦτο αὐτὸς τε ἐπὶ τὴν οἰκείαν ἕδραν μετήρχετο, καὶ ἐκείνοις οἱ δίφροι ἐτίθεντο. *Post hac tum ipse ad consuetum locum redibat, tum illis* (Consulibus) *Curules ponebantur*; ex quibus verbis duo colligere est; primò consuetum Claudii locum non fuisse dignissimum toto consessu, quem Consulibus relinquebat: secundò Consules curulibus quandoque abscessisse cum Claudio loquuturos; alioquin cur erat, ut ipsis postea sellæ ponerentur? descendisse autem eos de sellis alloquendi causa idem tradit p. DCLXVIII. τῶν ὑπάτων ἐν τῷ συνεδρίῳ καταβάντων ποτὲ ἀπὸ τῶν δίφρων ἵνα διαλεχθῶσιν αὐτῷ. *Consules in Senatu cum de Curulibus descendissent, ut eum alloquerentur*, &c. Parum accuratè versor Dionis verba, ἀπὸ τῶν δίφρων, Latinè reddidit, *de Subsellis*: tum quia hæc dedecora Consulibus, tum quia δίφροι sunt sellæ, & quidem Consulares, aut Curules in hoc loco. En thronus iis eminentior datus, unde in planum degrediebantur. Pergit Dio de Imperatore, καὶ προεξανίστατο, καὶ ἀπήντα προσιοῦσι, *& assurrexit, & obviam iis venit.* Cæterùm ab hac humanitatis laude commendatus Claudius, quòd stantibus diu in curia Senatoribus, ipse quoque assurgeret; cum alioquin propter infirmitates corporis tremorem capitis, & manuum excusatus sederet, eodem teste Dione p. DCLXV. & DCLXXIII. De Tiberio Tacitus sup. laudatus: *Judiciis assidebat in cornu Tribunalis, ne Prætorem Curuli depelleret.* Non Consulibus, aut in curia; sed cuique Prætori in suo dicasterio hanc moderationem exhibebat Tiberius, neque Curuli moveri permittebat Prætorem. Quare Dio lib. LVII. de eodem Principe ἐκείνους μὲν ἐν τῇ ἑαυτῶν χώρᾳ καθῆσθαι εἴα. *Eos* (Magistratus) *suo quemque loco sedere sinebat.* Sed & Consulibus assurgebat eodem Dione referente lib. cit. p. DCIX. τούς τε ἀεὶ ἄρχοντας ὡς ἐν δημοκρατίᾳ ἐτίμα, καὶ τοῖς ὑπάτοις καὶ ὑπανίστατο. *Magistratus ac si in Democratia honorabat, & Consulibus quoque assurgebat.* Suetonius in *vita* c. XXXI. *Cum palam esset ipsum quoque eisdem* (Consulibus) *assurgere, & decedere via.* Formula, qua Princeps Consulem salutabat, dum obviam procederet, *Ave Consul amplissime*, ut ex Mamertini *Panegyrico* edocemur. Comitas hæc Adriani in Servianum memoratur, quod sedem, aut quidvis aliud relinquens *venienti de cubili semper occurreret*, Spartian. in *Adriano* c. VIII. De Augusto Suet. c. LIII. *Die Senatus nunquam Patres, nisi in curia salutavit, & quidem sedentes, ac nominatim singulos, nullo submonente: & discedens eo modo sedentibus singulis vale dicebat.* Contrà namque parens Julius publici odii molem in se pertraxit, eandemque maturavit, quoniam hæc civilitatis, benignique animi æqualitatem neglexerit, cum in vestibulo templi Veneris sedens accedentibus Senatoribus nequaquam assurrexisset. Nonnulli tamen eum purgare conati sunt, quod ventris profluvio laborasset, veritusque ne inter assurgendum alvum dejiceret, sedi inhæreret. Vide Dionem l. XLIV. p. CCXLIV. Sueton. c. LXXVIII. *Adeuntes se cum plurimis, honorificentissimè decretis universos Patres conscriptos sedens pro æde Veneris Genitricis excepit.* Aliam excusationem affert Suet. illic præter diarrhœam aqualiculi: *Quidam putant retentum à Cornelio Balbo, cum conaretur assurgere; alii, ne conatum quidem omninò, sed etiam admonentem C. Trebatium, ut assurgeret, minus familiari vultu respexisse.* Superbientis fastidii notam observat in *Carino* Vopisc. c. XVII. *Præfectum nunquam Consulibus obviam processit.* Sollicitabant hunc

hunc locum Interpretes, inter quos Casaub. *Præfe-ctis, aut Consulibus nunquam*, &c. at Grut. *Præfectis nunquam, nunquam Consulibus*, &c. In mentem mihi venit æqua illa demissio M. Coriolani, qui de summo tribunali sellam jussit in planum deferri, ut venientem, deprecantemque Matrem exciperet: indignum, ac superbum ratus imperii, ac potestatis invidiam retinere coram flente, ac misera, à qua genitus fuerat. Non tamen sella abstinuit: inter filii obsequium, & Imperatoris dignitatem publicas preces auditurus egregiè se temperans. Dionys. VIII. Αρχ. de Coriolano sellam jussit θεῖναι χαμαὶ, *humi deponi*: atque iterum, καὶ τὸν δίφρον ἀπὸ τοῦ βήματος ἴδρυσε χαμαὶ, *Curulem è suggestu in solo statuit.*

CAP. XVII.

Tribunalia Magistratuum: in castris, & apud exercitum. Tribunal e cæspite. Adloquutio. *Suggestus minorum magistratuum: assertum etiam municipalibus Tribunal in spectaculis.* Puteal, *an Tribunal Prætoris?* Puteale, φρέαρ: *tegmen Putei. Ad Puteal juramenta.* Φρέαρ τὸ Αθηναίων. Phreattium. Assidere; Adsessores; Consessores. πάρεδροι, σύνεδροι, σύνθρονοι; Consortes, Novemsides; *Consiliarii.* Χαμαιδικασταί. Amici Principum, Comites. *Tribunal inferorum. Tribunalium cancelli, & vela.* Cancellarii.

NON Principibus modò, aut Imperatoribus, quorum potestate vigent Magistratus; sed ipsis quoque Magistratibus merito locata tribunalia, veluti honoris insigne, atque Jurisdictionis instrumentum: & quidem tum incolumi quondam Rep. tum valido imperio, sive domi, sive foris posita, atque erecta: neque ad civiles tantùm altercationes, sed ad militaria quoque, & caligata judicia. De Marcio apud Coriolos nuper diximus ex Dionysio lib. VIII. de Scipione ad oppidum Badiam Val. III. VII. & VIII. VIII. sup. cap. XII. Subit interim mirari quod de P. Æmilii apud Macedonas tribunali scripsit Liv. XLV. *Assuetis Regio imperio, tamen novam formam terribilem præbuit Tribunal.* Imo namque nihil tam Regibus usitatum, quàm superbi hi apparatus, & tribunalium fastigia, quod notissimum est. Cur ergo tantus terror incussus Macedonibus Regio alioquin imperio assuetis? Nisi tamen nova (ut signanter loquitur Livius) forma tribunalis terrori fuit, cæterique adstantium ritus, ministeria, habitus; consternatis præsertim animis Macedonum eversione regni, clade, ac servitio suorum; Væ victis! subdit Historicus, *summotor aditus, præco accensus insueta omnia oculis, auribusque, quæ vel socios, nedum hostes victos terrere possent.* Quandoque tamen in castris, & apud milites nullum tribunal, nisi cæspititium aggestis terræ cumulis fultum, & clivosum, ubi sella posita; sæpiùs verò stans Imperator; indicantque passim nummi, in quibus *Adloquutio* legitur. Tac. I. *Ann. Simul congerunt cæspites, extruunt tribunal, quò magis conspicua sedes foret;* ad quem notant ubertim Orleans, & Lipsius, iterumque hic lib. IV. Dial. IX. *de Mil. R.* cujus allatis testimoniis lubet adjungere Marcellin. lib. XIX. cap. XI. *Vallo propè Acumincum locato, celsoque aggere in speciem tribunalis erecto*, &c.

Minoribus quibusdam Magistratibus, ut ædili saltem Curuli debeamus an non interdicere hoc genere honoris, atque amplitudinis in suo saltem foro, aut judicio erigendi, conscendendique Tribunalis, ad hoc Tribunal suspendo judicium, atque ampliare juvat. Nihil video absoni humiliorem iis, & magis terrestrem fuisse locatum suggestum, quando eos quoque jus dixisse non diffitemur. Vide Manut. II. IV. *quæst. epist.* Omnino Municipalibus negatum volunt tribunal Scipio Gent. II. XXIV. *de f. D.* Sed non asserimus, de quo supra cap. VI.

Præter notiora Magistratuum tribunalia indico editoris tribunal in spectaculis dandis, de quo Suet. *Aug.* c. XLIV. Lips. *de Amph.* c. XI. & nos sup. c. XII. & XV. ubi non pauca alia de tribunali exposuimus tanquam sellæ statione, ac domicilio.

De Puteali ne hic taceam, justa sese præbet occasio, quod idem esse, ac tribunal Prætoris nonnulli crediderunt. Hor. lib. I. XIX. epist. *ad Mæcenatem*.

——— forum, Putealque Libonis

Mandabo siccis ——— ———

Et lib. II. *Serm.* Sat. VI.

Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras.

Ad quæ loca, Porphyrio *in epistolam*, Acro *in satyram Puteal* exponunt tribunal Prætoris, quod & Flacci junctura verborum, ac sensus suadere videntur. Persius sat. IV.

Si puteal multa cautus vibice flagellas.

Puteal est forum, & τὸ δικαστήριον, inquit illic Casaub. Sed Puteal ex suo veriloquio nihil est aliud, quàm operculum putei, quod nos docet Pomponius J.C. *l.* 14. *de all. empt.* Tullius I. VIII. *ad Att.* Glossæ vocant ἀκρόφρεον; notatque Cuj. l. *observ.* XI. c. 11. alter ἱερὸ φρεγμός, *Puteale*: & inibi, τὸ ἐπὶ τὸ ἱερὸν φρέατος περιφράγμα, *Puteale*. Percelebris locus Romæ extitit in foro, aut comitio, de quo P. Victor in regione Urbis VIII. statuens, & Dionys. lib. III. Αρχ. qui tamen φρέαρ appellat, *puteum* scil. non Puteal, aut tegmen putei; ob id reprehensus à Torrentio in eam Hor. Sat. Sed vereor ut aliquantulum audacter: tum quia antiquissimus, & diligentissimus auctor Dionysius: tum quia non incommodè potuit ille locus vocari φρέαρ, sive *Puteus*; quoniam verè illic in puteo defossæ erant cos, & novacula Attii Navii, supraque impositum puteal, quod Cic. scripsit I. *de Div. Erat autem ara quædam coronata, & superposita puteo, ubi quondam defossa novacula, & cos Attii Navii auguris, unde nomen sibi fecit Putealis.* Hæc ara visitur in nummis inscriptione *Puteal Scribon*; est enim Scribonius Libo, unde *Puteal Libonis*, qui fortè aram instituit, aut eversam instauravit. Adde Fest. in ver. *Sceleratus* ex supplemento F. Ursini. Nummum exhibet ex Goltzio, & aliis Jacob. Rævard. *Var.* V. VIII. Vide & Torrent. dicto loco. Jurabatur ad hanc aram à judicibus, ac litigantibus: quo sensu exponendus Horatius, & plene docuit Rævard. cui adjungo Er. Puteanum in calce *Schediasmatis de J. jurando.* Illò quoque convenisse Fœneratores, ac desedisse occasionem captantes locandi bonis nominibus pecuniam tradunt: quo respexit Ovidius:

Qui puteal, Janumque timet, celebresque Kalendas.

Vide Torrent. ut supra. Non damno igitur aut veteres Flacci Interpretes, aut eundem Casaubonum; qui Puteal pro tribunali exponunt.

Credo enim, quòd non ignorassent, quid ex sua vocis notione foret puteal, h. e. putei κάλυμμα, & operimentum, sed Poëtæ loquuntur metonymicè, quoniam proximè illud puteal, vel aram aderat tribunal Prætoris in foro, unde & illic jurabant judicaturi. Juratio autem illa in Jure fieri solebat, & ad Prætorem. Tuetur hanc explicationem Th. Marcilius ad eam Persii sat. qui & puteal, sive puteum religiosè obseptum, & opertum inter res sacras adgnoscit; quod & Glossæ superiùs allatæ monuerunt. Sed φρέαρ τὸ Αθηναίων, in oratione Aristidis, quam affert Marcilius, non video quomodo huc spectet; neque φρέαρ illic est Puteale, sed Puteus. Reperio quidem apud Athenienses quoddam judicium, seu tribunal *Phreattium* fuisse appellatum, fortè à puteo quodam. Illic judicabantur non voluntariæ cædis rei; Polluci VIII. c. X.

 voca-

vocatur τὸ ἐν Φρεαττοῖ, quod vertunt *forum putei.* Aristotel. *Politic.* IV. XVI. Ἀθήνησι λέγεται ἐν Φρεαττοῖ δικαστήριον. *Athenis vocatur in Phreattoi dicasterium.* Vide Scholiast. Demosth. *in Aristocrat.* Suid. verbo ἐν Φρεαττοῖ, & Seberi notas ad Pollucem. Indico tandem Salmasium *Exercit. ad Solin.* p. MCXLI. & seq. qui diversum putat Libonis Puteal ab eo Attii Navii, neque tribunal exponit, sed aram, aut potius septum aræ conjunctum ad tutelam, ac munimentum, hinc puteal pro ara ipsa apud scribentes. Sed de his puteis libasse sufficiat: profundiorem haustum aliis relinquimus.

Ut ad puteal, sive tribunal, sedesque judicantium officiis illic statutas redeamus, haud solus ibi Princeps, vel soli Magistratus munia potestatis obibant; sed consessores secum, & secundarum partium alios ad consilia, atque judicia adjungebant: Cicero I. *de Orat. Nobis in tribunali Quinti Pompeji Prætoris urbani sedentibus.* Atque hi sunt, quos vocabant *Assessores* ab assidendo, sive unà, & juxtim sedendo, de quibus est tit. Pandect. *de officio Assessorum*, & simpliciter *Assidere* pro assessorem agere, *l.* 37. *&* 38. *D. ex quib. caus. major. l.* 10. *C. de assessor.* Vide Brisson. *select. Antiq.* III. X. nonnulla apud Savar. *ad Sidon.* lib. I. epist. III. Cicero II. *de Finibus*, *Consessorem* dixit *A. Varius qui est habitus judex durior dicere consessori solebat*, &c. alibi quoque usurpat Græcis πάρεδροι, & σύνεδροι, & σύνθρονοι, quòd in eadem sede, aut throno jungerentur. Hesych. πάρεδρος, &c. σύνθρονος. Hinc Deorum *Synthroni*, & *Consentes*, aut Assessores; qui & *Novemsiles*, quasi *Novemsides*, quoniam novem unà sederent. Meminit horum fusè Arnobius III. extremo. Servius *ad* VII. *Æn.* Marius Victorin. ac nos sup. cap. IX. Sic Antinous tanquam unus è Consentibus, aut Novemsidibus consecratur. Vetus lapis σύνθρονον vocat apud Grut. LXXXVI. I. ex Pighio Ἀντινόῳ συνθρόνῳ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεῶν. *Antinoo Synthrono, aut Consessori Deorum Ægypti.* Vide *ad Spart. Adrianum* cap. XIV. fulgentissimos adnotatores Casaubonum, & Salmasium. Nonio, & Heminæ in annalibus *Consedentes*: quanquam & hoc pacto vocari possunt quicunque conjunctim sedent, non ii tantùm, qui operam præstant tribunalibus, aut consiliis. Quare & hi ipsi *Consiliarii* dicti, Suetonius Tiberii cap. XXXIII. *Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium, assidebatque juxtim.* Paulus lib. I. *sentent.* relatus in *l.* 5. *ff. de off. assess. Consiliariis eo tempore, quo assident, negotia tractare*, &c. Voce *Adsessorii* ne tibi imponat vetus Horatii interpres *ad epod.* V. cave, *Hinc Esquilina*, inquit, *porta Romæ dicitur Adsessorium, ubi*, &c. emenda *Ad Sestertium* ex Criticorum emunctissimo J. Lips. *ad Tacit.* XV. *Ann.*

Nec minus Judices dati intra spatium tribunalis, etsi inferiori loco, & in Subselliis Prætorum, aut Quæsitorum; quare quod in *l.* 2. *de re judic.* legitur, *qui pro tribunali cognoscit*, explico non tam de Magistratu, quàm de Assessoribus. Huc pertinent ex quorumdam sententia *Judices Pedanei*, eo appellati, quòd infra & ad pedes assiderent; Theophilo *Inst. de Interdict.* χαμαιδικασταί, *humi judicantes*, de quibus est tit. *C. de Judic. pedan.* & alibi sæpè mentio in libris Juris. Vide Ræv̈ard. *Conject.* lib. III. cap. X. Cujac. *ad Novell.* 82. quæ est *de Judicibus*, Bulenger. d. lib. III. cap. III. ubi tamen judices datos cum delegatis confundit, quos distare haud paulo inter se norunt saniores prudentiæ consulti. Quòd verò Principis consessum attinet, genericè, & infinitè *Consiliarii* dicti, qui circa latus agebant nullo certo dignitatis nomine, *& in contubernium Imperatoriæ Majestatis adsciti*, ut loquitur Spartianus *Adr.* cap. XVIII. & ad XXX. Tyrann. in *Macriano*, Bul. *de Imperatore* lib. II. cap. XXI. nos infra, & *Comites*, aut *in Comitatu*. Hinc quoque *Consistorii* nomen, & *Comitum Consistorianorum.* Vide Jacob. Guther. I. cap. XVII. *de off. D. Aug.* Etsi namque à stando, sive consistendo dicatur Consistorium, sedisse tamen Comites saltem primi ordinis coram Principe affirmat Guther. adversus Cujac. aliter opinantem *ad l.* I. *C. de comit. Consistor.* superius quoque cap. XII. Senatores ad Principis adyta admissos consedisse adnotavimus. At de Consiliariis Principum, & eorum cognitionibus, vide eumdem Guther. ibidem cap. XIX. & XX. Buleng. lib. III. *de Imperatore* cap. IX. & seqq. Romanis Magistratibus æquo jure assedisse veluti beneficium regibus sociis, & amicis servatum docet Salustii locus in *bello Jugurth.* ubi de Gauda Masanissæ nepote libenter appono verba: *Cui* (Gaudæ) *Metellus petenti more regum uti sellam juxta poneret, item postea custodiæ causa turmam equitum Rom. utrumque negaverat: honorem quòd eorùm modò foret quos Pop. R. reges appellavisset: præsidium, quod*, &c. Noto insimul vocari simpliciter *Honorem* eam sellæ collocationem juxta Metellum Consulem.

Mulier illa maternâ ducta pietate, ut filiis suis lautioris fortunæ commoda, dignitatesque prospiceret apud Matthæum cap. XX. ad Principum Regem conversa: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo.* Neque aliter Joannes cap. IV. *Apocalyps.* Divini tribunalis majestatem ut humanis mentibus instillaret, humanum ritum, apparatumque servavit: *Et ecce sedes posita erat in Cælo, & supra sedem sedens*, &c. *& in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes*, &c. Hi sunt Consiliarii, sive Assessores: quorum sedes (utpotè infra primam, & dignissimam) vocat *sedilia*, ac deinde *thronos.* Angelus quoque tenebrarum affectans lucem, verique Nummis æmulator stultissimus suum habet Consilium, & tribunal apud inferos, si fides Poetis; ne scilicet umbrarum arbiter causam suam faciat, si temerè, nec consultis Assessoribus de crimine, aut pœna manium statueret. Seneca in *Apocoloc.* Claudium Imp. humanis exemptum perducens ad tribunal Æaci paratas illic sedes demonstrat. *In jus eamus: ego tibi sellas ostendam: ducit illum ad tribunal Æaci.* Poetam agit Philosophus in hoc ludo, & naribus uncis indulget.

Atque his tribunalibus, elatisque sedentium suggestibus, quo summotior foret aditus, & Majestas sanctior, fenestrata septa circumdabantur, & cancellatæ fores, prædictis decussatim sudibus, nè vulgus temerè accederet. Hinc *Cancellarii*, vel scribæ nomen, qui staret intra eos. Vide Spelmanni *Gloss.* in *Cancellarius*; Bulenger. II. XXIII. *de Imperatore*, Guther. *de off. dom. Aug.* III. XI. & quæ notat Barth. *Adversf.* LI. III. Jacob. Gothofr. *ad Cod. Theod.* Tom. I. p. LXXI. Imò prætenta quoque vela. Hinc J. Consulti *velato levato* causas cognoscere, hoc est, sine magna disquisitione, & palam audiente populo. Vide *l.* 13. *de Instr. leg. l.* 18. *de act. empt. l.* 5. *C. de Naufrag.* Quo respexit Constantin. M. nobilissimo edicto, quod nobis refert l. I. Cod. Th. *de off. rector. Prov. Venale judicis velum* appellans. Atque hæc loca cum eo apparatu, velisque & admissionis lege *Secretaria judicum* dixere: de quibus affatim, ac doctè Valesius *ad Marcellin.*

cellin. lib. xv. ac nos infra nonnihil. Omninò autem Principum soliis, consistoriis, thalamis ea velamenta adducta, ac reducta. Vide Guther. d. loco. Buleng. l. II. *de Imperatore* cap. XXII. & XXIII. notata à viris doctis ad Suet. *Claudii* c. x. *Neronis* XII. Tacitus lib. XIII. *Ann.* cap. v. ubi de Agrippina, *Abditis a tergo foribus velo discreta*, &c. ibi Lips. Sidon. Apollinar. I. II.

CAP. XIIX.

Solium *unde dictum, Grammaticorum pugna.* Sollum. Sodium. Sedum. Seggio. *Regum proprium.* Soliarius. Solearius. *Soliorum apparatus. Respondentes de jure in solio. Solia acerna.* Armarium. Solida. *Servius enarratus. Fulgentius emendatus.* Podius. *Ad podium spectare.* Appoggio. Solida sella. Solium *pro sepulcro. Tribunal defunctis positum. Vas* disomum.

AD solia me transfero, tanquam diversum quid, nec temerè confundendum; sique, ut perhibent, eò solium vocatur quoniam solum est, atque unius tantùm capax; solitariè nos quoque, ac separatim de eo hic agimus, ubi ante de tribunali disseruimus. Neque tamen interim tam solitarii erimus, quin aliqua simul variæ cognitionis intercurrat societas. Solium amplissimum honoris instrumentum, egregia supellex majestatis, altum decus, ac specimen Regni, disceptationes hinc inde altercantium Grammaticorum quasi de Regno in se pertraxit. A solo descendat, an non, hoc est, terra: à solo, id est, unico: à sollo, videlicet toto; an tandem à soliditate solliciti nimium, atque æstuantes quærunt. Festus: *Solla appellantur sedilia, in quibus non plures singulis possunt sedere*, &c. quasi nempè solum, atque unicum recipiant sessorem: ac verè insociabilis est regnandi fides, neque alteri simul benè committitur Imperii gubernaculum. Pergit Festus: *Omnia ducta sunt à sollo*, ut emendatè illic legimus. Idem, *sollo Oscè dicitur, quod nos totum vocemus.* Qua retenta origine, haud reor necessarium vocem mutare, & pro *solla* substituere *solia*, quod tamen fecit Cl. Voss. *Etymol.* verbo *solium*. Solla enim vult appellare Fest. & non solia, & cur ita appellet, disertè exponit, qui alveos pariter balneares sola dici monens, infit: *Alvei quoque lavandi gratia instituti, quo singuli descendunt. Sola dicuntur quæ à sedendo potiùs dicta videntur, quam à sollo.* Ejusdem illa sunt, *solla sternere dicuntur, qui sollisternium habent.* Pariter ejusdem, *solaria vocantur Babylonica, quibus eadem (solla) sternuntur.* Vide Cujacius x. observ. XVII. Libenter geminarem liquidarum primam, reponendo *sollaria* ob eam à *sollo* deductionem, quam ubique ingerit. Quamquam non ignoro, quod idem docuit de Veterum usu, *nulla tunc geminabatur littera in scribendo.* Vide in *Solitaurilia.* Sed refert Servium quoque audire ad illud summi Vatis *Æneid.* VII.

—— *solio medius consedit avito.*

Ita inquit honoratus hic Grammaticus, ut eum benè Vossius restituit: *Solium est veluti armarium de uno ligno ad Regum tutelam factum, à soliditate dictum. Secundum alios, quod solum unum capiat. Secundum Asperum per antistichon, quasi sodium à sedendo; nam & sella quasi sedda dicta est.* Sed penè asperum, quod Asper ἀντίστιχον hic comminiscitur; non enim unius tantùm literulæ facta esset commutatio, si solium quasi sodium diceretur: E. in O. & V. in D. duplex pro duplici. Quòd autem à soliditate arcessunt alii, solida magis notatio est, neque à sollo Pompeji Festi discedit. Varronis certè A *sedum* neutro genere affine est *sodio* Asperi Grammatici; nosque appellamus *Seggio* totum illum suggestum, Græci θρόνον, ut Isidorus docet mox afferendus, ac supra in tribunali diximus. Posteriores iidem Græci, ac semi-barbari Latinum imitantes σολίον dixere, quomodo Codinus Cedrenus, aliique citimæ vetustatis. Meurs. in *Glossar. Solium* exponit. Georg. Pachymeres *Hist.* lib. III. cap. II. ἄμβωνα, καὶ σόλιον, *Ambonem, & Soleam* nuperrimè editus ex bibliotheca Eminentiss. Barberini. Non pauci de hac *solea* eruditè scripsere, quos laudat doctiss. Possinus ad eum Pachymeris locum in *Glossar.* pag. CCCCXIX. ac deinceps, præcipuè Il- B lustrissimum Allatium in Diatriba de eo argumento. Delego te Lector ad eundem Possinum, qui exactè verbi notionem in Hellenismum translati expendit: tandem colligens *soleam* antiquo Latino verbo propriè dictam, in templis Græcorum nihil aliud fuisse, quam substructionem specioso apparatu coronatam, quæ aram maximam, ac presbyterium ab ingressu, inspectuque populi tegebat: extentam quoque appellationem ad spatium quoddam isti substructioni contiguum designandum. Sed ad solium revertamur. Isidorus lib. XX. cap. XI. *Sedes singulari numero proprie Regni est, quod Græcis θρόνος dicitur, nos solium* (demo hic verbum *subsel-* C *lia*, quod irrepsit, & continua oratione) *in quo Rex sedet propter tutelam corporis sui, secundum quosdam à soliditate dictum.*

Erat igitur solium nihil aliud, quàm sedes, & quidem Imperii, ac Majestatis, non privati hominis, Regibus locata, ac composita; exteris potiùs in usu, quàm Romanis Principibus, ut ego sentirem. Video namque ab auctoribus retineri hanc Regum mentionem, quasi eorum peculiare. Servius suprà, *Ad Regum tutelam factum.* Isidorus, *propriè Regni est*, & mox, *in quo Rex sedet.* Cassiod. in Psal. I. *Solium Regum proprium esse memoramus.* Valerius Maximus lib. v. cap. I. exter. primo: *So-* D *lium Regium occupasse.* Spartianus *Adr.* cap. XXIII. *In sedili Regio juxta lectum posito*, &c. Vide quæ notat Casaub. Maro dicto loco *Æn.* VII. vers. CLXIX. de Rege Latinorum:

—— *solio medius consedit avito.*

Ac de Didone Regina I. *Æn.* vers. DX.

—— *solioque alte subnixa resedit.*

Ovidius XIV. *Metam.*

—— *Pulchro sedet illa recessu*
Solenni solio —— ————

De Circe loquitur. Libentiùs lego *Solenni*, quàm *Sublimi.* Est autem *Solenne*, hoc est, proprium E Regum, & iis debitum. Corippus African. lib. II. *de laud. Justini:*

Auratum scandens solium, sedemque paternam.

Ennius lib. III. de Rege Romano:

Tarquinio dedit imperium simul, & sola Regni.

Ubi τὸ *sola*, non regiones, aut terras Regni, ut alii opinati sunt, accipio, sed sola, hoc est, solia, quomodo & hunc locum intellexit Festus in *solum.* Hoc enim quoque nomine appellarunt, & solum, & solium; ac bellè tunc convenit, quòd unum capiat solum, quomodo idem Festus: *Non plures singulis possunt sedere.* Apud Grut. DCXLIII. VIII. ex Mazochio, *Soliario ab luco Semeles*, &c. F

Nisi mendum est in exscriptione, aut lapide, ego *Soliarium* exponerem, non artificem soliorum; sed solium, aut pulvinar custodientem Deæ Semeles in ejus luco. *Sic Quæstor ab Ærario*, pro Quæstor Ærarii, ut supra docuimus. Quod si quis soliarium pro artifice exponat, lucus Semeles demonstra-

Zz zz zz 2

strationis gratiâ appositus erit, ut officinam, aut tabernam indicet. Apud eundem Grut. DCXLVIII. XIII. *L. Bratius Eitarinus Solearius*; à soleis, unà foliis, ac solearius pro soliarius, judicationem protollo. Quomodo autem de Tribunalibus supra diximus, in sublimi statuebatur solium, ut per gradus, & scansilia ad culmen illud perveniretur. Corippus lib. II.

Auratum scandens solium —— ——

Ovidius XIV. *Metam.* vers. CCLXI. ex altera lectione:

—— —— *pulcro sedet illa recessu*

Sublimi solio ——— ———

Quantum opinor, non sella tantùm ubi Reges incumberent, sed totus ille apparatus, ac scena vestibus ornata, *solii* nomine non vacabit. Hinc *soliaria* illa Festi, seu Babylonica ad insternendum. Alioquin unicæ sellæ amiciendæ, & unius dumtaxat capaci, quid lata Aulæa, pictaque Babylonum stromata advocamus? Corippus loco cit.

Constructam plumis, pulchrisque tapetibus aptam.

Hujus sedis formam, tanquam Regum peculiaris, & (quod conjiciebam) exteris potiùs usurpatæ, diversam à Curuli censerem. Tu vide varias sellarum imagines magis operosas, sumptuque, & artificio visendas, quas protulimus, ubi de sella Imperatoria. Quis modum, legemque ponat Regum superbiæ, opibus, luxui? Haud tamen infitias ivero solium non modò de suggestibus Romanorum Principum, sed de aliis quoque Honoratorum sedibus dici; imò Tullius de se ipso jus responsuro I. *de Leg.* *Non recusarem quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem.* En mos Romæ solennis in solio respondendi de Jure: Qua autem solemnitate verborum, collegit Brissonius III. *form.* Sed Veterum solia non tanti pretii, atque artis fuisse credibile; quippe ad tutelam facta Regum veluti armaria, non ad luxus ostentationem, aut majestatis fulgorem. Acerna facit VIII. *Æn.* Vates solio dignissimus de Euandro loquens:

Præcipuumque toro, & villosi pelle leonis

Accipit Æneam, solioque invitat acerno.

Cujus imitatione Ovidius III. *Metam.*

—— *in solio medius consedit acerno.*

Ea sunt, quæ Græcis itidem Vatibus σκίμποι.

Structura, ac facies est, *veluti armarium de uno ligno*, inquit Servius, quasi incompactile, ac continuum, nullà commissurà, aut clavaturà. Rudi olim seculo, aut quadrata, aut teres ligni massa aptæ ad sedendum altitudinis, atque unius tantùm capacis, quam loco eminenti statuerent, fortè sedesenat, ac solium regnantium, quemadmodum de subitario, ac cæspititio Imperatorum suggestu in castris admonuimus. Quod si à soliditate solium vocamus, en quomodo Festus in *solitaurilia* lucem nobis affert; *Quæ nulla parte*, inquit, *laxata, cavaque sunt, solida nominantur.* Atque hoc pacto omnis artificii, aut paraturæ expers, commodumque, atque expeditum solium asportari, ac locari quacumque libuisset, facilè poterat ad usum, atque opportunitatem. Quod verò insuper describit Servius, *veluti armarium*, undequaque fuisse clausum constat, præterquam in aditu, aut parte anteriori: quanquam si talis figuræ, & fabricationis fuisset solium, vix fieri potuit, quin aliqua tabularum commissura, ferrumen, ligamentum annulorum, cardinum, clavorum interveniret, quibus compingeretur, ac cohæreret. Quomodo igitur, ut idem ait, *de uno ligno?* Nisi *Unum* exponamus nudum, ac solitarium, sine alterius materiæ societate, sine habenis, aut loris, sine pulvillis, aut instragula veste. Etiam hodie quandam armarii speciem referunt hæc solia, Principum, ac Regum, si utrinque ad latera claudantur, quod quandoque fit adductis velariis. Consimile quid nobis describitur à Fulgentio Placiade, *Aumarium*, inquit, *dicitur locus secretus publicus, sicut in theatris, aut circo.* Sed quod vocat *Aumarium*, repone *Armarium*. Talis ergo domuncula, aut statio, qualem Principibus construebant. *Ad Regum tutelam fultum*, subdit Honoratus: nempè dum eo veluti armario, tabernaculo, & οἰκίσκῳ, undique circumsepti sedebant Reges, perfidorum manus faciliùs propellebant, spesque improbas eludebant perduellium; quoniam nonnisi ab una parte, ac prævidentes peti poterant. Atque hæc Servii spectans dicta, ut opinor, doctissimus Junius in *Nomenclat.* *Solium* exposuit hanc sedem ad Regum tutelam; cujus usus fuit, inquit, antequam stipatoribus sepire latus cœperant. Sed vera dicam; prisco illo ævo nunquam magis tuti Reges, quàm tibi, aut quando minus tuti fuere; cùm ignota satellitia, nec dum inventæ militum manus, atque hastæ, quæ latus cingerent, ac protegerent. *Discimus experimento*, inquit Panegyrici Dædalus, *fidissimam esse custodiam Principis ejus innocentiam; hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit.* Quid igitur opus stipatoribus, cum nullæ adhuc insidiæ timerentur? Eodem tempore natus timor, & sepulta innocentia. Ergo aut inanis tutela in solio, aut unà cum protectoribus simul inventum. Quanquam quæ salus, aut securitas arcâ ligneâ, tanquam arce includi ad effugiendas audacium hominum manus, qui forti ictu flagitiosos Principes haurirent, & animoso gladio publici boni libertatem extorquerent tyrannus? Sed de hac solii structura ad Regum custodiam ante stipatores inventos esto cuique placitum statuere, quod magis lubet. Cætera Servii etyma non improbarim. Illud præcipuè, quod *solum unum capit.* Colligimus hinc sedis magnitudinem, modumque capacitatis. Sed & *solium*, suggestus ille, qui in Orchestra, aut podio locabatur Principi ad spectacula. Vide Lipsium *de Amphith.* cap. XI. ac seqq. qui consideratè distinguit podium magnum, ac peculiare Principis à podio communi, ac vulgari, ubi senatus, ac cæteri honestiores sedebant. In eo podio magno thalamus, mansio, οἰκίσκος, domuncula cancellata, fenestrata, velis, & cortinis obductis, ubi secretum captabant in ludis spectandis, quam *solium* dixeris. Sed *podium* communiter tota illa pars erat Orchestræ, sive mœnianum, & projectura, ubi sedes dispositæ spectantium, qui magis spectati forent, commoditati: Inde *ad podium* spectare Latinis; unde nostrum *Appoggio*, & *appoggiarsi*. Vide *ad Antiquitatum Roman. collecta* lib. V. cap. X. affluentissimum Dempster. qui reliquatorem Rosinum suis paralipomenis egregie liberat.

Hoc autem mihi subolet, *solidam sellam* apud Festum pro solio explicari posse eo soliditatis respectu, de quo supra. Vide illum in *solida sella*. Cum vero locus miserè sit discerptus, ac truncus, vix articulum boni sensus illinc colligas. Sed huic Hippolyto suus medetur Æsculapius; qui ad vitam nisi penitùs revocat, saltem ossa, & laceros artus conjungit. Consule itaque magnum Scaligerum, qui tandem opinatur hanc *solidam sellam* propriam fuisse Sacerdotum, ac Magistratuum, ubi sederent ad auspicia captanda; adi eundem Festum in *silero*, ubi de solido lecto quædam non aliena, atque ibi eximius idem adnotator. Nasoni *solidæ sedes* pro throno Regali. Nisi fallor II. *Metam.* vers. CXLVIII.

Dum potes, & solidis etiam nunc sedibus adstas.

Si nostra sedium genera hodiè attendamus, cathedras quasdam sacrorum antistitum haud absimiles existimemus solio, quoniam è ligno totæ undequaque includunt sedentem, nisi quatenus in lateribus parumper cavatæ, ac sinuosæ, exili arcu sessorem denudant, aut professoriis sedibus affine, in quibus pectore tenus sese exponit, cætera circumseptus, qui insidet.

Ob hanc autem ipsam solii speciem obsepti undique, ac circumclusi, cur arcam mortualem, aut loculum eo nomine affecerint, in causa forsitan esse potuit. Meritò solium dixeris, ubi sæva illa cunctorum domitrix, cui viventes omnes tandem procumbunt, sedem figit immotam, legemque hominibus sancit durissimam vitæ post hac numquam remeabilis. Plin. xxxv. cap. xii. *Quin & defunctos multi fictilibus soliis sese condi maluere*, ut legunt eruditiores prodoliis. Florus lib. iv. c. xi. de Cleopatra loquens; *In differto odoribus solio juxta suum se collocavit Antonium.* Curtius lib. x. cap. x. *Purgavere corpus, repletumque est odoribus aureum solium*, &c. notat Freinshemius ad hunc locum, observatque Salmasius *ad Suet. Neron.* cap. L. *In eo monumento solium Porphyretici marmoris*, &c. Sed similitudinem ducit à solio, seu alveo, in quo lavabantur. Non temerè quis credat solia eadem fuisse appellata hæc sepulchra potentium præcipuè, ac divitum, quoniam magnificè constructa, ac sublimi statuta forent loco. Haud aliter posita mortuis tribunalia reperio in antiquis inscriptionibus; quæ tum honoris ergo, memoriæque illustris monumento erigi potuerunt; tum ut illic, quæ reliqua sunt vitâ defuncti ossa, ac cineres honorificè conderentur. Fidem nobis præstruunt operosè, ac superbè structa, soliorum instar, ea Veterum sepulcra quorumdam. Gruterus DCCLI. XI. *P. Ælius Venerianus hoc vas disomum sibi, & felicitati suæ posuit, & tribunal ex permissu Pontificis fecit.* Est autem *disomum* vas duorum corporum capax, quod tum sibi, tum felicitati (nomen id mulieris) Venerianus posuerat. Observo Pontificis auctoritatem, ac permissum, quo tribunal id mortuale liceret constituere; ac si extra ordinem, nec vulgare quid foret. Adi & CLXXIV. X. *Tribunal cum locis è stipe collata posuerunt*, & fragmentum CLXX. I. *Sedem extructo tribunali*, &c. *milites infrascripti posuerunt.* Hoc idem solium, aut tribunal defunctorum manibus dicatum, forte alio nomine, ut suspicor, *Podium* dixere, ut in alia epigraphe CLXXII. XIII. *Podium cum lorica adstus vivos fecit.* Solium tandem appellatum peculiaris balneorum pars, ubi lavaturi sedebant; & quidem plurium illud capax, non unius, ut de solio Regum diximus; qui & alveus aliter dictus. Sed de his infra cap. XXV. ubi de sellis balnearibus.

CAP. XIX.

Tribunal *Antistitum.* Tribuna. Tholus. Concha. Hemisphærium, &c. Trullus, Τροῦλλος. Synodus in Trullo. Apsis, Absis, ἀψίς. *Sella episcopor. sub apside.* Βῆμα, Bema, οἱ ὑπὸ τὸ βῆμα. Secretaria, *in iis habita consilia.* Secretarium judicum, Prætoris, Senatus. Stallum, Stallus. ἐνθρονίζειν. Enthronismus. Enthronisticum. Inthronisticum *Cujacius adversus Langlæum defensus.* Synthronus. Thronus, *de Patriarchatu dictus. Leo Allatius laudatus.* Cathedra: *Antistitum propria.* Cathedraticum: *aliud ab Ethronistico.* Dies cathedræ. *Cathedra Divi Petri instaurata, ornata, translata. Pii, ac venerandi operis auctor Sanctissimus Alexander VII. celebratur. Cathedra D. Jacobi: item D. Marci. Carolo Dato reddituro laudis testimonium ab humanitate, atque eruditione.*

A GENTIUM Tribunalibus ad sacros veterum Christianorum suggestus traducor, quos in templis, aut Ecclesiis statuebant; eademque de antistitum sedibus nonnihil explico, ne crimen prævaricationis incurram, si penitus hic tacuero. Sed transeo, atque indico, neque ante hoc tribunal me diu sisto. Isidorus lib. XV. cap. IV. *Tribunal, eò quod inde à sacerdote tribuantur præcepta vivendi; est enim locus in sublimi constitutus, unde universa exaudiri possint.* Nominis originem nil moror, an à tribuendis præceptis, an verò quòd illuc tribus convocentur, ut idem subdit auctor, & magis verum est; aut (quod alii maluerint) quoniam tribuni locus, aut sedes foret. Puto autem nostrum *Tribuna* eo vocari, quia tribunal, thronus, ac sedes episcopi sub ejus fornice, aut camera statueretur. *Tholus* etiam dicta θόλος, *Hemisphærium*, *Concha*, & posterioribus Græcis Τροῦλλος, Trullus (cupola). Neque suspensa, aut fornicata illa pars ædis dumtaxat, sed & pavimentum, ac solum illi subjectum Trullus dicitur. Inde Synodus sexta Oecumenica sub Justiniano toties memorata vocatur *Synodus in Trullo* ob locum, ubi habita fuit. Vide Meurs. *Gloss.* in τροῦλλος, & Buleng. *de Templis* lib. III. cap. XXIX. Allat. *de templis Græcor.* epist. II. num. III. ubi plura de Trullo, ac templis Trullatis.

Item *Apsis*, & *Absis*, ἀψίς, ob curvaturam, & arcuati operis formam; & *Absida*, *de* ab accusativo Gr. Augustino, Isidoro, & aliis. Plinius *Epist.* lib. II. ep. XVII. *Cubiculum in apsida curvatum.* Sicut autem Tribuna, à tribunali subjecto, ita contra Absis pro sede, ac throno Pontificis accipitur, quoniam sub abside est. Augustinus epist. CCIII. ad Maximum episcopum Donatistam: *Nec absida gradata, nec cathedra velata*, &c. idemque, *qui ad nos in absidem honoratiores, & gratiores ascenderant.* In apside igitur posita cathedra, scansilesque ad eam gradus; sed & Apsis totus ille locus, aut pars ecclesiæ, ubi tribunal erigitur sub fornice, aut hemisphærio, nobis hodie Chorus, Episcopium, Sanctuarium, ἅγιον βῆμα, ἱερατεῖον. Presbyterium; ubi & altare majus ἁγία τράπεζα. Hic episcopus sedebat: hic cœtus canentium, ministrantium, operantium; neque illuc accessus nisi initiatis; cancellis fermè, clathrisque productis. Imo & eminentiori ædis parte per gradus ad eum ascendebatur; unde illi & nomen bematis, βῆμα. Sed fortasse βῆμα, quoniam illic (ut de tribunali, & apside diximus) thronus, aut βῆμα antistitis locabatur; & οἱ ὑπὸ τὸ βῆμα, quibus licebat in Presbyterium, aut episcopium, aut apsida, &c. ingredi. Quales qui res divinas exequuntur sacris affecti ordinibus, non laici, ac profani, excepto Imperatore. Vide Petr. Possinum accuratissimum versorem, & glossographum Georgii Pachymeris pag. CCCCXXXII. in verbo Σωλέας, ubi quædam de Bemate. Omninò consule Leonem Allatium τὸν πάνυ epist. I. *de templ. Græc.* n. XI. & XII. qui & ἱερατεῖον diversum à choro statuit, saltem Græcis. De Apside Spelmann. *Glossar.* Buleng. d. lib. c. XXII. ac de Bemate c. XXI. Non placet autem quod idem Bulengerus aliique Secretarium ponunt sub apside, atque in eo pariter locant sedem, aut solium Pontificis. Mihi namque Secretarium magis est, quam vocamus *Sagrestia*, Sacrarium, Sanctuarium, Vestiarium, Pastophorium. Etsi quandoque inter hæc nonnihil discriminis. De Secretario Guther. *de J. Pont. Vet.* lib. III. cap. IX. Affinia etiam quædam observare est apud Ethnicos. D. Hieronymus sanè duo statuit pastophoria hinc inde apud apsi-

dem in *Ezechiel.* cap. XLII. quomodo fermè hodie duo sacraria, quæ sunt extra chorum, sed tamen apud ipsum. Secretarium Paulinus epist. XII. eleganter describit:

Hic locus est veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerii.

Crederem tamen sacrarium, aut vestiarium, vel diaconium propriè fuisse partem ecclesiæ, ubi Lipsana sanctorum, aliaque instrumenta ad quotidianos usus servata: pastophoria verò ad ecclesiam, vel potius extra eam, ubi æditui, & custodes habitarent; inibique conderentur, quæ vel pretii majoris, vel usus rarioris (nobis *l'Opera*) aut quoddam quasi gazophylacium. Quòd si quando apud rei Ecclesiasticæ scriptores mentio vestium; aut alterius suppellectilis sacræ intra Apsidem, fortè an intelligendus abacus, aut mensa, vel altare minus: Græcis πρόθεσις (nobis *Credenza*) ubi vasa, vestes, aliaque ad sacrum faciendum parantur. Meam autem (ut eò redeam) de secretariis opinionem tuetur Sulpicius Severus epist. I. loquens de D. Martino: *Mansionem ei in secretario ecclesiæ clerici paraverunt, multumque ignem scabro jam, & pertenui pavimento subdiderunt, lectumque ei plurimo stramine extruxerunt*; & Dial. III. n. VIII. *Secretarium ingressus, cum solus, ut erat illi consuetudo, resideret (hanc enim sibi etiam in ecclesia solitudinem permissa clericis libertate præstabat) cum quidem in alio secretario presbyteri sederent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati.* Meminit & Dialogo II. n. I. Apparet ex his Sulpicii locis secretaria non intra apsidem fuisse, neque ibi thronum episcopi proinde statutum. In his autem secretariis fermè olim habita concilia. Vide Baron. Tom. VI. ad ann. CCCCLI. ex Liberato Diacono, & Euagrio. Juret. *ad Symmach.* lib. X. ep. XXXVI. Alia autem fuerunt secretaria judicum, quæ haud diversa admodum ab auditoriis. Græci partem vocant τὸ δικαστήριον. Juret. ibid. & lib. II. epist. XXX. Guther. *de Off. D. A.* lib. III. c. VII. meminit l. ultima Cod. *ubi Senatores, aut clariss.* l. penult. C. *de accusatoribus*, & alibi. *Secretarium Prætoris.* D. Augustino III. LVI. contra Crescon. *Secretarium Senatus.* Grut. *Inscr.* p. CLXX. V. Vide plura de secretario apud Jacob. Gothofr. Tom. I. *in Cod. Theod.* p. XLI. tit. *de off. rector. Provin.*

Tribunal autem episcoporum describit Euseb. lib. X. *Hist. Eccles.* Prudentius *hymno D. Hippolyti* vers. CCXXV.

Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Scanditur, antistes prædicat unde Deum.

Isidorus sup. d. lib. XV. c. IV. *locus in sublimi constitutus*, &c. & Augustinus d. epist. CCIII. veluti perstringens quosdam suæ ætatis episcopos: *Nec Absida gradata, nec cathedra velata*, &c. Sulpicius D. Martini paupertatem, & moderationem laudans: *Illud non præteribo, quod in secretario sedens, nunquam cathedra usus est.* At nescio cujus fastum, & ambitionem mox damnat: *Nam in ecclesia nemo unquam illum sedere conspexit, sicuti quendam nuper (testor Dominum) non sine meo pudore vidi sublimi solio, quasi Regio tribunali, celsa sede residentem.* Dialogo II. n. I. *Stallum*, aut *Stallus* pro eadem antistitis sede, vel cujusque qui præsideat in Choro; Inde *Stallus Abbatis, Præpositi*, &c. Vide Voss. *de vitiis serm.* Spelmann. *Archæolog.* in *Falda.* Gloss. *Stallus est locus unius è Choro.* Sic Græcis τόποι simpliciter pro his locis, aut sedilibus, & στασίδια quod magis accedit τῷ stallo. Huc traho verba lapidis apud Gruter. MLXXIV. X. *Tribunal cum locis*, &c. hoc est, cum sedilibus. Stallum igitur quasi stabulum, aut statio, quo nomine affecta ea sedilia. Isidem Græcis inculti ævi, & labentis sermonis eminentior hæc sedes vocata σολίον, quasi dicas *solium*, uti vertit Meurs. in *Glossario.* Meminerunt Codinus Cedrenus, Euchologium, ac Simeon Thessalonicensis, quem laudat Allat. d. epist. II. n. V. mavultque cùm Meursio *solium* vertere, quàm Jacobo Gretsero adhærere, qui diversum putat.

In hoc igitur tribunali, sive sacrorum antistitum solio posita sella, quæ plurimùm nunc thronus, nunc cathedra à scriptoribus appellatur, θρόνος, καθέδρα. Quocirca ἐνθρονίζειν dixère in sedem ponere, aut inaugurare antistitem, & ἐνθρονισμὸς ille actus acceptæ potestatis; ac dies enthronismi, quo ea capitur. Hinc *Enthroniasticum, Inthronisticum*, ἐνθρονιαστικὸν, & vulgò *Cathedrale*, aut *Consuetudo.* Gr. συνήθεια, Novella CXXIII. pensio scil. illa, seu honorarium, aut munus, quod dabat antistes aliis episcopis, seu Patriarchis, aut Metropolitis, clericisque à quibus inaugurabatur, atque in throno locabatur. Mentio in ea Novella CXXIII. cap. III. quod Julianus Antecessor vocat Καθεδρατικὸν, *Cathedraticum*: & quidem in lemmate ejus capitis scriptum est inter alia τί ὀφείλει τὸ καθεδρατικὸν διδοσθαι προσώπῳ, *quid pro Cathedratico dari conveniat.* Hoc moneo, quoniam Cl. V. Janus Langlæus lib. VI. cap. II. *suis semestr*: veluti exultabundus summo Cujacio dicam impingit, quòd parum considératè scripserit eadem esse Cathedratica, atque enthroniastica. Imò namque non poterat consideratiùs scribere, si modò Langlæus Cujacium attendit, non enim id agit Cujac. *ad Novel.* VI. neque hoc decernit eadem esse Enthroniastica, & Cathedratica; sed hoc tantùm ait, quæ ibi ab Imperatore Enthroniastica, ab Juliano vocari Cathedratica.

Nec minus verum, quod annotaveram in titulo capitis tertii Novellæ CXXIII. vocari Καθεδρατικὸν, *Cathedraticum*: cùm in textus corpore ἐνθρονιαστικὸν dicatur: *Inthronisticum* vertunt.

Sed, ut expressè dixerit Cujacius, non indoctè dixisset, si auctores habebat Græcos, qui enthroniasticum à Cathedratico non sejunxerint, neque novum esset, ut Cathedraticum (de quo infra) nunc uno, nunc alio significatu acciperetur, quod in tot vocibus polysemis comperimus. Quippè si ipsas quoque rimamur nominis causas, non abhorret, quin Cathedraticum, atque Enthroniasticum pro eodem habeantur, quæ à Cathedra, ac throno ipsissimis rebus deducuntur. Immeritam egregio viro notam placuit delere, quem Principem legalis sapientiæ, geniumque eruditi juris nonnullis carpere lubido est, ut magni nominis adversarium pro instrumento habeant captandi rumusculi.

Sed ne throno videamur excidisse (gravior alioquin lapsus) θρόνος vocata sedes ea sublimior antistitis, sicuti σύνθρονος cæteræ sedes inferiores, & appositæ eorum, qui ministrant, ac deserviunt. Σύνθρονος autem dictus, quoniam illic digniores, unà sedent in ea veluti scena, & apparatu sedilium; vel quia plures ibi sedes locatæ. Duplex quoque Synthronus: alius sacer in Bemate, alius extra Bema. Sed & subsellia illic, aut βάθρα in ordinem disposita ad clericorum usum. Idem Eusebius lib. X. cap. IV. in ea oratione panegyrica, qua templum augustissimum novæ Romæ describit: Θρόνοις τε τοῖς ἀνωτάτω εἰς τὴν τῶν προέδρων τιμὴν, καὶ προσέτι βάθροις ἐν τάξει τοῖς καθ᾽ ὅλου, &c. *Tronisque altissimis in honorem præsidentium, ac præterea subselliis per universum templum ordine dispositis*, &c. ut vertit Valesius: at Allatius καθ᾽ ὅλου, *in communem usum* interpretatur; cùm tamen Valesius solis clericis metetur, neque laicos sedisse in ecclesiastico cœtu, saltem dum divinum officium celebraretur ex Optati Milevitani lib. IV doceat.

cent. Alia apud eundem Allatium complura eâ epistolâ II. n. VII. & deinceps. Idemque notat Thronum, non pro sella tantum, sed pro ipso honore, ac præfectura sacra accipi, & quidem pro celsiori, & magis digna, nempe Patriarchatus. Sic *thronus C. Politanus*, *Alexandrinus*, &c. Huc Nilus spectavit suo opusculo περὶ τ̃ πέντε πατριαρχικῶν θρόνων, *de quinque patriarchicis thronis.*

Neque id tamen (uti video) servatum perpetim: sed tum de Patriarchis, tum de aliis Sacerdotiis usurpata vox nunc throni, nunc cathedræ. Cathedram nempe vocantes ab ipsa sede, quam antistites occupabant, honoris tesseram, & sacræ Jurisdictionis Symbolum. Est enim Cathedra καθέδρα, idem quod sedes ἕδρα, vel sella; sed honestior, ac dignior. Sedetque in ea nescio quid magis augustum, ac sanctum, quoties ad usus speciatim transfertur venerabilium virorum, quos regendis populorum animis in via suæ legis præficit Deus. Sidonius Apollinar. lib. VII. epist. IX. *Aut altarium, aut litterarum cathedras tenuere.* & lib. IX. epist. XVI. de Saturnino loquens, *Tolosatum tenuit Cathedram*, hoc est, rexit ecclesiam. Vide eruditissimum Savaronem, qui pleno, ut solens est, vehitur alveo ad eum auctorem eruditione irrigandum. Adi & pag. CCCCXXVIII. nec immeritò reprehendit magnum Scaligerum, qui ad Ausonii l. XII. cathedram hanc interpretatur de ludo Rhetoricæ, quam Saturninus docuisset. Constat autem fuisse antistitem Tolosatum, non Rhetorem. De Cathedra autem Scholastica infrà videbimus. Sulpicius Severus Dial. II. n. I. *Illud non præteribo, quod in secretario sedens nunquam Cathedra usus est*, de D. Martino. Paulo post: *Sedebat autem Martinus in sellula rusticana, quam nos Rustici Galli tripetias, vos Scholastici, aut certè, tu qui de Græcia venis, tripodes nuncupatis.* Respuebat Martinus cathedram; sellam scilicet honestiorem, quoniam in ejus corde Apostolica sedebat humilitas. Augustinus ut sup. *Nec absida gradata, nec Cathedra velata.* Quamobrem ab hac Cathedrâ Ecclesiæ Cathedrales, & Cathedrales episcopi. Neque aliundè *Cathedraticum* (non absimile Veteribus, quod *æs Curionium* Festo vocatur) genus illud annuæ pensionis, quod clerici suo Pontifici erogant intuitu Cathedræ, alio nomine *Synodaticum*; aut quoties sacri regiminis causâ ab eodem Episcopo διοικήσεις invisitur. Vide cap. *conquerente de offic. ord.* cap. *placuit* X. q. III. & cap. *ecclesiis de Censibus.* Concilium Bacarense II. cap. II. & Toletanum VII. cap. IV. Julian. ind. nov. VI. καθεδρατικὸν appellat, quod aliter Enthroniasticum. Sed verò unum alteri dispar est, quoniam Enthroniasticum præbetur ab episcopo ob inaugurationem, & susceptæ sedis, aut throni dignitatem aliis episcopis: Cathedraticum autem solvunt suo Antistiti cæteri Sacerdotes, aut clerici. *Installationem* barbari vocitarunt hunc actum tradendæ potestatis, aut sedis: est enim *installare* in alterum locum augurare, sufficere, substituere: vel stationem, aut locum, sedemque assignare: pecuniam autem, aut vectigal pro hac Installatione id ipsum Cathedraticum.

Quo circa initi Pontificatus *diem cathedræ* appellantes cum veneratione coluerunt; anniversarium recursum solenniter celebrantes. *Natalis Cathedræ* dictus ille dies; sic natalis B. Basilii, B. Joan. Chrysostomi, &c. apud Orientales, ut in eorum menologiis legitur. Nec minus in Occidente lucem eam cum gaudio, ac pietate revisunt, qua primùm luce Cathedram Romani culminis Petrus Sacerdotum Princeps, venerandi caput Senatus, Apostolici Magister Collegii suscepit. De ejusdem Petri Antiochena Cathedra scripsit Augustinus serm. II. de ea: *Rectè igitur ecclesiæ natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro ecclesiarum salute suscepit:* & mox, *quod natalis ergo Cathedræ hodie colitur, sacerdotale honoratur officium.* Vide Roam. *de die nat. sacro, & profano* cap. XXIII. & Baron. ad ann. Chr. XLV. apud quem plura de cathedra Petri tanquam una, ac Principe Christiani orbis. Ea primum Romæ visa, atque erecta A. D. XV. Kal. Febr. Claudio III. & Vitellio Coss. supputante Baronio. Ennodius IIII. Synodo Romana Sellam Apostolicæ confessionis vocavit, sed gestatoriam facit: *Nunc ad gestatoriam Sellam Apostolicæ confessionis, vel admittunt limina candidatos.*

Omnino autem præcipua cum reverentia, cultuque servatur ad hunc diem in Vaticana Basilica. Lignea est, & admodum rudi opificio, cujus ibi iconem profero, ne tuo studio, aut pietati desim.

Deessem quoque mihi, publicoque Christianæ gratulationis officio, nisi eandem sedem majestatis specie hodie refulgentem, nobili ferculo impositam, atque eminenti loco statutam commemorarem. Macte hac egregii operis cura Pater Sanctissime, qui beatissimam Sedem, an Ecclesiæ Romanæ nascentis cunas, ubi Pontificum Princeps traditam sibi divinitùs ligandi, solvendique potestatem in arce imperii, atque orbis primùm exercuit, ad cultus æternitatem, ac cælestium beneficiorum pignus tam augustè, tam munificè instauras.

Quòd enormes vicos Urbis, & scabros viarum anfractus, aut dirueris, aut direxeris, ut in hanc pulcherrimam, admirandamque faciem reformares, quasi renovata Augusti gloria, aliam acceperis, aliam reddideris Romam; quis equidem non laudet, nisi publici splendoris, ac magnificentiæ sit hostis? Quod divorum Petri, ac Pauli amplissimo foro haud impares porticus ingentium columnarum fulturis multiplici ordine circumdederis, eximium, atque insigne opus seculi, ac nulli veteris Romæ secundum. Sed consummas gloriam, & absolutæ pietatis coronas officium; quòd eam sedem, eam ipsam, quam Pastor cœlestissimus pressit corpore, auctoritate implevit, ac consecravit, à longo situ jam vindicas; cultamque & communitam decentissima statione ad perpetuam venerationis securitatem reponis. Jubes posthac ne oscula, ac manus damnosa pietate contingant; sed corda, atque oculi tantùm sint religiosi, solusque reverentiæ horror contrectet. Ærea Latinæ Ecclesiæ Doctorum quadriga tam sacrum pondus meritò in Cœlum provehit; sed tu ille auctor ALEXANDER VII. tuaque mens, tuumque consilium auriga extitit. Sic geruli illi Patres, ubi hac Sede Petri quamdiutissimè sis defunctus; Te quoque sustollant beati itineris comites; ac sempiternæ jucunditatis socium habeant in Cœlis, quos tu ad tanti pignoris inclytum pondus, ac tutelam in terris conjugasti. Restitutæ hujus Cathedræ, sanctique concilii numisma ex auro tibi exhibeo splendidissimè, & scitissimè cusum. Quod tum reverenter, tum fideliter præsto, quoniam ubi hæc scripseram, in ipsâ editionis mora aureum ejusce typi numisma jussit ad me mitti Sanctiss. D. N. cujus nihil non est aureum, mens, lingua, manus. Testatum cupio devinctissimi cordis mei cultum ob insigne cimelium, Summique & Adorandi Donatoris Majestatem, ut quod Virgo illa sub Capitolinis armillis, ego sub Vaticani hujusce auri ponderosa nimium gratia procumberè jam cogar lætus, & venerationis plenus. Vide sub num. XI.

Principis Apostolorum Sedi, quam ita piè instauratam, & magnificè cultam veneramur, meritò sociamus alteram D. Jacobi Hierosolymitanam, de qua scribit Eusebius *Hist. Eccles.* lib. VII. cap. XXXII. quod sua adhuc ætate custodiretur, *ὁ θρόνος...*

ὑπο-

ἐκεῖσε πεφυλαγμένον ἀποστολικὸν διαδέχεται θρόνον. De Ermone episcopo loquens, *Apostolicam Cathedram, quæ illic* (Hierosolymis) *etiamnum servatur, obtinuit*, ut vertit doctissimus Henricus Valesius; iterumque mentio cap. XIX. ejusdem lib. VII. Alexandrina pariter D. Marci Cathedra honorem, cultumque promeruit diligenter servata: de qua in actis MIſ. S. Marci ita proditum est: *Adest etiam hujus rei testis, quæ usque in hodiernum diem, ad confirmandam hujus veritatis assertionem in eadem Ecclesia perseverat ex ebore, utique antiquo, Cathedra politis compacta tabulis, in qua quidem stetisse illum, dum euangelicas paginas exararet, præstantium non retinuit memoria relatorum. In cujus nimirum Cathedræ sedili nullus est ausus unquam Pontificum deinceps residere, sed in magna veneratione hactenus à cunctis extat Pontificibus humiliter honorata.* Non peperci hæc exscribere, quoniam adhuc in pluteis latentia protulit in suis notis pag. CLXI. idem Valesius emunctissimi vir judicii, ac singularis diligentiæ. Libentiùs autem feci, non ob rei, qua de agimus, notitiam, atque examen dumtaxat; sed quoniam hæc Eusebii politissima editio tam rara est nobis in Italia, quàm rari pretii, ac doctrinæ est editor. Nec secus inter rarissimos mihi numerandus, qui librum utendum permisit Cl. & amiciss. D. Car. Datus nostræ flos illibatus urbis, suadæque Etruscæ medulla, quam omni literarum paratu quotidiè auget, atque illustrat. Parum enim mereri putat, qui per se tam egregiè meretur, nisi ad benè merendum de Repub. literaria alios quoque omni ope, & consilio adjuvet. Nihil ut minus suum habeat, quàm quod in usum, & gloriam eruditionis impendi possit; penè ipsum se sibi subtrahens, nedum temporis, aut operæ parcus. Iterum verò idem Valesius in *addendis* pag. CXXXIX. ex actis pariter S. Petri Alexandrini, quod hic antistes ausus fuit *nunquam in ea sedere, sed in scabello, quod ad pedes ejus erat.* Cathedram D. Marci subaudi.

Prorsùs quoque sum ὁμόψηφος eidem Valesio locum Tertulliani cap. XXXVI. *de Præscript. Hæret.* egregiè explicanti adversùs Rigaltium. Non enim de Cathedris loquitur Afer ille doctor, tanquam de ecclesiis, sed de sedibus, quas corpore occupamus, quas premimus, quas tangimus. Aliter namque in meram ταυτολογίαν impingeret.

Hæc autem nobis suppeditata à Valesio è bibliothecis testimonia, non est quod adnotamenti penitus expertia relinquamus. Principio colligimus materiam Cathedræ eburneam politis compactæ tabulis; scabellum quoque, aut suppedaneum illi applicitum, cui uni præ veneratione insidebat Petrus Alexandrinus, de scabello supra diximus. *Sedile* autem Cathedræ, nec ille, nec ullus successorum tangere ausus fuit. *Sedile*, hoc est, partem, aut aream illam, cui propriè incumbunt sessores, & quæ unà facit, ut sedeamus, si cæteræ omnes deessent. Demum animadvertimus eam D. Marci Cathedram creditam fuisse, in qua lucubrabat Euangelicis actis texendis. Ex quo dubitare contingebat eadem fuerit, an non cum Patriarchali! Fortè igitur eandem sedem privatim adhibebat, quam in templo subinde reponeret ad munia Pontificia usurpanda. Nisi malimus opinari (quod veritati non est absonum) intra Ecclesiam ipsam divino Numine veluti magis inspirante, ac præsente sacratissimæ historiæ, aut plurimum, aut universum opus confecisse. Indissimile quid observare est de Cathedra D. Martini, de qua sup. apud Sulpic. quasi in utrumque usum, tam domi, quàm in Ecclesia adhibuissent. Repostiles namque fuisse has Cathedras credere licet, ut ubi res exigeret, illic statuerentur. Hodie intra absidem suo tribunali, ac συνήρονω fixæ cohærent pleræque. Sed & portatiles, aut exemptiles pro ecclesiæ opportunitate, ac consuetudine; ut qua opus fuerit, illic se sistat episcopus. Atque in his, quas voco *repostiles*, usitatior ea forma, ut solidis tabulis undequaque compingantur ad firmitatem, reclinatorio longè supra caput sedentis in arcum, seu curvamen producto; septis ad latera non apertis, sed continuo tabulato; nisi qua paululum recurvantur, tum ad ornatum, ac symmetriam, tum ad commodiorem cubitorum innixum. Hæ autem Cathedræ in solio collocantur vestibus opertæ, soliumque ipsum pariter instratum: scansilia, gradusque tapetibus, culmen umbellis exornatur. Sed hæc vide exquisitiùs apud sacros designatores, rituumque Protomystas; nos pedem hìc non figimus, utque canis ad Nilum fugiendo bibimus.

CAP. XX.

Cathedræ velatæ. *Sedes linteatæ, trabeatæ. Pro altarium gradibus positæ, atque illinc ad populum sermo.* Ambo, pulpitum. Analogium. Lampium. Faldistorium: *unde illi nomen.* Sedes stercoraria: *exactè, atque attentè de ea expositum. Una tantùm, non duæ, ut vulgò creditum. Perperam confusa cum Pontificiis, sive inauguralibus quondam Basilicæ Lateranensis. Eminentiss. Card. Cæsar Rasponius cum prædicatione nominatus. Joannæ Papissæ fabula. Icones earum sedium prolatæ.*

CÆTERUM quòd antiquâ Ecclesiâ has Cathedras velatas reperimus, ea fuerintne instragula, ac vestes, qualibus sedes, aut thronos hodiè operiri videmus, nuperque dicebamus: an potius vela insuper addita, & obducta instratis jam Cathedris dubitare licet; atque hoc postremum puto verius. Augustin. d. epist. CCXXIII. *Cathedræ velatæ*, &c. Atqui linteatæ sedes episcoporum ex veteris instituti mysterio. Pacianus de Novatiano; *Quem consecrante nullo linteata sedes accepit.* Pontius Diacon. in vita Cypriani: *Sedile autem erat fortuitò linteo tectum, ut eo sub ictu Passionis episcopatus honore frueretur*, &c. Hæc duo loca profert Barth. *Adversar.* lib. XLII. XXVII. ante illum indicavit Cresol. theatr. Rhet. III. XIII. Baron. ad ann. Christi XLV. Putarem addi posse locum Hermæ in ea Cathedra, aut Subsellio, quod describit lib. I. c. III. Pastor. *Erat cervical linteum, & super linteum expansum carbasinum*; nota expansionem, & velamentum. Sidon. VIII. VIII. *gestatorias trabeatas*, &c.

Atqui nonnullæ etiamnum hodie Veterum sedes visuntur veste, veloque superinjecto, non tamen expanso. Tu oculis arbitrare lector, atque judicium facito, nunquid ad rem nostram, quæ protulimus exempla, atque icones cap. XIII. Addo binas Romæ: alteram apud Matthæos ad D. Catherinæ, alteram è Museo Leonardi Augustinii. Vide n. XLI. XLII.

Nostris sanè moribus regnantium sedes in solio positæ, præter tot alia instragula, sericeis tegumentis plerumque obducuntur; puto ad majestatis nescio quam opinionem, & characterem. Ut non tantùm à volanti pulviculo, sed à vulgi oculis intactæ, dum Princeps adveniat, ultimo eo velamine, ac si sacrum quid, recondantur. Iterum, iterumque ea Divi Augustini mihi versantur in labris gravissimè dicta: *Transit hora hujus seculi: transit ambitio: in futuro Christi judicio, nec absidæ gradatæ, nec Cathedræ velatæ adhibebuntur ad defensionem.* In eum autem potissimum usum antistitum sedes, præsertim repostiles, ut divini verbi ad populum

pulum traderentur in ecclesiis oracula, sacrarumque lectionum mysteriis ex ore episcopi imboerentur Christiani. Sidooius Apollin. lib. vii. cap. ix. *qui aut literarum, aut altarium cathedras tenaere.* Pro gradibus namque altaris à sedente episcopo habiti olim sermones. Quamobrem, ut peculiare, aut insuetatum proditur à Socrate de Jo. Chrysostomo, quòd in ambonem ad divina eloquia fundenda conscenderit. Vide Sirmondum *ad Sidon.* p. ci.i. est autem *Ambo*, idem ac pulpitum. Vide Meursium in ἄμβων, ab ambiendo deducunt, quòd intrantem ambiat, aut quòd ab ambabus partibus conscendatur: & quidem veterum pulpitorum, ita deformatam adhuc hodie videmus fabricam Sed ἀπὸ τοῦ ἀμβαίνειν, hoc est, ab ascendendo mavult Spelmann. in *Glossar.* unde ἄμβωνες, *Ambones*, montium ascensus; ἄμβη, & ἄμβων, pars, sive locus eminentior. Vide alia testimonia de Ambone producentem. *Pulpitum* vocamus hodie, sed parieti infixum, ac prominens; ferè in aula, vel ναῷ Ecclesiæ. Isidor. lib. xv. cap. iv. *Pulpitum, tribunal, analogium*, inter sacra ponit ædificia. *Analogium*, inquit, *dictum quòd sermo inde prædicetur.* Hic ipse Ambo est, qui & *Lampium*. Glossæ Isidor. *Lampium, Pulpitum, Analogium.* Sed Analogium potius est ille pluteus, cui libri imponuntur. Vide Spelmann. in *Analogio*, nobis *Leggio*. Aut si pro suggestu interpretari malimus, cum crediderim suggestum qui in Choro, aut Presbyterio assurgit, unde scripturarum lectio habetur propè altare, seu mensam majorem: indeque Analogium, ab eo legendi actu. Vide Barth. *Advers.* viii. 15. Sed tum ex his locis, tum è sede in tribunali posita, vetus olim cura sanctissimorum antistitum, quæ paulatim decrevit, populum adloquendi. D. Cypriano lib. ii. ep. v. *Pulpitum*, quod lib. iv. ep. v. *Tribunal*. Prudent. *hymnio D. Hippolyti*:

——— ——— ——— ——— sublime tribunal
Scanditur, antistes prædicat unde Deum.

Neque hic omittendum (quod vocant) *Faldistorium*, genus sellæ humilioris, & plicatilis sine reclinatorio, aut suppedaneo, facilè portabilis, atque expedita: sine cultu, aut ornamento, nisi quatenus operimento tegitur, ac pendenti circum stromate amicitur. Verùm eo die nudari solet omniom dierum maximè deflendo, maximè salutari, cum ecclesia dejecta, omni posito gaudio, omni assumpto mærore Dominicæ cædis memoriam feria sexta in Parasceve reducit. Cæteras hujusce sedis leges, quò loci, aut temporis, coram quibus usorpanda sit, docent libri rituales. Hanc parvo, aut nullo discrimine ab antiqua Curuli abire diximus cap. undecimo; sed *Faldistorium* dixerunt vocabulo partim humano; est enim *Faldum* vox Saxonica, septum, aut claustrum significans. Inde sedes, ut thronus episcopi, quòd cancellis, aut sepimentis moniretur, ita vocata. Vide Spelmanni *Glossar.* atque ex eo Gerard. Voss. *de vitiis serm.* in *Palda*, & addend. Corruptè pro *Fandistorio*, hoc est, loquendi loco, aut statione, Faldistorium appellatum censuit Paris Grassius, quem laudat Dominicus Magnus Oratorii Sacerdos io sua notitia rituum, ac vocum ecclesiast. Libentiùs autem dexteram porrigo Spelmanno, ac Vossio, quorum incomparabilis doctrina est, atque experientissima in his tractandis solertia. *Stallum* etiam sedem episcopalem dixerunt corrupti ævo sermooia, à stando, aut quiescendo (ἡμεῖ δοκεῖ) sed propriè tota ea pars, aut scena, ubi thronus cum subselliis erigitur intra absidem episcopo.

Non est tandem, quòd neglectui habeam eam sedem inter sacras, ac dignissimas; quæ alioquin vel nomine ipso contemptum, impiorumve mendaciis infamiam sibi contraheret. Sed quoniam nec mysterio sanctitatis vacat, atque jam calumnias deridet, summoque olim inaugurando Pontifici deserviebat, indicare nil vereor. *Stercorariam* dixere, in qua collocabatur ille, cùm primùm solenni consecratione ad gubernacula Ecclesiastici gregis admoveretur. Ut hominem igitur se esse recordaretur, nec in altissimo illo dignitatia omnium maximæ fastigio insolesceret, superbumque spiraret, insusurrabant Pontifici, cùm ab ea sede consurgeret, illud è Sacris Literis, *suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Cærem. Rom. lib. i. sect. ii. cap. iii. Cardinalis Stephanescus de eadem:

——— ——— & sedes capiens de stercore nomen
In platea est circa templum despecta parumper.

Decebat, ne Vir multijugæ doctrinæ Matthias Martinus præteriret hanc nominis originem; ritumque, & rationem hujus cathecheseos io Summo Pontifice inaugurando. Alioquin in eas sordes, ac putiditates minimè prolapsus foret, quas in insigni suo philologico opere legere est; neqoe aoiles fabulas, ac deliria impiorum jam diu profligata refricuisset, quæ vix puero dentienti sunt digna. Cùm verecundiæ, ac modestiæ velamine videtur ille loqui, sed dum ignorare se simulat, quæ ignorasse dedecuit, ac libenter promit (etsi dubius, ac de aliorum magis sententia, quàm sua) rumores, ac mendacia de Joanna Papissa, aliasque ibi ineptias non invitus colligit, suam interim scalpit pruriginem, conceptamque prodit in Romanum Pontificem irreverentiam.

Quod autem Cardinalis ille Stephanescus in foro Lateranensi eam sedem locat, sua respicit tempora, hoc est, Bonifacii VIII. cujus inaugurationem describit. Hodie visitur non onica, sed duæ in peristylio, sive claustro, ut vocant, ejusdem Basilicæ: utraque perforata è marmore leucosticto, sive Porphyrite. Cæterùm reperio neutram ipsarum verè fuisse eam, quam stercorariam dixere; sed aliam solidam è marmore candido nulla sedilis apertura. Atque hæc Stercoraria fuit appellata, quoniam sedenti Pontifici mox Cardinalium manibus sublato carmen illud sacrum occinebatur, *suscitat*, &c. ut ex vetustissimo Cæremoniali M. S. discimus, in quo unius tantùm sedis fit mentio, cui nomen Stercorariæ; non duarum, quomodo à multis creditum, & traditum fuit; advertitque Fioravantes Martinellus in *Roma ricercata*, ubi de Basilica Lateranensi. Ritualem hunc morem, ac sedium historiam refert etiam Eminentiss. Card. Cæsar Rasponius, quem honoris, & obsequii ergo sacro nuper ostro insignitum libentiùs nomino, officiosiùs veneror; Rom. suspicit Ecclesia suum antiquis hisce literis, ac magis multò rebus gestis exornatorem: lib. ii. cap. xii. de Basilica, & Patriarchio Lateranensi. Addatur Dominicus Magrius *Nella notizia de' vocaboli, e riti Ecclesiastici*; sed moltùm confert distinguere has sedes. Quæ enim duæ visuntur Porphyreticæ, perperam vocantur Stercorariæ, neque persedenti in illis Pontifici insusurrabant *suscitat de pulvere*; &c. ut in alia, quæ verè stercoraria appellabatur. At io his duabus perforatis accipiebat claves, & ferulam, spargebatque quandam pecuniam. Ritum videbis in Cæremoniali M. S. atque etiam in alio edito lib. i. sect. ii. cap. iii. Idem Raspon. sup. Atque hoc pacto abundè satis difflatur illud ægræ calumniæ somnium de Joanna Papissa, & Pontificis attrectatione; quoniam vera sedes stercoraria nullum habuit foramen, sicuti & alterum ruit putidum commentum de admonitione, qua se Pontifex hominem esse meminerit humanis necessitati-

bus subjectum; dum sellæ quasi familiaricæ incumberet. Duæ itaque sunt sellæ Porphyreticæ, quæ adhuc perdurant, eæque perforatæ. At una fuit præter istas stercoraria, nec pertusa è marmore candido: quod & Andreas Fulvius scripsit lib. II. cap. de Coelio monte, quem Martinellus laudat justam impingens dicam Hieronymo Francinio Fulvium Italicè parum ex fide vertenti. At de his tribus sedibus omninò videndus Card. Bellarminus consummatissima Vir sapientia in suo opere *de Pontifice Romano* lib. III. cap. XXIV. ubi fabulam abundè explodit de Joanna Papissa: quod ipsum egregiè præstat Reverendiss. Allat. in Confutatione ejusdem Joannæ. Post reliquos omnes Vir solidæ doctrinæ, atque incomparabilis diligentiæ Philippus Labbe S. J. in Cenotaphio Joannæ Papissæ everso.

Si perquiramus quandonam desierit mos ille inaugurandi Summum Pontificem trino illo sedium ritu, affine vero est credere, cùm primum in Galliam secessit Romani culminis statio: quoniam neque illic sedes aderat peculiaris, nec stata supellex ceremoniarum; ac postquam ad limina sua redierunt Pontifices, jam diu ea religione se solverant non utendo per annos amplius LXX. Cencii Camerarii ætate perdurasse morem refert Baron. ad ann. MCXCI. Stephanescus autem Cardinalis in Bonifacii VIII. consecratione vocat in eam sedem despectam:

In platea est circa templum despecta parumper.

Quasi suo tempore exoleverit etiam ritus. A Bonifacii autem obitu ad Clementem V. cum quo Avenionem migravit Ecclesia, duo tantùm intercurrunt anni.

Exhibeo autem perforatarum sedium imaginem, quam anteà vulgavit Martinellus; ad me Româ misit nobilissimus Octavius Falconerius; sicuti & aliam non pertusam in eodem Lateranensis Patriarchii cavædio servatam; atque hæc veriùs potuit esse stercoraria. Vide num. XLIII. & XLIV. Cæterùm cum tres istæ sedes omnes sint antiqui operis, & eleganter sculptæ, in usum conversæ fuerunt ceremonialem inaugurandi Pontificis rudibus iis seculis. At perforatæ omnino balneares erant, ut infra dicemus, sensitque doctissimus Pighius in *Hercule Prodicio*. Eo namque sedilis cavo dabatur infusæ aquæ effugium, sicuti & in ipso suppedaneo, vel scabello alia cavitas apparet veluti excipulum aquæ transmissæ. Præter Martinellum vulgavit eam sedem pertusam Jo. Rhodius ad Scribonii Largi cap. CXCIII. pag. CCLXXXI. Cujus similem Veronæ visam affirmat. Sentit ille quoque balnearum usibus destinatam ad humanas necessitates, aut vaporis excipiendi causa, potius quàm lavandi. Sed de hoc nonnihil infra cap. XXV.

CAP. XXI.

Subsellia. συβέλλια. Panche, e Banche: *non à Græco ἄβακος, sed à Latino* Plancæ. σανίδες. Scamna. Scabella, Scabelli. βάθρα. Anabathra. *Scholiastes Juvenalis emendatus.* Sedilia: *plerumque fixa,* Reslongi Subsellii. Longa cathedra. Scamna longa. Scamna magna. Summa, ima subsellia.

QUANDO hactenus sublimis dignitatum culmina insedimus, sellarumque honestiorum gradus metati fuimus, sive Imperio validi, sive sacris eximii, sive doctrina regnantes tenuerint; ut rerum omnium vertigo est, de alto nunc escendamus, & paulatim ad humiliora dimittamur. A soliis, ac Tribunalibus ad inferiora sessitabula: à Curulibus, & Cathedris ad scamnos, ac subsellia.

Cum Varrone exordiamur, cujus illa sunt *de L. L.* lib. IV. *Ut subsipere, quod non planè sapit: sic quod non planè erat sella, subsellium dictum.* Facilis, & obvia nominis scaturigo. Quo pacto *sublustris, subniger,* &c. qui non planè clarus, ac niger, μυόεις, & extenuatione τοῦ *sub*; ita in subsellio exponit Romanorum doctissimus. Sicuti verò sella pro sedda, ita subsellium, quasi subseddium, uti explicat Fabius Quintilianus lib. I. c. VII. Isidorus lib. XX. cap. XI. Quod autem Varro ait *non planè erat sella*, spectare videtur formam, aut magnitudinem, vel structuram; cujus ratione infra sellam erat, ab eaque vincebatur. Sed ego locum quoque ipsum respicerem, ubi sedes, præsertim Curules, atque honestiores, in Tribunali, vel suggestu, aut gradibus: cùm subsellia inferiùs ponerentur. Quod igitur sub sellis, vel infra sellas locarentur, id sibi nomen fecisse subsellia haud inficetè quis dixerit. Hunc sedem vulgarem appellare voluisse videtur Tacitus lib. IV. *Ann.* cap. VIII. *Consules sede vulgari per speciem mæstitia sedentes honoris, locique admonuit.* Sic Græcis ὑφέδριν inferior sedes, aut consessus, quasi infra digniorem sedem, aut cathedram; & κατωλίμου θρόνον, ut loquitur Nazianzenus epist. III. Inferiori ævo συβέλλια, omnino à Latinis desumptum corrupere, ut pleraque alia. Vide Meurs. *Glossar.*

Nobis sunt *Panche*, aut *Banche*; nonnullis placet à Græco ἄβαξ, & gignendi casu ἄβακος, *Banco, Banche*, &c. sed putaverim non esse recedendum à Romana dictione. Ita enim *Plancæ*, hoc est, assamenta, & tabulata à planitie dictæ. Festus: *Planca tabula plana: ob quam causam planci appellantur, qui supra modum pedibus plani sunt.* Plinius lib. VIII. cap. XLIII. de asinis loquens: *Nec pontes transeunt per raritatem plancarum* (ita vetus codex) *translucentibus fluviis.* Scaliger *ad Fest.* prius palancas à Phalanges Græco, dein plancas appellatas monet: at Festus à planitie deducit: quod planius existimo. Neque aliter Dioni, atque aliis σανίδες, hoc est, tabulæ, & asseres pro subselliis. Hæc eadem & *scamna* vocata, vel quia alta forent, scansione ut opus esset; vel quia (quod malim) per ea scanderemus in lectos, aut sellas, locaque editiora. Varro *L. L.* lib. IV. *quia simplici scansione scandebant in lectum non altum, scabellum: in altiorem, scamnum: duplicata scansio Gradus dicitur.* Varroni igitur *Scabellum* erit scamnum humilius, per diminutionem scamni conflata voce: *Scamnum* verò altius, & altioribus admotum. Hoc sensu puto accepit Vossius in *Etymol.* scamna idem esse scribens, ac subsellia, eaque alta, atque edita, ut scandere opus esset. Isidorus lib. XX. cap. XI. *Scamna sunt, quæ altioribus lectis apponantur dicta à scandendo, hinc & scabella, qui lectis parvis, vel sellis ad ascensum apponuntur.* Hæc Hispalensis antistes cum Varrone faciens, ex quibus colligere est scamna, aut scabella eò potius dicta, quòd illinc in lectum, aut sellam scandamus, quàm ut ipsa sint scansionis terminus, præque altitudine scandi oporteat; nam & sessioni inserviunt, ut jam ante oculos est.

Ab hoc scandendi actu βάθρα Græcis, & ἀνάβαθρα, quo verbo posteriori usus Juvenalis sat. VII. vers. XLVI.

Nemo dabit Regum quanti subsellia constant,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo.

Ubi Scholiastes, *subsellia, gradus superiores scansiles; à Græco tractum, id est, subsellia, super quæ altius sedeatur:* post verbum *scansiles* insero vocem *Anabathra*, quæ sui furtum fecit: ut ea sit mens Interpretis *subsellia* exponere. *gradus. superiores scansiles:* mox

mox de Anabathris loqui, quod verbum *à Græco tractum* inquit, nempe *ἀπὸ τῆς ἀναβάσεως*. Quomodo enim si de subsellius loqui pergeret, à Græco id tractum garriret? Ergo subsellia Scholiastæ sunt *gradus superiores scansiles*: quod si adhuc *altius sedeatur*, conductis tigillis ad extruendos pegmatum gradus, ea dixerunt Anabathra; nobis *Palchi*, aut *Scalinate*, qualia affigi solent parietibus, ac suspendi subditis fulcris sensim acclinia, ne alter alterius luminibus in spectando officiat. Ita Scholiasten restituo, ac declaro: sed poterant quoque subsellia in Anabathris locari: atque is fortasse extitit sensus Poetæ duobus versiculis mutuam sibi lucem commodantibus; sed vide illos mirificè enodantem Lipsium cent. II. *ad Belgas* epist. XLVIII. Vossius *de Instit.* cap. VII. & in *Addend.* Omninò huc facit Suetonius in *Claudio* cap. XLI. *Cum initio recitationis compluribus subselliis obesitate cujusdam defractis risus exortus esset*, &c. Si plura subsellia bos iste Hungaricus sua ruina, unoque tempore diffregit, alia super alia fuisse constituta per gradus quosdam, consequens est opinari.

Scamna igitur, & scabella idem nonnunquam, ac subsellia; de scabellis postea. Glossæ Cyrilli *ὑποπόδιον*, scabellum, subsellium. Sed Glossographus hic, si quid conjicio, subsellium videtur accipere, quod sub sellam, aut ad pedes illius ponatur; egregius locus in l. II. lib. III. Cod. Theodos. *de contrah. Empt.* Constantini verbis: *Ut etiamsi subsellia, vel, ut vulgo ajunt, scamna vendantur*, &c. quasi equidem ore vulgi, & minus aptè, ac literate ipso Constantini ævo scamni nomine subsellia indigitaverint: aliter ac olim J. C. in l. III. *de supell. leg.* distinguens: *subsellia, scamna, lecti*, &c. Aliud igitur subsellia, aliud scamna, quæ pro humilioribus sediculis, ac suppedaneis accipio. Paulus autem III. *Sent.* IV. *Pulvini, subsellia, cathedræ, mensæ*, &c. instrumenta domus enumerans. Equidem subsellia puto fuisse oblonga, & angusta, ac plurium proinde capacia cum reclinatoriis fermè ad innixum dorsi. At scamna fortè magis rudia, sine illis ad tergum fulcris, quæ in gradibus theatrorum, & Anabathris commodiùs locari poterant. Sicuti è ligno propriè fuisse autumem subsellia, ac mobilia; etsi quandoque fixa non negarim, ut hodie fit. Cæterùm lapidea, aut marmorea libentiùs *sedilia* dixerim; sive ex opere structili fuerint, quæ nobis *muricciuoli*. Plin. lib. V. epist. VI. elegantiss. suam in Tuscii villam describens: *Sunt locis pluribus disposita sedilia è marmore.* Subselliorum formam planè publicat Celsus Latinorum Hippocrates lib. VII. ubi in quandam curatione ægrotum jubet resupinum jacere in subsellio, aut lecto: *Resupinus eo modo, quo in curatione ani figuratur: super subsellium, aut lectum collocandus esset.* Vides hic usum jacendi, tam in subsellio, quàm in lecto. Fortè allusit Cicero III. epist. IX. cum rem vocavit *longi subsellii*, multorum scilicet judicio, aut veriùs longa consultatione dignum. Neque aliter exponerem longam cathedram apud Juven. sat. IX. vers. LII.

— *& strata positus, longaque cathedra.*

Ubi Scholiastes, *cervicalibus positis scamnum dicit.* Plurium capax facit subsellium Hermas à nobis sup. laudatus I. III. *Cumque vellem sedere ad dexteram partem, non est passa, sed innuebat mihi manu, ut ad sinistram partem sederem*, &c. loquitur de subsellio. Sidonius I. epist. VII. *in uno subsellii capite consedit.* Colligo minori etiam forma fuisse quædam subsellia, prorsus ut ea, quæ nos hodie vocamus *sgabelli*, unius tantùm capacia ex Cicerone sup. atque Juvenali, atque omninò adstruit Suetonius in *Claudio* cap. XXIII. *Medium inter Consulum Sellas Tribunitio subsellio sedisse.* Si longum fuisset subsellium, fusæque sessionis (qualis è nostris, quæ vocatur *Panca*) incommodè potuisset statui inter Consulum sellas, præsertim in tribunali. Scamnorum itidem longitudinem, pluresque recipiendi usum sessores, idem Scholiastes supra innuit. Ovidius VI. *Fast.*

Ante focos olim scamnis considere longis.

Cato quoque *de re rustica* cap. X. villicorum magister inter cætera utensilia, quibus pauperrimam coloni domum jubet instrui: *Scamna magna tria, scamnum in cubiculo unum*, &c. Scamnum hoc cubiculare tanquàm exilius interpretor, uti illa magna ad quoscunque usus, sub dio, in porticu, ad mensam, ad somnum, ad rustica, aut fabrilia opera.

De M. Curio gloriosæ paupertatis viro Valerius Max. lib IV. cap. III. *se in scamno assidentem foco*, &c. in viliori supellectile, aut inopum, aut rusticorum apparet fuisse hæc scamna reposita. Subsellio quatuor pedes tribuit Hermas in *Pastore* lib. I. cap. III. *Et quia super subsellium vidisti sedentem, fortis positio est: quoniam quatuor pedes habet subsellium, & fortiter stat.* A quatuor Juvenibus tanquam magnæ molis sarcina deinde amovetur in ea narratione, quam vide.

Atque hæc subsellia, etsi infra sedes honorum sublimes, atque humiliori loco statuta, non tamen suæ dignitatis expertia fuerunt, aut gradu honestatis caruere. Inde toties illa mentio, loquendive forma, *summi; imi subsellii*, &c. si quæ autem fortè illis nota adhæreret, aut humilitatis, aut contemptus, penitus eam detersam existimabimus, ubi proximo capite, quibus ea viris honore spectatissimis statuta fuerunt, examinabimus.

Cap XXII.

Prætoria subsellia. στρατηγοί. Ordo sedendi ex albi norma, ac præscripto. Bartholom. Chesius J. C. acutissimus. Quî intelligendum, ut in subselliis Prætores, atque in curuli. Mæstis rebus relictu curules, & ad subsellia descensum. Lampridius enodatus. Habere fasces. *Dionis Cassii locus cum cura expensus.* Sedes vulgaris. *Aldi Manutii intutum judicium de tribunali, & sella Prætoris.* Tribunitia subsellia. A subselliis. *Quandoque Princeps Rom. in subsellio. Dio iterum examinatus. In mœrore sedibus abscessum. Subsellia Judicum, accusatorum, reorum, testium. Merere pro subselliis. Suetonius aliter, ac vulgò explicatus. Litigantes, & advocati sine subsellio, sed stantes.* Scamna amicabilia. *Adsessores Principum, Amici vocati.* Sedere *judicum.* Subsellia *equitum:* fori *appellata, &* spectacula. *Subsellia composita in gradibus, non cathedra. Juvenalis novus data lux. Desidis character.*

IN publicis conventibus ad solenniora munia, vel subselliis usos fuisse Romanos Patres, hoc est, lumina orbis, & imperii, Principesque auctoritatis, ac consilii publici, satis ostensum superiùs cap. XII. ex Suetonio, Dione, Sidonio, aliis. Quod verò magis est, ac nisi cum admiratione nequeo legere, ipsis Prætoribus (qui majorum, aut curulium Magistratuum splendore fruebantur) assignata quoque subsellia publicis in conventibus, templi, fori, theatri, &c. si fides Dioni. Subsellia sæpè apud illum *βάθρα τῶν στρατηγῶν*, *Prætoria subsellia*, ut lib. LVI. in morte Augusti de Consulibus loquens, *οἱ δ' ὕπατοι ἐν τοῖς βάθροις, ὁ μὲν τῷ τῶν στρατηγῶν, ὁ δὲ τῷ τῶν δημάρχων. Consules verò infra, unus in Prætorum, alter in Tribunorum subselliis*, & l. LX. ubi de L. Sylla

lis ob senectutem surdastro, qui cum in suo subsellio quædam audire non posset, ac ideò surrexisset, permissum illi ἐς τὸ τῶν στρατηγῶν βάθρον, &c. καθίζεσθαι, *ut in Prætorus subselliisque sederet.* Res planè ardua, ac perplexa, quæ animi, atque judicii pendentem me reddit, ne dicam ipsum Dionem dubiæ fidei, & auctoritatis. Non audeo autem ignorantiæ illum insimulare, tanquam Græci in Romanis ritibus; neque vocem στρατηγῶν minus propriè ab eo usurpatam coarguere, quoniam fideliter ea utitur in suis historiis ad Prætores significandos; quicquid alii Græci parum in illa quandoque sibi constent. Eo quidem magis, quoniam uti rem compertam, atque exploratam haud semel memorat hæc Prætoria subsellia; neque ad alios magistratus transferri potest nomen τῶν στρατηγῶν, quibus subsellia deberentur. Fortasse primus in parietinis Romanæ vetustatis hanc urticam attingere audeo. Sed mihi quoque teneræ sunt, ac debiles manus, juvabit aliquando non obiter (quod nunc facio) duriori articulo rem premere, atque excutere. Interim verò haud absonum existimarem curuli sella prorsus eos fuisse usos, qui primas tunc agerent, vel qui comitia, aut relationem haberent. Cæterùm alii quamlibet majores Magistratus in subselliis adessent, hoc est, locò infra sellam præsidentium (quo sensu βάθρα appellat Dio) ordine tamen sedendi pro Magistratus dignitate, aut antiquitate honoris; dignior ut foret locus, qui propior suggesto, aut tribunali, dextra sinistram anteeunte. Ac quemadmodum de loco dicendæ sententiæ alias in Senatu mos erat, ita in sessione esset factum: adeatur l. 1. *de albo scribendo.* Exactè enim, ac sollicitè custodita semper albi religio: cujus causa tot actionibus, tot pœnis confossi temeratores, ne contempta majestas, & imminutus alioquin publicus honor severo vindice careat. Præter Cujacium vide quæ pleniùs, & acutiùs observat *different. Jur.* 1. cap. LXXIX. Bartholomæus Chesius, Academiam nostram, justique, ac recti artem non tam scriptis exornans, quam candore animi, ac libertate judicii. Dignissima puto fuisse Prætoria subsellia, quoniam is quoque honor post Consularem summus. Ideoque ab humanitate laudatus fuit Princeps Tiberius ex ea Dionis narratione lib. LX. quod L. Syllam ad Prætoria subsellia accersiverit, sibique proximum locaverit, ut audire posset, quæ agerentur. Sed omnis vellitur fibra dubitationis, si Prætoria subsellia quis accipiat non pro genere sedium, sed pro ordine sedendi, ac toto illo sessionis apparatu infra sellas Consulum; ubi tamen sellæ quoque curules Magistratibus forent positæ. Interea non invitus odoror hinc ab uno tribunalis latere (credam dextero) Prætoria, illinc ab altero Tribunitia subsellia fuisse posita. Vestigia mihi aperit idem Dio eodem lib. LVI, pag. DXC. cùm relicto suggestu describit Consules in subselliis sedentes; quasi hinc, atque illinc servata suæ sedis statione ἐν τοῖς βάθροις, ὁ μὲν τῷ τῶν στρατηγῶν, ὁ δὲ τῷ τῶν δημάρχων, *in Prætoriis alter, alter in Tribunitiis subselliis.* Cum post mortem scil. Augusti omnia ad summi mœroris speciem essent composita, gravissimumque sibi inflictum vulnus tanti Principis desiderio lugeret Respub. Consules tribunali abstinuerunt, inferiori loco sedentes. Communi autem nomine utitur Tacitus hoc ipsum cum Dione factum edisserens; neque aut Tribunorum, aut Prætorum subsellia, sed vulgarem sedem appellat. *Tiberius,* &c. *Consules sede vulgari per speciem mæstitiæ sedentes, honoris, locique admonuit,* lib. IV. *Ann.* cap. VIII. Quasi equidem exceptis Consulibus, quibus curules in tribunali parabantur, vulgari, & indistincto sessionis genere cæteri omnes uterentur, quæ vocat Dio βάθρα, *subsellia.* Quod si quis apud Lampridium legat in *Heliogab.* cap. IV. de uxore nequissimi illius Imperatoris: *Ad Consulum subsellia scribendo adfuit,* non est quod Consules in subselliis sedisse colligas; sed quoniam illic infra eorum Tribunal scribæ aderant in subselliis, quæ Consulum vocabant. Si igitur adessent Consules, curuli forsan abstinentes Prætores, Ædiles, &c. subselliis inhærebant. Quòd si iidem Consules abessent, tunc Prætor urbanus, quippe dignior, ac deinceps ordine ille è majoribus Magistratibus, quem penes Majestatis publicæ staret dignitas, reique gerendæ auctoritas, prælatam solus curulem occupabat. Vide quæ supra examinavimus. Ac multum referre potest, quo in loco haberetur consessus, in curia, in theatro, &c. an in peculiari dicasterio. Cæterùm, Consules quod spectat, tametsi unus tantùm *haberet fasces* singulis vicissim mensibus, quod *sortiendo,* aut inter se *comparando* fiebat; utrique tamen positam fuisse sellam pro certo est. Superior id evincit Taciti locus, ubi uterque Consuli sedis admonetur; adde Suet. *Claudio* cap. XXIII. *Medium inter Consulum sellas,* &c. passim nummi, ac nos supra.

Atque his præstructis, irreprehendendus foret Dio, qui subsellia Prætoribus tradit, nisi novo alio commento vindicias dare secundum Dionem placeret. Nimirum in ea narratione de morte, aut funere Augusti, ad mœroris ostentum, dejectæque tanta calamitate Reipub. indicium, Prætores jamdiu ipsi sella curuli abdicaverunt, subselliis insidentes, in quibus etiam ipsi Consules hæserunt ad augendum doloris sensum; atque hæc vocat *Prætorum subsellia* Dio; *sedem vulgarem* Tacitus. Sed quare Tacitus adeò tacitus non id narrat (dum mœstitiam publicam exaggerat) Prætores quoque ipsos suis curulibus decessisse? At enim (inquis) sufficiebat Cornelio de Consulibus tantùm exposuisse, penes quos erat publici conventus dignitas; quod si ii eam doloris scenam exhibebant, de cæteris quæ dubitatio? Ac multò magis quoniam Consules non curulem modo sedem reliquerant, sed locum, ac tribunal: cùm Prætores, aut si qui alii, solam sedem mutassent. Hinc Tiberius eos *honoris, locique admonuit:* ac si honor ad curulem, locus ad tribunal pertineret. Sed quæ prior in mentem venit, ea sit mihi potior in hoc judicio defensio; ac multò magis, quoniam ipse Dio lib. LX. (ut diximus) meminit itidem subsellii Prætorii; & tamen nihil ibi de publici doloris testatione, & ob id turbato sedendi ordine, ac loco; sed omnia alia ibi afferuntur. Apparet interim mœstâ, & afflictâ fortunâ relictum solium, & sedes celsior, ut in superiori narratione. Cui congruit quod de Penelope dolore circumventa Homerus protulit *Odyss.* Δ. vers. DCCXVI.

— — — — οὐδ' ἄρ' ἔτ' ἔτλη
Δίφρῳ ἐφέζεσθαι, πολλῶν κατὰ οἶκον ἐόντων,
Ἀλλ' ἄρ' ἐπ' οὐδοῦ ἷζε πολυκμήτου θαλάμοιο.
— — — — *neque amplius sustinuit*
In sella sedere, & si multi in domo adessent;
Sed in limine sedit splendidi thalami.

Ninivitarum rex iræ cælestis, quæ imminebat, auditâ denunciatione *surrexit de solio suo,* &c. *& sedit in cinere,* cap. III. *Jonæ.* Vide sup. cap. XVI. de Coriolano.

Neque ignoro, quod Aldus Manutius lib. III. epist. IV. *quæsitor. per epist.* scripserit Magistratus curules omnes usos semper fuisse sella cognomine, non omnes tribunali; Prætoribus tamen & sellam, & tribunal junctim assignat. A quo viro non equidem dissedo, si in suis foris, atque judiciis Prætores statumus.

mus. Cæterùm si ubique servata velis, hæc insignia A in curiis, theatris, aliisque conventibus, ubi Princeps, aut Consules præcellent, non ægre dissentio.

Tribunis porrò suam quoque in subsellis mansionem fuisse attributam affirmat Dio in ea ipsa narratione de Consulibus in morte Augusti, quorum alter in subsellis *τῶν στρατηγῶν Prætorum, ὁ δὲ τῶν δημάρχων alter Tribunorum.* Suet. *Claud.* XXIII. *Inter Consulum sellas tribunitio subsellio.* Asconius Pedian. *in Mediolanam*: *Sunt enim*, inquit, *subsellia Tribunorum, Quæstorum, Triumvirorum, & hujusmodi, minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, & tribunalibus considebant, sed in subselliis.* Videatur & *in* IV. *Verr.* Tribunos intellige, non militares, aut B consulari potestate, sed Plebis, aut Ærarios. Reprehenditur tamen Asconius à Manutio ad locum ibi Ciceronis *hunc tamen à subselliis*, &c. quoniam non tantum eorum, qui minora judicia exercebant, sed in omni judiciorum genere subselliorum usus; quo sensu generaliter Cicero loquutus fuerat: congerit illuc Manutius testimonia. Haud prætermittam apponere, quod Consultissimus Hotomanus ad Asconiana verba opinatus est, ea forma, qua apud Latinos aliquem *A Pedibus, a Manu, a Cyatho*, & consimilis dicimus; ita *à Subselliis*, qui judicantibus præsto esset, ibique versaretur ad ministerium quæ ingeniosa opinatio est. Sed mox de judiciariis subsel- C liis dicemus, ne tribunitia tam citò linquimus; in quibus non exiguum honoris instar residebat, imò fulgor majestatis, & gloriæ ornamentum, quando illic Romanus Princeps publicè incubare non dedignabatur. Amplum testimonium, quod supra ex Suet. *Claudio* cap. XXIII. deprompsimus. Adde Dionem lib. LX. *τοῖς μὲν γὰρ ὑπάτοις ἐν μέσῳ τῶν ὑπάτων ἐπὶ δίφρου ἀρχικοῦ, ἢ ἐπὶ βάθρου καθήμενος ἐσκόπει. Medius Consulum in sella curuli, & in subsellio sedens referebat.* Xylander legit *ἢ ἐπὶ βάθρου*, *vel in subsellio*, & magis placet. Hoc subsellium vocat *Tribunitium* Suetonius. Perpetuò siquidem *τὸ βάθρον*, *subsellium* verterem, ubi de Tribunis agitur, D ut apud eundem scriptorem lib. XXXVII. p. LII. in ea narratione, cùm Metellus Consul in carcerem ductus fuerit imperio Flavii Tribuni pl. Senatus reverentia motus erga tantum virum, in ipsum carcerem statuit convenire, tanquam in templum aliquod, quoniam ibi Metellus detinebatur: fecissetque nisi Flavius Tr. pl. subsellium ad ingressum carceris collocasset, impedimento ne Senatores introirent, *βάθρον τὸ δημαρχικὸν* vocat Dio, ubi versor *Sellam Tribunitiam*; ego *Subsellium* malo. At in eo Claudii more tradendo subdit idem Dio lib. LX. *μετὰ δὲ τοῦτο αὐτὸς ἐπὶ τὴν συνήθη ἕδραν μετῄεσαν, καὶ ἐκεῖνοι οἱ δίφροι ἐτίθεντο. Post hæc ad consuetam sedem redibat, & illis* (consulibus) *curules ponebantur.* In- E terdum scil. in suo tribunali medius inter Consulum sellas (supra diximus): interdum humiliori loco in subsellio, quoties referre debuisset ad Senatum; atque idem factitabat, inquit Dio *ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν μεγίστων, in aliis maximis rebus*; quoties videlicet de hujuscemodi agendum foret. Suetonius ita expressit; *De majore negotio acturus in curia medius inter Consulum sellas tribunitio subsellio sedebat*; quod fortè ob commoditatem factum, ut faciliùs se inferens Princeps in utriusque aures consulis insusurraret, & arcana conferret. Sed hæc Dionis verba non osci- F tantem in sese advertunt lectorem. Si Princeps namque post habitum colloquium *ἐπὶ τὴν συνήθη ἕδραν μετῄεσαν ad consuetam sedem redibat*; jam ea decesserat, sive tribunal, sive alius locus fuerit. Conjicio autem Principem transisse ad consulum stationem, aut in tertio aliquo consedisse. Quod enim à colloquio, vel consultatione consulibus *οἱ δίφροι ἐτίθεντο sellæ ponebantur*; argumentum est sedisse tunc consules consuetis in sedibus, sed inferiori loco, vel potiùs stetisse: frustrà iis alioquin redderentur mox sedes. Sed & tribunitia potestas hic in mentem mihi venit, quippe sacra, & inviolabilis, quam ideò tam avidè affectarunt, jactaruntque inter titulos Romani Principes. Eadem puto de causa, & Cæsari datum, ut in tribunitiis subselliis sederet: Dione teste lib. XLII. p. CXCIV.

Ac simili forsitan subsellio tribunitio usus Tiberius, de quo Suetonius in *vita* cap. XVII. *medius inter duos Consules cum Augusto sedet.*

Judicibus, ac Recuperatoribus, quoties Prætori adessent, data quoque fuisse subsellia nemo dubitat; indè tam sæpè vox subselliorum pro ipsis Judicibus, seu munere judicandi; solenni hypallage, locum, aut insignia honoris pro ipso honore, aut officio desumendi: insignis locus Cic. epist. x. lib. XIII. *Fam.* de Varrone: *Versatus in utrisque subselliis optima & fide, & fama*; hoc est, in judiciis tam privatis, quàm publicis: alia testimonia congerit Manutius citato libro. Observat Cornel. Witell. *in Memal.* cap. XXII. qui accusatoribus reis, testibus assignata subsellia ostendit. Marcel. Donat. *in Suet. Nerone* cap. XVII. qui Ciceronem alibi testem vocat in lib. *de Orat. cum si à subselliis in otium contulerit*, &c. id est, à munere judicandi; sed & pro quocunque munere forensi, aut civili acciperem; sicuti & *in Verrem* eidem Ciceroni *alienus à subselliis*, & *ad Heren. longo subselliis judicatio, & mora.* Martian. Capellæ *subsellia cognoscentium.* Juven. sat. XVI, vers. XIII.

Bardaicus judex datur, hæc punire volenti
Judex, & grandes magna ad subsellia suræ.

Sed pleraque hæc ab aliis pridem observata. Adjungo l. ult. C. *de Senatoribus.* Si quod enim crimen iis objectum, aut publicum, aut privatum, facultas illis permittitur; *sedendi quoque in aliqua Secretarii parte, qua judicibus inferior, altercantibus verò superior esse videatur.* Insignis, & palmaris locus, atque observatione dignus apud Suet. in *Nerone* cap. XVII. *Item ut litigatores pro patrociniis certam, justamque mercedem solverent; pro subselliis nullam omnino darent.* Indubitanter autem subsellia nihil aliud hic sunt, quàm judices. Patronis justam mercedem accipere fas fuit, nequaquam judicibus vendere sanctitatem officii, sive (quod eidem Marcello placet) ne quid pro sententia lata eisdem judicibus solvatur, quando ex ærario publicè constituta iis sit merces, *præbente ærario gratuita*, subdit ibi Suetonius.

Tardus, ac cæspitans gradior in eam sententiam, quam refert idem Marcel. Donat. tuetur Casaub. *ad Suet.* subsellia accipiens, quemadmodum vox sonat, pro ligneis ipsis sedibus, earumque usu; ut quoties exercenda forent judicia, extruerentur in foro auditoria conductis, deportatisque subselliis, pro quibus certa pecunia à litigantibus penderetur, à quo tamen onere levatos voluit Nero. Quicquid in Rhetorum exercitamentis, aut recitationibus ad captandos auditores factum fuerit (qua de re infra) vix est, ut idem sit statuendum in judiciis Prætorum, aliorumve Magistratuum. Quid? In urbe tot civium millibus habitata; tot convenarum ex Italia, subjectisque provinciis quotidie affluentium concursu florentissima; in tam multis rerum gerendarum occasionibus, hoc est, meris caussidicinæ nutriculis, fœcundisque litium seminariis, quoties judicium exercendum, toties subsellia, aut scamna conducenda erant, atque in forum adsportanda? Vix illud factum crediderim sub Romanis pultiphagis, rudi, atque horrido ævo: nedum

ubi cum amplitudine fortunæ, atque imperii nitore, populique immenso numero cuncta in augustiorem faciem verterunt. Potuit summum fieri, ut semel positis subselliis ab ærario pensio quædam exigeretur à litigantibus pro eorumdem stabilimento, aut conservatione, & custodia; quam pensionem jussit Nero remitti. Quod verò per singula judicia ponendæ, reponendæque forent sedes, extruendum, componendumque auditorium, id mihi molestiæ, ac difficultatis plenum opus videtur, & abhorrens ab eo politissimo, & florentissimo sæculi, ac populi more.

Omnis itaque vellitur dubitatio, si subsellia pro judiciis, vel sententiæ ferendæ actu, & officio interpretemur. Cæteroquin enim litigantes sedendi jure pellebantur. Vide l. 1. C. *de offic. Civ. jud.* sicuti & ipsi advocati, aut causidici. Plinius lib. 1. epist. XXIII. *In tribunatu abstinui causis agendis, quod deforme arbitrabar, cui loco cedere omnes oporteret, nunc omnibus sedentibus stare.* & lib. VI. ep. XXXIII. *Ingens utrinque advocatorum universa subsellia perstantium corona.* En subsellia judicum, circa quæ advocati perstabant. Ita legendum esse locum Plinii admonuit Cujacius *ad Novell.* LXXI. cap. 1. *ἢ συγκαθίσῃ τοῖς ἄρχουσιν ἐν τῷ δικάζειν, ἢ παρεστῶσι πάλιν οἷα δικαζόμενοι. Vel sedere cum magistratibus, dum judicant, vel rursus stare, uti litigantes.* Quod vero Cujacius inibi testem advocat Symmachum lib. 1. *Epist.* atque ex eodem Cujacio Gothofredus *ad d. l. C. ubi Senat. vel clariss.* non reperi equidem, & puto Sidonium potius debuisse laudare lib. 1. epist. VII. cujus illa sunt verba: *Ferreolus circumsistentibus latera collegis verecunde, ac leniter in imo subselliorum capite consedit, ita ut non minus legatum se, quam senatorem reminisceretur.* Erat Ferreolus accusator, alii autem circumsistebant accusationis, & legationis socii, eo sedente, quoniam Senator. Ac de advocato indem l. 6. in fin. C. *de postul. Cum ipse necessitatem elegerit standi, & contempserit jus sedendi.* Vetus namque mos, atque ex dignitate rei, ut qui loquuntur, aut sententiam dicunt, erecti, ac stantes faciant. Observat Brisson. *de form.* lib. VI. p. mihi CLXXXII. qui tamen sedilia monet, quicunque assensum præberent. Verùm antequam perorarent, aut causam dicerent, assignatis fortè insidebant subselliis, sive scamnis advocati; atque hoc temperamento doctissimi Savaronis non recuso dictum ad Sidonii Apollinaris lib. 1. epist. III. *Scamnis amicabilibus deputantur:* ubi scamna pro subselliis exponit, in quibus sederent advocati. Hi namque peculiari *amicorum* nomine gaudebant, unde, *scamna amicabilia.* Verùm, ut suspecta non nemini esse posset hæc *amicorum* appellatio, quà causidicos honestamus, cùm alioquin sanguinem fortunarum bibant, & patrimonia miserorum emungant: ita sui dissimilis videtur hic mihi Savaro, nec tam firmis, plenisque ut assolet, subnixus testimoniis. Quod enim profert l. *Divi fratres. D. de J. Patronat.* non de causidicis ibi agitur; sed de J. Consultis, quos in consilium adhibitos Imperator honoris caussa *amicos* appellare consuevit, ut dicemus. Quare *amicabilia scamna* libentiùs exponerem pro subselliis adsessorum, vel judicum, quos vocant pedaneos. Nec dissuadere videtur sensus, atque ordo epistolæ, si quis attentè percurrat. Gaudentius enim ille (de quo ibi) paulo ante contemptus ab obtrectatoribus, quem nec consessu dignabantur, nunc in sede, atque honore suscipitur: atque ita vices ille rependit, dum *scamnis amicabilibus* deputat contemptores; in inferiorem scil. locum ad obsequium, & ministerium hos detrudens, qui nuper dedignabantur se habere assessorem. Quod verò assessores, vel consiliarii *Amicorum* nomen passim meruerint, tam notum est, quàm quod notissimum. Ac ne pluribus te morer, lector, vide plenissime congesta à Salmasio *ad Spartian. Adrian.* cap. XVIII. ubi & Casaub. idemque Salm. *ad Pollionis* XXX. *tyran. in Macriano*; Bulenger. *de Imperatore Rom.* lib. II. cap. XXI. adi & Pignorium *de servis* p. mihi CCXII. & seqq. Huic cumulo inspergo locum Lampridii in *Severo* cap. XXIX. *Res bellicæ, & civiles (ut superius dictum est) per amicos tractabantur,* &c. Omnino igitur *sedere* Magistratuum, atque judicantium extitit. Vide quæ notat Helmenorst. *ad Minuc. Fel.* mihi p. IX. Pareus *Lex. Crit.* verbo *sedere*, Pollettus ab eo laudatus *Fori Romani* pag. XXXVI.

Equitum loca, aut quatuordecim gradus in theatro sæpè *subselliorum* nomine demonstrata, præsertim Martiali; cujus illa sunt lib. V. epigr. XXVIII.

Bis septena tibi non sunt subsellia tanti.

Et lib. II. XXIX.

Rufe vides illum subsellia prima terentem:

Et lib. V. VIII.

Quo subsellia certiora fiunt,
Et veros equites ordines recepit.

Ac ne longius faciam, adi ad hunc vatem plena, atque erudita accuratissimi Raderi commentaria, Dempster. *ad Rosin.* lib. V. cap. X. De pulvino autem equestri erit infra dicendi locus. Non parcam adscribere hæc subsellia, aut gradus in circo *foros* fuisse appellatos. Vide Panvin. I. V. *de lud. Circens.* Festus *sexto, fori significant circensia spectacula, ex quibus etiam minores forulos appellamus.* Sic Livius lib. X. *ubi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati.* Varro *de Ling. Lat.* lib. IV. *Circus maximus dictus, quod circum spectaculis ædificatus est.* Spectaculum vocant eam scenam, sedem, loculamentum, quod quisque sibi faciebat ad spectandum. Utitur & Tertullianus in lib. *de Spectaculis.* Non dissimilia, quæ nobis *stanzini.*

Sed loca ea in gradibus, ac foris spectaculorum, *subsellia* fuisse quandoque appellata eo putarim, non non quia lignea fuerint, ut olim sub Romanis vetustis; sed quoniam illic ponerentur subsellia. Vitruvius lib. V. cap. VI. *Gradus ubi subsellia componantur,* suo scil. ordine, ac metatione, prout balthei, præcinctiones, viæ, sedentiumque dignitas postulet. Subsellia, inquam, non cathedræ, aut sedes, quod multo operosius extitisset, & vix accommodatum spatio, & areæ gradus, si quis eas inferre in theatrum, & componere voluisset. At subsellium humilius, & angustius, ac minus impeditum, quod & perpetuo, vel ad longum tempus poterat lapideis gradibus affigi, plumbatione, statumine, ferreisque subscudibus. Aut si fortè repostile illic esset, levioris operæ id erat, quàm sellas toties inferre, ac referre. Hoc ajo, quoniam Bulengerus cap. XXXIV. de Circo illatas fuisse à spectatoribus sedes opinatur. Fortasse nonnulli delicatiores fecerint; in universum, aliter sentio. Neque alter Juvenalis locus ad hos gradus spectaculorum attinens, de gradu meæ sententiæ me dejicit sat. IX. vers. CXLIII.

—— —— —— —— & duo fortes
De grege Mœsorum, qui me cervice locata
Securum jubeant clamoso insistere circo.

Quæ carmina genium spirant poetæ, qui (quod acriter solet) Nemesim concutit adversus hominem otii excurandæ deditum, votaque concipientem tam desidis vitæ, suis ut pedibus nec itare in circum velit, nec sede ipsa moveri, dum spectat. Si ignavissimum ergo tenebrionem (qualem illic describit Satyricus) peculiaris hæc cogitatio, ac cura tenebat sollicitum; rectè consequitur non populi morem, aut vulgarem consuetudinem fuisse. Ac

per

per poeticam *αὔξησιν* licebat id quoque Juvenali aggerare. Non placet autem, quod plerique omnes doctiores hic volunt de lectica, non de sella esse intelligendum poetam. Quomodo enim lectica, si duo tantùm fortes Mœsorum requiruntur? Scimus lecticam delicatiorum præsertim, qualis iste, sex ut minùs humerorum fultura fuisse gestatam, nonnunquam octo, nedum sufficere duo possint. Præterea quid tam magis ineptum, atque importunum, quàm lecticam inferre, aut ægrè capiendam, aptandamque in iis spatiis, aut multorum impedimento futuram, ne spectent? At, inquis, loquimur de eo, quod erat in votis huic nebuloni Epicureo. Ergo, iterum respondeo, non is erat mos Romanæ gentis inferendi sellas. Sique ulterius locum poetæ expendere nos delectat, non lecticæ, non sellæ illic mentio; sed id optabat dives ille, ac socors, ut duo servi è Mœsia validi cervicem sibi locando, securum in circum succollocarent, ubi posset consistere. Nempe ut eorundem servorum collo, atque humeris portaretur, hoc exoptabat; qui quidem firmissimi tumultuantem populi turbam, tum in viis, tum in circo ipso submoverent, securumque tandem, atque incolumem ab incurrentium, ac prementium undecunque periculis in spectaculo sisterent. Quid vetat ita Juvenalem interpretari? Eò magis quia de votis hic agitur, quæ tam varia, ac multiplicia sunt, quàm hominum capita, ut nemo ignorat. Atqui non abhorret hæc voti conceptio ab ingenio hujus balatronis, cui anima pro sale data erat, ne quod interim computresceret. Haud aliter ille apud Sen. epist. XII. ubi ventrem dapibus infersisset ad mensam, satur tandem, ac lassis manibus servorum se adsportari jubebat, ac si morte occubuisset, carmenque illud senile ad Symphoniam cani *βεβίωκε βεβίωκε*. Ac sedibus tandem vix locum fuisse in spectaculis, quas secum importassent, satis probat, quod aliàs docuimus cap. XII. subsellia, non sellas fuisse paratas Senatoribus teste Suet. *August*. cap. XLIV. *Facto igitur decreto, ut quoties quid spectandum publicè ederetur, primus subselliorum ordo vacaret Senatoribus*, &c. Vide sup. cap. XII.

Caligula, quod tradit Dio lib. LIX. jussit, ut Senatoribus pulvilli substernerentur *ὅπως μὴ ἐπὶ γυμνῶν σανίδων καθίζωσι*, ne in nudis asseribus, aut subselliis sederent. Si Senatores in subselliis, multò minus alii in sedibus. Sique lege cautum de pulvillis, conjicere est non fuisse allatas à dominis sedes, aut à locariis (ii sunt, qui loca servabant, ac vendebant in theatris) quorum alterutri pulvillos etiam parassent non expectata Principis indulgentia, qui juberet, aut permitteret. Et quidem locus Suetonii disertè agit de spectaculo, ne quis mihi obtendat aliud in curia, aliud in circo, aut theatro factum, ubi præ longa mora, ac tædio commodior sessio erat quærenda. Sed his nos laqueis tandem expediamus: quorum restibilis copia in antiquitatibus eruendis, dum alter alteri continuò succrescit. Ad quæ omnia hactenus de subselliis, quanquam tralaticio, atque obiter dicta, mantissam animadversionis iterum adjungo, quæ plerique auctorum nodi evolvantur; si statuerimus subsellia, non tam pro ipso sedis genere, ac figuratione, quàm pro ordine, loco, apparatu sedendi esse nonnunquam indiscriminatim, ac *γενικῶς* exponenda.

CAP. XXIII.

Rhetorica sedilia. *In auditoriis* Subsellia, Anabathra, Orchestra: *horum locus*. Cathedra *docentium, aut legentium; item* Lectus, *aut* Scimpodium: Cathedræ *discipulorum*. *Bases excepti, qui recitaverint*. *Martialis locus, ac Lipsio explicatus. Recitantes sedebant, docentes stabant*. Cathedrarii [illegible], exhedra; hemicyclium, *& plusculu de eo. Cicero enodatus*. Sessio *pro loco*. [illegible]. *Disputationes in exedris; item epula. Exedra Pisani Lycei, in quo nunc perdurant acerrima professorum disputationes. Exedrarum descriptio*. Proexedra. *Exhedra meridiando*. Exedria. *Philosophi in exedris. Homerus, Pythagoras sedentes*. Exedræ *Christianorum*. *Peristylia aut porticus circa templa*.

A Judiciis, ac spectaculis in Scholas, & professiorum cœtus bajulemus subsellia, ac gerula arte progrediamur. Neque animus tamen nobis est calcatam toties semitam premere, sed innuere tantùm, digitosque ad illam intendere. In his igitur recitantium, aut docentium theatris libenter fatemur pensiles, ac portatiles fuisse positas sedes ad temporarios plerumque consessus, quod innumera docent loca scribentium.

Rhetorica sedilia vocat Sidonius lib. v. ep. x. *ad Sapaudum*; idem nunc *scamna*, nunc *subsellia* lib. IX. ep. XIV. *Auditoribus scamna componere*, & ibid. *crepitantis Athenas subsellia cuneata*. Omnino namque *subsellia* hunc cœtum audientium, ac totam auditorii caveam dixerunt, præsertim poetæ. Juvenalis sat. VII. vers. XLV.

Nemo dabit Regum, quanti subsellia constent.

& vers. LXXXVI.

—— —— cùm fregit subsellia versu.

Nobis *Panche*, quæ & scamna; Græcis *βάθρα*, & *σανίδες*. Diximus de subselliis præcedenti capite. Pluscula apud Cresol. legere est in absolutissimo libro *theatri Rhet*. lib. III. c. XIII apud Voss. *de institutione* c. VII. Adi & Lips. *ep. ad Belg*. cent. II. ep. XLVIII.

In his auditoriis, aut theatris sophisticis *subsellia* propriè fuere, quæ in medio locabantur, communi, & vulgari usui, sicuti *Anabathra*, quæ parieti infigebantur per gradus scansiles subeunda, nobis *Palchi*. *Orchestra* autem in fronte ante suggestum dicentis; clarissimo scil. loco, ubi cathedræ, aut sedes honestiorum dispositæ. Affabrè totam hanc scenam, atque apparatum depingit idem Juven. sat. VII. v. XLV.

Nemo dabit Regum, quanti subsellia constent,
Et quæ conductis pendent anabathra tigillis,
Quæque reportandis posita est orchestra cathedris.

Noto hic *Subsellia, Anabathra, Cathedras*: egregium hujus loci enarratorem ne pigeat consulere Lips. ea epistola. Cathedræ autem hic sunt, quas in fronte (uti dicebamus) flos populi, atque edecumata audientium cohors occupabat. At ipsius quoque Rhetoris, aut Sophistæ sedes eodem *cathedræ* nomine ante has ipsas proximè locata audientium digniores. Eaque tamen paululum eminentior, ut videri, exaudirique ab omnibus posset. Pers. sat. I. vers. XVII. *Sede leges celsa*. Vide Cres. d. cap. Gr. *θρόνος ὑψηλὸς*, *thronus excelsus*, ac sublimis. Qua sedis dignitate, quid distant Regnantibus professores? Egregius honor virorum, qui publicæ student eruditioni, tradendisque operantur disciplinis, ut illinc dictata auditoribus proferant, unde dictant imperia, jura diribent, belli, pacisque leges imponunt populorum Rectores. Plinius lib. VIII. epist. XXI. *positis ante lectos cathedris amicos collocavi*; loquitur de privata intra domum recitatione apud amicos. Nota morem lecti, intellige autem de lecto tricliniari, ubi ille fortè legebat; ibid. *& tempus, & locum opportunissimum elegi, utque jam nunc assuescerent, & ab otiosis, & in triclinio audiri*; &c. At de lectis, ubi scribentes, discentes, disserentes sederent: notat Casaubonus *ad Aug*. cap. LXXVIII. & nos infra cap. XXVI. *Scimpodium* itaque, & *σκίμπους*, item

θῶκος, & καθέδρα, ea sedes appellata recitantium, aut docentium; nobis *cathedra*, non tantùm pro suggestu, sed pro magisterio ipso, & professione publica literarum. In celeberrimo totius orbis Palladio tres cathedræ potissimùm memoratæ apud Atticos, Philosophiæ, Rhetoricæ, Politicæ. At quæ vocatur Politica, sive πολιτικὸς θρόνος, non tam respicit Civilis sapientiæ magistros, quàm Rhetoras, aut Sophistas, qui politiori dictionis charactere utebantur: de utroque enim exponi posse existimo. Qui eas cathedras obtinuissent, προεστῶτες dicti, veluti Præsidentes, aut Præfecti. Nec cuivis tamen effronti per ambitum, aut obreptionem vulgabantur, sed multo priùs examine, & experimento doctrinæ. Honorifica etiam accedebant stipendia, quibus præstantium virorum labos, & industria aleretur. Ut dicam in summa, cum summa pecuniæ, summo honori habebantur Cathedræ Athenis. Vide quæ tradidit Meursius *de Fortuna Athenar.* cap. VIII. Cresol. d. libro. Sed redeamus in viam. Horatius *Serm.* lib. I. X. discipularum cathedras vocat.

Discipularum inter jubeo plorare cathedras.

Alii malunt sequiori sexu *Discipularum*. Sidonius Apollinar. lib. VII. epist. IX. *qui aut literarum, aut altarium cathedras tenuere.* Cassiod. psal. I. *Cathedra propriè Doctoribus datur.* Hinc *Cathedra Moysis*, quam interpretantur docentis: ac non semel alibi cathedrarum mentio eo sensu. Quare D. Hilar. *in psal.* CXXXVIII. *Doctrina necessariò significatur in cathedris.* Auson. epigr. XLVI. in tabulam, ubi Rufi Rhetoris imago picta.

Hæc Rufi tabula est, nil verius. Ipse ubi Rufus?
In cathedra — — —

Vide eundem Ausonium in *Professoribus*. Hermas antiquissimus ille Theologus lib. II. cap. XI. *Ostendit mihi sedentes in subselliis homines, & unum sedentem in cathedra*, p. DCCCLXXIII. Barthio editore. Hic auditores signantur in *Subselliis*; in *Cathedra* doctor, aut recitator. Juvenalis ea satyr. VII.

Pœnitet multos vana, sterilisque cathedra.

Hanc ipsam sterilitatis notam impressit cathedris Hispanus vates lib. I. epigr. LXXVII.

— — — *circum pulpita nostra,*
Et steriles cathedras basia sola crepant.

Omne seculum tulit algentium magistrorum querimonias, quos læna pertusa, ac mensa arctior, locatæ infeliciter cathedris operæ, suæque pœnitentia professionis afflixit. Quod *Pulpita* Martiali, exponerem dicentium sedes. Ita enim quoque vocatæ; at verò *cathedra* eorum, qui dicentibus intervenirent. Vide Cresol. d. loco. Flaccus sup.

Discipularum inter jubeo plorare cathedras.

Basia quod attinet, mos allusus suavis excipiendi post recitationem Poetas, Sophistas, aliosque, qui prælegerunt. Adnotavit Vossius eo capite §. 5. ex Eunapio in Proæresio. Addo ego palmarem, atque illustrem locum Plinii epist. XVII. lib. V. *Recitatione finita multùm, ac diu exosculatus adolescentem, qui est acerrimus stimulus monendi, laudibus incitavi*, &c. quare basia Martialis non expono, quomodo sentit Lipsius d. epist. ac si nihil serium, aut quæstuosum; sed oscula, & amores, rerumque mollium tractatio versaretur in labris dicentium: sed potius hanc basiandi consuetudinem respicerem. Quo sensu steriles Cathedras meritò appellabant, si messis basia sunt, fructusque acclamatio tantùm, & plausus. Non invidebo tandem ejusdem Vossii adnotamentum de sedente, aut non sedente, dum publicè loquitur. Sedebant namque ii, qui recitabant, hoc est, qui de scripto pronunciabant; at Dicentes, sive memoriter alloquentes stare solebant. Recitat ille, qui jam scripta iterum citat, atque exponit; & quoniam intentos libello tenet oculos, fermè destituitur actione, motu, cæterisque pronunciationis blandimentis, ac lenociniis, quæ stantem adjuvare, & comitari solent. Convenit igitur recitanti magis sessio, & incubatio, & sedatus membrorum habitus. At Dicentibus, quos memoria non deficit, quoniam stabant, gestus quoque, atque incessus, omnibusque motibus animi consentaneus vigor corporis adjungebatur. Plinius lib. II. epist. XIX. *Unde accidit, ut hi, qui sedentes agunt*, &c. *Recitantium verò præcipua pronunciationis adjumenta oculi, manus præpediuntur.* Vide ibi plura: & lib. VI. ep. VI. *Dicenti mihi sollicitè assistit, assidet recitanti*, &c. De legis interpretibus, aut Magistris apud populum Judaicum, quod sedentes docuerint, auditoribus perpetuò stantibus, ritum protulit Samuel Petitus lib. III. *Observ.* cap. II. ac servatum fuisse scribit usque ad tempora Simonis filii Gamalielis. Deinceps itaque surgere in Synagogis legis doctores, aliique verba facturi. *Act. Apost.* XIII. XVI. *surgens autem Paulus*, &c. Idem Lucas de Christo Domino IV. XVI. Evang. *& surrexit legere.* Observat doctiss. Maldonatus *ad Matth.* XXIII. *super Cathedram Moysis*, &c. hodieque servari inter Judæos.

Ab his cathedris seu dicant, seu recitent, seu quoquo pacto doceant, *Cathedrarii* dicti, qui professoriam linguam exercent. Gloss. *Cathedrarii* διαλέκται. Seneca *de brevitate vitæ* cap. X. *Non ex his cathedrariis philosophis*, &c. hoc est, qui in umbris scholarum, & super cathedras sophisticas ementitam docent sapientiam, totos dies de virtute altercantes, quam verbis tantùm, ac voce profitentur μέχρι τοῦ λέγειν, ἄνευ τοῦ πράττειν, *verbo tenus*, ac *sine opere*, ut eos perstringit. Epictetus apud Gell. lib. XVII. cap. XIX. sive Pacuvii verbis apud eundem XIII. VIII. *ignava opera, philosopha sententia.* Sed & *Cathedrarii*, qui gestant cathedras, de quibus infra.

Ad sapientum consessus *Exedra* pertinet, locus instructus sedilibus, ubi disputationes, & colloquia feruntur. Describit Vitruvius lib. V. cap. XI. ac sæpe apud Ciceronem memoratur. In ipso statim aditu elegantissimi libri *de Amicitia*, quod illud *Hemicyclium* vocatur, non tam de sellæ genere ab ea forma dictæ, quàm de toto consessu in orbem, ac rotunditatem parato succurrebat interpretari. Huncce sellarum positum reperio in domo Cephali Atheniensis apud Platonem I. *de Rep.* ad colloquia sapientum virorum, quos inducit de re civili differentes philosophorum summus: ἐκαθεζόμεθα γὰρ ἐκεῖ ἐν κύκλῳ. *Erant enim illic disposita in orbem sedes.* Sunt verba Socratis; at ea Tullii de Q. Mutio: *Cum sæpè multa narraret, tum memini domi in hemicyclio sedentem (ut solebat) cùm & ego essem una, & pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere*, &c. Possunt hæc & ad consessum referri, sive exedram, domusque, aut ædificii partem, ubi disputationes habitæ. Ex hoc Tullii loco nonnulli colligunt, & quidem viri probè subacti in polyhistoria, *Hemicyclium* sedem fuisse Auguris, quoniam M. Scævola itidem erat Augur. Sed meminerint, velim, Q. Mutium in templo tunc non fuisse (nisi Tullii domum quoddam veluti templum quis dicat Deæ Suadæ) neque ibi avium Oscinum, aut Præpetum volatus, vel cantus observasse: sed cum amicis jucundis, ac beatis de amicitia disseruisse. Quæ igitur ratio (ex hoc inquam loco Ciceronis) de Hemicyclio, tanquam de sella Auguris statim decernere? Meo augurio parum ritè augurantur. Erravi, ac me reprehendo: bellè, ac merè divinant. Et quòd enim Tullius illic utitur verbo *solebat*, conjectura potius est hemicyclium non fuisse Mutio paratum, tanquam sellam auguralem, ac

A ac prorsus debitam huic honori; sed quoniam illic consuetudinis, aut commoditatis gratia solerct quiescere. Vt autem monui, exedra etiam esse potuit sedium positus, atque ordo semirotundus, ubi Cicero, atque alii familiares cum Mutio sedebant. Hos ipsos sapientum virorum consessus idem Cicero cum dulcedine memoriæ ob oculos sibi ponit *de fin.* v. *Hic Speusippus, hic Xenocrates, hic ejus auditor Polemo: cujus ipsa illa sessio fuit, quam videmus.* Quod autem vocat *sessionem*, pro exedra accipio, aut sede, vel loco sedendi: quomodo Latinis, ambulatio, cœnatio, gestatio, &c. pro loco ipso, non pro actu ambulandi, cœnandi, gestandi quandoque sumitur. Omnino autem exedra appellata tum Græcis, tum Latinis à frequentia, & paratu sedium. Exedræ alio nomine Græcis παστάδες. Pollux lib. VII. cap. XXVII. Παστάδας δὲ ὁ Ξενοφῶν, ἃς οἱ νῦν ἐξέδρας, &c. *Xenophon Pastadas, quas nunc exedras*, &c. Gualtherus vertit *Porticus*; sic Hesychio haud semel παστάς, στοά. Ita autem vocatam monet *Etymolog.* auctor διὰ τὸ ἐν αὐτῇ ἡμᾶς σιτεῖσθαι, παρὰ τὸ πάσασθαι. *quoniam ibi vescimur.* Est enim πάσασθαι Suidæ τὸ γεύομαι, *degusto.* Idemque Hesychius παστάς, στοά, παρὰ τὰς παστάδας νυμφῶν. *Porticus ad sponsarum nuptias, aut convivia.* Ferme autem in iis exedris paratæ epulæ ob loci commoditatem, ac spatium æstivo præsertim tempore. Ac fortè in eum usum olim ædificatæ, positaque ibi subsellia ad compotationes; quo spectare videntur verba Pollucis d. lib. VII. cap. XXVII. quasi olim forent; & appellarentur Xenophonti παστάδες ad convivia; hodie ad consessum, & disputationem exedræ vocentur. Atquoniam in porticibus, ac peristyliis, quò docentes, discentesque conveniebant, disputationes quoque inibant; ideò tam παστάδες, quàm ἐξέδραι exponuntur *Porticus.* Quo ritu hodie Pisis vocari potest spatium illud, ac subselliorum positus quadratâ formâ sub portico Academiæ, in quo sedent Professores ad gravissima suæ artis scita propugnanda, singuli adversus singulos. Laudabile institutum, quod in aliis Lyceis jamdiu desuetum, Pisis perdurat ad exercenda acriter docentium ingenia, quos vel una hæc periclitandæ doctrinæ cogitatio laboribus omnino devovet literariis, suæque professioni addictos, mancipatosque insudare cogit. Adstant disputationibus conferti auditorum cunei, perinde judicium de Magistris facientium, ac in lubrica illa arena vires successerint. Quanquam & hìc multum frontis durities, ac verborum volubilitas prodest: ac sicuti in cæteris humanæ vitæ partibus, pudor, ac modestia etsi cum doctrina conjuncta, infra est. Multos sanè inclytos alioquin viros à Pisanis Athenis id experimentum deterruit, ne fumantes ursi nares attingerent. Vitruvius lib. v. cap. XI. loquens de palæstris Græco ædificii genere: *Constituuntur autem in tribus porticibus exedræ spatiosæ habentes sedes, in quibus Philosophi, Rhetores, reliquique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possint.* De publicis exedris loquitur Vitruvius; quibus consimilia putant, quæ *Capitula* vocantur in peristyliis, aut claustris monachorum, uti adnotarunt, tum Philander, tum Bud. *in Pand. ad l. si verò* 5. *D. de iis, qui dejecer. vel effud.* §. 2. In his enim quoque Capitulis perpetuò visuntur parata subsellia, tum ad disputationes, tum ad consilia. Animadverto autem apud eundem Pollucem lib. x. cap. v. προεξέδρας, *Proexedras*, seu *Ante exedras*, quas pariter Gualtherus vertit *porticus*: congrueretque cum eo, quod dicebamus de capitulis, quæ contigua sunt peristyliis. *Proexedra* igitur erit porticus, quoniam est ante exedram. Sed neque incommodè προεξέδραν redderem ego Latinè *Vestibulum.* Idemque Vitruvius lib. VII. cap. IX. exedras interpretatur tanquam porticus; *Peristylis, aut exedris, aut cæteris ejusmodi locis, quò Sol, & Luna possit radios suos immittere.* Atque hæc exedrarum publica spatia, Græcorum propria fuisse idem monet, quoniam palæstrarum quædam membra fuere: *palæstras autem non Italicæ consuetudinis* idem vocat. Cicero v. *de finibus* apud Græcos agnoscit: *Hoc autem tempore, etsi multa in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis judicia summorum virorum: tamen illa moveor exedra*, &c. & de provinciis consularibus: *A suis Græcis subtilius eruditus, quibus cum in exedra jam helluatur.* Pisonem notat. Apud Romanos autem privatas potius crediderim fuisse has exedras; secretumque quoddam conclave lucubrando aptum, doctisque excipiendis amicis, quibus cum disputare, ac commentari consueverint: inibi quoque meridiabantur, ac somnum capiebant grabbatulo posito, quod loca Ciceronis ostendunt tum primo *de nat. Deor.* XV. tum III. *de Orat.* XVII. Privatam pariter exedram, & cubiculo junctam expono apud Vlp. d. l. 3. *In eum potius dare actionem, ex cujus cubiculo, vel exedra dejectum est, licèt plures in eodem cœnaculo habitent.* Neque tamen idem Tullius omnino removet hasce exedras à porticibus, quasi Græcanicum morem imitatus, ὑποκορισμικῶς appellat *Exedria* lib. VII. *familiar.* epist. XXIII. *Exedria quadam mihi nova instituta sunt in porticula Tusculani, ea volebam tabellis ornare*, &c.

Non miror si tam multæ sedentium statuæ compareant, quos pallio malè opertos, ac seminudos conjicimus esse philosophos in palæstris, aut exedris Græcorum disserentes: nec desunt illis crepidæ, nec barba promissior, nec in manibus pugillares. Fateor tamen earum nonnullas accipi posse de quibusvis aliis, qui in balneis sedeant, lavandi, ac tergendi gratia: convenit species injecti palliastri, corporisque malè amicti; & quod pugno stringitur, linteamen potius, ac sudariolum, quàm liber. Satis erit interim, si tria, aut quatuor proferam de multis, quæ Florentiæ asservantur ita sedentium exemplaribus.

Primum accepi à nobilissimo juvene Francisco Abbate Niccolinio, quem Gratiæ, ac Musæ certatim lactant, toto copiæ cornu fortuna beat. Veritati lito, non Philiæ, quæ mihi cum illo solidissima intercedit. Hic adverte segestrium humeris impositum, ac tænia revinctum, quâ collo hæret; quod ne clabatur, sinistrâ retinet sessor: nec desunt sudariola, ac lintea in utraque manu. Vide n. XLV. Secundum in viridario Marchionis Bartholomæi Corsinii; quasi illic excubet sedens philosophus ad tutelam veterum inscriptionum, quas supra laudavimus. Vide n. XLVI. & cap. XLII. inter multiplices sellas illic exhibitas. Aliam misit sub n. XLVIII. Abbas Octavius Falconerius, de quo spectatæ nobilitatis, atque eruditionis juvene, quicquid labor præstare, aut ingenium potest, totum juratus spondebo. Tam ille cernit acutum in his quoque dijudicandis antiquitatibus, ut vel suos vincat ἱέρακας, unde sibi gentile cognomen; nec falcatis illorum unguibus cedat in arripiendo feliciter quocumque disciplinæ genere.

Conjice huc, si libet, sedentem Homerum omnium Philosophorum parentem, qui quæ sint vera sapientiæ, ac virtutis præcepta,

Plenius, ac melius Chrysippo, & Crantore dicit.

Imagines profert Illustrissimus, ac Reverendiss. Leo Allatius in ipsa statim fronte libri de patria Homeri ex Cimeliarcheo Eminentiss. Card. Barberini.

Bbb bbb b Ne-

Neque aliter Pythagoram Veteres sæpius sedentem statuebant. Adde & iconem sellæ marmoreæ, quæ in Sancti Marci Romæ visitur reclinando corpori aptissimæ, & ad usum puto balnearem (vide n. XLVIII.) qualem germanam geminam cum suo sessore in ædibus Gaddiorum Florentiæ inspeximus, anaclinterio recurvo, & antrorsus sensim porrecto, ut sedentem veluti complectatur. *Exedra* apud Christianos peristylia, aut porticus extra ambitum templi, qualia, opinor, hodie, quæ dicimus Claustra, ubi monachorum mansiones; aut quæ nobis *Canonica*, ubi Clerici, atque ecclesiæ deservientes. Ruffinus *Hist. Eccles.* lib. II. cap. XXIII. *Exedra, & pastophoria, domusque in excelsum porrecta, in quibus vel adytus*, &c. Nescio an huc respiciat D. Hieronymus *ad Eustoch. Si quis cœperit ægrotare, transferatur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio confortetur*, &c. idemque de veteri templo *ad I. Paralip.* XXIII. *In vestibulo, & in exedris, & in loco purificationis, & in sanctuario.* Accipio exedras hîc pro peristyliis. Eusebius *Hist. Eccles.* lib. X. cap. IV. *ἐπὶ τὰ ἐκτὸς τοῦ νεὼ μετὰ ἐξέδρας, καὶ οἴκους*, &c. *ad ea quæ sunt extra templum devenit, exedras, & mansiones*, &c.

CAP. XXIV.

Arquata Sella. Sellula rusticana. Hemicyclium. Tripetiæ. Trespolo. *σκίμποδες. θρόνος. σκιμπόδιον. Pollux oscitanter versus.* Sellæ Tripodes. Tripoda. Tripedia. Sessibulum. Sediculum. Sedile. Quadratum. Artisellium *in fragmento Petronii Traguriano: tentata novi verbi elucidatio; judicium de fragmento.* Sedecula. Seliquastrum. Sella muliebris; *adoperta. δίφρος καθέδρα.* Lectica. Lecticarii: *etiam qui sellæ inserviebant.* Cathedra; *de sella muliebri.* Cathedrarii. Cathedralicii. Proseda. Alta sella *Juvenali asserta.* Sellariæ: Popinæ Sellariolæ. *Theodora Imperatrix lena Procopio. Lenarum, & circulatricum sella. Piscium venditoribus sedere vetitum Athenis. Sella* Gestatoriæ, Fertoriæ, Portatoriæ. *Cælius Aurelianus, sive Arrianus laudatus.* Procurata Sella. Gestatoriæ bracteatæ. Gestamen. Gestatorium. *Tacitus exactè animadversus præter Lipsii mentem.* Basterna. Lettiga.

QVONIAM satis hactenus quodam veluti recensu sedes adnotavimus, quæ aliquod in se habent honoris instar, quo nostrum hoc maximè spectat *πάρεργον*: nonnullas indicare alias nunc juvat, quæ mutuam jam dictis præstant, & accipiunt lucem, quæve scriptoribus magis memoratæ succurrunt. Indicabimus dumtaxat; non attentè, atque exactè scrutabimur. Quod *σὺν θεῷ* faciemus, cùm per aliud tempus, atque ocium impensè toti erimus *ἰδιῶται*.

A primo capiens elemento exordium nominis, prima sese pandit *Arquata Sella*, ob structuræ, figurationis, aut compagis speciem ita appellata, quoniam in arcum sinuetur. Sic *Arquatus* morbus, & *Arquati*, qui eo laborant; ab arcus, sive Iridis colore. Arnobius lib. II. de rustica loquens supellectile, *quid arquata si sellula, arcus, strigilis, pollubrum, siliquastrum, trulla*, &c. Inter viles omnino reponit, qualium etiamnum hodie quasdam apud nostros videre est, ligneas, & obsoletas avorum reliquias nullo, aut parvo cultu. Etsi curvatura illa, ac sinus satis commodè sessorem excipit, & complectitur: tribus innixas pedibus fermè observamus. Talis ne fuerit, an non, ignoro, quam pariter sellulam, & rusticanam, imò servilem vocat Sulpicius Sever. dial. II. cap. I. *Sedebat autem Martinus in sellula rusticana, ut est in usibus servulorum, quas nos rustici Galli tripetias*, &c. de Tripode mox. Arcuatæ sedis meminisse Tacitum lib. XV. *Ann.* scribit Pignor. lib. *de Servis* p. mihi XXXVIII. sed verè nulla apud Tacitum mentio sedis cum hoc nomine *Arquatæ*: id modò legitur eo lib. XV. cap. LVII. de Epichari liberta: *Vinclo fasciæ, quam pectore detraxerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricto, indidit cervicem, & corporis pondere connisa tenuem jam spiritum expressit.* Memorat arcum sellæ; sed non necessariò sella erat arcuata; fortè enim summa reclinatorii pars, qua capiti sedentis imminet, in arcum, sive apsidem curvabatur, ornatus, ac decoris causa, ut nonnullas Veterum observare est: atque huic arcui cùm fasciam alligasset Epicharis propenduli corporis gravitate spiritum interclusit. Cæterùm non ineptè possem *Arquatas* vocare sellas, quarum Anaclinterium, vel pluteus continuò assurgens tabulato in arcum sinuatur, ac desinit; ac plurimùm episcopales sedes ita deformantur. Sed quoniam Arquatas Arnobii, aut tripetias Sulpicii, rusticanas, ac serviles fuisse novimus: quid causæ est, cur reclinando dorso eminentem illis pluteum appingamus? In priscis tamen monumentis quasdam deprehendimus ita figuratas; sed molliori curvamine sensim flexas in arcus portionem, vario etiam ludentis fabri ingenio, signis, columellis, parastatis, triglyphis eleganter ornatas: quarum aliquot exempla superius exhibui cap. XIII. Arcuatam, ac simplicem magis, in qua sedet Citharistria ante convivas fidibus canens profero inferiùs cap. XXIX. ex Boissardo parte IV. *Antiq.* p. CXLV.

Hemicyclium, semirotundam sedem, quam Auguris propriam crediderunt ex loco Tullii initio libri *de Amicitia* supra examinatam habes; ac pensiculatiùs verba Oratoris exposuimus cap. XXIII. ordinem potius sellarum in arcum, aut hemicyclum dispositarum, quàm genus sedis peculiari ea forma existimantes. Reperimus tamen semirotundâ eâ formâ, & quidem sub tit. Pontificis maximi in Tiberio apud Nonn. ad numism. Goltz. tab. XI. n. III.

Proximè sequitur, non utroque sed uno amplius pede sella *Tripus*. Martinus Turonensis Episcopus, regula, ac decus Antistitum hac utebatur tripode sella modicus, & pauper, sed Cœlo dives; superbas horrebat luxu, ac divitiis. Sulpicius Severus, qui supra, dialogo II. *Sedebat autem Martinus in sellula rusticana, ut est in usibus servulorum, quas nos rustici Galli tripetias; vos Scholastici, aut certè tu, qui de Græcia venis, tripodas nuncupatis.* Alibi eandem sellam Martini dial. III. cap. XX. *sedile ligneum* vocat, inde materiam cognoscimus. Noto apud Gallos rusticum verbum illius ævi *Tripetias*. At Scholastici, aut literati præsertim *ἑλληνίζοντες* dixere *Tripodas*. Latinis *Petiolus* diminutivum pedis, *πόδιον*: ut & pars illa unde poma dependent, atque hærent, quam nos *Gambo*: à triplici igitur pede, *Tripetia*. Tripodem insidebat Pythia, ut numen conciperet, atque oraculum funderet, sive mensam, sive eidem appelles. Sed Tripus ille futurorum index ex auro, & operosè factus: de qua sede fatidica fari, ac dicere multa multi occuparunt. Redeamus ad viliorem usum, quo modo etiam hodie inter colonorum, & pauperum instrumenta adhibentur, nobis *Trespolo*. Isidorus lib. XX. cap. XI. *Tripodes, scabelli sunt habentes tres pedes.* Papias; *Tripodes, scamnelli sunt habentes tres pedes.* Polluci *σκίμποδες* lib. X. cap. XI. quæ sic explicat

ἀντ

ἄνω ὑπὸ πίλων τρίποδες, quæ sunt parvi tripodes. At Hesychio *θρανία δίφρεα, σκιμπόδια, humiles sellæ; scabella.* Uterque facit parva, atque humilia. Σκαλίθρα autem, non σκίμποδα appellari debere monet Leopard. lib. II. cap. VIII. *Emend.* quem vide. Eadem Polluci lib. XXVI. cap. VII. *θρανία πυελίσκια.* Iterumque lib. X. cap. XI. *θρανίον* ex Aristophanis *Pluto* nobis repetit. Sed non benè meo judicio interpres Pollucis ea verba Comici *ἀντὶ θρανίου, στάμνου κεφαλὴν κατεαγότος*, vertit, *Ante sedile urnæ caput confractæ*; debebat, *Pro sedili, urnæ caput*, &c. clamat vox *ἀντὶ*, & locus Comici ingrata Paupertatis dona referens, quæ miser homo ab ea accipit. Inquit autem, pro pulvino lapidem, pro pane malvam, pro maza raphanum, *ἀντὶ δὲ θρανίου στάμνου κεφαλὴν κατεαγότος*, *Pro scabello urnæ caput effractæ.* Festivè depingit nobis Aristophanes pauperrimi homuncionis vilissimam sedicula; fictilis nempe cadi detruncatum capitulum, ubi angustè, atque humiliter sedeat. Alia, quæ ad hoc *θρανίον* spectant vidè supra, ubi de suppedaneo. Omnino igitur Tripodem inter humiliorum instrumenta, & supellectilem facilè parabilem reponimus. Quare Sidonius lib. IV. epist. XXIV. Maximum describens impacto nuper sacerdotio continentem, ac frugi, deque vita lautiori, ac benè curata, ad severam, & moderatam traducto, *Coma brevis, barba prolixa, tripodes sellæ, Cilicum vela foribus appensa, lectus nihil habens plumæ, mensa nil purpuræ*, &c. Disce Sacerdotii candidate, & exemplum lucrifac quicumque ecclesiasticis honoribus intumescis. Ad eam epistolam doctiss. Savaro ex glossis Isidori Mss. *Tripoda, Tripedia, Scabellum habens tres pedes*: rectè emendans pro eo quod erat, *apud tres pedes.*

Accenseamus his affinia sedium genera, quas ab humilitate, ac minuta forma in universum vocarunt *Sessibulum* Plauti *Pænulo* Act. V. Sc. II. Varroni *Sediculum* memoratum lib. VII. *de Ling. Lat.* Paulus ex Festo, *sediculum, sedile.* Fermè enim *sedile* pro viliori genere. Sic D. Martini sellam tripodem Sulpicius dial. III. cap. XX. *Sedile ligneum* vocat. Nos proverbii loco *Far da sedile*, pro quavis postremissima obsequii, ac servitii demissione. *Sedile* autem propriè ea pars, quam sede premimus: quomodo in actis D. Marci vocatur, quæ Henric. Valesius profert ad *Eusebium Hist. Eccles.* lib. VII. cap. XIX. *In cujus cathedræ sedili*, &c. planitie scil. illa lignea, omni exuta fulcrorum, pedum, ornatu, aut instrumento. Hygino *quadratum* lib. II. de signis stellas enumeranti, quæ in Cassiopejæ asterismo notantur: *In quadrato* (inquit) *in quo sella deformatur, una*, &c. a figura nempe sedilis, quod fermè quadratum, aut *τετράγωνον.* *Tabulatum, Assamentum* vocarem, si lignea sit sedes, item *Mensam*, & *Pluteum*. Nil mirum igitur, si sedilis, aut sediculi nomen dedere arctis, ac minutis sedibus, nullove, aut exiguo ornatu. Hinc altum, illinc humilius sedile præscribit Celsus lib. VIII. cap. X. *Homo collocatur alto sedili, medicus autem humiliori adversus.* Etsi nomen *sedilis* universæ sedi, cæterisque etiam sedium liberaliorum generibus convenire potest.

Cicero IV. *ad Att.* IX. *Sedeculam* dixit (Græci *διφρίσκον*, Polluci lib. X. cap. XI.) *Maloque in illa tua sedecula* (inquit Tullius) *quam habes sub imagine Aristotelis sedere, quàm in istorum sella curuli.* In Traguriano Fragmento Petronii nuper edito inter alia legimus *artissellium de suo paravit, & duas trullas.* Loquitur de servo frugi, qui genium suum defraudans, de quotidiano demenso miser comparserat, pauperrimam sibi parans supellectilem, artisellium, & duas trullas. Inaudita vox artisellii, ut multæ aliæ in hoc scripto. Quòd si *Artisellium* rescribamus, promptum mox erit pro arcta sella, & angusta, atque humili, qualis servum non dedecebat, interpretari. Nisi aliud ulcus hic subest, & *ἀπὸ τοῦ ἄρτου*, à pane deducta sit vox; cùm enim jungat mox duas trullas, vasa scil. vinaria, id primum curæ esse debuit servo non improvido servandi panis, vinique instrumenta parare. *Artisellium* autem idem sit, ac *Panarium*, vel arca, aut repositorium panis: quasi *ἀπὸ τοῦ ἄρτου, καὶ συλᾶν, Artisylium, Artisellium*; quòd illic colligatur panis veluti furtivus, ac diariis detractus. *Artophorum* reperio apud Athenæum lib. IV. cap. I. genus instrumenti, aut repositorii, in quo panem gestabant, plexis viminibus, aut virgis, quas illic vocat *ἱμάντας*. Nobis esset *Gerla*; quam ita pariter dictam, sicuti Artophorum, à gerendo pane, quasi *Gerulam* puto. Quod autem ex Petronii *ἀποσπασμάτιῳ* verbi monstrum inauditi deprompserim, nolim mihi ut ullus apud severos criticæ rei phrontistas dicam impingat. Esto nasutiorum de hoc fragmento judicium, quod non pauci minantur: ego interim aio pleraque illic auctorem prodere, suumque referre genitorem Petronium. Talia ipsi lineamenta, tales ductus in satyrico reliquo. Sed multa quoque fateor dissimilia; quæ à mala fortasse exscriptoris, aut scioli, manu, ætatisque barbarie. Vocabula illic insolentia, & lexis monstrosæ: nec pauca Italicum, ac vulgarem nobis spirantia genium sermonis. Sed recordemur tamen, communes quasdam notiones, sensusque nulli non dedisse naturam, magnumque mundi codicem explicuisse, atque ingentem aperuisse officinam, ad quam omnes ingenio possint, atque oculis intendere; observatam illic, adnotatamque rerum dicendarum materiem colligere: Eoque pacto in morum, vitæque humanæ societate, ac similitudine abunde reperire, quod mentem instruat, mox linguæ officio in sermonis copiam, & apparatum effluat. At *sedeculas* quod spectat, ut eo revertamur, fœminis eæ in usu frequentiori: non modò ut verecundiùs quiescant, sed aptiùs quoque ad pensa domestica colo, acu, stamine exequenda. Talia fuisse Seliquastra, vel Siliquastra, aut Solliquastra (ut varie appellant.) Simile verò est muliebri potissimùm sessioni. Sic in *ἀγκλιντῆρι* sedentem locarunt Cassiopejam Astronomi: quæ ideò *Mulier seliquastri* ab Arabibus dicitur. De seliquastro autem plura diximus cap. X. At muliebris sellæ mentio apud Suetonium in *Othone* cap. VI. *Tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit.* Si abditus Otho, liquet fuisse adopertas hasce sellas, pudoris, & modestiæ causa: quales *δίφρους καταστέγους* vocant Græci; atque hodie nobis in usu promiscuo, seu veste, seu corio obducantur, fenestellis, plagulis, specularibus additis. Harum primus inventor, aut saltem adhibendi studiosus inter viros Claudius Imperator, si Dioni fides lib. LX. pag. DCLXV. *δίφρῳ καταστέγῳ πρῶτος Ῥωμαίων ἐχρήσατο*, *Sella operta primus Romanorum usus est*; ubi *δίφρον*, *Lecticam* non benè vertunt, quoniam diu ante lectica tecta Romanis in usu, nec primus adhibuit Claudius. Justa notavit censura doctum alioquin interpretem Justus Lipsius lib. I. *Elect.* cap. XIX. ubi exactè persequitur lecticæ, ac sellæ differentiam. Indicare non desino hanc sellam opertam Consulibus deinceps, & consularibus fuisse adhibitam, postquam Claudius primus usurpavit. Dio inibi: *καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ νῦν ἔτι οὐχ ὅτι οἱ αὐτοκράτορες, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς οἱ ὑπατευκότες διφροφορούμεθα.* *Inde & nunc non Imperatores, sed nos quoque, qui Consulatum gessimus sella (operta) vehimur.* Alioquin mollior habita ea sessio, vel supra muliebres delicias, ac tantùm non vitio versa eidem Claudio, nisi quatenus infirmitate corporis excusabatur, vide Dionem.

Hodie nobis frequentissima: ac sine adjuncto *Seggiola*, hoc est, sellula, aut sedecula, & *andare in seggiola*. Pergit Suetonius d. cap. VI. *Ac deficientibus lecticariis cùm descendisset*, &c. Vocat lecticarios etiam eos, qui sellæ subjuncti forent, communi nomine tam eorum, qui lecticam succollarent, quàm qui sellam veherent. Noluerunt *Sellarios* appellare, cujus vocis alia vis est. Vide Lipsium eo loco. Mentio lecticariorum l. 47. *de legatis* 3. & Paulo III. *sent.* VII. atque hi ferme servi. Pignorium adi erudito opere *de Servis* pag. mihi CXXX. & CCVIII. Lipsius ibid. sella circumlatas fœminas, & quidem à lecticariis docet Seneca *de Tranquill.* II, XIV. *Quid refert quantum habeat, quot lecticarios, quam oneratas aures, quàm laxam sellam.* Et arctiores enim, & laxiores sellæ pro divitiarum modo; sic paucioribus, sic pluribus opus, qui veherent. Quare *Hexaphoros*, gestatorium, quod *sexta cervice*, (ut vates loquitur) ferri solebat, tam de lectica, quàm de sella, aut cathedra usurpatur: aliàs duo gestores sellæ sufficiebant. Vide Lipsium ibid. de Ogulnia Juvenalis sat. VI.

Conducit comitem, sellam, cervical, amicas.

Alia duo Senecæ testimonia profert idem Criticorum maximus. Addo Lamprid. *Heliogab.* cap. XV. *Avia sua ad Senatum vocata, & ad sellam producta*, ubi Salmas. *Perducta* legit, *perducere ad sellam*, pro sella perducere. Sic nos *condurre a cavallo: andare, e condurre a piedi*; ad equum, ad pedes, pro equo, vel pedibus, &c. At nomen Cathedræ, etsi commune ad omne sedium genus, speciatim ad muliebres sellas traducitur, quo respectu Juvenalis câ satyrâ, *molles* appellavit cathedras Martialis *Epigr.* lib. III, ep. LXIII.

Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet.

Phædrus V.

In cathedra matris.

De Aria invicti animi fœmina Plin. lib. III. ep. XVI. *Dum hæc dixit, exsiluit cathedram, adversoque parieti caput ingenti impetu impegit.* Propertius lib. IV. eleg. V.

Supplex ille sedet, posita tu scribe cathedra.
Quidlibet, has artes si pavet ille, tenes.

Ad quem locum fusa, ut solet, illustratione Passeratius: ex quo proficit Pignor. *de Servis* pag. mihi CCX. quod verò uterque apud Horatium lib. I. satyr. ult. probat.

Discipulorum inter jubeo plorare cathedras.

Non tam mihi certum est, quin placuerit pro sequiori sexu virilem reponere, legendo *Inter discipulorum*, &c. Servi, vel pueri, qui has cathedras gerebant, ab officio *Cathedrarii*: sed & *Lecticarii*, ut diximus. Alii sunt ab his Cathedrariis ii, quos Martialis lib. X. ep. XIII. vocat *Cathedralicios*:

Cùm Cathedralicios portet tibi rheda ministros.

Delicatos scil. ac teneros, quasi femellas, non viros. Vide illic Rader. & Turneb. *Adversar.* lib. XXX. cap. XIX. nisi malis, quoniam in cathedra sedentes intra rhedam posita vehebantur. Arrideret & Cathedralicios exponere, quoniam assidui, atque officiosi circa mulierum cathedras præsto forent, neque ab earum cathedra, aut lectica recederent, quales vocamus *Paggi di Valigia*, qui fermè molli, ac delicato cultu. Sed quando fœminarum est libenter prodire, ac per urbem circumferri, ut ambitiosè spectentur: quæ ambulatrices proinde, ac secutuleiæ nonnunquam audire solent; non miror in sellis à fœminis parum custoditæ pudicitiæ venereos fuisse expectatos adventores. Jamdiu ad Plautum adnotarunt viri docti: locus est in *Pœnulo* Act. I. Sc. II. ubi Adelphasium meretrix cætera suæ artis viliora capita *Prosedas* vocat à prosedendo, quoniam ante lupanaria, & fornices sedeant, veluti specimine apposito, quo licitatores invitent. Paul. ex Festo, *Prosedas, Meretrices Plautus appellat, quod ante stabula sedeant*, ea sunt autem Plauti verba:

Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias
Miseras, cæno delibutas, servulicolas sordidas,
Quæ tibi olant stabulum, statumque, sellam, &
sessibulum merum.

Fest. *Sicut ea, quæ ante stabula sedebant, dicebantur prostibula*, in verbo *Alicariæ*. Baruch cap. VI. vers. XLII. *Mulieres autem in viis sedentes*, &c. Vide Roam VI. VI *sing. locor.* LL. p. II. notatque ex Herodoto, ac Strabone. Horsum trahunt & alii Hieremiæ cap. II. *Ubi non fuisti vitiata? Juxta vias sedisti illis*: Tertull. de cultu fœminarum. *Thamar illa, quia se expinxerat, idcirco justæ suspicionis visa est quæstum sedere.* Adde quæ notat Cerda *advers. sacr.* cap. CLXXXI. de mulieribus menstruatis *ad Isaiæ* cap. LXIV. ex LXX. Interpp. Juven. sat. III. vers. CXXXV.

Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres;
Et dubitas altâ Chionem deducere sellâ?

Interpretari licet de sella, qua meretrix illa, cui nomen Chione, altè vehebatur per urbem. Sed magis placet sellam dicere, ubi amasios maneret. Vocat fortè an *Altam*, ut lupam demonstret non tam curti assis, aut vulgaris indicaturæ: ita exponerem, nec abhorret sensus, & junctura sermonis. Vetus Scholiast. ibi: *Deducere sella, inde sellaria.* Intelligit (puto) nomine *Sellaria*, vel lupanaria, vel meretrices ipsas. Altum sedile fœminæ alioquin frugi; & antiquæ paupertatis tribuit Naso fragm. medicam. faciei:

Cum matrona premens altum rubicunda sedile
Assiduo durum pollice nebat opus.

Ubi *altum sedile* exponere licet, quasi submotum, & inaccessum veteri illa pudicitiæ custodia. Quo sensu nihil minus convenit cum Juvenali. Vel *altum*, hoc est, inconcinne, & incommodè factum, iis moribus, & seculi imperitia, humiliores quippe sellæ, opportunæ magis, & commodæ ad quiescendum. Sunt qui pro *Sella* substituant *Cella*; quod Farnabio non displicuit, nec Pignorio *de Servis* p. mihi CXXXVII. qui fatetur se nescire, quæ hic sit Alta sella, Cellamque non invitus reponit; ut *Alta* nempe *Cella* sit fornix. Sed cur alta vocetur sella, superiùs dixi; cur ita sit vocanda cella, non illicò sum dicturus. Vox enim ipsa Cellæ locum signat angustum, & humilem, quod notissimum, & protritum est. Idem Juvenalis eas libidinis mansiunculas vocat *Tegetes*, opponitque cubili Palatino sat. VI. vers. CXVII.

Ausa Palatino tegetem præferre cubili.

Quis nescit tenebricosa, olentia, ac subterranea plerumque fuisse ea gurgustia obscœnitatum, & latitando facta? Adeò vel auctores flagitium ipsi suum occultare cupiunt. Seneca pater *Controvers.* lib. I. *Fornicis fuliginem* appellat, ac filius *de Vita Beata* cap. VII. voluptatem describit *latitantem sæpius, ac tenebras captantem circa balnea, ac sudatoria, ac loca ædilem metuentia*: inter quæ omnino fornices, & luparum stabula. Quid est ergo, cur altitudinem iis cellis, & cothurnum apponamus? Quòd si liceret veteri, & jam confessæ lectioni manum inferre, fortasse ex ingenio quis pro *Alta*, reposuerit *Arcta*:

Et dubitas arcta Chionem deducere sella.

Et arctæ namque, & laxiores sellæ muliebres, quod supra docuimus: illæ magis decent scortilla sordentia, & famelica, miseraque libidinis publicæ mancipia.

Sed

Sed & arcta cella, nil disconvenit, potius quàm alta. Ad hunc autem sedendi morem respicere potuit Seneca lib. I. *de Benefic.* cap. IX. *Rusticus, & inhumanus, & mali moris est, si quis conjugem in sella prostare vetuit, & admissis inspectoribus vehi undique perspicuam.* Alia vide apud Woverium *ad Petron.* & Colerum *Parerg.* cap. VIII. quos laudat Taubmann. ad eum Plauti locum. Neque tandem alienum penitus est, quod Tiberius Princeps *sellariam* excogitaverit, atque ita vocaverit in secessu Caprearum, *sedem arcanarum libidinum.* Sueton. cap. XLIII. Tales, opinor, quæ Plinio memorantur in domo aurea Neronis lib. XXXIV. cap. VIII. *Violentia Neronis in Urbem convectis; & in sellariis domus aureæ dispositis.* Scholiastes Juvenalis sup. satyr. III. CXXXV. *Deducere sella, inde sellaria;* hoc est, lupanaria, & loca sellis meretricum consita. Popinas sellariolas vocat Martialis lib. V. epigr. LXXI. de Syrisco:

In sellariolis vagus popinis.

Notavit Torrent. *ad eum Suetonii locum Tiberii* cap. XLIII.

Turpitudine non absolvo sessionem meretriciæ affinem, qua saltatriculæ, aut circulatrices fœminæ oculis sese vulgant altiùs in foro sedentes. De Theodora Justiniani scribit Procopius ἀνεκδ. quòd lenoniam fecerit sororii dedecoris ministra, ac pedisequa: Comitonam nempe sororem in triviis, ac pulpitis ætatis florem corrumpentem quacunque sequebatur, suis ipsa humeris sellam, sive scabellum ferens, ubi eadem Comite sederet? βάθρον ἐπὶ τῶν ὤμων ἀεὶ ἔφερεν, ἐφ' ὅπερ εἰώθει ἐν ταῖς ξυλλόγοις καθῆσθαι. *Scamnum humeris semper ferebat, in quo illa* (Comito) *in congressibus sedere consueverat.* Verba sunt Procopii tota illic probrorum plaustra evomentis in Theodoram Imperatricem pag. XLI. Βάθρον vocat eam sedem historicus, quam Nicol. Alemannus in *Notis* pag. XXXI. *subsellium* vertit, atque inter ὀκλαδίας reponit, sedium genus plicatilium, de quibus nos infra cap. XXVI. Quem morem circumferendi eas sellas paulò post tempora Procopii cur desiisse dicat, non video. Cùm adhuc hodie in comitatu Principum, ac divitum ex sellulæ plicatiles circumferantur; fermè tripodes, nunc laxari, nunc contrahi faciles.

Viri quoque in foro, aut alibi publicè mercimonia vendentes, non tantùm fœminæ, quæ pudorem, ac pudicitiam, sellarum usi præsidio. Hinc novi fœderis paginâ apud D. Matth. cap XXI. Christus Dominus, *Cathedras vendentium columbas evertit.* Scio hæc verba ad mysticum sensum trahi ab antiquis patribus Hieronymo, & Ambrosio: neque tamen diffitendum est suas fuisse sedeculas, aut cathedras in foro vendentibus; necessarium proinde minus est de Cathedris Doctorum in templo docentium interpretari, quas columbarum venditores occupârint. Vide Doctiss. Maldonatum. Fermè enim sellularii esse solent viliorum artium professores; multò autem magis sordentes propolæ, ac Dardanarii assidua mora opperientes licitatorem; quòd si standum jugiter illis foret, tædio, & lassitudine marcerent. Atque hoc in causâ, cur Athenis vetitum, ne piscium venditores sederent: ut eo pacto citiùs empturientes dimitterent, ac piscis tum foret recentior; *& mare saperet*, tum pretia minus intenderentur à piscariis, quos ea standi mora edomaret. Veteri lege Aristonici id sancitum, quam refert Alexis Comicus apud Athen. lib. VI cap. II.

——— μὴ πωλεῖν ἔτι καθημένους
Τοὺς ἰχθυοπώλας διὰ τέλους ἑστηκότας.
——— *Ne venderent sedentes*
Piscarii, perpetuò autem stantes.

Adi Lud. Nonn. *de re cib.* lib. III. cap. VI.

At communes fœminis, virisque cathedræ, quibus gestarentur, nisi quatenus muliebres occlusæ magis: puto etiam, ornatæ. Vide Lipsium d. lib. I. cap. XIX. *Elect.* ac supra innuimus. A gestando, ac ferendo *Gestatoriæ* sellæ, *Fertoria* dicebantur, & *Portatoriæ*, ac neutro genere *Fertoria*. Suet. *Ner.* cap. XXVI. *Interdiu quoque clam gestatoria sella delatus in theatrum*, &c. liquet fuisse opertam, ac veluti muliebrem, si clam deferebatur; quomodo de Othone cap. VI. *Quod abditus properè muliebri sella in castra contendit:* & *Vitell.* XVI. *Continuò igitur abstrusus sella gestatoria*, &c. Cælius Aurelianus haud semel meminit inter veteres medicos apprimè doctus, elegans, eruditus: omnino dignissimus, quem artis Asclepiadicæ terant alumni, nemo literarum amans ignoret. Loca tibi indicabo, & fideliùs, & pleniùs, quàm alii attulerint, sive Pignor. lib. *de Servis*, sive Barth. *Adversar.* Igitur *tardar. passion.* lib. I. cap. I. scripsit Cælius (si tamen is est auctor, & non J. Cælius Arrianus) *Antè cibum præterea erit adhibenda gestatio, portatoria scil. sella sine vehementi motu:* & ib. *adhibenda igitur vectatio pro viribus ægrotantis Fertorio, vel sella procurata.* Idem videtur esse *Fertorium*, ac sella fertoria, ut inferiùs vocat cap. V. sed quomodo distinguit à sella procurata? Ego nomen generis puto *Fertorium*, ut φορεῖον Græcis, pro quocunque gestatorio ægris commodo, ac præcipuè lecticula, in qua ad medicum olim ipsi ægrotantes portabantur. *Procurata sella* Barthio *Adverss.* lib. XLI. cap. XXV. est ad id commodè instructa, & necessariis omnibus curata, *Facta à pastis.* Quod ut non abnuerim, ita nil prohibeor *Procuratam* exponere, Promptam, provisam, curatam. Sic nos, *Procurata*, *Provista*, &c. Non pauca sunt in eo auctore, quæ nostris respondent: nec ignobile illinc glossarium excerpere liceat, tum ad Latiaris, tum ad Italici sermonis lucem. Idem Cælius cap. V. *Adhibenda gestatio, primò ex lectulo pendenti, tum etiam fertoria sella;* iterumque: *Primò gestatoria sella, tum vehiculo manibus acto.* & lib. II. cap. I. *Tum gestatione corpus movemus pro virium modo fertoria sella, sive cathedra, tum longiore vehiculo manibus acto.* Fertoriam sellam à cathedra sejungit; quasi fertoria sit communis, & vulgaris, cathedra honestior, atque instructior. Vides quot modis hasce sellas describat, ac nominet, & in usum ægrotorum producat. Celsus lib. II. cap. XV. quod est de Gestatione *scamnum* vocat, non sellam, in quo ægrotus gestetur. Alii veteres medici lecticas potius, quàm sellas advocant gestationis causa. Sed illæ omnino commodiores, quando in iis promptum est aut sedere, aut decumbere, ut libuerit. Notat ex Anthyllo, & Aetio doctiss. Mercurialis *gymnast.* lib. VI. cap. XI ubi de gestatione. Vide hunc & III. XI. Sed gestatoriæ mentio & II. *Macab.* III. de Heliodoro: *Eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum ejecerunt.* Sidonius lib. VIII. ep. VIII. *Eboratas curuleis, & gestatorias bracteatas.* Apparet gestatorias hasce sub auro, aut argento fuisse, bracteisque inductas ad usum beatiorum; ponit namque inter potentum, ac nobilium sedes: ac peculiaris planè dos, ebur in Curulibus, aurum in gestatoriis. Non displicet tamen, quod Sirmondo hic visum, non bracteatas legere, sed trabeatas; illustri scil. contectas, atque instratas operimento. Respuit toto fastidio τὸ *Trabeatas* eruditiss. Savaro. Ammianus lib. XXIX. *Indefensi ad supplicium sellis gestatoriis ducebantur.* Ex quo loco observat Pignor. *de Serv.* p. CXXXVI. reos tormentis afflictos raptari ad supplicium in iis sellis. Addo Tacit. *Ann.* lib. XV. cap. LVII. de liberta ad cruciatus retracta: *Gestamine sellæ (nam dissolutis membris insistere nequibat) vin-*

cto fascia, &c. Pro sede Apostolica, aut Pontificia posuit Ennodius, quem laudat Savaro, *nunc ad gestatoriam sellam Apostolicæ confessionis, vel admittant luminæ candidatos.* Fortè, quoniam eâ ipsâ gestabatur Pontifex, & mox conquiescens admittebat candidatos. Tacit. lib. XI. *Ann.* cap. XXXIII. *In eodem gestamine sedem poscit, sumitque.* Ubi summus enarrator Lipsius *Gestamen* exponit sellam gestatoriam. Non video qui assentiar statim inclyto viro: Gestamen namque, tum de sella, tum de lectica (Græcis apte φορεῖον), tum de vehiculo exponas. Sed quoniam sella gestatoria à Claudio in usum deducta primùm fuit; eamce ipsam fuisse credidit Lipsius, in qua Narcissus libertus (de quo ib. Tacit.) unà cum Principe B Claudio sederet. Atqui disertè alibi idem Historicus demonstrare solet quale fuerit id gestamen, ut lib. XIV. cap. IV. *Agrippinam*, &c. *gestamine sella Baulos pervectam*, & lib. XV. cap. LVII. sup. *ad eosdem cruciatus retraheretur, gestamine sellæ*, &c. & lib. II. cap. II. de Vonone, *quoties per urbes incederet lectica gestamine*, &c. En ut distinguit, nunc lecticæ, nunc sellæ gestamen. At lib. XI. infinitè loquitur, atque in incerto relinquit, contentus dicere, *In eodem gestamine*; seu vehiculum, seu sella fuerit; non enim lectica, quoniam illic jacebatur, Narcissus autem in eodem gestamine *sedem poscit, sumitque*, quomodo Tacitus narrat. Est igitur gestamen non unius C significatus, quemadmodum gestatorium Vet. gloss. MS. *Gestatorium, instrumentum quo quis portatur.* Advertit quoque Lipsius in uno gestamine plures fuisse sellas: quod idem est ejus verbis, ac in una sella gestatoria plures alias fuisse sellas, quoniam Claudius, ac Narcissus simul sederunt eodem gestamine. Imò namque (nisi absurdè concipio mentem Taciti) etiam quatuor in eodem gestamine considere potuerunt: Claudius, & Narcissus, ut diximus; itemque L. Vitellius, & P. Largus comites ejusdem Claudii, à quibus (*nedum in urbem vehitur ad pænitentiam a L. Vitellio P. Largo Cæcina mutaretur*; inquit Tacitus) D ideò Narcissus cavet, in eodem gestamine sedem poscens cum Claudio; ut alloquia, & monitiones eorum præsentiâ suâ interciperet; tanquam si ipsi quoque simul ita veherentur, ut sermones conferre mutuos, ac de re summæ auctoritatis etiam in aures consulere commodè possent. Sed nihil certi constituo. Quòd si Lipsiana placet interpretatio, gestamen illud consimile erat nostris sedibus, quas vocamus *Lettighe*: nisi latiores crediderimus, ubi duo assiderent eodem latere. Cæterùm lecticæ nostræ (quas veriùs *Basternas* appellare debemus) tunc opinor nondum cognitæ, cùm scripsit ea Tacitus de Claudio. Saltem non quomodo nos hodie subvinctis E mulis, aut equis; servi enim succollabant, ac sella tum vocitata, quæ vel sex gerulis tolleretur. Vide eundem Lipsium I. *Elect.* XIX. Adscriberem itaque gestatoriis sellis nostrates basternas, quas tamen haud habuit incognitas vetus auctor epigrammatis in collectione Pithoeana eleganter describens. Vide Pignorium *de serv.* p. CCIX. qui affert, atque explicat, Salmasium *ad Lampridii Heliogab.* cap. XXI. Neque alio nomine, quàm sellæ has ipsas basternas (nisi fallor) judicavit Tertull. lib. II. ad uxor. *Unde nisi a diabolo maritum petant bonum exhibenda sella, & mulabus.* Jungit igitur, ac subjungit mulas sellæ, ut basternam instruat.

F Num tandem gestaminis nomine apud Tacitum, Rheda, aut vehiculum duci possit, sustineo decernere: commoda alioquin, vel quatuor foret sessio, quæ incommodissima, si duo tantùm considerent humeris gerulorum vecti. Insolens, inquis, & audax, si in eandem Principis sedem assessorem sese intrusit libertus. Sed insolentissima gratia valebat A Narcissus apud Claudium, quod notissimum est ex historiis. Ductabatur namque veluti bubalus naso, tum Narcissi, tum Pallantis arbitrio stupidus Princeps. Addatur occasio ejus facti. Trepidabat tunc Claudius de amittendo tum imperio, tum vita sollicitus: non aliam spem incolumitatis affirmat Cæsari libertus, *quam si jus militum uno illo die in aliquem libertorum transferret*: *se, seque offert suscepturum* (verba Taciti). Rem suam agebat igitur Narcissus, utque in ea spe, atque officio teneret Claudium, in eandem sellam se condidit, præsertim in ea trepidatione, ac discrimine, cùm licent, quæ non licent. Eo pacto tepidi jecoris, & stupendæ ἀβελτηρίας Prin- B cipem callidus libertus assidua hortatione lactabat, ne propositis absccederet. Ac proinde, *ne dumnon urbem vehitur* (Claudius) *ad pænitentiam a L. Vitellio, P. Largo Cæcina mutaretur*; *in eodem gestamine* (Narcissus) *sedem poscit, sumitque.* Cæterùm gestatoriam sellam uni tantùm vehendo aptam alioquin crederem, quomodo utimur hodie: si plurium olim capax, miror tam siluisse scriptores. Quòd si nostras hasce conjecturas, aut observationes, quas trepidi, & Claudio similes attulimus, quisquam non probet; nec super adsidente Narcisso assessor nobis esse velit, sine fraude illi esto. Utque faciliùs eluere liceat, si quid in hoc capite minus purgatè scripsimus, cùm C his gestatoriis ad balneum jam properemus.

CAP. XXV.

Sella balnearis. Sellæ pertusæ: *earum usus.* Alveus. Solium *balneare.* Descensiones. Cella solaris. Sonlii sigma. Aquæ coctiles. Concava sedes. Sella tonsoria: *ejusque figuratio expensa.* Ancones. Bracciovoli. *Sella* puerpera, *vel* obstetricaria. Δίφρος λοχαῖος. *Suidas, & Artemidorus examinati. Ejus forma. Sella* νυμφικὴ: *qua sponsæ vehebantur.*

IVLIVS Paulus lib. III. *Sent.* cap. VII. *Mundo* D *muliebri legata ea cedunt*, &c. *item sella balnearis*, &c. eodem tit. inter instrumenta balneatoria ponit *scamna, & hypopodia*: vulgò legitur *Hypodia*, & Cujacius retinuit: sed malo hypopodia; ita convenit ex vocis structura. ὑποπόδια, *hypopodia* sunt suppedanea, quæ cum scamnis meritò conjungit J. C. ac nos infra docebimus cap. XXVIII. Hinc mentio tot sellarum in balneis publicis, sive thermis. *Mille sexcentas è marmore ad usum lavantium paratas* tradit Olympiodorus in *Excerpt.* de thermis Antonini loquens: *εἰς χρείαν λουομένων καθέδρας παρεσκευασμένας χιλίας ἑξακοσίας ἐκ μαρμάρου.* Sedentium figuræ, quos non tam in balneis lavare, quàm in gymnasiis, E atque exedris disputare credebamus, exhibentur cap. XXIII. Atqui de privato balneo Sidon. lib. II. ep. II. *Tot possis recipere sellas*, &c. Inter has quædam *pertusa*, qualea vocat Cato *de R. R.* cap. CLVI. Cassiodorus lib. II. *Variar.* XXXIX. aperturam describens, *In absidis speciem perforatur.* Formam sellæ, sup. tradidimus cap. XX. ubi de Pontificia. Nonnihil huc pertinens isthic vide. Ea autem apertura, aut cavitas in duplicem usum; sive ut aqua sedenti infusa perfugium, habeat paratius unde effluat: sive ut illinc ascendens vapor haurientem foveat sessorem. Notavi locum sup. in Catone, qui de fervefacto lotio agit sub pertusam sellam locando, ut in- F de evaporatio concipiatur. Cassiodorus d. epist. XXXIX. Aponi fontis amœnissimam exequens descriptionem: *Juxta caput fontis sinuosum quendam sibi meatum provida natura formavit. Hinc desuper sella composita, quæ humanis necessitatibus in absidis speciem perforatur ægros suscepit interno humore defluentes: ubi dum fessi nimio languore consederint, vaporis illius delectati.*

lectatione recreati, &c. Hæc sella neotericis medicorum filius *Vaporarium* appellari scribit Cl. Jo. Rhodius *ad Scribon. Larg.* cap. CXCIII.

Accipe sedis balnearis aliam speciem, nisi mavis reclinatorium, aut fulcrum appellare, ubi quidam aut innixus, aut sedens strigilem patitur mediastini sordes destringentis, cutemque scabentis quàm velentissimè. Ea est apud Boissard. p. 11. ubi de thermis ex marmore Julii Roscii cum Inscriptione *Genio lavacrorum Metelli*. Vide n. XLIX. Observare est hîc substratam vestem, quâ corpus detergatur; aut ne incumbens elabatur scabro, ut apparet, ac rudi imposito stragulo; aut potius quo strigmenta eò recipiantur ad sedis munditiem. Inter balneares sedes repono quoque *solium*, quod dixere aut *Alveum*. Festus in solio, sive sollo: *Alvei quoque lavandi gratia instituti, quò singuli descendunt, Solla dicuntur, quæ à sedendo potius dicta videntur, quàm à sollo;* quæ magni Grammatici verba non puto sanissima: mederer, *In quos singuli descendunt*. Sic Plinio lib. XX. cap. XVII. vocatur *Descensio*, ubi de heraclio herba: *Ad scabiem, pruriginem psoras in descensione balnearum*. Nepos illius elegantissima epistola ad Apollinarem in descriptione villæ Tusculanæ, ubi de cella caldaria, *prominent enim in hac tres descensiones*, &c. lib. V. ep. VI. Scaliger in ea Festi voce, *Soliar* mavult, quèm solium. In thermis *Cellam soliarem* dixit Spartian. in *Caracalla* cap. IX. Solium id balneare plures capiebat, ut sua ætate Arvernorum antistes describit Sidonius, qui formam illi semirotundam, capacemque tribuit in ea elegantissima epist. II. libri secundi, *Excepto Solii capacis hemicyclio*; iterumque appellat *Sigma*, figurâ nempè stibadii tricliniaris, quòd tunc in usu ad discumbentium plures recipiendos. *Tot possit recipere sellas, quot solet sigma personas*. Est sigma arcus, aut semicirculus, Græci elementi figura imitatione. Vide Savar. ad hunc locum; Lipsf. *Antiq. lect.* III. I. Salmasf. *ad Lamprid. Heliogab.* cap. XIX. Hoc autem solium, aut sigma collocat Sidonius in cella caldaria, sive ut ille vocat *Aquarum coctilium*. At in cella frigidaria, non solium, sed cellas vocat; totidemque in hac statui jubet, quot personas recipiebat in caldaria hemicyclium; quasi equidem apparatus, aut commoditas major requireretur, ubi frigida lavarent, distinctis cuique sedibus, quàm ubi mistim in solio caldariæ foverentur. Propriè namque solium in caldaria, aut tepidaria cella. Vide Lucianum in *Hippia*. Ejusdem formæ intuitu concavam sedem aliàs dixit Sidonius, quod idem est ac Hemicyclium, aut sigma, lib. II. ep. II. *In concava Municipii Camerini sede compressus*. At frigidaria Græcis κολυμβήθρα à natando, Latinis *Piscina*. Lamprid. in *Severo*, *ut caldaria, vel nunquam, vel rarò, piscina semper uteretur*. Addo Vopiscum in *Carino* cap. XVII. *eaque in piscina usus esset*. Salmasf. ibid. Dubius hæreo, num pro solio ad lotionem accipiam verba Catonis *de R. R.* cap. X. ubi villatica præscribit utensilia, quibus rusticorum casa instruatur *Scabilla tria, Sellas quatuor, Solia duo, lectum in cubiculo unum*, &c. Ponit namque solium in supellectile; ac meo judicio sedem intelligit rudem è ligno totam, nulla compage, atque ornatu, proceræ forsan staturæ, ac firmiùs hærentem; à sellis subinde distinguens, ubi nonnullum artificium, & minor moles, adsportatus commodior. Vix est enim, ut *Solium* pro vase intelligam, ubi artus fessos, agrestique opere pulverulentos eluat; collectisque ad trapetem, & lacum fæcibus, fracibusque emundet. Qui tantus fossori, aut aratori ad lavandum apparatus? Rimosus testæ fundus, aut gallinarum labrum, ne dicam grunnientium aqualiculus pro omni solio ad manum, pedumque brevem munditiem illi est. Quòd si lautius, aut puriùs totum se diluat, non deest collectus uliginis rivus, aut imbris in via conceptabulum, vel amnicus tandem gurges, ubi vel pecudes, vel feræ & aquantur, & lavant.

Sed cum solio, & aqua, ne diutius mihi clepsydra effluat, relictis balnearibus in alias immigro sedes: quarum tamen & cum balneis, atque inter se mutua est affinitas, quòd curam corporis, munditiem, ac fomentum respiciant.

Sellæ tonsoriæ meminit Cælius Aurelian. sive Arrian. *tard. pass.* lib. II. cap. I. *Consilium dabimus, ut sellâ tonsoriâ sedeant ægrotantes, quæ sit obliquis anconibus fabricata, quibus incumbentes sese levare nitantur*, &c. Ex quibus verbis apparet peculiaris structuræ, & satis tunc cognitæ fuisse hanc sedem tonsoriam. Ancones autem sunt fulcra, ubi brachia reclinamus, nobis *Braccivoli*, de quibus inf. cap. XXX. Jubet autem Aurelianus, ut hæc sella tonsoria, in qua collocantur paralysi affecti, obliquos, non rectos habeat ancones. Crediderim itaque figuratam sic fuisse hanc sellam, ut fulcrum, aut pluteus, in quem dorso incumbimus, non assurgeret supra caput sessoris, ne opus impediretur illius, quo tondente gravis juveni barba personat. Eamque ob rem humilis foret sella, ut oportunior ejusdem imperio subjiceretur. Obliqui autem Ancones ii sunt, qui non ad angulum normalem sunt infixi, & hærentes, sed à summo pluteo sensim in pronum devergentes acutum constituunt. Ea quippe figuratio aptissima, ut sedentes ægroti innitantur, atque incumbant toto brachio: quod pariter à natura ita factum est, ut ab humeris in recline flectatur. Id autem non contingeret, si ancones recta secarent impacti pluteo, vel arrectariis sellæ tigillis. Haud absimiles (opinor) nostræ sedes plicatiles antiquioris consuetudinis, quibus latior Zona pro fulcro humerorum, nec supra cervices sedentium productior. Ancones verò (uti dicebamus) in summo crassiores paulatim gracilescunt, ac descendunt, molliter in medio sinuosi, iterumque paulò extantes resima extremitate: sic enim radius, ulna, manus, quàm aptissimè incumbunt.

Pudeat eas sellas præterire, quibus nascendi sortem debemus, & nostras veluti obstetrices ingrato silentio transmittere. *Puerperas* sellas appellare possumus: quomodo Ovidius *Enixæ Verba* dixit *puerpera*, X. *Metam.* *Obstetricarias* etiam satis aptè: Græci δίφρους λοχείους, & λοχευτικούς. Suid. λοχεῖοι δίφροι, οἷς πρὸς τὸ τίκτειν ὀψὲ χρῶνται αἱ γυναῖκες. *Puerperæ sellæ, quibus in partu mulieres utuntur*. Ociosum est mihi verbum ὀψέ; nisi serò tandem fuisse inventas, atque adhibitas, olim incognitas sentiat Suidas. An fortè innuitur aliis sellis usas fuisse primùm utero gerentes, aut parturientes, ne motu, aut succussu venter laboraret: aliis (ὀψὲ) ultimò, ac tandem in ipso enitendi, aut partionis actu, quas λοχευτικὰς dixere? Ante Suidam Artemidorus Daldian. *de somniorum eventibus*, somnio LXXIII. iisdem verbis, quibus Suidas excepto τῷ ὀψέ. Visa est mulier quædam, quæ filios sibi gigni optabat videre δίφρους λοχευτικοὺς (obstetricarias, seu puerperas) οἷς πρὸς τὸ ἀποτίκτειν χρῶνται αἱ γυναῖκες, *quibus ad pariendum utuntur fœminæ*, &c. quanquam hæc verba (opinor) à manu glossographi in textum irrepere; cùm enim δίφρους λοχευτικοὺς nominaverit Artemidorus, Oniroscopum, non Grammaticum agens, quid erat, cur subjiceret, *quibus utuntur fœminæ in pariendo*? An credimus generali nomine fuisse appellatas λοχευτικὰς sellas quascunque, ubi inter sedendum, atque jacendum recumbimus, atque adeò non soli puerperarum usui destinatas? Opinationi meæ favet Hesychius,

fychius, qui à reclinando, atque incumbendo vocitatas monet, quoniam in iis puerpera reclinis jaceret λεχαῖον, κλιντήριον, & λεχαῖον δίφρον, quoniam ibi λεχοῦσα reclinatur. Ut non immeritò apud Artemidorum addita sit ea verbi explicatio, ne quis eas fellas de aliis, quàm de puerperarum accipiat. Antiquam illarum figuram saltim apud Orientales adnotare est, dum rotæ figuli assimilant. Quare Hebræis *Haobnaim* appellantur האבנים cap. 1. *Exodi*. Eam autem rotam ex duobus lapidibus veluti molaribus, ac rotundis compingebant, quorum superior, ac minor moveretur in gyrum, inferior & major immonis consisteret. Est autem *Haobnaim* rota figuli: cujus mentio Hieremiæ XVIII. III. Omnino consule *Lexic. Chaldaic.* Jo. Buxtorfii p. 2319. & 2561. A B

Sed ille tamen oblatam salebram minimè submovet: in qua dum hæreo, opportunè bonus mihi favet Mercurius, cùm per hosce æstivos dies Florentiæ immorantem consulo doctissimum, atque eruditiss. B. Erbellottum, dedit cui (Nasonis loquar Musa)

—— centum Deus ora sonantia linguis
Ingeniumque capax, totumque Helicona.

Tria ille me docuit orientalium præcipuè linguarum, rerumque experientissimus. Primò sellam eam puerperam Hebræorum, non à *lapidis* voce sive *Aben*, sed potius ab altera notissima *Ben*, hoc est, *Filio* deduci: quadrat autem id parturientium sessioni, & loco Exodi aptissimè. Secundò sellam exponi posse utrobique tam in Exodo, quàm in Jeremia, illic parturientium, hîc figulorum, omni seposita rotæ similitudine: ac retento etiam communi etymo, figuram illarum plicatilem fuisse, quod Chaldaicus monet Interpres. Tandemque eâ formâ, quâ sellæ stercorariæ, aut balneares (de quibus supra cap. XX.) quo pacto à nostratibus, ac vulgaribus utero se levantium non differrent. Hæc sine mora edidit Erbellottus, cùm festinanter sciscitarer (etsi fusiùs ille, prolatisque rationibus, ac testimoniis) raptim Bononiam mittenda ad interpellantem librarium, ac pulvillos jam jam quatientem fuligineos, ut capsæ imprimat. C D

Sed quoniam puerperarum sellas producere non piguit, νυμφικὰς in hoc conjugum vocare liceat, quibus novæ nuptæ in maritam domum transvehebantur meminit Hesychius in κλινὶς, vocatque νυμφικὴν καθέδραν, *nuptialem sellam*, quam in curru locatam ἐπὶ τῆς ἁμάξης monet. Sic Pollux lib. x. cap. VII. κλινὶς ἐκαλεῖτο τὸ ἐπὶ τῆς ἁμάξης καθεζομένων, ὅταν μετίωσι τὰς νύμφας, ἐφ᾽ ᾧ καθῆται ἡ νύμφη μεταξὺ τοῦ πάροχον, καὶ τοῦ νυμφίου. *Clinis appellatur, quod currui insternitur: cùm sponsas transvehebant, ubi sponsa inter parochum, & sponsum sedit.* De sponsæ traductione in domum viri Brisson. lib. I. *Select.* cap. XVIII. & *de ritu nupt.* Sed poterat non omittere hunc ritum transvehendi in curru. De sella nuptiali, cui injecta pellis lanata. Vide Fest. *In pelle lanata*, &c. Serv. *ad Virg.* qui *duas sellas jugatas* appellat, ubi Flamen, & Flaminica in nuptiis considebant, ac nos inf. cap. XXXI. E

CAP. XXVI.

Sella ad usum medicum. Scamnum Hippocraticum. Sella podagrica nulla Veteribus mentio: magnus hodie usus. Sella Familiarica, Patrociana. *Sella, aut cathedra cubiculares. Sella circa lectos. Sella plicatiles, aut flexiles:* ὀκλαδίαι; *in publicum gestatæ à pueris. Synesius lux, & versio examinata. Pollux ibid. ut perpensus.* Scranne. Ciscranne. *Dantes Poeta explicatus.* Sedere a scranna, sedere a banco. F

INTER cætera, quæ medicis famulantur usibus, scamna, ac sedes tanquam necessarium supellectilem ponimus. Celsus lib. VIII. cap. X. *Homo collocatur alto sedili, medicus autem humiliore adversus.* Hippocrates lib. κατ᾽ ἰητρεῖον (si tamen genuinus est ille liber) medici officinam instruens, jubet illic sedes apparari, & quidem ὁμαλὰς ὅπως κατ᾽ αὐτὰς ἔωσιν ὅτι μάλιστα, ὅπως κατ᾽ αὐτὰς ἔωσι, *quâ id fieri possit æquales altitudine, ut in ipsis* (ægri) *collocentur.* Notissimum est chirurgorum ministeriis scamnum Hippocraticum, cujus figuram producit, atque examinat Scultetus in *Armamentario*, quem vide. Sellam Thessalicam, cujus idem meminit divinus senex infra attentè, ac pensiculatè exploramus. De fertoria, aut gestatoria ad ægrotantium curationem plusculа superius cap. XXIV.

Pervellem hic, ut ullus podagricam sellam Veteribus descriptam, aut memoratam indicaret: cujus hodie tam validus, tam creber usus in magna debacchantis luxus, fluentisque deliciis vitæ opimitate. Nolim disceptare, num infrequens magis fuerit apud antiquos podagra: num ea fœminæ tentatæ fuerint, vel ipso ævo Hippocratis; quæ de re Seneca ep. XCV. nostris temporibus potentium, ac divitum epidemia est. Dicam cum eodem Seneca *multos morbos multa fercula fecerunt.* iterumque; *Nunc verò quàm longè processerunt mala valetudinis! Has usuras voluptatum pendimus ultra modum, fasque concupitarum.* Nil igitur mirum, si multæ quoque ad podagricorum levamen sellæ quotidie compingantur; laxiores illæ, & molli undecunque farto, ut distorti artus, & carnifices pedes insolenti conquiescant. Quæ apposito suppedaneo, subjunctisque rotulis in quamcunque partem versatiles, ab ipso manibus, pedibusque capto sessore, quasi αὐτομάτως facilè impellantur. Sed bonum factum; quod sellæ operosioris sumptus proletarios, atque inopes non afficiat; sed in domibus versetur, quas purpura, & aurum operit, ubi lues hæc crapulæ filia, atque ocii alumna succrescit. Sic nos quondam ludebamus.

Dira lues, tortor, gladius, crux fusa per artus
Immane est quantum sæcula nostra notes!
Sæpius illa petens lectos, sellasque potentum,
Quos gula supplantat, debilitatque Venus.
Non paleam, lanam, pulsem sub paupere tigno,
Secessus ubi squalor, lar brevis, arca vacans.

Non tam familiariter tecum ago, Lector honestissime, ut Familiaricas, vel Patroclianas sellas hic tibi apponere, aut describere instituam. Non rara tamen illarum mentio apud Veteres: nec viri docti refugerunt loqui, ubi usus postulavit. Hinc *Sella* ἀπόπατος dictæ, & *Infellare*. Cassiodorus II. XXXIX. *Humanis necessitatibus* dixit. Post alios Cujacium tibi indico x. XVIII. *observ.* ac plenius Joan. Rhodium in suo *lexico Scriboniano*. Plura supersedeo proferre de hac sede tui, Lector, honor is caussa.

Sed quando familiaribus abstinemus sellis, domesticas saltim nonnullas etiam num breviter adnotare ne pigeat. Inter ea, quæ domum universè instruunt; cubiculum præcipuè ornant; tum inquilinis, tum advenis commoditatem præbent, sellas, sive cathedras agnoscimus, ac meritò enumerat Pollux lib. x. cap. XI. sive π. τῶν κοιτωνίων σκευῶν, hoc est, *de iis, qua cubiculo inserviunt.* Atque has libentius vocarunt *Cathedras*, quoniam eo nomine quæ magis cultæ, splendidæ, elegantesque definiri solent. Seneca *de Clem.* lib. I. cap. IX. *Dimissi-*

cùm alteram Cinnæ poni cathedram jussisset. Plinius recitaturus amicis intra domum suam, *Positis ante lectos cathedris amicos collocavi*, lib. VIII. ep. XXI. Idemque de Aria lib. III. ep. XVI. *Dum hæc dicit exiluit cathedram*, &c. Idem II. XVII. *Lectum, & duas cathedras capit*; de quodam cubiculo loquens. Rusticorum quoque cubiculis suas præscribit sellas Cato *de R. R.* c. X. *Scamnum in cubiculo unum, scabillia tria, sellas quatuor.* Spartianus in *Adrian.* c. XXIII. *In sedili Regio juxta lectum posito*, &c. Circum lectos autem fuisse positas cathedras, aut sedilia observat Magnus Casaubonus, suique commentarii fidem advocat, *De lectis, & vestestragula*; iterumque *ad Lampridii Heliogab.* cap. XIX. iis verbis: *In commentario nostro de lectis, & stragula Veterum veste, quem brevi edituri sumus*, &c. Sed videre mihi non licuit, cubantem adhuc (opinor) in pluteis, nec publicæ compotem lucis. Nullus dubito, quin plena, & accurata (ut solet) eruditione philologicam hanc partem adornaverit vir insignis. Interim promo tibi locum Gellii lib. XIX. cap. X. *Offendimus eum cubantem in Scimpodio Græciensi circum undique sedentibus multis*, & Plinii sup. VIII. XXI. *Positis ante lectos cathedris*, &c. & II. XVII. *Lectum, & duas cathedras capit.* Huc respicit Juvenalis sat. VII. vers. CV. loquens de historico:

Sed genus ignavum, quod lecto gaudet, & umbra.

Lectum intelligo lucubratorium, qui Græcis σκίμπυς, & σκιμπόδιον. item σισάδιον, qua voce utitur Plinius *Epist.* lib. V. ep. VI. σκίμπυς Suidæ exponitur & Grabatus, & scamnum: quasi sedes quoque, aut cathedra philosophantium. Dumque ex auctoritate Aristophanis ἱερὸν σκίμποδα *sacrum scimpoda* appellatum tradit: ita explicat quasi *philosophorum sellam* respexisset Comicus τὴν τῶν φιλοσόφων καθέδραν. Vide nonnulla sup. cap. XXIII.

Neque è sedentariæ supellectilis censu ea sellula amovenda omnium (ut ita dicam) horarum, & locorum, quam *Plicatilem*, aut *Flexilem* dicere possumus: Græci ὀκλαδίαν vocant. Haud absimilis, quam viri Principes in agrum, aut venationem egredientes, secum gestari jubent, ut quacunque libuerit, illic considerent: prompto adversus lassitudinem adjumento, commoditatisque haud exiguo præsidio, dum manualis hic, & subitarius suggestus momento apparatur. Parva, ac levis sarcina, plerumque tripes, ac figurâ triquetrâ, simplici obtenso corio, aut loramento in se complicata, & conclusa à quovis facilè geritur. Sellam Romanis divitibus in comitatu ponit Juvenalis sat. VII. vers. CXLII.

—— —— an post te sella, togati
Ante pedes, &c.

Martialis lib. II. epigr. LVII.

Quem grex togatus sequitur, & capillatus,
Recensque sella.

Vide & lib. X. epigr. X. Suet. *Domit.* c. II. De Atheniensibus testatur Athenæus lib. XII. cap. I. qui de divitum luxu, ac mollitie loquens, ὀκλαδίας τε, inquit, αὐτοῖς δίφρους ἔφερον οἱ παῖδες, ἵνα μὴ καθίζοιεν, ὡς ἔτυχεν. *Complicatiles ipsis sellas ferebant pueri, ne ubivis, ac temerè sederent.* Hesychius, qui illinc hausit, disertiùs monet eas à famulis fuisse gestatas, cùm viri potentes, ac divites in forum, aut concionem itarent. πλυκτὸς δίφρος ταπεινός, ὃν οἱ ἀκόλουθοι φέρουσι τοῖς εἰς τὰς ἀγορὰς ἐξιοῦσι πλουσίοις. *Plicatilis sella humilis, quam famuli gestant exeuntibus in fora Dominis.* ἀγορὰς capio, non tam de foris judiciariis, aut concionibus, quàm de venalibus. Aristophan. *Equit.* act. V. sc. II. extremâ, & sellæ, & pueri bajulantis meminit: ubi à Scholiaste describitur δίφρος ποτὲ ἐκτεινόμενος, ποτὲ δὲ συστελλόμενος, *Sella quæ modò explicatur, modò contrahitur.* Synesius oratione de regno p. mihi Gr. Lat. XXIII. σκιμποδίσκους ὀκλαδίας, *Cathedras plicatiles* nobis memorat, quas servi Scythæ humeris gestant, ut illic domini sedeant ἐν ταῖς ἀγυιαῖς, *in publicis viis.* Sic Theodora, dein Imperatrix, & uxor Justiniani scabellum humeris impositum ferebat, ubi Comitona soror in foris ludicram faciens artem conquiesceret, Procopio teste *hist.* ἀνεκδ. diximus supra cap. XXIV. Non est autem, quòd ad eum auctorem in *Notis* p. XXXI. Nicolaus Alemannus pro ἀγυιαῖς malit ἀγοραῖς in ea oratione Synesii; æquè enim benè exprimitur usus sellæ plicatilis, si in forum vel ἀγορὰν, ac si in ἀγυιὰν, viam scil. publicam, aut compitum, aut viciniam à famulis gestetur, ut illic ad vitandam lassitudinem prædivites sedeant. Athenæo, & Procopio ἀγορὰν vocare placuit, Synesi τὰγυιάν. Ne pigeat adire ad uberrima notata Jacobi Gothofredi *ad Cod. Th.* de usu sellarum, cum quo gavisus sum συνέμπτωσιν examinis intercessisse: nonnulla ibi de hac sella ὀκλαδίᾳ. Penè autem miror apud eundem Synesium σκιμποδίσκους ὀκλαδίας Latinè reddi *grabbatulos plicatiles.* Etsi namque σκιμπόδιον, & σκιμποδίσκος non malè vertatur lectulus, aut grabbatulus; in subjecto tamen auctoris loco non de discubitu, sed de sessione agitur, ut dominis scil. liceat καθίζεσθαι, publicè autem tum aptior, tum honestior sella, quàm lectulus ad sedendum. Neque illud quoque insolens, ut σκίμπυς pro scamno, & cathedra exponatur, quod fecit Suidas, advertitque doctissimus Petavius in *Notis Synesianis* p. XIII. Lipsium (opinor) ἀνωνύμως carpens, qui aliter crediderit. Et tamen non abstinuit idem Petavius retinere *Grabbatulos*, suo se interdicto veluti feriens. Sed meo puncto aptius illic vertas σκιμποδίσκους, sellulas, vel scabella, quàm grabbatulos, aut lecticulas ad sedendum publicè. Non tamen pro portento habeo in lectulis sedere, ut inf. monebimus. Cæterùm fermè suo nomine ἀκόλουθοι vocati, qui ferebant servi, ut hìc Synesio, atque Hesychio; quos *lecticarios* non incommodè dixeris, etiamsi non lecticam, sed sellam bajulent. Vide Lipsium lib. I. *Elect.* XIX. Peculiari vocabulo διφροφόρος apud Persas ab hoc munere; & officio sedis regiæ ferendæ, pedisequus quidam, aut stipator, qui nunquam recedebat à comitatu, sed εἰς τοῦτο εἵπετο, *ad hoc sequebatur*, ut inquit Athenæus lib. XII. cap. II. superius indicavimus cap. XIII. Hujus autem ὀκλαδίας, aut sellæ plicatilis meminit quoque Pollux lib. III. cap. XIII. & X. XI. ubi ὀκλαδίαι, non κλαδίαι legendum est, quod Seberus advertit, & ante illum Leopard. *Emend.* II. VIII. Vocatur namque Græcis simpliciter ὀκλαδίας, supple δίφρος, aut θρόνος: & cum adjuncto ὀκλαδίας δίφρος. Nobis *Scranne*, *e Ciscranne*, quæ ita nunc plicantur, nunc panduntur: sedile claris viris, & honore præditis olim tributum apud nos paret, vel ex eo Danthis loco *Paradisi cant.* LXXXIX.

Or tu chi se, che vuoi sedere à scranna,

ac si dixerit. Tu nunc quis es, qui præesse, & judicare audes? Quasi illæ sedes Magistratibus deberentur. Haud penitus dissimiles ab antiquis curulibus. Sed libentius interpretor, *sedere à scranna*, hoc est, ad scamna, corrupta voce, & inserta R. à nostro popello, cui non insolens hirrire. Sic *Trono*, *e Intronare*, pro Tuono, & intuonare: Fustis, *Frusta*; Genista, *ginestra*; ballista, *balestra*; & alia hoc genus. Est autem sedere ad scamna, jus dicere, præesse, honore fungi: quoniam mensa, aut scamnum, magistratibus, aut Præfectis apponi solet sedentibus. Hinc *sedere a Desco*, *e sedere à banco*, quod

Danthi, ac vetustioribus *sedere à scranna*. Vide sup. de scamnis, ac subsellus. At *Ciscranna* (ut existimo) sedes illa, de qua dicebamus: favetque interim etymo nostro, quasi Cis scamna, quoniam ab interiori parte locabatur iis, qui ad scamna sedebant.

CAP. XXVII.

Sella δυζοχῶς. Sanior Polluci interpretatio reddita. Sella compactilis, opus Dedali. δίφρος Θεσσαλικός. Sedes Thessalica, *& accuratè de ea. Pollucis iterum, & Athenaeolux. Hippocrates non incuriosè animadversus. Galenus, Erotianus: hujusdem versio parum attenta.* Color Thessalicus. *Pollux emendatus. Sellae Thessalicae, duûm generum.* θῶκος, *sella heroum.* ἀνάκλιτος θρόνος. ἀνακλισμός, ἀνάκλιντρον, ἐπίκλιντρον, *&c.* Accubita, Accubationes, Accubitalia. Anaclinterium, Spalliera. κλινοκαθέδριον: lectisella, *lecticathedra*. Sella procurata. *Sella* στρεπτός, *versatilis*. Sesopia; Throcus. Thocus. *Festus conjecturis fultus.* Siege roulant. Diphramaxium. Harmocathedrium. *Lectis ad sedendum, & orandum.*

NE ab itinere penitus aberremus, Pollucem adhuc sequamur nostrum, qui de sellis plicatilibus eo lib. x. cap. xi. scripsit, δυζοχεῖς ἐν Φερεκράτους ἀγαθοῖς εἰρημένοι. Interpres vertit, *sunt vecta difficiles, quarum Pherecrates in Bonis meminit.* Quomodo vectu difficiles, si passim à pueris dominum sequentibus ferebantur? Sique complicatiles, atque exiles, uti eas describunt? Quid est tandem hoc δυζοχεῖς, insolens verbum, quo rem vectu difficilem exponunt? Aut igitur non ex sua persona loquitur Pollux, sed Pherecrates *in Bonis* (titulus libri, aut fabulæ) suo studens proposito ita appellavit: atque adeò vertendum, δυζοχεῖς *Pherecrati in Bonis appellare*; non vero quòd ita ex suo sensu agnoscat Pollux. Aut potius vitium hîc, & luxatio aliqua cubat: nec novum in hoc ipso auctore. Indiget profectò bonus hic Pollux Castore aliquo Critico, qui fraterni defectus obscuritatem felici lumine suppleat. Crucem sæpè ille figit legentibus confusaneâ nomenclaturâ, & vocum conseminio, auctorumque, quos laudat cinno, ac mistura. Quo circa δυζοχεῖς malim interpretari, *sessori incommoda, aut difficiles*; quoniam angustæ, atque humiles, ut diximus: atque ita agendi potius formâ, quàm patiendi. Hesychius ὀχεῖς, ἐν αὐτοῖς ἔχοντες, & ἀναδεχόμενοι, *In se habentes, ac recipientes.* δυζοχὴς igitur ægrè atque incommodè recipiens. Aut foret consultiùs Pollucem aliter interpungere, & post ὀκλαδίαι δὲ δίφροι apponere στιγμὴν: hactenus ut enumeraverit Pollux varia sellarum nomina. Deinde δυζοχεῖς, &c. usque ad Εὐκλείδου pertineant ad sellas Thessalicas, de quibus mox agemus; atque ita omni discrepantiâ, vel ἀταξίᾳ magnum Grammatistam expediverimus: quod locum illius attentè percurrentibus liquebit facilè.

Illud neutiquam gravabor adjungere (indicinam debeo eidem Leopardo) ac refert Pausanias in *Atticis* inter donaria Minervæ Poliados, & quidem vetusta, & ἄξια λόγου fuisse id genus sellæ compactilis, opus ingeniosissimi Dædali: δίφρος, inquit, ὀκλαδίας ἐστὶ Δαιδάλου ποίημα; Amasæus vertit *Lecticaria sella compactilis, Dedali opus.* Nihil attinebat, opinor, *Lecticariam* dicere, si fides iis, quos supra auctores laudavimus: quòd verò *Compactilem* vocat, jungo dexteram. Sic quoque Hesychio πηκτὸς δίφρος vocatur. Ac fortè compactio ipsa, ac nexus (quem ignoramus qualis fuerit) miro artificio, ac singulari industria elaboratus nomen, ac pretium dedit operi, quod inter præcipua, ac spectatissima anathemata ad posteritatis commendationem, memoriamque haberetur in urbe totius Græciæ principe, in Fano omnium celeberrimo, numini apud Atticos sanctissimo dicata, manu clarissimi artificis, & labore consummata: Atqui faber hic tractandi præcipuè, fingendique ligni peritissimus; unde & *Dædala* ipsis Græcis signa, atque opera lignea; quod idem Pausanias lib. ix. sive in *Bœoticis* scripsit.

Sed jam Thessalicæ incumbamus sedi, de qua Critias Poeta apud Athenæum lib. 1. cap. xxii.

> Θεσσαλικὸς δὲ θρόνος γυίων τρυφερωτάτη ἕδρα,
> *Thessalicusque thronus membris mollissima sedes.*

Deliciosam prorsus agnoscit, ac sessore dignam Epicureo. Quid? Si Apollo ipse commendavit oraculo, ac Pythiæ voce elegantem, ornatamque respondit? Pollux lib. vii. cap. xxvi. κάλλιστοι δὲ Θετταλικοὶ δίφροι. διὸ καὶ ἡ Πυθία ἔφη, Θετταλὲ ποικίλε δίφρε. *Pulcherrima sedes Thessalica. quare & Pythia inquit, O Thessala sedes ornata.* Cùm igitur ab elegantia, tum à commoditate laudatur hæc sedes; quòd structuræ ratione (ut opinor) materiæque artificio aptissimam, deliciosissimamque insidenti quietem præberet. Quadrupedem fuisse idem Pollux subjicit, δίφροι Θετταλικοί, τετράποδες. *Sellæ Thessalicæ quadrupedes.* Meminit hujusce sellæ & Hippocrates libro de articulis; cujus verba luxati brachii curationem spectant. Inter cætera autem instrumenta, quorum præsidio artus in sedem suam redeant, sedem Thessalicam ægris proponit, si recens sit exarticulatio, ἢν νεαρὸν ᾖ τὸ ὀλίσθημα. Jubet igitur ἐπὶ μέγα ἕδος Θεσσαλικὸν ἀναγκάζειν. *Super magna sede Thessalica vim adhibere.* Quòd verò *Magnam* appellat magnus Archiater, conjicimus earum sedium alias fuisse majores, minores alias, retento eodem schemate. Ac si quis advertat totam legem, seriemque curationis in Hippocrate, usumque instrumenti, deprehendet sellæ Thessalicæ formaturam fuisse id genus, ut sua mole, ac pondere benè consistat; alto itidem anaclinterio, aut fulcro, ubi æger commodè reclinare possit, & denormatum brachium impressione facta sarcire. Quare & quadrupedes facit easdem sellas Pollux. Galenus Thessalicam exponit quamcunque sedem, οἷον ἐπίκλιντρον ἔχοντα, *quoddam veluti reclinatorium habentem*, quod nos *Con la spalliera*. Erotiano autem, πᾶς γὰρ δίφρος ἀνακλισμὸν ἔχων, Θεσσαλικὸς παρὰ τοῖς παλαιοῖς λέγεται, *quæcunque sedes anaclismum, seu reclinatorium habens, Thessalica Veteribus dicitur.* Nota interim Veteribus placuisse id nomen. At non benè meo judicio Erotiani versor, qui δίφρον reddidit *Currum*. Quid est quod currui ἀνακλισμὸς detur, aut cui usui currus Thessalicus ad eam figurandi corporis, instaurandique articuli rationem? Ergo me fidejussore licet reddas πᾶς δίφρος, &c. *quæcunque sedes*, non *quicunque currus*, &c.

Fortean verò Thessalica appellata est ea sedes à Thessalis, qui primùm invenerint, peculiari quadam figuratione, ac structura, procera maximè statura, & apposito ad reclinandum dorsum adminiculo. De hoc anaclinterio, aut reclinatorio, dicemus post pauca. Nisi potius Thessalica à colore Thessalico, sive purpureo dicta, unde nomen illi primitus inditum; sive lignum, sive corium eo colore imbueretur. Thessalici coloris meminit Lucretius lib. ii.

> ——— *melibœaque fulgens*
> *Purpura Thessalico concharum tincta colore.*

Thessalicum quoque pileum reperio, quo in thea-

tris

teris ad arcendum solem usos fuisse Senatores permissu Caligulæ tradit Dio lib. LIX. Gr. Lat. p. mihi DCXLV. vocans πίλους Θετταλικὸν τρόπον. *Pileos usus Thessalici.* Liquet amplam, & diffusam umbellam fuisse; illis circumductam ad prohibendam ἡλίωσιν. Nomen autem hi pilei conceperint à colore, vel ab usu gentis Thessalicæ, minus vacat nunc inquirere. Junium consule *Animadvers.* lib. II. cap. VI. Lipsium *de Amphith.* cap. XVIII.

Tum laxior igitur, tum operosior (quod opinari licet) Thessalica hæc sella extitit, atque inde fortasse vectu difficilis, δυζοχὴς, si cui ita placeat apud Pollucem, sive Pherecratem interpretari. Quòd si δίφρους vocarunt etiam currus, sive illius partem, ubi tum auriga, tum ascensor considebat; sique in ipsis curribus, ac vehiculis sedes locabant, quas pariter δίφρους idem appellat Pollux, non invitus quis exponat δυζοχοῦς, hoc est, mole sua, & fabricæ ratione curribus incommodas, ac malè aptas. Sed satis conjecturarum, ut aliquam medelam Polluci afferamus, qui iterum conturbat, dum exponit quid sint σκολύθρια, sive scabella, ἅπερ ἐστὶ μικροὶ τρίποδες, *quæ sunt*, inquit, *parvi Tripodes*, dein sequitur Θετταλικοὶ δίφροι, *sedes Thessalica:* quasi eosdem faciat, parvos Tripodes, & sellas Thessalicas. Sed has paulò ante fecerat quadrupedes; nunc uno minus pede. Si ultra perrexerimus, bipedes, & apodes periculum est ne non videamus. Sed trajectio hic est aliqua, & luxatus locus, atque in sedem non suam hæ sedes Thessalicæ migrarunt: quas avertere jam, & avehere tempus est: dum placeat ante statuere non unum fuisse genus sedium Thessalicarum; quasdam magnas, unde μέγα ἕδος Θετταλικὸν Hippocrati; quasdam minores, quæ fortè μικροὶ τρίποδες hic Polluci. Quanquam puto satius de possessione dejicere verba, Θετταλικοὶ δίφροι apud eundem Pollucem, quoniam prorsus illic extraria: tunc verò congruet σκολύθρια, cum iis quæ sequuntur, τὸ ἢ ὄνομα, &c. Mentio quippe in *Euthydemo* Platonis fit τοῦ σκολύθρου, non autem sedis Thessalicæ. Perge lector me delegante ad utrumque tum Philosophi, tum Grammatici locum attendendum, & mecum judicabis. Poterat Siberus in *Notis*, poterat Leopardus acutiùs videre in suis *Emendationibus*; nec tam ociosè, ac securè has Pollucis tenebrosi nebulas præterire.

Numerantur quoque inter alia σκεύη τὰ ἐν κοιτῶνι apud eundem Pollucem κλισμοὶ, ac melius κλισμοὶ ut idem vocat alibi lib. VII. cap. XXVI. hoc est, sellæ cum reclinatorio. His ipsis usi olim Heroes ad mensam, quomodo eos pater locat poetarum Homerus; apud quem κλισμὸς vocatur *Odyss.* Δ. & K. & *Iliad.* Θ. Eustath. explicat θρόνου εἶδος, *sella genus*, quod postea ἀνάκλιντρον vocat, & habens τὸ ἀνακλίντρον. κλιντὴρ Hesychio, & ἀνάκλιτος δίφρος, qui & simpliciter θρόνος. Iterumque κλισμοὶ, θρόνοι, ἢ ἀνάκλιντρα. Plutarcho junctim in *Quæst. Rom.* ἀνάκλιτος θρόνος, *sella reclinatoria*, sive reclinatorium habens *seggiola con spalliera*. Idem Homerus κλισίην alibi appellat, de qua Athenæus lib. V. cap. VI. differentiam notans ex eodem vate inter κλισμὸς, & δίφρους. *Clismi*, sive reclinatoriæ sellæ honestioribus datæ ad mensam (quod & hodie servatur) ac sæpius illæ conjunctæ cum thronis, aut suggestis. Inde illud — ἕζοντο κατὰ κλισμούς τε, θρόνους τε, *sedebant super Clismos, & thronos:* atque his sellis plerumque imposita stromata. Cæterùm δίφροι humilioribus convivis sepositi. Vide eundem Athenæum & lib. IV. cap. VIII. discrimen servatum edocentem, quis, quo loco, aut sellæ genere inter epulas adesset. Eam autem partem, in quam dorso incumbimus ἀνακλισμὸν dixere, & ἐπίκλιντρον, & ἀνάκλιντρον, vel ἀνακλιντήριον Hippocrates, Galenus, Plutarchus, Pollux, Erotianus, Eustathius. Nos supra innuimus, & ad locum Hippocratis a. ἄρθρ. doctiss. Foesius: qui tamen ea ἀνάκλιντρα Latinis *Accubita*, aut *Accubitas* vocari dum sentit, non statim consentio. Quæ enim *Accubita* Lampridio in *Heliog.* cap. XIX. & *Accubationes*, sive *Accubitationes* ib. & in *Ælio Vero* Spartiani cap. V. (ut illic mavult Salmasius) non sunt fulcimenta, aut adminicula dorso reclinando, sed ipsi tori, aut lecti, ubi convivæ discumbebant. *Cataclita* Tertullianus lib. *de pallio*, *Accubita* etiam in Synodu Trull. Vide Cujac. *Obs.* lib. X. cap. XVII. eruditè Salmasius ad eum Tertulliani locum cap. III. Haud aliter κατακλίσεις Origeni, quas pro pulvinaribus explices, notavitque Seldenus *de Synedriis* tom. III. pag. CCLXXXVI. sicuti *Accubitalia*, peristromata ipsa, & vestes, quibus Accubita instemuntur Pollioni in *D. Claudio* cap. XIV. atque ibi Salmasius, quem consule, & in eo cap. V. Spartiani in *Vero*, & ad Tertull. supra *de pallio*. Ego *Anacliteria*, sive *Anaclinteria* vocarem potius, quomodo Græcis ἀνακλιντήρια: Latinis quoque usurpata vox, Isidoro lib. XIX. cap. XXVI. *Etymol.* Sed quæ κλισμοὶ à Polluce, vel ἀνάκλιντρα, &c. Sellæ scilicet cum anaclinterio, unica voce aptissimè Etymologici auctor expressit κλιντοκαθέδραν, quem vide in κλιντήρ. Nec dubitarem ego κλιντοκαθέδραν vocare, quod nobis est *Seggiola a spalliera*. Non incommodè tam commodæ sedis genus eam quoque appellare possumus, quæ vulgò *Seggiola da riposo*. Syllabatim namque κλιντοκαθέδρα est *Lectisella*, vel *Lecticathedra*, qualia ea quæ in meridiando tum cubatui, tum sessioni inservit, tum utrique simul, ut superius dicebamus. Inter Veterum monumenta aptum nescio quod sedile marmoreum comparet antrorsus procurrens reclinando corpori, ut nec merè sedeat, nec totum jaceat.

Protuli tibi sup. cap. XXVII. ab Leonardo Augustino Romà missum, quod in S. Marci servatur. Puto id in balneis maximè adhibitum, cui affine cum suo sessore Florentiæ servatur apud Gaddios. Satis superque operosè, ne dicam Sybariticè, hasce sellas concinnatas videre est hodie, ubi caput, dorsum, femora, reclivi, ac supini deponamus; coxis, cruribus incumbamus, modò extendentes, contrahentes modo, qua volupe magis est. Anterius namque porriguntur transtilla, vel ancones, aut cubitus productiores usque ad proceri hominis jacentis longitudinem: illic incisuræ scansim per æquos gradus, ad quas temperantur; dumque earum offendiculo, & innixu erectior, aut depressior fit sedes, perinde incumbentis corpus opportunè conquiescit. Curiosè quid, & exquisitè compactum legimus apud Capitolinum in *Pertinace* cap. VIII. inter vehicula, ac sedilia, quæ rarioris commoditatis artificio, digna prorsus fuere Commodo Principe; ob sua vitia, ac fœditates nimium quantum incommodo Reip. ac generi humano. Verba historici ea sunt: *Necnon vehicula arte fabrica nova perplexis, diversisque* (lege, *divisis*) *rotarum orbibus, & exquisitis sedilibus, nunc ad solem declinandum, nunc ad spiritus opportunitatem per vertiginem*, &c. Vocat autem *sedilia exquisita*, hoc est, exquisitè facta, & composita ad capturam commoditatis, de qua illic: quomodo *sella procurata* Cœlio Aureliano, de qua supra.

Sedium versatilium τῶν στρεπτῶν δίφρων meminit Athenæus. Sunt autem sellæ στρεπταὶ, quæ circumagi possunt, aut *Versatiles*, quomodo id verbum Latinè reddidit Vitruvius lib. V. cap. VII.

In quam tribom, aut classem referam censitor dubius ignoro ea sedilium genera, quæ *Sesopia*, aut *Esopia* Festo vocantur pessimè hiuclo. Schedæ Ursini ita expleot. *Sesopia in augurali, & saliari carmine appellantur, quæ alias esopia pro sedilibus dicere habemus nunc in consuetudine.* Plaut. *Trucul.* Act. II. Sc. VIII. ex lectione Meursii *Exercit. crit.* p. I. cap. IV.

Quo pacto excludis quasi Esopus planius?

Hoc est, quo pacto me planiùs sedibus ejicias? Ut idem explicat. Vide eundem Festum in vulgatis editionibus post verba capitalia *Servorum dies.* Dein sequitur foedè lacerus textus, ac sesopia ipsa tam mutila, & quassata, ut iis diutius explicandis assidere sine magno ruinosæ interpretationis periculo vix queam. Quòd si auguralibus libris, aut saliorum carminibus sesopia ea memorata narrantur, fortasse ad usum aliquem sacrum fuere. Ætate Festi, aut potius Verrii adhuc usurpatam fuisse eam vocem ad sedilia significanda, sed litera minus sibilanti edocemur. Notæ ad Festum. *Sopia, vel sesopia pro sedibus, vox ni fallor inaudita. Solia potius scriberem.* Ego verò ter minimè scriberem. Cur enim monuisset nos Festus de eo verbo tanquam antiqui, aut rari usus, si *solia* legerimus? Cuinam ea vox aut abscondita, aut obsoleta, aut in arcanis sacrorum libris quærenda? Plautinis Sesopiis alterum sellæ genus eidem memoratum subjungo ex Pompejo itidem Festo. *Threcum*, inquit, *sella genus habetur apud Plautum.* Sed nuspiam in his, quæ supersunt Sarsinatis fabulatoris comparet id verbum. Notæ marginales ex Vett. Codd. *Thronus* substituunt. Sed cur Festus excerpsisset tanquam sellæ genus, quando thronus notissimum verbum est? Alii malunt *Thracum.* Quid si *Thocum* reponamus? Ipsum scil. Græcorum θῶκον, sellam, in quam celeriter insilirent. Aut *Threcum* retineamus ἀπὸ τοῦ θρώσκειν nempe ab insiliendo, sive à *trecho*, hoc est, rota, quòd rotis fuerit imposita, quomodo hodie nonnullæ podagricorum. Aut ἀπὸ τὸ τρέχειν, à celeritate videlicet, aut cursu. Quo sensu id nomen planè conveniret nupero invento, quod Galli *Siege roulant* vocant; vocant, quasi *Rotisellium*, aut *Currisellium*, vel sellam curracem. Commodum viandi genus; ut ingeniosior in dies est luxus. Dimidiatum dixeris currum bigarum tum forma, tum usu. Unus tantùm ibi sessor, duæ rotæ, equus singularius: sed & alter extra jugum, aut funarius, quem ductor insidet, si citato itinere mutare subinde veredos libeat. Quomodo Petronius *Chiramaxium* dixit; ejus exemplo compacta voce *Diphramaxium* vocemus; aut quomodo Etymologus Gr. *Clinocathedrium*, sic nos *Harmocathedrium*; quoniam burdocurrus, aut sella hybrida utriusque speciem, & opportunitatem nobis referat. Cæterùm isthoc sellæ, aut vehiculi genus Veterum Cisio haud penitus absimile erudita nuper epistola censuit Laurentius Panciaticus Vir ut nobilitatis, sic ingenii florentissimi invita nihil faciens, dicensve, Minerva.

Quod si cui ad sedendi usum haud satis visa fuerint tot sellarum genera, non ignoret lectulos & adhiberi potuisse, & fuisse adhibitos. Cùm igitur quasdam sedes tam artificiosè ad commoditatis ingenium compactas tradiderimus, ut in iis veriùs jacerent, quàm sederent deliciosi homines: mutuum sedendi officium reddere, atque invicem remunerare lecti ipsi haud recusarunt. Vide quod de lectulis lucubratoriis sup. adnotavimus; quippe ea scimpodia, aut stibadia mediam nescio quam speciem referentia inter puros putos lectos, ac germanas meras sedes utrique inservire potuerunt, & sessioni, & incubationi. Sed quæ interdictio, ne cubiculares quoque, aut tricliniares lecti, eundem usum præstiterint? Petron. *Sedensque super lectum meum diu flevit.* &, *fletu confusa altera parte lectuli sedet*; idemque, *me stupente in lectulo sedet.* Plinius *Epist.* lib. V. ep. V. *Mox imaginatus est venisse Neronem, in toro sedisse*, &c. Boethius *de consolat.* lib. I. *Tum illa propius accedens in extrema lectuli mei parte consedit.* Ritum sedendi in lecto cùm orarent veteres Christiani indicat Tertull. lib. *de Oratione* ex Herma Apostolici ævi scriptore; sed damnat, ac reprehendit, ut *curiosi potius, quàm rationalis officii*, &c. *& alioquin*, inquit, *nusquam erit adorandum, nisi ubi fuerit lectus.* Consimilis ethnicos ligabat olim religio: quo spectat adag. *Adoraturi sedeant.* Juvat Festus: *Adsidelæ mensæ vocantur, ad quas sedentes flamines sacra faciebant.* At Hermæ locus, quem advocat Tertull. occurrit mihi in præfatione *Pastoris* paulo secus, ac Tertullianus legerit. *Cum orassem domi, & sedissem super lectum*, &c. In universum autem de lecto ad sessionem, idem Hermas lib. III. cap. X. *Consedit super lectum, & adstitit in dextra ejus pastor.* Machab. I. I. *Et quæ sedebant in toro maritali, lugebant.* Innumera comparent marmora, ubi lecti tricliniares, & mensa ante illos, plurimùm illic discumbens unus, sedens alter. Convenientissimam dat lucem, & accipit invicem Apulejus *Metam.* I. *Eumque accubantem exiguo admodum grabatulo, & commodùm cænare incipientem invenio. Assidebat pedes uxor*, &c. *jubet uxorem decedere, utque in ejus locum assideam, jubet: meque etiamnum verecundia cunctantem arrepta lacinia detrahens: adside, inquit, isthic. Nam præ metu latronum nulla sessibula*, &c.

CAP. XXVIII.

Sellarum ornatus. Pulvinus. Pulvillus. Pulvinar. Toral. *Pulvinar Jovis.* κυλβιτάριον. *Caligula primus Senatoribus pulvinos dedit. Diu ante in theatro Attico positi. Pulvinorum materia.* Gnaphalium. Centunculus. Stramen Leuconium. *Martialis illustratus.* Sagum. Sajo. *Cubatio in floribus: in follibus: in rosis discerptis.* Rosa Melitensis. Canis Melitæus. Potare in rosa. *Lecti reticulati.* Album *rosa. Pulvinus Isocratis è croco.* Circense tomentum. Pulvinus equestris. *Recitantes in pulvinis. Pulvini sellarum comites: gestati in itinere.*

NON videor extra oleam egressus, si quædam sellarum parerga, aut ornamenta nunc circumspexero; quæ non tàm commoditatis, quàm decoris, atque honestatis partem, tum sedibus, tum sedentibus adjiciant. Consulam unà lectoribus, ut molliùs, & apparatiùs sedeant, nec sedes hasce nostras tumultuarias penitus despiciant; dumque latibula hæc antiquitatis pervestigo, aliqua eos nunc delectatio insideat. Nova in tempore voluptas ducet, cum aliàs majori cura sellarium hoc studium amplificabo. Lubet à pulvillis incipere, atque iis parumper incumbere: non ut profunda illic demergar quiete, sed brevi inclinamento vigilabilem dormitationem concipiam. Tum sellis, tum scamnis, aut subsellis pulvillos fuisse impósitos, obductos, alligatos, compactos, & monumenta, atque icones, & auctorum evincunt testimonia. Latini pulvinos, ac pulvillos dixere, item Cervicalia, ac Pulvinaria. *Pulvinos*, inquit Varro *de Ling. Lat.* cap. V. *à plumis, vel à pellulis declinarunt.* At Isidoro lib. XX. cap. XI. *Pulvinar est lectus divitum, unde & pulvillus.* Varroni I. *de vita pop. Rom.* apud Nonium *Toral*, ac *Torale*, aut *Toralium.* At Isidoro eidem lib. XIX. cap. XXV.

Toral

Toral à toris, quibus propriè injiciebatur; grandior quasi pulvinus: sicuti Pulvillus, veluti minutus lectus ex mente Isidori. Pulvinar tamen non divitum modò, sed Deorum quoque erat lectus, ut notissimum est. Pulvinar Jovis quandoque exprimunt nummi, quod alii sellam curulem exposuerunt. Illic manubiæ visuntur insignia Numinis. Adi ad imagines curulium superiùs productas. Græci mediæ ætatis Latinorum imitatione πυλβινάριον, & πύλβινον dixere. Arrian. Epictet. III. XXIII. Erotiani lex. Hippocrat. ubi Meursius πύλβινον restituit, cùm prius esset πύλβιον. Vide hunc in *Glossario Græco-barb.* Item προσκεφάλαιον, & ὑποκεφάλαιον vocarunt à capitis innixu, aut incubatu, quod Cervicali respondet. Sed non possum non statim mirari quod refert Dio lib. LIX. sub Caligula Imperatore τὰ προσκεφάλαια τοῖς βουλευταῖς, ὅπως μὴ ἐπὶ γυμνῶν τῶν σανίδων καθίζωνται, πρῶτον τότε ὑπεστρώθη. *Tum primum subditos Senatoribus pulvillos, ne in nudis tabulis sederent.* Miror, inquam, apud gentem in omne luxus, ac deliciarum genus effusissimam, tam serò fuisse, aut cognitum, aut permissum necessarium penè commodum publicè sedendi in pulvillo. Non sordentem loquor plebeculam, aut viles proletarios, sed florem civitatis eximium, & meliorem partem, ut Symmachus vocat, generis humani Senatores, quibus ante Caligulam nuda assamenta parabantur ad sessionem; etsi tam multis aliis insignibus, atque ornamentis ad id tempus Senatorius ordo explendesceret. Diu ante in Græco theatro adhibitos fuisse pulvinos apud Theophrastum patet in *Charactere adulatoris.* Plurimùm scortei erant, & corio operti, σκύτινον, & δερμάτινον vocat idem Erotianus. Dein lintei, serici, picti, plumati, aurei, versicolores, &c. Atque hi sago, tomento, plumis, pilis, aliove molli farto implebantur, quod inculcarent, ac componerent. Non aliter de culcita ait Varro *de Ling. Lat.* lib. v. *Quod in ea sagum, aut tomentum, aliudve quid calcabant ab inculcando culcita dicta.* Paria Isidorus lib. XIX. cap. XXV. Est autem *Sagum* vestis lanea, unde nostrum *Saja*, & *Sajo:* sed vox peregrina, atque exotica eodem teste Varrone, de qua mox; Plinius lib. XXVII. cap. X. *Gnaphalium, alii χαμαίζηλον vocant, cujus foliis albis, mollibusque utuntur pro tomento.* Nobis *Erba Cotonaria,* quasi tomentitia, & ad usum farciendi, unde & *Centunculus* Scribonio Largo appellata cap. XXIX. n. CXXI. ad quem Rhodius p. CXCI. Eadem, puto, quæ Theophrasto πόα λεχαία, quæ herba discubitoria, aut lectis apta insternendis; ac de Centunculo in hunc usum idem Plinius lib. XXIV. cap. XV. Theophr. lib. VII. cap. X. *de causs. plant.* ad quem doctissimus Stapelius. Adi & Pollucem lib. X. cap. VIII. ubi de arundinis lanugine loquitur, quæ σάμαξ, & ἀνθήλη, juncus, ulva, calamus cartilagineus. Ubique de stragulis, ac pulvillis, quos & κνέφαλα vocat. Plinio gnaphalium: at eidem lib. XIX. cap. I. *Stramentum Orchomenium* cujus usus in toris. Martialis lib. XIV. epig. CLX.

Tomentum concisa palus Circense vocatur.
Hæc pro Leuconico stramine pauper emit.

Palustris scilicet arundinis decussa, & concerpta folia, concisa, & minuta stramina pro tomento, & pulvillo pauperum in Circo. At beatiores lana farciebant, quam Leuconicam, vel Lingonicam dixere. Idem auctor epig. CLIX.

Oppressa nimium vicina est fascia pluma?
Vellera Leuconicis accipe rasa sagis.

Meminit & lib. XI. epigr. XXII. & ep. LVII. vide quæ notat accuratiss. Raderus. Quod vellera sagis crasa appellat Martialis, novissimum illud accipe purgamentum, & rasiles floccos, qui vestibus, aut sagis destringuntur, Nobis *Borra:* quod pectine fit, aut erinaceo fullonio, tandemque forfice lanaria. quare nec displiceret Leuconiam lanam exponere ἀπὸ τοῦ λευκοῦ ab albedine. Nimirum dum pubes illa eminula, & lanugo extans abraditur e defloccatis eo pacto albis vestibus villi decutes colliguntur, ac tomentitia ejectamenta ad pulvillos farciendos. Sed magis placet Lingonicum, aut Luconicum exponere à loco unde exportatæ illæ vestes, quæ *Saga* Martiali. Atque hinc, meo animo, illustrandus Varro, qui non lanam, aut floccos, sed *Sagum* ἀπλῶς vocavit illud genus tomenti. Quæcunque autem fuerit ea fartilis, & mollicina congeries, quam intra pulvillos stiparent, hos certè sedibus, scamnis, subsellijs imponebant; quæ alioquin lignea, aut lapidea duritiem eo pacto dediscerent. Sic permissa à Caligula Senatoribus, ut diximus, ne ἐπὶ γυμνῶν σανίδων *in nudis tabulis* sederent. Et honoris, & commoditatis gratia id factum; Pinacium blandicella filia patri Antiphonti benè procurat apud Plautum *Sticho* Act. I. Scen. II.

——— *Assidc hic pater.*

Ant. *Non sedeo istbic* (intelligo in cathedra, aut selle muliebri) *vos sedete: ego sedero in subsellio.*

Pin. *Mane pulvinum.* Ant. *benè procuras, satis sic fultum est mihi.*

En subsellium ligneum, & pulvinus injectus. Philemon, & Baucis apud Ovid. VIII. *Metam.* vers. DCXLII. Jovem, & Mercurium excipientes, quanquam sub lare humili, & egeno, nec pietatem, ut in Numina, nec officium, ut in hospites deseruerunt: *Sedili statim posito, & injecta stragula.* Alter ille apud Theoph. *Charact.* in κόλακ. ut potenti, ac diviti palparet jam sessuro subjicit pulvinum in theatro, ἢ τοῦ παιδὸς ἐν τῷ θεάτρῳ ἀφελόμενος τὰ προσκεφάλαια, αὐτὸς ὑποστρῶσαι, *& puero in theatro adimens pulvinos ipse substernit.* Supparasitantis blanditia est, qui e manu servuli pulvinum abstrahens, suâ ipse parat. Hunc morem in Græcis theatris præter Theophrastum affirmant Aeschines, ac Demosthenes illic laudati à Casaubono. In Syracusiis, sive Idyllio XV. Theocriteo Praxinoe jubet ab Eunoe famula apponi sellam, atque injici pulvinum, ubi amica sedeat Gorgo, cum qua colloquitur:

——— ὅρη δίφρον Εὐνόα αὐτᾷ.
Ἔμβαλε καὶ ποτίκρανον.
——— *Prospice sedem Eunoe illi*
Injice & pulvinum.

Sic Eurynome apud Homerum *Odyss.* Τ.

Εὐρυνόμη φέρε δὴ δίφρον, καὶ κῶας ἐπ' αὐτοῦ.
Eurynome affer sellam, & pelles super ipsa.

Sunt autem pelles hic nihil aliud, quàm pulvini; quomodo & *Odyss.* Ρ.

Κῶα καταστορέσασα θρόνοις ἔνι δαιδαλέοισι.
Pellem (hoc est, pulvinum) *injiciens sedibus pulchris.*

Diximus superiùs ex Erotiano fermè è corio (uti quoque hodie) pulvinos factos. At delicatissimum illud sessionis genus, cùm in floribus, ac rosis sederunt; de Heliogabalo Lamprid. cap. XXIX. *Semper sanè aut inter flores sedit, aut inter odores.* Idemque pulvinaria, pilo leporino, & perdicum plumis subalaribus confersit cap. XIX. *Nec cubuit in accubitis* (stibadia intellige, atque toros, qui antiquis triclinaribus successere) *facilè, nisi iis, qua pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum subalares.* Ride ejusdem helluonis inventum alioquin urbanum. Vt vilioribus amicis illuderet tomenti, ac plumæ vice aerem, ac ventum ceu

sessilem subjiciebat, premendum submissis follibus, ubi insiderent cœnantes. Si nimium tendebantur ii folles, duram non tamen incommodam præbebant sessionem; sed modico, & rariori oppleti flamine, æquabilem, ac deliciosam parabant: *Multis*, inquit, *vilioribus amicis, folles pro accubitis sternebat, eosque reflabat prandentibus illis; ita ut plerumque sub mensis invenirentur prandentes*, cap. XXV. Licet opinari supra folles, aut toros operosam fuisse vestem, aut stragula, ne quid suspicarentur convivæ; sed insperatò per automata illa descendentes, cachinnum sonantiorem exprimerent ineptissimo Principi. Et cap. XIX. *Stravit & triclinia de rosa, & lectos, & porticus, ac sic per ea deambulavit.* & cap. XXI. *Oppressit in tricliniis versatilibus parasitos suos violis, & floribus sic, ut animam aliqui efflaverint.* Floreæ scilicet hæ culcitellæ, & rosei pulvilli Sybaritarum, ac τρυφητῶν consuetæ olim deliciæ. Portentosissimus ille voluptatis, ac desidiæ mysta apud Senecam lib. II. *de Ira* cap. XXV. *Sapiùs questus est quod foliis rosæ duplicatis incubuisset.* Singillatim carpta volebat folia, ne quid duriusculi offenderet. Trebellius in *Gallieno* cap. XVI. *Veris tempore cubicula de rosis fecit.* Vopiscus in *Carino* cap. XVII. *Rosis Mediolanensibus, & triclinia, & cubicula stravit.* Rosas nota Mediolanenses: aut pulchriores forsitan, aut molliores. Nisi Melitensibus legamus, quas diu ante in deliciis ad pulvinos faciendos adhibuit Verres, quem imitari voluisset Carinus. Cicero *contra Verr.* X. XXVII. *Lectica octophoro vehebatur, in qua erat pulvinus perlucidus Melitensi rosa fartus.* At nonnulli malunt, *pulvinus, perlucidus Melitensis, rosa fartus*, ut non rosa sit, sed pulvinus è Melita veniens quæsitissimâ tenuitate, ac texturâ perlucidus. Sic *Melitæi catuli* in deliciis, de quibus Adagiographus. Addo locum Theophrasti ab eo inobservatum *Charact.* μικροφιλ. κλάδος Μελιταῖος, *Melitans Surculus*; & Philostratum in *Imagin.* lib. II. tit. Insulæ. Melita hic intelligenda inter Corcyram, & Illyricum, non sedes hodierna fortissimorum Equitum. Quanquam Rosa Melitensis, de qua Tullius, Africanæ hujus Insulæ esse potuit, à qua tunc Verres non admodum distabat. Iterum Cicero II. *de finibus* XVII. *potantem in rosa Thurium*, huoc morem (puto) sive discumbendi respiciens, sive coronandi. Albinovanus Pædo in *obit. Mecanat.*

Victor odorata dormiat inque rosa.

Omnino cognobilis locus Spartiani in *Aelio Vero* cap. V. *Fertur etiam aliud genus voluptatis, quod Verus invenerat; nam lectum eminentibus quatuor anaclinteriis fecerat, minuto reticulo undique inclusum, eumque foliis rosæ, quibus demptum esset album, replebat.* Quòd autem reticulo inclusum scribit, textum reticulati operis intellige, olimque in usu. Græcis ἀμφίβληστρα, notatque Casaubonus: nobis *Maglia*, opinorque in reticulum non adhæsisse proximè lecto, sed quomodo nostrates Camerelli æstivi temporis; & copia enim rosarum calidam tum quoque tempestatem arguit. Quòd vero idem Casaubonus negat novum fuisse inventum cubandi in rosis, fateor ipse. At Spartianus intelligendus est de tota illa lecti fabricatione, & quatuor pluteis, sive anaclinteriis, quorum sepimento conceptæ rosæ sustinebantur. *Album* rosarum quibus demptum volebat, interiorem intellige partem cum apicibus luteis, quæ alio nomine *Flos*. Hæc non ita mollis, aut rubicunda, sient folia extremi ambitus, ac propriè *Calyx* vocabantur. Quibus igitur demptus ille flos, mox appellat purgatas, *Accubationes, ac mensas de rosis, ac liliis fecerit, & quidem purgatis.*

Croco imbutum Isocratis pulvinum refert Plutarchus in *Decem Rhet.* κρόκῳ διάβροχον προσκεφάλαιον vocans. Mollis ob id, atque effœminatus audiit hic Rhetor. Sed pulvillos prorsus merebat preciosos vir laboriosissimus, qui vel uni texendo Atheniensium panegyrico integros quindecim annos assedit.

Varias pulvinorum species, qua magis tument, aut subsidunt; qua paragaudis, tæniis, institis limbantur; umbilicis, clavis refulgent; nodis & peniculamentis lasciviunt, Lector, inspice, ac dijudica, ubi genera sedium exhibuimus cap. XI. & mox dicemus sequenti.

Atque hac igitur clementioris sessionis commoditate prospectum, ne duræ, aut nudæ premerentur sedes, aut scamna; præsertim in ludis olim per longas, atque excruciantes, non spectandi tantùm, sed expectandi moras. Sic factum Romæ in Circo; inde lemma epigram. CLX. lib. XIV. Martial. *Circense tomentum*, & Seneca *de vita beata* cap. XXV. *Nihilo miserior ero, si lassa cervix mea in manipulo fæni acquiescet, si super Circense tomentum, per suturas veteris lintei effluens, incubabo.* Omnino autem capio de tomento pulvillorum. quorsum alioquin sutura veteris lintei, nisi quia pulvilli farti consuebantur? Extenuat autem pulvillos Seneca, ut magis tumeat sententia. Sed quid mirum, si vexati, ac penè discerpti hiarent adeò præ attritu pulvilli, ut efflueret illinc putre tomentum? Quippe gratuitò dabantur; indiligens autem esse solet populus rei non suæ, quod ubique, ac semper evenit. Vide quæ notat Lipsius insuper de pulvillis, ac post eum Bulengerus *de Circo* cap. XXXII. Panvinius *de ludis Circ.* & ad eum Argol. p. VII. & p. LXXXV. In equestribus saltem, aut quatuordecim gradibus fuisse locatos pulvillos non dubitarem. Inde Juvenalis satyr. III.

——— *pulvino surgat equestre.*

Ac multò magis in Orchestra, ubi Senatores ex Dione lib. LIX. προσκεφάλαια τοῖς βουλευταῖς, &c. In Popularibus autem, ubi pullata, ac sordida plebs, non opinarer, nisi quis privatim attulerit. Vide Bulengerum d. cap. XXXII. ac deinceps; qui subinde à Lipsio abiens illud exagitat, quonam tempore, & auctore posita primùm, dein discreta Senatorum, & equitum loca in Circo fuerint? Sed pulvinos quod spectat, aliquod fortasse discrimen inter Senatorios, & equestres, quia institis, aut segmentis distincti, vel stragulo splendidi. Interim mihi ampliandum est: de insternendis autem sellis aliquid infra. Recitantibus quoque pulvinus subditus, in quo considerent. Arrian. *Epictet.* lib. III. cap. XXIII. ἀναβάντα ἐπὶ πύλβινον, *ascendentem in pulvinum*, hoc est, sedem, aut cathedram ubi pulvinus. Notat Vossius *de Imit.* cap. VII. §. XV. Neque aliter sapientibus illis, atque jucundis confessoribus de arte dicendi sermonem instituturis pulvinos poposcit Crassus apud Ciceronem I. *de Oratore*; apparet autem sedes illic fuisse lapideas, ac perpetuas, quoniam tanquam exedra sub opacante platano positæ erant: *Tum Crassum. Imò verò commodiùs etiam: pulvinosque poposcisse, & omnes in iis sedibus, quæ erant sub platano consedisse.* Suspicatur Cresolius Tullium fuisse ductum imitatione sui Platonis, apud quem *de Repub.* disputaturus Cephalus pulvino incumbit. sed diversa ratio est; Cephalus tanquam senio confectus narratur à Platone domi obsidens, antequam ad illum adirent amici colloquuturi, quibus nullus mox traditur datus pulvillus, sicuti fuit apud Tullium. καὶ μάλα πρεσβύτης μοι ἔδοξεν εἶναι, &c. καθῆστο δὲ ἐστεφανωμένος ἐπί τινος προσκεφαλαίου τε, καὶ δίφρου. *Valde senex mihi videbatur*, &c. *Sedebat autem coronatus cervicali ad sedile apposito.* Inita nempe societas, ac perpetuum fermè contubernium

nium sellæ, & pulvini. Idem Cicero lib. IX. epist. XVIII. *Sella tibi erit in ludo tanquam hypodidasculo proxima, pulvinus eam sequetur.*

Imò & liber cum cervicali junctus, tanquam supellex, & viaticum hominis docti, ac sedentarii. Vide Theodoret. *Hist. Eccles.* lib. IV. cap. XIV. ubi de Eusebio. Consule Creśol. d. lib. III. cap. XIII.

CAP. XXIX.

Suppedanea. *ὑποπόδια.* Suppeditanea. Hypodia. *σουππέδιον, σουπέδιον, ποδαμύλιον. Suppedaneum muliebre. ἀνδρείχελος. ἄνθρονος.* Pedule. *Cornelio Frontone genuinus reddiutus sensus.* Pedulla. *πεδεῖον.* Impilia. Scabellum pedum. Scamna. Mensa. *ταπεινὰ δίφρια. Θρῆνυς. Θρανίον.* *Suppedanea in soliis, aliisque sellis honestioribus. Icones prompta è marmoribus, ac nummis. βασιλικὸν ὑποπόδιον: Regium hypopodium, genus cœnaculi apud Persas.* Subsellia cathedraria. Scansilia. Fulcra lectorum. *Pueri, & fœmina sedentes vescebantur: & servi qui, ad* Pedes. Predelle: *earum etymon. Danthes Poeta. Vocabularium della Crusca.* Scabella musicorum, Scamella, & Scamilla.

QVOD si parum sessoribus consuluimus mollem in iis subdendo pulvillum; ne pendulis nunc laborent cruribus, sed salubriùs, atque honestiùs sedeant, scabellum subjiciamus; dorso, ac brachiis fulcra apponamus. Ac si opus sit, stratoriam quoque vestem explicemus, ut sedendi commoditati accedat ornatus, ac decor.

Hæc illa igitur sedentium pedibus supposita fulcra, & assamenta, aut scamna, quæ Græcis *ὑποπόδια*, *suppedanea* Latinè dixerimus. Usurpata vox Cypriano martyri *de ablut. ped.* si modò is auctor libri: ubi de Magdalena pœnitente, *Capiteque pro suppeditaneo stravit, crinibusque circumfusis pedes sacros involvit.* Malim, *Pro suppedaneo*; quod & nonnulli Vett. Codd. præferunt. Scabelli item, Scabella, & Suppedanea etiam Isidoro lib. XX. cap. XI. *Scabella*, inquit, *qui lectis parvis, vel sellis ad ascensum apponuntur. Scabellum autem & suppedaneum dicitur* nobis quoque Etruscis *Soppidiano.* Retinuit Græcisans Paulus III. *Sent.* cap. VII. ibi *scamna, & hypodia*, &c. malim hypopodia, etsi Cujacius non mutaverit. Aliis *Enedracula*, hoc est, sessibulum, aut scabellum. Gloss. *Enedracula, hypopodium.* Græci posteriores invicem à Latinis mutuantes *σουππέδιον* dixere, *σουπίδιον*, & *σουπέδιον*. In nostro Concilio Florentino *ἐκαθέζετο ἐν σουππεδίῳ ὁ τοῦ βασιλέως ἀδελφός. Sedit in suppedaneo Imperatoris frater.* Vide Meurs. *Glossar.* in *σουππέδιον*, qui testimonia congerit. quanquam ea magis spectant illud genus suppedanei amplioris, quod procerum sedibus subjicitur (nobis *Predella*) quàm minuta hæc scamna, & assercculos, ac subices pedaneos, de quibus præcipuè loquimur. Iisdem Græco-barbaris *ποδαμύλιον*: quæ Eustath. in *Odyss.* II. exponit *ὑποπόδια γυναικῶν*, *suppedanea muliebria*, quasi earum peculiaria, & fortasse splendidiora. Adde Suidam in *ἀνδρείχελος*, ad quem Portus adnotator. & *ἀνδρείχελος* etiam, & *ἄνθρονος* pro eodem muliebri scabello. Vide & Salmasium *ad Vop. Carinum* cap. XIX. Diligentissimus Onomastici auctor, dignus planè, qui non bis ex suo nomine, sed ter, & quater sit Felix scamnum hoc à Corn. Frontone *Pedule* vocari scripsit. Verba Cornelii *de Serm. Lat.* ea sunt: *Pedale mensura est pedis: pedule verò sub pedibus præstat utilitatem.* Sed cum istis pedibus, quin etiam pedulibus non video, qui gradiar in Felicis sententiam, quæ à suo auctore secedit minus felix. Opinor namque à Frontone describi non suppedaneum, aut scamnum, sed soccum, aut calceamentum, vel ejus partem, quæ vestigio suppingitur. Idcò inquit, *Pedule verò pedibus præstat utilitatem*: quæ utilitas respicit vestiendi, & muniendi commodum. Reperio id verbum etiam in Festo, *Pedulla, qua dicimus ΠΕΔ..... Græcos appellare manifestum est*, ubi Gothofr. explet *πέδιλα*, hoc est, calceos, vel socculos. Scaliger ante illum: *Pedulla, eadem & pedulia: glossarium: Pedule: πεδεῖον.* Est autem *πεδεῖον*, sive *πέδιλον* socculus. Italicè retinemus eam vocem *Pedulus* pro solo, aut parte, quæ pedem vestit. Glossæ Benedicti *πεδίλια, ποδῶν καλύμματα, pedum integumenta.* Glossæ Isidori, *Pedana, pedulis novus, qui caligæ assuitur.* Interpres Juven. sat. I. *Pedules novos in braccis.* Meurs. affert in *Glossar. Gr. barb.* Meminit & pedulium J. C. *l.* 25. §. 1. *de auro & arg.* &c. pro fasciis pedum, & quibusdam calceamentorum firmamentis. Vide & Cerdam *ad Gloss. Isid. Advers.* p. CCCXXIV. alio nomine *Impilia* dixere, nobis *Feltri.* quam vocem Cujacius restituit in *l.* 3. *de suppell. leg.* alii legunt *Imparia.* Videatur idem Princeps J. Consult. X. *Obs.* XVII. & V. XI. Turneb. *Advers.* lib. XVIII. cap. XXIII. Sunt autem hæc Impilia, quæ omnino pedibus utilitatem præstant, sicuti de pedulibus scripsit Cornel. Fronto. Ergo aliud est *Pedule*, ni fallor penitus, aliud *Scabellum*, vel *Scabellus*, & *Scamellum*, & *Scamellus*, qui sedentium pedibus subditur; quæ voces omnes à scamno deductæ. Quintilianus lib. I. cap. IV. *Nec miretur cur è scamno fiat scabellum*, &c, *Panchetta* nobis, & *Predellino.* Interpres sacræ paginæ *Psalm.* CIX. quod in LXX. est *ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου, Scabellum pedum tuorum.* Sic *ὑποπόδια τοῦ Θεοῦ, Scabella Dei* vocata olim templa teste Suida. Vide in *ὑποδήματα*, & in *ὑποπόδιον.* Sic Cœlum thronus Dei vocatur; terra autem scabellum, sive *ὑποπόδιον* D. Matth. cap. V. Enniusquoque à Tullio laudatus primo *de Divin.* solum, aut solium cum scamnis conjunxit:

Auspicio Regni stabilita scamna, solumque.

Ovidius etiam scamna dixit lib. I. *Artis improba*:

Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem.

quæ paululum fuisse cavata apparent, ut pedes firmius, & commodiùs insisterent. Mensam vocavit Curtius lib. V. cap. II. *Consedit deinde, Alexander, in Regia sella multo excelsiori, quàm pro habitu corporis. Itaque cum pedes imum gradum non contingerent, unus ex regiis pueris mensam subdidit pedibus.* Omne enim lignum planum, sive quadratâ, sive rotundâ figurâ *Mensam* dixere, ut Græci *τράπεζαν.* Vide notata à Consultissimo Gifanio *ad Lucret.* in verbo *præstringere.* Sed mensa illa fulciendis Alexandri pedibus, de qua Curtius, verè talis erat, qualem cibo capiendo apponimus, atque ea ipsa Darii Regis fuerit. Vide narrationem. Hæc suppedanea Gr. *σφέλλεια* Polluci lib. X. cap. XI. quæ Hesychio *ταπεινὰ δίφρια, ὑποπόδια, humiles sedecula, hypopodia.* *Θρῆνυς* itidem Polluci ex Aristophanis *Pluto*: ubi Scholiastes *δίφρια*, *ἢ ὑποπόδια* exponit pag. mihi CXXXV. Ac digna prorsus risu explicatio Grammatistæ, quà conatur nobis depingere id genus scabellorum; talia esse narrans, qualia inscenduntur ab iis, qui laqueo sibi gulam frangunt, mox ea calcibus depellentes, ut suspendiosi remaneant. *ἐφ' ὧν οἱ ἀπαγχόμενοι αἴρουσι ἑαυτοὺς ἀποκρεμάζοντες αὐτά.* Hoc Aristophanis, & aliorum *Θρανίον*, & *Θρῆνυς*, Homero *Θρῆνυς* vocatur. Hinc illud veluti solenne apud hunc vatem, quoties apparatiorem describit sellam, *ὑπὸ δὲ Θρῆνυς ποσὶν ἦεν, sub pedibus autem erat scabellum*, quomodo Helenæ subjicit IV. *Odyss.* vers. CXXXVI. & Vlyssi X. CCCXV. Dioni

Dioni lib. *Hist.* XVII. vocatur τὸ ὑπὸ τὸν θρόνον ὑπόβαθρον, *Scabellum throno subjectum, aut circumpositum.* Respondet nostro *Soppidiano.* Hesychio κλιντήριον: quod ita explicat, *βάσις ἐφ' ᾗ τίθεται θρόνος. basis qua sella supponitur.* Talem advertere est in nummis apud Ursinum in *Famil. Pompeja* suggestus cernitur curuli subjectus, quem nos *Predella* dicimus, rarò aliàs in nummis eo pacto comparet. Ea interim mihi blanditur conjectura, in argumentum honoris, ac dignitatis fuisse apposita ea suppedanea, neque omni pariter sedi subjecta; sed iis, quæ eximios, ac spectatos manerent sessores, quare thronis, aut soliis potissimum subjuncta, ut nuper ex sacro Matthæi codice, atque Ennio protulimus. Hinc Athenæo lib. V. cap. VI. Thronus definitur sella ingenuorum cum suppedaneo, vel scabello, ἐλευθέριος καθέδρα σὺν ὑποποδίῳ; quæ & ibi θρῆνυς appellatur, quomodo & Homero, ut pronuper dicebamus.

Observare autem est in antiquis marmoribus, ac nummis ea scabella imis pedibus hærentia, ubi digniores conquiescerent. Sellam Pontificiam vide sup. cap. XIX. & quas produximus cap. XIII. Aliæ hic tibi vulgantur. Unam appingo novæ nuptæ, ut apparet, quæ flammeum sibi reducit, altero pede scabellum premens non adfixum, sed mobile, & à sede aliquantisper sejunctum. Vide n. L. Visitur Romæ è figulino opere antiqui artificii in Museo Jo. Petri Bellorii. Circa eam sedentes tres aliæ adstant fœminæ ingressæ ad officium νυμφικόν. Secundam Consulis in Gazophylacio Principum Justinianorum. Tertiam Romæ sedeotis apud eosdem. Quartam in S. Stephani rotundi. Quintam Ravennæ in S Apollinaris è marmore candido, quam mihi curavit Marchio Lucas de Albizis patriæ nostræ decus ob notissimas animi virtutes in labe sæculi, & annorum flore. Vide num. LI. LII. LIII. Nummos tibi exprompsi, ubi Philippus Pater, & filius in sedibus cum suppedaneo; quod rarò aliàs curulibus appositum. Adi ad Tristan. pag. DLXIX. parte II. Alter patrem Septimium Severum exprimit cum scabello, quod negatur Getæ, & Aurelio Antonino assidentibus in eodem suggesto, & æqua altitudine, ib. pag. XCVI. Vide sup. Imagin. n. XXXVI. & XXXIX.

Celebre quoddam reperio suppedaneum apud Athenæum lib. XI. cap. II. quod Persæ appellabant βασιλικὸν ὑποπόδιον, *Regium hypopodium.* Ita dixerunt cœnaculum cum tribus lectis; ubi talentorum tria millia condebantur, quoniam enim ad pedes Regii cubilis locatum erat, ideò hypopodium vocitatum. Sicuti προσκεφάλαιον βασιλικὸν, *cervical regium*, quod supernè structum erat ad verticem regii cubilis, cœnaculum cum talentis quinque millibus. Commodum Hercules scabellum, commodius cervical, quod tam multis constabat auri talentis. Cum hoc cervicali quis non dormiscat in utramque aurem securus? Vide illic Athen. de eo Persarum Regum luxu ex Charete Mitylenæo. Sed aliud est hoc suppedaneum Persicum, ut constat, ab alio sedentium, de quo memorant tam sæpè scribentes. quanquam juvat quandoque suppedaneum explicare non tam de istis minutis, atque exilibus, ubi pedes conquiescunt, quàm de ampliori tabulato, ubi totæ sedes statuuntur, virorumque summatum honori componuntur. Quod & hodie facimus, ut spectatiori emineant sede, & à reliquo vulgo segregis existimationis decus retineant quicunque largioris fortunæ, aut dignitatis sortem obtinuerunt. Hoc enim pacto ὑπόβαθρον κατὰ τὸν θρόνον Dioni sup. lib. XVII. intelligo; pro illo nempe gradu, tabulato, aut pegmate, ubi thronus statuitur, ostenduntque imagines ante productæ. Sic pleraque exempla allata à Meurs. in *Glossar.* verbo Σκάμνα huc ducunt meo judicio, tanquam si tabulata, scamna, atque eminula forent assamenta, quæ nobis *Gradini*, aut *Predelle.* Neque aliter interpretor J. Consultum in *l. 5. de supellect. leg.* ubi *subsellia Cathedraria*, quàm quæ cathedris, sedibusve honestiorum subjiciuntur. *Scansilia* item appellata, præsertim si plures sint gradus. Isidorus lib. XX. cap. XI. *Scansilia gradus sunt, ubi honorati in sedibus harent.* Ante illum Varro *de Ling. Lat.* lib. V. *duplicata scansio gradus dicitur.* Tribunalibus ea propter appositi: inde βαθμὸς quandoque pro tribunali exponitur ab ascendendo. Eo sensu Etymolog. θρόνος ἡ ὑπερηρμένη καθέδρα, *thronus eminens cathedra,* Vide passim in nummis solia, aut suggesta Principum, & Magistratuum. Sed & lectis apposita, aut adfixa hæc scabella, tum ad fulturam pedum, tum ad ascensum. Idem Isidorus loco cit. *Scamna sunt, quæ altioribus lectis apponuntur dicta à scandendo; hinc & scabella, quæ lectis parvis, vel sellis ad ascensum apponuntur.* Idem Varro, qui supra: *Quia simplici scansione scandebant in lectum non altum, scabellum: in altiorem, scamnum.* Etiam hodie nonnulli eo tabulato circa lectum utuntur. Sed Veteres quod attinet, non tam pro cubiculari, quàm pro tricliniari intelligo. *Fulcra lectorum* dixit Suetonius in *Claudio* cap. XXXII. ubi pueri nobiles, aut filii vescebantur ad mensam Principis: *Adhibebat*, inquit, *omni cœna & liberos suos cum pueris, puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur.* Assidentes interpretor, dum patres, ac domini discumberent. Idem in *Aug.* cap. LXIV. LXV. *Nepotes*, &c. *Neque cœnavit una, nisi ut in imo lecto assiderent.* Imus lectus sunt ea fulcra. Tacitus lib. XIII. *Ann.* cap. XVI. *Mos habebatur Principum liberos cum cæteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum*; non tamen imum lectum assignat, sed *propria* (subjungit) *& parciore mensa.* Vide Lipsium plenè monentem. Eundem locum fœminis metor. Valerius Max. lib. II. cap. II. *Fœmina cubantibus viris sedentes cœnitabant.* Morem priscum intellige, qui deinde sublatus. Lapideum tibi sisto monumentum in cippo, aut pilo veteri, ubi super scamnis, aut fulcris pueri cœnitant, dum in toro discumbit dominus. Inspice sis apud Boissardum parte IV. pag. CXLV. Citharistriam quoque illic observare est sedentem procul à mensa; non in scamno, sed in sella altiori, acroama dantem convivis servis itidem parata statio in iis subselliis. Vide n. LIV. Quò respexisse puto Sagarinum, & Stichum bina mancipia apud Plautum *Sticho* Act. V. Sc. IV.

—— potius in subsellio
Cynicè accipiemur, quam in lecto.

Atqui gratiores hero servuli illinc è mensa summulam cibi accipiebant. Martialis lib. III. ep. XXIII.

Omnia cum retrò pueris obsonia tradas,
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

Lectorum nempe intelligit pedes, ubi pueri sessitabant. Ludit ingeniosus poeta, quoniam ii pueri, aut servi *A pedibus* vocabantur, & *Ad pedes*, & *Circum pedes.* Petron. *Fragm.* nuper editum pag. LI. *Camellam grandem jussit misceri, potiones dividi omnibus servis, qui ad pedes sedebant.* Quod igitur retrò, & ponè convivantes dominos sive *Ad pluteum* (ut loquitur Suet. *Calig.* cap. XXVI.) aut posticam lecti partem præstò essent, ideò *Ad pedes* vocati. Cœnantes verò ad imum lectum, in scamno, aut suppedaneo sedebant, ut supra de liberis diximus. Lipsium consule ubi sup. ad

locum

locum Taciti, Pignor. *de Servis* p. mihi xxiii. ubi de ferro *A pedibus*. Sed cum istis pedibus lubricam facientes semitam, nimium forsan excurrimus; unde sermo jam noster est revocandus. Non parco monere quædam de hoc scabello sub pedibus miscuisse Julium Cæs. Buleng. lib. *de Circo Rom.* cap. xxxii. & xxxiii. Neque indictum relinquam suppedanea hæc, & scabella nobis *Predelline*, & *Panchette* vocitari: sicuti majora illa tabulata, ubi sedes digniorum componuntur, *Predelle*. Si rectè augurior, quasi *Pedelle*, quod pedibus subjungantur, corrumpente vocem plebecula, & sibi commodiorem recudente; inserta R. qua litera nostri gaudent, ut aliàs monuimus. Nisi malimus *Predella*, hoc est, *Prodella*. *Proda* nobis est margo, crepido, extremitas, alicujus rei, & spondæ; ut hæc scamna extremis lectis, sedibus, suggestis apponere, & affigere solemus. Garriamus tertiò: *Predella* pro *Pretella*; obvio transitu literæ *T.* in *D.* Usitatior namque tum res ipsa, tum nomen in sacra supellectile, quoniam presbyteris potissimum tributa honoris gratia; sive altaribus operentur, sive suggestis; sive in cathedra expiatoria sedeant. Ohe! Nimium effutimus, inquis, in hisce levidensibus consectandis. Fatemur enim: sed maximorum exemplo peccantes, qui hanc sibi pruriginem tam dulciter scalpunt. Neque vero sumus omnino imparati ab hac lubidine, quæ nostris lituraris quantulamcunque illevit observationum congeriem super vocum Etruscarum origine. Non illaudanda alioquin cura, nisi aliæ curæ, an sequior valetudo moram injiceret. Sed gratulor non deesse nostræ Urbi Florentissimæ ingenia elegantius hisce patrii sermonis insudantia, quibus hanc provinciam longè doctiùs, exquisitius, feliciùs occupandi jus esto. In semitam me refero. Alio sensu præter hunc vulgatum. Divinus poeta noster Danthes vocem *Predelle* usurpavit lib. vel cantico vi. *Purgatorii*:

Poiche movesti mano alla Predella.

Ad quæ carmina vetus Scholiastes ineditus *Predella* deducit à prædio: parum aptè opinor, nulloque nexu, aut significatu ad eum locum. Potius illic *Predella* est (ut alii malunt) pars fræni, quam eques manu constringit: unicâ prorsus, ac novâ apud vatem notatione. Consulantur interpretes, quos laudat illic eximium *Vocabularium* della Crusca: opus quod tertiis curis magnam sui partem locupletatum, atque jam jam prælo maturum, Etruscarum literarum ingens thesaurus meritò audiet.

Coronidem ultimò imponam, si addidero inter musica organa, aut saltim in instrumento Symphoniaco fuisse scabella. Arnobius lib. ii. *Numerosos iterarent scabillorum concrepationibus sonores.* Suetonius *Calig.* liv. *Deinde repente magno tibiarum, & scabellorum strepitu.* conjunguntur hic tibiæ, & scabella. Congruit Statii vetus interpres vii. *Theb.* ad illa.

——— *& ad inspirata rotari*
Buxa.

Scabillum exponens, *quod in sacris tibicines pede sonare consueverunt.* D. Augustinus *de musica*, lib. iv. *Veluti cum Symphoniaci scabella, & cymbala pedibus feriant.* Hinc glossæ Isidori, *Scamellum Symphoniace.* quæ ita exponit Vossius in *Etymolog.* quoniam unus Symphoniacis modum dabat pulsu scamelli: unde scamellorum, vel scabellorum crepitus. quasi equidem lignea vox illa pulsi scamelli præirensiares, ac præiret cantaturis Symphoniacis. non aliter ac etiam hodie modiperatores, aut mesochori tum manu, tum pede scamna, & abacos feriunt (quod nos *far la battuta*) non modò signum dantes ad incipiendum; sed assiduâ eâ pulsione, aut supplosione regulam, modumque jugiter præscribentes: id enim magistrorum, & musurgorum officium. Casaub. *ad eum Suetonii locum Calig.* scamellum non à scamnis nostris deductum, sed tum nomen, tum organum ipsum barbarum putat. Videatur & Torrent. ib. Inscriptio Spoletina apud Grut. cccclxiv. vii. *Præf. Fabr. Romæ. Dec. IIII. Scamillar. Opera Veteres à Scæn.* &c. Hæc Decuria quarta scamillaris, vel scamillarium, aut scamillariorum, corpus, aut collegium artificum signat, qui scamilla conficerent. De scamillisne musicis, an ad sedendum, scandendumve compositis sit accipienda epigraphe, non ausim statuere. Neutrum respuo, quoniam utrumque quadrare hic potest, ubi operarum à scena fit mentio. Sed & literas *Dec.* Decurioni quis explicet, dum cætera congruenter aptentur: Habebant namque suos Decuriones corpora, aut collegia. Salmasius *ad Vopisci Carinum* cap. xix. primò putavit hæc scabella nihil aliud fuisse, quàm sandalia lignea, vel soleas etiam ferreas ad terram, vel tabulam clariori sono feriendam, ut ea supplosione saltantibus pantomimis, aut canentium choro ἐνδόσιμον darent. Gr. κρουπέζια, & ξύλινα ὑποδήματα, *lignei calcei* Polluci, Hesychio, atque aliis. Quod igitur è ligno, & scabellis similia subjicerentur pedibus, hoc ideò nomen illis inditum scribit Salmasius, qui mox sine nomine perstringit magni nominis virum Casaubonum, tum organum, tum vocem scamilli exoticam opinantem. Credit tandem Salmasius revèra fuisse scabellum, sive ὑποπόδιον, quod pede feriebatur ligneâ, aut ferrea solea, ut major crepitus ederetur. ac de usu hujus scabelli in sacris, & theatris plura illic observat: quò trahenda etiam illa Ciceronis *pro Cælio: Mimi ergo est jam exitus, non fabulæ: in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis è manibus, deinde scabella concrepant, aulæum tollitur.* Cui lubet igitur exquisitiùs hæc dijudicare, tu vide apud eundem Salmasium, Vossium *Etymolog.* Casaubonum *Suet. Calig.* cap. liv. trigam omnino Principum in literis Virorum. Quibus addo jugalem V. Cl. Jo. Bapt. Donium civem meum singulari dissertatione de scabellis inter doctissima ejus opuscula prælo matura. Ego cum Mimo illo Ciceroniano, ut clausulam tandem inveniam, nec alteriùs inter scabella concrepem, fugio hîc è manibus, & aulæum tollo. Expectare Plaudite aliis relinquo.

Cap. XXX.

Spalliera. Ἀνακλιντήριον. Ἀνάκλιτον. Ἀνάκλισις. Anaclinterium. Reclinatorium. Adclinatorium. *Pluteus lectorum.* *Lectus* ἀμφικέφαλος. Adminiculum. *Lectus Veri* quatuor eminentibus anaclinteriis. κλισμὸς *sella splendida; at* δίφρος *de viliori apud Homerum.* Sordida sedes. *Sedentium statua ferè sine reclinatorio: itidem curules.* Braccivoli: *Ancones:* ἀγκῶνες. *eorum descriptio:* Vineæ brachiatæ.

Ad reliqua accedimus sedentium commoda, imo etiam decora, & ornamenta. Huc spectat pars illa sedis, sine qua potest, sed non benè, aut commodè sederi. Nos aptè vocamus *Spalliera*, quòd humeros illic reclinemus. Græcis ἀνακλιντήριον, ἀνάκλιτον, ἀνάκλισις. Vide quæ scripsimus cap. xxvii. Usurpata vox *Anaclinteris*, Spartiano in *Ælio Vero* cap. v. *Lectus eminentibus quatuor anaclinteriis fecerat.* Latinè redditur *Reclinatorium.* Isidorus lib. xix. cap. xxvi. *Fulcra sunt ornamenta lectorum, dicta, quòd in iis fulcimur,*

mur, id est, sustinemur, vel quòd tergas fulciant, sive caput, quæ reclinatoria vulgus appellat. Eam vocem apud vulgus invaluisse monet Isidorus, cùm alioquin *Fulcrum* diceretur. Cantic. Cantica cap. III. *Reclinatorium aureum.* D. Ambrosius *de Virgin.* lib. III. *Adclinatorium* vocavit. Sed Anaclinterium, aut Reclinatorium propriè in lectis, ut ostendunt loca auctorum, quæ protulimus. Est enim pars illa, sive pluteus eminens, ubi pulvinum aptamus ad caput reclinandum. Fermè autem antiqui lecti (observare est in marmoribus) duos habebant cujusmodi pluteos, aut fulcra; quo pacto nonnulli etiam hodie, præsertim inopum. Pluteus ad caput lecti (sic Gr. κεφαλὴ τῆς κλίνης) altior: qui verò ad pedes depressior. Inde hoc genus lecti ἀμφικέφαλος Etymolog. & Hesychio, quasi utrinque capitatus, supernè, atque infernè. Sed magis placet ἀμφικνέφαλος; est enim κνέφαλος (inde gnafalium, de quo supra,) cervical, vel pulvinus: qui, quòd ad utrumque pluteum componeretur, ἀμφικνέφαλος ille lectus vocitatus. Quocirca memoratur ut insolens, atque enormi magnitudine ad luxum lectus ille Ælii Veri, *Quatuor eminentibus anaclinteriis.* Vide adnotatores illic.

Atque hac igitur imitatione *Fulcrum*, *Pluteum*, *Anaclinterium*, *Anaclitum*, *Reclinatorium* appellare possumus eam sedis partem, ubi dorsum, atque humeros reclinamus. Sedes autem ita compacta κλισμὸς, ἀνάκλιτος θρόνος, κλιντὴρ, & aptissimè κλινοκαθέδριον Etymologistæ. Vide sup. cap. XXVII. *Adminiculum* (nobis *appoggio*) postica ea coagmentatio non incommodè Laurus enuncietur. Hodie in magno compingendarum sedium ingenio, cùm nihil vel ad dexteritatem, vel ad luxum omittitur, eam partem verè Anaclinterium appellare possumus; quoniam non dorso, atque humeris tantùm reclinandis, sed collo, & capiti, quamlibet in altum porrecto satis superque præstat fulcimenti: adeo ille pluteus profundè, lateque strui, & appingi solet. Commodiùs itaque, ubi eo anaclinterio humeri sustinentur, sed non absque honoris simul argumento sedetur. Ut fermè fit, quos ante alios habemus tum augustiori sede, tum lautiori cæterarum rerum apparatu excipimus. Præclarè advertit Athenæus lib. V. cap. VI. ex Homero κλισμὸν (sellam nempe, cui pluteus inesset ille) dignissimis quibusque apponi solitam: de qua etiam illud addit, περιττότερος κεκόσμηται ἀνακλίσει, *quod splendide ornata sit ad reclinandum.* At contrà δίφρος (sella, aut scamnum, ut expono, sine fulcro) eidem vocatur ἀεικέλιος, *vilis*, aut *sordida*, qualem illic memorat datam Ulyssi, ἐπειδὴ ἐδόκει ἐνδεέστερος, *quia mendicus esse videretur.* Haud aliter Lucanus de Senatu Romano, vel extorri, & sua pulso dignitate lib. V.

——— ——— *sordida sedes*
Romanos cepit proceres ——— ———

In vetustis lapidibus, ac nummis variè deformatus apparet hic pluteus: non semper continuo tabulato, & unica compage, sed transversis per intervalla asseribus, aut fasciis, sicuti hodie in quibusdam sedibus minoris pretii, nec interioris admissionis. Species autem plurimùm quadrangula: quandoque rotunda, atque altiùs assurgente: cava nunc, & lunata, ut sessorem veluti complectatur. Observa Citharistriam sedentem inter epulas, quam superiori capite produximus ex Boissardo. Eundem vide p. CXXVII. partis VI. ad portam Appiam, ubi pulcherrimæ structuræ sedes Jovem tenet fulminantem; & pag. CXIV. partis V. ubi sedentium Fortunarum icones. Percurre quæ supra cap. XXVII. ubi variæ sellarum, ac sedentium formæ ubi expromuntur, & fulcrorum attende imagines. Quanquam raro, præsertim in statuis sedentibus reclinatorium appositum visitur. quod studiosè factum existimamus, ut integra, & exerta statua conspectior fieret; neu vivax operis gratia, eo impedimento minueretur. Cæterùm quòd Curules sellæ eo plurimùm careant fulcro, aut adminiculo, retinendæ opinor vetustatis gratiâ id factum apud Romanos, quoniam simplicissima ea sedes priscorum; vel quia plerumque in tribunali, aut suggesto locabatur, parieti, vel tabulato admota; unde humeris itidem fulcrum, & innixus caperetur. Vel quoniam tandem curulem secum gestantes Magistratus, quacunque ponebant, ac reponebant; commodiùs autem, si nulla sarcina, & adjectio reclinatorii sedem oneraret.

Ne mutilas, ac truncas habeamus sellas, suis ulnis, ac manibus instruamus, quibus sessorem ambiant, & complectantur. Nos vocamus *Braccivoli* transversaria hæc ligna, & asserculos antrorsus procurrentes, qui pluteo alligantur, & arrectariis in altum productis incumbunt. Similitudine brachiorum in humano corpore; dum pro variis sedium forma nunc ab ipsa reclinatorii summitate tanquam à scapulis desiliunt, nunc veluti lacerti in extremis ejus angulis ad thoracem, vel costas reflectuntur. In Veterum sedibus frequenter occurrunt: quo nomine demonstrari haud ita obvium. Possumus transtilla, septa, retinacula, clathros, tigilla, ubi cubito innitimur; possumus fulcra brachiorum appellare; sed peculiarem, & genuinam nomenclaturam uni debeo Cælio Aureliano *tard. pass.* lib. II. cap. I. *Consilium dabimus, ut sella tonsoria sedeant ægrotantes, quæ sit obliquis anconibus fabricata, quibus incumbentes sese levare nitantur.* De hac sella tonsoria sup. diximus cap. XXV. Interim *Ancones* nihil aliud sunt, quàm qui nobis *Braccivoli*, nisi fallor, ἀγκῶνες. Verbum ipsum consentit, quo Cubiti denotantur, neque usus abludit, dum tales describit Aurelianus, quibus sese incumbentes levare nitantur. Est autem ἀγκὼν illa flexio, curvatura, & cubitus, quem facit tigillum vinctum lateribus plutei, vel lignis arrectariis, quæ reclinatorium sustinent. Haud aliter Vitruvio lib. III. cap. III. & lib. IV. cap. VI. *Ancones* vocantur brachia illa, aut virgæ, quæ normam componunt figurâ literæ L. *Uti norma*, inquit, *in cavo strigis cum fuerit conjecta, circumacta, ita anconibus* (hoc est, brachiolis) *striarum dextrâ, ac sinistrâ angulos tangat*, &c. lib. III. c. III. *Ancones, sive prothyrides.* lib. IV. cap. VI. & *Ancon*, instrumentum forma eadem, qua diximus. Vide Turneb. *Adversf.* lib. II. cap. XXIII. Lucem tandem bonus mihi præstat Pollux lib. I. cap. X. iis verbis, τὰ δ' ἐγκοῖλα τὰ ἔνδον τοῦ δίφρου, γωνίαι, καὶ ἀγκῶνες. *Flexus sellæ interioris, anguli, & cubiti* (vocantur) loquitur de sella in curru locata.

Ergo ancones, & cubita, hæc ligna, quæ nobis *Braccivoli*, ac sedes ipsa, *à Braccivoli*. Non audeo Brachiatam appellare; etsi non ignoro eadem tralatione brachia arboribus tribui, & vineas *brachiatas* ea similitudine appellari à Columella lib. V. cap. V. *Aliis capitatas vineas, aliis brachiatas magis probant, quibus cordi est in brachia vitem componere, conveniet*, &c.

Sed cur Veteres tam curiosi in cæteris sedium partibus, aut ornamentis designandis, ut pulvillo, suppedaneo, reclinatorio (de quibus sup.) in his brachiis, aut anconibus adeo mutiunt? Fortàsse hæc pars in sellis, aut cathedris apparatioribus, ut necessariò, ac vulgariter juncta, nihil præcipui habebat, quod scribentes memorarent? Verùm ea interim mihi obrepit conjectatio, nomine reclinatorii, ἀνακλίντρου, aut sedium, quas dixere κλισμοὺς, hanc quoque partem contineri; quippe tota illa compages postici fulcri, & anconum omnigenam præstat commoditatem ad reclinandum.

Quod

Quòd si alterutro careat sedes, magna commoditatis pars sessori decedit. Huc spectare puto verba Athenæi lib. v. cap. vi. ubi de sella κλισμῷ loquens, (vide sup.) satis habuit scribere *πεπλεγμένος κλισμὸς ἀνακλιθῆναι*, *instructa est eximie ad reclinandum.* nempè *ἀνακλίσεως* nomine, & reclinatorium, & ancones, & quidquid aliud magis ducat ad commodè quiescendum, fortean complecti Pollux voluit.

CAP. XXXI.

Stragulum. Stragula. Instratum. Stratoriæ vestes. Peristromata. Peripetasmata. Operimenta. Pallia. Opertula. ἱμάτιον. *Octavius Ferrarius cum laude memoratus.* Pallium: *pro quovis instrato.* Solaria. Babylonica. Sedularia: *aliter explicata, ac Turnebo placitum.* Subsellia cathedraria. Toralia. Accubitalia. Mantelia. Stroppi. Cataclita. *Casaubonus defensus.* Mappæ. *Pelles sedibus injectæ: quæ repostiles, sæpius fixæ: clavis argenteis distincta. Tapetes, & stromata, linteamina ultimo, ac vela.* Sellisternium. σελλιστέρνιον. Habere sellisternium: *ac de ea re exactè. Sellisternia etiam hominibus, non tantum Diis curata.* Lectisternium. *Tum lectis, tum sella numinum. Sellisternium pro sella, ut Lectisternium pro lecto. Corona super sellis; item cornua potentiæ indicio; aliaque Deorum symbola, ac donaria.*

SEDES non unius generis variè fabricatas, & compactas suis partibus, atque ornamentis instruximus hactenus; tum vero ad commodi usum, tum ad speciem dignitatis concinnavimus. Sed parum honestæ nobis visæ sunt, si nudas hic reliquerimus. Quare injicimus illis ultimo loco stragulam vestem, raptimque, ac tumultuariè veluti festinantes amicimus.

Stragulum, Stragula, Instratum, & *Vestis stragula* communi appellatione dictum quicquid ad injiciendi, insternendive usum adhibebatur. Paulo J.C. lib. III. *Sent.* tit. VII. qui est de legatis *stratoria vestes* memorantur. Gr. στρώματα, περιστρώματα, περιπετάσματα, &c. Varro lib. v. *de Ling. Lat. Græca sunt Peristromata, & Peripetasmata.* Idemque, *Operimenta, & Pallia, Opertula dixerunt.* ἱμάτιον enim Græcorum (quod Latinis *pallium*) pro veste etiam stragula usurpatum: notavitque ex Poetarum auctoritate V. Cl. Octavius Ferrarius consummatissimo opere *de re Vest.* parte II. lib. IV. cap. III. Sed poetis, hoc est, genti licentiosæ, prorsi sermonis addamus firmamentum ex J.C. l. *instratum* 45. D. de V. S. *Neque enim dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium περίστρωμα.* Vide Cujacium lib. x. *Observat.* XVIII. Præter locum Varronis sup allatum, en tibi Suetonius in *Nerone* cap. XLVIII. *Super lectum modicella culcita, vetere pallio strato instructum.* Imò pro mantili ad tergendi usum, Petronio, *Jam Trimalcio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex lana mollissima factis.*

Nos verò hic ea vix delibamus, quæ ad usum, aut ornamentum sedendi faciunt. Ulpianus J.C. l. 25. *de auro, & arg. leg. Tegimenta subselliorum* nominat. Si quibus enim sedilium ea operimenta conveniunt, subselliis, & scamnis ob nuditatem, ac duritiem debentur. Hæc ipsa tegimenta *Solaria* appellari voluit Cujacius lib. x. observ. XVII. Vide hunc & *ad l. unus ex dominis D. de servitut.* & nos sup. cap. XXVIII. Festus, *Solla appellantur sedilia, in quibus non plures singuli sedere possunt, adeoque solla sternere dicuntur, qui sellisternium habent, & solaria vocantur Babylonica, quibus eadem sternuntur.* En *Solaria*, en *Babylonica* ad usum sedium. Babylonicorum mentio eadem l. 25. *Tapeta vesti cedunt, quæ aut sterni, aut injici solent. Sed stragulas, & Babylonica,* &c. Reperio & *Sedularia* pro stragulis sedium; propriè autem earum, quæ in rhedis locabantur, ut visum Antonio Augustino, emend. IV. Non improbo magni viri enarrationem, quoniam hæc sedularia cum rhedis conjungit J.C. l. 4. *de suppell. leg.* Non placet quod Turnebus voluit lib. XVIII. *Advers.* cap. XXIII. *Sedularia* esse multa sedilia, ut *Cathedraria* sunt multæ cathedræ, *Rosaria* multæ rosæ, &c. quod autem vocem *Cathedraria* ex eodem J.C. advocat d. l. 5, minus assentior, quasi disjunctim legerit. Ego junctim lego, *Subsellia cathedraria,* nempe quæ cathedris subjiciuntur, atque ita non erunt aliud Subsellia, & aliud Cathedraria, neque hæc multæ cathedræ, ut Rosaria multæ rosæ, &c.

Hæc igitur subsellia stragulis fuisse operta, & quidem tapetibus docet ibidem J.C. *De tapetis quæri potest subsellia cathedraria, quibus insterni solent,* &c. Sic Plauto *Stich.* Act. II. Sc. III. peristromata cum sellis junguntur. *Tum Babylonica* (inquit Dinacium) *peristromata, sella, & tapetia.* ut habent Vett. exemplaria: sive quod mavult Meursius, *Solla, & tapetia*: est autem sollum idem ac sedile, vel solium unius capax, ut aliàs diximus.

Neque solis operimentis, aut peristromatis scamna, ac subsellia tegebantur ad ornatum, sed iis jam instratis pulvillos fuisse superinjectos non est dubitandum: prout sedentium dignitas, aut sessionis apparatus, ac majestas postulasset. Sic *Stroppos* pulvinaribus fuisse impositos docet Festus in *Stroppus*: præsertim in Castoris, quos vel coronas interpretari licet, vel fasciculos. In antiquis monumentis comparent ea stragula, sæpius etiam pulvilli, nec rarò in curulibus. Vide cap. XIII. & cap. XXVIII. Contrariè in scamnis, aut subselliis, ubi perpetuæ, & oblongæ culcitellæ affiguntur, & inhærent, aliquod insuper splendidius operimentum imponebatur; cùm alioquin cæteri pulvini repostiles, ac breves, & unius tantùm capaces supra omnem stragulam collocentur. Haud aliter *Toralia* (inde nostrum *Tovaglia*) vel *Accubitalia* toris imponebantur: quia tori in modum pulvinarium (nobis *strapunte*) componebantur, congesta lana, aut tomento referti. Vestem *de Cataclitis* vocavit Tertull. *de Pallio: Et pavo pluma vestis, & quidem de cataclitis.* quod malo, quàm *Cataclistæ. Vestis de cataclitis*, pro Vestis cataclitorum; sic *vestis de altari*, &c. quomodo nos Italicè. Sunt autem κατάκλιτα, *Accubita.* Pavo igitur pluma vestis est de cataclitis, quoniam refert auri & purpuræ colore vestem tricliniarem, & accubitalem, qua tori in tricliniis sternuntur. Vide Salmasium *ad hunc Tertull. locum.* Uno verbo hanc stragulam *Tricliniaria* dixere. Plinius lib. IX. cap. XXXIX. *qua purpura quis non jam, inquit, tricliniaria facit?* Idem lib. VIII. cap. XLVIII. *Tricliniaria Babylonica.* Labeoni J.C. l. 20. *de opt. leg. Vestimenta tricliniaria.* Sic *Mantelia*, sive *Mantelia* mensis injecta; de quibus Salmasius *ad Vopisc. Aurelianum*, à toralibus, sive accubitalibus distinguens; quoniam his tori tantùm, & accubita; mantelis, aut mantuelibus mensæ insternantur. Cùm tamen Casaubonus ab eo reprehensus confuderit *ad Lampridii Heliogab.* cap. XIX. Hoc interim scio, accuratè, atque exactè hanc partem philologiæ fuisse tractatam à Casaubono, qui ad illud Heliogab. cap. de se scripsit (alibi meminimus) *In commentario nostro de lectis, & stragula veste, quem brevi editure sumus, Deo faciente, affatim de istis omnibus,* &c. Ad eum commentarium, Lector, te delego, si modò publicam vidit lucem, quam illi auctor parabat. Sed cubat (opinor) adhuc in pluteis, ac tenebras fert indignè. etiam ipse docuit Casaub.

accubitalibus toros, sive accubita fuisse instrata; modestè subdens etiam mantelia venire eo nomine. Sunt igitur magis propriè mantelia stragulæ vestes, quibus mensæ operiebantur, quæ olim *Mappa* teste Isidoro lib. XIX. cap. XXVI. Toralia autem, & Accubitalia, quæ toros, & accubita suo velamento exornarent. *Mantelibus aureis semper stravit*, inquit Pollio in *Gallieno* cap. XVI. Accubitalium Cypriorum idem meminit in *D. Claudio* cap. XIV. Vide Salmasium hic, & *ad Heliogabalum Lampridii* cap. XIX. ubi Casaub. pariter. Ut mensis igitur, & toris, sic sedibus sua fuerunt instrata, quæ *Solaria*, & *Sedularia*, ut diximus: neque tali tamen religione, ut subselliis, & scamnis aptari nequiverint, etiam toralia, quibus lecti, sive tori tricliniares decorabantur. Liquet autem hæc stragula pulvinis, & culcitellis, quanquam mundis, ac nitidis fuisse superinjecta; præsertim elegantiora, splendidique, ac peregrini artificii. Hinc illa Cypria, hinc Babylonica peristromata, & Attalica, & Campanica, de quibus tam crebrò apud scriptores legimus.

Pellibus potissimum usos fuisse Veteres, quibus sedes insternerentur Heroicis præsertim temporibus memorant vates; quorum summus *Æneid.* vers. CLXXVII.

Præcipuumque toro, & villosi pelle leonis
Accipit Æneam, solioque invitat acerno.

ubi vetus, ac perdoctus interpres Donatus monet, *quòd hujusmodi tapetes*, & stragulæ vestes è pelle heroibus decoræ tunc judicabantur. Nonn. Dionys. XVI. stragulam describens, δέρματα Παρδαλίων πολυδαίδαλα, *Varias pardalium pelles.* Homerus primo *Odyss.* procos in domum Ulyssis à Penelope exceptos, sedentes facit ἐν ῥινοῖσι βοῶν *In boum coriis.* De hoc pellium usu quædam protulit doctiss. Brisson. lib. II. *de Regno Pers.* Addo de Romanis ex Festo: *In pelle lanata novam nuptam considere solet, vel propter morem vetustum*, &c. Servius Danielis: *Sellas duas jugatas ovili pelle superinjecta poni ejus ovis, quæ hostia fuisset: & ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione flamen, & flaminicam residerent.* ad Vatem Latin. *Æneid.* IV. vers. XXXVIII. Nota nuptiale mysterium, & quas vocat Servius *Sellas duas jugatas*, perinde ac *Bisellium*, vel duas sellas junctas. Atque has equidem ferarum, & animalium exuvias stragulorum more explicatas, & oppansas fuisse non ambigerem, ut poni, & amoveri possent, plicari, componi, recondi. *Odyss.* T.

Εὐρυνόμη φέρε δὴ δίφρον, καὶ κῶας ἐπ' αὐτῷ.
Eurynome affer sellam, & pelles super eam.

Addo alium P.

Κῶας καστορνῦσα θρόνοις ἔνι δαιδαλέοισι.
Pellem sternens super pedibus artificiosis.

Utrobique κῶας, hoc est, pelles ovis nominat; quanquam non displicet poetica Synecdoche, pellem pro pulvillis concinnatis, & consutis accipere, quod magis decorum, & commodum. An potius schemate, quod Græci ἓν διὰ δυοῖν, idem sit δίφρον, καὶ κῶας, ac sellam pelliceam, vel coriaceam. At in altero versu Κῶας καστορνῦσα, omnino videtur disjuncta pellis, ac sellæ injicienda. Equidem simplicissima hæc ratio insternendi, & priscis mortalium opibus, quin etiam arti, & industriæ accommodata, terginas pecudum, aut ferarum exuvias sedendo, recumbendo premere: mollis quoque, ac nitida, & ferens ætatem ea stratura. Paulatim factum deinceps, ut sedibus eæ pelles affigerentur ad usum assiduum, ac diuturnum clavis adactæ: pars autem ipsa, in qua propriè sedemus (sedile, aut quadratum diximus) injectis pilis, conferta stuppa, congesto tomento, jugiter strata, vorsa, ac follicans perpetui vicem pulvini præberet.

Reperio itidem apud Homerum clavis exornatas, ac distinctas priscorum sellas: quos argenteos memorat, ut *Odyss.* Θ. vers. LXVII.

Τῷ δ' ἄρα Ποντόνοος θῆκε θρόνον ἀργυρόηλον.
Huic Pontonous posuit sedem argenteis clavis ornatam.

Verbum verbo rederem *Argentis clavatam.* & K. vers. CCCXIV. & H. CLXII.

—— —— ἐπὶ θρόνου ἀργυροήλου.
In sede argenteis clavis suffixa.

Bullis, seu clavis hisce capitatis (nobis *Borchie*) è fusili, aut ductili metallo sumptuosi operis ad exquisitum luxus ingenium hodie utimur. Sed hæc obiter de clavis.

Alibi idem vates tapetem mollis lanæ, non pellem injicit sellæ, quam vocat τάπητα. Vide Athenæum lib. V. cap. VI.

Ἀλκίππη δὲ τάπητα φέρε μαλακοῦ ἐρίοιο.
Alcippe autem tapetem attulit è molli lana,

qui est versus CXXIV. *Odyss.* Δ. Hermas in *Pastore* visione I. *Video contra me cathedram de lanis candidis, sicut nix, factam magnam.* Tam de stragula, quàm de pulvino interpretari licet eas candidas lanas. Purpureum instragulum pictum Pers. Regis solio impositum refert idem Athenæus lib. XII. cap. II. ποικίλον ἱμάτιον πορφυροῦν. Vide & in pompa Ptolemæi Philadelphi lib. V. cap. V. ex Callixeno Rhodio.

Atque his tandem sedibus suo instratis, atque exornatis operimento, ultimum quoddam, ac supremum velamentum superinductum quandoque novimus; ostenduntque antiqui lapides, principum præsertim virorum cathedris, aut thronis. Unicam sit satis tibi prompsisse sub n. XLII, sedem elegantissimi operis, quæ Romæ extat apud Matthæos ad D. Catharinæ. Hinc apud veteres quoque Christianos illæ Pontificum sedes velatæ, ac linteatæ, de quibus nonnihil sup. cap. XX. Sic etiam hodie eorundem Pontificum, & Antistitum, ac Principum sedes jam apparatæ, atque instructæ novissimo quopiam bombycino velo obtegi solent: non modò ut à pulvisculi contactu, profanique vulgi oculis sint immunes; sed ut ab aliis eo pacto secernantur, & quandam venerationis speciem offundant, opera, & latenti majestate.

Dum verò insternendis sellis immoramur, non immeritò ullus nos reposcat, quid tandem fuerit *Sellisternium*, & quæ illius apud Veteres observatio? Quod autem ex ipsa vocis notatione paret, erit sellisternium, sedium aut sellarum stratura, munusque, aut ratio eas sternendi. Glossæ Cyrilli *sellisternium* ἐπικάθισμα. Sic etiam *lectisternium*, & apud Plautum *Pseud.* Act. I. Sc. II. *lectisterniator*, qui lectum sternit. Sed ad Festum adeamus, etsi ille parum lucidè, ut sæpè solet: *Solla sternere dicuntur, qui sellisternium habent*, &c. Paulus epitomator, *Solia sternere dicuntur, qui sollisternium habent*: nullo discrimine, quàm quòd solia legit, & sollisternium, non sellisternium; sicut alibi diximus, *Soliquastrum*, *Soliquastrum*, & *Solliquastrum*. Scaliger ad hunc locum Festi maluit, *Solia*, &c. *ideoque solsar sternere dicuntur*, &c. *Solsar* antiquis idem ac solium ex Varrone, atque aliis. Sed quidnam illud est, aut cujus est tandem habere sellisternium? Non omnibus permissum fuisse solia, aut sellas sternere, monent verba ea superiùs allata è Festo. *Et ideò solia sternere dicuntur, qui sollisternium habent*: quasi equidem honoris, aut cultus indicio certis personis, non omnibus jus illud permissum fuerit solia insternendi, aut instratis soliis, vel sellis utendi: quod qui habuerint, ii sellisternium habere dicebantur. Opinatur Meurs. *ad Plauti Stichum* Act. II.

Sc.

Sc. III. quòd quoniam folia, hoc est, sedilia unius tantùm capacia è solido ligno, atque adeò pretiosiora fuerint, ideò non omnibus ea habere licuerit: quibus licuisset, ii sollisternium habuerint, remittitque ad Festi auctoritatem. Percuperem, ut aliquid amplius me docuerit præ Festi verbis: imò nec verba hujus Grammatici eò ducunt; qui non de simplici solio insidendo loquitur, sed de illo insternendo, deque peristromatis, aut solariis cidem imponendis. Cessit ergo pretii, aut raritatis causa ob ligni soliditatem. Quibus datum fuerit illud jus, vel munus, vel ratio; quove ritu, aut lege, quo honoris argumento, quibus diebus, aut per quæ officia, actusque rerum solennes, ut Festus tacet (forsitan id temporis notum) ita ego non audeo nunc definire, ac bona fide vetus illud usurpo N. L. Sed in re obscura liceat tamen divinare, quod ut mihi cuicui modi contingat, à vestigiis lectisternii non abscedo. Scimus *Lectisternium* fuisse sacri genus convivii, quod Deorum simulacris parabant: sic lectos insternebant, ut illic procumberent ad epulas. quo placamine Romani utebantur gravioribus Reip. temporibus, ut iram averterent, Coelitumque opem exorarent. Sæpè meminit Livius, aliique Veteres, quos profert eximius adnotator *ad Alex. Neap.* v. XXVII. *dier. gen.* Turnebum adde *Adversf.* XXX. XXXII. Guther. *de vet. J. Pont.* lib. III. cap. IX. Adi præcipuè Servium *ad* III. *Georg.* & XII. *Æneid.* & passim viri eruditi; Inter quos Casaubonus *ad Suet. Cæsarem* cap. LXXVI. qui pulvinaria, sive lectisternia Græcis quoque factitata primus sibi videtur observasse. Sed & lectisternium dixerunt lectum ipsum instratum, cujus icones in nummis.

Observo autem non omnibus Diis, neque omnibus locis ea lectisternia habita: quod me docet Festus: *Sistere fana*, inquit, *cum in urbe condenda dicitur. significat loca in oppido futurorum fanorum constituere, quod Antistius Labeo ait in commentario decimo quinto J. Pontificii, fana sistere esse lectisternia certis locis, & Diis habere.* quæ verba sic accipio, ut duobus modis sit *Fana sistere*; altero cùm in oppidis condendis loca statuuntur, decernuntur, definiuntur fanis, quæ illic construenda erunt. Inde apud Tacitum *Ann.* lib. IV. cap. XXXVII. *Cum D. Aug. sibi, atque urbi Romæ templum apud Pergamum sisti*, &c. & lib. IV. *Hist.* cap. LIII. *Templum iisdem vestigiis sisteretur*, & sæpè aliàs. Altero modo *Fana sistere* ex Labeone est *Lectisternia certis locis, & Diis habere*. En igitur eàdem formâ, quâ superiùs sellisternium, hic quoque Lectisternium haberi dicitur. Epitomator Paulus extulit *Lectisternium certis in fano locis componere:* loca accipiens de partibus ejusdem fani, non de locis urbis, quod ego magis opinabar. Fana itaque sistit, qui certa statuit, ac decernit fana, ubi supplicationis gratia lectisternia habeantur, sive componantur Numinibus. Ita pariter de sellis dicamus, ut sellisternium habere, sit sellas statuere, aut componere Diis certis, certisque locis, quod qui facit, is habebit sellisternium: quo pacto & *lectisternium* habere dicetur ille, qui eos lectos instraverit, etsi eam loquendi formam Festus nobis non expromat. Puto autem eodem dicendi ritu *sellisternium habere*, quo *fasces habere* apud Livium dicebatur ille Consul, qui suo mense jus dicebat, majestatemque Reip. atque honoris fastigium obtinebat. Aut quomodo, *Senatum, Comitia*, &c. *habere*. Nempe cuipiam è magistratibus, aut sacerdotibus ea cura demandata, id munus injunctum, aut jus tandem permissum sellas, vel solia Diis sternendi; quod qui præstarent, ii sellisternia habere dicuntur, sive Festi verbis *solia sternere dicuntur, qui*

A *sellisternium habent.* quod certo loco ac tempore factum fuisse credimus, sicuti de lectisternio scribit idem Festus ex lege scil. & observatione, quam ignoro penitus. Quemadmodum verò statuæ, ac simulacra Numinum in lectisterniis reclinabantur; nihil prohibet, quin aliquando sellæ iis, aut solia instrata appararentur ex præscripto religionis. Sicuti namque suos Romana gens colebat Deos, ebrios, iracundos, libidinosos, morbis & pathematis obnoxios: ita oportebat hominum instar eos nunc sedere, nunc recumbere. Tertullianus disertè mihi favet lib. I. *ad nationes; Solisternia*, inquit, *& lectisternia Deis*, &c. etiam ipse solisternii verbo utitur, B quod rarò alibi, aut nuspiam reperias, nisi apud Festum. ecce quomodo tum lecti, tum solia Diis apparabantur ad conquiescendum. Alterum tibi sisto probatissimum testem Val. Max. lib. II. cap. I. *Nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno, & Minerva in sellas ad cœnam invitantur.* Deûm pater ut senex discumbit; cujus reverentia sedent filiæ. Ritum nota, ac discrimen, & morde lhurum. Stragulam manifestè injectam agnoscere est curuli sellæ in nummo apud Ursinum in *Fam. Furia*, quem tibi promo pag. CIV. At apud eundem in *Pompeja* p. CCVIII. & *Valeria* CCLXIX. nescio quid extat, ac prominet, quod magis pulvinar, quàm stragulum arbitrare.

C Cæterùm viris quoque principibus, civibusque egregiè de republica meritis sellas, aut solia apparatius instrata fuisse honoris gratia, certo loco, aut tempore, ut illic dum viverent, vel vita functi, & absentes in suis imaginibus conquiescerent, nil inducor opinari. quod quoniam extra ordinem, publicave auctoritate tribui potuit; ideò habere eos sollisternium quis non autumet, quibus permissum id fuerit, soliumque sternere iidem dicantur? De hoc autem adornandæ sedis more, ubi simulacra Principum ponerentur imitatione sollisternii Deorum, affero tibi auctorem Tacitum lib. XV. *Ann.* cap. XXIX. *Medio Tribunal sedem curulem, & sedes effi*D*giem Neronis, sustinebat.* Ad quam progressus Tiridates cæsis ex more victimis sublatum capite diadema pedibus subjecit. De eadem re Dio in eclog. [illegible] *Sed solium altum erectum fuit, ibique imagines Neronis statuta.* profert Lipsius monetque tale suggestum fuisse etiam Romæ in castris Prætoriis ex eodem Tacito lib. I. *Hist.* Plinius *Paneg.* de Domitiano: *Jam dudum illi radiatum caput, & media inter Deos sedes.* Consimile quid de imaginibus Marcelli scribit idem Dio lib. LII. quòd in sedibus locatæ fuerint mediæ inter Prætores, qui ludos edebant ἐς τὸ μέσον τῶν ἀρχόντων τῶν τελούντων. Vide E Panvinium *de lud. Circ.* cap. II. & cap. XVI. Aut sollisternium tandem eos habere dicamus, quicunque honoris ergo, & ob meritorum præstantiam, eo jure, ac potestate gauderent, ut sibi sellæ insternerentur; quomodo etiam hodie differentiæ notâ in consessibus sunt quibus stragulæ vestes subjiciantur, sunt qui careant. Est namque sollisternium suo verbo merus ille, putusque sternendi sedem actus, aut facultas. Dicam tandem planiùs. Sollisternium pro ipsa sede constrata accipi posse; atque adeo sellisternium habet, qui sella utitur stragulis splendida, quod non omnibus videtur permissum, sicuti de habendis fascibus exposuimus.

F Haud aliter Lectisternium pro quocunque lecto strato acceptum invenimus. Sidonius Apollinar. epist. IV. XV. *Epulum multiplex, & capacissima lectisternia para.* Isidorus lib. XV. c. V. *Lectisternia dicuntur, ubi homines sedere consueverunt.* Loquitur de lectis, & tamen ad sedendum paratos scribit. Sed, puto, hæc verba hausit ex Servio XII. *Æneid.*

— — — & diri sacraria Ditis.

qui lectisternia fuisse nos docet, ubi homines solerent in templis sedere. Addenda sunt igitur Isidoro, nisi fallor, verba, *In templis*, quæ sui surdum videntur fecisse. Atque hæ posteriores nostræ conjectationes non penitus abeunt à sententia Meursii superiùs laudati, qui sellisternia hominum honori tribuit. Sed veriùs puto inter cærimonias, & religionis Deorum esse habenda.

Ut his sedium ornamentis coronidem tandem imponamus, ne pigeat ultimo loco admonere sedibus ipsis fuisse coronas impositas, sive in iis collocatas, & ad honorem tum superstitum, tum mortuorum illic statutas. Aureas Ptolemæo Soteri magni ponderis dicatas, ac super sedibus positas, quas per solennem pompam traducebant, refert Athenæus lib. v. cap. v. qui & cornua aurea in quibusdam itidem sedibus circumducta coronæ vicem testatur. Cornua, inquam, diadematis instar habebant apud Veteres; potentiæ omnino, quin etiam divinitatis significatione. Vide quæ congerit Carol. Paschalius *de coron.* lib. x. cap. iv. ubi delicias nimium facit in cornuum laudibus persequendis: suæ autem observationi pondus nonnullum adjecisset illustri hoc testimonio Athenæi. Voluissem quoque, ut in eo erudito commentario non reliquisset indictum, quod nunc levi articulo tangimus de coronis sellarum gestamine. Sellam igitur Cæsaris auream memorat Dio lib. xliv. pag. ccxliii. ac super ea gemmis, & auro insignem coronam, qui honor alioquin Diis tributus ἐξῆν τοῖς τῶν θεῶν, inquit Dio. Corn. Nepos in Eumene, *Sellam auream cum sceptro, ac diademate.* Tacitus lib. ii. *Ann.* cap lxxxiii. *Sedes curules Sacerdotum Augustalium locis, superque eas corona quernea statuerentur.* Lipsius ad hunc locum. Præcipuè autem in sellis curulibus hæ coronæ. Icones è nummis protulimus alibi. Adde & argenteum Titi sub n. vii. Nonnunquam rami laurei, aliave symbola, & ἀναθήματα Heroum, aut Deorum. Sic fulmen Jovi sacrum super Curuli in nummo Cn. Domitii Ænobarbi, quem exhibet Gutherius *de vet. Jure Pont.* lib. iii. cap. ix. Sic galea in Palladis, ut opinor, cultum apud Ursin. in *Fam. Cestia* p. lvii. & in *Norbana* p. clxxvi. Cornucopiæ, & libra in *Licinia* cxxxix. Hinc atque illinc ramus, jaculum, corona, lituus in *Cornelia* lxxiv. & quod magis notabile, curulis pedes jacentem thyrsum pro solo habent in *Valeria* cclxix. eo scil. allusum, quod Val. Messalla Liberalia, sive ludos Bacchi ediderit, cujus numinis inter cætera gestamen thyrsus. Ac morem tandem statuendarum in sellis coronarum eruditè observatum vide ab Ezechiele Spanhemio laudata dissertatione *de usu, & præstantia veterum nummorum* pag. clxxxvi. Ac nos sup. cap. xiv. pluribus.

CAP. XXXII.

Insignia. βασιλικὰ σύμβολα: *symbola imperantium.* σύμβολα τῶν ἀρχόντων. Signa. *Vestes σημειωταί*: clavatæ. *Vestis πλατύσημος*: Laticlavia. Insignia Magistratus. Ornamenta. Flaminii decursa insignia. Honor ornamentorum. *Judicaturi sedentes.* Dies sessionum. Actus rerum. Sedere: jus reddere. Præsidere. Præsidatus. *Præsidebant ludis Impp.* Primæ cathedræ. προεδρεία, πρωτοκαθεδρεία. *Olympionicis data, civibusque benè meritis, atque in sua arte præstantibus. Eadem ad mensas. Platonis, & Xenophontis lux.* Præcellentissima sedes. Magnifica sedes.

SAtis hactenus inspeximus sellas, quibus aliqua honoris, aut excellentiæ insidet significatio, ut earum quodam ceu famulatu Bisellium nostrum illustrius redderetur. Plerasque simul alias, saltem celebriores in Veterum scriptis, earumque usum ac rationem non pœnitendo excursu adnotare visum nobis fuit. Sed vereor plurimùm, ne quis Lucilianum non occinat, *Mantissa obsonia vincit.* Quare modus tandem adsit: ne forte vetus alia querimonia lectori nostro exprimatur, *sedendo lumbi dolent.* Surgamus igitur à sedibus cæteris, ut ad unum Bisellium, conjecturasque de illius Honore meditandas progrediamur.

Solenne ipsum sedendi jus, atque auctoritatem, quoddam in se honoris, & dignitatis instar habuisse usu, rituque omnis ævi, tam notum est, quàm frequens, & commune hominibus, ipse actus sedendi. Hinc illæ formulæ, & civilia verba, *Sedendi, Præsidendi, Assidendi*, quas in judiciis, consiliis, imperiis significandis adhibebant. Sed videor non minimum facturus pretium operæ, si ad unum dicendis præstruxero, Insignium, sive Ornamentorum nominibus fuisse honores, ac potestates non rarò expressas, ac demonstratas. Neque in Romana id politia novum, aut insolens; neque apud alias gentes. Sic enim clavus, annulus, vitis, fasces, gladius, carpentum, sella, &c. pro honoribus, quorum ea sunt splendida ornamenta, ac decora supellex; ac dicemus infra cap. xxxiv. *Insignia* dixere Latini. Livius lib. i. *Jura dedit, quæ ita sancta generi hominum agresti fore ratus, ac si se ipse venerabilem insignibus imperii fecisset.* De Romulo loquitur, egregriè interim monens ab extera illa imagine, & apparatu splendoris trahi animos in obsequium, & ad dignitatis excellentiam cogitandam perduci. Florus lib. iv. cap. ii. *Regni insignia.* βασιλικὰ σύμβολα Herodiano in Pertinace. Prudentius hymn. xiv. *Peristephan.*

Fasces, secures, sella, prætexta, toga,
Lictor, tribunal, & trecenta insignium,
Quibus tumetis — — —

Sic Græcis, ut Justinianus *Nov.* xxiv. τὰ τῆς ἀρχῆς σύμβολα, *insignia magistratus*, & *Nov.* xxv. cap. vi. τὰ σύμβολα τῶν ἀρχόντων, *Symbola Imperantium.* Quandoque σημεῖα, *Signa* & *Insignia*; sed speciatim pro Clavo. Unde σημειωταί, vestes, *clavatæ*; & vestis πλατύσημος, *Laticlavia.* Vide *ad Lampridii Alexandrum* par ingens enarratorum Casaubonum & Salmas. Ulp. l. i. §. *casum D. de postul. Insignia Magistratus.* Adi Brisson. iii. *select.* xiv. ex quo Gothofr. *ad d. l. primam.* Aliter *Ornamenta.* Cicero *pro Sext. Indignus ordine equestri, cujus nomen retinet, ornamenta confecit.* Item *Ornamenta dignitatis* orat. *pro Marcello*, advertitque Jacob. Guther. *de off. D. A.* lib. ii. cap. v. Lamprid. in *Alex.* cap. xlviii. *Ornamentis imperialibus, & melioribus, quàm ipse utebatur, affecit.* Apud Gruter. *Inscript.* ccclxxii. vii. *Decurionalibus Ornamentis*, &, *ob Honor. Ornam. Decurion.* & ccclxxv. i. *Consularibus ornamentis honorato.* Antoninus Pius, *Præfectos suos locupletavit, & ornamentis consularibus donavit*; Capitolinus in *vita.* Tacito xiii. *Ann. Ornamenta Consularia*, ubi de Asconio Labeone, & Primo Antonio: & iv. *Hist. Ornamenta Prætoria*, ubi de Cornelio Fusco, & Arrio Varo.

In tantum equidem, ut *Insignium* vocem pro honoribus, & invicem usurpatam reperiam. Notabilis locus in *l.* 21. *C. Theod. de Decurionibus, Post Flaminii decursa insignia*: hoc est, honorem, actum, & ministerium Flaminii, sive Sacerdotii. Contra τιμὰς ὑπατικάς, & ὑπατικῶν vocat Dio, *Honores Consulares*, lib. xxxvi. & ἐπινικίους τιμάς, *triumphales hone-*

honores, lib. LX. pro eo quòd Latini scriptores *Ornamenta*, *& insignia Consularia* dixere. Quandoque simul expressæ voces & Honoris, & ornamenti; Grut. sup. *ob Honor. ornament.* Lampridius in *Commodo* cap. IV. *Per Laticlavii honorem*. J. C. l. nuper *de donat. inter vir. & uxor.* ubi de donatione *Honoris causa*, inquit, *Ut si uxor viro laticlavii petendi gratia donet.* Sic quoque in epigraphe nostra *Ob Honorem Bisellii*. Jam igitur constat in ipso sedendi actu dignationem, atque auctoritatem inesse. Quare inter ritus judiciales, ut Judicaturi sedeant; quod notissimum in religione forensi. Notat quædam Elmenhorst. *ad Minucii Octav.* pag. IV. Pollet. *Fori Romani* pag. mihi XXXVI. Neque alio sensu *Dies sessionum* inter pragmaticos, cùm litium, causarumque cognitiones expediuntur; Græcis ἀγοραῖοι, hoc est, forenses; Demostheni ὅτε αἱ δίκαι εἰσί, *cùm judicia exercentur*. Latinis *rerum actus*. Suetonius in *Aug.* cap. XXXII. & sæpè alibi apud eundem. Plinius lib. IX. epist. XXV. Opponitur *feriis*, aut *Rebus prolatis*. quæ & *Justitia*, aut tribunalium silentia, cùm tria verba non licet profari. Disertè J. C. Ulpianus l. 2. §. *dies D. quis ordo in bon. poss. Sessiones erunt nobis computandæ, quibus sedet*, &c. & *sedere* αὐτῶς pro *Jus reddere*, l. *Divus de in integr. restit.* Vide Guther. lib. II. cap. XVI. *de off. D. A.* Planè igitur sedere δικαστικὸν, & βασιλικὸν, ut vocat Jo. Chrysost. *in Psal.* VII. hoc est, judicii, atque imperii. Adde quæ sup. de Assessoribus.

Nihil mirum, si tam ambitiosè expetita, tam avidè accepta, tam consultè decreta sedendi prærogativa: quo uno, ceu amplissimo præmio virtutem satis benè mactatam censebant, tum qui acciperent, tum qui deferrent. Non abludunt hinc observata in Amœnitatibus J. cap. XXVIII. ab amœnissimi ingenii, politissimæque literaturæ viro Aegidio Menagio. Non aliunde Latinis *Præsidus* dignitas, & *Præsidere*, & *Præsidatus*. Gr. προεδρία, & πρωτοκαθεδρία, qualem ἐν συναγωγαῖς Pharisæi affectabant, increpante Christo apud D. Matthæum cap. XXIII. II. hoc est, *Primas Cathedras in Synagogis* ex Vulgata Versione. Nempe ordine locabantur eæ sedes, aut cathedræ, primæque tanquam dignissimæ habitæ. Sic apud Hermam in *Past.* II. XII. *Exaltat enim se, & primam cathedram habere vult.* Olympionicis certè, quos divinis prope honoribus afficiebat Græca adulatio, nihil majus proedria spopondit, ac repræsentavit. Adi in *Agonist.* lib. II. cap. XXVII. P. Fabrum, cujus scripta uberrimæ eruditionis officinam reperies. Quid si ipsi quoque Romani Principes, dum habenas maximi imperii regerent, eandem præsidendi libenter occupabant dignitatem? Neque enim ii semper præsidebant apud Senatum, vel in spectaculis, aut alibi. Vide Guther. lib. I. cap. XII. *de off. D. A.* erat autem ea Proedria, aut Præsidatus, cùm quis publicis actibus, vel muniis præsidebat, majestatemque, & auctoritatem præsentia commodabat, tunc igitur dignior loco, & eminentior sedes præsidenti apponebatur. Si quando igitur præsedissent Imperatores, narratur à scribentibus. Suetonius *Aug.* cap. XXVI. *Cùm mane pro æde Capitolini Jovis paullulum curuli sella præsedisset.* & cap. XXXV. *Ferroque cinctus præsedisse valentissimis Senatorii ordinis amicis sellam suam circumstantibus.* Plinius Jun. *Epist.* lib. II. ep. XI. de Trajano, *Princeps præsidebat, erat enim Consul.* Suetonius *Tiber.* cap. VI. *Præsedit & Actiacis ludis.* de Nerone cap. XII. *Nam perraro præsidere, cæterum accubans primum parvis foraminibus, dein toto podio adoperto spectare consueverat.* Spartianus *Residere* dixit in *Adr.* cap. XIX. *Multa in Athenienses contulit, & pro Agonotheta resedit.* Dio lib. LIX. pag. DCXLV. ἐκ προεδρίας spectare in theatris,

A ac ludis, quomodo consuevisse Caligulam illic tradit. Tacitus lib. XIII. *Ann.* cap. V. de Agrippina, *escendere suggestum Imperatoris, & præsidere simul parabat.* Hanc proedriam (utar hoc verbo) fœminis Augustis ambitam liquet, & usurpatam. Dio lib. LVIII. de Messalina τὴν προεδρίαν, ἣν καὶ Λιβία ἐσχήκει, *Proedriam, quam & Livia habuerat.*

Spectatiorem in sedendo locum ad spectacula etiam apud Romanos ii promeriti, qui civicam obtinuissent, de quibus Plinius lib. XVI. cap. IV. *Sedendi jus in proximo Senatus.* Neque id Olympionicis tantùm apud Græcos traditum; sed ad certaminum aliorum, ludorumve victores ea præcel-
B lentia translata: cum qua fermè adjuncta immunitas; sicuti & de Civica donatis idem Plinius. *Vacatio munerum omnium ipsi, patrique; & avo paterno.* Gruter. CCCCXIX. XI. καὶ προεδρίαν, ἀτέλειαν, &c. *& Proedriam, immunitatem*, &c. & MCLIX. XI. προεδρία ἐν τοῖς ἀγῶσιν, *Proedria in spectaculis.* Vide & Selden. *marmor. Arundel.* pag. XLII. & XLIII. ubi ea sedis præcellentia decreta ob civis liberalitatem in patriam. Civibus namque de Rep. benè meritis, insignive aliqua virtute claris, suaque in arte summis, eadem dignioris sedis præstantia collata: quod ex Aristophane in *Ranis* Act. III. Sc. I. colligere est. Hoc namque honore augebant:

C Ἄριστον ὄντα τῶν ἑαυτοῦ συντέχνων,

ut loquitur Comicus, hoc est, *præstantissimum in sua arte.* quod etsi apud inferos factum jocosè tradit Aristophanes, illinc morem apud Atticos eruit Sam. Petit. *ad ll.* pag. CCCCXXVI. Aliàs hæ sedes ad mensam Homericis temporibus ante usum discumbendi: atque heroibus in honorem, ac fortitudinis præmium digniori loco statutæ. Neque alio sensu (quantum conjicio) Plato in *Rep.* lib. IV. juvenes strenuos de Homeri sententia præmiis, atque honoribus esse inflammandos ad virtutem, & gloriam admonuit, ἕδρησί τε κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσιν, *sedibus, & carnibus, & plenis pateris* eos donando.
D *Sedibus*, hoc est, proedria, inter epulas, ac fercula, de quibus illic unà loquitur. Sic apud Aristoph. suprà non absurdè exponerem eam proedriam inter convivia, cùm & illic jungat σίτησιν ἐν Πρυτανείῳ, *victum in Prytaneo.* At cùm discumbere cœperunt, ipsi quoque primi discubitus tunc expetiti; quod Pharisæis itidem exprobratum eo loco D. Matthæi, quos vocat πρωτοκλισίας ἐν τοῖς δείπνοις. Neque aliter Cyrus (de quo Xenophon in *Pædia* lib. VIII.) præstantes cives δώροις, καὶ ἀρχαῖς, καὶ ἕδραις, καὶ πάσαις τιμαῖς ἐγέραιρεν, *donis, & magistratibus, & sedibus, & omnibus honoribus exorna-*
E *bat.* iterumque ib. Duces, atque optimates invitabat, ἀγαθοὺς ἔργων προβλέπειν εἰς τιμιωτέραν ἕδραν, *ut præclarè gestis ad honestissimam sedem pervenirent.* Utrobique ἕδραν licebit exponere digniorem sessionem, tum ad mensam, tum alibi. & verò ipsam quoque, qualis est, è materia factam sedem, qua donari honorificum. Vide quæ sup. diximus cap. XII. notatque ex Romanorum more Brissonius *de formul.* lib. II. adde Ludovicum Aurelian. *ad Tacitum.* quòd verò τιμιωτέρα ἕδρα est Xenophonti, si pro fastigio honoris, aut dignitatis accipias, planè compar quæ in l. 5. C. *de aquæduct. Præcellentissima sedes P. Prætorio* dicitur; alibi *Magnifica sedes*, l. 3. C. *Ubi Senatores, vel Clariss.* ac sæpè
F in constitutionibus Imperatores suam *sedem* amplissimam, celsissimam, &c. magno cum tumore apparatuque verborum solent appellare. Quando igitur tum sellæ ipsæ pro vario illarum genere (quod superiùs demonstravimus) tum sedendi jus, ut nuper dicebamus, quandam aut præstantiæ, aut dignatis tesseram nobis repræsentant; noster quoque

lapis

lapis haud immeritò *Honorem* cum *Bisellio* copulat. Sed huic honoris appellationi quid propriè subsit, magis partitè nunc perquiramus.

CAP. XXXIII.

Honor. Honorati: *qui in magistratu.* Honorati, *pro duumviris.* Huomo onorato. Equi honorati. *Sollicitata Propertii lectio.* Ludi Honorarii. Honoraria dedicatio. Honorarius Prætor: *aliter exponitur, ac C. A. Ruperto.* Cani Honorati, Consul Aquarum, Venale Velum. Honorarii tituli. Honorarii codicilli. *Honores codicillares.* Honos: *ornamentum, splendor, existimatio:* Inhonoratus: Honor: *donum, pretium, merces.* Honorarium.

HONORIS nomen, quatenus in re nostra partes habet, & Bisellio convenire potest, jam reputemus. Est autem honor idem ac Magistratus, Præfectura, Imperium, publicæ rei administratio. Sciunt qui dentire incipiunt in legali scientia *Jus Honorarium*, ita vocari ab Honore, seu Magistratu; etsi magis propriè Prætura urbana id sibi assumpsit. l. 2. *de Orig. J.* l. 7. *de Just. & Jure.* Nihil tam dictum, ac pervagatum:

—— —— latuit plebejo tectus amictu
Omnis Honor. ——

Luc. lib. II. hoc est, qui erant in magistratu. *Si inter venerit honor.* l. 3. D. *mandati*, & *Honoris* causa l. *nuper de donar. inter vir. & ux.* Hinc *Honorati*, qui in Magistratu, ἐν ἀρχῇ, aut ordinis dignitate, vel qui gesserunt honores. Titulus est Cod. lib. XI. de *Honoratorum* vehiculis: quo sensu *Honorati* in l. *honorati* 1. C. *de off. Jud. Civil.* & *Honoratis viris* l. 3. C. *de off. diverf. Jud.* Adde Valentiniani Novellam de *Honoratis.* Inscript. Grut. CCLXXIX. III. *Honorati, & Decuriones.* ubi *Honoratos* accipio pro duumviris, aut alio summate magistratu in municipio; quatenus nimirum diversi sunt à Decurionibus. Neque enim semper *Honorati* simpliciter sunt ipsi Decuriones, ut voluit Pancirolus cap. I. *de Municip. Magistrat.* Idem Grut. CCCXXX. III. *Honoratis, & populo.* quod aliter *Plebs urbana, & honore usi*, CCCXLIII. VI. CCCLXXXVII. VIII. CCCXCII. I. CCCCLXXI. III. *Plebeji, & honore usi*, CCCCLXXXVII. VIII. *Honor. in cur. functus.* MXIV. II. Tandemque *Omnibus Honoribus*, &c. *functus*, & *Ob honorem*, &c. quomodo in lapide nostro passim reperies si ad Herculeum Gruteri opus Scaligerianos excurras indices; quos ego totidem appello Atlantes malè fulti alioquin laboris: Ovid. I. *Fast.*

Verbaque honoratus libera Prætor habet.

De Ponto lib. III.

Gessit honorata regia sceptra manu.

Cicero I. *de offic.* *Hominis Honorati, & principis.* Horat. I. epist. I. *Liber, honoratus, pulcher*, &c. Vide plura notantem Jacob. Gothofr. *ad Cod. Theod. tit. de offic. jud. Civil. l. honorati* I. Nobis quoque persamiliaris ea loquendi ratio *Huomo honorato*, &c. Albinovan. ad Liviam. *Inter honoratos excipiatur avos.* Patercul. lib. II. de Mecænate, *Cæsari charus, sed minus honoratus.* Coronas lemniscatas Seneca *Capitis honorati vinculum* appellat. Lamprid. de Severo in *vita* cap. XL. *Honoratos quos pauperes verè non per luxuriam, aut simulationem vidit*, &c. iterumque: *Cum quidam ex honoratis vita sordida*, &c. Non est quod Casaubonus pro Honoratis legat hic Inhonoratis, quem duplicis erroris merito arguit Guther. *de off. D. A.* lib. I. cap. XIV. *Scansilia gradus sunt, ubi honorati in sedibus hærent*, Isidorus lib. XX. cap. XI. *Tanias*, &c. *ornamentum capitis*

A *honorati*, Festus. Sic, *Pretura honoravit, ac statim Pannoniis imposuit*, Spartian. in *Adr.* Perinde ac Etruscè vulgo diceremus *Onorato della Pretura*, &c. Quin etiam Tacitus *Hist.* lib. I. *Pontificatus, auguratusque honoratis jam senioribus*, ne barbarum putemus. Grut. DLXXXVI. VI. *Viat. honor. Dec. Cos. & Pr.* quod explices *Viator honoratus Decuriæ Consularis, & Prætoriæ.* Grut. LXVIII. III. *Honoratus in tribu Patrum, & liberum clientium ascensus*, &c. Ipsi equi currum Prætorium ducentes *Honorati* audierunt. Vide Scalig. ad Propertii carmen ultimæ ultimum elegiæ:

B *Cujus honoratis ossa vehantur equis.*

Etsi Passeratius *Aquis* legit, placuitque Turnebo *Advers.* lib. XXIII. cap. VII. At *equis* mavult Pancirolus *Var. Lect.* I. XXXII. repetitque ad enchirid. Pomponii C. A. Rupert. cap. XI. qui & *Honorarios* ludos exponit Prætorios. Non tamen id semper verum; cùm & in aliorum Magistratuum, Ædilium, Quæstorum auspiciis, ac functionibus, & in ipsis municipiis dati ludi, & usurpatus ille titulus. quo sensu fortassè apud Grut. C. V. *Honorariam dedicationem.* Reperio & apud Festum, *Honorarios ludos, quos & liberalia dicebant.* Eidem Ruperto *Honorarius* Prætor apud Ovid. legitur versu, quem sup. apposui I. *Fast.* Sed pace C summi viri retinendum arbitror *Honoratus:* alioquin Prætorio honori, quem illic asserere conatur Rupertus, potius detraheretur, si Honorarium Prætorem mallet; ex consuetudine namque Latini Sermonis *Honorarium Consulem, Præfectum, Senatorem*, &c. dixerunt, qui actu, ac ministerio non esset talis, sed in solam speciem, atque impetratis codicillis: qua de re mox dicemus. Capillos, sive Canos Honoratos Ovid. vocavit X. *Metam.* V. IX. ubi de Niso.

—— —— —— splendidus ostro
Inter honoratos medio de vertice canos
D *Crinis inhærebat —— —— ——*

Prætermitto prudens, quæ Honoris significatu venirent: sive cultus, atque observantia in aliquem, ac si ille in honore esset: sive humanitas, ac benevolentia: sive indicium, ac significatio egregiæ de ullo opinionis: & quæ super ea voce affert Non. Marcellus. Ut instituto nostro hæreamus, aliam notionem exequimur, qua *Honorem* non expressè, ac propriè Magistratuum, aut publici muneris usum signamus, sed speciem tantùm illius, atque imaginem, veluti titulo tenus; vel illinc tandem decus, & ornamentum. Hinc *Honorarii tituli* dignitatum *nullo laborioso administrationis actu*, ut loquitur Imperator l. 187. C. E Theod. *de Decurion.* & *Præfectoria dignitas honoraria* Juliano in Novel. LXX. quo spectant *Honorarii Codicilli*, de quibus est integer tit. C. Theod. Sic Lampridio in *Alex.* cap. XLIX. *Pontificatus, & quindecimviratus, & Auguratus Codicillares*, quoniam Codicillis deferebantur. Vide Cassiod. VI. *Variar.* X. *Muneris exsortes, nomine participes* cum Ausonio dixeris, aut quomodo II. *Hist.* loquebatur Tacitus: *Honor imperii penes Titianum fratrem, jus, ac potestas penes Proculum Præfectum.* Vide Jacob. Guther. *de off. D. A.* lib. I. cap. XIII. & seqq. ubi de Honorariis Consulibus, aliisque dignitatibus. Suet. *Claud.* cap. I. *exercitus honorarium ei tumulum excitavit.* Nec mi- F nus *Honor* pro ornamento, atque existimatione ad laudem Ovid. I. *Fast.*

—— —— —— matres carpenta vehebant
Mox honor eripitur.

Florus lib. IV. cap. II. *Omnes in unum Principem congesti honores, templa, imagines*, &c. Tacitus *Annalium* lib. II. *Honores, ut quis amore in Germanicum, aut ingenio validus reperti: ut sedes*

stiter, &c. Cicero *ad Atticum* v. xxi. *Nullos honores mihi, nisi verborum decerni sino: statuas, fana τεθριππα prohibeo.* Grut. cccccxxvi. viii. *Statuam, & honores, quos cuique plurimos*, &c. & passim *Honore accepto, & Honore contentus*, &c. consule indicem: ea scil. qua dicebamus notione. E diverso *Inhonoratus* Suet. *Claud.* cap. xi. *Ne Marcum quidem Antonium inhonoratum, ac sine grata mentione transmisit.* Quòd si mani splendori utilitas accesserit & fructus, multò magis id nomen competere videbatur. Cicero lib. xvi. ep. ix. *Curio mihi, ut medico honor habeatur*, ubi de munusculo:

Virginis hoc pretium, atque hunc reddamus honorem.

Lucil. apud Non. Cæsar lib. ii. *de bello civili* xxi. *Quibusdam civitatibus habitis honoribus*, &c. Terentius in *Eunuch.* Act. v. Sc. vii. *Hic pro illo munere tibi honos habitus est.* Cicero *pro Roscio*: *Quod viris fortibus*, &c. *honos habitus est*, &c. Vide Carolum Langl. *otis semestr.* vi. ii. Quod apud D. Matthæum est cap. xv. τιμᾶν, & τιμή, de dono, ac beneficio explicant, ubi D. Hieronymus ii. comm. *Honor*, &c. *in eleemosynis, ac munerum oblationibus sentitur*: collatisque aliis testimoniis sacræ pag. sequitur Cl. Grotius *de J. B. & Pacis* lib. ii. cap. xiii. n. vii. Adi & Juretum *ad Symmach.* p. cccii. Neque aliter apud Consultos *Honorat* testator, qui legat, ac relinquit; & *Honoratus* est hæres. Arnobius lib. v. *Donis silvestribus honorare.* Grut. mcxv. viii. *Dono*, &c. *honorati sunt.* Macrobius *Saturn.* lib. i. cap. iii. *Annulo aureo honoratus*, hoc est, donatus.

Scriptor honoratum si forte reponis Achillem.

Horatius epist. *ad Pisones.* Ulpianus l. i. *de postul.* *Nisi in arena passi sunt honorari*, hoc est, dona, & auctoramenta accipere. Suetonius *Aug.* cap. xlv. *Nullique Græco certamini interfuit, quo non pro merito certantium quemque honoraverit.* *Honorarium*, quod euntibus in Provinciam Magistratibus; quod item Judicibus, magistris, &c. dabatur; cujus passim exempla. Contra *Inhonoratus*, qui sine dono:

Nos inhonorati, & donis patruelibus orbi.

Ajax apud Ovid. in armorum judicio *Metam.* lib. xiii. vers. xli. Idemque lib. viii. vers. cclxxx.

Quæque inhonorata, non & dicemur inulta.

Sicuti pro injuria, *malum honorem* dixit Gellius. Plura nos in nostro syntagmate de universa donorum ratione apud Vett. Quod si firmior suppetat valetudo, atque otium felicius, Deusque annuat clementissimus, non curti opus laboris, ad umbilicum quandoque perducemus, & publicæ lucis periculum.

CAP. XXXIV.

Insigne honoris pro honore ipso. Latus clavus: *Senatoria dignitas.* Honor laticlavii. *Vir* Laticlavius. Tribunus Laticlavius. *Octav. Ferrarius iterum laudatus.* Angustus clavus: *Equestris conditio.* Tribun. angusticlavius. Aureus annulus *Equitum tessera.* *Olim militibus datus in Rep. Ab Impp. dein impetratus. Census cum aureo annulo requisitus. Libertis aureo annulo ingenuitas reddita.* Natorum honos. *Vulgatus aur. annulus, & ingenuitas.* Vitis: *pro Centurionatu*, τιμή, honor *appellata*.

UTROLIBET igitur sensu capiamus *Honorem* in epigraphe nostra, non temerè videbitur accommodari; sive pro ornamento, atque externa dignitatis tessera: sive pro magistratu, ac ministerio publico, quod per Bisellium denotetur. Fermè enim ornamenta, aut insignia honorem arguebant: co-

A rumque descriptione, magistratus ipsos, ordinisve, aut muneris statum indicaverunt. Supra in universum statuimus; uno nunc autem, atque altero exemplo confirmare pronum est, & obvium ex usu Romanæ politiæ. Quis nescit Laticlavii, aut (quod idem est) Vestis Laticlaviæ gestamen, atque usum Senatoribus Romanis olim datum, tanquam amplissimi ordinis Symbolum? Inde factum, ut tam sæpè pro Senatoria dignitate *Latusclavus*, sive tunica laticlavia dicatur, quoniam insigne erat ejus ordinis. Hinc *Honor Laticlavii.* Lamprid. in *Commodo* cap. iv. *Per honorem Laticlavii*, quomodo in nostro lapide, *Ob Honorem Bisellii.* & J. C. l. *nuper de donat. inter vir. & uxor.* *Honoris causa*, &c. *ut Laticlavii petendi*, &c. & *Laticlavius* nullo adjuncto B idem ac Senator. Suet. *Ner.* cap. xxvi. *a quodam Laticlavio, cujus uxorem contrectaverat.* Sic *Tribunus Laticlavius*, qui ampliore dignitate utebatur. De hac autem tunica, & insigni Senatorio Sigon. lib. iii. *de judic.* ex eo, atque aliis concinnator antiquitatum Rosinus lib. v. cap. xxxiii. Sed qualis fuerit ille clavus, aut ea vestis clavata, à nemine aut melius, aut tutius condisces, quam à Cl. Octavio Ferrario in Palladia Rep. verè laticlavio, *de re Vest.* lib. iii. P. i. cap. xii. & seqq. Non ignoro variatum aliquando fuisse in hoc more, & quandoque non Senatoribus Senatorium hunc clavum indultum; sed id extra ordinem ab Augusto filiis Senatorum. Vide Suet. *Aug.* cap. xxxviii. & ibi Casaubon. Aliud C tamen est ornamenta indulsisse: aliud summæ curiæ dignitatem cum actu permisisse. Loquimur interim sub Rom. Rep. ac meliori ævo. Sic aliud *Justus Triumphus*, aliud *triumphalia ornamenta*, ut legimus apud Suet. *Aug.* cap. xxxviii.

Diversè igitur qui intra equestris ordinis mediocritatem permanerent, neque altius adspirarent, angusti clavi vestem, non tam ampli luminis decore ornatam induebant: quod Lamprid. in *Alex. Sev.* ita expressit, *ut equites Romani a Senatoribus clavi qualitate discernerentur*; ejus nempè angusticlaviæ tunicæ vocabulo eum ordinem, statumque civilem D innuebant. Paterculus lib. ii. de Mecœnate, *minus honoratus*, (en honoris mentio) *quippe vixit angusto clavo penè contentus*: Suet. de patre suo in *vita Othonis* cap. x. *Tertiæ decimæ legionis Tribunus angusticlavius.* Pro angusto clavo, arctum appellavit Papin. vi. *Sylv.*

Contentus arcto lumine purpura.

Ovidius *Trist.* lib. iv. *Eleg.* x.

——— *clavi mensura coacta est.*

Adi eundem Ferrar. lib. xiv. cap. xvi. Lamprid. sup. *clavi qualitate*, hoc est, quantitate, quod Casaub. notat, ut ὅμοιος pro ἴσος Veteribus.

Consimile quid de aureo annulo afferre quem juvet: E quòd equestris itidem ordinis Symbolum fuit, & character. Nec rarò proinde meminerunt scribentes, tanquam si equestrem civilitatem demonstrarent. Martialis lib. viii. epigr. v.

Dum donas Macer annulos amicis,
Desisti Macer annulos habere.

Acuto sarcasmo Macrum pungit vates; dum enim Macer inconsultè donans patrimonio excutitur, desinit annulos habere; aureos scil. & censum equestrem. Neque aliter Juvenalis sat. xi.

F ——— *digito mendicat Pollio nudo.*

equitem Romanum, sed prodigum, & fortunæ equestris liguritorem notat. Suetonius in *Galba* cap. x. *Equestris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum usu evocati appellarentur.* Macrob. i. *Sat.* cap. iii. *Laberius in fine ludorum aureo annulo honoratus à Cæsare*; hoc est, censu, & ordine equestri:

&

& lib. III. cap. XIV. ubi de Roscio, de quo etiam Plinius lib. XXXIII. II. Sed obvia sunt hæc cuique, & vulgaris notæ mercimonia. Vide tit. D. & C. *de J. ann. aureor.* & ibi interpretes, inter quos Gothofredum. Adde Franciscum Amayam plenè alios laudantem ad tit. Cod. *de fecen. aut libert.* n. 47. ac deinceps. Novissimè Kirchman. *de Ann.* cap. XVI. & XVII.

Sed quamvis extra oleas sim facturus, permittat mihi lector, ut hisce aureis annulis *ingenuitatem* insculpam, quod aliorum fortè oculos aut fefellit, aut fugit; dum tam securè opinantur hoc jus, sive usum aurei annuli purum putum esse indicium, & characterem equestris ordinis. Imò namque si rectè perpendimus, quoties de hoc jure annulorum indulto legimus in libris veterum Prudentum, ingenuitatem, aut veriùs imaginem ingenuitatis repe-rientus collatam potius, quam equestrem ordinem, aut dignitatem. Facile cuivis patebit, qui utrumque evolverit titulum tam Digestorum, quàm Codicis *de J. aureo. ann.* Solis scil. libertis donatum fuit illud jus aurei gestaminis, cujus splendore impressam discuterent notam libertinæ obscuritatis, fierentque honorum capaces nullo metu legis Visellia. Et quidem si de iis quærimus, quibus narrant historiæ id facultatis collatum, plerosque omnes è libertino genere deprehendemus. Intelligo autem quatenus de eo jure Constitutiones Civiles loquuntur. Aliis namque temporibus alia fuit gestandi annuli ratio. Et quidem ante Augusti ævum ob militarem præcipuè virtutem id præmium collatum, ut de Herennio Gallione, quem Balbus quæstor donavit, constat ex epistola Pollionis ad Cic. inter Ciceronianas X. III. A magistratibus namque indulgebatur, quomodo Sylla dictator Roscium honoravit teste Macrobio lib. III. *Saturn.* cap. XIV. Postea sub Augusto, & infra ab Imperatoribus impetrandum erat illud jus. Num in militia, an in urbe annulis usi fuerint equites, & quo ævo id usurpatum expendit Kirchmannus cap. XV. *de Ann.* Cæterùm qui milites in bello olim donati fuerint tradit Tullius III. *Verr.* Vide & Lamprid. in *Alex. Sev.* sub quo milites accipiunt: sed alio sensu, ac respectu, ac in titulis legum Civilium, quantum existimo, quo jure inspecto, exempla si percurrimus, occurrent omnes libertini. De Asiatico liberto Suetonius in *Vitellio* cap. XII. De Icelo idem in *Galba* cap XIV. De Antonio Musa Dio lib. LIII. Zonara lib. XI. De Mena ibid. Dio. De Etrusco Statius III. *Sylv.* in Lacrymis Etrusci. De Pallante Plinius lib. VIII. ep. 7. De Macrino Capitolin. in *vita Opilii Macrini* cap. IV. ut multos omittam alios.

Utroque autem pollice adprobo quod doctissimus idem Sigonius monuit, non statim aurei annuli beneficio in equestrem ordinem fuisse transcriptos qui acceperint, nisi etiam census, aut fortunarum præscriptus modulus accessisset; quod à Tiberio institutum, ne tam facilè vulgaretur ille decor equestris. Indulserat namque Aug. *quibus ipsis, parentibusve equester census unquam fuisset.* Suetonius in ead cap. XI. Vide Kirchman. d. cap. XVI. Neque illud negarim in allatis nuper exemplis plurimùm cum aureis annulis fuisse collatum medii ordinis dignitatem. Sed præcipuus ille finis, quem spectarunt, erat reddendæ ingenuitatis, eradendæque cicatricis, si quam vulnus servitutis, ut ut manumissione sanatæ, reliquisset. Quare arridet apud Papinium legere *Sylv.* III. de laudibus Etrusci:

Mutavitque genus, lævæque ignobile ferrum
Exuit, & celso natorum æquavit honori.

Ubi malunt Salmas. *ad Capitolini Macrinum* cap. IV. *Celsi natorum*; mirificè sibi placens, quòd *celsi natos* sagaci conjectura equites esse indicaverit. Præstat, inquam, per ea, quæ nuper monebamus, vulgatam lectionem tueri: quoniam præcipuum, ac maximum beneficium ex Annulis, atque *Honos celsus*, summeque appetendus ille erat, *Natorum* communi conditione (quali scil. omnes naturâ nascuntur) & ingenuitate donare; quod & aliter *Natalibus restituere* dixerunt. Quam lectionem, atque interpretationem idem Amaya tuetur, nostroque huic simul favet adnotationis excursui. Et quidem vel invito Tiberio adeo increbuit deinceps, an potius eviluit illud jus, ut vulgò cum manu-
B missione aurei quoque annuli honor ambiretur. quò respexit Tertullianus cap. LVII. *de Resurrectione* ubi de manumissione loquens: *Vestis alba nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine, ac tribu, mensaque honoratur.* Atqui Tertullianus jura Rom. non ignoravit; siquidem inter veteres Consultos nomen signavit, quorum responsa celebrantur in legum voluminibus. Sed quæ diximus, suis sunt moribus, temporibusque Romanis aptanda. Neque enim omni ævo in illa Repub. aut imperio, usus, atque honor annuli aurei, tessera fuit equestris ordinis; neque solùm istius. Sicuti & Novella Justiniani 78. cap. 1. & 2. omnis solennitas in-
C genuitatis tradendæ per hoc jus aurei annuli submovetur, omnisque labor impetrandi remittitur, quoniam cum sola manumissione plenum ingenuitatis beneficium, Romanæque civitatis integra honestas intelligitur accessisse. Consulantur qui sup. ne præter rem nimiùm lubrica excurram rotâ.

Possem hic interjungere, & ulteriori Symbolorum examine abstinere: sed *Vitis* sub manum adnascitur, quam piget deserere, ac sine ulla, vel tenui ridica adnotamenti fulcire. Scio quod multi dicere occuparunt, ac plena sunt trivia philologorum, Lipsium consule de *Milit. Rom.* I. VIII. & II. VIII. & V. XVIII. Promo tibi lapidem Gruter. DXXI I.
D VI. Augustæ Taurinor. *& mihi vitem dederit*, &c. *Vitem*, hoc est, Centurionatum, cujus ea Symbolum, insigne, aut gestamen: expressè autem Eusebio vitis, *Honor* appellatur lib. VII. τιμή τις ἐςὶ παρὰ Ῥωμαίοις τὸ κλῆμα, *Honor quidam est vitis apud Romanos*: ὃ τῆς τυχόντας φασὶν ἑκατοντάρχας γίνεσθαι, *quam qui impetrarunt ajunt Centuriones fieri*, ut distinctè hunc locum Salmas. legit *ad Spartiani Adrian.* cap. X. nec asserto compesco: *nulli*, inquit, *Vitem, nisi robusto, ac bonæ famæ dedit*: ubi eruditè Casaubonus notat *Vite* potius designatum Centurionem renunciari, quam illicò fieri. Utut aliquando vera ea animadversio, non perpetuò mihi talis. Adi &
E Salmasium ibid. qui suam dulciter scalpit pruriginem illic Casaubonum perstringendi. Nempe viteam manu ferebant virgam Centuriones, militaris insigne regiminis, quomodo etiam hodie cannam, aut bacillum teretem. Hinc sæpe in monumentis eæ vites insculptæ, indicium centurionatus, quem defunctus gesserit. Nota hæc, & multoties recocta.

Nostras ne linquamus sedes, aut longius evagemur aliena petituri subsidia. Hæreamus sessioni, tanquam honoris symbolo, aut argumento. Æquè illud vulgatum est consessu stetisse equites: atque hoc uno jure *sedendi in quatuordecim* impetrato
F plebejos alioquin ac de vili popello in equestrem ordinem fuisse transcriptos, modò illis integra fama, ac legitimus census perseverasset: non turpi judicio forent damnati: non cessione bonorum se maculaverint, quâ honorum insignia, atque usus amittebantur. Vide Kirchmannum d. cap. XVI. Scipionemque Gentilem ab eo laudatum. Non

raró

rarò igitur equeſtris loci ſplendorem innuerunt ſcribentes hac una metonymia, aut periphraſi *ſedendi in quatuordecim*, hoc eſt, ſupra Orcheſtram Senatorum, & infra cuneos populares proximam ſedium partem per quatuordecim gradus occupandi. Vide Lipſ. *de Amphith.* cap. XII. & ſeqq. Bulengerus verò etiam in Circo, non tantùm in theatro id ſervatum equitibus cenſet lib. *de Circo* cap. XXXIII. ac deinceps, quem videat, & allata expendat momenta rationum, cui placet: nempe lege Roſcii Othonis Tr. Pl. Anno V. C. DCLXXXVII. diſcrimen id ſedendi ſtatutum ad honeſtatem equeſtris ordinis augendam. Flacc. *Epod.* od. IV.

Sedilibuſque magnus in primis eques
Othone contempto ſedet.

Juvenalis ſat. IX.

Sic libitum vano, qui nos diſtinxit Othoni.

Et ſat. III.

——— *De pulvino ſurgat equeſtri.*
Cui res legi non ſufficit.

Plinius lib. VII. cap. XXX. *Roſcio theatralis auctori legis ignoverunt, notataſque tribus ſe diſcrimine ſedis æquo animo tulerunt.* Omnino conſulendus Tullius in ea *pro L. Murena.* ſed legem Othonis ſenſim detrectatam, aut fugientem Domitianus Princeps revocavit, de quo Martialis lib. V. epigr. VIII. & ibi locupletiſſ. Rader. Atque in univerſum de hoc equitum honore P. Faber *Semeſtr.* lib. II. cap. VI. Dempſter. *ad Roſin.* lib. V. cap. X. Lipſius, & Bulengerus qui ſup.

Quare nudo nomine *Quatuordecim* ſignificarunt equeſtrem ordinem: ut admirari deſinamus, ſi ſolo *Biſellii* aliqua dignitas, atque honor colligatur. Seneca lib. III. *de Ben.* IX. *In quatuordecim deduxiſſe.* & epiſt. XLIV. *Multis quatuordecim clauſi.* Auſon. *Lud. Sap.* in *Cleobulo*:

Gradibus propinquus in quatuordecim ſedes.

Juvenalis ſat. XIV.

Bis ſeptem ordinibus.

Martialis lib. V. epigr. XXVII.

Bis ſeptena tibi non ſunt ſubſellia tanti.

Adde Macrobium *Saturn.* lib. II. cap. III. Suet. *Cæſ.* XXXIX. & *Aug.* XL. ἰκανητικῶς uſurpatum, ut ſuppleantur, Gradus, ſubſellia, ordines, ſcamna, &c. Uno nomine *equeſtria* dixere. Seneca l. VII. *de Ben.* c. XII. *Non mentiar, ſi dicam me habere in equeſtribus locum.* ſic petulans fœmina apud Petron. turpiculo ſenſu gloriatur, ſe nonniſi *in equeſtribus ſedere.* Adeò autem hic fructus jucunditatis, dignitatiſque ſplendor ſedendi in *Quatuordecim* cuſtoditus, ne contactu plebejo inquinati, aut turba preſſi forent equites, ut ſi quis non eques temerè illic ſe inſuderit, cum ignominia à *Deſignatoribus* (Gr. ῥαβδοῦχοι vocant) ejiceretur; aut contra injuriarum ageret eques injuſtè excitatus, aut depulſus. Vide Martial. lib. V. epigr. VIII. de Phaſide, & lib. V. epigr. XXVIII. ibique Herald. Quintilianus lib. III. cap. VI. *Si accuſabitur lege theatrali, depulſio erit rei; ſi excitatus fuerit de ſpectaculis, & aget injuriarum, depulſio erit accuſatoris.*

CAP. XXXV.

Honor Biſellii alibi memoratus in lapide Sueſſano, ſi pro Honorem bis illi, &c. *legatur* Honorem biſelli. *E in I verſa ſæpe in Vett. Inſcriptionibus.* Biſellarius: *non tam artifex biſelliorum, quàm biſellio honoratus.* Biſelliaris. Biſelliaris Quinquennalitius: *veluti cenſor municipalis.* Biſelliarius Auguſtalis.

QUANDO igitur in ipſo ſedendi actu neſcio quid honorificum ſediſſe, infinitè, atque in univer-

A ſum cognovimus; per partem quoque, ac ſpeciatim exploravimus; atque ipſis tandem Symbolis, inſignibus, ornamentis, eorumve nominibus, honores ſæpè demonſtratos, dignitatiſque, ac præſtantiæ menſuram, ac modum definitum intelleximus; fraudi ne ſit, ſi ex ſolo *Biſellio* honor aliquis exculpatur, quem ſculptum legimus in marmorea noſtra inſcriptione. Eâ quidem unicâ, ubi ejuſce honoris illata mentio, quantum hactenus in veteribus monumentis, aut libris compertum eſt. Sed verò diſcutiendus eſt hic error, & pedum via monſtranda; niſi penitus me fefellerunt veſtigia, ac ſemitæ, quæ adhuc comparent in vetuſtis mar-

B moribus. Antequam ergo conjecturas pericliter de Honore Biſellii, quinam ille eſſe potuerit, admoneo etiam alibi in tabulis lapideis fuiſſe memoratum; modò leviter corrigamus voculam, quam nobis obtruſit, aut menda fabri, qui ſculpſit; aut exſcriptoris incuria, qui reddidit; aut fatum lapidis, qui in ſuis apiculis, ac lineis detrimenta ætatis excepit. Patiatur interim lector, ut totam inſcriptionem apponamus inter editas à Grutero, ubi (niſi aberro penitus) Honor Biſelli, quomodo in noſtro lapide legendus eſt. Ejus particulas aliquot exponere ſimul lubet, ſimul expedit, ut mutuæ lucis commercia invicem ſibi commodent. Ea eſt

C eſt CCCCLXXV. III. & Sueſſæ viſebatur in Campania inter duas portas. E Smetii, & Antonii Auguſtini Schedis Gruterus collegit, ac produxit:

C. TITIO
CHRESIMO AVGVSTO. LI.
HVIC ORDO DECVRIONVM
QVOD PRO SALVTE, ET INDVLGENTIA IMPERAT.
ANTONINI PII FELICIS AVG. ET EX
VOLVNTATE POPVLI
MVNVS FAMILIAE GLADIATORIAE EX
PECVNIA SVA
D DIEM PRIVATVM SECVNDVM DIGNITATEM COLONIAE
EDIDERIT HONOREM BIS ILLI QVO
QVIS OPTIMO EXEMPLO
IN COLONIA SVESSA HABVIT ET VT
AQVAE DIGITVS
IN DOMO EIVS FLVERET COMMODISQVE PVBLICIS AC SI
DECVRIO FRVERETVR ET TITIO
CHRESIMO FILIO EIVS
OB MERITA PATRIS HONOREM DECVRIONATVS
E GRATVITVM DECREVIT ORDO DECVRIONVM
ET AVGVSTALIVM ET PLEBS VNIVERSA.

In hoc lapide *Honorem bis illi, quo quis*, &c. prorſus eſſe noſtrum Piſanum, *Honorem Biſelli*, tam ſimile vero eſt, quàm ovum ovo. quòd ſi criticum ritè adhibeamus cribrum, equidem non ſtultè divinaſſe videbimur. Sed quicquid ſit in cauſſa, cur *Bis illi* pro *Biſelli* compareat, præter ſuperiùs allatas, poſſumus etiam vitio, aut conſuetudini ſcribentium tribuere. Facilis, & obvia ea migratio ē E in I, atque in lapidibus præſertim; ſed Veteres utroque modo uſurparunt

F in vocibus *Spiculator*, & *Speculator*, *Siliquaſtrum*, & *Seliquaſtrum*, atque aliis id genus: notatque *ad Arnobium*, necnon in ſuis *Adverſariis* philologorum emunctiſſ. Deſiderius Herald. In marmoribus quoque *Mancips*, *Sinilis*, *Simpronia* CCXXII. X. pro *Manceps*, *Senilis*, *Sempronia*, & DLI. VIII. *Equis* pro *Eques.* In gloſſis pariter, ac vetuſtis Mſſ. obſer-

vare est; nec desiit admonere toties laudatus Reines. epist. xxxv. pag. cclxii. Addo tabulas Pisanas in eo decreto, quod Cajum spectat *Petilius*, & *Petilus*, *Nive*, pro *Neve*. Dum haec autem sub excusoris manu premuntur, contingit me doceri cuipiam alteri in mentem venisse, non *Bu illi*, sed *Biselli* legere in Suessano lapide: quo pacto cum produxit Abb. Ughellius Tom. vi. It. Sacrae in Episcop. Suess. Felicem lubidinem agnosco, cùm alioquin litera *E*. in Biselli voce surripuerit vetustioribus Smetio, Augustino, Grutero, qui *Bu illi* legerunt. reliquis contra partibus sanam illi dederunt; Ughellius corruptissimam videtur accepisse. Vocalem retinent secundam nullo commutatu duo alteri lapideis apud eundem Gruter. in *Bisellario*. Primus est Atellanus mxcix. ii. quem adscribo integrum, ne expertem observationis relinquam:

CN. PLAETORIO VI VIRO
AVGVSTALI
BISELLIARIO
HONORATO ORNAMENTIS
DECVRIONAL.
POPVLVS ABELLINVS
AERE COLLATO QVOD
AVXERIT EX SVO AD
ANNONARIAM PECVNIAM
HS X̄N ET VELA IN THEATRO
CVM OMNI ORNATV
SVMPTV SVO DEDERIT
L. D. D. D.

Secundus commioutus, & truncus Romae in pavimento Basil. Lateranensis mciii. vi.

.....:. ET PORTENS. Q. Q. IMMQVE
BISELLIARI . . . .

Scaligerianus index in Gruterum *Bisellarios* reponit inter artifices; nempe (intellexis) qui bisellia fabricarent, aut compingerent. Sed viro magno haud notus erat *Honor Biselli*, quem Pisana inscriptio è latebris educit; Suessana, quam attulimus, indicare poterat attendenti. Fuerint ergo Bisellarii, qui bisellia, sive sedes duorum capaces finxerint. Nemo id mihi contendat plurimos saltem fuisse, qui eam artem factitarint, quando etiam hodie illorum haud semel in lapidibus mentio deprehenditur. Innumeras quoque alias inscriptiones aetas contrivit, ac sepelit, in quibus fortassè aderat illa eorundem commemoratio. Tandemque non omnes ii fabri bisselliorum, titulum sepulcri sibi condiderunt: aut si qui fecerunt, non omnes tamen, hanc suae professionis inscriptam memoriam voluere: quo pacto nullius non saeculi fecere, atque hodie faciunt, qui suis notitiam cineribus prospiciunt. Si bisselliariae igitur artis meminerunt lapides (etsi unus Bisellii meminerit Varro) argumento est non infrequentem fuisse usum Biselli; sive inter domestica, ac privata instrumenta, sive ad insigne, & ornamentum honorum. Sed spondere audeo vel quovis periculo, *Bisellarium* non tàm artificem esse potuisse, quam qui *Honore biselli* vel perfungatur, vel functus fuerit; Inquit lapis Atellanus, *Cn. Plaetorio VIViro Augustali*. En honor Sexviratus, sive Augustalitatis, hoc est, Sacerdotii municipalis, ut infra dicemus. Dein *Bisellario*, ἀτάκτως videtur, & ineptitudo post honorem sacrum, quem Plaetorius gerebat, Sellulariae, ac vilis artis opificem demonstrare. Crescit absurditas, dum sequitur, *Honorato ornamentis Decurionalibus*. Egregia mehercle tessellati operis ratio; hinc Augustalitatis flaminium; illinc Decurionalium ornamentorum dignitas; medio autem loco sedium ars effectrix, & quaestus dolabrae.

A Ergo sicuti Praetorius, Triumphalis, Censorius, Consularis, Duumviralis, &c. imò verò quomodo ab ipsis ornamentis petita appellatione, *Laticlavius*, & *Vir Laticlavius*; & *Honor*, aut *Magistratus Curulis*. de quo alibi diximus; ita *Bisellarius* (mea opinione) qui honorem bisellii tenuit, aut tenet: ac fortè utroque modo dixerunt, *Bisellarem* ut in lapide Romano, & *Bisellarium*, sicuti *Consularem*, & *Consularium*. Quoad alterum Lateranense marmor mciii. vi. promptiùs est mutire in tam mutilo teste, ac penè elingui, ubi vix tria verba supersunt. Illic autem potuit tàm de artifice, quàm de honore haberi mentio. Sed eae tamen literae veteri ductu *q immque* (pro *quinque*) *Bisellare* toties honorem Bisellii initum demonstrare possunt; aut *quinque* . . . . hoc
B est, *quinquennalitium Bisellarem*. Simpliciter autem *Quinquennalitius*, quidam veluti Censor municipalis habebatur; etsi alii de Duumviris Quinquennalitiis exponant, qui per quinquennium duumviralem potestatem obtineant ex usu municipii. Fateor autem (ne videar in suscepta caussa praevaricari) quandoque cum honoribus conjunctam fuisse artis professionem in lapidum memoriis, ut apud Grut. mlxvii. viii. ubi pariter de Augustali, qui Vestiarius tenuiarius fuerat. atque in Traguriano Pe-
C tronii fragmento *Habinnas sevir est* (Augustalis) *idemque lapidarius*, &c. Sed non par tamen verborum series, aut aliorum complexio honorum, sicuti in Atellano lapide. In quo tandem neque ἀπίθανον mihi, neque aliis videbitur, si *Bisellarium* conjunctum capiamus cum τῷ *Augustali*; quasi ille Plaetorius fuerit sexvir Augustalis è numero Bisellariorum: nempe ex altiori ordine, aut gradu; vel cui saltem tributum sit unà jus, & *Honor biselli*, dum Augustalitate fungeretur: quod magis suadebitur, cùm de ipso Bisellii Honore jam jam commentabor. Adigamus ergo equum εἰς πεδίον, atque investigemus, quod genus, vel ornamenti, vel dignitatis, vel excellentiae in nostro Bisellio delituerit. Excutiendus
D tandem, excitandusque est ab hoc sedili arcanus honor, sessilisque amplitudinis inauditum decus.

CAP. XXXVI.

Quid Honor Bisellii *tandem inquiritur septenâ conjecturâ. Sella absentibus ac defunctis, una, pluresve posita. Hinc prima opinatio de* Honore Bisellii. *Plures sellae, aut multoties sedisse, toties gesti honoris indicium: secunda conjectura* Iteratio honoris. IIVir iter. Aed. IIVir bis. Augustalis VIVir iterum. Bis flamen. Bis Neocorus. *Δὶς [illegible].*
E *Bisellium si fortè pro Duumviratu: Tertia. An duplex, ac diversus gestus Magistratus? Quarta.*

ITERVM cum ignaris juxta me scire fateor, quid sit Honor Bisellii: sed quaerere, periclitari, ac στοχάζεσθαι non recuso.

Prima ea sit suspicio, quae primò, & statim obrepsit, ubi primùm incurrit in oculos. *Honor Biselli* nunquam antehac à me auditus, aut lectus. Memineram me apud Veteres adnotasse honoris causâ publicè sellas alicui decretas fuisse in ludis, aut theatris, in foro, curia, &c. Indicium id virtutis, ac meriti in Remp. Tacitus lib. ii. *Ann.* de Germanico: *Honores, ut quis amore in Germanicum, aut ingenio validus*
F *reperti decretique, &c. ut sedes curules Sacerdotum Augustalium locis, superque eam corona quernea statuerentur*; en *Honores*, en *Sedes*; neque una tantùm, sed plurativo numero. *Sellae curulis in Circo locus datus est Valerio Dictatori, posterisque ejus honoris causa*, &c. Festus in *Sella Curules*, quomodo cum explet Ursin. Hic pariter *Honoris causa*, qui honor posteris omnibus

bus Valerii Dictatoris servatus. Salustius *bell. Jugurth. Honorem* simpliciter vocat, ubi de sellæ collocatione loquitur, quam petebat Gaudas Masinissæ nepos. alibi attulimus cap. XVII. De Marcello Dio lib. LIII. τῷ Μαρκέλλῳ δίφρον ἀρχικὸν ἐς τὸ θέατρον, &c. εἰσφέρεσθαι. *Marcello sedem curulem in theatrum*, &c. *inferri*: quod ad honorem itidem narrat. Rubrio Pollioni Claudius extra ordinem concessit εἰκόνα, καὶ δίφρον *Imaginem*, *& Sellam* in Senatu. Idem Dio lib. LX. p. DCLXXX. hoc ipsum ab Augusto decretum cuidam Valerio Liguri subdens. De Augusta, cui posita sedes inter Vestales Tacitus lib. IV. *Ann.* cap. XVI. De Subsellio Tribunitio, item de sella curuli, quæ deinde aurea Cæsari statuta, Dio lib. XLII. & XLIV. Appianus lib. III. *bell. Civ.* ac supra nos cap. XII. & cap. XIV. ubi fusiùs exempla produximus. Septimius Severus inter cætera honestamenta, quibus memoriam Pertinacis augeret, decerni illi jussit θρόνους τε τρεῖς κατακεχρυσωμένους *Sellas quoque tres inauratas*. Herodianus lib. IV. Potuit ergo Civitas Pisana, aut Decuriones Largennio Chresimo sedem publicè statuisse honoris causa. Vocat autem lapis Bisellium, sive ut duplicem sellam, sive ut ampliorem, ac digniorem demonstret (Vide quæ nos sup. cap. IX.) qualem fortassè tunc appellabant, atque usui habebant.

Sed ad secundam accedamus enarrationem, cui hæc ipsa primo allata loco parumper lenocinatur. Aurem igitur mihi vellit altera animadversio, quòd Chresimus noster semel, atque iterum in colonia Pisana magistratum gesserit. Hunc autem significare placuit nomine *Biselli*, quod bis sella usus fuerit: nos diceremus *Risedar due volte*. en quomodo Plinius de Corvino loquens, quem toties majoribus magistratibus usum fuisse narrat, sedendi numero honorem descripsit lib. VII. cap. XLVIII. *Idem sella curuli semel, & vicies sedit, quoties nemo*. Livius lib. IX. *Notati septem, nemo tamen, qui sella curuli sedisset*. Haud aliter tres sellas Pertinaci positas ex Herodiano diximus, quod ita factum opinor, ut gestus bis consulatus, ac tandem Imperatoria dignitas innueretur. De gemino Consulatu testatur lapis Gruter. LVI. IV. ubi *Iter. Cos.* etsi in fastis semel legatur. Nolim spectari hic triplex θρόνον, sive sedis genus; primam Minervalem, ac professoriam, quoniam publicè docuit inter Grammaticos: secundam Consularem: tertiam Imperatoriam. quid est enim quòd umbratici hominis ferulam, vel consularium fascium, vel imperatorii sceptri contubernalem faciamus? Quòd bis sella usus fuit Chresimus, iterum scilicet magistratum obtinuerit, grati subinde, ac memoris animi testimonio dedit Reip. Pisanæ LMHS, ut in fine lapidis narratur. Neque enim tam facilè iterabatur ille honos; nec solebant Decuriones suo decreto, ac voluntate bis in eundem conferre, quin egregiam simul de quoquam cive opinionem proderent. Nil ut mirum, si Chresimus largitione prosequatur Pisanos; ac toties in vetustis lapidibus iterati honoris mentio legatur, quasi illustre ad memoriam, dignumque posterorum notitia testimonium. *Iteratio honoris* vocatur Grut. CCLII. IX. & *IIVir iter*. ib. & *Æd. IIVir bis*, MLXXX. II. Sic, *Augustalis VIVir iterum*, CCCCXCII. II. *Bis flaminem*, CCCXXV. XVII. *Iterum flaminem* CCCCLXXXIX. X. & δὶς νεωκόρων *Bis Neocorum*, in marmore Ancyr. De Neocoro Casaub. ibid. Samuel Petitus lib. IV. *Var.* cap. ult. Selden. *ad Arundel. marm.* p. CLXVI. & seqq. Et *bis. hon. in curia functus*, XXVI. X. ubi non nimium erit audax, si cui allubescat exponere, *Bisellii Honore in Curia functus*.

Velitemur tertio, & conjecturali telo colimemus ad scopum: de attingendo non cogitamus, nec tantum persidimus: *Honor Bisellii* fortè idem ac Duumviratus qui summus erat in Coloniis, ac municipiis. Vide quæ sup. cap. IV. simulacrum Consularis in urbe potestatis. quem quia honorem Chresimus obtinuerat, ideò civitati Pisanæ nummorum quinquaginta millia dono dedit; vel quia humilioris ille fortunæ, aut sanguinis. Sic alibi, *Ob Honorem duumv.* LXII. VI. & *ob Honorem IIViratus*. Sed cur Bisellii nomine hic magistratus expressus? Nempè à numero Duorum, qui summum locum in municipio, aut colonia tenebant: quibus duplex sella, aut duorum capax statuta, ut insigne magistratus, ac potestatis: quam placuit justa appellatione Bisellium dicere.

Quartò ariolemur, ut Bisellii vocabulo duplex Magistratus innuatur, quem Chresimus gesserit; non eodem iterato, ut in secunda conjectatione subsensimus, sed diversus; nec refert sive junctim, sive unum post alium habuerit. Indissimilis locutio CCLXXVIII. III. ubi Decurionatus, & Flaminium cum eadem formula, *Ob Honorem Dec. & Flam.*

CAP. XXXVII.

Quinta explicatio. Decuriones simulacrum Romani Senatus. Proprius Senatus. *Unde dicti*? Senatus *de Decurionibus*. Curiales. Buleutæ. Buleuterium. βουλευτὴς *de municipali Senatore*. συγκλητικὸς, *de Romano* Conscripti: *de Pisanis Decurionibus*. Seniores: Signori. Juniores. Juvenes. Primi curiæ. Primarii curiarum. Principales. Principalitas. Protostasia. Prototypia. Principes Decurionum. Primates. Summates. πρωτοπολῖται. *Horum major, minorve numerus*. Quinqueprimi. Pentaproti. Pentaprotia. Quinquesummates. *Decemprimi. Decaprotia*. Icosaprotia. Vigintiprimatus. Decemprimi Pisani. Patroni corporis. Priores. Priori. *Dissensum a Reinesio*. Primus Curiæ. Major Decurio. Princeps Coloniæ Pisanæ. *Honor bisellii ornamentum & insigne, non ministerium Decurionatus*. Functiones curiæ. Decurio cubiculariorum, Sacri palatii, Pontificum, &c.

PROMITTAMUS barbam, & quinto loco veraculum agamus. Cum proximè Duumviratum tentaverimus, experiamur hoc capite Decurionatum; Augustalitati mox injiciemus manum, si fortè Bisellii honor in ullo istorum cubaverit. Debemus namque per vestigia progredi Honorum, aut Magistratuum Colonicorum, ac municipalium: ac multò id magis, quoniam aliæ Inscriptiones lapidi nostro planè affines, ac geminæ illuc manu nos ducunt, ut infra ostendemus.

Decuriones in suis civitatibus quoddam fuisse Romani Senatus simulacrum nemo ignorat, & ut loquitur Justinianus Nov. 38. κατὰ τὴν βασιλεύουσαν πόλεως μίμησιν, *ad imitationem urbis dominantis. Decuriones*; οἱ πολιτευόμενοι Græcis; proprius suæ patriæ Senatus, quomodo appellat Ausonius in *Mosella* Idyll. IX.

——— quos curia summos

Municipum vidit proceres, propriumque Senatum.

Adi Berter. Pithan. diatrib. I. cap. X. Samuel Petit. lib. III. *Var.* cap. VI. Reines. epist XXXI. p. CLXXVI.

Quòd autem Pomponius nos docet ex quorundam sententia in l. 239. *de V. S.* Decuriones ita dictos, *quod initio cùm colonia deducerentur, consilii publici gratia conscribi solita sit*, meritò reprehendit

doctiss. Velserus *rerum Augustan.* lib. v. p. xciv. alioquin tot fuissent Decuriones nonnunquam in ulla colonia, ac civitate, quot Roma Senatores nunquam habuisset.

Et ut decimus quisque Senator fieret, aut Decurio consilii gratia (si cæterorum numerum ineamus, qui aliis operibus, atque usibus necessariis destinantur) concentui non adsonaret benè constitutæ Reip. Potius à Curia deducamus, ut voluit Isidorus, quare & *Curiales* appellati, quasi de Curia sint, aut in curiam conveniant. Atqui *Decuriones*, ii qui primùm fuere descripti in Colonias: quæ quoniam *effigies parva*, simulacraque populi Romani fuerunt, ut loquitur Gellius lib. xvi. cap. xiii. Senatorium nomen affectarunt. Adi summum Cujacium *ad tit. Cod. de Decurion.* & Gothofr. *ad l. 53. ejus tit.* ex quo proficit Amaya *in Cod.* pag. cccli. Cic. in *Verr.* vi. *Senatum Syracusanum* agnovit, & *Amplissimum ordinem* de Puteolanis dixit in ea *pro Cælio*. Livius pariter lib. xxvii. de duodecim Coloniarum defectione agens. Latin. Pacat. de Naronensibus Colonis *Conspicuos veste nivea Senatores, reverendos municipali purpura flamines*, &c. Plin. Junior lib. x. de Bithynis epist. lxxxiv. cxv. cxvi. quanquam & Græca *Buleutarum* voce utitur; quomodo & Tullius *Verr.* iv. *Buleuterium* dixit. Nempè quodam discrimine, & dignitatis majoris reverentia, municipalem Senatorem, Buleutam βουλευτὴν, Romanum συγκλητικὸν appellasse videntur Græci scriptores. Adi ad l. 30. D. *locati*, & l. 17. *de excusat. tut.* ubi Gothofr. sicuti & βουλὴ, *Bule*, municipalis curia, ut à Principis urbis consessu distingueretur. Vide J. Consultos laudatis nuper locis, aliosque, quos profert Langlæus *ocii semestris* lib. xiii. cap. ult. Coras. lib iii. *Miscell.* cap. vi. Quare in l. 33. C. *de Decurion.* cum exceptione scribitur, *Et sua curia (si sic oportet) Senatorem*, &c. In lapidibus sæpe mentio senatus municipalis, ut *S. P. Q. Tiburs. S. P. Q. Nolanus, S. P. Q. Signinus.* Vide Grut. cxxviii. vii. atque indicem percurre. Sicuti & *S. Consulti* municipalis ci. i. clxvii. ix. clxviii. i. xi. xi. cxciv. vi. ccccxix. v. ccccxliv. viii. atque in tabulis Sepulcreti Pisani, eâ quæ de Cajo est, *Placere conscriptis, qua*, &c. *Conscriptorum* nomen sibi tribuunt Pisani Decuriones. Sed & percussæ in Coloniis monetæ solenne illud præferunt *S. C.* etsi de Romano possit etiam exponi, ut sensit Velserus *rer. August.* pag. cxvi. De nomine autem *Ordinis* vel in Coloniis, vel in Municipiis, Reines. epist. clxxv. In hoc Senatu municipali fuisse quosdam præstantiores, graduque supra reliquos honestiori manifestum est: quo pacto in Senatu quoque Romano, ad cujus exemplar ambitiosè componebantur. Hinc *Seniores*, hinc *Juniores*, & *Juvenes* sæpe in lapidibus. Vide Reines. epist. xxxi. pag. clxxix. & quidem *Seniorum* nomen etiam hodie servamus, nobis *Signori*: à senio scil. auctoritatis instrumento: nec aliter *Senatus*, Gr. γερουσία. Vide Selden. *Synedr.* lib. i. cap. xiv. E seniorum, aut præstantiorum numero sunt ii, qui *Primi Curiæ*, & *Primarii Curiarum*, & *Principales*: ac fortè hi, qui judicio Principis, non municipum suffragiis in curiam adlecti, de quibus in l. ult. D. *de albo scrib.* Hinc *Principalitas*, quæ & *Protostasia*, & *Prototypia*. Vide Guther. lib. iii. cap. xxiv. *de off. D. A.* iidem *Principes Decurionum*, & *Decurionum Primi*. In universum quoque *Summates*, & *Primates Civitatum* l. 57. C. *de Decurion.* aliisque in locis Juris, quæ profert Berter. in ea diatriba. D. Augustin. epist. xliv. *Decuriones, & Primates Civitatis*. Vopiscus in *Aureliano* cap. xxxiii. *Palmyreni, qui superfuerant Principes Civitatis*. Gloss. πρωτοπολίτης *Princeps*: & πρωτοπολῖται *Proceres*. notatque Salmas. Consule & doctiss. Jurettum plenè docentem *ad Symmach.* lib. ix. epist. x. Istorum Principalium, quos veluti edecumatos, atque eximios habebant, major, ac minor numerus, pro amplitudine, opinor, Curiarum, civiumque, atque indigenarum copia, aut penuria. Erat, ubi *Quinqueprimi*: qui & *Quinquesummates* d. l. 57. C. *de Decurionibus*, seu *Pentaproti*, atque hinc *Pentaprotia*: ubi *Decemprimi*, δεκάπρωτοι; & *Decemprimi Curiales*, & honor ipse *Decaprotia*, cujus meminit l. i. & l. *fin. de mun. & honor.* & *Icosaprotia*, seu *Vigintiprimatus* in ead. l. *fin.* Adi & Cod. Theod. *de Decurion.* Guther. ut sup. Rein. in epist. p. clxxix. & ccxciv. In decreto Pisano de Lucii Cæsaris funere, *Data cura C. Canio Saturnino II. V. & Decemprimis*, &c. Sed & aliorum corporum, aut collegiorum *Decemprimi* leguntur in lapidibus, qui & *Patroni Corporis*. quod puto factum imitatione summi consessus, aut consilii in ea civitate. *Priores* nonnunquam vocati in iis corporibus, aut collegiis artificum, ut in l. 7. C. Theod. *de pistor. & catabol.* & novell. Theodos. *de suar. boar.* &c. tit. 39. & *Priores Sodalitatum* medio ævo, Vide Reinesium d. pag. clxxix. Cujus doctissimi viri sententiæ de Primis Curiæ additum cuperem, eos potiùs fuisse, qui pluribus suffragiis Decurionum creabantur, quàm qui primò nominati, aut adlecti. Docet l. 6. §. penult. & ult. *de Decurion.* quorum *potior* vocatur *causa in ferendis sententiis*, quique *honoris ordine præcellere* cæteros dicuntur. Atque hos quoque *Principales*, aut *Summates* non interpretor tanquam magistratus, quod eidem placuit eruditissimo viro pag. clxvii. sed tantùm honestiores, ac præstantiores, primosque in sua curia. Nomen *Priorum* etiam hodie retinent pleræque Civitates, quo Decurionum summos, & consilii publici Principes designant. Legitur & *Primus curiæ* in l. *Alexandrinis* 56. C. *de Decurion.* sicuti in l. 27. C. Theod. eodem *primum in sua curia locum* adnotavimus. Fortè idem qui apud Gruter. mlxxii. vi. *Major Decurio Cremonæ*, & in Pisano decreto, quod de Caji Cæsaris funebribus est *Statulenus Juncus Princeps Coloniæ*. Sicuti igitur *Primus Curiæ*; aut *major Decurio*, ita *secundus Decurio*: apud Gruter. xxxvi. ii. Primus autem respondere videbatur *Principi Senatus* Romæ, qui ante alios, ut notum est, à Censoribus pronunciatus fuit in albo recensendo. Sed hic ordo Decurionum corruisse demum videtur, cùm labante Imperio in Occidente, vix relicta umbra Curiarum in Coloniis, ac Municipiis. In Oriente autem Leo Imperator omnem attrivit auctoritatem civibus, qua Curias ipsi crearent; sed ab una Principis solicitudine id pendere jussit, ut patet ex ejusdem Leonis nov. const. 46. & 47. notavit Berter. D. diatriba cap. x. p. cxxxv. post eum Vizzanus eleganti, ac docto opere *de mandat. Princip.* pag. ccxli. Atque hoc in causa, cur in Basilicis, sive in J. prudentia Græca, quam idem Leo edidit, sublatus sit tit. *de Decurion.* sed ante has constitutiones, aut imminutum alio pacto curiarum splendorem, honoris instar habebat in ordinem cooptari alicujus Civitatis; sic legimus in vet. lapide Gruter. cclxxviii. iii. *ob Hon. Decur.* Ac eò magis, si inter *Primos*, aut *Principales* Curiæ, aut Decurionum; vel pluribus suffragiis ejusdem ordinis (ex d. l. 6. *de Decurion.*) vel Principis judicio, ac beneficio (l. ult. *de albo scrib.*) adlectus quis fuerit. Ac fortasse aliquo insigni, atque ornamento discriminabantur, qui in curia cæteros antecellebant: quod Bisellio, vel amplioris sellæ dignitate describere fortean voluerunt, unde noster *Bisellii Honor*. Multum præsidii affert opinationi nostræ l. 4. C. Th. *de Decurion. Sedentibus his, quibus emeritis omnis honor jure, meritoque debetur.* En honor in sessione *Primis* curiarum; & inter *Honoris in-*

signia

signia ibid. ipsum sedendi jus agnoscere videtur Constantinus Imperator. Atqui eam sedendi honestatem, præcipuum fuisse Senatorii ordinis decus docent nos Jura in l. *honorati C. de offic. divers. apparit. & jud.* & l. *fin. Ubi Senat. vel clariss.* Quare idem fuerit *Honor Bisellii*, ac sedisse inter Curiales, si Bisellium accipiatur pro quacunque sede Honoris. An potius inter *Primos* sedisse, si Bisellium pro ampliori sella, quæ eximiis, ac dignioribus debeatur. Illud etiam à similitudine veri non abhorret, quosdam sola ea honestate fuisse contentos, ut inter Decuriones sederent, atque ingressu in Curiam lætarentur, etiamsi verè Decuriones non essent; id autem *Bisellii Honore* voluerint exprimere. Scimus diversum, *Creari Decurionem*, *& esse Decurionem*, docente eximio Cujacio Papiniani respons. primo ad l. 6. *de Decurion.* Ita usu, & actu Decurionatus ordinem tenere, aut solis ornamentis, & ingressu in curiam decorari, dispar habetur. Neque id sine Romani Senatus imitatione factum; cùm extra ordinem olim vigente Rep. & mox sub Imperio, aut Juniores, aut qui Senatoriæ non essent familiæ, in Senatum inducebantur; non tamen fiebant Senatores, aut dicendæ sententiæ Jus obtinebant: sed privilegio, atque extra ordinem id permittebatur.

Quin igitur hoc ipsum in Coloniis, aut municipiis fieri potuisse suspicemur? Præsertim cùm Civitates validis Præsidum, aliorumque, quos Roma mittebat, Magistratuum imperiis obnoxiæ, multa præter leges, ac mores agere, ac pati cogebantur. si fortè ambitus, & favor intercurrisset, aut veriùs Præsidum commendatio, qui satis jubent, dum rogant, qui rogando cogere possunt. Contingere poterat, ut vel ætate, vel conditione, vel censu, vel alia de causa prohiberetur quispiam ambire, aut impetrare Decurionatum; satis autem sibi prospectum putaret, si jus saltem Bisellii, atque ornamenta Decurionalia obtineret. Neque id novum in aliis Veterum inscriptionibus, ut mox ostendemus. Atque hoc sensu *Honor Bisellii* potius foret ornamentum, decus, indulgentia, quàm magistratus, aut publica administratio. Haud ignoro Decurionalem statum multis, ac miserandis oneribus fuisse attritum; quas *functiones curiæ* dixerunt; quare non pauci cooptationem inter Curiales vitabant. constat ex titulis Digest. & Cod. *de Decurionibus*, atque erudité observat Berter. ea diatriba p. cxxxiii. & seqq. Sed contra alii humilioris loci, aut sanguinis, quibus meliùs conveniret cum arca, & ambitionis blandiretur illecebra, candidatos se profitebantur, avidè Curiam expetentes, ut ostendunt vetera testimonia.

Quos hactenus Decuriones memoravimus pro Senatu Colonico, aut municipali, caveat ullus eosdem facere cum iis, de quibus apud scriptores, ut *Decurio Cubiculariorum* apud Suet. *Domitian.* cap. xvii. nobis Decani. Vide Torrent. ib. & tit. Cod. Theod. *de Decurion. & silentiariis.* Sic *Decurio sacri palatii*, *Pontificum*, *Augurum*, &c. Vide Guther. *de off. D. A.* lib. iii. cap. xxix.

CAP. XXXIIX.

Suessana epigraphe enodata. Suffragiis curiæ collatus Decurionatus. Dies gladiatorum. Dies privatus. Secundum dignitatem Coloniæ. Secundum dignitatem municipii. ἀξίως τῆς πόλεως. Pro salute Principis. Indulgentia. *Magistratus, & Sacerdotia auspicantes munera edebant: Vetitum libertinis.* Venatio plena. *Honores dati qui spectacula dedissent: item alimenta è publico.* Cœnæ aditiales. Commoda. Lucellum. εἰσηλύσιον. Entratura. Beneficia.

A AD ipsam accedamus Suessanam epigraphem, quam supra protulimus ex Grut. ccccLxxv. iii. ubi *Honor Bisellii* (ex nostra saltem lectione) pariter legitur, & ad alteram Atellanam mxcix. iii. quæ multam nuper allatis de Ordine Decurionatus lucem afferunt, penitusque *Bisellium* ornant, atque illustrant. In Suessana C. Titio Chresimo *Honor Bisellii* defertur decreto Decurionum. Ecce (quod nuper monebamus) suffragiis, ac sententiis Curiæ, atque ordinis assequebantur honorem candidati Decurionatus. Veteres lapides perlustra, & passim hujus decreti mentio; sæpiùs per notas D. D. D. hoc est, Decreto Decurionum. Idem habet cognomen
B Chresimi Titius, ac noster Largennius: de cujus libertinitate etiam nos dubitavimus sup. cap. ii. Cum causa autem Titio Chresimo Decuriones indulgent hunc honorem; ne indigno viderentur tribuisse, aut vili æstimasse ordinem, quem temerè vulgarent. Dederat namque hic Titius spectaculum, seu *Munus Familiæ gladiatoriæ, ex pecunia sua, Diem privatum*: quæ ultima duo verba ita expono; ut vel privatâ pecuniâ; vel (quod magis est) privo, unico, ac solo die commissiones gladiatorum ediderit. Vel tandem privata conditione, non in magistratu, & cura publica; qui ex lege tunc deberet; sed privata beneficentia, an potius insania ad populi gratiam.
C Alibi apud eundem Grut. ccccIv. ii. sine ullo adjuncto, *Diem Gladiatorum* legi, quod hic *Diem privatum*. Scimus namque per plures dies quandoque fuisse ea spectacula præbita, quod sæpè expresserunt lapides, atque historici; magnificentia scil. profusiori, quo effusior sanguis miserè Iudentium de suo capite. Vide Lipsium lib. i. *Saturn.* cap. x. Dedit autem hic Titius *Ex voluntate populi*; gratiorem ergo rem fecit obsequendo. &, *secundum dignitatem Coloniæ.* Hoc quoque meruit, quoniam splendidè, ac magnificè instruxit munus, vel numerosa familiæ gladiatoriæ commissione, vel pompa, & apparatu loci. Est ubi in aliis saxis referantur, quot
D paria ferro concurrentium, quali ornatu arenæ, qua spectantium commoditate: Vide Gruterum & libraria quoque testimonia, non tantùm lapidea. quòd verò hic est, *Secundum dignitatem Coloniæ*, alibi ut ccLii. ix. *Secundum municipii splendorem*, & ccccxxviii. xi. ἐπιεικῶς, καὶ ἀξίως τῆς πόλεως, quod ego verto, *Convenienter, atque ex dignitate Civitatis.* Quòd *salutem* Principis hic insertam legimus, solenne id tum in muneribus exhibendis, tum in votis, ac dedicationibus; ac sæpè illa obvia in saxis, *Pro salute.* ὑπὲρ σωτηρίας, &c. Tanta statim veneratio, ac religio incutiebatur animis obaudito salutis Imperatoriæ nomine. Facit locus Suet. *Calig.*
E xiv. *Non defuerunt, qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quique capita sua titulo proposito voverent.* Vetuerat Claudius Imp. ne quis ludos daret gladiatorios; ac si quis dedisset, ne susceptos, ac factos scriberet, aut diceret ὑπὲρ ἑαυτοῦ σωτηρίας, *Pro salute sua*, inquit Dio lib. ult. Sicuti pro salute, felicitate, Victoria, &c. vota concipiebant, reddebantque, ita pro virtute aliqua Principum, Pietate, Providentia, &c. munera, Dedicationes, sacra faciebant. Hìc ergo quoque *Pro salute, & Indulgentia Antonini Pii*, munus edidit Titius Chresimus. Sed peculiaris equidem *Indulgentiæ* laus in eo Principe, qui
F cognomen Pii sibi fecit. De eo Capitolinus cap. x. *Ad indulgentias pronissimus fuit.* quod & ipsum verbum signatè, & appositè Suessano marmori inscriptum fuit, quoniam ea præcipuè spectabatur tum in edendis, tum in permittendis spectaculis. quare continuò subjicit Capitolin. *edita munera, in quibus elephantos*, &c. Nempe vetita aliquando fuerunt ea munera, ut à Claudio, de quo sup. Dio; & quidem ne

ne Praetores ipsi, aut Magistratus facere potuerint. Tacitus adstipulatur *Ann.* lib. XIII. *edixit Cæsar, ne quis magistratus, aut procurator, qui provinciam obtineret spectaculum gladiatorum, aut ferarum, aut quod aliud ludicrum daret.* Sed brevis hujus edicti custodia: imò solenne deinceps edere spectacula iis, qui Honores obtinuerint, ut ostendemus inf. multò minus autem privatis id aliquando permissum. Vide l. 1. C. Theod. *de spectac.* l. *Publius Mævius de condit. & demon.* & Novel. 105. Symmach. epist. x. lib. IV. & ibi Juret. Guther. *de Jure Vet. Pontific.* lib. III. cap. XX. Sine permissu itaque Principis, in municipiis, atque extra urbem, non temere edebantur spectacula, præsertim à libertis. Sic Harpocrati liberto Jus editionis concedit Claudius narrante Suet. in *vita* cap. XXVIII. Sic Ancharius Priscus impetrat ab Augusto in veteri saxo Gruter. CCCLII. 1. *quod ex indulgentia Augusti octies spectaculum gladiatorum ediderit.* Indulgentiæ meminit & Græca inscriptio CCXCV. V. *ὑπὲρ αἰωνίας δωρεᾶς, pro perpetua Indulgentia.* Ita legendum; non *δωρεάν*, ut extat corrupte insculptum, sive elementarii, sive exscriptoris mendâ. Sed Titius Chresimus *ex sua pecunia* voluit gladiatores in arenam producere: quo quidem magis munificentiam prodidit, beneque de Suessanis colonis merentem se amplius reddidit. Si namque ii, qui vel parte pecuniæ, vel tota de ærario accepta, spectaculis populum oblectassent, honoribus, publicæque benevolentiæ testimoniis ornabantur, dummodo suam in iis vigilantiam, fidem, industriam adprobassent; justius multò, qui toto suo ære edidissent. Lapis Allifanus apud Grut. CCCCIX. III. *Qui ob honor. Decur.* &c. *acceptis à Rep.* HS XMX N̄ *venationes plenas, & paria gladiatorum, paria* XX *edidit,* &c. Venationes plenas (*πάντων ἐν παρόδῳ*) explicat Guther. lib. III. cap. XX. *de Vet. J. Pont.* omni spectaculorum genere refertas, quæ plures ludorum dies habuerint; quales Pompeji & Augusti, aliorumque memorantur. atque hæ venationes plerumque accessiones erant gladiatorum. Hoc igitur constat, in universum honores fuisse decretos iis, qui insanis munerum editionibus patrimonia effudissent, atque animosa prodigentia rem domesticam dilapidassent in apparandis ex humano sanguine voluptatibus. Nonnunquam iis ad incitas redactis alimenta è publico data, quia fortunas exhauserant munerariis profusionibus. Vide l. 8. D. *de Decurion.* Lips. lib. *Saturnal.* 1. cap. x. Berter. in ea diatriba cap. x. pag. CXXXIII. & quidem nequicquam refrænantibus vetustis legibus; imò necessitate deinceps imposita editionis tum urbanis, tum Colonicis magistratibus, coactis etiam Sacerdotibus ad ea onera patrimonialia l. 8. C. *de mun. patrim.* l. 1. C. *de peric. success.* Atque hac de causa C. Titio Chresimo Puteolano collatus à Suessanis ob editam magnificè gladiaturam *Honor Bisellii*, sive aditus ad Curiam, aut jus sedendi inter Decuriones, perinde ac si unus ex iis foret; quod proxima verba lapidis exprimunt, *Commodisque publicis, ac si Decurio frueretur.* Ex qua *Ἡρακλεῖ* Suessanæ Inscriptionis colligebamus quintam conjecturam nostram, collato cum ea lapide Pisano, cùm in utrolibet mentio honoris Bisellii reperiatur. Sed non fecerunt Decurionem Chresimum Suessani, fortassè ob libertinitatem. Vide l. un. C. *si servus, aut libert.* l. un. C. *ad l. Visell.* Ac, si minus vetasset liberti conditio, non tamen quacunque levi de causa ingerendus obviam cuique erat Decurionatus honor. Satis mactum hoc decore Chresimum putârunt Suessani, quòd Bisellio, hoc est, concessu Decurionali, commodisque publicis, ac si Decurio, donarunt. Quæ sunt tandem hæc *Commoda*, quibus, ac si Decurio, frui poterat Chresimus? Proventus, Honoraria, Sportulæ, pecuniolæ, quas potissimùm lucrabantur, quoties, quis in idem collegium, aut ordinem Decurionum admitteretur; quod & in cæteris collegiis, & corporibus servabatur. Extra mensuram, ac minimè computantibus nascebatur dulcius *Lucellum.* signatè id verbum examinat Scaliger *ad Catull.* & Gronov. *de Pecunia vet.* lib. III. cap. XVII. Græcis *εἰσηλύσιον*, Hesychio *εἰσόδιον*, & nobis *l'Entratura.* Vide Alciat. *ad l.* 239. *de V. S.* Plinius lib. x. ep. CXX. *Qui,* &c. *ineunt magistratum,* &c. *solent totam Bulen, atque etiam è plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios, vel singulos dare.* Est autem *Bule* Senatus municipalis, vel Ordo Decurionum, de quibus loquitur Plinius, cùm Bithyniam Proconsule regeret; & epist. CXVI. *An in omnibus Civitatibus certum aliquid omnes, qui deinde buleutæ leguntur, debeant pro introitu dare,* &c. Adde Symmachum lib. IX. epist. ult. Plura Langlæus *in semestr.* III. 1. nonnulla Reines. ep. XXXI. p. CLXXXI. & seq. In novis Sacerdotiis idem factitabant; quod Suet. *Claud.* cap. IX. *Pro introitu novi Sacerdotii* appellat: quo sensu *cœnæ Aditiales* ab aditu & ingressu à Pontificibus olim factæ; non *Adjiciales*, ut vulgò scribunt, monuitque eruditè Lips. *De magnit. Rom.* IV. IX. Horumdem meminit commodorum l. un. Cod. Theod. *de bonis Decurion.* *Curiæ suæ commodis cedant, id est, Ordinis utilitati.* & in l. 6. D. *de Decurion.* Papinianus sub nomine sportularum, *minores viginti quinque annorum Decuriones facti sportulas Decurionum accipiunt, sed interim suffragium inter cæteros ferre non possunt.* ad quem locum Cujacius, sive primo *responsor.* Papiniani *Commoda* appellat, quem vide & *ad Constit. Græcam Cod. quibus muneribus excusantur,* &c. & *ad tit. de J. ann. aureor.* *Beneficia* vocarunt *historiæ Augustæ* scriptores. In aditu quoque ad militiam, & ipso limine tyrocinii soluta ea summula. Vide l. 6. *de don. inter vir. & uxor.* l. pen. §. pen. & ult. *de leg.* 3. Et quidem *Commoda* verbum planè militare. Suet. *Aug.* cap. XXIV. *Certa commoda emeritorum præmiorum.* Vide & cap. XLIX. & *Calig.* cap. XLIV. *Commoda emeritæ militiæ.* Vide & *Galba* cap. XII. In l. *Pater de adim. leg.* *Commoda Primipili*; adde l. 2. C. Theod. *de Decurion. & silentiar.* Suidas, *Κόμμοδα, δόσις ἀπὸ τοῦ δημοσίου παρεχομένη*, egregie Lips. *Emendat.* V. XIX. *de milit. Rom.* *ἀπὸ τοῦ σιτηρεσίου*, *Commoda, pecunia, aut donativum ad annonam.* Hanc verbi vim exprimit sermo nostras, dum appellamus *Commodi* has pecuniolas, & largitiunculas, quæ commodiorem nobis vitam parant. Suspicabar hæc Commoda militaria potissimùm ab eo spectata, cujus toties id verbum in ore versabatur referente, atque irridente Catullo epigr. LXXXV. *de Arrio*:

> *Chommoda dicebat si quando commoda vellet*
> *Dicere,* &c.

Iturus enim in Provinciam (fortè belli causâ) commoda nominabat sibi obventura. Ne pluribus te morer, plene Commoda hæc examinantem adi Jacob. Gothofr. *ad l. un. Cod. Th. de Bonis Decur.* & Glossar. Nomico in ver. *Commoda.* Longior namque cum Commodis ne nimium incommodus tibi sim, Lector, ad aquarum diverticula sermonis cursum deflecto.

CAP.

CAP. XXXIX.

Aquæ digitus. *Aquam ductilem curare censorium Romæ munus: in municipiis decurionale.* Jus aquæ. Hydroscopi. Hydrologi. Aquileges. Aquilices. Elices. Aquarii: *aquarum mensores.* Digitus *inter aquæ modulos. Robert. Keuchenius.* ὑδατ☉- δάκτυλ☉. *Ratio dimetienda aqua per digitos. Benedictus Castellius insignis Mathematicus Galilai discipulus. Famianus Michelinus.* Matrices *fistula.* Minuscularii aquæductus. Paragogia. Ubera. Formæ *aquarum.* Formale. Comitiva formarum. Zampilli. Pes, uncia pollex *aquarum mensura. Imperatori dein soli aqua jus dividenda.* Divini, cælestes apices. *Honorificum intra ædes aquarum ductus.* Uti opt. maximum. Optima lege. *Ædes, fundus, ager* uti opt. maximus. Sevir gratis. Sine impendio. Sine censu. Decurionatus gratuitus. Ob spem processus. Processioni. *Alii lapides illustrati.* Ornamenta decurionalia.

PRÆTER Commoda Decurionalia cum Honore Bisellii delata Chresimo ob editum splendidè munus, adjungitur publicæ existimationis alterum specimen, sed & usûs commoditatis; *Ut aquæductus in domo ejus flueret.* quæ verba non incuriosus transmitto; tùm quia opellam aliquam jam promisi huic Inscriptioni, tanquam germanæ lapidis nostri Pisani; tùm quia cætera hæc Commoda, atque ornamenta in Comitatu esse videntur Honoris Bisellii. Ac lectionis tandem marginalis varietas, ubi pro *Aquaductus* reponitur *Aquadigitus*, movent mihi curam libentius. Veriorem existimo hanc alteram lectionem, & ex artis hydragogicæ ratione. atque ita fortasse scriptum erat in lapide; sed aut facili ætatis detrimento in tam affinibus literis, aut in voce non probè intellecta ab exscriptore, notior altera occurrit *Aquaductus.* Divergia hæc aquarum, & salientum rivuli in ædes privatas deducti, sive ut loquitur eleganter Martialis lib. XII. ep. XXXI.

——— *rigua ductile flumen aqua.*

ad Censoriam Jurisdictionem attinebant Romæ, & ejus administros ædiles: qui permittebant, vendebant, largiebantur, præsertim in abundantissima illa fontium eruptione, qui Urbem tam multiplici fluxu irrigabant. Cæterùm exinde Præfectos Pr. aut Urbi custodiendæ, ac tuitioni aquarum ductilium excubasse, ne quà fraus obreperet, ac ne quod eæ damnum facerent, argumento sunt Constitutiones Principum ad eos Magistratus perscriptæ in legibus utriusque Codicis *de Aquæduct.* Aliàs sarta tecta illarum curabat Comes Formarum, de quo Cassiod. VII. *Var.* VI. Reperimus etiam *Consulem aquarum* in veteribus saxis: ac meminerunt rescripta ejusdem Cod. Th. Qui consul fuit in nova Roma sub Constantino M. tenuit. At *Comes Rer. Privatarum* peculiari munere aquæductus Palatinarum ædium dispensabat. Vide Jac. Gothofr. *ad Cod. Th. eo tit.* In municipiis autem decreto nonnunquam Decurionum aquarius ille ductus (ut ex hac Inscriptione liquet) concedebatur; ac multò magis Præsidum, Proconsulum, aliorumve provincias regentium arbitrio, ut credi par est. Cui usus hic publicæ aquæ in prædium urbanum derivandæ contigerit, non mediocre honoris instar obtinuisse constat. *Jus aquæ* appellatur in l. 5. C. *de aquaduct.* Hæc derivatio, aut erogatio non sine opera, & ministerio libratorum, aut mensorum fiebat, qui assignati moduli copiam ex præscripto artis dividerent. *Ὑδροσκόπους* Græci vocant, & *ὑδρολόγους* *Aquileges* in Gloss. ab aqua legenda, hoc est, colligenda; & *Aquilices*; & *Elices*, & *Elicatores* ab eadem (ut puto) liciendo, sive eliciendo: quo verbo eliciendi in hac ipsa re utitur l. 3. C. *de aquaduct.* Sic *Elices* Festo sulci aquarii. At Frontino *de Aquaduct. Aquarii* sunt ii mensores, & aquilices. Inter cæteras erogandæ aquæ mensuras fuit *Digitus.* Idem Frontinus, *Aquarum moduli aut ad digitorum, aut ad unciarum mensuram instituti sunt:* ad quem locum Robert. Keuchenius, qui nuper Frontinum notis illustravit; atque hanc ipsam inscriptionem producens præ *Aquaductu* maluit ipse quoque *Aquadigitum.* Antea Brissonius lib. VI. *formul.* unde hausit Keuchenius de hac aqua salienti cum magno silentio. Porrò Campanis potissimùm (quo in populo Suessa Colonia, ubi inscriptio hæc) mensura, aut modulo digitorum usi ad aquas dimetiendas; quod disertè tradidit diligentissimus earum inspector, & scriptor Frontinus, *Digiti*, inquit, *in Campania, & in plerisque Italiæ locis, uncia in pupula.* Postremum hoc verbum reformant *In populatoria*, ac novi ne quid nos, affert eruditus Keuchenius. Mavult Gothofr. *In populo*, hoc est, in Urbe. Nunc & hic etsi inter ductus fluentes aqua mihi hæret ad incertam vocem. Digiti aquæ meminit lex Græcè scripta Λόγ☉ 37. *de servit. rust. præd.* (non *urban. præd.* quod in notis Keuchenianis levi menda obrepsit) in qua Lege Lucius quidam per epistolam, aut *scripturam*, qualem vocat J. C. Gajo Sejo fratri concedit aquæ digitum, ὕδατ☉, &c. *δίδωμι, καὶ χαρίζομαί σοι δάκτυλον. De aqua*, &c. *do, concedoque tibi gratuitò digitum*, ut ibi vertitur. Prorsus illic lego δάκτυλον, non *δακτύλιον*: quam postremam vocem cur in notis haud semel Keuchenius retineat, non video, nisi librarius in culpa. Quæ sit digiti (intellige transversi) mensura, notissimum est; quæ omnium minima existimatur, latitudinis nempe, quantam hordei grana quatuor sua crassitudine occuparent. In aquis autem dimetiendis non sola tubi, aut fistulæ latitudo spectanda est, sed totum oris cavum, qua in ambitum panditur; ut digitalis omnino sit diameter, sive quatuor granorum, qui in se circumactus parem faciat undecunque epistomii apertionem. Aliter namque ostium canalis esse posset latitudine unius digiti, sed trium, quatuor, pluriumve proceritate, figurâ parallelogrammâ: ineptum autem id ad hydrometriam. Digitus etiam quadratus motum parum æquabilem, minusque expeditum redderet aquæ fluentis: sordesque & retrimenta angulosis sederent in latebris damno tubulorum, ac ductuum. Cæterùm si rotunda sit fistulæ cavitas digitali in orbem spatio, trudentibus sese invicem æquabiliter partibus; tum qua currit, atque eluctatur ad exitum; tum qua in ipsa eruptione desilit latex; certior dimetiendi, atque erogandi regula ad moduli justitiam, atque artis dispensationem continget. Quæ dicta volui, si antiquum, ac simplicissimum dimetiendi morem in sua, tum nominis, tum rei origine contemplamur. Verùm ad altiorem theoriam pertinet (cui libenter procumbimus) causas, rationesque hydrometricas speculari: quod cum primis egregiè præstitit D. Benedictus Castellius Pisani nostri Lycei quondam matheseos professor *Nella misura dell' acque correnti*: auctor vel hoc ipso cum præfatione honoris nominandus, quoniam digitus, aut rivulus è magno illo, atque inexhausto fonte defluxit Galilæo Galilæo. Nuperque ab eadem scaturigine Famianus Michelinus Serenissimi Principis Leopoldi ab Etr. Mathematicus, ac præceptor meus, mihi dignè æstimandus

dus in parvo libro, sed ingentis pretii *Della direzzione de' fiumi*, ubi tum experimentis, tum Geometricis rationibus aquarum cursus, divergia, stationes, viresque speculatur, & ad usum dirigit.

Fuit, cùm aquæ digitos eo dictos allubesceret exponere, quoniam similitudine digitorum in subtiles meatus dirimerentur. Nempe quemadmodum digiti sunt quidam ceu fluxus, & productiones manus, aut volæ, quæ paulatim in eas carnis divisuras gracilescit, ac desinit: ita Castellum, Forma, aut congregatio aquæ, sive fons plenior, & undantior in minutas, ac subtiles fistulas, quasi totidem digitos erogatur, ac dividitur. Contra *Matrices* fistulas dixerunt, unde hæ minutiores derivantur in l. 3. C. *de aquaduct.* quæ & *Minusculares aquæductus*, in l. 10. eodem tit. fistulæ scil. & canaliculi angustiores; alio nomine *Paragogia* ibidem. Sed & Paragogius aquæductus aliter explicatur pro subsidiario, & ad supplementum, ut ex Frontino colligit idem Gothofr. *ad l. 8. C. Th. de Aquad.* Ab humani corporis itidem parte, nomen fecerunt castellis, aut conventibus aquarum, *Ubera*, & *Mastos* appellando. eleganter Cassiodorus *Variar.* VII. VI. de aqua Claudia *lavacris, & domibus liquores purissimos fistularum uberibus emisisse.* At *Forma* ibid. de ipso aquæducto, & structili opere, qua latices decurrunt. Hinc *Forma aquarum* l. 1. C. *de aquaduct.* l. 39. §. *hæres de legat.* 1. l. 27. *de Usufr. leg.* *Formale* hodie Neapolitanis. *Comitiva Formarum* eidem Cassiod. hoc est, Præfectura aquæductuum. Frontin. lib. *de aquaduct.* *Formas ductuum* nominat. Vide notata à Keuchenio. Plura de hoc Jure aquæ suo more feliciter exundans Jac. Gothofr. *ad tit. Cod. Th. de aquaduct.* ubi multa alia inspergit de aqua concedenda, eroganda, custodienda. Nobis *Zampilli* dicuntur subtiles erogatiunculæ, ac minutæ concisiones salientium laticum, qui insultò sæpè cum lusu ad voluptatem, atque irrigationem evergunttur. *Zampilli* autem idem sunt, ac digituli: sicuti *Zampa* pes ferinus est multifidus, ac digitatus. Sed *Pes* quoque ipse, vel mensura, vel lex aquæ dividendæ: cujus pedis respectu *Uncia* inter modulos aquarum recensetur. Sicuti namque in asse hæreditario, sic in aqua dividenda, duodecima pars pedis est uncia; Pes autem tanquam as, aut solidum, at *digitus* decima sexta pars pedis; atque adeò uncia aquæ major erit digito quartæ partis excessu. Atque hoc pacto intelligendum esse *Aqua digitum* in marmore Suessano, mensuræque rationem exponendam existimo. *Pollex* quoque apud aquarios pro modulo laticis, sed major *Digito*, & idem cum *Uncia*; quoniam tres pollices quatuor digitos efficiunt; sic erit unus pollex duodecima pars pedis, nempe uncia. Idem Frontin. *de re agrar. Pes per uncias*, &c. *palmus habet digitos quatuor, uncias tres*, &c. & ibi Keuchenius, ante illum Brisson. supr. laudatis locis. Ut autem apparet, de re agraria, ad rem aquariam translata fuere ea nomina. Unciam igitur non pro modo ponderis, sed pro mensura spatii, aut loci, qua fluens aqua decurrit, acceperunt, hoc est, duodecimam pedis partem. Nostri aquarii pro nummorum etiam magnitudine, dividere, & indigitare solent. *Un quattrino, una crazia*, &c. *D'acqua*; quantum scil. ejus nummi ambitum, aut diametrum rotunda fistulæ cavitas æquaret. Sed cum his aquarum digitis, qui è publico fonte in domum Chresimi ad privatos usus divertunt, nos quoque parumper ab *Honore Bisellii* divertimus, quem suo decreto cum Commodis, & Aqua Decuriones contulerunt: qua in re dignum est adnotatione, quod paucis deinceps annis post Antoninum Pium, sub quo lapis hic Suessanus inscriptus fuit, non licuit nisi Principi eas aquarum erogationes largiri ex constitutione Theodosii, quam mox renovavit Anastasius Imper. l. ult. C. *de aquaduct.* *Nemo*, inquit, *vel in hac sacratissima Civitate, vel in provinciis sine Divinis apicibus de sacro epistolarum scrinio more solito edendis*, &c. *aquam de publico aquaductu, seu fonte trahere permittatur*, &c. & l. 5. eo tit. *Si quis per divinam liberalitatem meruerit jus aquæ*, &c. Utrobique *Divini* titulum apposuerunt Imperatorio beneficio, insana ejus ætatis adulatione. Sed *Divinos apices*, qui & *Cælestes* in l. 5. intellige lineas, & characteres, quos manus Principis rescribendo supplicum precibus duxisset. Suo, & stato nomine hæ aquarum Indulgentiæ *Beneficia* appellata, & *Jure beneficii* concessæ. leges lege supra laudatas. Ergo Decurionibus sublata potestas largiendæ aquæ; adeò equidem, ut hæc ipsa Principum *Indulta*, (quomodo aliter vocantur in l. 3. eo tit.) non rectoribus Provinciarum, sed soli præcellentissimæ sedi Præfecti Præt. insinuanda esse jubeat ea lex 5. Gravibus ad hæc sanctionibus obstringuntur, qui quid furtive, licenter, injustè adversus publicæ aquæ securitatem commiserint; quæ singula honorem arguunt non mediocrem ei collatum, cujus domum rivulus, aut *Digitus aquæ* fluens perrepaverit, qualem scil. Chresimo Suessani cum Honore Bisellii permiserunt.

Sed omnibus hisce ornamentis speciosa additur verborum forma, ac solemnitas, qua *Honor Bisellii* defertur, *Quo quis optimo exemplo in Colonia Suessa habuit*: perinde ac si dixerint, quanta maxima honoris testificatione, publicæque benevolentiæ consensu, ac favore ullus unquam habuit: sive, Ad optimi, ac plenissimi exempli disciplinam, qua præmiis afficere, ac decorare convenit, qui virtutem, ac merita rerumque benè gestarum laudem Reip. adprobarunt. Haud dissimili elogio CCCCXVI. VIII. Grut. *Honores, quos cuique plurimos decrevit*; & CCLVIII. VI. *Super omnes retro*. &c. in l. 1. *de albo scrib.* *Quo quisque eorum maximo honore in municipio functus*, &c. Solenne id Romanis, quoties largissime quid, ac plenissimæ factum, omnibusque absolutum partibus demonstrare velint, *Optimum* appellare, & *Uti optimum, maximum.* Vide Fest. in *Optima spolia* ib. *Ut qui optima lege*, &c. & in *Optima lex.* & Gellius lib. 1. cap. XII. *Uti quæ optima lege fuat*, &c. ubi Scaliger legit, *Uti optima maxima*, in *notis* ad Festi locum. Gruter. CCXV. II. *Vineam Calcidianam cum parte fundi Pompejani, & uti optima maximaque sunt suis finibus*, &c. Sic ager *uti opt. max.* Paulo *sententiar.* lib. III. cap. VI. *Fundo legato uti optimus, maximus est.* eâdemque loquendi formâ idem J. C. l. *fundo legato* 22. *de fundo instr. vel instrum. leg.* *Gajus* *quoq.* in l. 69. §. 3. *de leg.* 1. quibus verbis significatur, qua fundus liber, instructus, optimaque conditione longè, lateque patet. Neque id in legatis tantùm, sed in contractibus, aut synallagmatis. Vide l. non tantùm *de V. S.* ib. *Uti optimus, maximusque*, &c. & l. *qui uti*, eodem tit. *Ædes uti optima, maximaque*, &c. Brisson. lib. VI. *formul.* Sed *Quo quis optimo exemplo* in Suessana epigraphe, aliter exponamus licet; quatenus videlicet per leges, ac mores, exemplique religionem ullus unquam in Colonia Suessana habeat, qui libertus extitisset. Sic in lapide Suessano, quem sup. attulimus, *Omnibus honoribus, quos libertini gerere potuerunt, honoratus.* Plura pete ad illustrandum hunc locum ab indice Gruteriano, ubi identidem occurrunt illa, *Omnibus honoribus*, &c.

Haud

Haud satis tandem grati sibi videbantur Suessani coloni erga Chresimum parentem, cui tam multa detulerunt, nisi filium quoque Titium Chresimum, *Ob merita Patris* exornassent, cui *Honorem Decurionatus gratuitum* decreverunt; immunem scil. ab impensis, & sumptibus vacuum, quos subibant gravissimos, cùm in ordinem cooptabantur, per epulas, ludos, &c. datis etiam cuique Decurioni sportulis, aut Commodis, de quibus superiùs nonnihil exposuimus. Sæpè in saxis *Gratuita* hæ collationes honorum; sicuti & *Gratuiti* appellabantur qui accepissent. Vide Reines. d. epist. XXXI. pag. CLXXXIII. & Grut. CCCCLIV. VII. CLXXII. XIII. ubi de Augustali gratuito. Conlibertus ille Trimalcionis de se gloriabundus in fragmento Petroniano, *Sevir gratu factus sum*. quo respexit Mamertinus in *Paneg. refertur nuntius consulem me creatum sine impendio.* Neque admodum diversum apud Gruter. CCCCVIII. I. *In curiam admitti sine censu*; non facta scil. fortunarum inquisitione, quasi remissis impensis decurionatus. Sed Suessanæ soror inscriptio alia apud eundem Gruter. CLXXXIII. *Huic ordo Decurionum ob spem processus sui decurionatum gratuitum obtulit*; ubi verba illa *Ob spem processus*, non me tenent penitus indiligentem: intellige ob spem ascensus, aut promotionis ad gradum honoris splendidiorem, majoremque in sua civitate existimationem, ac decus: spectata ejus indole, aut virtute, quæ id ipsum spondere videbatur. Neque aliter in l. 41. *de donat. inter vir. & uxor. Nam & Imperat. Antoninus constituit, ut ad processus viri uxor ei donare possit.* Ex D. Ambrosio, & Seneca patre alia de Processu testimonia affert Rævar. *Conject.* lib. II. cap. IX. Sed *Processus* quandoque idem ac *Processiones*, pompa nempe illa, & traductio solennis Magistratuum in auspiciis honorum; sic Justinianus novel. 105. septem *Processiones* nominat ostendendæ munificentiæ, & à novis Consulibus celebratas. Vide & l. 2. C. *de Coss.* προόδους vocat Justinian. ea constitut. Theoph. προελεύσεις *§. item si quis* Inst. *de rer. divisione*. Corippus Afric. de Justino l. IV. *Processum Augusti Consulis optat.* Sic nobis *Processions*. Sed satius est, si *Processum* intelligamus, gradum, & ulteriorem in via honorum semitam, nobis ad amussim, *Avanzamento*. Sic Juven. sat. I. vers. XXXVIII.

——— ——— Optima summi
Nunc via processus, vetula vesica beata.

Adi & doctiss. Scipionem Gentilem lib. II. cap. V. *de donat. inter vir. & ux.* qui & alteram Gruter. Inscript. *Ob processus suos*, non de valetudinis processu, sed de honore (ut dicebamus) adversus Rævardum exponit.

Atque huic Chresimo patris cognomini Decurionatus tribuitur, quem poterat ex lege consequi: at pater ob libertini notam repellebatur. Augusti namque libertus in lapide dicitur. Vide l. un. C. ad l. *Visell.* & Julian. Imper. in l. 9. D. *de Dignitat. Libertorum fil.* (non libertinorum) *adipisci clarissimam dignitatem non prohibemus.* Vide ib. Gothofr. Adde l. 1. C. *si servus, aut libert.* &c. Atque hoc jus servabatur ante novellam Constitutionem 78. quanquam hæc non carent difficultate. Filius ergo Chresimus in hac inscriptione gratuitum consequitur Decurionatum, pater Commoda Decurionalia, atque *Honorem Bisellii*, ea qua opinabar declaratione, ut esset ingressus in Curiam honorarius. Hunc ingressum ferè comitabantur Commoda, aut saltem ornamenta, in veste, ac sede, aliisque juribus, atque immunitatibus, de quibus in titt. Digest. & Cod. *de Decurion.* Binis autem aliis saxeis testimoniis videor posse juvare haud temerè convellendam hanc quam nostram divinationem. Primum est Atellanum MXCIX. III.

CN. PLAETORIO VI VIRO
AVGVSTALI
BISELLIARIO
HONORATO ORNAMENTIS DECVRIO
NALIBVS

Hic Plætorius fuit Bisellliarius, quod exposui, donatus Jure bisellii, seu consessu inter Decuriones: illico sequitur *Honorato ornamentis Decurionalibus.* Ac sicuti in Suessano, ob editum splendidè munus fuerunt Chresimo honores, atque ornamenta collata: pariter hic Plætorio, *Quod auxerit ex suo ad annonariam pecuniam* HSXN, *& vela in theatro cum omni ornatu sumptu suo dederit.* Alterum saxum est in CV. II. ubi disertè honori adscribitur, convenire inter Decuriones; & statim alia ornamenta pariter decernuntur:

CVI ORDO MUN. EPOR.
OB MERITA
CENIS PVBLICIS INTER
DECVRIONES LVDIS CON
VENIRE PERMISIT ALIAQ.
ORNAMENTA DECREVIT.

Quinti hæc loci conjectatio præit mihi, & lampadem tradit ad sextum interpretamentum. Cùm enim tum in Suessano, tum in Atellano lapide Augustalitatis honor, atque ordo nobis occurrerit, inspiciamus, an Bisellium huic municipali dignitati aptari queat.

CAP. XL.

Sexta explicatio. Augustales: *medius ordo in municipiis, aut coloniis, & equestri Rom.* παράλληλος. *Duumviri ex Decurionibus lecti. Discrepitum à Reinesio.* Ordinatio: *Ordo.* Seviri Augustales, & ἁπλῶς Seviri. *Cœna Sevirals. Augustalitas. Seviratus. Unde nomen.* Præfectus Augustalis. Milites Augustales. Ludi Augustales. Sodales Augustales: *quibus Seviri similes. Colonia urbis Roma simiola.* Flamen Augustalis *Pisis.* Sacerdotales. *Augustalitas potius ordo, quam administratio.* Primi Augustales.

SExto igitur ictu collimemus; Augustalitatis Ordinem, aut munus sub examen revocaturi. loquor de Augustalibus, quibus publicæ administrationis officium in coloniis, aut municipiis, suisve civitatibus commissum est. Neque ignoro quod Cl. Reinesius scribat ea epist. XXXI. p. CLXXIX. in quocunque etiam corpore, aut Collegio suos fuisse Decuriones, Augustales, Quinquennales: quod nunc, cùm non vacat expendere, nec liquere aio.

Erant Augustales honestus ordo in suis civitatibus; sed infra Decurionum amplitudinem, & supra plebis, aut populi tenuitatem: veluti παράλληλοι Equitibus Romæ. Unde in Vett. Lapidibus, ea qua dicebamus metatura collocantur, ut CCXL. I. *Decuriones Augustales, & Municipes*; & CCCCLXXV. III. *Ordo Decurionum, & Augustalium, & plebs universa* in Suessano; quem modo explicavimus; & MLXXXIX. VI. *Ordo Decur. & Augustal.* quorum trium ordinum respectu in Pisano Decreto de Obitu C. Cæsaris *Per Consensum omnium ordinum*, &c. Videatur doctiss. Welser. lib. V. *Vindelic.* p. CIV. ex eo Reines. d. epist. p. CLXXVII. A Decurionibus autem fiebant, aut legebantur Augustales, ut idem Reines. monet: cujus tamen illud non placet è corpore, aut numero Augustalium fuisse lectos Duumviros. Erant namque Augustales infra

Decurionum ordinem, ut certissimum est, & idem tradit Reines. at Duumviri nequibant fieri, nisi qui jam inter Decuriones conscripti essent. Disertè J. C. Paul. in l. *honorem* 7. §. *is qui* D. *de Decurion.* *Is qui non sit Decurio, duumviratu, vel aliis honoribus fungi non potest.* Imò ex potioribus Decurionum, qui & Primi, & Principales (diximus sup.) seligebatur Potestas Duumviralis. Idem Paulus ib. *Honores, & munera, non Ordinationi, sed potioribus quibuscunque sunt injungenda.* quod hîc dicitur *Ordinationi*, idem est atque Ordini. quasi non inconsultè, ac sine judicio, cuique in ordinem Decurionalem adscito sint injungenda munera; sed cum delectu qui digniores fuerint, ac magis probati, ut ego exponerem. Consulatur & Pancirol. *de magistr. municip.* cap. VII. quomodo igitur ex Augustalium numero creabantur Duumviri, si Augustales non modò selecti inter Decuriones non erant, sed neque ordinem ipsum attingebant? Non mihi tanti est lapis ille apud Grut. LVII. VI. quem profert Reinesius, quin præstent oracula legum, aut consultorum: imò ratio ipsa, & communis rerum sensus. Cùm enim Duumviri sint, veluti Consules, ac fastigium teneant honoris in sua patria; è Senatu, sive Decurionibus, dignissimo omnium ordine, sunt excerpendi. Consideratissimè idem Reinesius advertit horumdem Augustalium mentionem non reperiri in libris Codicis, ac Digestorum; ac nos sup. diximus de ordine Decurionum, de quibus pariter mutiunt libri Juris. Hi & *Augustales*, & *Seviri Augustales*, quoniam totidem essent, appellati; quandoque cum eâ notâ *IIII. Augustales.* Vide Reinesium ib. & Indicem Gruterianum: & *Honorati Augustales*, LVII. VI. nisi error fuit scalpri, aut exscriptoris. perplaceret *Honorati, & Augustales*, sicuti alibi *& Honorati, Decuriones* CCLXXIX. III. & *Honoratis, & populo*, CCCXXX. II. Pari ratione *Plebs urbana, & Honore usi*, CCCXLIII. VI. CCCLXXXVII. VIII. CCCXCII. I. *Plebei, & Honore usis*, CCCCLXXXV. VIII. Atque hac nostra additione & , in lapide LVII. VI. *Honorati*, iidem essent ac Decuriones, sive qui ex Decurionibus honorem aliquem gesserint; nec ulla foret absurditas, ut ex iis Duumviri crearentur, quin potius aptissimè congrueret ex d. l. *honores* D. *de Decurion.* quod obiter sit dictum ad eam ipsam Reinesii observationem, atque epigraphen, si opus sit, defendendam. Hi *Augustales* simpliciter *Seviri* nonnunquam. fragmento Petron. haud semel *sevir gratis factus sum* pag. XL. &, *Habinna sevir est* pag. LII. Inde *Cœna Sviralis* ob Honorem Seviratus data Grut. MLXXIII. VI. Vide Reinesium ea epist. ubi nescio quid de duplici genere sevirorum, ac de fœminis in eum ordinem adlectis, aut saltem ornamento honoratis sine usu, ac ministerio. Honor autem hic, nunc *Augustalitatis*, nunc *Seviratus*: idem Reinesius ib. & Index Gruter. Quod verò scriptor idem antiquitatum diligentissimus non dubitet p. CLXXVII. eò dictos Augustales, quoniam arbitratu, & mandato Magistratuum majorum, seu Præsidum ab Augustis impositorum nominati, selecti, aut saltem confirmati fuerint: atque ita tanquam Augustorum beneficio *Augustales* appellati, non inerudita defluit origine nominis. Confirmari potest exemplo Præfecti Augustalis, quem Ægypto impositum, ut ei regno præesset, à se nominavit Octavius Augustus, qui primùm constituit. Haud secus milites Augustales; de quibus Veget. lib. II. cap. VII. *Augustales appellantur, qui ab Augusto ordinariis juncti sunt.* Sic *Ludi Augustales*, & vel in honorem, vel instituto Augusti ita appellati. Sed non improbabile illud mihi succurrebat; imitamento, atque exemplo Au-

A gusti Sodalium Romæ, hos etiam in Coloniis, & municipiis potuisse nuncupari. De iis, qui in urbe Tacitus *Ann.* lib. I. c. LIV. *Annus V. C. DCCLXVII. novas cerimonias accepit addito Sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam Tatius retinendis Sabinorum sacris Sodales Titios instituerat.* meminit & Suetonius *Claud.* cap. VI. In Provinciis autem, & aliis civitatibus publicæ, ac solenni sacrorum curæ præfuisse Augustales Seviros assentior libentissimè eidem Reinesio. quò referrem etiam procurationem, & apparatum ludorum, qui fermè in honorem Numinum edebantur, ut ex inscriptione Neapolit. IX. IV. quam affert Reinesius. Addo tutelam, & custodiam loci, aut rei dicatæ, aut religiosæ. B Inscr. Gruter. CCCLVIII. I. *Inlatis arcæ Sevirorum ob locum, & tuitionem statuæ*, &c. Quòd si tum nomen congruit Augustalium tam Romæ, quàm in aliis civitatibus; tum munus non dispar rebus sacris vacandi, absonum minimè videatur, si municipalis hic honor imitatione Romani Sacerdotii sit appellatus. Scimus verò id studuisse colonias, ac subjectos populos, ut imitari quàm diligentissimè res Romanas nossent: quod partim adulandi calliditate, partim ambitionis sensu fecerunt. Beatiores autem illi, qui in eo studio magis se adprobarent, ac simiolam blandiùs agerent. id maximè sub Augusto, qui longo C otio, pace, ac felicitate usus, novis magistratibus, legibus, moribus Romanam politiam fundavit. Et quidem extra Romam quoque non una in civitate reperitur Flamen, aut Sacerdos Augustalis in honorem, & cultum Augusti qua viventis, qua defuncti lectus, & appellatus. In urbe Nicopole meminit Arrian. *dissert. Epictet.* I. XIX. Pisis in eo decreto lapideo de Caji Cæsaris mortuali memoria, *T. Statulenus Juncus Princeps Coloniæ nostræ Flamen August.* &c. num verò ii, quos in vetustis Inscriptionibus *Sacerdotales* legimus, iidem sint atque *Augustales*, ut vult Reinesius d. epist. pag. CLVI. non mihi pro certo est. Scimus namque in ipsis D civitatibus non unum fuisse genus, non unum collegium sacris operantium: Augures, Flamines, Pontifices, Sacerdotes: alios temporarios, alios διὰ βίου: alios majores, alios minores. Adi Jacob. Guther. *de V. Jure Pont.* lib. I. cap. VI. quem auctorem politissimum miror, ne γρῦ quidem de Augustalibus tradidisse. Inscriptiones à Reinesio prolatæ *Sacerdotalem* memorant sine alio adjuncto: unde colligerem ex quadam exoche summum in ea civitate Sacerdotii genus significari, ac supra ordinem Augustalitatis. Sed viderint alii; ne in longiora diverticula abeamus. Opportunior occasio curas dispensabit attentiores. Ea mihi sedet sententia non E ubique in Coloniis, municipiis, civitatibusque fuisse Augustales; sed pro ipsarum amplitudine, viribus, studiis, institutis variatum fuisse in usu, numero, muniis, nomine etiam Sacerdotum: ἄλλοτε ἄλλα. Quòd autem hi Augustales aliis quoque actibus sese immiscuerint præter sacrorum procurationem, præcipuè autem Juri dicundo, haud repugnaverim, quod Reinesius monet ex Inscriptione CCCCXXI. VII. Non tamen utroque pollice adprobo quod *Præfectus J. D.* in iisdem Inscriptionibus de Augustali sit accipiendus. Potius crediderim hos Præfectos extra ordinem ab ipsis Decurionibus fuisse postulatos, aut à Præsidibus impositos per F rerum gerendarum occasiones, si alii magistratus defecissent; Præit mihi Decretum Pisanum de Cajo Cæsare Augusti nepote, *Quando eo casu in Colonia neque IIVir, neque Præfecti ærario, neque quisquam Jure dicundo præerat.* Semel autem hoc dictum velim, potius ordinem, quàm magistratum, aut administrationem Reip. fuisse *Augustalitatem*, quod allatæ

slhatæ superius Inscriptiones docent. Sed in hoc Augustalium ordine, corpore, munere, collegio, non omnes paris dignationis, atque auctoritatis. Reperitur qui *Inter primos Augustales à Decurionibus sit factus*, CCCCIX. V. & CCXV. II. Et *Augustales primi* ib. & *VIVir Augustalis in municipio Suelitano D. D. primus.* quem lapidem exactè, & pro innumera sua doctrina explicat Reinesius d. epist. XXXI. Sicuti igitur de collegio Decurionum diximus, alios fuisse primos, Principales, atque honestissimos: ita de Augustalibus libet exponere, prout, vel antiquioris ætatis præjudicio, vel majori usu Reipublicæ, vel suffragiorum prærogativa, aut judicio Principis meruerint ita appellari. Ac sicuti *Juniores*, & *Seniores* Decuriones; ita de Augustalibus ratiocinari convenit, quod sup. statuimus. Cùm igitur quidam gradus in Augustalitate, majoris, aut minoris existimationis reperiantur; ita *Honor Biselli* insigne quoddam esse potuit, & argumentum majoris præstantiæ in eo ordine, vel collegio. Inde Plætorius dicta epigraphe *VIVir Augustalis Biselliarius*: nempè ut digniori, & ampliori loco inter Augustales sederet; quod bisellio exprimebant, ut abundè superiùs adnotavimus. Eadem prorsus conjectandi ratione, quam in Decurionatu attulimus, à similitudine veri non deficit, ut cuipiam Augustali extra ordinem, ac peculiaris ob meriti causam jus datum fuerit sedendi inter Decuriones, quod Biselli nomine, & honore designassent, ut dicebamus. Inde *Augustalis Bisellarius*; erat enim Augustalitas infra Decurionatum. Juvant quæ proximè sequuntur in epigrammate de Plætorio, *Honorato ornamentis Decurionalibus*. Non igitur verè fuit Decurio; sed ingressu, & aditu ad curiam, ornamentis, perinde ac si foret, utebatur: quorum adepta honestas (utpotè existimationis non tralaticiæ) posteris ut innotesceret, insculptam saxo voluit, qui titulum fecit.

CAP. XLI.

Imagines. Clypei. προτομαὶ, θώρακες. Statuæ majores, digniores. Emundus Figrelius. Currus quadrigarum: statuæ illic triumphales, in celebrioribus locis posita. Biga. Bigæ honor. *Biga postulata civibus benè de patria meritis: præcipuè ob liberalitatem.* Siglæ. Spectaculum: *pro loco spectandi.* Biga adjecta. Auctus. *Bigam postulabat, vel populus, vel officia, & corpora. Decreta quandoque nullo postulante. Decuriones postulatam decernebant. Publico, aut collato ære ponebatur. Remissum sæpe impendium ab eo qui acciperet. Dua quandoque decreta: quandoque coercita populi postulatio. Statutum tandem ne nisi impensis accipientis. Vetita privata collatio in Principum statuas. Honorificum biga traduci: item imagines, & statuas.* Deferre circenses. Judiciale carpentum. *Cum P. Fabro disconvenit.* Carpentum pompaticum. Biga Decurionum. *Dedicatio bigæ. Honor bigæ fortè idem ac Biselli: septima, atque ultima conjectura.*

SEPTIMO, atque ultimò arcum dirigimus: attingere, & ferire (siremps lex est, ut in aliis) non audemus, aut confidimus. Periclitemur si fortè *Biselli Honor*, idem sit ac *Bigæ*: ut hac demum biga stadium hocce Criticum, anceps oppidò ac lubricum postrema decursione emetiamur. *Honor Bigæ* syllabatim his verbis, aut raro, aut nusquam in aliis literarum memoriis reperitur: nonnihil dumtaxat eruimus ex antiquis lapidibus, quorum indiciná profecimus ad ea, quæ mox afferemus.

A Multa olim apud Romanos ornamentorum, aut insignium genera, cum ipsis penè Romanarum virtutum certantia generibus; quibus gens illa æqua meritorum æstimatrix, quin etiam remuneratrix viros egregios afficere, atque honestare solebat. hæc autem non præmia tantùm iis, qui accepissent; sed faces, atque irritamenta cæteris, ut non imparem laudis cursum obirent per rerum benè gestarum exempla. Saltem id vigente Republica; sed lapsabundâ mox, ac sequiori genio sæculorum etiam indignis ea decora collata, vitiis sæpe prava virtutum specie latentibus. Inter hæc honorum specimina potissimum fuere Imagines, Cly-
B pei, προτομαὶ, θώρακες, statuæ: quibus non tantùm ora, habitusque repræsentarentur corporum, quàm ipse spirans virtutum vultus, atque animorum effigies; tum superstitibus, tum nascituris sisteretur ad nominis famam, posteritatisque commendationem. Hæ statuæ non unius generis, aut occasionis; sed neque unius loci, ubi ponerentur. Parilibus Colossicæ; pedestribus equestres; equestribus Curules antehabitæ. Summatim dicam: prout excellentius, aut sublimius speciei, & apparatus choragium referebant, ita digniori loco habitæ. imò quæ magis staturosæ statuæ, magis quoque illustres, majoribusque dicatæ. Vide Plinium
C lib. XXXIV. cap. IV. & seq. notavitque Casaubonus *ad Pollionis Claudium* cap. III. Videantur qui impensiùs huic argumento locarunt operam; inter quos novissimè Emundus Figrelius. At omnium honestissimæ Quadrigæ, seu currus Quadrigarum, quem statua insidebat triumphalis. quo sensu Juvenalis sat. VIII. vers. III. vocavit.

—— stantes in curribus Æmilianos.

& graphicè magis sat. VII. triumphatoris statuam aurigantem depinxit vers. CXXV.

—— Hujus enim stat currus aheneus, alti
Quadrijuges in vestibulis; atque ipse feroci
D *Bellatore sedens curvatum hastile minatur*
Eminus, &c.

Ubi Feroci bellatore, sive equo sedere, nihil aliud est, quàm ἡνιοχεῖν, hoc est, *aurigari*, & *habenas regere*. Pro *Vestibulis* lego libentius *Stant in triviis*, loca innuens publica, & totius urbis conspicua, ubi celebratior concursus, populique adspectus frequentior, qui oculos illuc convertat. Illi namque currus in foris, templis, basilicis, theatris statuti, potius quàm in vestibulis privatæ domus, quod magnus interpres voluit. Quod si Vestibula retineamus; de Vestibulis, propylæis, atriis templorum malim intelligi. Ac fermè arcuum molibus,
E Janis, ædium fastigiis, operumque insignibus curvaturis ea simulacra imposita Prudentius lib. II. *in Symm.* vers. DLV.

Frustra igitur currus summo miramur in arcu
Quadrijugos, stantesque duces in curribus altis.

Suetonius in *Domit.* cap. XIII. *Janos, arcusque cum quadrigis.* Sic quoque in Circo quadrigas Soli, Diisque aliis circensibus super fornice, aut arcu dicatas videmus. Consule Panvinium, atque alios; meritò summis honoribus adscriptus locus ille, ubi in oculis populi, & lucis publicæ majestate statuebant aliquem *effigie triumphali* (ut loquitur Suetonius in
F *Aug.* cap. XXXI.) expressum, & consecratum. Proximus Diis immortalibus, & ipsi Jovis folio πάρεδρος habebatur, cui tantum culminis contigisset. Currum hunc quadrigarum τέθριππον dixere Græci: quam vocem retinuit Cicero lib. V. *ad Attic.* XXI. oblatum sibi à Cypriis honorem narrans, ac recusatum, *nullos honores mihi, nisi* ver-

verborum decerni sino: statuas, ænea τιθέναι prohibeo. Puto autem olim numinibus quadrigas, bigas, &c. fuisse dicatas, Soli, Lunæ, &c. Dein hominibus, præcipuè victoribus apud Græcos per solennia illa ludorum certamina. Seriùs ad Romanos res venit: apud quos verus primò de hostibus triumphus; ludicra deinde victoria de adversariis id genus publici decoris invexit. Sed medio ævo sub Impp. *Bigam* viris egregiè meritis postulatam reperio, quasi dimidiati triumphi simulacrum, uno minus equorum jugo. Adversus legem puri sermonis, qui jam ad barbariem vergebat, *Bigam* dixere; cùm olim plurativo numero Bigæ, & currus bigarum, sicuti Quadrigæ, & currus quadrigarum dicerentur. Sed poetis tamen quibus nihil non licet, J. Consultis, & Plinio Biga, & Quadriga; quicquid nasum crispent literatores. In lapidibus autem (quod sup. innuimus) hic *Biga honor* haud raró memoratur; quem nos primi fortean excutimus, etsi in transcursu, ac volanti articulo. Cæterùm dignus alioquin ritus, & antiquariæ rei pars, in quam incumberet seriò vigil, nec oscitans crisis. ac miror tot viros philologiæ diligentissimos, qui de re equestri, curruli, statuaria, Circensi vel impendio, vel obiter meminere, tam securè præteriisse hanc Bigam in lapidibus. quos jam sine palangarum, aut cylindrorum ope producere tempus est. Reperio autem iis potissimùm fuisse postulatas, ac decretas bigas, qui animosè largiendo, ac profundendo populum demeruissent. Ferè enim id comparatum est, ut prona multitudo eum diligat, atque in humeros tollat, à quo magis se lactatam, ac pastam, tum commodis, tum voluptatibus sentiat. In Gruterian. CCCCXL. I. *Ob insignem ejus editionem muneris bidui populo postulanti bigam placuit equestri statua decreto ordinis eum ornari.* En muneris editio, quo populus illectus: en postulata *Biga* in honorem editoris; sed modus tamen factus postulationi, & decreta dumtaxat statua equestris. Mecum sensit, ac notavit Emund. Figrelius erudito commentario *de statuis illustr. Roman.* cap. XVIII. Nequibat fieri hæc editio muneraria sine ingenti profusione, atque impensa; nec sine summa cura, ac vigilantia. Gruter. CCCCXXI. I. *Qui rogatus ab ordine pariter, ac populo, ut gladiatorii muneris publicè curam susciperet, fecit. & explicito quod promiserat, impendium bigæ, quam populus ex collatione legativi, ac donativi epuli offerebat, remisit.* Hic quoque *Biga* honor, ac merces oblata ob curam muneris, ac spectaculi. Et CCCLII. I. *Huic primo IIVir biga posita ob eximias liberalitates, & abundantissimas sine exemplo largitiones*, &c. Pariter hîc in oculis populi fuit liberalitas, & largitio; data spectacula, & commissiones, ut deinceps ibid. legitur. Et MCIII. IV. in Pisaurensi, quæ plenior legitur CCCCXLVI. VI. *Ob eximias, & abundantissimas largitiones B. G. pos. . . . ex ære collato Decur. decr.* Notas, aut Siglas B. G. Bigam expono. Solenne autem Veteribus, ut non modò integrum verbum singulari litera designent; sed unius verbi plures syllabas pluribus itidem notis indicent. Non norunt, nisi qui penitus sint peregrini in saxis antiquis; at qui vidit, qui legit, ac pede (ut ita loquar) offensanti in lapides literatos sæpiusculè impegit, cum nobis ὁμονοῶν, ac sentire non ambiget. *Siglas* eleganter vocavit Justin. in præfat. *de concept. Digestor.* & alibi quoque, de qua voce Cujacius XII. ult. *observat.* non *Signa*, ut perperam alii legebant. Vide & Bernegg. *ad Suet. Titum* cap. III. Sunt enim Siglæ singulorum verborum singulæ notæ. Cæterùm & in uno, eodemque verbo plures notæ, ut dicebam, plurium syllabarum: ut hic in *Bigam* B. est nota primæ syllabæ, G. alterius. Adverti & in Inscriptione l. I. C. Theod. *de Alexandr. Pl. primat.* P. F. hoc est, *Præfecto*: alibi B. F. apud Gruter. est *Beneficiarius.* In eodem nempe verbo non una nota, sed pro numero syllabarum, aut alia dividendi verbi ratione. Vide quæ observat Cl. Reinesius *Var. lect.* III. XVI. p. DCXX. Scio tamen & *B. G. pos.* posse exponi *Biga Gratis posita.* Atque ex hac quatuor lapidum veluti quadriga, ut *Bigam* nostram paulo attentioribus judicii habena nunc regamus, libenter inducor. Liquet igitur cui postulatæ, ac decretæ fuerint *Bigæ* ad honorem. viris scil. egregiè meritis de publico; præcipuè autem qui insigni aliqua largitionis, ac beneficentiæ laude, eaque potissimùm in ludis, ac spectaculis sese commendassent. Miror per amphitheatrum Lipsianum, ubi scriptor ille maximus munerarios ritus tam accuratè exhibet, non fuisse hanc *Bigam honoris* critica observatione deductam. Quod si quis quærat, quo in loco positæ fuerint hæ *Bigæ*? Non est dubitandum (quo pacto sup. de quadrigis diximus) quin totius civitatis maximè conspicuo: sæpe in ipso Circo, & arena tanquam ἀναθήματα illic in sua sede fuerint erectæ. Grut. CCCCLXXXIV. VI. *Huic cum & populus in spectaculis assiduè bigas statui postulasset*, &c. Ubi τὸ *In spectaculis*, capio non tam pro celebratione ipsa, & actu spectandi, in quo populus postulasset Bigam; sed & locum ubi ea statueretur, videor posse interpretari. Sic Suetonius in *Calig.* cap. XXXV. *Ingressum spectacula*, &c. & in *Neron.* cap. XXXII. *animadversam matronam è spectaculis.* Est enim spectaculum locus ipse, sive θέατρον, aut θεωρεῖον. Nolim autem, ut ullus honorem hunc bigæ confundat cum altero, de quo apud Suetonium *Tib.* cap. XXVI. *Natalem suum*, inquit, *plebejis incurrentem Circensibus, vix unius bigæ adjectione honorari passus est.* Hic quoque honor ex adjecta biga: intellige autem, ultra numerum consuetum, aut decursionem bigarum, unam fuisse adjectam. Solenni verbo *Auctum* dicebant. Bigas alicui ponendas postulare solebat populus, ut ex proxima inscriptione *Bigas statui postulasset*, & sup. CCCCXL. I. *Populo postulanti bigam*, & CCCCXLIV. V. *Citra ullius postulationem*, &c. Addo l. ult. C. *de statuis, & imagin. Quoties judicibus nostris, vel cuilibet alii statua fuerit à quocunque collegio, seu officio, vel in hac sacratissima civitate, vel in Provinciis postulata*, &c. Populus autem, ac multitudo impetu gaudii acta palam, & μιᾷ φωνῇ inter ipsos sæpe ludos, ac celebritates publicis hisce virtutum testimoniis, gratique animi significationibus decoratum cupiebat eum, cujus liberalitati, ac munificentiæ acceptas voluptates, atque oblectamenta tulisset. Sed & Collegia, Officia, & Corpora, ut ex d. l. ult constat. Aliquando citra ullius postulationem oblata, ac decreta Biga; quod honestius videtur fuisse, & majorem addens existimationem ei, qui recepisset, si sua sponte Decuriones, aut Præses decreverit; sola inspecta virtute quam exornent, nulla populi postulatione qui importunè extorqueat. Forte autem & ipse, in cujus honorem locaretur, quandoque postulabat; aut per amicos, & Principes civitatis ambitu, & gratia petebat. sup. CCCCXXI. I. *Biga, quam populus ex collatione legativi, ac donativi epuli offerebat.* Hic oblata, ut & CCCCXLIV. V. *Citra ullius postulationem cum a municipibus sibi oblatam*, &c. At Decurionum erat postulatis populi annuere, ac decernere, quod ille petiisset; vel modum, ac legem imponere, si excessisset, ut ea nos docent saxis incisa epigrammata. Hinc

fermè

fermè convincta decreta cum postulationibus, ut in iisdem lapidibus videre est, quibus adde & CCCCLXXXIII. IX. Ad ejusdem Ordinis, sive Decurionum curam, aut decretum attinebat, locum, ac pedaturam statuere, spatiumque definire, in quo biga, statua, aut aliud honoris causa poneretur. Hinc illa toties *D. D. D. L. Decreto Decurionum Datus Locus*: aut consimili formula, quæ sæpe tibi obvia.

Sed hæc obtinuisse opinor ante Constitutionem Arcadii, & Honorii quæ in l. 4. C. *de statuis, & imagin.* ubi extra *Imperiale beneficium*, hoc est, Principis permissionem nemini, aut judici, aut in administratione posito licet accipere statuas *aneas*, vel *argenteas*, vel *marmoreas*, ut illic sancitur. Severo autem pœnarum interdicto desigitur, infamiæ scil. & quadrupli quisquis adversus legem commiserit. Vetabatur fortitan populi exultabundi, ac præ gaudio lascivientis temeritas, qui vel levi de causa, vel nonnunquam indignis hunc honorem contulisset: aut coercebatur affectantium ambitio, ne subdolis blanditiarum artibus extorquerent titulos, ac duraturæ monumenta memoriæ inanitate colligerent. neu tandem cum patrimonii ruinâ insanis opum profusionibus populi favorem redimerent ad eam ponendæ sibi statuæ capturam.

Publicis demum sumptibus plerumque factæ, ac statutæ apparent hæ Bigæ: CCCCLXXXIV. VI. *alterius sumptus remisit Respub.* & quidem collatione, aut ære corrogato ad id opus. Sup. CCCCXLVII. VI. *ex are collato.* CCCCXXI. I. *ex collatione legativi*, l. ult. C. *de stat. & imagin. ex Descriptione.* Et quod sæpe legitur *Gratis*, vel *Gratis pos.* Sed nonnulli honore solo contenti, & benigno populi consensu, qui postulasset, & obtulisset Bigam, impendium remittebant: sua ipsi pecunia opus faciendo. Inde sæpius occurrit formula *Honore accepto impendium remisit*, iis notarum ductibus *H. A. I. R.* & præscriptis verbis *Honore contentus impensam remisit*, ut CCCLVI. X. Compar huic *S. P. F.* hoc est, *sua pecunia fecit.* Sup. CCCCXXI. I. *Impendium Biga, &c. remisit*, & CCCCLXXXIV. VI. *Pro insita modestia sua unius biga honore contentus, alterius sumptus remisit Reip.* Liquet ex hac inscriptione duas quandoque bigas uni fuisse postulatas, aut decretas, & quidem sumptu Reip. sed ob modestiam unâ tantùm acceptâ. Sicuti pro una biga, quam cives postulassent, decreta ejus loco statua equestris ab ordine Decurionum, veluti honorem moderantium, ut CCCXL. I.

Cæterùm deinde lege cautum, ne quis, cujus ad honorem statua petitur, nisi suis impensis collocari permittat l. ult. C. *de statuis, & imagin. Et virtutum præmia tribui merentibus convenit, & aliorum honores aliis damnorum occasionem fieri non oportet*, &c. *nequaquam ex descriptione* (contributione, & collatione) *sumptus collegi patimur; sed ejus, cujus ad honorem petitur, expensis propriis statuam collocari præcipimus.* At in imaginibus, statuisve Imperatoriis privatam collationem vetuerunt l. 3. ib. *Privata collationis injuriam propulsari præcipimus*: addita consilii ratione, *ne quid in eis suum collator agnoscat*: quibus è legum testimoniis facilè adducor, ut opiner, gratuitum hunc *Honorem biga* ætatem antevertisse Principum, quorum constitutiones adduximus; sunt autem Arcadii, Honorii, &c. atque Antoninorum sæculo, vel circa, hasce *Honorum* appellationes (sicuti de Bisellio diximus) potissimùm inolevisse.

Quod *Biga Honorem* ultimò attinet, nolim tacuisse, Bigâ, aut vehiculo traduci, summo iti-

A dem Honoris loco, atque excellentiæ habitum fuisse. Unde id ferè editoribus in pompa circensi tributum, ut notum est. Hinc ea cura summè ambita, aut magisterium, vel præfectura certaminis, quam Agonothetæ suscipiebant. Indico tibi pulcherrimam de ea re memoriam in l. 10. D. *de pollicit.* quam videsis. Hinc etiam mortuorum imagines, & statuæ vehiculo traductæ in Theatrum ad honorem. Vide quæ narrat Dio, aut potius Xiphilin. lib. LXXI. p. DCCCXIII. de Faustina. Capitolinus in *Antonino Pio* cap. VI. *deferre Circenses* eleganter vocavit. *Delatis*, inquit, *Circensibus atque templo, & flaminicis, & statuis aureis, atque argen-
B teis.* quod puto sic dictum, quomodo *deferre hareditatem* J. Consultis: an potius [illegible] pro, Delatis honoribus circensium. Sic paulò post, *statuam auream delatam à Senatu positam accepit.* Sed & *deferre Circenses* erit ludos in memoriam alicujus instituere. Suetonius *Calig.* cap. XV. *Eò amplius matri Circenses, carpentumque, quo in pompa traduceretur.* & *Cas.* cap. LXXVI. *Thensam, & ferculum Circensi pompa*, &c. Omnino namque præstantiæ specimen, publicæque existimationis decus reputabatur, uti posse jure Vehiculi. quo spectat tit. & l. un. *de Honoratorum vehiculis.* De Carpento mulieribus Romæ concessio honoris causa Livius, Plutar-
C chus, alii dixerunt. Præfecto quoque Prætorii carpentum tributum in Honoris insigne, atque ornamentum: quod *Judiciale carpentum* appellarunt. Vopiscus in *Aurel.* init. *Vehiculo suo, & judiciali carpento.* Sidonius Apollin. lib. VII. XII. epist. & ibi accuratissimus Savaro. P. Faber I. *semestr.* III. pro sella Curuli explicat: quam benè non sat video. Pluscula Gutherius *de off. D. A.* XVI. Consimile quod Isidoro lib. XX. cap. XII. *Carpentum Pompaticum.* Sic *Biga Decurionum* in lapide Urbinate apud D. Francisci, cujus meminit Pancirolus cap. VI. *de Magistr. Municip.* Ea fortassè, qua utebantur Decuriones cum procederent.

D Verùm Bigam nostram, aut statuam curulem alio prorsus significatu accipiamus licet: pro simulacro, & opere sculptili, aut fusili in alicujus honorem statuto. Nempè acclamantis populi, postulantisve multitudinis (ut dicebamus) voce, atque judicio deferebatur hic honos alicui, statuaque illius currui bigarum imposita publico in loco viventium, posterorumque oculis figebatur, addito titulo, atque inscriptione. Quanquam & id honorificum, si Numini, aut Principi votæ, ac dedicandæ statuæ religio, ritusque & cura alicui demandaretur, utque publico nomine is collocaret. Injunctum hoc officium commendat industriam, &
E auctoritatem civis supra cæteros spectati CCCCXLIV. V. Grut. *Hoc opus quadriga cum effigie Imperatoris Hadriani Aug. extra ullius postulationem à municipibus suis oblatum*, &c. Atque in hac Bigarum dedicatione divisi nummi incolis, civibus, Decurionibus, omnique genere lenocinii secunda populi existimatio collecta ab eo, qui honorem accepisset. CCCCLXXXV. VIII. *Ob Dedicationem biga Decurionibus singulis —— XV. collegis omnibus VIII. plebei, & Honore usis —— XIII. L. D. D. D.* Denarii fuerunt hic divisi, ut ostendit nota X. locumque statuendæ Bigæ Decuriones decreverunt, quod ultimæ literæ arguunt.

F Sed cum his curribus videbor fortasse nonnullis ex quadrigario desultor factus; quià Bisellio parumper diverterem, quò me vocabat incurrentis occasionis illecebra. Sciunt tamen istarum literarum diligentes, quomodo unum ex alio amica serie nectatur, atque hoc prorsus ἐξανθισμῷ quanta quanta sunt philologica scripta, commendentur, & constent.

Bigam

Bigam igitur (quomodo ſuperiùs explicavimus) curulem ſcil. ſtatuam in argumentum honoris, & memoriam poſteritatis alicui decretam, aut poſitam, alio nomine placuiſſe *Biſellium* appellare, haud penitus repugnamus; atque adeò *Honorem Biſellii* ex iis, quæ de *Biga* protulimus ſeptima, atque ultima noſtra conjectura illuſtrari. Scimus namque *δίφρον* ſellam eſſe, ubi duo ſedeant παρὰ τὸ δύο φέρειν Suidæ, Euſthatio, aliis, ac ſup. diximus cap. IX. quomodo & Biſellium ex Varrone, quod duorum ſedentium eſt capax. At δίφρος pariter eſt currus, qui aliter *διοχὴς*, Pauſaniæ, Polluci, atque aliis, παρὰ τὸ δύο ἔχειν, quod duos capiat. δίφρος ἢ διοχὴς ὁ δύο φέρειν δυνάμενος. Pollux lib. VII. cap. XXVI. quod vertunt δίφρος, *Biga quæ duos recipere poteſt*. Sic δίεδρος, quod eſt *Biſellium* exponitur doctiſſimo Æmilio Porto apud Suidam, *Idem ac δίφρος. Biſellium. Sella duos recipiens, quæ & δίεδρον vocatur*. Neque mirum, ſi eo ſeculo novè quid audere conſueverint, Biſellium pro Biga enunciantes; præſertim ubi tum rei, tum nominis juvabat aſſinitas, ac ſimilitudo. Sed inter ſeſe Inſcriptionum collatio, lapidumque compoſitum examen, probabiliorem, puto, dabit ultimæ huic noſtræ conjecturæ auctoritatem. Utrobique namque tam in iis, quæ ſunt de Biga, quàm de Biſellio inſcriptionibus, eadem apparet tradendi honoris occaſio; eadem accipientis præſtantia, aut meritum; idem populi conſenſus, aut Ordinis decretum; idem penè verborum nexus, & formula, titulique, & memoriæ expreſſio, ne dicam prorſus ταυτοἐπεία. Componantur quæ ſup. de Honore Bigæ, & quæ de Honore Biſellii. Grut. CCCCLXXV. III. & IV.

CAP. XLII.

Iterata excuſatio de vera interpretatione Honoris Biſellii. Honores onera, & ruina ambitioſorum. Ob Honorem; *ſolenne verbum. Litera M. quandoque prætermiſſa.* Reſp. Piſanorum. τὸ κοινόν. Il Comune. Commune Siciliæ. Communitas Aſiæ. *Piſana columna milliaria ad S. Petri in Gradu producitur, expletur, illuſtratur. Columnarum milliariarum uſus, & obſervatio.* Civitas: *ſæpius de Metropoli, aut urbe primaria.* πόλις τῶν πόλεων. Mater civitatum. Capita regionum. Πόλις *Alexandria*: ἄστυ *Athenæ*: Urbs, *Roma*. Oppidanum genus. Civitates *Chriſtianæ, quæ ſub Epiſcopo.* χωρεπίσκοποι: Chorepiſcopi. *Clauſula operis. Invitatio ad* εὕρησιν *de Veterum Donis.*

SATIS hactenus, ut lucernulam præferamus Biſellio: ſaltem primi paupertinum lychnum huic obeliſco intulimus, ut mox veniant ſagaciores antiquitatum Promethei, qui plenam facem, ac ſuper omnes Hyperionis radios luculentam è ſanctiori eruditionis penu depromant, ad vivificandos lapidum ſtupores, & ſaxorum animandum frigus; quorum in intellectu etiam ii Gorgonem ſæpe vident, qui ſtupere alioquin nihil ſolent in literis. Æquo interim animo accipiet, bonique conſulet conjecturas noſtras quiſquis in re ignota, atque hactenus à nemine (quod ſciam) tentata vadum monſtrare, aut viam pedibus facere, nec ſecuri moliminis, nec obviæ εὐτυχίας eſſe meminerit.

Sed ubi hæc qualicumque conjecturæ periculo de *Honore Biſellii* executus ſum, pro Colophone apponam, non tam retuſum mihi eſſe pectus, quin præſentiam, quod ex contrario ullus facilè poſſit contendere. Quis, inquit, ſpondere audeat in hoc Piſano marmore Quadratarii manum non erraſſe; &, quod alibi toties, hic pariter γραφικὸν σφάλμα tot nobis tenebras non offudiſſe? Imò namque pro *Biſelli* ſcribi oportuiſſe *Biſilli*: quod & altera inſcriptione factum, quæ proinde nihil mutanda, aut emendanda. Nempè *Ob Honorem bis illi*, hoc eſt, Q. Largennio, ſubaudi, decretum, aut geſtum Duumviratus, facta fuit donatio Piſanis. Non diſſimulo vires, atque ictum, quem ultrò provocavi, atque excepi. nec ſtudio Biſellii, ac præjudicata de eo à me opinione ita vadatum me ſentio, quin alterius quoque ſententiæ remoram, atque offendiculum bona fide cognoſcam. Si quid tamen valent quæ ſuperiùs attulimus noſtro hoc commentario; atque ea attento animo non defugiamus introſpicere; facilè has nubes diſpellemus, integram, ac luciduſſimam ſcriptionem noſtro lapidi meritò vindicantes. Quòd ſi temerè hunc moveamus, *Biſilli* ſubſtituentes, quot illinc abſona conſequantur nemo non videt; quæ nunc refellere haud tanti res eſt.

Atque hic *Honor Biſellii*, quicunque tandem ille fuerit (quod ſtatuere noluimus, tentare modò, & conjicere libuit) haud parvo æſtimatus fuit à Q. Largennio Chreſimo; qui acceptæ id genus honeſtatis, aut ornamenti cauſa non contemnendam pecuniæ ſummam Reip. Piſanæ donavit, ut in ſaxo tandem legitur.

HSLN REIP. PISANOR. DEDIT.

Quod ſi exputare placet ad hodiernam ſcutatorum Romanorum rationem, duceni, ac quinquageni ſupra mille conficientur ex recepta, & magis communi Seſtertiorum æſtimatione; quorum ſinguli duo ceratia, aut aſſes Florentinos æquant, ſive binos Romanos Bajoccos cum dimidio. Par enim Libra, ſeu As vetus hodierno bajocco. Quocirca ad memoris, gratique animi laudem pertinet, ut qui publico judicio honorem aliquem ſint aſſecuti; tum beneficium victuris monumentis teſtentur; tum ſi per vires fortunarum liceat, nonnullam redhoſtimenti gratiam rependant: utrumque verò Q. Largennius præſtitit. Huc ſpectant ſolennia verba *Ob Honorem*, ut in noſtra epigraphe, ac centies apud Gruterum, & alibi, quoties quid permittitur, legatur, erogatur, dividitur ob honorem acceptum, aut accipiendum. Sed in noſtro lapide ſcriptum eſt *Ob Honore* minus litera *M.* ſive cuſoris elementarii ignavia; ſive, quod apparet, anguſtia loci non admittente. quomodo autem Veteres hanc literam in carminibus exterebant, aut ſcribæ notes lineâ ſuperductâ denotabant; ita nonnunquam omiſerunt in lapidibus. Sic *cura agentibus, herede non ſequitur*, &c. percurre indicem Gruter. advertit etiam Boldonius in *Epigraphicis*. Obſervavi in libris quoque Juris, titulo præſertim *de Pollicitat. Honoris* factam mentionem, ſubindeque Ob Honorem pollicitationem ingeſtam; cùm quid Reipub. aut civitati promittitur eam ob cauſam. Ac verè illi honores potius onera ac diſpendia; quando in iis petendis, accipiendis, ineundis, tam immani largiendi profundendique ſtudio inſani erint ambitioſi homines; ut non rarò totis ſuis evoluti fortunis, patrimonia integra diruerint ad incitas redacti; pretium ponentes tam immeritum inani aucupio popularis gloriolæ. Omnino autem ex lege, aut more vix poterant evitare atrocia illa rei domeſticæ vulnera. quod ſuperiùs innuimus. Sic Ædilibus, Prætoribus, Conſulibus injuncta ea onera miſſilium, ludorum, largitionum ad ſaturandam, oblectandamque plebeculam. Sed modus deinde impoſitus fuit, & intempe-

rei

riei prodigentissimæ adacti freni: qua de re consulantur veterum legum jussa in libris Juris; nos exactè observavimus in nostro syntagmate *de Re Donatoria*, ubi de missilibus, sportulis, donisque ad Processus, & Honores, & id genus aliis. Sed enim in lapide nostro Largennius Chresimus *Ob causam*, ut loquuntur J. C. & accepto jam honore donat Reip. Pisanorum: *Qui pecuniam pro honore promisit*, inquit J. C. l. 16. §. 1. *de mun. & honor.* In aliis inscriptionibus, quas attulimus de *Bisellii* (ex nostra emendatione) *honore*, aut Bisellarius, facta prius apparent largitiones, subitæ expensæ, collatæ pecuniæ, sive ad voluptatem populi, sive ad Reip. usum: cujus liberalitatis, aut munificentiæ respectu, dein Bisellii, aut alius honor ob ea merita, decretus, & acceptus. Vide in Gruterian. CCCCLXXV. III. & MXCIX. III.

Ultimo loco (ne quid occasione Bisellii in nostro lapide neglectum remaneat) occurrunt verba *Reip. Pisanæ*. Rempub. pro quacunque societate civili accipimus, quæ legibus, & magistratibus regatur, imperium, ac majestatem retineat: neque unius ambitu oppidi, sed plures populos, atque urbes complecti possit. passim *Com.* vel Gr. *nom. Commune*, & κοινὸν, tum in nummis, tum in lapidibus apud Grut. & alios (nobis ipsissima voce *il Commune, ò la Communità.*) Sic Ciceroni haud semel *Commune Siciliæ*, & *Commune Milesiorum*, hoc est, τὸ κοινὸν, sive *Resp.* & l. 6. D. *de excus. tut.* τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας. *Communitati Asiæ* ex epistola Antonini Pii. Sed de Reip. aut πολιτείας nomine, ac ratione vide quod maximus philosophorum docuit in opere plane dignissimo, quod auctorem habeat Aristotelem lib. III. cap. II. *Politic.* Pisanorum itaque amplitudinem, ac splendorem demonstrat eo *Resp.* nomine. Sed quæ hic *Resp.* aliter *Civitas*, promiscuè usurpantur, ut sæpè apud J. C. in titulo præsertim Digest. *de Pollicitationibus*, & in saxeis tabulis pronum est intueri. Et quidem in altera epigraphe *Civitatis* appellatione gaudet Pisana Resp. in columna scil. milliaria, quam proferre libens merito debeo, atque è tenebris educere inobservatam penitus, ac neglectam. perpruriscit enim jam nobis hic genius benè merendi de Pisanis lapidibus. Etiam igitur hunc bona fide evulgemus, literasque longo attritu penè consumptas, senioquo fugacissimas revocemus. Ac profectò, nisi scierit scalprum illic ductasse lineas, imprudens, atque ociosus quisque præteriret: adeò illas tempus abrasit, quod sua nihil non delet, ac truncat novacula. Sed vel indignum loci situm sensit ea columna alioquin non vetustissima; vel austrini flatus excepit injuriam, qui licenter excurrens, perniciale m vim defert, qua obvias ædes, æra, mœnia subtili sensim lambit nocumento. Extat autem hæc columna humi deposita in porticu D. Petri in Gradu, qua Pisas respicit. Puto autem fuisse illic destitutam in aditu porticus pro offendiculo, aut repagulo, ne jumenta progrederentur. Cæterum deinceps in usum religionis verterunt mulieres cultui addictæ, quæ per dies solennium expiationum illud templum antiquissima veneratione prorsus celebre invisentes, manum inserunt columnæ, qua superiùs hiat in morem sulci: nescio qua persuasione divinæ pacis, si eo manuum embolismo defungantur. Ac fortè dum illic certatim circumvolvuntur, frictione assidua paulatim literas detersêrunt: quæ repetito multoties oculorum circumjectu à me tandem expressæ sic habent:

IMP. CÆS. D. NRO (FL. VALENTI)
PIO FELICI SEMP. AUG.
IMP. CÆS. D. N. FL. GRATIANO
PIO FEL. SEMP. AUG.
DIVI VALENTINIANI AUG. FILIO
IMP. CÆS. FL. VALENTINIANO
PIO FELICI SEMPER AUG.
DIVI VALENTINIANI AUG. FILIO
CIVIT. PISANA
M̄ P IIII.

Prima linea omnino explenda est, apponendumque nomen Fl. Valentis (ut fecimus) quod penitus abierat nullo apparente vestigio, ac necesse tamen est ibi non defuisse. Hi tres imperii Romani gubernaculo una assederunt Fl. Valens cum Gratiano, & Valentiniano filiis Valentiniani primi. Uterque hic nominantur mortuo jam parente, quem *Divi* titulo ex more indicant. multæ extant in Cod. Theodos. & Justinianico trium AAA. constitutiones Valentiniani, Valentis, & Gratiani, ut & in Inscriptione Gruter. CLX. V. Sed non putem confundendos cum tribus hisce nostris. In iis namque legibus, & in veteri inscriptione Valentinianus ponitur primo loco, dein Valens, & Gratianus; at in columna nostra Valentinianus ultimo locatur, quoniam hic filius est illius Valentiniani jam defuncti, de quo in Codicibus, & saxo. Historia lux veritatis rem confirmat: quoniam Valentinianus I. nonnisi socium Gratianum adscivit filium natu maximum ad habenas Imperii. ex duobus alteris filiis, quorum utrique nomen paternum Valentinianus, nullum aut vocavit, aut vocare potuit in consortium regiminis: alter quippe trimulus intra fascium consularium stetit cancellos, obiitque vivo parente: alter mortuo demum parente cum Gratiano fratre præsedit Reip. etiam tum quadrimus A. V. C. MCXXVII. Ante hos fratres Valens Valentiniani senioris frater, & istorum patruus Communione Imperii lætabatur, qui altero post mense, quàm Valentinianus frater summæ rerum adesset, consortionem iniit regnandi: atque hi tres tunc numerabantur, quos in Codice legimus. Distinguendus pariter est hic Valentinianus regnans, de quo columna nostra, ab altero Valentiniano fratre, qui fato præreptus (ut diximus) ad Imperium pervenire non potuit: & passim tamen ex duobus Valentinianis perperam, & confusè fit unus. Sed primus hunc errorem discussit doctiss. Valesius ad Ammiani lib. XXXI. pag. CCCCXII. & CCCCXXIII. post eum Christoph. Adam. Rup. *ad Synops. Besoldi* pag. CCCCI. veterissimi judicii in rebus gestis, earumque temporibus adnotandis. In columna itaque hac Pisana Valentinianus Valentiniani filius erit ille, quem secundæ curæ exceperunt; qui partim cum Valente, & Gratiano (ut hic exprimitur) imperium tenuit, partim deinceps cum Theodosio, & Arcadio; Arbogasti tandem perfidia occisus apud Viennam A. V. C. MCXLIV.

De hac columna, quin fuerit milliaria, nemo dissentiet; quod notæ indicant in fine M̄ P̄ IIII. hoc est, Millia passuum quatuor. aliàs sola M. denotare solet milliare. & quidem ab eo loco, ubi etiam hodie reperitur ad urbem Pisanam milliaria quatuor interponuntur. Fortasse olim locatum columnare hoc saxum in via publica, quæ Liburnum (olim Hercules Labronis) ducit: translatum dein fuit in fanum, seu porticum D. Petri. Fermè autem hæ columnæ, aut cippi, vel lapides monere solebant viatorem, ex quo, ad quem locum, quantum spatii, aut quorsum excurrant milliaria. Vide apud Gruter. CLV. II.

ubi columnæ milliariæ mentio. & CL.VI. ubi posita milliaria, & CLIII. ubi milliares lapides restituti. Plura columnarum id genus exempla ab ea pag. CLIII. usque ad CLIX. in quibus; ut in nostra, nomen dumtaxat Principum inscriptum, quandoque additus milliarium numerus. Sidonius in *propempt.*

Cujus per spatium satis vetustis
Nomen Cæsareum viret columnis.

Ad hunc locum Sirmondus, qui duas profert columnas. Ac de ponendis milliaribus, eorumque lapidum, ac terminorum figura apud Veteres multa præclarè doctiss. Velserus in *rebus Augustan.* cui adde Reinesium *Var. Lect.* lib. III. c. XVI. pag. DCX. Theod. Pulmann. *ad Suetonii Othon.* cap. VI. Turneb. *Advers.* lib. V. cap. I. De milliari aureo notiora multo sunt, quæ ab eruditis traduntur. Cæterùm quod hic *Civit. Pisana* legitur, fortasse quis exponat pro ipso loco, sive urbe, quæ inde distet, ubi posita columna passuum millibus quatuor P.M. IIII. Non ignoro Latinis *Urbem* propriè de ædificiis, ac muris dici; de hominum multitudine, & congregatione *Civitatem*, raro hanc de loco: aliter ac Græcis ἡ πόλις tum de indigenis, tum de loco. At satius est *Civit. Pisana* de ipsis civibus exponere, qui inscribunt, aut dedicant columnam. Honorificum sanè *Civitatis* nomen, haud secus ac in altero lapide de Honore Bisellii *Respub.* vocatur. quandoque enim sola Civitatis appellatione mater ipsa, aut Metropolis significata alicujus Provinciæ, sub qua aliæ urbes legem acciperent: πόλις τῶν πόλεων Græci, hoc est, *civitas civitatum*, Ezechieli cap. XVI. ubi vertit D. Hieronym. *mater civitatum.* Livio lib. XV. *capita regionum.* Dividebant namque Civitates in Minores, Majores, & Maximas, de qua divisione Modestinus J.C. in l. 6. D. *de excusat. tut.* ex epist. Antonini Pii. Civitatis quidem titulus sive πόλεως quadam exoche olim tributus Alexandriæ; sicuti ἄστυ Athenis; grandi, ac solitario *Urbis* nomine Roma expressa. Etsi pro quacunque Metropoli, aut civitate primaria ipsum nomen *Urbis* extra Romam quoque accipere possis apud J.C. in l. 4. D. *de damno inf.* Et ipsi namque tum ethnici, tum alii scriptores signanter, & κυρίως nomen fecere *Civitatis* magnis, & amplis ædium, civiumque communionibus: pagos, villas, burgos, vicos, oppida, castella, ab iis discernentes. Plinius lib. XXXVII. cap. X. *Cepionides in Æolide Atarne nunc pago, olim oppido nascuntur.* in l. 3. C. Theod. *de donat.* *Civitates, municipia, vicos, castella*, &c. & l. 13. eod. Cod. *de Desertoribus. Urbium, vicorum, castellorum*, &c. Salvianus *de gubern. Dei* lib. V. *non modò urbes, sed etiam municipia, atque vicos*, &c. Vide quæ sup. cap. VI. de municipiorum contemptu. Isidorus lib. XV. cap. II. *Vici, & castella, & pagi ii sunt, qui nulla dignitate civitatis ornantur, sed vulgari hominum conventu incoluntur, & propter parvitatem sui majoribus civitatibus attribuuntur.* Vide plura eo cap. Tacito *Annal.* lib. VI. *oppidanum genus*, quod nos *Castellano*, & Juvenali *Municipalis eques*; elevandi formâ, quasi inferioris ordinis, atque existimationis: *Oppidano quodam, & incondito dicendi genere*, Cic. in *Bruto.* Vide quæ sup. de Municipiis cap. V. & VI. sic etiam *Castra*, unde Castella, à coloniis, ac civitatibus distincta. Idem Tacitus *Hist.* lib. I. *Nec principes modo Coloniarum, & castrorum*, &c. At Civitates, & Urbes amplitudine, ac potestate majores: notavitque doctiss. Pighius in *Hercule Prodicio* pag. XL. etsi nimium parcus, atque jejunus testimoniorum, atque auctoritatum, quas in eo quantivis pretii libro interdum desiderarem. Veruntamen Christianissimi invento factum, ut civitates eæ sint nobis, quæ Antistitem habent. Vide distinct. LXXX. cap. I. & seqq. & quidem eo primo cap. ex ipsa gentilium observatione de urbium dignitate statuit Lucius Pontifex. Quare cautum Concilio Sardicensi, auctore Osio Cordubensi episcopo ne humilia, & obscura loca episcopali sede ornarentur; quod cap. V. ea distinctione exprimitur, *non debere in vicis, & villis episcopos ordinari.* ea scil. honesti ratione *ne vilescat nomen episcopi*, ut cap. III. scribitur, quæ sunt desumpta ex epistolis Anacleti, & Leonis Pontificum. In vicis enim, aut pagis eos præfuisse scimus, quos Chorepiscopos dixere, & περιοδευτάς. *Visitatores, id est, qui circumeant* cap. V. ea distinctione LXXX. vocantur. Etsi quandoque in vicis constitutos fuisse episcopos apparet ex concilio Laodicensi Can. LVII. dum vetat ne ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ἐν ταῖς χώραις, *in vicis & in pagis* constituantur: argumento ibi fuisse quandoque. iterumque jubet eos episcopos Vicorum nihil facere ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τοῦ ἐν τῇ πόλει, *sine consensu episcopi Civitatis.* nempè solo *Civitatis* nomine dignissimam, & amplissimam intellige, sive metropolim. Vide Berter. Pith. diatrib. I. cap. VI. Quæ omnia huc spectant, ut datum id Pisanæ Urbi, aut populo nomen illustrius reddamus. Atque id interim inobservatum nolo, in his aut Civitatum, aut inferiorum locorum gradibus significandis (qua vel obscuriores, vel clariores, dignitatem, potestatemque perinde obtinebant) haud multum inter se abiisse gentiles, & Christianos scriptores: aut inter Christianos demum ipsos Remp. ab ecclesia, & civilem rationem à sacra politia non admodum discrepasse.

Sed Criticæ disceptationis (ut fermè contingit) aliud ex alio trahentis lubido à basi ad columnam, à Bisellii ad Milliaris inspectionem huc nos provexit. Cippus ille Mortualis Q. Largennii manibus dicatus de vitæ termino, satique hora admonet: Milliaria hæc columna à civibus Pisanis erecta, emensum viæ spatium, locique fines determinat. Nos igitur quoque cum hisce terminis pedem sistamus; modum, ac mensuram suscepto commentario imponentes; ne productiori itinere, eoque aut inamœno, aut salebroso benevolos lectores fatigemus. quibus tamen superest nonnihil adhuc molestiæ perferendæ, viæque absolvendæ: quam per excursum conficiant, & permitto, & suadeo. nisi tamen cursum suadere, aut injungere de longæ jam tractationis curriculo fessis, inurbanum, & inlaudabile censeatur.

Quandò igitur nostrum *de Veterum Donis* syntagma in caussa fuit cur Pisanam epigraphen de pecunia à Largennio Chresimo donata *Ob Honorem Bisellii* attenderemus; peracta nunc illius interpretatione, coronidem veluti imponamus eidem lapidi; Synopsin scil. aut periocham eorum quæ in Dorologia pertractamus. ut quæ fuit origo, & caput indagandi Bisellii, eadem clausula sit, & umbilicus. Non inviti autem ordine ad facilitatem elementario præmittimus subjectum indiculum, vel prodromum, aut metatorem. ut, si quem non pigeat rimari in antecessum, quin etiam de quopiam admonere (quod ingenuè concupiscimus) & eruditam conferre symbolam, liceat.

Gemi-

Geminis contextum partibus universum Opus Dorologicum ita disponimus, ut prima sit Isagogica, quæ lectorem in quodam quasi vestibulo sistit ad Rem Donaticam Veterum infinitè, ac γενικῶς prænoscendam. Suis autem nexam capitibus ita præmolimur.

CAPUT I.

Critices, ac philologiæ studium. Operantium illi non una laus: diversi labores, ac consilia. Vindiciæ pro Syntagmate Dorologico, quod nemo aggressus est. Antiquitatum cura seculi palato valde accommodata.

II. *Partitio totius operis bimembris. Præludium primò, atque invitamentum ad Rem Veterum Donaticam in universum: dein propriè ad singula genera donorum explicanda transitus. Fermè autem hic ordo servatus: ut occasio, ac tempus donandi, ritus quoque atque institutum expendatur: qui dederint, qui acceperint: quæ solennia, ac memorata magis in donationem venerint, adnotatum sit.*

III. *Doni definitio subtiliter examinata per nominis notionem, vocisque virtutem.*

IV. *Per rei naturam, ac constitutionem eadem agitata.*

V. *Miscella donorum nomenclatio analis, at sollicitè apposita.*

VI. *Divisio donorum; hinc in Divina, illinc in humana. Utraque vel publica, vel privata. Eademque, vel ἱερὰ, vel χρήματα Aristotelis; vel quomodo Ciceri.* Ex arca, & Ex virtute.

VII. *Origo, antiquitas, institutio donorum, præsertim apud Rom. Quæ in iis formula, qui ritus?*

VIII. *Praxis, atque usus donandi. Quid in eo laudabile, quid culpa dignum?*

IX. *De accipiendis, recusandisque donis.*

X. *De remunerandi, reddendique officio.*

XI. *Donare, lucrum.*

XII. *Idem jactura.*

XIII. *Quibus donandum, aut secus?*

XIV. *Quid donandum, quid non?*

XV. *Leges munerales.*

Sequitur altera pars ἐσωτέρα, ac penetralis, cujus periocham ordine elementario digestam in hunc modum præcerpimus.

A.

Adorea. Donum militare. *Vide Militaria dona.*

Adventitium. Honorarium. *quicquid advenienti, transeunti amico, hospiti traditur, apparatur.* Γέρας. Προσφορά. Cellarium. Copiæ. Rinfreschi. *Aut quod honoris gratia digniori, aut seniori datur. Vide Honorarium, Iatroitus, Lautia, Viaticum, Xenium.*

Agraria Donatio. Agri assignati. Viritanus ager. Jugera. Subseciva. Beneficia. Κληρουχία. γεωδαισία. *V. Militaria Dona.*

Alimenti Donatio. Σιτηρέσιον. Σιτομετρία. Σιτοδοσία. & *simpliciter δωρεά.* Diarium. Demensum. Chœnix. La parte. Μοῖρα. Annonæ. Commoda. Cellaria. Pueri, puellæque alimentariæ. *V. Frumentatio.*

Ambitus. Suffragia. Largitiones. Nummi pronunciati. Δωροδοκία. Φιλοτιμία. *V. Pollicitatio, Repetunda, Sordes.*

Apophoreta. Ἀποφόρητα. *quæ diebus præsertim Saturnalibus inter epulas donantur.* Piatti coperti. *V. Saturnalitia. Item quæ remunerantur, aut remittuntur.* Ἀντίδωρα, ἀντίδοσις. *V. Epulum.*

Auctoramentum. *Quod militi, sed propriè gladiatori ad nomen dandum.* Imprestanza.

Aurei annuli Donatio. *V. Militaria Dona.*

Aurum Coronarium. *quod Principi in Eucharisticum, aut corona accipienda. Quicquid confertur in auspicatus imperii.* Χρυσίον εἰς τοὺς στεφάνους. στεφανικὸν τέλεσμα. Collativum. Relevium. Epicombia. *V. Introitus. V. Corona. V. Isagogicum.*

B.

Beneficia. *Annuæ stipes, & vacationes.* Beneficiarii. *V. Milit. Dona. Agraria Donatio. Immunitas.*

C.

Charistia. Χαριστήρια, χαρίσματα. *quod in gratiarum actione, & vicissitudine officii.* Εὐαγγέλια. ἀντίδοσις. ἀντιδωρεά. *V. Donaria.*

Civitatis Donatio. *quæ ἁπλῶς δωρεά. V. aurei annuli Donatio.*

Cœnæ Convivia. *Quicquid ea occasione affertur, erogatur, missitatur.* Missilia. Cœna Viatica. Cœna adventitia. Cœna adventoria. Cœna aditialis. *V. Epulum.*

Collatio. Collativum. Collecta. *V. Eranus. V. Aurum Coron.*

Congiarium. Δόσις, Ἐπίδοσις: *quod populo, & nominatim Civibus Rom.* Principalis liberalitas. *Vini, olei, musti largitio.* Heminarium.

Corollarium. Auctarium. *quod ultra legitimam mercedem, aut præmium.* Ἐπίμετρον. Stillarium. Mantissa. Giunta. Vantaggio. Additamentum. Appendix. Ἐπίμετρον.

Coronæ Donaticæ *in universum. ob victorias, triumphos, lætitias. item ob præstantiam, & honoris causa.* Coronæ Provinciales. *V. Coronarium aurum. V. Palmarium.*

D.

Deditio. Dedita.

Divisio. Dianome. Διανομή: *ad aucupandam popularitatem; aut quod latiùs significatione dividitur. V. Largitio.*

Donaria. *quicquid Diis, in eorumque cultum confertur per occasionem sacrificiorum, ludorum, dedicationum,* &c. Ἀναθήματα. Donativa. *V. Primitiæ. V. Festa Dona.*

Donativum. *quod militibus a suo Imperatore.* Augustatica. Principalis liberalitas. Νομή. λαμπρὰ ἐπίδοσις. *V. Milit. Dona. V. Congiarium.*

Dos. *δώς. δόσις.* Datio. Donarium. Parapherna. Antipherna. *V. Nuptiale Dor.*

E.

Ecclesiasticum. Ἐκκλησιαστικόν. συνηγορικόν: *peculiare Atheniensium, ut in concionem veniretur, aut pro cœtu, & conventu.* Inlicium.

Eleemosyna. *quod pietatis, & miserationis sensu in pauperes erogatur.* Stips collatitia. Collecta. *Huc refer* Agapen *primitivi Christianismi.* Subsidia. Oblationes. Ajuti di costa. Collationes. *Collativa.* Commoda. Εὐλογία. Benedizzione. Ἀντίδωρον. *V. Frumentatio.*

Epulum. Invitationes. Lectisternium. *Adde præmia Cottabissantium.* Κοτταβεῖον. *& quæ cupediæ voris, multibibis, aut ob gulæ ingenia tribuuntur. V. Cœna. V. Convivia.*

Equi publici Donatio.

Eranus. Ἔρανος: *in usu apud Atticos. collatio ad sublevandos egenos, repetenda si in fortunam redierint. V. Oblationes.*

Euangelium. *Εὐαγγέλιον ob lætum nuntium.*

F.

Festa Dona. *quicquid per ludos, spectacula, ferias, gratulationes, officia traderetur. V. Donaria. V. Palmaria.* Lavationes. Sparsiones. Suffimenta. Propinationes. Liturgiæ. *V. Missilia.*

Frumentatio. *Frumenti, panis'ue divisio.* Largitio frumentaria. Panarium. Panariolum. Panis gradilis. Panis fiscalis. Annonæ civicæ. *ἄρτοι πολιτικοί. καθαροὶ ἄρτοι.* Panes palatini. Frumentum honorarium. Buccellatum. *V. Alimentum. V. Eleemosyna.*

G.

Gladiatorium. *Rudes.*

H.

Heuretrum. *Εὕρετρον: quod inventori, aut inquisitori. V. Indicium.*

Honor: *donum.* Honorare: *donare.*

Honorarium. *Honoris causa Principibus, Magistratibus, Legatis, &c. Item Præceptoribus, Medicis, &c. aliisque artificibus, ob ingenuas, & honestas operas. V. Adventitium. V. Minerval. V. Festa Dona. V. Palmarium.*

I.

Immunitas. Vacatio. Condonatio. Beneficium. *V. Remissio.*

Indicium. Indicina. *Μήνυτρον: ob rem indicatam, detectam, exploratam, quod Veraculis, otacustis, vatibus, indicibus, proditoribus, inquisitoribus, novarumque voluptatum architectis.* Præmium investigationis. *Item ἑρμηνευτικόν: ob aliquid explicatum, solutum, declaratum.* Veratura. *V. Heuretrum.*

Indulgentia. Sacra largitio. *εὐεργεσία. θεῖα δωρεά. V. Remissio.*

Inimicorum dona. *δύσδωρα, ἄδωρα, κακόδωρα. Item quæ in contumeliam, contemptum, fraudem, &c. & quæ coacti, aut spernentes largimur.*

Invitationes. *Epularum, & munusculorum genus.* Erogationes. *V. Epulum.*

Isagogicum. *εἰσαγωγικόν: pro admissione, vel ingressu ad munus, locum, personam. εἰσηλύσιον. εἰσόδιον.* Entratura. Introitus. Rudimentum. Relevium. Cœna aditialis. *V. Adventitium.*

Juvenalia. *Dies depositæ barbæ, sumptaque virilis.* Ἐφηβεῖα. Invitationes. *V. Tyrocinium.*

L.

Largitio. Πολυδωρία. Διανομή. *V. Ambitus.*

Lautia. Lautiæ. Loca lautia. *Hospitibus, aut legatis, quos recipimus. At* Legativum *iis, quos mittimus.* Copiæ. Annonæ. Salarium. Cellarium. Unguentarium. *V. Adventitium. V. Viaticum. V. Xenium.*

Legatum.

Libertatis datio. Manumissio. Eleutheria. Pileus. Rudes.

Linguarium: *quod tum loquendi, tum tacendi causa muneramur.* Ἀργυράγχη. Argentangina. *Huc revoco, quod laudiceniis, aretalogis, palponibus, auditoribus, scriptoribus datur.*

Librorum dona. *V. Sportula. V. Indicina.*

Lucar. Æs theatricum. Theorica pecunia. *θεωρικόν. ὀπτήριον: quod histrionibus, ludiis, cantoribus,* &c. Locarium. Scenicæ Donationes. Gladiatorium. Theatrum.

Lytrum. *Λύτρον. ῥύσιον. Ob redemptionem captivorum, mortuorum, &c. ἄποινα. Ob remissionem pœnæ, supplicii.* Condonatio. *V. Remissio.*

M.

Mantissa. *Ἐπιφορά.* Additamentum. Stillarium. Accessio. Mercedis cumulus. *Ἐπίμετρον. V. supplementa.*

Matronalia. *Kal. Martiis apud Rom. inter mulieres, & a mulieribus missitata.*

Militaria Dona. Donativa. Adorea. Salaria. Auctoramenta. Stipendia. Commoda. *Posteriori ævo,* Puncta, Solatia. Stellatura. Solidus. Soldo. Refrigeria. Augustatica. Pulveraticum. *Adde* Beneficia. Emerita. Roga. Sagus. Adæratio. Patarium æs. Calcearium. Clavarium. *Congero multiplicem largitionem. hastas, torques, cornicula, annulos, clypeos, armillas; quæ peculiariter data. Mulsum, cibaria, jugera, pecudes.* Vinum tortarium. *equos, tesseras, captivos, vasa, coronas, vestes, manubias. V. Donativum. V. Agraria Don.*

Minerval. *Δίδακτρον. Stipendium. Διδασκάλιον. quod magistris, educatoribus,* &c. Honorarium. Salarium.

Missilia. Sparsilia. Res Missiles. *quod jacitur in vulgus. Καταχύσματα.* Profusiones. Direptiones. Tesseræ. *Μελίγματα.* Hypatia. *Epicombia. ὑπατεία. ἐπικόμβια.* Pholles. Miliaresia *μιλιαρήσιον.*

N.

Natalitium Donum. *Ultro, citroque die natali inter amicos. Γενέθλια. Vel quod puerperis adhuc in lecto laborantibus:* Cimelia. *Vel quod infantibus die lustrico, qualia amuleta, bullæ, phylacteria; ὑπομνήματα σφραγίδων.* Munera Lustrica, *aut* Nominalia. Ὀνομαστήρια. *ἀμφιδρόμια. Dona junge πολυθεσίας & quæ nutricibus, & custodibus dantur.* Nutritia. *θρεπτήρια. θρέπτρα. τροφεῖα.*

Nuptiale Donum. *γαμήλια: quod nuptiarum die, aut pompa. Δωρήματα. θεώρητρα quæ sponsus sponsæ ubi primùm illam videt; ὀπτήρια, & ἀνακαλυπτήρια, quasi ob revelatam, ac detectam deposito flammeo. eadem ἐπαύλια: at quæ sponsa, & ejus cognati sponso, ἀντέπαυλια. Cum primò invicem loquuntur, ac salutant, προσφθεγκτήρια, & διαπαρθένια. Quod proci, & ambientes, μνῆστρον. Καταχύσματα,* nozze, confetti. *Huc refer* Donationes ante, & propter nuptias. *Ἕδνα φερνή.* Pherna. Antipherna. Cultus dotales. Donora. Arrhæ proxeneticæ. Morganaticum. Hypobolum. *V. Don. V. Philotesium.*

O.

Oblationes. Oblativa. *V. Eleemosyna. V. Eranus.*

Officia. *V. Festa Dona. V. Don. Funer.*

P.

Palmarium. Epinicium. Præmium. *Δᾶος. ἀριστεῖον. ἔπαθλον, βραβεῖον. ἐπινίκια.* Nicterium. Corollarium: *quod victoriæ, præstantiæ ergo in donum, mercedem, honorem cedit. V. Festa Dona. V. Indicina.*

Philotesium Donum. *φιλοτήσιον: quod amori, amicitiæ, fœderi, gratiæ datur. φιλανθρωπικόν.* Humanitas. Amorevolezza. Proxeneticum. Conciliatura. Captura. *μίσθωμα.* Data. *φιλαιν.* Philtrum. *φίλτρον. V. Charistia. V. Indicina.*

Pollicitatio. Oblatio. Largitio. *V. Ambitus. V. Sordes.*

Primitiæ. Præmissa. Præmessa. Primitiva. Sacrima. *Ἀπαρχαί. V. Donaria.*

Processus. Introitus. *V. Tyrocinium. V. Honorarium. V. Juvenalia. V. Isagogicum.*

Pro-

Proditionis, cædis Donum. *Μισθὸς τῆς ἀδικίας: quod sicariis, inquisitoribus*, &c. Taglia. Auctoramentum. *V. Indicina.*

R.

Remissio. *Debiti, tributi, pœnæ.* Condonatio. Abolitio. Χρεωκοπία. χρεῶν ἀποκοπή. Novæ tabulæ. σεισάχθεια Amnestia. Liberatio. Annus Sabbatharius. Reliquorum indulgentia. Subseciva. *V. Indulgentia.*

Repetundæ. Catillatio. Peculatus. *V. Ambitus. V. Sordes.*

S.

Sacramenta. Libamenta. Æs Curionium. Collecta; *Quod Sacerdotibus, vel sacrorum causa.* Extar. Rigaglie. Enthronisticum. Cathedraticum. Ἐνθρονιστικόν. καθεδρατικόν. *V. Donarium. V. Lucar. V. Eleemosyna.*

Saturnalia. *Quæ viris, & inter viros diebus Saturnalibus.* Saturnalitia.

Sigillaria. Sigillaritia. *Quæ feriis sigillaribus, & pueris propriè data.*

Sportulæ, Sectiones. Cogniture. σπυρίδια: *quæ Clientibus, Salutatoribus, Colonibus, Parasitis, Laudatoribus, Officiosis. Item quæ Judicibus, Causidicis, Patronis, Apparitoribus, &c. V. Ambitus. V. Sordes. V. Epulum. V. Linguarium.*

Sordes. Δωροδοκία. δωροδόκημα. δεκασμός. *quo Magistratus, judices, aut quivis alii corrumpuntur, inescantur, pervertuntur ad malam operam.* Corruptela. Gratia. Largitio. Divisio. Erogatio. δωροξενία. Nummarium tribunal. Judex ἀργυρώνητος. καπηλεύων. *V. Repetundæ. V. Linguarium.*

Sostrum. Σῶστρον: *quod servatori, liberatori.* σωτήρια. διασωστικά. *Item medico.* Ἰατρεῖα. Ἰατρεῖον Soteria. ῥύσια: *quod Diis ob salutem.* Λύτρον, *quod custodibus, vel latronibus. V. Donaria.*

Statuæ. loci. agri *Donatio. V. Lucar. V. Agr. Don. V. Funeral. largit.*

Strenæ: *quæ novo anno boni ominis, & lætitiæ causa.*

Suffragia: *quæ ad venaturam suffragii, ac favoris. V. Sordes. V. Ambitus.*

Supplementa. Auctaria. Stillaria. Subsidia. Auxilia. Ajuti. Vantaggi. *V. Eleemosyna. V. Manuscula. V. Collatio. V. Pollicitatio.*

T.

Tributa. Vectigalia. Datio. Dazio. Oblatio. Canon. Pensio. Indictio. Capitatio. *De his, quæ accedunt ad donorum rationem.*

Tyrocinium. *V. Juvenalia. V. Processus.*

V.

Vacatio. Condonatio. *V. Immunitas.*

Viaticum. Viæ auxilium. Ἐφόδιον. Salarium. Annonæ. Præbitio, Copiæ. Præbenda. παροχή: *quod amicis, magistratibus, Legatis, venientibus, abeuntibus. Huc spectat* Vasarium, *quod inservit vasibus, suppellectili, tabernaculo.* Unguentarium, *quod unguentis, deliciis, odoramentis.* Salgamium. Tractoriæ. *Locarium:* σταθμοῖς: *quod stabulis, mansionibus, pabulis, condimentis.* Alloggi. Quartieri. *V. Adventitia. V. Lautia. V. Legativum. V. Xenia.*

Victus. Σιτία. σίτησις. ἐδώδια. σιτηρέσιον. *V. Frumentatio. V. Agri Donatio.*

Visceratio. Κρεανομία. κρεωδαισία. ἀρτίκρεας. Carnium distributio. *V. Epulum. V. Congiarium. V. Donativum.*

X.

Xenia. Hospitalia. Præbita. Præbenda. Ξένια: *quæ hospitibus. Item quicquid munusculorum amicis missitatur;* Xeniola. Ἀποφόρητα. Ἀποφορεῖα. κειμήλια. Cimelia. *V. Adventitia. V. Viaticum.*

Congere miscellam præmiorum, aut mercedularum, quæ nomine τῆς δωρεᾶς veniunt; nobis Rigaglie, rilievi, incerti, Vantaggi, Mancie, &c.

Collybus: *quod mensulario, aut campsori.* Isagogicum. εἰσαγωγικόν: *pro importatione, aut ingressu.* Κόμιστρον. Φόρετρον Φορεῖον, *quod bajulo.* Λύτρον, *quod latronibus, aut custodibus.*

Locarium. *ob locum,*

Μαιώτρον: *obstetrici.*

Equimentum: *quod portitori pro admissura equorum.*

Nutritia. Θρέπτρα. Θρεπτήρια: *Nutrici.*

Naulum. ναῦλον: *pro trajectu, aut navigatione.* Amnica stips. Vectura.

Οἰκίστρον: *ob custodiam, & curam domus.*

Ὁδοιπόριον: *Comiti, aut Duci in itinere.*

Præconium: *præconi.*

Portorium. ἐλλιμένιον: *ob importatas, aut exportatas merces.*

Πορθμεῖον: *in pontium, aut fretorum transitu.*

Solarium. *ob solum, aut superficiem.*

Stips. *Stipatoribus propriè.*

Adde Calcearium, Clavarium, Hordearium, Vasarium, Unguentarium, *de quibus nonnihil supra. pecunia scil: in calceos, clavos, hordeum, vasa, &c. militum, legatorum, &c. Sic* Cerarium, Chartaticum, Cathedraticum, Synodaticum, *Mercedula, vel munuscula in Ceram, Chartam, Cathedram Sacerdotum, Principum, &c. Christianis usitata. Junge pensitationes, aut telonea.* Ripaticum, Rotaticum, Pulveraticum, Cespitaticum, Siliquaticum, Pontaticum, *alia apud glossas, atque inferioris ævi scriptores.*

AD SERENISSIMUM
COSMUM III.
ETR. PRINCIPEM.
DE MUSCIS ODORIS PISANIS.

PERTINACEM, si unquam aliàs, hoc anno hyemem experti sumus, cujus pomœria in ipsum usque Maji limen irruperunt. Penè obriguimus, cùm vetere adhuc hærente, novo superlapsæ nivis operimento proximi ad boream colles nuper albicarunt. Cœlum vidimus fuscum, & immite; aërem sensimus acutum, & pruinosum, de hyberni sideris asperitate nequidquam remittentem. Quid enim Aprilis moriens adulto Januario diverteret vix agnoscebamus, si una arctatæ noctis linea non demonstrasset. Et Pisanum tamen loquor tractum, qui clementi Jove, & placida Junone uti solet. Id igitur in causa, cur hoc ipso anno muscæ suaveolentes tardiùs prodierint, earumque venatio non ante instituta sit. Jucundum planè, & novum insecti genus, quod unicè sub Pisano Cœlo (quantum hactenus vel apud veteres, vel apud recentes noverim) gigni, aut saltem apparere creditum est. Historica proinde animadversione dignum, & quod aliquam Tibi, SERENISS. PRINCEPS, post majores cogitationes industriam cupiditatis excitet; qui cùm cæteras bonas artes, tum præcipuè rariora naturæ cimelia simillimus Inclyto Parenti Filius consectari non refugis. Ubi primùm itaque exilientes è latebris odoras muscas speculari licuit, Tibi describo

——— ———. namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas.

Non uno in loco intra urbem Pisanam nidificantes deprehenduntur hæ Muscæ. Sed notiora cubilia in ambulacris, aut peristyliis cœnobiorum D. Catharinæ, ac D. Francisci: alibi, & alibi per meos *ἰχνευτὰς* comperi eas metari etiam sub dio, ubi antea ignorabatur; pleraque reperiri nullus ambigo earumdem lustra hactenus inobservata; & mutare subinde coloniam, novasque sibi latebras prospicere: ubicunque tandem par sit loci ingenium, cœlique Διάθεσις, ac per floreas mensas cibi, & alimenti apparatus idem se explicet, tum intra urbem, tum in agro Pisano; quod nuper exploratissimum habui. Ac postquam hæc scripta, & Romam perlata sunt, ibi quoque de quæsitis, & prope Monasterium Cisterciense ad Aquas Salvias, hodie Tres Fontanas, repertis idem genus muscellis me monuit Abbas Octavius Falconerius: consimili nempe Romani, Pisanique aëris temperie. Sed Pisana cubilia à peritis cognovimus illarum vestigatoribus: à pueris potissimum vagis, ac petulantibus, qui Imperatorem Romanum æmulantes sedulò captant odoratas muscellas. Et quidem fœminis seplasiam impensiùs colentibus peculiolas emungunt, prædam venditantes. Cavernulis quippe ex insidiis imminentes, petaso, aut linteolo decutiunt, vel cava manu vivas assequuntur. E foraminibus illæ prodeunt plurimùm manifestis,

A quomodo formicarum videmus, lutoso circumaggerculo; aliquando nullo eminulo pulvere, qui cavernam indicet: prout nempe vel aridior, vel humidior terra iis ruat, aut exiliat; majorve, aut minor copia sit egerenda ad ostiolum perforandum. Ubi vero solum vel laterculis, vel tabulis lapideis instratum est, è commissuris sese exerunt. Non lentè, aut remissè volant; sed cum impetu, ac celeritate, ceu transfugas dixeris; aut operi potius, ac labori intentas, non sicuti cæteræ vulgares, quæ alienis victitant sudoribus, quomodo Muscæ encomiastes scripsit decenter Lucianus (τὰ ἀπὸ τῶν ἄλλων πονήματα καρποῦσθαι). At volatus illarum in-B tercisus, & abruptus per quasdam subinde jaculationes nunc dextrà, nunc lævâ. Non gregatim, sed solivagæ, & ἄνευ) feruntur; quæque privatim sibi sedula, aut ne parvo (quod inter homines accidit) sociorum cœtu tempus otiosè conterant, & ad desidiam corrumpantur. Anxiæ namque, ac festinæ ad pastum egrediuntur, quem etiam quandoque deferunt alendæ familiæ. Nihil mirum, si tacitæ, ac nullo strepitu redeant, quoniam præda oneratæ. Aliàs namque

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Juven. sat. x. Non tamen ab omni *ζιγμῷ*, aut bombo abstinent, præsertim clausæ, & captivæ: ceu C alarum trepidatione, aut querimonia magis, quàm tinnitu; sicut cæteræ faciunt muscæ cassibus irretitæ, ac sub lanienam araneorum lamentabundæ. Exeunt mane, ubi Sol illuxerit, si suda est dies: si nubila, paulo tardiùs, & pauciores. Fortè enim aer humectus, præsertim cavernulas incolentibus, pigras, & flaccidas reddit alas, corpusque minus agile: quod in cæteris quoque insectis observare est. Solent autem cum tepido aëre ad blandos Zephyrorum flatus prodire, & quod Vates ait vatum Princeps *Georg.* IV.

—— ubi pulsam hyemem Sol aureus egit
D *Sub terras, Cœlumque æstiva luce reclusit.*

Tunc equidem primùm circa areolas liliorum convallium (sive quæ nobis *mughetti*) tanquam in suo foro cupedinario cupidè versantur. Sed & chamæmyrthinem depascunt, sive myrthum pumilam, apud quam assiduè apparent: ac tenellis fortasse olentium plantarum foliis non abstinent. Aurantiorum deinceps, ut maximè, & citrorum, aliarumve arborum Medicarum flores libant: imò ad earum radices per foramina nipiam egredi visuntur, & regredi. Mehercle non sine providentiæ laude metatis castris, ubi in proximo sit pabulum.

E Sed earum talis est habitus, aut figura. Tenue, & longum corpusculum, magis quàm vulgaribus moscis: capitellum breve, ac nigrum, & omnino muscinum, nullis tamen maculis: thorax acutior, alvus gracilior, & quà hæc in ipso procinctu

cinctu jungitur, subtile admodùm ligamentum. Zonæ interim, aut lineæ, vel segmenta transversa corpus ambiunt, quasi annuli per intervalla. Si ultimum numeramus, quo alvi cacumen tingitur, quatuor erunt coloris citrosi, aut lutei infernè; at pressioris, & nigricantis superiùs: cætera ferrugineæ, ac rutilæ. Etsi cum quodam discrimine magis glabras, aut contra asperas adnotarim, colore itidem luteo, nunc presso, nunc diluto, prout apricas magis incolunt, & calori magis obvias cavernulas. Sic minus adultæ, ac juniores magis nigricant, ac splendent crusta leviori; ætate autem, ac senio magis colorantur, atque hirsutiam induunt densam, crassamque. Sed hæc in cæteris quoque animalibus deprehenduntur integris, ac perfectis; nedum in minutis, atque ἐντόμοις. Cæterùm color ille subflavus segmentorum, & crurum, verè sunt pili ita colorati, & spissa ordine isthic conserti. Alæ illis quatuor (hoc differunt ab aliis muscis, quibus duæ) venulis rufo illitis, ὑμενώδεις, cartilagineæ, ac splendidæ, in lacinia magis conspicuæ: duæ breviores, ac subnexæ, & quasi latentes. Ob hanc alarum angustiam (opinor) nullus volantium sonus. Sex pedes pilis asperi, atque internodiis crassioribus, quàm vulgò muscarum. quatuor posteriores divaricati, duo antici rectiores, & breviusculi, quibus ceu manibus sese emungunt, ac purgant. atque hæc cruscula ad luteum colorem vergunt. Cirri, sive cornua, vel antennæ duo in summo vertice camuræ pro oculis habent, si eidem Luciano fides *In Encomio Muscæ.* ὀφθαλμοὶ δὲ προβλῆτες πολὺ τὸ κέρατος ἔχοντες. *Oculi autem prominentes cornuum similitudine.* Non deest aculeus, sed brevis, & internus: alvi potius cuspidem, quàm telum dixeris. Feriunt, & ulciscuntur εἰς τρῶξ ἢ μιαντῶ, quomodo idem loquitur; sed levi noxa, quasi urticæ admotæ fervore; pustulæ tamen inde, & psydracia nonnunquam follicant. Promuscis illis bisulca, & fistulosa, ad exugendum: seu veriùs forceps ad capiendos cibos, deferendosque. Et rorulentis quidem sese onerant succis, quos illa pilorum serie stipatos retinent, ne dilabantur: quippe

— — Saltus, sylvasque peragrant,
Purpureos metunt flores.

Virgilius IV. *Georgicor.* vers. LIII. Sive ut amœnissimi Claudiani huc traham carmina II. *de Raptu Proserp.*

Pratorum spoliatur honos, hæc lilia fuscis,
Intexit violis, hanc mollis amaracus ornat,
Hæc graditur stellata rosis, hæc alba ligustris.

Vulgaris musca Luciano prædicatur, quoniam σύνδειπνος ἀνθρώποις ἐπάρχουσα, καὶ ὁμοδίαιτος, καὶ ὁμοτράπεζος, *convictu, cibo, mensaque utitur hominum.* At nostræ vitant familiaritatem; castæque & ideò suaveolentes: nec sordidis, putidisque insident cibis, conveniuntque quod Varro scripsit, lib. III. *de Re Rust.* cap. XVI. *Non ut muscæ liguriunt, quod nemo has videt, ut illas in carne, aut sanguine, aut adipe.*

Palmari sub terram profunditate plus minus lutosas illarum caveas reperire est, oblongas, & rectas, & in acutum infernè desinentes, nullo sinu; aut ambage. Suum cuique supernè foramen, aut ostiolum unicum; nullo aditu unius nidamenti in alterum, etsi multa simul adstructa, & contexta jungantur; nullæ ceruminis reliquiæ; nihil conditaneum; nullum tandem operis, aut laboris vestigium. Illic tamen fœtificent oportet, aut semina saltem relinquant; quæ primo vere in vermiculos animentur, mox coalitis alis in muscas avolent. Puto enim, quod penitus intereant adolescente autumno; hîc Pisis saltem evanescunt: sive aliorsum migrent, sive formicino ritu per hybernales ferias condantur. Quod autem effossâ altiùs terrâ in area D. Febroniæ observatum est ante duos nunc annos, in iis nidamentis, aut cunabulis nulli fœtus muscarum apparebant; sed myrmecia quædam, & succenturiatæ vermiculorum penè informium cohortes, grumis immixtæ, cœnoque implicitæ sine certis loculamentis. quanquam & quædam illic rudimenta casularum agnoscebantur per cavitates, & alveos luto impressos: eæque muscillæ aliquantum olebant, nec deerat mistim inspersa materies illa, aut succus subflavi coloris, quem muscæ parentes in alimentum, & hæc devexerant parvulorum. Sed hoc experimentum præcipite jam augusto factum: per hæc namque veris initia nondum comperimus deprædatos florum liquores à muscis in suas caveas adsportari: quasi minus natâ, aut non indigâ nutrimenti familiâ.

Odor tandem ipsarum inter Moschum, & Zibethum, & quidem fragrans, validus, perdurans; seu vivas, seu mortuas naribus exploremus. Sic lintea, vestes, arculas suo halitu afficiunt. loquar Plinii sermone lib. XXI. cap. VII. *Vestibus interpositas gratissimum*, quod ille protulit de herba Saliunca. Attritis autem solemus manus illinere, suavi illinc spiritu, ac per biduum, & ampliùs pertinaci. Dicam cum Lucretio Caro, gemmis contra non caro, lib. IV. vers. DCC. *de Rerum nat.*

— — quòd fracta magis redolere videntur
Omnia, quod contrita, quòd igni conlabefacta.

sive Plinii verbis loco sup. cit. *defracta, & ex attritu olent.* Cæterùm hic odor primò jucundior, & pinguior hoc mense; dein calore sese intendente acumen, & gravitatem induit. Sed impulsa, & ruente æstate, remissior fit; donec primo frigoris tentamento ignavissimus reddatur, tandemque evanescat, nec ipsæ muscæ amplius visantur, ut diximus. Hoc autem anno (quantùm licuit hactenus observare) obtusiorem emittunt fragrantiam: sive aëris frigidiusculi pervicacia: sive florum penuria ob insignem cladem, & plusquam Cannensem, quæ malos citreas tantùm non stirpitus delevit. Lacrymabile est, ut hyemis inclementia tabidæ, ac protervæ squaleant; sine frondium crinibus, sine germinum succo, sine surculorum lacertis; tanquam corpora scelera; quibus sola extent ossa truncorum arentia, solæ stipitum, ac ramalium desertæ, ac miserandæ horreant reliquiæ. Verè enim suus cibus est flos nostris animalculis, aut tenella, & odorata frondium cacumina: ex cibo odor tum vivis, tum extinctis; quod halitus ille floreæ dapis ingestus egeratur, quin etiam in melius calore, & decoctu reformetur. Non funus conditum, non medicati cadaveris antiqua sanies escam illis præbent; quod nonnulli parùm consultè eò sibi persuaserunt, quoniam è cryptarum, ac cœmeteriorum foraminibus (utpote magis vulgata ea latibula) muscas exilire vidissent. Hinc necatis, & extritis (in suam quippe fragrant perniciem) floreum nescio quid exhalans deprehendimus; præsertim si crudius adhuc pabulum intra pusilla intestina subsideat. Atque hic fermè capientium, & servantium mos est, intra pyxidiculas, aut ampullas unà cum floribus pro diario, & opsonatu includere;

pet-

perforato ostiolo carceris ad expirationem, & novi subinde aeris recursum. Sed haec enucleatiùs, ac fusiùs in commentariolo, quem meditamur de hisdem muscis, earumque generatione, atque ortu; ubi complura alia in universum de odorum natura, viribus, usu, è philologicis, quin etiam physiologicis fontibus deducimus. Non desperamus interim nobis symbolam aliquam ab acutissimo, cultissimoque Laurentio Magalottio, cujus ore Etruscas Musas locutas fuisse gratulor; cum philosophari nuper voluerint. Exercitationem quoque physicam ab eo texi audio de Odoribus: nihil publicum, aut turmale redolebit: ut omnia mihi selecta spondet rarissimi ingenii sublimitas. Interim haud perirent penitus negotiosi Tui otii subsceciva, PRINCEPS SAPIENTISSIME, quoties post curas graviores levidensibus hisce avocandum animum demiseris. Si quid namque ad cultum pertinent lautioris fortunæ, virorumque Principum deliciosis penetralibus quæsitiora odoramenta conveniunt; quis vetabit eorumdem ingenia odorariis meditationibus jucundè affici? Certè Te decet auctoritate, favore, opibus auream ceu clavem ministrare ad scrinia naturæ reseranda: quibus tenuiores homines tum cognitionibus rerum delectant, tum pietate excitentur ad Deum summum artificem collaudandum. Sed jamdiu studia haec fovere, atque impellere Serenissimæ Tuæ Genti ingenerata laus est.

Quòd autem unguentaria hæc animalcula muscas appellem, sequor vulgi nomenclationem; potius namque ad vesparum, aut apicularum ordinem me judice accedunt. Aculeus, alæ, figura, color, cibus, nidificium à muscis non paulò discriminant. Sed Veterum quoque usu, doctorumque, & eruditorum adprobatione μῦα *Musca* appellatur quodvis parvum, ac volans insectum. Multa Muscarum genera me docet sacer Codex Exod. VIII. *Ecce ego immittam in te, & in servos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muscarum, & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis.* Fortçan inter eas nostræ quoque odoratæ? Quanquam nobis voluptati sunt, & blandimento: at Ægyptus in pœnam, & flagellum divinitùs immissæ. Nostras quoque respexisse videbitur Ecclesiastes cap. x. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*, eoque allusit indubitanter, ac digitum veluti intendit D. Hieronym. epist. XX. *ad Marcellam: Muscæ moritura oleum suavitatis exterminant*, ut saniores præferunt Codices inani glossemate expuncto. Sed Muscæ hic de apibus meritò sunt exponendæ; ut contra apum nomen muscis inditum reperio apud Lampridium in *Heliogabalo* cap. XXVI. *Claudebat in ejusmodi vasis infinitum muscarum, apes mansuetas eas appellans.* Atqui eo muscarum verbo apes quandoque indicari, atque alia minuta insecta in sacris paginis haud semel monuit V. Cl. Samuel Bochartus in *Hierozoico*, sive absolutissimo, & stupendæ eruditionis opere *de Animalibus Sacræ Scripturæ*. Placuit tandem locubrationem hanc nostram addita fabella nonnihil exhilarare; Sed fundus apologi Pausanias lib. v. sive *Eliacor.* prior. Narrat enim de Muscis à Jove in exilium pulsis per ludos Olympicos, ne convenis crucem figerent impudentiâ, ac voracitate. ac de Jove muscarum depulsore, & abigeo, Deoque Ἀπομυίῳ, sive Myiagro, aut Myjode, extat etiam apud Plinium XXIX. VI. & XXVIII. X. eundem Pausaniam lib. VIII. Omnium accuratissimè Salmasius *ad Solinum* pag. XII. qui tum veteres, tum citeriores ad examen vocat. Ego autem fabulor tristis exilii denunciatione perculsas muscas Jovem exorasse, sibi ut liceret saltem Pisas Etruscas migrare, & apud populum Elide oriundum, cognatumque diversari; thymamata odoratissimum pollicentes, quod ad ripas colligant Arni, mox ad aram Jovis sistant post ludos exactos. Hinc etiam hodie ex longo traduce muscas odoriferas sub Pisano Cœlo durare, quæ antiqui memores instituti in opere odorario desudant, atque elaborant. Mirè profectò consentiunt omnia ad fidem faciendam mythologiæ nostræ. Utrobique nomen Pisæ, tum in Elide, tum in Etruria. Illic muscarum concursus, & abactor Jupiter, aut alius Deus: hic nova illarum soboles sese prodit: & quidem eopse tempore, quo ludi celebrabantur in Elide ad æstivum solstitium. Tunc enim quoque Pisanæ Muscæ suo videntur labore defunctæ, quasi Eucharisticum mox reddituræ confecti odori operis, quod Jovi placando voverant. Hoc solum namque postremum comminiscimur; cætera testimoniis oriuntur non vatum, sed historicorum, Pausaniæ, Plinii, Æliani, Solini, aliorum. Adjungere itaque & mittere audeo expressum carmine ludibundæ musæ commentum.

QUà sacer Alpheus Stymphali è vertice ruptus
Piseos populos claro mox, gurgite lambit,
Ad virides illic ripas, camposque patentes
Quartus ubi Sol nunc brumam, nunc reddidit æstum,
In ludos effusa ruit sudore curuli
Septenis metam spatiis obitura juventus.
Incensis latè fibris altaria strident,
Mille caduntque Jovi votivo sanguine dona.
Grex ibi muscarum petulans tunc sistere circùm
Sacrificos, pecudes, lances, liba, ora precantum;
Ire, redire simul, cætusque agitare voraces.
Cum Divûm Rex (sacra colunt hunc jurgia cursus)
Talia profudit commoto è pectore verba.
Muscarum hinc migret populus, nec Olympica tecta
Infesto dum festa manent examine turbent.
Hæc ubi dicta dedit, subito percussa dolore
Vix stetit ægra cohors, damnisque cohorruit alis,
Hac, illac mæstè volitans, trepideque pererrans.
Ast unus aligeras inter crescebat in ore
Et decor, & sonitus, & procero in corpore virtus:
Gutture seu lato, seu motis exit ab alis,
Dum volat, hinc major sonitus, graviorque susurrus,
Quo toties depulsa petit, repetitque fugantem.
Firmior est thorax, succosior albicat alvus,
Et bifido vertex cirro cristatus inhorret.
Densa pilis series dorsum, pectusque, latusque
Obtegit, & nodis bene constant crura repanda.
Sic animosa volat, bibula sic cuspide sugit
Nunc fluidos artus, semesaque viscera tabo,
Marcentes putore cibos, cariemque relictam,
Nunc vervum plagis livens, & pondere duro
Attritas costas non æqua mentis aselli,
Qui longas nequicquam aures, caudaque flagellum
Quassavit lassus morsum depellat ut acrem.
Tot dotes natam imperio, sceptrique capacem
Hanc musca exerant tristi succurrere sorti.
Quæ exilium miserans, indignaque fata suarum,
Sic pudibunda Jovem lacrymis affatur obortis.
Ergo sacris, ô Summe Pater, velut impia turba
Pellimur, & nostris profuga decedimus arvis?
Si quid vota valent, si quid suspiria nostra,
Et miseræ voces, exaudi Rector Olympi.
Per volucrum dominam, gerulos & fulminis ungues,
Quo Cœlum quassas ruptum, terramque, rogamus.
Alis nos volvimur quoque, nos quoq; findimus athera;
Et nos pugnaces frontes mucro dirus obarmat.

Macta-




XLV
XLVI
XLVII
LIII
XLVIII
XLIX
LI
LIV
LII
L
XLII
XLIII
XLIV




XL
ALEXANDER VII. PONT. MAX.
IMP VIII COS III PP
S C
LIBERALITAS AVGG
FELICITAS
S C
SAECVLI
XLI
Λ. CΕΠΤ. ΓΕΤΑC ΚΑΙ. ΑΥΡΗΛ ΑΝΤΟΝΙΝ
ΑΥΤ ΚΑ CΕCΕ ΟΥΗΡΟC
LIBERALITAS AVGG. III
S C
XXII
XXIII
XXIV
ΔΗΜ CΕΟΥC ΥΠΑΤΕΑ
ΟΜΟΝΟΙΑ
XXV
SALVS AVG
XXVI
SECVRITAS AVGG
S C
XIX
XX
XXI
XXIX
XXX



III
C. SVLPI CIVS PLATORIN
IV
AYT KPAT
YP
APXIEP. ME
ΓAΣ
V
NIKEPAP
VI
PON. MAX
DIC. PERP
VII
COS QVINC
C. CAESAR.
DIC. PERP.
IMP. SEX.
VIII
COS. DESIG ITER ET TER
III. VIRR. P. C.
IX
COS ITER
III VIRR. P. C.
X
C. CAESAR DICT
EX S.C
PERPET
XI
EX S.C
CAESAR DIC PER
XII
IMP CAESAR
XVIII
XVIII
XIII
XIII
XIV
XVI.
XV
XV
XVII
I.
II

Mallatas piget ararum sic linquere carnes,
Totque dapum in ludis cumulos, mensasque cruentas.
Sed postquam migrare jubes, longeque perire,
Non patris Cœli rorem, non dulcia poma
Sugere permittis, tandem permitte, quod oro.
O liceat saltem gentiles quærere terras
Quanquam non uno submotas gurgite Ponti,
Et quondam Eliaco de sanguine visere cretos
Aonidum genus antiquum, Pelopisque nepotes,
Arnus ubi dives Tyrrhenis conditur undis.
Frugiferos inter campos, & pinguia culta
Marte ferox Pisais stat domus alta colonis
Sueta mari latè discretas vincere gentes,
Nomen adhuc retinens nostrum, & cum nomine famam.
Excipiat saltem muscas hæc una fugatas;
Dum rapidi certant axes, dum sacra adolentur:
Exulis hæc remanent nostri solatia nobis
Cognatos populos, Graiam divertere ad urbem.
Spondemus (quid parva potest tibi reddere magnum
Musca?) at spondemus tamen haud ignobile munus,
Etruscam si quando dabis contingere terram.
Ad tepidos flatus, ad mollia sydera Cœli
Pullulat ô qualis passim quasi vere perenni
Matutina cohors florum sub lumine primo,
Citrea quos profert malus, quos arbor ab auro
Nomen habens lætis illic tutissima ramis!
Carpere præcipuam hos cura est, prædamque tenellam:
Nunc onerare pedes, nunc dorsum implere, sinumque
Germine fragranti, & raptos sorbere liquores;
Quos calor ingenio recoquens, atque arte magistra,
Dædaleum componit opus, tam suavi redundans,
Quantum non Syriæ valles, non rura Sabæa,
Non thus, non costum, non casium reddit amomum.
Hoc thymiama tuam reduces ponemus ad aram:
Quas prohibes, muscæ sacris donaria sistent.
Annuit Omnipotens non torva fronte rogatus,
Atque animum mulcens, pœnam lenivit acerbam.
Tunc Regina migrat densis comitata catervis:
Quæ procul egressa longis secessibus errant
Dum teneant Arni ripas, sedemque capitam.
Muscarum hinc proles durat de semine prisco
Thuscos Alphea campos bene sedula libans,
Quæ ventre artifice exhalantia dona reformat,
Et nova de florum succis myrothecia condit.

Sed quando Pisani hujus insecti rarum prorsus odoramen huc nostraxit, repetamus licet cum Plinio lib. xi. cap ii. *Rerum natura nunquam magis, quàm in minimis tota est.* quod si idem naturæ consultus lib. ii. cap. ciii. in admiratione posuit: ut Pisanorum aquis calidis ranæ innascerentur, ego inter rariora, & magis insolentia suaves istas, & Arabiam spirantes muscellas libentiùs repono. Vive diu Sospes, Fœlix, Sapiens.

Pisis x. Kal. Jun. MDCLV.

Sereniss. Tuæ Celsitudinis

Famulus in perpetuum obsequium pronissimus

Valerius Chimentellius.



INDEX

RERVM ET VERBORVM.

A

Ædilica

— in

—quan-

Bin-

——— qua-

—— co-

—— *quinam*

E

—— quot

G

H

——— *eorum*

—— Le-

K

L

Lami-

—— qua-

 Maja-

—— anqu-

—— *tem-*

O

Opi-

P

—— *five*

 —— *aque*

Prae-

—— ejus

Quin-

—— ejus

Q

——— Quin-

Ripa

—— eorum

Sella-

Sub-

T

—— que-

—— rerum

V

Van-



Ursa



W

Z

F I N I S.







